UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Jus Canonicvm R.P. Pavli Laymanni, Soc: Jesu Theologi, Et Olim In Alma Et Episcopali Academia Dilingana SS. Canonum Ordinarii Professoris

Laymann, Paul

Dilingæ, 1666

urn:nbn:de:hbz:466:1-62559

Visual Library

Nш
23

Th. 4794.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


S. Hieron. Prologen. tr.
S. Gaeta. Fauen. tr.
Pontifice Annuente
Gregorius IX. V. Lib. Decret.
PAVLI LAYMANNI
E SOCIET. IESV
IVS CANONI
CVM
SEV
COMENTARIA
IN LIBROS DECRE
TALES.
TYPIS ACAD.
DILINGAE
MDC LXIII
Dilinga

JUS CANONICUM

R. P. PAULI LAYMANNI, SOC: JESU

THEOLOGI,

ET OLIM

IN ALMA ET EPISCOPALI ACADEMIA DILINGANA

SS. CANONUM ORDINARII

PROFESSORIS.

Opus, nunc primùm editum.

Adjungentur alia ejusdem Authoris Opera, quæ de Jure Canonico reliquit.

Collegii Soc. Jesu Paderbornæ.

Cum Gratia & Privilegio

Sacræ Cæsareæ Majestatis.

DILINGÆ,

Permissu Superiorum.

Formis Academicis, *Apud Ignatium Mayer, Anno Christi M. DC. LXVI.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

REVERENDISSIMO ET CELSISSIMO

PRINCIPI AC DOMINO, DOMINO

JOANNI CHRISTOPHORO,

ELECTO EPISCOPO AVGVSTANO, S.R.I. PRINCIPI: PRAEPOSITO AC DOMINO ELVACENSI;

PRINCIPI AC DOMINO NOSTRO CLEMENTISSIMO.

Celsissime

PRINCEPS.

EX quo die nuper ILLVSTRISSIMAM CELSITVDINEM TVAM, *spectatissima per aliquot jam annos aliô Principatu Virtus*, designare *cœpit*; *numerosissimus verò suffragiorum consensus* eligere; *publicæq; demum exspectationis sinus* suscipere *se*, *gavisus est*, *Augustani Pontificatûs* supremum caput: *nemo fuit omnium*, *urbanioris aliquantò judicii mortalium*, *qui non in* TE *repetendum continuandúmque vetustissimum illud institutum*, *ac morem*, *ex animo censeret*; *quo more dictante*, Principum, *quà Sacrorum*, *quà Civilium*, Electiones, *ac dignitatum*, *& Annorum*, Exordia, *congratulantis affectûs lætâ quapiam*, *per* strenam *aut* Xenium, *testificatione cohonestabantur*.

Et hujusmodi quidem donariorum, *apud diversos diversa*, *genera fuerunt*: *sic*, *ut* (*ne nostram hanc assertionem* exempla *sua destituant*) *priscis ferè*, Coronarium, *teste Tullio*, *collatum à populo fuerit*; *à Senatu verò*, *Constantino Magno*, scutum aureum, aurea corona, DEI Signum aureum, *aliáque Principibus aliis*, *oblata dona preciosa sint*, *& è thesauris privatis publicisve deprompta*. *Quidam autem*, *aurô gemmisque neglectis*, *gratioribus animîs litteratum quidpiam*, *ac præsertim ex Antiquitate refossum*, *locô strenarum ac munerum*, *amplexi sunt*. *Inter quos*, Evangelium *Divi Matthæi*, *Barnabæ scriptum manu*, *repertúmque cum Scriptoris corpore sub arbore ceratiâ*, Zeno, *Græcus Imperator*, *missum è Cypro sibi*, *lætus accepit*; *& aurô circumdedit*. *Divi verò Gregorii Magni Moralium tertium*, *quartúmque*, *libros*, *annorum plusquam quinquaginta latebrîs sepultos*, *divinitúsque tandem repertos*, Chindasvvindus, *Hispaniarum rex*, *oblatos sibi*, *gavisus est*. *Marci quoque Vitruvii*, *longô temporum situ squalens*, *ac tenebris demum erutum*, *volumen*, *quod* architectonicês *Præcepta complectitur*, *Arragonum*

rex, Alphonsus, *afferri sibi, lætatus est; quo tempore Neapolitanam is arcem, vetustate labantem, ad* Vitruvianas *maximè regulas, instaurabat. eâque causâ, quem diximus, auctorem, omni tegumentô destitutum, accuratissimè, non compingendum modò, sed insuper intus ac foris exornandum, curavit: caussatus,* Indecens esse, Librum illum, qui *doceret*, quo pacto se, Reges etiam, tegerent ac munirent, ipsúmmet intectum immunitúmque per ædificia circumferri.

Regibus igitur illis, ac Principibus, *quos nominabamus,* Xenium *fuêre gratum, etiam* Libri, *priùs annorum injuriâ quadam abstrusi; postea prolati: nec ii duntaxat, quos ipsorúmmet offerentium manus lucubrârat, sed* Alieni *quoque; quos posterorum tamen industria, ne penitùs intercíderent, in lucem protraxerat, virorúmq; Principum tutelæ commendârat.*

Ex eo porrò Librorum *censu, quos utiliter alii conscripserunt, & conscriptos alii publicârunt; nemo (judiciô nostrô) præsens* Commentariorum, *in* Decretales, *Opus eliminaverit. Quanquam enim hoc, non Minervæ nostræ sit;* nostri *tamen Ordinis, loci, domicilíque, partus,* Laymannum *habet auctorem, Societatis nostræ Virum, ac Theologum, annis abhinc facilè triginta, morte quidem extinctum, sed doctrinæ famâ celebrî superstitem: Virum, cujus ingenii, doctrinæ, Resolutionúmque, vivacíssimo vigori, vel in* Conscientiæ *nodis, vel in* Legum *difficultatibus, adeò non obstabat, aut annorum olim, aut hodie cinerum, & sepultorum ossium, ætas; ut in venerandos illius manes, (qui quotidie multos adhuc docent, ac porrò docebunt,) illud cadere meritò possit Baldi Jureconsulti:* Plus valet umbra Senis, quàm, eloquentiâ *claritatéve* nudatus, Juvenis gladius. *Hic quidem certè* loquitur *eruditè facundéque Paulus noster,* De Summa Trinitate, Fidéque Catholicâ, *De* Constitutionibus, *De* Rescriptis Pontificum, *De* Consuetudine, *De* Prælatorum Electione, Potestate, Translatione; *super* Officio Vicariorum, & Judicum, *ac cæteris id genus, ad cœlestis Sionis ædificationem spectantibus, quæq; (ni fallimur), architectonicis saltem* Vitruviorum *omnium Institutionibus, tantò potiora sunt, quantò* Christiano cuivis, *& Ecclesiasticæ præsertim conditionis hominibus,* honorificentius est, secundùm Canonum normas, quàm ad fabri perpendiculum, sua metiri. *Posterioris enim hujus mensuræ Scientia,* Reges *magis, ac Sceptra* profana; *prioris autem,* Episcopos *cumprimis, ac peda Pontificum, decet: maximè, cùm & ad Vlpiani Jurisconsulti mentem, in l. 1. § fi. ff. de Just. & Jur.* Publicum Jus, & utilitas, in Sacerdotibus versetur: *quos mitrata dignitas, etiam ipsos, in suâ quemque diœcesi,* Reges Sacrorum *constituit: ideóque, Legum etiam, ac religionum, amantissimos esse, scientissimósque, postulat. Talium autem omnium Canonicarum præceptionum Summa, tum demum doctrinæ*

trinæ suæ punctum fert, operæq; pretium; si Doctor in explanando commentan. dóq; (quod præstitisse Laymannum *nostrum, eruditi censent)* facundiæ *junxerit* Claritatem. *Ac jurè quidem, & necessariò.* Quid enim tam proprium omni Legi, quàm Claritas? *(velut est in authent. de Testam. imperf. §. 1.)*; *Vt adeò* Paria, *dicat esse, Franciscus Aretinus, in l. qui ex plurib ff. de verbor. obligat.* Non dici quiddam, &, Obscurè dici. *Faces igitur, obscuritatem discutientes, Commentariorum perspicuæ lucernæ sunt: quæ nec in scriniis latére, nec in angulis, aut sub terra, convenit; sed, in publicum proferri, lucique plenæ, typorum ministeriò, commendari. quod in* Laymanno *nos præstare conati sumus.*

Reliquum est, ut, qui lucem jam aspexit, Decretalium Primus *hic explanator, Commentarius, sui* Tutelam *aliquam, potentiâ pollentem, inveniat: hoc est,* Patronum. *Eò si careat; tanquam* Vitruvianus *ille (cujus suprà plus semel meminimus)* liber, *nudus, & inopertus, algebit. Præsidio verò* Patrociniôque *repertô; jam involutus, amictus, contectus, erit. Ad hanc autem Tutelam, ac tegmen hoc inveniendum, non opus erit, vel ad* Alphonsum *quempiam, vel ad* Zenonem, *Orientis Imperatorem, decurri. Supplebit utrumque Principum illorum, Tua,* CELSISSIME PRINCEPS, ILLVSTRISSIME PRÆSVL, *auctoritas, atq; dignatio: quibus addimus, Et* Jus.

Nihil æquiùs quisque diligit, aut tuetur fideliùs; quàm, quod Suum est. *Et hic,* CELSISSIME PRINCEPS, *hic ipse liber, Tuæ Celsitudinis* est; *non jam* Xeniô *duntaxat,* strenâque *(quam, in hoc munusculo, manibus Tuis insinuamus, & gremio;) sed eô quoque* Jure, *quo,* Quidquid est Academiæ nostræ, fuítque, *litteratum & eruditum; id devolvitur ad* CELSITVDINEM TVAM: *quæ primis hujus Athenæi* Fundatoribus, *non affectu benevolentiæ minùs, erga genus omne* Scientiarum *salubrium, quàm Episcopalis cathedræ Canonicâ suffragatione, succedit.*

Ipse certè, Piæ memoriæ, Laymannus, *si reviviscere hodie (Vir alioqui, quantùm ab omni fucô, tantùm alienus & à palpo, nec multorum esse verborum solitus); hæc tamen, & quidem mentis intimô sensu, dicere Tibi non utique dubitaret: Ego,* CELSISSIME PRINCEPS, *in hac Vniversitate, sic annis aliquammultis, turbulentorum etiam temporum,* Docendo *sum versatus; ut, tametsi sensim Omnia fieri viderem adversariorum imperii Romani, nihilosecius tamen, & Academiam nostram, & nos, laborésque nostros, Illustrissimorum Augustanæ Cathedræ Pontificum, esse judicarem;* obligatione *tantâ, quanta (velut ff. de pecul. l. quis ergò, docetur)* etiam Ossibus nostris adhæret: *ut proinde, sive* vivens *ederem quidquam in publicum, præsenti tunc viventique* PRINCIPI, *præsens ac vivens, consecratum voluissem; sive post obitum, & è tumulo quodammodo meo refossum, aliquid meorum edi nôssem: id illi dedicatum*

EPIST. DEDICAT.

PRINCIPI *cuperem, quisquis præcedentium successionem legitimam adisset; inprimisque*, Juris omnis tutori. *Talia vir ille diceret: ac* CELSITVDINI TVÆ *laborem hunc suum, ad pedes pronè submitteret: quódque* Tuum, *ab omni retrorsum Æternitate*, Fieri, *Fata decrevissent; id*, Tuum Esse, *pronuntiaret; ac plura non adderet: non, videlicet, gemini Tui Principatûs; non, insignium* TVÆ CELSITVDINIS *in Societatem nostram meritorum; non denique virtutum, ornamentorúmque Tuorum, ullâ mentione* coràm, *& in os, inspersâ; quippe, nobiscum unà gnarus*, De cujusque præclarè gestis, decentiùs unumquemque Secum, & ex ore famæ, quàm cum illômet præsentem, loqui: *TEque præcipuè*, mereri præconia, quàm auscultare, malle; nec facilè quenquam dolentiùs vituperia suî, quàm Te Tuâsmet laudes, audire *consuêsse.*

Silemus igitur hactenus: & affectu duntaxat (sed proniſsimô) nos omnes, & opus hoc Auctoris candidisſimi, CELSITVDINI TVÆ *commendamus: cuj Scriptori si faverit ea*; mirô beneficii prodigiô, *post hæc eum, ad alia quoque luci danda generis ejusdem*, etiam mortuum excitabit. *Ità semper, aternúmque*, CELSISSIME PRINCEPS, *vivas! Kalendis Januariis, Anni M. DC. LXVI.*

Ex animo vovet,

ILLVSTRISSIMÆ CELSITVDINI TVÆ

Devotisſimum

Societatis IESV Collegium Academicum
Dilinganum.

LE-

LECTORI SALVTEM.

PRodit nunc tandem è prælo, publicam in lucem, partus posthumus Juris Canonici, à piæ memoriæ P. Paulo Laymann, Societatis nostræ Theologo, progenitus; qui, ut erat acri vir ingenio, defæcato judicio, studio indefesso, rarâque animi demissione ac modestiâ profundâ, quâ præcellebat, Juris ac Theologiæ moralis doctrinæ pari passu conjunctâ, præstans, ità solidis & exquisitis elucubrationibus libros decretales D. Gregorij Papæ IX. & Bonifacij VIII., post moralem Theologiam (iteratis, magnâ cum utilitate multorum, vicibus à se priùs editam,) adeò luculenter & feliciter illustravit: ut has, ejus ingeniô, studio, ac virtute dignas, commentationes, non tantùm Auditores frequentissimi, quos ipse, primus hîc Juris Canonici Professor, compluribus annis à vigesimo quinto hujus sæculi docebat, calamis semper avidissimis excíperent, sed aliarum quoque celebriorum Universitatum excellentissimi quique J. U. Doctores, ac Professores, in suorum etiam Auditorum usum & commodum, non tam in transcriptis exemplaribus communicari sibi cuperent, quàm, ut earum insuper copia communis omnibus Juris amantibus, beneficiô typi publici, sinè morâ fieret, ardentibus votis exoptarent. At interveniens, à diuturnis Germaniæ bellis, injuria temporum, & inopia sufficientium sumptuum, &, (quod rei caput est,) ipsum revidendis, & ad prælum parandis, paginis intentum auctorem intempestiva mors occupans, moram desiderio nostro longiorem injecit: quæ tamen si, divinæ providentiæ indultô, pauculos unius anni spatio menses, laboribus, & vitæ ipsius, addi permisisset;

misisset; multò citiùs & expeditiùs ad impressionem operis tam utilis, & tam exoptati, manus typothetarum, ac librariorum, appositæ fuissent.

Tametsi verò ne nunc quidem sint omnes in præsenti congestæ tomo partes totius operis; cùm ejus libri alii etiamnum imprimendi supersint: expectationi tamen ac desiderio plurimorum insignî doctrinâ præstantium Virorum ut aliquâ saltem ex parte satisfiat; placuit nobis, dum expediantur & reliqui, unum saltem, eúmque primum illorum, in publicum emittî: qui profectò doctrinâ tam abundante refertus est, ut vel ex eo solo fructum uberem sint reportaturi, qui studium & operam suam ejus attentæ lectioni diligenter sunt impensuri.

Quæ placuit Auctori, Methodus, accuratè quidem observat eundem Titulorum, & Capitulorum ordinem, quem ipse textus in Corpore, quod is interpretatur, tenet; &, ad ejusdem Corporis usum Juris Studiósis familiariorem ac faciliorem reddendum, non parùm conducit: simul autem, ad unumquemque Titulum easdem pertractandas materias revocat, quæ sub iisdem titulis reperiuntur, in libro decretalium sexto.

Atque hæc obiter prælibata tibi sint, benevole Lector, ad primam hujus Operis frontem. Fructum dulciorem hauries ex ipso fonte: quo largiter fruere, & vale.

LIBRI

LIBRI PRIMI DECRETALIVM GREGORII IX. PAPAE.

TITVLVS I.

DE SVMMA TRINITATE, ET FIDE CATHOLICA.

CAPITVLVM I.

Firmiter.

SVMMARIVM.

1. *Ecclesiastici Canones homines Christianos ad salutem animæ, & vitam æternam consequendam dirigunt.*
2. *In causis, quibus animæ salus vertitur, canones seruari debent in omni foro.*
3. *Fides orthodoxa est fundamentum nostræ iustificationis, & speranda glorificationis.*

1 ECclesiasticos Canones ideo constitutos esse constat, vt eorum adminiculo homines Christiani salutem animæ consequantur, & ad vitam æternam ordinentur. *Quare* non incongruè dixit Glossa in reg. iuris 2. in 6. quòd *subiectum* attributionis *scientiæ iuris canonici est homo dirigibilis non solùm in bonum commune* (seu politicum, ad quod scientia iuris ciuilis per se ac directè ordinatur) *sed etiam in Deũ*; Et iterum, *vbi* 2 *vertitur periculum animæ, iudicandum esse secundùm canones in omni foro.* quod etiam tradidit Abbas Panormit. in c. sæpe n. 4. de restit. spoliatorum, & Canonistæ communiter in c. vlt. de præscriptionibus.

Cùm itaque Fides orthodoxa fundamentum sit nostræ iustificationis, & sperandæ 3 glorificationis; atque *sine Fide impossibile sit placere Deo*, ad Hebræos c. 11. v. 6. ideo ante omnia, ex generali Lateran. Concilio, habito anno Christi 1215. cap. 1. proponitur Fidei Catholicæ explicatio, prout ea à SS. Patribus in Nicæno, Constantinopolitano, Ephesino, & Chalcedonensi Oecumenicis Conciliis tradita, & hactenus retenta, atque contra hæreticos defensa fuit, de Deo rerum visibilium & inuisibilium Creatore, vno in substantia, & trino in personis; de Verbo Dei per Spiritum sanctum incarnato, ex Maria Virgine nato, mortuo, ad inferos descendente, ac resurgente, ad iudicium iterum venturo, & æternam seu gloriam, seu pœnam, pro

operum meritis, reddituro. Additur porrò doctrina de vna Ecclesia Catholica, Sacrificio Missæ, Sacramentis Baptismi, Eucharistiæ, ac Pœnitentiæ; demum de statu coniugii inter fideles nequaquam damnando. Videri potest c. 2. d. 23. vbi similis doctrina Catholicæ Fidei, quæ ab ordinandis Episcopis profitenda erat, proponitur, sumpta ex Ordine Romano, quem antiquissimum librum esse constat ex veterum Patrum allegatione, ac testimoniis.

CAPITVLVM II.

Damnamus.

SVMMARIVM.

1. *Ioachimus, Monasterij Florensis Abbas, perperàm negauit diuinæ essentiæ in tribus personis veram ac simplicissimam vnitatem.*
2. *Inter Creatorem & creaturam non similitudo perfecta, sed deficiens ac proportionalis cernitur.*
3. *Prælatus delinquendo non obest Capitulo, nisi id consenserit. Ex causa, interdum vnus alterius culpam luere debet.*
4. *Errans in fide hæreticus non est, nisi pertinacia adiuncta sit.*

SVmptum est hoc c. ex suprà allegato Lateran. Concilio cap. 2. in quo erroris ac temeritatis damnatur Ioachimus Monasterij Florensis Abbas, qui edito libello contra Petrum Lombardum Magistr. sentẽtiarum, eum de hæresi & insania accusauit, quia lib. 1. sentent. d. 5. scripserit, quòd Pater, Filius & Spiritus sanctus sunt vna summa & increata essentia; Item, quòd essentia diuina nõ generat, sed Deus Pater generans est; nec essentia diuina generatur, sed Filius Dei genitus est. Siquidem essentia diuina communis est tribus personis, siue, vna simplicissima essentia est Patris, Filij, & Spiritus sancti; distinctio autem duntaxat est in personalibus proprietatibus. 1

Hanc veram & simplicissimam vnitatem essentiæ Patris, Filij, & Spiritus sancti oppugnauit Abbas Ioachimus, existimans, vnitatem naturæ, quæ diuinis personis tribuitur, esse quasi collectiuam & similitudinariam, sicuti inter homines est vnus populus, vna Ecclesia. Ad quem errorem stabiliendum allegauit S. Ioannis cap. 17. v. 11. vbi Christus pro fidelibus suis Patrem rogauit, *vt sint vnum, sicut & nos.* Non poterat videl. Ioachimus intelligere, quomodo personæ tres, adeóque discretæ, vna & indiuisa essentia diuina esse possent: quandoquidem vnum & plura, diuisum & indiuisum opposita sunt. 2

Ad verba ea Christi apud S. Ioannem respondet Lateran. Concilium, voculam *sicut* significare similitudinem non perfectam, sed aliqualis proportionis; vt, sicut Pater & Filius vnum sunt in essentia, ita fideles vnum sint in gratia & charitate: quemadmodum etiam Matth. cap. 5. v. vlt. discipulis suis dixit Christus: *Estote vos perfecti, sicuti & Pater vester cælestis perfectus est. Ac si diceret manifestiùs,* subiungit Concilium, *Estote perfecti perfectione gratiæ, sicut Pater vester cælestis perfectus est perfectione naturæ; vtrique videlicet suo modo: quia inter Creatorem & creaturam non potest tanta similitudo notari, quin inter eos sit maior dissimilitudo notanda.* Ad aliam obiectionem responderi debet; Diuinam essentiam, quę in se vna & simplicissima est, virtualiter esse plura; quia cum tribus diuinis personis identificatur; ita, vt tres personæ sint vnus Deus, seu vna indiuisa substantia. Ex quo etiam intelligitur, quod traditur à S. Thoma Aquin. in 1. p. q. 28. a. 2. & in Concil. Florentino Sessione 28. Essentiam diuinam & relationem non realiter, aut ex natura rei, sed sola ratione distingui.

§. In nullo.

Notandum 1. Quod hîc dicitur, Monasterio, cuius Abbas fuit Ioachimus, nihil idcirco derogandum esse; Quia illius Regulares, religiosæ disciplinæ retinentes, erroris, 3

ac cri-

ac criminis participes non fuerant. Quare admonet Panormit. hîc n. 2. quòd Prælatus delinquendo non obest Capitulo, si id non consensit, iuxta regulam 76. in 6. *Delictum personæ non debet in Ecclesiæ detrimentum redundare.* Et reg. 22. in 6. *Non debet aliquis alterius odio prægrauari.* Interdum tamen iusta de causa accidit, vt alienam culpam alij quodammodo luant; quare in reg. 23. in 6. limitatè legitur, *Sine culpa, nisi causa subsit, non est aliquis puniendus.* Sic ex patre criminoso nati filij, dedecore aliquo notantur, vti apparet in natis illegitimè c. 1. & 2. de filiis presbyt. Item in liberis hæreticorum, c. 2. §. hæretici, de hæreticis in 6. Eorum quoque qui crimen læsæ Maiestatis commiserunt, l. Quisquis 5. §. filii. Cod. ad L. Iuliam Maiest. c. vergentis 10. de hæreticis. Præterea, si tale Prælati crimen sit, v. g. dilapidationis bonorum, vt ob id Conuentus suspectus reddatur, quodammodo etiam in Conuentum redundabit, prout Felin. annotauit in c. his quę n. 2. de maior. & obed. Abb. in c. vlt. n. 8. de statu Monachorum, argum. eius textus, §. Si autem dilapidator. Alius casus videri potest in c. penult. de elect. vbi id dicam not. 2.

4 Notandum II. cum Gl. fin. hîc; Licet doctrina Ioachimi, tanquam repugnans fidei Catholicæ, damnata hîc fuerit, ipsum tamen auctorem eius hæreticum non fuisse. cuius oppositum non rectè hîc docuit Abb. num. 4. Nam hæresis est error in fide, cum pertinacia iunctus. Clem. vn. hoc tit. & c. dixit Apostolus 29. causa 24. q. 3. vbi bene tradidit Gl. ver. pertinaci, *Licet teneat aliquis ea, quæ sunt contra fidem, dummodo paratus sit corrigi, non est hæreticus.* Atqui Ioachimus iste errorem suum pertinaciter non tenuit; cùm, vt in hoc c. ad finem habetur, scripta sua omnia Sedis Apostolicę iudicio commiserit, seu approbanda, seu corrigenda: Hæreticus itaque non fuit. Vide quæ docui lib. 2. Theol. moral. tract. 1. cap. 13. n. 2.

LIBRI PRIMI

DECRETALIVM IN VI. BONIFACII VIII. PAPÆ.

TITVLVS I.

DE SVMMA TRINITATE ET FIDE CATHOLICA.

CAPITVLVM VNICVM.

Fideli.

SVMMARIVM.

1. *Spiritus sanctus à Patre & Filio tanquam vno principio, & vna spiratione procedit.*
2. *Rectè dicitur, quòd Spiritus sanctus à Patre procedit per Filium.*

CApitulum istud sumptum est ex Concilio generali Lugdunensi sub Gregorio X. Papa, Anno Christi 1274. constit. 1. vbi contra errorem à Græcis seu Orientalibus inuectum definitur; Spiritum sanctum à Patre, Filióque, tanquam vno principio, & vna spiratione procedere. Nam Græci existimantes, Spiritum sanctum tantùm procedere à Patre, obiiciunt Romanis, siue Occidentalibus: Si Spiritus sanctus à Patre, Filióque procederet, absurdum id secuturum esse, vt duo sint spirationis principia, duæq; spirationes. Ad hoc responderi debet, cum Concilio Florentino sess. 22. negando, id cõsequens esse: quia Spiritus sanctus à Patre non procedit vt Pater est; neque à Filio, vt Filius est; sed quatenus vterq; Spirator est: Ideóque Spiritus sanctus non procedit à Patre, ac Filio, quatenus oppositionem relatiuam habent, sed secundùm spiratiuam potẽtiam, quæ vna eadémq; est, à Patre æternùm Filio communicata. Quamobrem & id rectè dicitur, quòd Spiritus sanctus à Patre procedit per Filium, teste S. Thoma 1. p. q. 36. a. 3.

TITVLVS II.
DE CONSTITVTIONIBVS.

POst iacta Fidei Catholicæ fundamenta, agitur de Constitutionibus, siue legibus ecclesiasticis, qui & sacri canones appellantur; atque explicantur, quæ eorum vis sit, & obligatio. Sermo autem hîc est non de canonibus siue decretis Fidei, quæ adeò certam & infallibilem ex diuina reuelatione veritatem obtinent, vt nullo vnquam tempore mutari, aut abrogari queant; sed de canonibus, seu decretis morum, quæ ab humana Prælatorum ecclesiasticorum voluntate ita dependent, vt, licèt rectè & salubriter condita sint, tamen ob temporum, locorum, & aliarum circumstantiarum varietatem, mutari, & per desuetudinem, vel constitutionem contrariam vel omninò tolli, vel saltem ex parte per dispensationem eis derogari possit.

CAPITVLVM I.
Canonum.

SVMMARIVM.

1. *Sacri canones ab omnibus Christianis obseruari debent.*
2. *Homines non baptizati, ipsiq; catechumeni ecclesiasticis legibus ac pœnis non astringuntur: sed alia ratio est de hæreticis & apostatis.*
3. *Leges & canones seruari debent ab omnibus secundùm accommodationem, vid. iis, quorum respectu conditi sunt.*
4. *Lex omnis generaliter fertur, & nulla propriè sunt leges personales.*
5. *Priuilegia non sunt propriè leges.*
6. *Rescripta Principis quâ ratione legis rationem habere possint.*
7. *Sacri canones circa materiam ecclesiasticã versantes etiam à laicis obseruari debent. Quòd si cõtra huiusmodi canones, legibus ciuilibus quidpiã statutum reperiatur, ea abolita censeri debent.*
8. *Leges ciuiles circa politicã materiã sicã: nonico iure nihil peculiariter statutum sit, etiã in foro ecclesiastico vim obtinẽt.*
9. *Potestas ecclesiastica & potestas ciuilis se mutuò adiuuare debent. Clerici quoad vim directiuam obligantur ciuilibus legibus Reipubl. cuius mẽbra sunt.*
10. *Si casus politicus in ciuili iure indecisus in canonico iure decisionem habeat, tũc canon etiam in ciuili foro allegari, & secundùm eum iudicari debet.*
11. *Si in materia politica aliter lege ciuili, & aliter lege ecclesiastica statutũ sit, tunc lex ciuilis in foro ciuili, & lex canonica in foro ecclesiastico obseruanda est.*
12. *Discrimen hoc in iis maximè locum habet, quæ ad iudicii ordinationẽ spectant: At verò in spectantibus ad decisionem causarum, iudex attendet ad statuta & consuetudines loci, vbi partes obligationem contraxerunt.*
13. *Iudex secundùm legum publicarũ præscriptum iudicare cogitur, nisi quòd interdum epiikia locus esse possit.*
14. *In criminalibus causis, ob varietatem circumstantiarum, relinquitur Iudicibus, præsertim maioribꝰ magistratibꝰ, arbitrandi facultas, siue ad pœnam augendam, siue, & quidem frequentiùs, ad minuendam.*
15. *Si causa à legis littera per epiikiam discedendi euidens sit, iudex inferior seu subordinatus non cogitur ad Superiorẽ referre, secùs, si causa dubia sit.*
16. *Interdum per legem indeterminatè ac generatim decernitur, grauia v. g. indicia criminis requiri ad capturam, aut torturam: Interdum causa exempli declaratur, quænam grauia indicia cẽseantur. In his autem Iudicis arbitrium non penitus excluditur.*
17. *Si casus nec per legem, nec per stylum Curiæ decisionem habeat, Iudex sequi debet sententiam Doctorum communẽ; quippe qua probabilior esse cẽsetur.*
18. *Vnius*

18. *Vnius Doctoris sententiam interdum plurimi alii sine maiore aliqua examinatione sequuntur.*
19. *Glossæ magna, & maior, quàm aliorum Doctorum, auctoritas censetur; praterquam si communiter, seu à pluribus, reprobata sit.*
20. *Glossa inaniter allegatur sine textu, si ipsum ius expressum habeatur.*
21. *Si Glossa plures opiniones referat, censeri debet approbare postremam.*

1 SVmptum est hoc c. ex Concilio Meldensi (vti Iuo refert p. 5. cap. 171.) in quo præcipitur, vt sacri canones ab omnibus obseruentur; Et nemo in ecclesiasticis actionibus, aut iudiciis, proprio sensu, sed eorundem auctoritate ducatur:

Idem quoque de legibus ciuilibus decretum est in l. 3. C. de legib. vt *ab omnibus æquanimiter obseruentur.* Sed declarari id debet primò; Intelligendum esse de iis duntaxat, qui ad eandem Rempubl. spectant, siue magistratui Legislatori subsunt, sicuti indicatur in l. 2. ff. eod. quòd *lex communis sponsio sit, ad cuius præscriptum omnes, qui in ea Republ. sunt, vitam instituere debent.*

2 Ex quo prouenit, quòd homines non baptizati, ipsique catechumeni legibus ac pœnis ecclesiasticis non obligantur, cùm Ecclesiæ subiecti non sint, c. gaudemus 8. de diuortiis, c. de Iudæis 5. d. 45. vbi tamen admonemur, aliter sentiendum de hæreticis, quippe qui per Fidem & Baptismum Christi susceptum, Ecclesiæ membra facti sunt: Quamobrem si ab ea recesserint, etiam inuiti ad obedientiam, & sacrorum canonum obseruationem, censuris ac pœnis compelli possunt.

3 Declarari debet secundò; Quòd sacri canones, sicuti & aliæ leges, ac statuta, seruari debent ab omnibus, secundùm accommodationem, iis videlicet, quorum respectu, atque obligandi intentione, lata sunt. Non enim canones & leges semper communiter tēdunt ad omnes, qui subditi, seu eiusdem Reipubl. membra sunt; sed frequenter ad vnius generis, conditionis, negotiationis personas, aut certæ prouinciæ, ciuitatis, aut loci incolas, sicuti bene explicauit huius c. textum Franc. Suarez tract. de legibus lib. 1. cap. 6.

Nec refert, subinde mentionem fieri legis 4
priuatæ, ac personalis, quæ ad particularem personam duntaxat tendit, vt in l. 1. ff. de Cōstitut. Principum, quòd *quædam sunt leges personales, nec ad exemplum trahuntur: Nam quæ Princeps alicui ob merita indulsit, vel si pœnam irrogauit, vel si cui sine exemplo subuenit, personam non egreditur,* ait Vlpianus Iureconsl. & Glossa hîc verb. canonū, quòd *quidam sunt canones personales*; Hæc enim intelligi non possunt de propriè dicta lege, aut canone; cùm lex omnis sit commune pluribus præceptum, l. 1. ff. de legibus, in communitate permanens, vimque obligandi habens; sicuti dicitur in l. 2. ff. eod. *Lex est, cui omnes homines decet obedire.* Et l. 7. ff. eod. *Iura non in singulas personas, sed generaliter constituuntur.*

Itaque priuilegium, quà tale, legis rationē 5
propriè non habet, vti rectè tradit Suarez in cit. cap. 6. & lib. 8. de legib. c. 1. partim, quia particularem personam respicere potest, ita vt ad alias non pertineat; partim, quia obligationem respectu eius, cui datum est, non continet: siquidem *inuito beneficium non datur*, reg. 70. ff. Et nemo priuilegio vti cogitur. Interim verò priuilegium frequenter legis rationem habet quoad alios, quibus præcipitur, vt illud obseruari faciant; aut prohibetur, ne impediant, aut se opponant; dummodò priuilegiū sufficienter ipsis promulgatum, aut cognitum sit.

Simile quiddā de Principis rescripto tradi 6
solet: Quatenus enim illud in certa causa, & erga certam personam ex Curia prodit, legis rationem habere non potest, vti rectè tradit Felin. in rubr. de rescriptis; sed quatenus ad alios ex Principis voluntate extenditur, legis naturam sortitur: Puta si tale rescriptū in corpore iuris positū sit; vel etiam ab inferiore, qui statuēdi ius habet, inter statuta municipalia, vel synodalia collocatū, teste Felin. ib. Vel si definitiua sententia, aut iuris alicuius interpretatio à Principe facta in rescripto, ad iudicem inferiorem missa sit, omnibus iudicibus legis instar esse debet, non tantùm in

illa causa, sed aliis quoque similibus, l.vlt.C. de legibus.

7 Insuper *Notandum I.* circa verbum *ab omnibus*; Quòd canones, siue leges ecclesiasticæ nõ tantùm à Clericis, sed etiam laicis obseruandæ sint, cùm omnes pariter eo ipso, quòd fidem & Baptismum Christi susceperunt, ecclesiasticæ iurisdictioni subiiciantur, c.nouit 13. de iudiciis. Intelligi autem hoc debet de canonibus circa materiam ecclesiasticam versantibus, vid. in causis piis, aut periculum peccati concernentibus, &, vt breuiter dicam, iis omnibus, quæ per se ac directè ad salutem animæ diriguntur.

Quòd si in eiusmodi ecclesiastica materia contrarium aliquid ciuili lege statutum reperiatur, ea abolita censeri debet, vt secundùm talem legem ne in ciuili quidem foro agendum, aut iudicandum sit, sicuti habetur in c.1. & seqq. d.10. Tales sunt Cæsareæ leges v. g. quæ vsuras lucratiuas approbant, præscriptioni cum mala fide, seu conscientia iuris alieni assistunt, mulieri intra annum viduitatis nubenti pœnam decernunt, nuptias absque patris consensu contractas irritas esse pronuntiant, &c. Sin autem à ciuili Magistratu leges circa materiam ecclesiasticam ferantur, sacris canonibus non aduersantes, quam ea vim habere possint, dicetur infrà hoc tit. c. Ecclesia 10.

8 Sed quid, vice versa, sentiendum de legibus ciuilibus circa materiam politicam, num eæ etiam inter clericos, aut in foro ecclesiastico obseruationem, obligationémque habent? Respondeo & dico I. ex doctrina Gl. in reg.2.ver. possessor in 6. Fel.c. Ecclesia n. 40. ibid. Abbat.n.15.& seqq. hoc tit. Si circa materiam politicam canonico iure nihil peculiariter statutum reperiatur, tunc leges ciuiles etiam in ecclesiastico foro allegari, & secundùm eas iudicari debet, vti expressè habetur in c. 1. de noui operis nunciat. Ex quo hæc doctrina colligitur, quòd leges politicæ, præsertim Cæsareæ, approbatæ & canonizatæ sint ab Ecclesia, si nihil contrarium canonico iure decretum reperiatur. Rationes huius doctrinæ dari debent: Prima, ex
9 eod. c. 1. desumpta: Quia expedit, vt duæ potestates, ciuilis & ecclesiastica, in Christi Ecclesia se mutuò adiuuent: Et cùm secularis Magistratus canonum statuta in causis ecclesiasticis, seu ad animę salutem pertinentibus, suscipere cogatur, æquum & congruum est, (licet absolutè loquendo non obligatorium) vt ecclesiasticus Magistratus leges ciuiles de causis politicis iustè latas, vltrò suscipiat & veneretur. Altera, Quia leges ciuiles à legitimo Magistratu feruntur per potestatem à Deo acceptam, vti Apostolus testatur ad Rom.cap.13. & bene hîc annotauit Abbas n. 9. *Si lex ciuilis non est peccati nutritiua, seruanda est etiam in foro animæ: nam ex quo lex iusta est, authoritate Dei edita est; & ipse Deus videtur edidisse per ministros suos.* Quâ autem ratione clerici, seu ecclesiasticæ personæ his legibus ciuilibus, quo ad vim directiuam, nõ autem coactiuam, obligentur, explicaui in mor. Theol. lib.1.tract. 4.c.13.n.1.

Corollarium. Si casus aliquis politicus, 10
spectato iure ciuili dubius, & non satis decisus sit; at verò in iure canonico decisionem habeat, tunc etiam in ciuili foro canon allegari, & secundùm eum iudicari debet. Ita ex communi DD. in c. super literis, vbi id dicam de rescriptis, Felin. in cit. c. Ecclesia n. 49. Ratio est, quam suprà indicaui, quia ciuilis & ecclesiasticus magistratus se mutuò adiuuant: *Sicut leges non dedignantur sacros canones imitari, ita & sacrorum canonum instituta Principum constitutionibus adiuuantur*, c.1. de noui operis nunciat.

Dico II. Si in materia politica aliter lege 11
ciuili, aliter verò lege ecclesiastica statutum sit, tunc lex ciuilis in foro ciuili, lex autem canonica in foro Ecclesiæ seruari debet. Ita Gl. communiter recepta in c.2.ver. lex ciuilis, de arbitris in 6. Gl. in cit. reg. 2. eod. lib. ver. possessor, vbi ait: *Papa non potest tollere leges quoad iudicium seculare, nisi in iis, in quibus vertitur periculum animi, cùm potestates sint distinctæ, videl. ecclesiastica à seculari.*

Hæc autem doctrina quàm maximè lo- 12
cum habet in pertinentibus ad ordinationem iudicij, iuxta cit. c.2. de arbitris in 6. *Quoad ordi-*

ordinationem iudicij, inquit Abb. in cit. c. Ecclesia n. 24. *attenditur locus, vbi iudicium exercetur*. Exempli causa, si de crimine vsuræ clericus aduersus laicum agat coram iudice seculari, processus fiet non summariè & de plano, sed obseruatâ ordinariâ figurâ iudicij, sicuti in ciuili foro moris est, teste Gl. in Clem. dispendiosam, ver. vsuris, de iudiciis. Item, si laicus coram ecclesiastico iudice agat contra clericum, poterit ille appellare à sententia interlocutoria; vel omisso medio, ad Rom. Pontificem, sicuti in foro ecclesiastico permissum est. Sed alia ratio est quoad ea, quæ ad causarum decisionem spectant: In his enim judex quicunque, siue ecclesiasticus siue secula..., attendere debet ad statuta & consuetudines, ex quibus litigantes per pacta, vltimas voluntates, delicta, &c. obligationem contraxerunt, sicuti Abb. annotauit in cit. c. Ecclesia n. 25. & 44. & dicam de hoc infrà in eod. c. Ecclesia.

13 *Notandum II.* eo verbo: *Nemo suo sensu, &c.* Iudex, præsertim Principi subordinatus, siue non supremus, non ex proprio sensu & arbitrio, sed secundùm publicas leges, & Maiorum auctoritatem, iudicare debet. Consentit cap. 3. d. 4. ex quo colligitur, quòd iudex non de legibus, quas constat legitima auctoritate latas, & receptas esse, iudicare debeat, num eæ iustæ sint; sed secundùm earundem præscriptum.

Veruntamen cùm non omnes casus speciales vna lege vniuersali comprehendi possint, ideo quandoque Iudici concessum est, occurrente graui circumstantia, secundùm epiikian à litera, seu externo quasi cortice legis recedere; non item à mente legislatoris: quando ita res comparata est, vt prudenter æstimare possit, si legislator præsens adesset, quòd aliter in hoc casu, quàm in lege sua vniuersim præscriptum erat, iudicaret.

14 Itaque maximè locum habet in pœnis lege decretis ob maleficia, vti Innoc. super hoc annotauit. Tametsi enim, si ob crimen aliquod certa pœna legibus decreta sit, eam Iudex (excepta plenitudine potestatis supremæ) ordinariè augere, aut minuere non possit, l. 1. in fine, C. ad S. C. Turpillianum, & docet S. Tho. 2. 2. q. 67. a. 2. Gl. in c. licet 3. ver. pœnam pecuniariam, de pœnis: siquidem nihil tam Reipubl. pernicioſum est, quàm si Iudices arbitraria faciant ea, quæ à lege certam definitionem habent; attamen, propter varias circumstantias & qualitates cùm delictorum, tum personarum delinquentium, nec non locorum, in quibus iudicium agitatur, non parua Iudicibus arbitrandi facultas permissa est, siue ad pœnam augendam, siue, & quidem frequentiùs, ad minuendam, l. respiciẽdum 11. l. hodie 13. l. aut facta 16. ff. de pœnis, & bene declarat Prosper Farinacius in praxi criminali q. 17. n. 6. & 7. Atque de consuetudine Imperij testatur Andr. Gaill lib. 2. de pace publ. cap. 9. n. 22. vbi addit, id maximè in maioribus magistratibus receptum esse: minores autem, Principe inconsulto, id agere non oportere; præsertim post latam condemnationis sententiam.

Videri potest Felinus hìc n. 48. & seqq. 15
vbi plures casus enumerat, in quibus Iudex aut Officialis à præscripto legum ac præceptorum recedere possit, ob causam magnam & vrgentem. Limitat verò n. 50. nisi Superior in tali casu consuli possit. Quam tamen limitationem necessariam non arbitror, si causa euidens sit; cùm ipsamet iura huiusmodi epiikian, seu arbitrandi facultatem Iudici permittant, vti videre licet in suprà allegatis legibus. Sin autem causa dubia fit, tum Superior, non tantùm si præsens sit, sed etiam absens, consuli debet; dummodo id fieri possit. Idque sumitur ex l. 1. C. de legibus, vbi Imperator ait: *Inter æquitatem, iusq; interpositam interpretationem nobis solis & oportet, & licet inspicere.*

Cæterùm interdum lex indeterminatè ac 16
generatim statuit quidem, v. g. in criminalibus ad capturam, aut torturam criminosi deueniendum non esse, nisi grauia criminis indicia habeantur; Item, si homini metus grauis, aut iniuria atrox illata fuerit, ita iudici iudicandum esse; Interim non satis definiendo, quænam indicia grauia, quæ iniuria atrox censeri debeat; cùm talia generalibus legibus, ob negotiorum ac circumstãtiarum varietatem, definiri vix possint; in huiusmodi ca-

di casibus Iudicis cuiusque arbitrio, secundùm facti, & personarum qualitates, multùm relinqui debet, iuxta suprà cit. l. aut facta.

Solet quidem interdum in lege speciatim designari, quinam v.g. metus grauis, quæ atrox iniuria censenda sit, aut quænam sufficientia ad torquendum reum indicia; sed id fermè tantùm exempli loco fit, vt videre licet in criminali Caroli V. Cæsaris processu Iudicibus præscripto, & videri possunt, quæ docui mor. Theol. lib. 1. tr. 2. c. 6. n. 5. Iudex verò iis, quæ lege definita sunt, diligenter consideratis, ad paria, seu *similia procedere* inde, *atq; ita ius dicere debet*, l. non possunt 11. ff. de legibus.

17 Addunt porrò Abb. hîc n. 15. Fel. n. 54. & alij; Si casus neque per leges, neque per consuetudinem seu Curiæ stylum, decisionem habeat, quòd Iudex in iudicando adhærere debeat Doctorum opinioni communi. Ratio est: quia Iudex, cùm inter partes litigantes arbiter constitutus, quid vel quantum cuique iuris competat, definire debeat, quæ probabiliora, seu veritati ac iustitiæ magis consentanea sunt, sequi cogitur, vti docui lib. 1. Theol. moral. tr. 1. c. 5. n. 16. Sententia autem, cui plerique seu communiter omnes in eo genere periti adhærent, probabilior & veritati magis consentanea est: Ergo Iudex in iudicando eam sequi cogitur.

18 Limitari, seu declarari debet; Quòd interdum vnius Doctoris sententiam v.g. Bartoli, aut Abbat. Panormitani, alii plurimi, sine maiore aliqua examinatione sequantur. Tunc fieri potest, vt ea per nouas, ac solidas rationes de falsitate ab vno, aut pluribus Doctoribus conuicta sit; adeóque pauciorum sententia præferri non immeritò possit, vti apertè indicatur in l. 1. C. de veteri iure enucleando, ibi: *sed neque ex multitudine authorum, quod melius est, iudicatote; cùm possit vnius forsitan & deterioris sententia & multos & maiores aliqua in parte separare*, vbi Gl. marginalis ait, *Ponderandæ sunt sententiæ, non numerandæ.* Consentire videtur c. Capellanus 4. de feriis.

19 Deinde limitat hîc Felin. n. 54. post Bartolum in l. vt vim 19. n. 8. ff. de iustitia & iure. quòd auctoritas Glossæ contra opinionem communem præualet. Quæ tamen limitatio non placet; quin potiùs ita dicendum: Licèt magna, &, si cætera paria sint, maior sit Glossæ, quàm alterius Doctoris auctoritas; quippe cùm digna iudicata fuerit, vt ad canonis aut legis declarationem, in iuris corpore poneretur; nulla tamen Glossæ ratio habenda est, contra quam alii plerique Doctores sentiunt, eiúsque doctrinam per iura & rationes reprobant. Quâ de re videri potest Zasius singular. respons. cap. 7. quem refert & sequitur Gaill lib. 1. obseruat. pract. obs. 153. n. 7. & 8. reprehendentem eos, qui ab vno homine, videl. Accursio, sæpenumero lapso, constitutionis intellectum pendere existimant. æquitate, literâ & naturâ eius posthabitis.

Quædam hîc obiter adijcienda: I. Quod 20
And. Gaill admonet cit. n. 8. Glossam inaniter allegari absq; textu, si ipsum ius expressum habeatur. Quæ reprehensio etiam in eos cadit, qui Doctorum auctoritates cumulant, prætermisso canone aut lege, ex qua tota doctrina accepta est.

II. Ex Felino hîc n. 55. Si Glossa plures 21
opiniones referat, censendam esse approbare postremam; nisi aliud ex verbis eius colligi possit. Quod etiam de aliorum Doctorum scriptis sentiendum est.

CAPITVLVM II.

Cognoscentes.

PARAPHRASIS.

Qui culpâ caret, damnum aliquod sustinere nõ debet. Quare lex de nouo promulgata ad facta præterita, seu antecedentia non extenditur; ne alioquin legis prohibitionem, (aut præceptionem) ignorantes, detrimentum aliquod incurrant.

SVMMARIVM.

1. *Res, quæ culpâ caret, in damnum vocari non conuenit, nisi inter contrahentes conuentum sit, vt etiam casus fortuitus & inculpatus præstetur, aut ob publicũ bonum*

bonum aliquis etiam sine culpa iure suo priuetur.

2. *Lex lata ad præsentia se non extendit; sed tantùm ad futura.*

3. *Lex inuincibiliter ignorantem non obligat ad culpam, nec pœnam. secùs est, si sit irritans, quæ effectum suum consequitur etiam erga illos, qui post sufficientem promulgationem, eam inuincibiliter ignorant.*

4. *Alleganti ignorantiam legis non creditur in foro externo, nisi eam demonstret, cui non obstat regula Iuris 47. in 6.* Præsumitur ignorantia, vbi scientia non probatur; *recipit enim plures limitationes.*

5. *Si legis ignorantia demonstrari nequeat, possit autem coniecturis semiplenè probantibus ostendi, in supplementum iuramentum deferri potest à Iudice.*

6. *Ignorantia naturalium legum non præsumitur, aut allegata admittitur, nisi ostendatur mentis impotem aliquem fuisse, aut infantem, aut intellectu non ita perspicacem esse.*

7. *In foro conscientiæ creditur dicenti pro se, & contra se; accusanti & excusanti; dummodò de contrario non constet.*

1 CApitulum hoc sumptum est ex Gregorio I. Papa lib. 7. registri, indict. 2. ep. 35. ad Fortunatum Neopolitanum Episcopum. Continet autem tres regulas, siue annotanda, quæ in Glossa hîc colligantur.

Primum est in textu, *Rem, quæ culpâ caret, in damnum vocari non conuenit.* Quæ tamen regula limitari debet primò; Nisi inter contrahentes aliquos conuentum sit, vt non culpa tantùm, sed etiam casus fortuitus, & inculpatus præstetur, v. g. à commodatario, c. vn. de commodato. Secundò; Nisi ob publicum bonum, aliquis, absque culpa, iure suo priuetur. Quandoquidem Magistratus, præsertim supremus, de bonis priuatorum ex graui publica causa disponere potest; cùm bonum priuatum bono publico, tanquam vniuersaliori & præstantiori posthaberi debeat. Quâ de re suprà dixi tit. præc. c. 2. n. 3. & infrà dicendum in c. Quæ in ecclesiarum. hoc tit. Videri potest Mart. Nauarr. in c. Aut facta §. Euentus. n. 9. ver. Tertiò, d. 1. de pœnit.

Alterum. Lex lata ad futura negotia refertur, ad præterita autem se non extendit. 2
De hoc dicetur in c. vlt. hoc tit.

Tertium. Lex ignorantes non constringit, vti etiam habetur in c. 2. eod. tit. in 6. 3
Intelligi autem id debet de ignorantia probabili, & inculpata; & lege quatenus obligatoria est: Vt proinde sensus sit, quòd inuincibiliter & inculpatè ignorantes alicuius legis promulgationem, eâ non astringuntur, siue ad culpam, siue ad pœnam, iuxta c. 1. de conces. præbendæ, in 6. Nam ignorantia tollit voluntarium: sine voluntario autem non est culpa; consequenter nec pœna locum habet; quâdoquidem culpa & pœna correlata sunt, vti colligitur ex c. satis peruersum 7. d. 56. & reg. 131. ff. Quare transgressio legis probabiliter ignoratæ materialis, non formalis censeri debet. Videri potest Nauar. lib. 1. cõsil. 1. de constitut. Suarez lib. 5. de legibus c. 12. n. 3. Mol. tract. 5. de iustit. disp. 71. n. 9. & seqq. & quæ docui lib. 1. Theol. moral. tr. 4. c. cap. 2. & 20.

Secùs autem sentiendum de lege infirmante aliquem actum, v. g. contractum, nisi secundùm præscriptam formam institutus sit: Ea enim lex effectum consequitur etiam erga illos, qui post sufficientem promulgationem, inuincibiliter ignorant. Exempli causa, si quis ex inuincibili ignorantia matrimoniam contrahat cum consanguinea, aut affine sua intra quartum gradum, à culpa quidem immunis est, matrimonium tamen non subsistit. Ita annotauit præter alios hîc Henr. Boich. n. 2. & docui in cit. c. 2. n. 7.

Quæritur hoc loco; Num alleganti legis latæ ignorãtiam in foro externo credendum sit? Videtur affirmandum ob reg. iuris 47. in 6. *Præsumitur ignorantia, vbi scientia non probatur.* Ratio huius regulæ est; quia scire est actus positiuus; nescire autem quid negatiuum, seu priuatiuum: Atqui affirmanti aliquid actum esse, probandi necessitas incumbit, non ei qui negat, l. 2. ff. de probat. l. actor 23. C. eod.

4 Sed contrarium est dicendum ex communi doctrina, quam tradit Gl. in c. 2. ver. non probatur. d. 2. Ignorantiam legis aut edicti publici alleganti non esse fidem habendam, nisi illam demonstret, vti colligitur ex c. vlt. Qui matrimonium accusare possunt. Ad regulam iuris responderi debet, eam plures limitationes recipere, quarũ prima est, Quòd factum proprium aliquis ignorare, aut oblitus esse non præsumitur, iuxta c. ab excommunicato 41. de rescriptis: Nisi interdum ob temporis transacti diuturnitatem, vti docet Ioseph. Mascardus de probat. concl. 879. n. 40. Altera, Si quis dicat se nescire ea, quæ scire ad officium suum pertinent, audiendus non est, iuxta c. innotuit, 21. de elect. Tertia limitatio ad propositum nostrum est, si quis dicat se nescire ea, quæ publicè gesta sunt: Quamobrẽ si lex in loco publico legitimè promulgata est, & multò magis, postquam in communem obseruationem deuenit, eius ignorantiam alleganti fides non habetur, iuxta c. 1. de postul. Prælator. & suprà cit. c. vlt. Qui matrim. accus. possunt. ibi, *Cùm rationabiliter præsumatur, quòd denunciationem publicè factam, idem existens in ipsa diœcesi minimè ignorauit, &c.*

Verumtamen hæc res ita in præsumptione iuris consistit, vt interim aduersus eam admittatur probatio in contrarium; si videl. certis, aut verisimilibus coniecturis legis latæ ignorantia ostendatur, admittenda tunc erit excusatio. Id verò variis modis accidere potest: I. Si ius valde abstrusum, ac paucis, & non nisi valde doctis cognitum sit, eius allegata ignorantia probabilis, & à pœna releuabilis videri potest. sicuti ex communi docet Mol. cit. disp. 71. n. 10. vers. Quia re vera. II. Si quis inter homines non habitauit, aut in carcere conclusus fuit, vt credibile sit, legis notitiam non accepisse, vti annotauit Boich hîc n. 6. III. Si quis absens fuerit à diœcesi, prouincia, aut ciuitate, in qua lex promulgata est, vti colligitur ex cit. c. vlt. & tradit Gl. fin. hîc; & bene declarat Abb. n. 10. Qui rectè etiam docet, in constitut. Imperatoria scientiam præsumi post lapsum duorum mensium à die factæ promulgationis in prouincia, iuxta Auth. Vt factæ nouæ cõstitutiones &c. collat. 5. At verò in legibus Pontificiis, vel statutis inferiorum legislatorum, tempus præsumptæ scientiæ, seu exclusæ ignorantiæ, arbitrarium esse, considerata loci distantia. Vide quæ docui lib. 1. Theol. moral. tr. 4. c. 2. IV. In quibusdam personis, vid. muliere, milite, Minore annis xxv. simplici agricola, facilior est coniectura, eos legem publicam inculpatè ignorasse, vti docui eod. tr. 4. cap. 20. n. 7.

His adde, si legis ignorantia non certis, sed 5
verisimilibus tãtùm, siue semiplenè probantibus coniecturis ostensa sit, in supplementum deferri à Iudice posse iuramentum, argum. suprà cit. c. vlt. c. vt circa 4. c. nulli 8. de elect. in 6. & tradit Gl. in c. 2. ver. non probatur. d. 82. Abb. hîc n. 9. Felin. n. 11. Gaill lib. 2. obser. pract. obs. 148. n. 23. & seqq. Molin. cit. disp. 71. n. 3. Ob regulam communiter receptam Gl. in c. si verò aliquis 4. ver. propria manu, de sent. excomm. Quòd ea, quæ occulta sunt, aut in animo consistentia, cùm aliam dilucidam plerumque probationem habere non possint, per iuramentum confirmari debent.

Porrò naturalium legum ignorantia in- 6
uincibilis multò minùs præsumitur, aut allegata admittitur; cùm eæ naturaliter cognitæ, & in mentibus hominum veluti inscriptæ sint: Nisi ostendatur, aliquem mentis impotem fuisse, aut infantem, aut non ita intellectu perspicacem, quin legem naturalem, non valde conspicuam, probabiliter ignorare potuerit, v. g. contractum aliquem, qui in loco aliquo passim celebratur, & à viris quibusdam doctis approbatur, iniquum & vsurarium esse. Qua de re Mol. cit. disp. 71. n. 14. In foro 7
autem conscientiæ creditur dicenti pro se, sicuti & contra se; excusanti, sicuti & accusanti, dummodò de contrario non constet.

CAPITVLVM III.

Translato.

SVMMARIVM.

1. *Quod de vno connexo statuitur, ad alia quoq;*

quoq; connexa extendi debet ; quod exemplis declaratur.

2. *Hinc regula illa :* Casus omissus Iuris communis dispositioni relinquitur, *non habet locum in connexis.*
3. *De similibus idem iudicium fieri debet; vti & idem ius, vbi eadem ratio.*
4. *Extẽsio legis alia est ꝓpriè dicta, & vocatur extensiua; Alia impropriè dicta, quam vocant comprehensiuam, siue inclusiuam.*
5. *Extensio comprehensiua legis non tantùm fauorabilis, sed etiam odiosa aut pœnalis, ob adæquatæ rationis similitudinem seu identitatem, tam extra quàm intra iudicium rectè fieri potest, ac debet.*
6. *Extensio extensiua ob rationis, maximè in lege expressæ identitatem rectè fit à Iudicibus, & talis etiam fieri ab ijs debet ex præcepto.*
7. *Extra iudicium & in foro Conscientiæ Extensio hæc propriè dicta in ordine ad obligationes pariendas fieri non potest; potest autem in omni foro in ordine ad facultatem agendi, & liberationem à legis obligatione.*
8. *Occasio huius doctrinæ in hoc c. à Gregorio IX. traditæ.*

IN hoc c. proponuntur verba ex c. 7. epistolæ ad Hebræos, & subiicitur interpretatio Glossæ ordinariæ ibidem. Verba epistolæ sunt: *Translato sacerdotio, necesse est vt & legis translatio fiat.* Quibus verbis S. Apostolus Paulus ostendit Iudæis, cùm Araonicum sacerdotium à Deo sublatum fuerit, tanquam imperfectum, atque perfectius Christi sacerdotium secũdùm ordinem Melchisedech successerit, vti promiserat Deus Psal. 109. v. 4. hinc consequens esse, quòd etiam lex Mosaica cæremonialis & iudicialis cessârit, atq; noua Euangelij lex seruanda sit. Interpretatio autem Glossæ ordinariæ super c. 7. v. 12. ad Hebræos, talis est: Quando duo inter se connexa sunt, quod de vno statuitur, etiam de altero statutum censeri debet. Siue, quãdo aliquid legitima auctoritate conceditur, vel aufertur, censeri debent etiam ea concessa, vel sublata, quæ cum illo connexa sunt. Atqui cum summo sacerdotio connexa est lex; siquidem ad summi Pontificis potestatem ac munus pertinet legem interpretari, populo proponere, præcipere item ac vetare, iuxta dictum Christi apud S. Matth. cap. 23. v. 2. & 3. *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi: Omnia ergo quæcunque dixerint vobis, seruate & facite.* Quamobrem simul etiam ab eodem Deo, eadem sponsione, per Moysem, in monte Sinai, sacerdotium & lex populo Israelitico data sunt. Itaque sublato sacerdotio Araonico seu Leuitico, sequitur, quòd & lex vetus Mosaica censeri debeat abolita.

Notandum vn. Quod de vno connexorum statuitur, ad alia quoque connexa extẽdi debet. Hæc est summa huius c. sumpta ex Ioann. Andr. Abb. Felin. & aliis. Aliter etiam dici solet, quòd connexorum idem est iudicium, apud Felin. hîc n. 6. Gail lib. 1. obseruat. 35. edit. nouiss. Exempla multa afferri possunt: I. Si alicui iurisdictio commissa sit, exerceri ea etiam potest in accessoriis & cõnexis, c. præterea 5. de off. delegati, & l. 2. ff. de iurisdict. omnium iudicum. 1

II. Dispensatio, licèt alioquin sit stricti iuris, tamen ad connexa extenditur, vti ex communi tradit Nauarr. consil. 3. de rescript. edit. 2.

III. Dux belli, seu Legatus à Principe constitutus, eo inconsulto, expedire potest quæ ad belli bonum statum necessaria esse videntur, v. g. inducias cum hoste pacisci, saltem ad tempus breue, vti docet Felin. c. ex literis n. 20. de rescriptis.

IV. Regula illa, quòd casus amissus manet in dispositione iuris communis, locum non habet in connexis: quod enim connexũ est, omissum censeri non debet, vti docent Baldus hîc & Felin. n. 6. Gail cit. obs. 35. edit. nouiss. 2

V. Procurator, aliúsue mandatarius, agendo ea, quæ cõnexa sunt mandato, non excedit fines mandati. Nam cui committitur vnum, censetur etiam committi id omne, ad quod peruenitur ad illud; siue, sine quo il-

lud ritè obtineri non potest. Ita Felin. hîc n. 6. Gail l. c.

VI. Si Episcopus Vicarium generalem constituens vnâ eademque commissione, det ipsi potestatem iure ordinario competêtem, insuper verò quasi accessoriè quosdam casus speciales, alioquin delegabiles, committat, censeri debet eum constituere Iudicem ordinarium quoad omnia. Ita allegato hoc c. tradit Th. Sanchez lib. 3. de matrim. disp. 29. n. 8. Cùm enim, inquit, hæc potestas simul ab eodem conferatur, sicut principalis ordinaria est, ita & potestas ei cõnexa.

Glossa hîc ver. *Quod de vno*, regulam tradit communiter approbatam, quòd *de similibus idem iudicium fieri debet.* 3 Neque necesse est, vt res vna alteri similis sit quoad omnia; sufficit, si similes sint quoad id, in quo comparantur seu æquiparantur, prout hîc bene annotauit Felin. n. 10. Ita multa, quæ in iure de seruis, aut filiis f. statuta sunt, trãsferuntur ad Religiosos; Et quæ de libertis statuta sunt erga patronum, ad vasallos erga dominum, vti notauit inter alios Iacob. Menoch. de remed. possess. remed. 1. n 98.

Huc etiam spectat, quod DD. communiter tradunt cum ead. Gl. & alia Gl. in l. illud 32. ver. existimari, ff. ad L. Aquil. *vbi eadem ratio est, ibi idem ius esse debet.* Quæ res non parùm difficilis est, & variè disputata à Doctoribus, vt videre licet apud Suarez de legibus lib. 6. cap. 3. & 4. & in Theol. morali lib. 1. tr. 4. c. 18. quomodo videl. lex vna propter similitudinem aut identitatem rationis, præsertim expressæ in lege, ad alios casus 4 extendi possit, aut debeat. Suppositis iis, quæ ibi docui, inprimis distinguere oportet inter extensionem legis propriè dictam, quam aliqui *extensiuam* vocant; & impropriè dictam, seu *comprehensiuam*, siue *inclusiuam*. Extensio extensiua est, si legis alicuius decisio transferatur ad alium casum, vel personas non tantùm vltra verba legis, sed etiam vltra mentem legislatoris; quamuis non contra mentem. Extensio comprehensiua, siue inclusiua, si decisio legis transferatur ad alium casum, vel personam non comprehensam sub verbis, comprehensam tamen in mente, prout habetur in l. scire 15. §. aliud ff. de excusat. tutor. ibi, *Etsi maximè verba legis hunc habeant intellectum, tamen mens legislatoris aliud vult.* Et hanc non esse propriè extensionem, monuit Felin c. super quæstionum n. 3. in fine, de off. deleg. *Quod venit à mente*, inquit, *non est extensio.* Eò quòd præcipuum in lege sit mens siue intentio legislatoris, quomodocunque perspecta ex lege: Ideóque quod secundùm mẽtem est, satis in lege comprehensum censeri debet.

Deinde distinguere oportet inter leges, quatenus ad vsum forensem pertinere possunt; & quatenus extra iudicia earum vis & valor existit, siue ad obligationes creandas, siue ad facultates concedendas, &c.

Dico itaque primò; Extensio compre- 5
hensiua legis non tantùm fauorabilis, sed etiam odiosæ, aut pœnalis, ob adequatæ rationis similitudinem seu identitatem, tam extra quàm intra iudicium, rectè fieri potest ac debet. Ita pluribus allegatis Suarez cit. c. 4. n. 2. & sumitur ex c. si postquã 33. §. si verò electus. de elect. in 6. Probatur: Nã hoc ipso quòd aliquid est ex mente legislatoris, atq; comprehensum in lege, obligationes aliósq; effectus legis in omni foro sortitur. Neque aliud discrimen est inter legem fauorabilem & odiosam; nisi quòd interpretatio extensiua vltra externam verborum corticem, sed intra præsumptam legislatoris intentionem facilius fieri potest in lege fauorabili, quàm in odiosa, sicuti docui in cit. c. 18. n. 9. & 10.

Exempla huius extensionis habemus in suprà cit. l. scire §. aliud; Et in l. si quis id 7. ff. de iurisd. omn. Iudicum, vbi habetur, legẽ eam, quâ cauebatur, si quis Prætoris edictũ in albo propositum corrupisset, vt aureis quingentis mulctaretur, ob similitudinem rationis in eo etiã locum habere oportere, qui antequam proponeretur, vel dum proponebatur, corrumpere ausus fuit. Quia licèt verba edicti cessent, sententiam tamen eius ad hunc quoque porrigendam, Pomponius censuit. Aliud exemplum in l. cùm mulier 49. ff. soluto matrimonio &c. vbi postquam lex proposita fuisset, *Cùm mulier viri*

lenoci-

lenocinio adulterata fuerit, nihil ex dote retinetur à marito: *Cur enim improbet mores, quos ipse aut antè corrupit, aut postea probauit?* Subiũgitur à Iureconſ. *Si ex mente legis ſumet quis, vt nec accuſare poſſit, qui lenocinium vxori præbuerit, audiendus eſt.* Vide, ſi placet, Nauarr. rubr. de iudic. n. 72. & ſeqq.

6 Dico II. Extenſio legis proprie dicta, ſiue extenſiua ob rationes, præſertim in lege expreſſæ, identitatem, à Iudicibus rectè fit; imò vt talem extenſionem faciant, ipſis præceptum eſt, vti habetur in l. 11. ff. de legibus: *Non poſſunt omnes articuli ſigillatim aut legibus, aut ſenatusconſultis comprehendi: ſed cùm in aliqua cauſa ſententia eorum manifeſta eſt, is qui iuriſdictioni præeſt, ad ſimilia procedere, & ita ius dicere debet.* Conſẽtit c. inter cæteras 4. de reſcr. Exemplũ habes in c. cùm dilecta 4. de confirm. vtili, vbi Innoc. III. in quadam controuerſia iudicando, perpendit iure ciuili ſtatutum, & canonico receptum eſſe, vt teſtes, etiam ante litis conteſtationem, recipiantur, ſi de morte eorum timeatur, c. vlt. in princ. vt lite non conteſtata &c. Atque hinc, ob æquitatis ſimilitudinem, per propriè dictam extenſionẽ concludit, priuilegiorum inſtrumenta, ſi de eorum corruptione timeatur, lite nondum conteſtatâ, renouanda eſſe.

7 Dico III. Extra iudicium, ſiue in conſcientiæ foro extenſio legis propriè dicta in ordine ad obligationes pariendas, locum nullum habere poteſt. Ita bene docet Suarez cit. lib. 6. cap. 3. num. 9. Probatur inde: Quia impoſsibile eſt, vt lex obliget ad id, quod in ea non eſt præceptum: Id autem quod in lege nec ſecundùm verba, nec ſecundùm mentem, adeóq; nullo modo comprehenſum, non eſt præceptum: Ergò &c. Dixi autem, in ordine ad obligationes pariendas; At verò in ordine ad facultatem agendi, liberationem ſeu exceptionem à legis obligatione, præſertim ſine præiudicio alterius, extenſio talis ob rationis identitatem in omni foro fieri poteſt. Sic dicunt DD. communiter, quòd exceptio adiecta legi non ita confirmet legem in aliis caſibus, quò minùs exceptio ad alium caſum ob rationis omnimodam ſimilitudinem extẽdi queat, argum. cit. c. cùm dilecta, Abb. in c. cùm omnes n. 7. hoc tit.

Quæret aliquis; Quâ occaſione, aut propoſito huius c. doctrina à Gregorio IX. hîc poſita fuerit? Arbitror, eo conſilio, vt oſtenderet Papa, abolitâ lege veteri, vnà cum Sacerdotio Araonico, amplectendam nunc, ſeruandámq; eſſe legem Chriſti, ſummi à Deo Patre conſtituti Sacerdotis, ac legislatoris: Qui etiam in Sacerdotio, cum poteſtate leges interpretandi, quin & condendi, ac præcipiendi, viſibilem in terris Vicarium conſtituit S. Petrum Apoſtolum, cap. 16. Matth. v. 16. & ſeqq. Intentio itaque Pontificis fuit, commendandi fidelibus, vt tum interpretationes, tum noua decreta à Rom. Apoſtolica Sede profecta, reuerenter ſuſcipiant & obſeruent. 8

CAPITVLVM IV.

Nam concupiſcentiam.

SVMMARIVM.

1. *Leges humanæ obligãt ſub peccato, niſi ſint merè pœnales.*
2. *Quarundam Religionum regula (quatenus non verſantur circa obſeruantiam votorum) per ſe ſub peccato non obligant, vt Dominicanorum, & Societatis IESV; neque aliarum Religionum, vt Minorum de Obſeruantia regulæ quoad omnia in iis contenta ſunt de præcepto.*
3. *Quanam autem obligent, vel non; colligi debet ex materia, fine, & verbis regulæ, ex Maiorum traditione, conſuetudine, & piorum hominum ſenſu & perſuaſione.*

ACceptum eſt iſtud c. ex Gl. ordinaria Apoſt. ad Roman. ſuper ea verba verſ. 7. *Concupiſcentiam neſciebam, niſi lex diceret, Non concupiſces.* Intentio autem Gregor. IX. Pontificis eſt, vniuerſim oſtendere, leges bonas, atque vtiles hominibus eſſe. Nam id bonum eſt, quo prohibetur malum: lege au-

tem prohibetur malum ; Imò omnia mala legibus vetantur. Id verò inde probatur : Si enim lex prohibet originem,ac veluti radicem omnis mali,sequitur quòd prohibeat omne malum : Atqui lex prohibet concupiscentiam,seu cupiditatem, quæ origo est ac veluti radix omnis mali, testante Apostolo ep.1. ad Timoth.c.6.v.10. *Radix enim omnium malorum est cupiditas.*

1 Disputant hîc Canonistæ, vtrùm leges humanæ obligent sub peccato? Respons. est affirmatiua,cum S.Th.1.2.q.96.a.4. & constat ex definitione legis, quam tradidi lib.1. Th.mor.tr.4. c.14. Quòd sit *recta ratio agendorum,à publica potestate Communitati denunciata,cum voluntate eam perpetuò obligandi.* Ex quo ita argumentari licet: Omnis propriè dicta lex iustum ac rationabile quoddâ magistratûs præceptum est, Cõmunitati,seu multitudini hominum subiectorum,datum : Præceptum autem quodlibet magistratûs,si iustum est, in conscientia obligat subditos ad obediendum, teste S. Paulo Apostolo ad Rom.c.13. v.1. & seqq. Ergo &c. Exinde colligitur, quòd regulæ & ordinationes quarundam Religionum per se non obligantes sub peccato, non sunt propriè leges,sed monita quædam : Habent tamen similitudinem quandam legum ; partim quia ab habentibus publicam potestatẽ, propter publicum bonum, ad subditos latæ sunt ; partim quia & ipsæ plerumque continent obligationem aliquam,videl.pœnæ acceptandæ,si earum transgressoribus per Superioris præceptum imponantur.Cuiusmodi leges merè pœnales,id est, non sub culpa, sed ad pœnam duntaxat,si Superioris præcepto imponatur, sustinendam; multas etiam in ciuili Repub.esse,negari nõ potest. Quænam autem eæ sint,ex materia,fine,modo ferendi, aliisque circumstantiis cognosci posse,dixi Theol.mor.lib.1.tr.4. cap.15.

2 Dixi autem suprà; *Quarundam* Religionum regulas (quatenus eæ non circa votorum obseruationem versantur) per se nõ obligare sub peccato,v.g. Dominicanorũ, Societatis nostræ. Sed neque in aliis Religionibus,v.g.Minorum de Obseruantia, omnia quæ in regula continentur, sub culpæ reatu præcepta esse,tradidit Eman. Rodriq. regular. qq.q.50.a.1.Abbas hîc n.2.& 3. Quare, 3
quænam regulæ earundem Religionum sub peccato,mortali aut veniali obligent, & quæ non ita obligent, partim ex materia, fine, & verbis regulæ colligi debet ; partim ex Maiorum traditione, consuetudine, & piorum hominum sensu ac persuasione. Vide etiam quæ docui Theol.mor.lib.4.tr.5.cap.9.

CAPITVLVM V.

Ne innitaris.

SVMMARIVM.

Sacri canones à Patribus accepti, relicto proprio sensu,obseruari debent.

SVmptum est hoc c.ex Gl. ordinaria cap. 3. Prouerb. quæ explicans verba Salomonis cit.cap. v. 5. *Ne innitaris prudentiæ tuæ,* subiecit; *Prudentiæ suæ innititur , qui ea, quæ sibi agenda , vel dicenda , videntur, Patrum decretis præponit.* Hæc autem ideò à Gregorio IX. Pontifice allata sunt, vt iterum commendaret sacrorum canonum statuta,quę à Patribus per Ecclesię traditionẽ accepta, posthabito proprio sensu, Christianis omnibus obseruanda sunt, iuxta ea quæ suprà dixi cap.1.hoc tit.

CAPITVLVM VI.

Cùm omnes.

PARAPHRASIS.

Canonici Eccleſiæ Trecensis statutum fecerunt,vt ipsi quidem, sicuti hactenus in ecclesia illa consuetudo obtinuit, reditus percipiant etiam in absentia, siue nõ residẽtes : at verò deinceps qui institueretur Canonici,reditus non acciperent, nisi residerent. Statuerunt etiã, vt vineæ, quæ hactenus singulis Canonicorum præbendis annexæ erant,suis quidem,dum viuerent,annexæ manerent;sin autem vitâ decederent, vineæ ad Successores,seu nouos Canonicos non transirent,sed earum reditus inter Canonicos omnes diuiderentur.

Vtrum

Vtrumque Statutum Innocentius III. iudicauit iniquum esse, idcóque non obseruandum. Quare mandat, vt iuniores Canonici antiquioribus in redituum perceptionibus adæquentur, secundùm consuetudinem vsque ad illud tempus in ecclesia Trecensi obseruatam, vel secundùm aliam obseruationem, si quæ in posterum rationabiliter instituta fuerit. Causam suæ sententię affert Pōtifex, quia lex cùm sit commune præceptum, non priuato commodo, sed pro communi vtilitate cōstituta esse debet iuxta legem 1. ff. de legib. cap. 2. dist. 4. Constitutio autem illa Canonicorum priuatum commodum fouebat, non commune Capituli & Ecclesiæ bonum respiciebat. Si enim Capitulo communiter vtilis esset constitutio, etiá ipsi seniores Capitulares eo comprehēdi vellent. Quare bene Pontifex huc accōmodat Catonis dictum: *Patere legem quã tu ipse tuleris*: & Prætoris æquissimum Decretū. lib. 2. ff. tit. 2. *Quod quisque noui iuris in alterum statuerit, id in ipsius quoque persōna valere patiatur.*

Svmmarivm.

1. *Capitulum, Episcopo viuente, absque eius consensu nihil statuere, vel nouare potest, nisi in causis minoribus, & ad Capitulum propriè spectantibus: quo casu, statutis huiusmodi etiam pœnam adiicere potest.*
2. *Horum autem statutorum Executio vt expeditior sit, consultum est, & ferè cōsuetum, vt inter statuentes iuramento confirmentur, & ab Episcopo approbentur.*
3. *Capitulum consuetudinem receptam cōtra ius commune, v. g. nō residendi absq; Episcopi auctoritate, tollere non potest, nisi damnosa effectu sit, aut in fauorem à Sede Apostolica per priuilegium concessa.*
4. *Iniquum est statutum alicuius Collegii aut Vniuersitatis, quo aliqui magis, quàm alii, qui tamē æqualis iuris sunt, grauantur.*
5. *Ligantur statutis ad Cōmunitatem latis ipsi etiam statuentes; Magistratus tamē summi, vt Imperator, Rex, Principes minùs strictè, nec per se, & directè, vt minores Magistratus & subditi.*
6. *Obligantur his statutis non minùs etiã Præpositus aut Decanus, quàm alii Capitulares.*
7. *Episcopus cum consensu Capituli, vel Cleri statuere potest, vt Canonicis vel aliis Beneficiariis iuxta priorem antiquam consuetudinem, relictâ non residendi libertate, qui deinceps instituendi erunt, omnes residere cogantur, ad effectum fructuum percipiendorum.*
8. *Simile statutum fieri potest in Generalibus Capitulis, seu Congregationibus.*

Notandvm 1. Consuetudine imemoriali introduci potuit, vt Canonici vel similes Beneficiarii, etiam absentes, fructus beneficii sui perciperent. Ita Gl. fin. hîc, & tradit Abb. in c. extirpandæ 30. §. Qui verò, vbi de hoc dicam de Præbend. & sumitur ex textu huius c. Si quidem Papa eam Trecens. Ecclesiæ consuetudinem reprobandam non esse, duxit.

Porrò quid iure nouo Trident. de Canonicorum residentia decretum fuerit, vt non liceat eis vltra tres menses in anno ab ecclesia abesse, remoto quolibet statuto, aut consuetudine, videri potest in sess. 24. cap. 12. de reform. De Episcoporum & Parochorum residentia sess 23. cap. 1. de reform,

Qvaestio est, Vtrùm Capitulū Trecēse eam non residendi antiquam cōsuetudinem, contrario edito statuto, tollere potuisset?

Resp. & Dico I. Accedente auctoritate Episcopi, dubium non est, quin tolli potuisset. Nam tale statutum Ecclesiæ vtile est, & conforme iuri communi, vti constat ex tit. lib. 3. decret. de clericis non residentibus.

Dico II. Absque consensu & auctoritate Episcopi non potest Capitulum tale statutum condere. Ita hîc Innocent. Ioan. Andr. Imola, Abb. Panormit. & alii, quamuis contrariū placuerit Felino n. 7. Nam Capitulum Cathedrale (spectato cōmuni iure, & seclusis specialibus priuilegiis, ac consuetudinibus)

bus) Sede Episcopali non vacante, spiritualem in Ecclesia iurisdictionem non habet: Ergo absque Episcopi auctoritate condere non potest leges & statuta; quibus ecclesiæ status, antiquæ consuetudines, aut iura mutentur, prout etiam Abb. annotauit in c. quoniam, prope finem, de vita & honest. clericorum, Suarez de legibus lib. 8. c. 6. n. 11. argum. c. cùm accessissent 8. hoc tit. & sumitur ex c. cùm consuetudinis 9. de consuet.

Minora tamen, quæ pertinent ad bonum ordinem, & regimen Capituli, eorúmque quorum administratio Capitularibus propria est, statuere possunt, etiam non interueniente Episcopi auctoritate, prout ex communi docui lib. 1. Theol. mor. tr. 4 c. 7. n. 10.

Dubium verò est, num statuto huiusmodi, secundùm maioris partis suffragia, etiam pœnam adijcere possint? Videtur esse negádum: Nam pœnam imponere, iurisdictionis est: Cùm itaque Capitulum iurisdictione careat, sede non vacante, sequitur, quòd nec pœnam decernere queat.

Sed arbitror affirmádum, ob regulam receptam, quòd quicunq; statuta edere possunt, ij etiam pœnã intra terminos potestatis suæ adijcere valeant; quia id consequens, connexum, ac sæpe necessarium sit ad legis executionem, idque sumitur ex l. 1. ff. Si quis in ius vocanti non obtemperauerit, & esse communem doctrinam testatur Felin. hîc n. 14. Steph. Auffrerius in decis. 406. Capellæ Tholosanæ. Atqui Capitulum Cathedrale circa modum, & ordinem eorum, quæ ipsi propriè cõmissa sunt, statuta facere posse, concors est Doctorum sententia: Consequenter etiam pœnam siue mulctam transgressoribus statuere poterit, prout etiam sumitur ex c. cum aliquibus 4. iuncta Glossa ver. firmitate. de rescript. in 6.

Ad argumentum in partem contrariam respondetur; Etsi Capitulum Cathedrale, absolutè loquendo, non habeat iurisdictionem in ecclesia; quippe cùm totius diœcesis Pastor ordinarius Episcopus sit; habere tamen partem aliquam, seu potiùs vsum iurisdictionis, secundùm modum administrationis rerum suarum, siue à Superiore commissam, siue consuetudine comparatam. Siquidem ipsum Capitulum, quatenus separatè consideratur absque Episcopo, Collegium siue Vniuersitatem efficit; cùm Decanum habeat, per electionem à se constitutum, secundùm Ecclesiarum Germaniæ nostræ consuetudinem. Videri potest Suarez cit. cap. 6. n. 11. Idémque eâdem ratione sentiendum de Collegiatis secularibus ecclesiis Episcopo subiectis.

Cæterùm ad omne dubium circa talia statuta remouendum, consultum est, atque ferme consuetum; vt iuramento inter statuentes confirmentur; ijsque qui de nouo in Collegium recipiuntur, offerantur ad iurandam obseruationem. Deinde, vt Episcopo tradantur approbanda & confirmanda: Sic enim executio statutorum expeditior fiet, si Episcopus ad eorum, quæ ipsemet approbauit, obseruationem reluctantes compellat. Quamuis etiam sine Episcopo, aut si Episcopus statutum non approbârit, non desit Capitulo ad pœnæ statuto adiectæ aliquam cõpulsionem facere, v. g. per subtractionẽ redituum ex cõmuni corpore, donec pœnæ satisfactum sit. Id enim necessarium est, per modum connexionis; quia cui concessum est antecedens, eidem & consequens, iuxta ea quæ suprà docui in c. translato, hoc tit. 2

Porrò tradita doctrina, quòd Capitulum consuetudinem receptam contra ius commune v. g. non residendi in ecclesia, vbi canonicatus vel præbenda est, absque Episcopi auctoritate tollere non possit, limitari debet primò; Si appareat, huiusmodi consuetudinem ecclesiæ damnosam, adeóque irrationabilem effectam esse; quia in cultûs diuini diminutionem, pietatis & disciplinæ ecclesiasticæ defectum, bonorum ecclesiasticorum dissipationem cedat; tunc relicta tali consuetudine, ad ius commune, edito cõmuni statuto, redire concessum est, argum. c. 1. De ijs quæ fiunt à maiore parte Capituli. Quippe in hoc casu non tam aliquid noui statuerent, quàm id, ad quod secundùm ius diuinum & sacros canones obligati sunt, declararent & reciperent. Nam sicuti ab initio lex aut cõsuetudo nulla constitui potest, 3

quæ

quæ irrationabilis, aut Ecclesię damnosa est; ita neque durare, aut consistere cum obligandi ratione, si temporis successu manifestè irrationalis ac damnosa efficiatur, iuxta regulam receptam, *Vitiosum aliquid reddi, si in eum casum incidat, in quo non potuisset inchoari.* Siue, *Quod ab initio subsistit, desinit subsistere, si in eum casum incidat, in quo inchoari non potest.* Quare hoc ipso in casu Episcopus, etiá contradicente Capitulo, eiusmodi Ecclesiæ damnosam consuetudinem tollere non prohibetur, prout resoluit Abb. in c. ad audientiam n. 4. de cler. non resid. Felin. hîc n. 9.

Secundò limitari debet; Si consuetudo non residendi nitatur priuilegio Sedis Apostolicæ in fauorem concesso, Capitulum per renunciationem tollere poterit, vt ius commune obseruetur, sicuti constat ex c. cùm accessissent 8. hoc tit. ex quo habetur, Canonicos priuilegio renunciare posse, quod principaliter in ipsorum fauorem concessum est.

4 *Notandum* II. Iniquum est statutum alicuius Collegij, aut Vniuersitatis, per quod alij magis, quàm alij, qui tamen æqualis iuris sunt, grauantur. Hæc est principaliter intenta decisio huius c. Ratio dari debet primò; Quia lex est præceptum, ac veluti sponsio quædam communis, ad cuius præscriptũ omnes, qui è Communitate sunt, vitam instituere debent, l. 1. & 2. ff. de legibus; Et non priuato commodo, sed pro communi vtilitate conscripta, c. 2. d. 4. & docui lib. 1. Th. mor. tr. 4. c. 1. Constitutio autem, de qua hîc mentio fit, inæqualitatem inter Capitulares, qui ex eodem corpore siue Collegio, eiusdémq; iuris sunt, inuehebat; Et non tam commune Capituli, atque Ecclesiæ bonum, quàm priuatum singulorum statuentium commodum respiciebat. Si enim Constitutio Capitulo communiter vtilis existimaretur, etiam Capitulares statuentes eâ comprehendi vellent. Quare meritò Pontifex accommodat huc Catonis dictum, *Patere legem, quam tu ipse tuleris.*

5 Porrò ex hac doctrina colligi videtur; Quòd statuentes per se ac directè, non minùs, quàm alij ex Vniuersitate statuto à se edito comprehendantur, & obligentur. Sed distinguere oportet cum Vdalrico Zasio super l. 1. ff. Quod cuiusq; Vniuersitatis, &c. Nam alij sunt summi, siue maiores magistratus; videl. Imperator, Rex, Principes, & qui regalia habent: Hi statutis suis ad Communitatem latis, non ita per se ac directè, neque tam strictè, vt subditi obligantur, l. digna 4. C. de legibus, & explicaui cit. tr. 4. cap. 9. Alij verò sunt Magistratus, seu statuentes inferiores, qui administrationem aliquam sibi commissam gerunt, non autem dominium iurisdictionis in alios, tanquam subditos exercent. Tales, inquit loco cit. Zasius, sunt magistratus etiam in magnis ciuitatibus, aut oppidis, quæ per decuriones, consules, aut Senatores administrantur, & reguntur. *Hi statuentes statutis suis obligantur: quia si ligatur populus, etiam ipsi; cùm & ipsi de populo sint.*

Idemque pari ratione sentiendum de Capitularibus, etiam ipso Præposito, aut Decano, quòd obligentur statutis in Capitulo cõmuniter latis, non minùs quàm alij Capitulares; cùm & Decanus sit pars & membrum Capituli, siue vnus è Capitulo; tametsi dignior, aut antecessor: Quare etiam contra eius suffragium, si maior pars Capituli consentiat, statutum condi poterit, sicuti bene notauit Suarez cit. cap. 6. n. 20. 6

Secundò debet dari ratio dictæ decisionis ex Prætoris edicto, relato lib. 2. tit. 2 ff. *Quod quisq; iuris in alterum statuerit, eodem ipse vti debet. Quis enim aspernabitur,* inquit Prætor l. 1 ff. eod. *idem ius sibi dici, quod ipse aliis dixit, aut dici effecit?* Habet enim retorsio ista locum tam erga statuentes, quàm eos, qui statutum tale impetrarunt, cit. l. 1. Sed & locum habet in pactionibus; vt si tutor, nolens pupillum ab hæreditate debitis grauatà abstinere, paciscatur cum creditoribus, vt parte debiti contenti sint, compelli poterit, vt & ipse, si pupilli creditor sit, eadem secundùm proportionem parte contentus esse debeat. l. cùm in eo, 45. ff. de pactis. Cùm generalis regula esse debeat, Quod aliquis æquum censet in aliis, etiam in se æquũ censere debet.

Exemplum declaratorium eius Edicti, *summam*, vt ait Vlpianus in l. 1. ff. Quod cuiusque iuris, &c. *æquitatem habentis* attuli in cit. cap. 9. n. 3. §. Tertium, ex Gl. in ead. l. 1. in casu. Aliud affert Zasius cit. loco: Si in ciuitate aliqua à Magistratu, seu Decurionibus cautum sit, ne extraneo liceat emere, aut possidere bona immobilia; etiamsi titulo hæreditatis ea intra fines territorij acquisiuisset; sed incolis eius loci vendere cogatur; Tunc decuriones, seu statuentes illi, & qui tale statutum procurassent, per modum retorsionis, alibi bona immobilia ipsi quoque emere aut possidere, sine iniuria, prohiberentur.

7 QVÆSTIO EST; Vtrùm Episcopus, cum consensu Capituli, aut Cleri, eiusmodi statutum condere possit, vt Canonicis, aliisue beneficiariis, iuxta priorem antiquam consuetudinem, relicta non residendi libertate, qui deinceps instituendi erunt, omnes residere cogãtur, ad effectum fructuum percipiendorum? Videtur esse negandum; quia per tale statutum inæqualitas introducitur inter eos, qui eodem iure censeri debent: Et cùm Canonici quasi vnum corpus, ac Collegium efficiant, non debent diuerso iure censeri, ait Gl. hîc ver. constitutum, ex c. cùm in tua 30. de decim. Nihilominus Canonistæ hîc rectè affirmant, Hostiens. Innoc. Ioan. Andr. n. 24. Abb. n. 3. Nam tale statutum, legitimam Episcopi auctoritatem habet, atque rationabile, ecclesiæque vtile esse potest. Ad argumentum in contrarium respondetur; Inæqualitatem aliquam inter eos, qui eiusdem iuris esse censentur, siue ex eodem corpore sunt, statui posse ex causa rationabili, aut aliqua necessitate, quæ hîc interuenit; Quia suppono, antiquos, seu iam institutos canonicos non facilè adduci posse, vt quoad suas personas in nouum, Ecclesiæ vtile, statutum consentiant. Accedit, quòd Canonicis iuxta antiquam consuetudinem susceptis atque institutis ea mutatio grauis accidit; non ita verò postea recipiendis; quia ipsi ea conditione instituentur, vt iuxta ius commune residere cogantur.

8 Quâ ipsa ratione in generalibus Capitulis seu Congregationibus Religionum, causa reformationis, statutum fieri potest pro illis, qui deinceps in Ordinem recipiendi erunt, relicta libertate aliis, quibus in professione eiusmodi conditio, aut obligatio proposita non fuit. Caueri tamen debet, ne magna sit diuersitas inter eiusdem Collegij aut Cõmunitatis personas: nam *plerumq; reprobatur duplicitas*, inquit Ioann. Andreas hîc.

CAPITVLVM VII.

Quæ in ecclesiarum.

PARAPHRASIS.

Communitas quædam laicorum legem condidit, vt si quis eorum ad inopiam se vergere ostenderit, liberam facultatem habeat alienandi Feudum, quod ab Ecclesia, vel Ecclesiasticis personis possideret. Querelâ ad Innocentium III. delatâ, respondit ille, eiusmodi statutum cõtra Ecclesiastica iura directè tendens nullius roboris esse, sed & alienationes seu venditiones feudorum factas absque legitimo Ecclesiasticarum personarum consensu ipso iure irritas esse.

SVMMARIVM.

1. *Laici statutis suis non possunt derogare iuribus Ecclesiarum.*
2. *Vasallus absq; Domini consensu feudum nec licitè, nec validè alienare potest. Si alienet, traditione secuta, eo priuari potest.*
3. *Communitates nullam iurisdictionem habentes, nullam propriè legem condere possunt; possunt tamen ex conuentione & iuramento aliquid statuere, pertinens ad bonam administrationem aut defensionem rerum suarum.*
4. *Communitates iurisdictione præditæ possunt intra limites suæ iurisdictionis statutum seu legem condere.*
5. *Ius naturale etiam Magistratus laicus interpretari potest in rebus profanis & politicis; in spiritualibus interpretatio pertinet ad Ecclesiasticos, præcipuè ad Rom. Pontificem.*

6. Le-

6. *Legem naturalẽ præceptiuã Magistratus sæcularis directè mutare non potest.*
7. *Potest tamen permissiuam mutare.*
8. *Aduersus ius gentium præceptiuum à Magistratu humano statui nihil potest, addi tamen ei aliquid potest.*
9. *Statutum fieri non potest præiudicans iuri aliorum absque causa.*
10. *Potest ex causa iusta & vrgente v. g. ob publicam vtilitatem.*
11. *Quæ autem & quanta causa requiratur, prolixè hîc & infrà docetur.*
12. *Pontifex liberam habet disponendi facultatem de beneficiis Ecclesiasticis & bonis, aut reditibus Ecclesiarum; non autem de fructibus & reditibus Ecclesiasticorum non superfluis, aut bonis eorum patrimonialibus.*
13. *Magistratus sæcularis neq; ex plenitudine potestatis quidquam disponere potest circa Ecclesias, personas Ecclesiasticas, & earum bona.*
14. *Princeps, qui ex iusta causa res priuatorum abstulit, tenetur ad compensationẽ damni, nisi aliunde excusetur.*
15. *Plenitudo potestatis extendens se ad ius subditis iusta de causa tollendum, est propria supremi Principis, ab eo tamen alteri communicabilis.*
16. *Plenitudo hæc potestatis in supremo Principe nimium à Legistis extenditur.*

NOTANDVM I. Laici statutis suis nõ possunt iuribus ecclesiarum derogare, vt hîc, & in c. 1. d. 10. c. 1. d. 96. & c. nouerit 49. de Sent. excomm. vbi est lata sententia excommunicationis contra statuentes: Nunc autem lata est excommunicatio bullaris xv. *Si quauis decreta in genere, vel in specie, ex quauis causa, & quouis quæsito colore, atq; etiam prætextu cuiusuis consuetudinis, aut priuilegij, vel aliàs quomodolibet fecerint, ordinauerint, vel publicauerint; vel factis, & ordinatis vsi fuerint, vnde libertas ecclesiastica tollitur, seu in aliquo laditur, vel deprimitur, aut aliàs quouis modo restringitur, seu nostris, & dicta Sedis* Apostolicæ, *aut aliarum quarumcunq; ecclesiarum iuribus quomodolibet, directè vel indirectè, tacitè vel expressè, præiudicatur.* Vide quæ infrà dicentur in c. Ecclesia, hoc tit. 1

Notandum II. Vasallus, absque domini consensu, feudum alienare non potest. Sin alienet, alienatio irrita est, & vasallus eo priuari potest; dummodò traditio secuta sit; lib. 2. feudorum tit. 52. de prohibita feudi alienatione, cap. Imperialem. 2

Duæ itaque causæ fuerunt, cur ciuium Teruisin. constitutio, atque alienationes feudorum inde secutæ irritæ fuerint. I. Quia erant contra iura ecclesiarum, de quibus laici, absque Prælatorum ecclesiasticorum auctoritate & consensu, nihil statuere, iisue derogare possunt: siquidem nulla iurisdictio aut potestas se extendere potest extra limites suos, l. vlt. ff. de iurisd. omn. iudicum. II. Quia lege etiam seculari siue Cæsarea, feudum absq; domini consensu alienari nequit. Sed sufficiebat Pontifici, ex priore ratione statutum illud, & factas alienationes improbare: Quia tametsi ponamus, legem à magistratu iustâ ratione edi in ordine ad feuda secularia, vt ea alienare liceat; non tamen tale statutum fieri poterit in ordine ad feuda ecclesiastica, siue quæ ab ecclesiis habentur. Neque excusat hîc ratio inopiæ, vel similis necessitas: Quia ratio necessitatis licèt quãdoque iurisdictionem existentem, nimirum in magistratu seculari erga laicos extendere possit, vt propter eam licitè fiant, quæ alioquin licita non essent; attamen iurisdictionem, vbi nulla est, videl. erga clericos, & ecclesias, necessitas dare non potest.

Hac occasione acceptâ, QVÆRVNT hîc Doctores primò; Quænam laicorum Communitas leges, siue statuta condere possit? 3 Respondeo cum Abb. hîc n. 5. Suar. de legib. lib. 3. c. 9. post Bart. in l. omnes populi, ff. de iust. & iure. Baldum & alios in l. vlt. C. de iurisdict. omn. Iudic. Quædam communitates siue plebes sunt, nullam iurisdictionem habentes, vt plebs pagi alicui nobili, aut baroni, vel ciuitatis magistratui subiecta. Et talis communitas statutum facere non potest; quia *facere statutum*, ait Baldus in cit l. vlt. n. 1. *est iurisdictionis*: Idemque ex communi tradit Auffrer. in decis. Tholosa-

nã 406. Guido Papa decis. Grationop. 631. Possant tamẽ per modũ pacti, aut iuramẽti inter ipsos præstiti aliqua statuere, quæ pertinent ad bonã administrationẽ, aut defẽsionẽ rerum suarũ; ideóq; collectam aliquam imponere, sicuti loco cit. differit Guido; vbi admonet primò n. 5. quòd plebi, sine domini aut magistratûs sui consensu, concessum non sit se congregare, tractatus instituendi causa; quia prætextu alicui⁹ liciti, v.g. collectæ necessariò indicendæ, quod illicitum est, machinari posset: Quare ordinariè huiusmodi congregationes ac conuenticula suspecta & prohibita esse solent, sicuti etiam notat Ioan. Faber Instit. de rerum diuisione, §. vniuersitatis, Abb. in c. vlt. in fine, de testib. cogendis, arg. l. 1. ff. de illic. collegiis. Secundò admonet; Quia statutum huiusmodi per modum pacti editur, ideò necessarium esse, ordinariè loquendo, vt omnes consentiant; siquidem inuitus nemo cogitur paciscí, aut cõtrahere, aut quod proprium est, expendere, iuxta Gl. celebrem in l. 2. C. Quæ sit longa consuetudo, prope finem. *Ordinariè* dixi; Si enim necessitas postulare videatur, v. g. vt collecta fiat ad damnum aliquod auertendum, maiori parti minor consentire debet, vti resoluit idem Guido n. 7.

4 Quædam verò sunt Communitates iurisdictione præditæ; & hæ secundùm modum ac terminos iurisdictionis suæ statuere, siue legem condere possunt. Dico *secundùm modum ac terminos, &c.* Nam interdum iurisdictio Communitatis independens est; quia ciuitas, aut populus nullum Superiorem agnoscit, v.g. vrbs Venetorum, Genuensium. Et hi eâdem potestate absolutâ leges condere possunt, quâ Rex aut Princeps in terris suis. Interdum verò iurisdictio Cõmunitatis dependens est, & modificata, sic videl. Communitas aut populus secundùm actualem vsum, subiecta sit iurisdictioni Superioris. De his Communitatibus loquitur Zasius in l. 1. ff. Quodcuiusque iuris &c. *Licet magistratibus statuta facere, non solùm maioribus sed etiam minoribus, quod Gl. & Bartolus tractant latiùs. Verùm hæc doctrina est recepta moribus Germanis; quia videmus, quòd etiam Decani facultatum, & quælibet infima oppida faciunt statuta.*

Et quod dicit hîc de Decanis facultatum, latiùs accipe ex l. vlt. C. de iurisd. omn. Iudicum, vbi Baldus num. 1. *Collegia approbata possunt inter se facere statuta de iis, quæ pertinent ad eorum iurisdictionem.* Et n. 2. *Si causa vertitur inter artificem, & artem seu collegium, cognoscit Præpositus Collegii.* Et n. 3. *Qui præsunt istis artibus, siue negotiatoribus, possunt cognoscere de omnibus causis, quas habent artifices inter se, vel quas non artifex mouet artifici ratione artis: Extra autem ea, quæ pertinent ad artem, non habent iurisdictionem, nec possunt statuta facere.*

Sed declarari debet primò; Si eiusmodi Collegia Rectorem, seu Præpositum habeant, quòd sine ipso nihil statuere possunt. Idèmque eâdem ratione sentiendum de Communitate studiosorum, eos absque Rectoris sui consensu nihil statuere posse; præterquã per modũ pacti mutui circa materiam honestã & concessam, vti suprà dictũ fuit de plebe. Secundò, dictæ ciuitates, Collegia &c. tali modo statuta edere possunt, vt tamẽ ea Principi seu Magistratui, cui subsũt, subiecta sint: Quare etiã in litibus causam, siue ad duumuiros, seu Præpositos, siue ad maiorem magistratum, videl. Præsidem, deferre cuiuis liberum est, iuxta cit. l. vlt. Videri etiam possũt, quæ docui Theol. mor. lib. 1. tr. 4. c 8. n. 7.

Corollarium. Hinc patet discrimen inter imperij Romani Duces, Marchiones, Comites, &c. qui à Cæsare regalia habent, eiúsque benignitate summum magistratum repræsentant, vti cit. loco Zasius annotauit; atque suprà dictas ciuitates. Isti enim etiam contra communes Cæsareas leges quandoque municipalia statuta pro terris suis condere possunt; dummodò nec Imperatori, nec aliis Principibus, aut populis præiudicantia sint; saluis etiam iis, quæ Principi summo seu Imperatori specialiter reseruata esse solent, sicut Imola hîc notat n. 14. At verò ciuitatibus, ac oppidis illis tanta licentia concessa nõ est. Num verò ciuitates Imperiales, id est, Imperatori immediatè subiectæ, iura Principis habeant (quod affirmat Gaill lib. 2. obseruat. 57.

uat. 57. num. 7.) ad me non pertinet discutere.

QVÆRITVR secundò; Quousque se potestas humana in condendis legibus extendat circa ea, quæ naturali, diuino, aut gentium iure statuta sunt. Quâ de re variè loquuntur Canonistæ, vti videre licet apud Hostiens. & Innocent. hîc. Abb. n. 8. Felin. n. 2 & seqq.

5 Respondeo & dico I. Magistratus humanus ea, quæ naturalis iuris sunt, interpretari potest; adeò, vt talis interpretandi facultas in rebus profanis ac politicis etiam seculari magistratui competat: At verò in spiritualibus interpretatio pertinet ad Ecclesiasticos Prælatos, præcipuè Rom. Pontificem. Ratio assertionis est; Nam qui declarat, siue interpretatur, nihil immutat, aut de nouo addit, Bartol. in l. omnis populus, in princ. q. 6. Felinus in cap. 1. n. 1. de offic. delegat. & significat Gl. in l. 1. ver. interpretationem, ff. de orig. iuris.

Intellige autem, quod dixi, etiam laicos ius naturale interpretari posse, si interpretatio indubitata sit, v. g. præceptum de homine non occidendo, non comprehendere eum casum, quo necesse sit aggressorem iniustum occidere ob defensionem propriæ vitæ, l. 3. ff. de iust. & iure. Item præceptum de alieno non rapiendo ad eum casum non extendi, quo extrema necessitas compellat. Sin autẽ dubium existat de legis naturalis obligatione, v. g. vtrùm contractus aliquis, spectato naturali iure, illicitus seu iniustus sit, nécne, eius rei cognitio ad ecclesiasticos propriè spectat: Eorum enim, Sacerdotum, inquam, est discernere inter lepram & non lepram, siue, inter peccatum & non peccatum. Quâ ratione factum est, vt cognitio de vsuræ crimine Magistratui ecclesiastico cõmissa fuerit, ob animæ periculum: quia animaduersũ est, seculares in ea re sæpius dubitâsse, aut errâsse, sicuti aduertit Lud. Molina tom. 2. de iust. tr. 2. disp. 333.

6 Dico II. Magistratus humanus legem naturalem præceptiuam mutare non potest, contrarium aliquid statuendo, aut in ea dispensando. Ita docent Theologi cum S. Th. 1. 2. q. 96. a. 5. Ratio est; quia inferior legem superioris tollere non potest; nec in ea dispensare. Si obijcias, quòd Prælati ecclesiastici frequenter dispensare soleant in votis, quorum obligatio diuini iuris est; Resp. Cùm Prælati Ecclesiæ ex iusta causa dispensant in votis fidelium, directè non fit aliqua mutatio, aut relaxatio diuinæ legis, præcipientis vota obseruanda esse; sed fit relaxatio seu remissio iuris diuini, id est, debiti Deo acquisiti, iuxta illud Psalmi 75. v. 12. *Vouete & reddite Domino Deo vestro.* Eiusmodi inquam, obligationem siue debitum remittũt Prælati Ecclesiæ, tanquam dispensatores fideles, seu Vicarii Dei, per potestatem ipsis à Christo commissam, vt quidquid soluerent in terris, solutum esset in cælis. Quâ simili ratione Oeconomi, aut Vicarii, absentibus Dominis suis, interdum remittunt & cõdonant debita & obligationes; nihil interim agentes contra leges aut præcepta dominorũ suorum; quippe quorum voluntas esse censetur, vt talis remissio, postulante necessitate, fiat. Mutatur quidem ac tollitur per eiusmodi remissionẽ lex præcipiens debiti redditionem; sed indirectè tantùm; quia mutatio accidit ex parte obiecti. Cùm enim Vicarius debiti remissionem facit, eò ipso lex & obligatio cessat, seu obligare desinit. Videri potest Suarez tom. 2. de relig. lib. 6. de voto cap. 9. n. 15.

Dixi autem in assertione, legem naturalẽ 7
præceptiuam directè mutari non posse. At verò legem naturalem permissiuam, ei aliquid addendo, siue perficiendo, magistratus humanus mutare potest. Sicuti enim ars naturam, ita legem naturalem positiua lex quandoque perficit; non quidem contrarium illi statuendo, sed superaddendo, quod ab ea statutum non est; neque cõstitui prohibuit. Quâ ipsa ratione pleraque impedimenta dirimentia matrimonii per leges ecclesiasticas constituta sunt, non repugnante lege naturali, ac diuina, sed permittente. Vide quæ docui in Theol. mor. lib. 3. tr. 1. de iustit. cap. 5. n. 6

Exinde colligitur bona doctrina Innocẽtij hîc, Abb. n. 13. Felini n. 55. & aliorũ: Tametsi

metsi Magistrat⁹ ex causa aliqua negare possit actionem, ac compulsionem ad soluēdum debitum iuris naturalis, v.g. ex simplici pacto, non tamen decernere potest, eiusmodi debita reddenda non esse; Præterquam si ratio publicæ necessitatis tale statutum, cum priuatorū aliquo præiudicio, postulet. Quâ de re in quæst. 3. dicetur.

8 Dico III. Magistratus humanus statuere non potest aduersus ius gentium præceptiuum; potest tamen iuribus gentium adijcere; cùm pleraque eorum permissiua potiùs sint, quàm præceptiua. Prior pars assert. explicatur: Sic enim fœdera v. g. etiam cum hostibus, legatorum non violandorum religio &c. c. ius gentium 9. d. 1. iuncto §. Ius gentium Instit. de iure natur. gent. & ciuili, violare nefas est: cùm inter homines pax mutua & societas, quę humano generi quàm maximè necessaria, consistere haud possit, nisi talia inuiolabiliter, ac sincerè obseruētur. Quâ de re dixi in Theol. mor. lib. 2. tr. 3. cap. 12. q. 5. Posterior pars declaratur: Nam de iure gentium v. g. est, vt duo vel tres testes non suspecti ad rei gestæ probationem sufficiant; Sin autem constet de rę gesta, etiā absque testibus valorem & executionem habere debeat. At verò ius gentium haud prohibet, sed permittit, ob iustam causam, v. g. ob experientiam fraudum, quæ sæpenumero interuenire solent in vltimis voluntatib⁹, vt plures testes etiam ad formam siue substantiam actus, videl. vltimarum voluntatum necessarij sint.

9 Quæritur tertiò: Num Magistratus, ob vrgentem aliquam causam, statuere, vel decernere aliquid possit, cum præiudicio, seu diminutione iuris aliorum. Exemplum habes hîc; Si decernatur, vt liceat cogente inopiâ, feudum absque domini cōsensu alienare: Aut si Princeps filium illegitimè natū cum præiudicio agnatorum, legitimet ad feuda ex pacto & prouidentia: Aut si decernat, quæ ex iustitia debita sunt, v.g. à militibus iniustè ablata, restituenda non esse. De qua re multa Felinus hîc n. 26. & seqq. Abb. n. 12. Imol. n. 21. 22. Legistæ in l. vlt. C. si cōtra ius vel publ. vtilitatem. Resp. & dico I. Princeps seu quilibet Magistratus, absque causa, non potest statuendo, aut decernendo ius suum aliis auferre. Hæc est certa & receptissima sententia. Quia ideo Princeps seu Magistratus constitutus est, vt ius subditis reddat, iustitiámq; colat: Sumitúrq; ex l. penult. C. de precib⁹ Imperatori offerendis, vbi dicitur, quòd rescripta Principis, contra ius elicita, & quibus alius læditur, nulli⁹ roboris sint, nec à Iudicibus recipiēda. Quamobrem omne rescriptum, priuilegium, concessio, aut dispositio Principis, eam tacitam clausulam cōtinere censetur, *saluo iure alterius*, siue, *sine alterius præiudicio*, l. ex facto 43. in princ. ff. vulg. substitut. l. 2. §. Si quis à Principe, ff. Ne quis in loco publico, c. super eo 15. iun. Gl. ver. intentionis, de off. deleg. Baldus in l. 1. circa finem, ff. de rerum diuis. Matth. de Afflictis decis. Neapol. 334. n. 3. Andr. Gail. lib. 2. obs. 58. n. 5.

Dico II. Princeps ex causa iusta, vid. ob publicam vtilitatem, iuri alterius præiudicare, seu vni rem aut ius suum auferre, & alteri dare potest. Hæc itidem est receptissima sententia apud DD. suprà citatos, Iason. in 1. Barbarius n. 24. ff. de Offic. Prætor. Baldum in l. 2. C. de seruit. & aqua. Ratio est: Quia bono publico, tanquam vniuersaliori ac præstantiori, cedit bonum priuatum, siue singulorum: quare quilibet contentus esse debet, vt sui iuris aut rei detrimentum aliquod patiatur, boni publici causa. 10

His verò pro declaratione addendum est; Si non certò constet de Principis voluntate, adeóque in dubio, nunquam præsumendum est, quòd Princeps iuri alterius præiudicare voluerit, iuxta cit. l. 2. §. Si quis à Principe, & c. ex tuarum 5. de auctor. & vsu pallij, vtrobiq; Glossæ & Doctores Nicolaus Euerardus in loco *à plenitudine potestatis*, ver. Sextò quòd Papa, Andr. Alciatus de præsumpt. reg. 3. princ. præsumpt. 11. n. 1. 2. Vbi addit, quòd in commissione quantumcunq; generalibus verbis facta nunquam concessum censetur, vt ius alteri quæsitū tolli possit. *Propterea*, inquit, *Vicarius Imperialis ex quacunq; potentia generali non posset hoc facere.* Idque sumitur ex c. ex parte 13. de

offic.

offic.deleg.& suprà cit.c.super eo. Atq; ibid. n.3. inquit, quòd rescriptum derogans iuri tertij de falsitate suspectum esse debet, atque per obreptionem impetratum, l. nec accus. (de emancip.liberorum, vbi Baldus ait, quòd non est de mente Principis tribuere alicui beneficium in alterius iniuriam. Idque locum habere, tametsi adiecta sit clausula; *Motu proprio & ex certa scientia*, ex probabiliore resoluit idem Alciatus n. 13. Præterquam si adiecta sint verba, *ex plenitudine potestatis*; vel si alioquin rescriptum motus proprij nullum effectum haberet, sicuti etiam in suprà cit.loco Euerardus annotauit; vel si aliis indubitatis indiciis appareat, Principem iuri alieno derogare voluisse.

Porrò si id ipsum constet, præsumendum est, ex iusta causa Principem egisse, sicuti ex communi tradit hîc Abb.n.4. Guid.Papa decis.Neapolit. 589. n. 5. quòd in dubio pro Principe præsumendum sit: Dummodò ita statuere potuerit, non repugnando iuri naturali, immunitati ecclesiasticæ, aut sacris canonibus, si secularis magistratus sit.

Eademque ratione dicēdum, quòd Princeps absque iusta causa statuere non possit, aut sententiam ferre contra leges positiuas iustas, quæ in eâ republ. vigent; cùm ipse custos & vindex legum publicarum esse debeat, arg.c.vlt.in fine, de rescript. in 6. Tametsi autem Princeps absolutè possit legi publicæ derogare; nisi tamen exprimat, aut alijs indicijs certò constet, censeri non debet absolutâ eâ potestate, seu plenitudine potestatis vti voluisse, Alciat. cit.reg. 3.præsūpt. 36.n.7. Gaill cit.obs.58.n.7.& lib.2.obs.142. n.16. Innocent in c.innotuit, de elect. & alij communiter, quòd semper, nisi contrarium appareat, Princeps ordinaria & legibus conformi, non autem extraordinaria & absoluta, seu plenitudine potestatis vsus cēseri debet.

11 Præcipua autem difficultas in eo versatur, quæ & quanta causa requiratur, vt Princeps statuendo, aut definiendo iuri alterius nocere possit. Respondeo, multa hîc discernenda esse: Primò quidem quantum sit nocumentum, paruum an magnum. Nam pro quantitate nocumenti, si vid. damnum graue multúmq; æstimabile sit, grauior etiā publicæ necessitatis causa requiritur, vt per se patet.

Secundò distinguendum, num ius priuatū ex naturali, aut gentium iure proueniat; an verò ex legis positiuę beneficio aut Principis liberalitate. Nam in hoc posteriore casu faciliùs Princeps ad derogandū iuri alieno venire potest. Exempli causa, si per beneficiū præscriptionis ius alicui aut dominium rei acquisitum sit: quandoquidem hęc acquisitio ex legis Principi subiectæ beneficio prouenit, sicuti Felinus hîc notat n.48. Quando verò addit, à Principe pro libitu & sine vlla causa id fieri posse, fallitur: Partim quia posita præscriptionis lege, ius ac dominium verè acquisitum est vsucapienti, quo sine causa priuari nō debet: partim quia, vt suprà dixi, Princeps secundùm leges publicas agere & decernere debet nec sine causa ab iis deuiare.

Aliud exemplum affert Felinus cit. loco, Quòd Princeps ius & dominium alicui per sententiam acquisitum, rescissa sententia, pro arbitratu suo auferre queat, ex Baldo l.vlt. n. 4.C. sententiam rescindi non posse, vbi ait, in sententia à Iudice lata subintelligendam esse clausulam, *saluâ plenitudine potestatis Cæsareæ*. Quæ sententia vera est, si appareat, in sententia lata errorem, aut nimium iuris rigorem contineri: Sin autem iusta sententia fuit, non potest à Principe sine causa, aut pro arbitrio eius rescindi; multo verò minùs res adiudicata alicui auferri.

Etenim per sententiam Iudicis non tam de nouo ius tribuitur, quàm interpretatio fit, eáque authentica, ius parti competiisse; Iudex enim iuris cuiq; competentis interpres & arbiter est. Quare etiam Principis rescriptum contra sententiam, quæ in rem iudicatam transijt, irritum est, vti docet Gaill lib.2. obs.58.n.6. ex l. vlt. C. sententiam rescindi non posse. Denique quæ à Principe subditis priuilegia concessa sunt, iterum auferri possunt nisi transierint in contractū: tunc enim absq; causa, seu pro libitu, tolli nequeunt: quia etiam Princeps ad contractûs, aut donationis absolutè factæ obseruationē obligatur, vti ex communi notauit Gaill lib.2. obs.55. Felin.hîc n.51. Afflict.cit. decis.361. n.10.& dixi de hoc in Theol.moral.lib.1.tr. 4.c.23.n.25.

Tertiò

Tertiò distinguendum, num agatur de tollendo iure alteri iam acquisito, an verò acquirendo, tollendo iure in re, an in spe. Illud enim ius, quippe firmius ac certius, difficiliùs tolli potest, vti ex communi annotauit Gaill lib. 2. obs. 142. n. 14. Exemplum habemus in filiorum legitimatione, si fiat etiam in ordine ad successionem hæreditatis paternæ. Ad quam longè grauior, & ad bonum publicum pertinens causa seu necessitas requiritur, quando pater mortuus est, adeóq; hereditas legitimis filiis aut agnatis delata, vel acquisita: Minor autem causa requiritur ad legitimandum filium patre adhuc viuente, præsertim petente, in præiudicium legitimorum filiorum: quamuis & hæc legitimatio odiosa censeatur; Quia vt bene annotauit Zasius in l. cùm hæredes, ante §. In ijs, ff. de acquir. possess. filiis legitimè natis gentium iure paterna hæreditas, exclusis illegitimis, debetur; Non ita verò agnatis; quorum proinde nec mentio fieri debet in rescripto; sed nec eorum citatio requiritur, si filius naturalis seu illegitimè natus, patre adhuc viuente & consentiente, non extantibus filiis legitimè natis, legitimandus sit, vti docent Legistæ in l. Gallus 29. §. sed quid si tantum, Gaill cit. obser. 142. n. 1. & 11. Qui addit n. 14. & tradit Couarr. lib. 3. var. resol. cap. 6. n. 2. ex cõmuni, quòd Princeps filium naturalem legitimare ac habilitare possit ad feuda antiqua ex pacto & prouidentia; item ad maioratus, seu fideicommissa, etiam cum præiudicio agnatorum: cùm non habeant ius quæsitum in re, sed tantùm in spe successionis, si possessor feudi, aut maioratus mortuus fuerit. Eiusmodi autem ius non censetur esse in bonis nostris, sicuti nec ius hæreditatem consequendi, l. pretia 63. ff. ad Legem Falcidiam. Puto tamen, vt id iustè fiat, requiri causam; cùm negari non possit, esse hanc aliquam imminutionem iuris descendentis ex pacto & prouidentia antiqua.

Quartò considerandum est, an, & quantam potestatem habeat Princeps erga personas, & res siue iura, quæ decernendo aufert, aut abrogat.

Quamobrem aiunt Doctores apud Felinum hîc n. 40. Iasonem in l. Barbarius n. 43. 12
ff. de off. Præt. quòd Rom. Pontifex de beneficiis ecclesiasticis plenam ac liberam habeat dispositionem, iuxta c. 2. de præbend. in 6. Cuius rei ratio est, quia Pontifex non ita beneficia confert, vt eorum administrationem à se abdicet. Liberam quoque habet de bonis, aut reditibus ecclesiarum disponẽdi facultatem, vt ea ab vna ad alteram ecclesiam, prout voluerit (saltem validè, & si causa subsit, etiam licitè) transferre queat, sicuti ibidẽ tradit Felin. ex Paulo de Castro cons. 281. & ex communi sententia copiosè de hac re disserui in iusta defens. cap. 2. mem. 2. 3. & 4.

Alia verò ratio est de fructibus seu reditibus ecclesiasticorum; horum enim dominium cùm clericis proprietatis iure acquisitum sit, ideo de his non potest Papa, multóque minùs de patrimonialibus Clericorum bonis, ad lubitum disponere. Sed excipi debet, si clericorum, seu beneficiariorum reditus, etiam percepti, superflui sint: Quando-quidem tales reditus non absoluto dominij iure ad beneficiarios spectant, sed Ecclesiæ obligati manent, sicuti ex vera, & communi Canonistarum doctrina tradidi lib. 4. moral. Theol. tr. 2. c. 3. Ex quo sequitur, cùm clerici superfluos reditus suos ad causas pias, ex iustitiæ lege, expendere obligati sint, quòd neque Episcopus, occurrente aliqua causa siue necessitate, ex officio clericos ad hoc compellere, aut ipsis negligentibus, dispositionem facere prohibeatur.

At verò magistratus secularis (quicunq; 13
sit) nihil disponere, aut statuere potest circa ecclesias, aut personas ecclesiasticas, earúmne bona; multò minùs de Monasteriis, beneficiis, aliisque rebus ac iuribus sacris, siue spiritualibus; Ne quidem ex plenitudine potestatis: Quia talis potestas locum nõ habet, nisi erga personas, aut res, quæ Principi subiectæ sunt, vti per se patet, & tradit Felin. hîc n. 30. Atqui seculari magistratui in personas, aut res sacras, siue ecclesiasticas nulla iurisdictio competit, prout omni iure notissimum est. Ergo &c. Neque obest, quod mali

politici

politici subinde suggerunt, *Necessitas legem non habet.* Et, *quod non est licitum in lege, necessitas facit licitum*, reg. 4. de regulis iuris. Nam necessitas, aut ratio boni publici iurisdictionem fundatam, seu præexistentem extendere quidem potest; sed vbi non subest, dare non potest, sicuti bene notauit Suarez in defens. Fid. Catholicæ lib. de immunit. eccles. cap. 31. n. 8. quòd *sola necessitas non dat iurisdictionem.* Laicæ autem siue seculari potestati, eo ipso quòd secularis est, nulla iurisdictio erga personas & res ecclesiasticas competit: Ergo neque in casu necessitatis eandem acquirit. Et locum hîc habet dictum vulgatum, *non entis non est qualitas:* Vbi, inquam, non est iurisdictionis potestas, nec potestatis plenitudo reperiri potest. Quæ doctrina ex hoc etiam c. colligitur; Quia, vt suprà monui, Pontifex noluit hîc disputare, num propter necessitatem inopiæ decerni possit, vt feuda liberè alienare liceat; Satis erat respondere, id de feudis ecclesiasticis, seu ad ecclesiam pertinentibus nequaquam statui posse absque ecclesiasticarum personarum assensu. Nam, vt Glossa ibi in not. ait, *constitutio facta in rebus ecclesiæ per laicos non valet.* Vide quæ dicentur c. ecclesia 10. hoc tit.

Restant duo dubia: Primum; Si Princeps, ob publicam causam, siue necessitatem, res priuatorum abstulit, num ad compensa-
14 tionem damni obligatus sit? Communiter affirmatur, vt videre licet apud Iasonem in l. Barbarius n. 36. ff. de Offic. Prætoris, Felin. hîc n. 28. Matth. de Afflictis cit. decis. 361. n. 29. si Princeps ex causa auferat rem priuato, quòd cessante causa eam restituere debet. Hac ratione aiunt Doctores post Innoc. c. in nostra, de iniuriis, Ant. de Butrio in c. quanto n. 2. de iureiur, Felin. hîc n. 53. Quòd Princeps cum hostibus pacisci, seu pacem componere non debeat, nisi saluo iure subditorum, id est, vt damna ipsis iniustè illata resarciantur. Id tamen limitari debet; Si aliter pax Reipubl. vtilis ac necessaria obtineri nequeat, nisi illatorum damnorum remissio fiat, quæ neque Princeps ipse aliter restituere possit. hoc in casu, ob commune bonum, nocumenta perferri debent à subditis.

Deinde si Princeps rei damnati ob crimen perduellionis v. g. bona confiscarit, & aliqua eorum aliis applicârit seu donarit; postea autem damnatum, vnà cum bonis suis, restituat, in hac restitutione bonorum non veniunt bona à Principe donata & alienata, sicuti ex communi docet Matth. de Afflictis suprà cit. decis. 361. n. 29. Imola c. quia diligentia, n. 6. de elect. Felin. c. inter quatuor n. 4. & 5. de maior. & obed. Limitari tamen debet primò; Nisi Princeps ei, in quem res translata est, aliter compensationem facere velit. Secundò; Nisi ob publicum bonum pacis, necessarium esse videatur, rem donatam, vel aliter alienatam reuocari, ac restitui, neque aliter donatario, aut ei cui alienatio facta, restitutio fieri possit. Quam ipsam tamen limitationem restrictam leges apud Matth. de Afflictis decis. 361. n. 23. & seqq. vt locum nō habeat, si res Ecclesiæ donata, vel aliter in eam translata sit. Nam postquam bona legitimè acquisita sunt Ecclesiæ, nulla laica potestas de ijs absque Prælatorum ecclesiasticorum consensu statuere aut disponere potest.

Alterum dubium; An plenitudo potestatis extendens se ad ius subditis, iusta de causa, tollendum, sit propria supremi Principis? 15
Affirmant DD. communiter cum Gl. in c. constitutus ver. à quocunque, de relig. domibus, quòd solus Princeps rem vni auferre, & alteri dare potest. Non prohibetur tamē Princeps hanc ipsam potestatem, sicuti & alia regalia, aut reseruata, alteri concedere, vti ex recepta doctrina tradit Baldus in l. 2. n. 39. ff. de seruitut. & aqua, Felin. hîc n. 32. Gaill obs. 142. n. 3. & 4. vbi aiunt, si Imperator Comiti Palatino legitimandi, seu natalibus restituendi facultatem concedat, explicandam esse, vt ea exerceatur absque aliorum præiudicio; præterquam si in concessione amplior potestas expressa sit. Quæ autem, aut quousque specialia, seu reseruata Imperatori, Imperij Ducibus, &c. communicata sint, tum ex inuestituræ verbis, tum ex cōmuni &

probata consuetudine cognosci debet, prout declarat Felin. cit. n. 32. 33.

16 Ad extremum id solùm moneo, Legistas quosdam plenitudinem potestatis in supremo Principe nimiùm extulisse, quasi pro libitu omnia agere posset, vti videre licet apud Baldum in cit. l. 2. n. 40. *Est autem plenitudo potestatis, arbitrij plenitudo, nulli necessitati subiecta, nullisq; iuris publici legibus limitata.* Et paulò pòst; *In Principe sedes libertatis est, & potest præferre magis æquo minùs æquum; & magis bono minùs bonum; nam cùm non sit obligatus ad aliquid, potest eligere sicut placet.* Contra hanc falsissimam doctrinam, qua fons & scaturigo iustitiæ ac honestatis destruitur, librum elegantem scripsit Dom. Anton. de Petra, de iure quæsito non tollendo à Principe, videl. pro libitu, & sine iusta causa. Cap. 24. n. 32. ait, *si Princeps supremam potestatem non regulet secundùm honestatem, potestas talis non est absoluta, sed dissoluta; & plenitudo tempestatis, non potestatis dicitur.* Et Baldus citato loco rectè dixit, quòd *nulla auctoritas facere potest, vt Princeps non sit animal rationale, mortale, nec eum absoluere à lege naturæ, vel à dictamine rectæ rationis, vel legis æternæ.*

CAPITVLVM VIII.

Cùm accessissent.

Paraphrasis.

CVm Canonici quidam Ecclesiæ Tullensis significassent Papæ Innoc. III. Dignitatem Primicerij (de quo infrà hoc lib. tit. 25.) tanto tempore vacasse, vt eius collatio ad Apostolicam Sedem deuoluta sit, Pontifex ad dictæ dignitatis collationem procedere volebat. sed Capitulum Tullense opposuit, Pontificem non rectè informatum fuisse, quandoquidem ipsi statutum fecerunt, quod etiam à Sede Apostolica confirmatum fuit, vt Dignitas illa Primicerij extingueretur, eiúsque reditus Canonicis accresceret. Quare mandat Innocent. Si rem ita se habere cognoscatur, vt statutum in suo robore permaneat, nisi Canonici postea statuto suo contrauenerint, Primicerium aliquem eligendo.

Svmmarivm.

1. *Beneficiarij Ecclesiastici collatio propter negligentiam collatoris inferioris deuoluitur ad superiorem.*
2. *Eiusdem supprimendi seu extinguendi iusta causa est, vt reditus eius præbendis Canonicorum, si nimis tenues sunt, accedant; non tamen sine auctoritate Pontificis, si dignitas sit, quæ in Ecclesia de iure communi esse debeat, aut noua à Pontifice instituta vel confirmata.*
3. *Statutum, quod principaliter cedit in vtilitatem statuentium, renuntiari potest per statuentes, etiamsi foret à Papa confirmatum.*
4. *Confirmatum à Superiore confirmatione accidentali, tolli potest inferioris statuentis auctoritate.*
5. *Non item (saltem ordinariè) tolli potest statutum à Superiore confirmatum, confirmatione essentiali, ob bonum publicum.*
6. *Statutum, consuetudo, aut priuilegium cedens per se & principaliter in fauorem solius Capituli, ab eo tolli potest, ex consensu maioris partis, si fauor competat Capitulo, vt vniuersis; ex omnium autem consensu, si competat ille, vt singulis.*
7. *Statutum cedens etiam in aliorum gratiam, tolli non potest, absque consensu eorum, quorum interest.*
8. *Statutum Ecclesiæ à Papa cõfirmatum, confirmatione essentiali, sine eius consensu abrogari potest, si per eam abrogationem redeatur ad iuris communis obseruationem; & ea abrogatio sit futura Ecclesiæ vtilis, fiátque ab ijs, qui potestatem habent leges ferendi, & immutandi Ecclesiæ statum.*
9. *Priuilegium per vnum actum contrarium seu contrauentionem tolli potest, si con-*

si contra priuilegium operantes ei renuntiare possint.

10. *Vt autem per actum contrarium amittatur priuilegium, requiritur primò, vt illud sit negatiuum. Affirmatiua enim amitti non solent, nisi accedente præscriptione.*

11. *Requiritur secundò, vt actus contrarius voluntariè exerceatur contra priuilegium; quod si habet tractu successiuum & actum iterabilem, per se non vlteriùs eius renuntiatio extenditur, quàm actus, qui exercetur, ei contrarius sit. Secus contingit in priuilegio non habente tractum successiuum.*

12. *Requiritur tertiò, vt qui operantur contra priuilegium, facultatem habeant illud abolendi, etiam expresse.*

13. *Idem est de statuto.*

14. *Nisi statutum sit iuratum, cui si vno etiam actu contrauenium, videntur id agere animo tollendi illud, ne periuri videantur.*

1 NOTANDVM I. Collatio beneficij ecclesiastici, propter negligentiam collatoris inferioris, deuoluitur ad superiorem. De hoc dicetur in c. licet 3. de suppl. negl. Prælatorũ.

2 NOTANDVM II. Iusta causa supprimendi, seu extinguendi ecclesiasticum beneficium censeri potest, vt eius reditus præbendis canonicorum, si nimis tenues seu non sufficiẽtes sint, accedant. Existimat verò Gl. hic ver. confirmatum, quam sequitur Alexander de Neuo n. 13. Vt dignitas in ecclesia extinguatur, necessariam esse auctoritatem Papæ. Idque verum est, si secundùm ius commune canonicum talis dignitas in ecclesia esse debeat, vti colligitur ex hoc c. Ratio dari debet, quia inferiores Papâ statuere non possunt contra ius commune ecclesiasticum, vti docent DD. in c. 1. & Imola in c. Quæ in ecclesiarũ n. 24. hoc tit. Idémque sentiendum, si noua dignitas siue à Pontifice instituta, siue pro bono alicuius ecclesiæ confirmata, & stabilita fuisset, sine eiusdem auctoritate tolli eam deinde non posse. At verò extra hos casus, dignitatem ex iusta causa tolli posse ab Episcopo, docent Hostiens. Ioan. Andreas, Imola in hoc c. Gl. in Clem. 2. ver. vacabat, de rebus eccles. non alienandis.

NOTANDVM III. Statutum, etiam à Papa confirmatum, si principaliter cedat in statuentium, v. g. Capituli ipsius vtilitatem, statuentes per renunciationem tollere possunt. Hæc est principaliter intenta decisio huius c. Pro cuius intellectu, formo QVÆSTIONEM; Num statutum, postquam Superioris auctoritate confirmatum est, sine eiusdem consensu & auctoritate tolli queat? Inprimis distinguendum cum Bartolo in l. omnes populi n. 33. ff. de iustit. & iure, Baldo in l. ex placito n. 7. & seqq C. de rerum permutatione, quòd alia sit cõfirmatio essentialis ac necessaria dans formam & substantiam statuto, si ita inferiores tale quid statuẽdi per se ipsos potestatem non habent; alia verò confirmatio accidentalis, quę non dat formam & substantiam statuto, si inferiores confirmationem petentes per se ipsos statuere potuerunt; sed dat maius robur, & auctoritatem, vt oppugnari facilè non possit. Tum verò locũ habet, quod communiter docent DD. super tit. vlt. lib. 2. decretal. *Confirmans nihil noui dat*; quia *quod non est, non confirmatur*; Præterquam si Princeps ex certa scientia, aut ex plenitudine potestatis confirmet, vt appareat maius robur statuto adjicere velle, quàm primordialis eius natura habeat, vti notauit Syl. ver. absolutio 2. n. 5. Eman. Rodriq. tom. 2. regul. qq. q. 68. a. 5. Gaill lib. 2. obs. 1. n. 16. 17. Vel si clausulam irritantem expresse adjiciat, videlicet vt irritum sit, si contrà aliquid actum fuerit, iuxta c. dilecto 25. iun. Gl. ver. huiusmodi clausula, de præb.

3

Respondeo iam & Dico I. Statutum, quod à Superiore confirmatum est confirmatione accidẽtali, tolli potest eâdem inferiorum auctoritate, qua est introductum. Ita cum Bartolo, Baldo locis suprà cit. & aliis communiter, Suarez lib. 6. de legibus cap. 26. num. 22. Ratio est aperta: Quia huiusmodi Superioris confirmatio non mutat naturam statuti; siue, vt breuiter dicam, non efficitur lex Papalis, eò quòd à Papa confirmationem acceperit; sed manet municipalis, Episcopalis, aut Capitularis, si

4

à municipio, Episcopo, aut Capitulo condi potuerat, consequenter & tolli potest. Quia eiusdem potestatis est ligare, & soluere.

5 Dico II. Statutum, quod à Superiore confirmationem essentialem ac necessariam accepit, ordinariè tolli non potest ab inferioribus. Ratio est: Quia eiusmodi statutum, quod v.g. à Papa confirmatum est, Papalem auctoritatem habet, iuxta l. 1. C. de iure veteri enucleando, *Omnia nostra facimus*, ait Imperator Iustinianus, *quibus auctoritatem nostram impartimur.* Inferior autem tollere non potest legem superioris, c. inferior 4. d. 21. Quare regulam tradit Bartolus cit. loco, Quę statuta sine Superioris auctoritate condi non possunt, ea sine eiusdem auctoritate abrogari non possunt: nam *eadem solemnitas requiritur ad destituendum, quæ ad construendum*, vti sumitur ex Authent. E contra, C. de repudiis.

Cæterùm hæc doctrina intelligi debet de statuto à Superiore confirmato, propter bonum publicum, ita vt fiat lex iuris publici pertinens ad bonum statum v. g. Ecclesiæ: Secùs autem, si statutum ita confirmatum, directè ac principaliter tendat in commodum ipsorum statuentium, & confirmationem à Superiore petentium. Tale enim statutum, cùm se habeat per modum priuilegij seu legis specialis, tollere statuentes possunt etiam sine confirmantis auctoritate, prout hîc annotauit Abb. nu. 2. Felinus num. 3. Suarez cit. cap. 26. nu. 6. Eman. Rodriq. qq. regul. tom. 1. quæst. 10. art. 4. Azor tom. 1. moral. Instit. lib. 5. cap. 25. quæst. 15. & colligitur ex hoc ipso c. vti dixi in not. 3. & ex c. pro illorum nu. 22. de præb. & tradit Innoc. in c. accedentibus, de priuileg. & docui in Theol. morali lib. 1. tract. 4. cap. 23. num. 20. quòd Capitulum, vel Conuentus non possit tollere, vel renunciare iuri ecclesiæ vtili & honorifico, acquisito per statutum, con-
6 suetudinem aut priuilegium: Secùs tamen sentiendum esse, si ius aut facultas aliqua specialiter competat ipsi Capitulo, tum ei renunciare poterit. Est enim generalis regula, quòd quilibet fauori suo renunciare potest, l. si quis in conscribendo 29. C. de pactis. Si itaque fauor est ipsius solius Capituli, aut Conuentûs, Conuentus aut Capitulum renunciare non prohibetur ex consensu partis maioris, si fauor aut ius competat Capitulo vt vniuersis; ex omnium autem consensu, si competat vt singulis, iuxta receptam distinctionem Doctorum in c. cùm omnes, vbi Abb. num. 5. hoc tit. Felin. 15. hoc tit.

Dixi autem, si statutum, consuetudo, aut priuilegium per se ac principaliter respiciat vtilitatem ac fauorem solius Capituli seu Capitularium, quòd tollere illud possint; A- 7
liter verò dicendum, si etiam in aliorum gratiam constitutum aliquid sit, tunc tolli non potest absque consensu eorum, quorum interest, vt indicat Bartolus citato loco num. 29. & bene annotat hîc Abbas & Felinus n. 3. Exemplum affert Bartolus: Si statuto ciuitatis cautum sit, vt quicunque mercatores ad inhabitandum venerint, certo aliquo priuilegio gaudeant; Et mercatores aliqui acceptando statutum, ea de causa accesserint, non potest cum eorum præiudicio ac detrimento, abrogari à ciuitate, nisi grauis causa, seu necessitas exigat. Nam statutum, sicuti & priuilegium, quod transiuit in contractum, aut quasi contractum, reuocari ordinariè non potest cum præiudicio aliorum, & locum hîc habet reg. 21. in 6. iun. Gloss. fin. *Quod semel placuit, amplius displicere non potest.*

Aliam doctrinam tradunt Bartol. & Bal- 8
dus locis suprà cit. Abb. hîc n. 2. Felin. n. 3. & sequitur Suarez cit. cap. 26. n. 18. Quòd statutum Ecclesiæ à Papa confirmatum confirmatione essentiali & necessaria, sine eiusdem consensu abrogari possit, si per eam abrogationem redeatur ad iuris communis obseruationem. Est enim fauorabilis reditus ad ius commune, vti hîc ostendit Felinus, & Didacus Couarruuias libr. 3. variar. resolut. cap. 6. num. 3. Quòd quæ alioquin fieri non possunt, frequenter permittuntur, si per eum actum ad ius commune reditur: Requiritur tamen, vt qui ecclesiæ aliquod statutum, contrarium statuendo tollunt, potestatem habeant, leges ferendi,

atque

atque immutandi ecclesiæ eius statum, vti suprà annotaui in c. cùm omnes hoc tit. Deinde necessariũ est, vt reuocatio statuti specialis per Papam confirmati confirmatione necessariâ, vtilis ecclesiæ esse videatur: Sin autem vtilius & commodius videatur esse ecclesiæ, vt remaneat in antiqua, à Pontifice, concessa obseruatione, Episcopus, aut in Religionibus Capitulum generale absque eiusdem Pontificis consensu tollere non potest: Quia Prælatus & Capitulum potestatẽ non habent, vt iura ecclesię vtilia tollant, aut eius statum deteriorem reddant, vti sumitur ex l. ius publicum, 38. ff. de pactis, & tradũt DD. cum Innoc. in c. accedẽtibus 15. de priuileg. Petr. Rauennas in tract. de consuetud. n. 60. Abbas hîc; vbi bene animaduertit, ideo potuisse Canonicos in casu huius c. statutum à Papa confirmatum tollere, quia sublato eo statuto, atque restitutâ dignitate Primicerii, cultus diuinus & ecclesiæ decor auctus fuit.

9 Notandvm IV. Priuilegium per vnicã contrauentionem, seu vsum ipsi contrarium tolli potest, si contra priuilegium operantes ei renunciare possint. ita sumitur ex hoc c. & latè disputant DD. cum Gl. hîc vers. contrauenerunt. Vt autem hæc res plenè intelligatur, animaduertendum est, plura esse necessaria ad hanc contrauentionem, tacitámque renunciationem priuilegii.

10 I. Vt sit priuilegium negatiuum, v. g. immunitatis à præstandis decimis, tributis, &c. At verò affirmatiua priuilegia, seu facultates agendi, per non vsum amitti non solent, nisi præscriptio accesserit. Quâ de re Hieron. Schurpf cent. 1. consil. 14. n. 2. & dixi de hoc in suprà cit. cap. 23. n. 21.

11 II. Requisitum, vt actus aliquis voluntariè exerceatur contra priuilegium. Ideo enim dici solet hæc renunciatio tacita, quia per factum contrarium voluntariè fit. Ideo si nesciat quispiam se contra priuilegium operari; vel si protestetur expressè, nolle se priuilegio præiudicare, cessat renũciatio, l. 1. C. de his qui munera publica sponte obeunt lib. 10. vbi Bartol. & Abb. hîc n. 7. Felin. n. 30. limit. 5.

Idcircò considerandum quoque est, quousque actus, qui exercetur, priuilegio contrarius sit: non enim vlteriùs renunciatio eius (quippe quæ stricti iuris esse censetur l. emptor 48. §. Lucius ff. de pactis) extendi debet. Cùm itaque priuilegia aliqua sint habentia tractum successiuum, & actum iterabilem, v. g. immunitas à tributis, à decimis, à iudicis tribunali; ideo si quis vnum, alterum, aut plures actus contrà exerceat, v. g. decimas soluat, non potest ex hoc solùm, & nisi aliæ circumstantiæ & coniecturæ adsint, renunciatio priuilegii absolutè colligi; sed tantùm quoad eum actum, vel actus qui exerciti sunt, sicuti hîc benè docet Hen. Boich. n. 9. & seqq. fusè Suarez lib. 8. de legib. cap. 35. & sumitur ex l. 2. ff. de priuil. veteranorũ & l. voluntariæ 12. C. de excusat. tutorum, vbi Salic. ait, quòd *per vnum actum contrarium non perdit quis priuilegium in aliis, si habeat effectum iterabilem & successiuum*, & in l. 1. & 2. C. de his qui munera spõte suscipiunt, lib. 10. quibus in locis habetur; Si aliquis à muneribus publicis suscipiẽdis immunitatem habens, aliquod eorum sponte suscipiat, non præiudicare sibi, quò minùs alio tempore vel idipsum, vel aliud munus vi priuilegii recusare queat. Excipitur verò in cit. l. 1. & 2. si miles veteranus, cui vacuitas concessa sit, decurionis munus absq; protestatione suscipiat, quòd redire ad excusationem, & immunitatem, cui renunciâsse cẽsetur, permittẽdus non sit: Propterea quòd decurionatus veluti aditus quidam sit ad alia munera & dignitates, ad quæ decuriones assumi possint; ita vt decurionis mun9 spõte suscipiens habilem se ostendat ad quodcunq; munus, sicuti hîc declarat Boich. n. 11.

Quare, vt suprà dixi, etiam aliæ similes coniecturæ concurrere possunt, vt per vnũ factum contrarium priuilegio, quamuis tractum successiuum, actúmq; iterabilem habenti, quispiam renunciare videatur priuilegio v. g. exemptionis, si quis ordinario Iudici absque vlla protestatione ita se sistat, vt ex agendi modo & circumstantiis appareat, quòd se subiectum profiteatur.

Deinde licèt vnus actus, vel etiam plures plerumque non sufficiant ad eiusmodi a-

mittenda priuilegia viâ renunciationis; si tamen exerceantur sine vlla protestatione, v. g. sistendo se iudici, tributa, decimas &c. soluendo, constituunt quandoque alterum in possessione, ita vt per tempus legitimum præscriptionem perficere, adeóque viâ præscriptionis priuilegium amitti possit, vti constat ex c. si de terra 6. c. accedentibus 15. de priuil.

Sin autem concessum alicui priuilegium non habeat tractum successiuum, aut effectū iterabilem; sed vnico actu perficiatur, & impleatur: Tunc consequenter etiam vnico actu contrario, voluntariè exercito, aboletur. Et iste est casus huius c. Concessū enim erat Capitulo Tullensi, vt Primiceriatûs dignitatem extingueret; quæ concessio siue indultum vnico actu extinctionis cōplebatur: quòd si postea spōte Primicerium elegissent Capitulares, adeóque dignitatem istam, quæ suâpte naturâ perpetua est, resuscitassēt, profectò priuilegio seu indulto Pontificis vno facto contrario penitus renunciassent.

12 III. Requisitum est, vt qui operantur cōtra priuilegium, facultatem habeant illud abolendi etiam expressè, sicuti ex communi Fel. hîc n. 28. Qui enim priuilegium per expressam renunciationem tollere non potest, is neque per tacitam: siquidem expressi & taciti eadem vis est: Imò plus efficacius aliquid est, expressè renunciare, quàm tacitè, verbis quàm facto. Quāobrem distinguere oportet, num personæ particulari priuilegium datum sit, an verò Communitati, loco, aut dignitati. In primo casu, nulla est difficultas; *cùm sit regula iuris antiqui.* dicitur in l. si quis in conscribendo 29. C. de pactis, *omnes licentiam habere iis, quæ pro se introducta sunt, renunciare.* Sin Communitati cōpetit tota Communitas communi consensu renunciare non prohibetur; cùm & hîc regula locum habeat, quòd fauori suo ij, quibus competit, renunciare possunt. argum. & c. pro illorum 22. de præbend. At verò si nō tota communitas cōsentiat, sed qui administrationem aliquam gerunt, v. g. Episcopus cum Capitulo Cathedrali, Generalis Ordinis cum Congregatione generali, non possunt priuilegio, quod est vtile ac honorificū Ecclesiæ, renunciare expressè, cōsequenter nec tacitè: nisi præscriptio accesserit, vti suprà dictum, & tradidit Henr. Boich. super hoc c. n. 13. Idémque pari ratione dicendū, si priuilegium reale, sit dignitati, aut loco, v. g. ciuitatis, aut ecclesiæ concessum: cùm enim locus, cui ius aut priuilegium concessū commune sit, similiter & dignitas ad Ecclesiæ decorem pertineat, non potest per quorundam renunciationem tolli; Præterquam si appareat priuilegium vtile non esse; aut fortassè noxium: Imò hoc in casu per se cessat, ita vt obseruari nō debeat, ob iuris regul. 61. in 6 *Quod ob gratiam alicuius conceditur, non est in eius dispendium retorquendum.*

Porrò, quod attinet ad statutum, similiter dicēdū, si qui illud expressè tollere nō pos- 13
sunt; quod neq; tacitè, siue per voluntariā renunciationē. Sin autē expressè tollere possunt, quia v. g. sunt auctores statuti, seu dātes illi formam ac substantiam, tunc ei contrauenire poterunt. Cæterùm, si statutum habeat diuisibilitatem circa obiecta vel actus suos; siue quòd plures ac diuersi specie sint, siue solo numero iterabiles; tunc videndum, quousque se contrauentio extendat: Cùm enim habeat rationem cōtrarietatis seu priuationis, non plus tolli potest, quàm oppositio exigat. Exempli causa, si in Ecclesia statutum editum sit, vt nemini ex hæresi conuerso, aut ex Iudęorum prosapia orto, canonicatus conferatur; at verò non obstante statuto, ex hæresi conuersi absque protestatione recipiantur in Capitulum; non item ex Iudæo genere nati, fieri potest, vt statuto renuncietur quoad priorem eius partem, non autem quoad posteriorem, sicuti hîc annotauit Boich. n. 10. Sed neque recipiendo vnum aut alterum ab hæresi conuersum, absolutè ac penitus renunciabitur statuto, sed tātùm quoad eos actus & personas receptas. Simile est, si Religiosi alicuius Monasterii statuant, quòd nolint in Conuentū suum recipere duos fratres, aut tres ex eadē familia procreatos; ac postea recipiant tres eiusdem familiæ, non item duos fratres.

Limitari autem debet, quod docui, per vnicum aut etiam plures actus contrarios, (nisi aliæ adsint coniecturæ) statutum non

tolli absolutè; Limitari debet, inquam, nisi illud iuratum sit; si vid. Capitulares, aut Cõuentuales iurarint obseruaturos se statutum, seu non recepturos eiusmodi personas; quia Conuentui aut Congregationi noxium esse videatur; ac postea contraueniant etiam vno actu, censentur recedere à statuto, quoad illam statuti partem, v. g. vt ex hæresi nati, vel tres ex eadem familia non recipiantur. Nõ enim præsumendum est periurium; fierent autem periuri, si statutum iuramento confirmatum violarent; præterquam si illud abolere ac tollere vellent. Quare hoc ipsum tanquam benignius, præsumi debet, secundùm doctrinam Felini hîc n. 11. & 12. quam testatur esse communem super c. dilecto 25. de præb. quod statuentes propriâ auctoritate tollere possunt statutum iuratum: Consequenter si ei facto etiam vnico contraueniant, videntur id agere animo tollendi statutum, ne alioquin periuri fiãt. Vide quæ dicentur in cit. c. dilecto, & c. seq.

CAPITVLVM IX.

Cùm M. Ferrarienſis.

PARAPHRASIS.

Lis iudiciaria agitata fuerat coram Episcopo Ferrarienſi inter Martinum & alios quatuor Ferrarienſis Ecclesiæ Canonicos ex vnâ parte; & inter Capitulum Ferrarienſe ex alterâ parte: quæ iam priùs coram Episcopo Ferrarienſi agitata, deinde ad Papam Innoc. III. delata fuit. Martinus Canonicus suo & sociorum nomine proposuit, quòd Capituli Ferrarienſis Canonici, vt præbendas suas augerent contra antiquam Ecclesiæ suæ consuetudinem, eos ad numerum minorem, videlicet 14. redegerunt, parte quadam prouentuum communi mensæ Capitulari deputatâ, reliquos inter se diuiserunt, ita vt ob minorem numerum Capitularium singuli plus reciperent. Nihilominus postea contra propriam constitutionem veniẽtes quinque Canonicos instituerunt, nullis designatis præbendis, tametsi reditus Ecclesiæ seu mensæ Capitularis non parum aucti fuerint.

Ex aduersâ autem parte Procurator Ferrarienſis Capituli respondit, quòd statutum Capituli de numero præbendarum 14. à Sede Apostolica confirmatũ fuerit. Cùm enim in ecclesiâ vna præbenda vacaret, Capitulum ad quorũdam instantiam duos ad eã instituisse, ita (arbitror) vt reditus inter se diuiderent, posteà verò ad preces Episcopi dictum Martinum & quendam alium à Capitulo receptum fuisse, eâ conditione, vt ius Canoniæ haberent, sed ex ea nullos reditus sperare possent, donec priores duo præbendas integras assecuti essent. Fuisse quidem industriâ quorundam Canonicorum Ecclesiæ prouentus auctos, sed illud augmentum mensæ communi Capitulari, quod minùs sufficiens esset, deputatos fuisse.

His ex vtrâque parte relatis, mandat Innocent. III. Episcopo Clagienſi, vt examine hac super re instituto, præbendis 14. in sua integritate relictis, quatuor canonicas ex reditibus excrescentibus præbendas constitui curet, non obstante confirmatione statuti de 14. præbendarum numero: cùm in eâ secundùm stylum Curiæ Romanæ expressa, vel saltem tacitè intellecta fuerit limitationis hæc clausula: nisi postea Ecclesiæ reditus ita augeantur, vt conuenienter plures Canonici instituí possint. Accedit etiam, quòd ipsi Canonici à statuto suo sponte recesserint, supra numerum statutum quatuor recipiendo. Facit autem Pontifex mentionem quatuor tantùm, nam qui primus ad vacantem Canonicatum institutus erat, is præbendam integram, & non vt Capitulum volebat, dimidiatam percipere debeat. Denique ait Pontifex, omnia rescindi, declararique oportere irrita, quæ post litem motam & contestatam coram Episcopo Ferrarienſi circa præbendas, & earum possessionem innouata fuerant.

SVMMARIVM.

1. *Iusta causa minuendi numerum Canonicorum est tenuitas reddituum, vti augendi eorundem notabile augmentum.*

2 *Beneficia, quæ ab alio, quàm Episcopo vel Capitulo, fundata sunt, sine patroni consensu supprimi aut diminui non possunt, nisi cogente necessitate: & tum patronus requisitus consentire nolit.*

3. *Nec beneficia supprimi, vel diminui possunt in perpetuum ab Episcopo cum cõsensu Capituli, quæ in vtriusq; commodum cedunt, sed opus est consensu Papæ.*

4. *Numerus præbendarum etiam iuramento confirmatus mutari potest, re notabiliter mutatâ.*

5. *Aliud est ius Canoniæ spirituale, & aliud ius præbendæ. sine hac non decet diu viuere Canonicum, qui officio saltem Horarum Canonicarum sit adstrictus, quam etiam, implorato iudicis officio, petere potest.*

6. *An expectantibus præbendam debeantur distributiones quotidianæ; &, si in Sacris constituti sint, vocem habeant in Capitulo, ex cuiusque Ecclesiæ consuetudine cognoscendum.*

7 *Statutum etiam à Papa confirmatum de certo præbendarum numero intelligendum est* cum clausula, nisi in tãtum excrescerent Ecclesiæ facultates, vt pluribus possint sufficere competenter.

8. *Numero Canonicorum aucto ob augmẽtum reditũ, in eorum perceptione nouos Canonicos antiquis æquales esse decet.*

9 *Valet protestatio, vt Canonicus supernumerarius reditibus careat, dum præbenda vacet.*

10 *Protestatio est voluntatis declaratio de iure suo retinendo; aut iuri alterius cõtradicendo.*

11. *Protestatio non habentis ius nihil proficit.*

12. *Ea semel facta ad conseruationem iuris, repeti non debet.*

13. *Ad omnem protestationem requiritur, vt sit contraria (intrinsecè vel extrinsecè) actui quem protestans voluntariè exercet.*

14. *Si protestatio intrinsecè repugnet actui, irritus est actus, v. g. Contractus Matrimonij, Professio Religionis, eui adiicitur, licèt non semper, si adiicitur contractui naturam suam ex iure gentium, vel ciuili sortienti.*

15. *Si protestatio extrinsecè, & secundùm accidentariam legis constitutionem repugnet actui, pro inutili & non adiecta habetur, actúsque valet.*

NOTANDVM 1. Iusta causa supprimendi ecclesiastica beneficia, siue supprimendi numerum canonicorum est tenuitas redituum. Nam tot Canonici, & Ecclesiæ ministri institui debent, quot ex reditibus se decenter sustentare possunt, vti habetur in c. de Institut. & c. vlt. iun. Gl. ver. iuxta facultates, de ver. signif. Quare cùm talis præbendarum diminutio sacris canonibus consentanea sit, eam Episcopus cum Capituli consensu facere non prohibetur, vti docet Gl. c. ex parte, ver. diminuti, hoc tit. Innoc. in c. præced. n. 2. ibid. Ioan. Andr. n. 2. Imola n. 4. Abb. n. 4. & in hoc c. n. 2. & constat ex Trid. Concil. Sess. 24. cap. 15. de roform. Multò verò magis augeri potest, imò verò debet numerus præbendarum, si reditus notabiliter aucti sint, ita vt pluribus Canonicis decẽter sustentandis sufficiant. Vide etiam, quæ dicentur in c. maioribus 8. de præbendis.

Excipitur primò; Si præbendæ non ab 2
Episcopo, vel Capitulo, sed ab alio fundationem acceperunt, supprimi aut diminui non possunt sine patroni consensu. vti colligitur ex c. Monasterium 33. causa 16. q. 7. & inter alios annotauit Ioan. Andr. in c. præced. n. 19. Abb. ibid. n. 5. Qui tamen rectè limitat; Nisi necessitas postulet mutationem aliquam instituere in beneficijs, & patronus requisitus consentire nolit, etiam eo inuito diminutio beneficii fieri poterit: nam *patronus non potest impedire magnum bonum ecclesiæ.*

Excipitur secundò; Si diminutio, aut suppressio beneficii cedat in cõmodum Episcopi & Capituli simul, quia bona communia habent, tunc ea fieri non potest ab Episcopo cum consensu Capituli: quia is in proprio facto auctoritatem præstaret, quod fieri nequit, iuxta Clem. 2. de rebus ecclesiæ

non

non alienandis, vbi idipsum dicitur de vnione beneficii, & sumitur ex l. pupillus 5. ff. de auctor. tutorũ, vbi statuitur, non valere contractum, quem pupillus cum tutore suo instituit, ne is in causa propria auctoritatẽ præstet; valiturum verò, si alter tutor, cui administratio bonorum pupilli credita est, auctoritatem interponat. Quare in suprà dicto casu ad superiorem recurrendum est, videl. ad Archiepiscopũ vel Papã, vti Hostiens. docet in c. præc. ibidem. Abb. n. 5. Ioan. Andr. n. 19. sed Gl. in cit. Clem. 2. ver. mensæ suæ, rectiùs sentire videtur, Archiepiscopũ non posse auctoritatem interponere; cùm ille casus non sit inter eos, qui Archiepiscopo erga Suffraganei sui diœcesin competunt, qua de re infrà hoc libr. tit. de offic. ordinarij.

Addit Gl. ibid. Neque posse per Episcopi auctoritatem effici, vt beneficium vniatur, aut reditus eius applicentur mensæ Capitulari; quia ad talem mutationem requiritur consensus Capituli, quem in propria causa præstare non potest. Intelligi autem hæc debent, si mutatio aut applicatio fiat in perpetuum; at verò ad tempus, propter necessitatem, v. g. vt debita Episcopatus, vel mensæ Capitularis soluantur, fructus beneficij vacantis eò applicari posse, annotat Gl. fin. in c. vnic. vt eccleſiastica beneficia sine diminutione conferantur, Felin. pluribus citatis in c. præc. n. 23. Sin autem bona Capituli & Episcopi diuisa sint, sicuti plerumque esse solent, tunc Episcopus non prohibetur ex causa iusta beneficium extinguere, aut præbendas minuere in commodum Capituli, aut fabricæ; etsi fortè indirectè & per accidens (non autem directè ac per se) ipse quoque Episcopus inde commodum ferat. Poterit quoque alicuius beneficij suppressio, aut diminutio ex iusta causa fieri, vt vni Capitularium præbendæ, v. g Decanatui reditus applicentur; quia Capitulum tunc non dabit consensum in propria causa, quandoquidem causa decani, aut singulorum canonicorum distincta est à causa Capituli, prout annotauit Felin. in c. præc. n. 22.

4 Excipitur tertiò ab Abb. in c. præced. n. 4, Si numerus præbendarum iuramẽto confirmatus sit, non posse mutari propter periurij periculum. Sed non placet hæc exceptio; quia iuramentum de retinendo certo numero præbendarum, aut canonicorum, interpretandum est, si res in eodem statu permaneat; non autem vt etiam in eum casum se extendat, si res notabiliter mutata fuerit, ita vt secundùm æquitatis rationem, & sacrorum canonum præscriptum, mutatio facienda sit, secundùm eundem Abb. in c. dilecto n. 18. de præbend. & consentiunt, quæ dixi in Theol. moral. lib. 4. tr. 3. c. 9. n. 2. & mox dicentur in not. 4. Qua ipsa ratione rectè dixit idem Abb. tametsi numerus præbendarum auctoritate Papali definitus sit; quia confirmatio, quamuis simplex, facta cum clausula irritante, si quid contrà factum fuerit; posse tamen numerum præbendarum augeri, auctis reditibus, vti constat ex hoc c. Atque vice versa, diminutis notabiliter reditibus, numerum diminui; dummodo redituum accremẽtum, vel decrementum stabile futurum esse existimetur. Videri etiam potest Nicol. Garcias p. 12. de benefic. cap. 1.

Notandvm II. Ibi *mensæ communiter deputarunt*, Capitulum vltra præbendas singulorum canonicorum habere insuper potest mensam communem, ex qua distributiones quotidianæ promantur, eleëmosynæ in pauperes fiant, Officialium stipendia soluantur &c. Interdum verò canonicorum præbendæ diuisę non sunt, sed reditus omnes Capitularibus in communi seruantur ab Oeconomo, atque inde certis temporibus, v. g. in fine cuiusque anni distribuuntur. Idémque fit, si prębendæ separatos quidem reditus habeant; sed non sufficiẽtes. Videri potest Abb. hîc n. 3. Ioan. Azor. tom. 2. Instit. moral. lib. 3. cap. 11. q. 10.

Notandvm III. Cum Gl. hîc ver. *In canonicos receperunt*, Aliud est ius canoniæ spiritualis, & aliud ius præbendæ, seu fructuum temporalium percipiendorum. Potest 5 enim aliquis esse canonicus, & nullos adhuc reditus seu fructus beneficij percipere; quare neque propriè beneficium habere censendus est. Sic etiam religiosus in monasterio, maximè si sit ex ordine Mendicantium, ait

Abb.in c.dilectus 19. num.7.de præbend. ius spirituale obtinet, sine præbenda. Sed & vice versa fieri solet,vt aliquis,non tantùm clericus,sed etiam laicus, v.g. cantor, aut ædituus templi, præbendam ex reditibus ecclesiasticis habeat, nullam autem canoniam siue ius spiritualis officij, sicuti legi potest apud Imolam in c.maioribus col.2. de præbend.

Veruntamen non decet, vt receptus in canonicum, & officio saltem horarum canonicarum astrictus, diu sine præbenda sit; quare si occasio se obtulerit, quòd eam iudicis implorato officio petere possit, constat ex c. relatum 9.iun.Glossa.& c.filius 19.de prębend.

6 Num verò dum expectantes præbendã sunt, distributiones quotidianas percipere debeant (quod sanè affirmatur in cit. c. dilectus) atq; si in sacris constituti sint,vocem in Capitulo habeant, ex cõsuetudine cuiusq; ecclesiæ cognoscendum esse, monet Imola hîc, & Azor in cit.c.11. q.13. post Gl. hîc ver. vltra numerum.

7 Notandvm IV. Statutum etiam à Papa confirmatum,de certo præbendarum numero,explicari debet cum clausula, *Nisi in tantùm excresceret ecclesiæ facultates, vt pluribus possint sufficere competenter:* Ita hîc in c. Et nota,quod dicitur *in tãtùm*, Nam ob modicum redituum augmentum,numerus prębendarum augeri non debet,secundùm Gl.in c.1.de Instit.& Abb.ibi n.5.sed reditus excrescentes ad communem vsum Canonicorum, vel aliter, prout meliùs videbitur, applicari possunt,vt in fine huius c.significatur,& in c. vlt.de verb,signif.Porrò clausula illa, *Nisi reditus excrescant*, etsi expressa non sit, tacitè intelligi debet;cùm sit secundùm stylum Curiæ,& sacrorum canonum requisitum. Quare Doctores hîc apud Felin.n.6. Nicol.Euerardum in loco argumẽtorum 104.n.4. & 5. generalem regulam tradunt; quòd clausula apponi solita secundùm loci consuetudinem, aut instrumenti vel contractus naturã, si non exprimatur, subintellecta censetur. Vide quę dicentur in c.significatum 11.de præbend.

8 Notandvm V. Si numerus Canonicorũ ob redituum incrementum augendus sit, qui nouiter creantur canonici, in perceptione redituum æquales esse decet antiquis. Ita sumitur ex textu c.prope finẽ, *Si ex eis pares, &c.* & argum.c.cùm omnes,suprà, eod.tit.

Notandvm vlt. Interdum Capitulum vltra numerum Canonicorum definitum, per gratiam extraordinariam vnũ vel plures recipit,vt sint supernumerarij. Tunc valet protestatio,vt interea reditus nullos percipiant, donec præbenda vacauerit;quando ad huiusmodi receptionẽ Capitulum non obligatur. Imò hoc ipso quòd aliquis per gratiã extraordinariam, vt supernumerarius, etiam ex mandato Pontificis, recipitur, tali modo recipi censetur, vt ius in beneficio seu canonicatu plenum non habeat, vti notauit Felin. hîc n.23.Gl.hîc ver.vltra numerum. 9

Veruntamen in casu huius c. Capitulares nihil iuuit protestatio; quia ipsi, propter redituum incremẽtum, debebant nouos canonicos instituere; ideóq; institutio ea nõ proueniebat ex libera voluntate,sed ex officij necessitate ac debito.Quare ex textu huius c.alia regula celebris elicitur, quòd protestatio non iuuat, si fit contraria facto, etiã consecutiuè secundùm iuris dispositionẽ.Ita Abb.hîc n.16.Felin.n.77.Anton. de Butrio n.36. eleganter Guido Papa decis. Grationop. 172.

Pro intellectu aduerte;Protestationem,vti hoc loco accipitur, aliud non esse, nisi mentis seu voluntatis declarationem de iure suo retinendo,aut iuri alterius contradicendo: Hæ enim, quas indicaui,sunt species præcipuæ protestationis, quæ proinde requirunt, vt alicui legitima facultas ita protestandi competat. Quare communiter dici solet, quòd protestatio non habentis ius nihil proficit, l. si maior 13. C. de rescind. vendit. & tradit Baldus & alij in l.Papinianus 24. ff. de Publ. in rem actione;siue, vt Guido Papa ait decis. 172. Protestatio non iuuat, si facta non sit de eo,quod est in potestate protestantis: Item,si quis de iure teneatur consentire, aut approbare actum,frustranea & inutilis est, quę cõtrà fit protestatio,l. Nesennius 34.iuncta Gl. ver.conueniret, ff.de negot. gestis. Sic v. g. hæretici protestari non possunt aduersus orthodoxos, siue Catholicos, ne ipsi ecclesias aut bona ecclesiastica retineant, aut amissa 10 11

seu

seu erepta recuperent: quandoquidem hæreticis nullum in illis ius competit; consequenter Catholicos in possessione eorum retinenda, aut recuperanda impedire haud possunt.

12 Deinde dici solet, quòd legitimè interposita protestatio conseruatiua sit iuris in futurum, apud Guidon. cit. decis. 172. num. 2. Cùm autem semel ad iuris conseruationem facta est protestatio, eam repetere necesse non est, argum. l. moræ 32. iun. Gloss. ver. repetendi, ff. de vsuris, & tradit Bartol. communiter receptus in l. de pupillo 5. §. Si quis Prætori, ff. de noui operis nunc. Etenim vim suam & effectum semper retinet eiusce-modi protestatio, quamdiu voluntariè non exercetur actus contrarius siue retractatorius ipsius. Id verò in dubio non præsumitur; sed ita actus intelligendus, vt protestationem antecedentem non tollat, prout docet Baldus in l. nouissima Cod. de pactis, Mart. Nauarr. lib. 3. cons. 34. num. 3. de Regul. Ratio dari debet, quia mutatio voluntatis, atque iuris conseruati voluntaria renunciatio præsumi facilè non debet, l. cùm de indebito 25. ff. de probat.

13 Porrò ad omnem protestationem requiritur, vt non sit contraria actui, quem protestans voluntariè exercet. Est autem duplex hæc contrarietas; videlicet secundùm rei naturam, & secundùm iuris constitutionem, nam quod iure non possumus, id absolutè efficere non posse censeri debemus. Discrimen tamen est inter protestationem seu clausulam adiectam, si ea sit actui intrinsecè, siue secundùm naturam & substantiam eius repugnans; & inter protestationem seu clausulam si sit extrinsecè, videlicet secundùm legis dispositionem, contraria: Nam in priore casu corruit actus, v. g. contractus aut dispositio, cui adiicitur; eò quòd non videatur aliquis voluntariè agere, si actui clausulam aduersus eius substantiam apponat, vti constat ex cap. vltim. de condit. appositis, vbi dicitur; tametsi magnus sit matrimonij fauor, irritum tamen esse, si huius generis clausula aut protestatio adiiciatur, v. g. *accipio te in vxorem, donec ditiorem inuenero.* Et simili ratione, si quis Religionem profiteatur, cum protestatione intrinsecè repugnante professionis actui, vt liceat retinere proprium, irrita est professio, vti rectè docet Glos. in cit. cap. vlt. ver. contra substantiam, Guido loco citato num. 2. Fr. Suarez tom. 4. de statu Relig. lib. 6. cap. 22. nu. 14. contra Gloss. in c. solet 6. causa 32. quæst. 2. ver. nolint, Ioan. Andr. in cit. cap. vlt. Felin. hîc n. 75. Imola n. 41.

Veruntamen in contractibus, ex iure gen- 14
tium aut ciuili naturam suam & substantiam accipientibus, plerumque aliter se res habet, videlicet, vt, si aliquis clausulam protestationêmue adiiciat, quæ constitutioni ac veluti substantiæ contractûs, in specie expressi repugnet, clausula, seu protestatio, aut conditio adiecta valeat, faciátque in aliam speciem contractus transire: Propterea quòd in cognoscenda specie contractus magis attendi debeat ad pacta à contrahentibus appositа, quàm ad verba, quibus eum appellarunt, vti rectè docuit Abbas in c. constitutus num. 22. de relig. domibus. Exemplum habes: Si alicui negotium mandaueris, mercede ipsi constituta, cùm mandato contraria sit merces (quippe quod suapte natura ex officio descendens gratuitum esse debet) transit conuentio in contractum locationis, l. 1. ff. mandati. Aliud exemplum in contractu censuali Germanico videre licet lib. 3. moral. Theol. tract. 4. cap. 17. num. 13. ver. Alterum. Aliud sumi potest ex casu l. cùm precario 12. ff. de precario, vbi habetur, si quis alteri rem precariò dederit, ita vt ad Kalendas Iulias reuocare non liceat; Existimat quidem Celsus eius legis auctor, precariũ subsistere & clausulam eam pro non adiecta haberi. Quod ibid. approbat Bartolus, & in l. Vbi ita donatur 27. ff. de mortis causa donationibus; quasi hæc precarij conditio vt reuocari non possit, accidentaria sit, & ideo clausula ei repugnans pro non adiecta haberi debeat, iuxta doctrinam Gloss. in cap. 2. ver. Officiali, in fine, de consuetud. in 6. Quæ doctrina licet bona sit in ordine ad contrahentis falsam persuasionem, si is omnino volens precariò rem dare, persuadeat sibi reuocandi facultatem ad contractus substantiam non

pertinere ; Attamen in dubio potiùs actus ita interpretandus esse videtur, vt ei adiuncta clausula subsistat, argum. l. 1. §. si conuenit, ff. depositi, & c. Abbate 25. de verb. signif. Adeóque res non precariò data, sed commodata esse censeatur, iuxta regulam communiter receptam, quòd conditio seu clausula apposita contra naturam contractus nominati, faciat eum transire in aliam contractus speciem. Esse autem eam conuentionem, seu clausulam, vt reuocare non liceat reuera repugnantem naturæ precarij, docet Gl. & DD. in cit. l. cùm precario. Et confirmari potest ex l. si quis in principio, 22. ff. de legatis 3. vbi habetur, si quis dixerit, se mortis causa donare, ita vt donatio reuocari nũquam possit, censendam esse inter viuos factam donationẽ, Rationem suprà dedi, quia non tam ad verba, quàm ad mentem seu voluntatem disponentis attendi debet : Ea autem esse censetur, potiùs vt actus suus cum omnibus adiunctis, si fieri possit, subsistat, quàm vt aliquid eorum pereat.

15 Venio nunc ad alterum membrum suprà positi discriminis, videl. si protestatio actui voluntariè exercito contraria sit secundùm extrinsecam, & accidentariam legis constitutionem. Quo in casu protestatio seu clausula pro inutili & non adiecta habetur, actus autem ipse subsistit. Exemplum habemus in textu huius c. Capitulares enim quosdam in Canonicos receperunt, cum protestatione, vt præbendas non perciperent, donec, &c. Quæ protestatio institutioni canonicorum contraria est extrinsecè, propter leges ecclesiasticas, quibus præcipitur, vt institutis prębenda assignetur, si reditus adsint. Quamobrem protestatione ea reiecta, receptio atque institutio Canonicorum consistit.

Aliud exemplum legi potest in c. 2. causa 10. q. 2. Si quis ecclesiam fundârit, adiectâ clausulâ, vt administratio dotis ad Episcopum non pertineat, talis clausula pro non adiecta habetur, & fundatio subsistit. Quia secundùm iura, inquit Glossa ibi ver. non pertinere, res omnes ecclesiarum ad ordinationem Episcopi pertinent, c. nouerint 6. ead. q. Alia verò pacta, quæ canonibus non repugnant, fundator arbitratu suo adjicere potest. c. verùm, de condit. appos.

Tertium exemplum in suprà cit. l. si quis à principio ; Si aliquis testamentum condiderit, apposita protestatione, quòd id reuocare nolit, ea nihil obstante, subsistit testamẽtum, sed reuocabile. Quia propter legum constitutionem, hæc quasi necessaria proprietas vltimæ voluntatis est, vt contraria voluntate reuocari possit. Ad id tamen clausula ea protestationis proderit, vt, si testator aliud postea testamentum condiderit, nulla facta derogatione dictæ clausulæ, posterius testamentum pro irrito habendum sit ; eò quòd censeatur immemor fuisse prioris voluntatis ac protestationis, quæ si in mentem ei veniisset, testamentum prius non reuocasset.

Idémque eadem ratione, si Princeps vel Communitas statutum edat, cum protestatione, vt reuocari non debeat: Nam protestatio hęc potiùs extrinsecè contraria esse videtur statuto, quàm vt eius intrinsecam naturam euertat; quippe cùm ad statuti essentiam non pertineat reuocandi facultas, sed sit conditio seu proprietas positiuis legibus adscita. Quare non obstante dicta protestatione seu clausula, statutum valebit; atque clausula id solùm operabitur, vt, si postea contraria ab eodem legislatore aut successore constitutio fiat, nulla expressè facta derogatione prioris, posterior irrita censeri debeat, secundùm doctrinam Bartoli in l. omnes populi n. 31. ff. de iust. & iure, Abb. in c. præced. n. 3. argum. suprà cit. l. si quis in principio, vbi ex Bartolo generalis doctrina refertur: Si prior voluntas est derogatoria posterioris, prior valet ; nisi expressa fiat reuocatio voluntatis prioris. Quod & in priuilegiis locum habet, vti docui lib. 1. mor. Theol. c. 23. n. 26. & videri possunt, quæ dicam in c. 1. hoc tit. in 6.

CAPITVLVM X.

Ecclesia S. Mariæ.

Paraphrasis.

Ecclesia S. Mariæ in via lata corana secula-

ri Iu-

ri Iudice litem mouit Ioanni de Alteia, quòd possessiones quasdam ad eandem Ecclesiam pertinentes detineret. Ioannes coram Iudice proposuit, se conueniendum non esse; cùm possessiones illas per venditionem transtulerit in Ecclesiam S. Syluestri. Hoc intellecto, Senator vrbis, qui antea approbante populo Romano statutum fecerat, vt si quis rem religiosam pendente lite in alium transferret, possessio daretur petitori, vt alter, in quem translatio facta, cogeretur fieri petitor. Vi huius statuti spoliauit Ecclesiam S. Syluestri dictis possessionibus. Monasterium supplicauit Innocentio III. qui respondit, quod à Senatore factum fuerat in præiudicium Monasterij non conuenti, nec confessi, nec conuicti, irritum esse oportere, & possessiones eidem restituendas. Rationem huius responsionis præmisit Papa, quòd laicis (quamuis piis seu religiosis) super Ecclesijs & personis ecclesiasticis nulla sit attributa facultas. Quippe ad quos obsequendi Ecclesiasticis Prælatis spectat necessitas, non auctoritas imperandi. Addit verò: tametsi decretum laicorum vnâ parte fauorem aut commodum aliquod Ecclesiæ continere videatur, tamen firmitatem non habere, nisi ab Ecclesia fuerit approbatum. In cuius rei confirmationem adducitur lex Basilij, illustris Patritij & Prætorio Præfecti, de nõ alienandis prædijs, ornamentis & vasis Ecclesiarum. Quæ constitutio licèt Ecclesiæ fauorem continere videatur, tamen in Romanâ Synodo sub Symmacho Papa irrita declarata est, eâ potissimùm ratione, quia per Apostolicæ Sedis auctoritatem approbata non fuerit, vti videre licet c. 1. dist. 96.

SVMMARIVM.

1. *Magistratus secularis circa Ecclesias, & personas Ecclesiasticas nihil cum auctoritate statuere potest.*
2. *Vnde leges ciuiles præcipiendo aut vetando specificè disponentes de talibus Ecclesiis aut ecclesiasticis rebus vel personis, nullam per seipsas vim habent, etsi earum commodum & fauorem concernant.*
3. *Habent tamen illæ vim suam, si merè priuilegiatæ sint, aut à summo Pontifice approbatæ.*
4. *Leges seculares onera, & grauamina per se ac directè imponentes ad Ecclesias personas, vel res ecclesiasticas se non extendunt.*
5. *Et si specifica ecclesiarum &c. in iis legibus mentio & comprehensio fiat, quoad eam partem pro irrito haberi debet.*
6. *Iurisdictio territorialis tantùm erga personas & res subditas extenditur.*
7. *Doctrina modò tradita exemplis declaratur.*
8. *Quo sensu dicant DD. communiter: ea statuta contra libertatem ecclesiasticam censeri, quibus Clerici timidiores redduntur.*
9. *Ecclesiastici, & eorum bona ecclesiastici magistratûs dispositioni subiecta sunt; saluo tamen iure secularis magistratûs, si bona immobilia reali aliquo onere affecta sint.*
10. *Princeps secularis priuilegio, quo gaudent Clerici, moderatè vti debet.*
11. *Clerici legibus secularibus ex obiecto non onerosis secundùm vim directiuã obligantur.*
12. *Leges indifferentes, tum ad commodum tum ad onus afferendum personis singulis, non sunt censendæ ex obiecto onerosæ.*
13. *Leges communes potissimùm approbatæ sunt à SS. Canonibus; non ita statuta municipalia communibus legibus aduersantia.*
14. *Maior fauor & exemptio à legibus ciuilibus cõpetit ipsis ecclesiis & causis piis, quam Clericis in particulari.*
15. *Probabilius est, non valere testamentum in terris Imperij, sine solemnitatibus à Iure Cæsareo requisitis.*
16. *Statuta & pacta familiæ idem ius sortiun-*

tiuntur, quod leges & statuta publica sortiri suprà dictum est.

17. *Sententia Iudicis lata, parte non citata, vel non datâ copiâ defensionis, aut sine cognitione causæ, irrita est.*

1 NOTANDVM I. Magistratus secularis circa ecclesias & personas ecclesiasticas nihil cum auctoritate statuere potest. Ita hîc, & eisdem ferme verbis refertur ex Concil. Lateranensi sub Innoc. III. in cap. vlt. de rebus ecclesiæ non alienandis; *Cum laicis, quamuis religiosis* (seu piis) *disponendi de rebus ecclesiæ nulla sit attributa potestas, quos obsequendi manet necessitas, non auctoritas imperandi.* Ratio itaque est; Quia nulla iurisdictio extendere se potest extra limites suos l. vlt. ff. de iurisdictione omnium iudicum: Atqui Ecclesiæ, res, & personæ ecclesiasticæ sunt extra limites iurisdictionis ac potestatis secularis; quod apud Christianos omni iure notissimum est, vt proinde etiam Trident. Concilium dixerit Sess. 25. cap. 20. de reform. *Ecclesiæ & personarum ecclesiasticarum immunitatem Dei ordinatione, & canonicis sanctionibus constitutam esse.* Confirmatur ex suprà dictis. Statutum sumit vires à potestate statuentium c. à nobis, 1. de sentent. Excom. Cùm autem nullus Magistratus secularis, neque etiam Imperator habeat potestatem super ecclesiis & personis ecclesiasticis; sequitur, nullum laicum quidquam statuere posse super rebus ecclesiasticis. Vide quæ dixi lib. 4. Theol. moral. tract. 9. & plura dicenda erunt lib. 3. decret. tit. de immunit. eccles.

Vniuersim autem hîc disputari solet; Quænam leges secularis Principis aut Magistratus erga ecclesias, res, & personas ecclesiasticas vim aliquam habere possint, aut non possint. Qua de re dicendum est primò; Si lex secularis magistratus, præcipiendo aut vetando, specificè disponat de ecclesiis, aut ecclesiasticis rebus vel personis, nullam per se ipsam vim habet. Hæc est præcipua intentio huius c. & habetur etiam in cap. 1 d. 96. c. quæ in ecclesiarum, suprà hoc titulo. Ratio est manifesta; quia lex vim obligandi non habet sine iurisdictione: siue, vt aliter dicam, præcipere & vetare per legem, iurisdictionis actus est: Cùm itaque secularibus nulla erga ecclesias, res, item & personas ecclesiasticas sit attributa potestas iurisdictionis; sequitur, huiusmodi eorum leges irritas esse.

Ampliatur autem assertio, vt locum etiam habeat, tametsi lex secularis ecclesiarum, vel ecclesiasticarum personarum fauorem & commodum respicere videatur, vti hîc expressè dicitur, & auctoritate Synodi Romanæ sub Symmacho Papa confirmatur. Causa est; Cùm enim magistratus secularis per eiusmodi legem, (qua, exempli causa, alienatio rerum ecclesiasticarum prohibetur, nisi forma per legem præscripta obseruata fuerit) iurisdictionem sibi vsurpet erga ecclesiasticas res, aut personas; duo inde sequuntur incommoda; Videlicet quòd & vim constringendi lex non habeat, quippe extra limites potestatis tendens; & Ecclesiæ magis noxia sit, quàm vt commodum aliquod afferat: Propterea quòd ea res in exemplum trahi possit, vt vel idem magistratus, vel alij seculares arbitratu suo 2 de rebus ecclesiasticis statuant.

Aduertêdum autem primò, quod dictum est in assertione; *Præcipiendo ac vetando.* At verò si leges secularium merum fauorẽ, siue priuilegium ecclesiis, aut clericis tribuant, eæ subsistere possunt: Nam qui priuilegium dat, nõ arrogat sibi iurisdictionem aut imperium in priuilegiatum; partim quia priuilegia etiam non subditis, ipsisque extraneis dari possunt: partim quia ad priuilegij dati acceptationẽ & vsum nemo cogitur. Legi potest de hac re Abb. in c. quod clericis n. 41. de foro comp. & hîc n. 25. 26. & in repet. huius c. n. 37.

Secundò, quod in assert. dixi, *per se ipsam*, At verò leges à seculari magistratu de personis aut rebus ecclesiasticis latas Roman. Pontifex approbare, iisque auctoritatem tri- 3 buere potest. Tunc verò non obligabunt ex vi secularis potestatis, sed ecclesiasticę, à qua approbationem, confirmationémque acceperunt. Et ita significatur in hoc c. ver. *nisi*

ab Ec-

ab Ecclesia fuerit approbatum, vbi id Gl. annotauit, Abb. n. 10. Azor tom. 1. moral. instit. lib. 5. cap. 12. q. 3. & exemplum eius rei habes in c. licet. de sepult. in 6. Et tunc quidem leges ita confirmatæ per Papam redduntur validæ, non ex actu statuentium, sed ex auctoritate confirmantis, qui inutile reddit vtile, & ex infirmo facit firmum. argum. c. fin. & ibi Glos. vers. consensum. 16. q. 1.

Corollarium. Authenticæ constitutiones Iustiniani Imperat. quas limites potestatis suæ egrediens, de Ecclesiis, Episcopis, Clericis, Monachis præcipiendo & vetando constituit, per se ipsas nullam obligandi vim habent; tameysi eæ in Gratiani decretum insertæ reperiantur: Cùm is nullâ prorsus potestate præditus fuerit leges secularium Principum approbandi, aut canonizandi, sicuti docent Canonistæ, nominatim Anton. de Butrio & Felinus in c. 2. de rescript. in fine. Veruntamen si ipsemet Pontifex in decreto suo aut decretali responso Imperatoris de rebus ecclesiasticis constitutionem aliquam alleget, censetur eam approbare & confirmare. Accedit, quòd aliquæ eius generis Imperiales constitutiones, quæ ex obiecto vtiles videbantur, ipsa generali ecclesiarum acceptatione & vsu approbatæ censeri debeant; vt proinde iam non tam Imperiales, quàm ecclesiasticæ esse videantur. Legi hîc potest Ioan. Andr. & Imola, qui bene ait n. 3. eiusmodi secularis magistratûs statutum, de rebus Ecclesiasticis editum, ab inferioribus, seu particularibus ecclesiarum Prælatis acceptari aut approbari non posse. Quod etiam tradit Abb. in repet. huius c. num. 5.

4 Dicendvm Secvndo. Leges seculares, quæ generatim latæ sunt, si per se & ex proprio obiecto, onus seu grauamen imponant, aut iuri acquisito derogent, ad ecclesias, personas, & res ecclesiasticas se non extendunt: Ita DD. communiter, Bartol. in l. cunctos populos q. 5. n. 28. C. de sancta Trinit. Imola in c. 1. ibid. Abb. n. 1. de consuet. Idem Abb. super hoc c. n. 25. in repet. c. n. 14. 17. 37. & in c. constitutus n. 3. de in integr. restit. Imola hîc n. 9. Felin. q. 2. n. 69. Syl. in summa ver. lex q. 15. Andr. Gaill lib. 2. obseru. 32. Suar. in lib. de eccles. immunit. cap. 22. Ratio dari debet: Quia huiusmodi leges, onera & grauamina per se ac directè imponentes, præ se ferunt iurisdictionem erga eos, quibus feruntur: At, vt suprà dictum, clerici siue personæ ecclesiasticæ subditæ non sunt seculari magistratui; sed diuino pariter ac humano iure exemptæ, ac liberæ, c. quamquam de censib. in 6. vbi idem dicitur de ecclesijs, & rebus ipsarum. Sicut enim res sacræ à profanis, spiritualia à temporalibus discreta sunt, ita & potestas ecclesiastica, & potestas secularis diuersæ ac discretæ, c. duo sunt 10. d. 96. Et ita quidẽ, vt sicuti corpus animæ, tẽporalia æternis, profana spiritualibus, ita & potestas politica potestati ecclesiasticæ tanquam præstantiori cedere & subordinata esse debeat, cit. c. 1. & c. duo sunt, d. 96. c. solitæ 6. de maior. & obed. extrauag. Vnam sanctã eod. tit. Sed nec possunt ecclesiasticæ personæ se, aut ecclesias vel bona earum potestati seculari subijcere, c. 2. de iudic. c. si diligenti 12. de foro compet. Vide Abb, hîc num. 6.

Hinc colligi potest; Si eiusmodi leges 5
per se ac directè grauantes, aut onera imponentes, in Republic. generatim latæ sint, ijs ecclesias, & personas ecclesiasticas non censeri comprehensas. Sin verò specifica mentio & comprehensio clericorum, aut ecclesiarum, vel ecclesiasticarum rerum in statuto fiat, quoad eam partem pro irrito haberi debet. Id verò minùs ferendum, si ratio statuendi de rebus aut personis ecclesiasticis in statuto afferatur, *iurisdictio territorialis* magistratui ciuili competens; cùm iuribus tam ciuilibus, quàm canonicis, & apud omnes Doctores notissimum sit, iurisdictionem territorialem non nisi erga personas & res subditas extendi; cuiusmodi non sunt res & personæ ecclesiasticæ. Si quid iuris de rebus ecclesiarum disponendi seculares sibi vendicare volunt, super priuilegio & concessione Prælatorum ecclesiasticorum, præsertim Summi

Ponti-

Pontificis intentionem fundare debent; aut saltem super consuetudine immemoriali, quæ tamen præsumptionem factæ concessionis seu priuilegij secum ferat; dummodò capacitas sit in possidente, & eiusmodi priuilegium concedi non sit insolitum. Quà de re dicetur in c. quando 4. de consuet. in c. generali 13. de elect. in 6. & in tit. lib. 3. decret. de immunit. eccles.

Adhuc verò grauiùs delinquit magistratus secularis, si & pœnam ac gratiæ suæ amissionem, clericis statuti sui transgressoribus, vnà cum laicis, tanquam inobedientibus, aut pertinacibus, adijciat, vel minetur. Quia statuta huiusmodi ecclesiasticæ libertati nimis apertè repugnant, atque à pietate & consuetudine Catholicorum Principum aliena sunt.

Dicet aliquis; Eiusmodi leges onera imponentes clericis æquè ac laicis, non niti potestate iurisdictionis erga ecclesias, aut personas, vel res ecclesiasticas; sed tacito quodam pacto, & iuris naturalis æquitate. Cùm enim personæ ecclesiasticæ vnà cum laicis, partes & membra ciuilis Reipub. esse velint, & communibus commodis, ac iuribus gaudere, decens est, atque intelligi oportet, quòd etiam oneribus, grauaminibus, & exactionibus communibus subiecti esse debeant, iuxta iuris reg. 55. in 6. *Qui sentit onus, sentire debet commodum; & contrà.* Accedit, quòd magistratus secularis curam obligationémque gerat non minùs ad defendendas ecclesias, res & personas ecclesiasticas, quàm erga laicos subditos & bona eorum: Ergo neque ecclesiastici conqueri possunt, si quippiam ab eis exigatur, aut auferatur.

Respondeo: Pactum istud, aut cõsensum tacitum nullum esse; cùm summus Pontifex aliíque ecclesiastici Prælati perpetuò reclament, & contradicant; ipsæ autem personæ clericorum priuatæ consentire, aut se obligare non possint, vt suprà dictum. Sed neque ratio æquitatis, aut iuris regula hîc locum habet: quandoquidem ecclesiasticis personis iura ea & commoda communia ciuitatis, aut Reipub. conceduntur ex debito, propter spiritualia officia, quæ diebus & noctibus, sacrificijs ac precibus apud Deum instantes, & Sacramenta ministrantes, præstant: & accõmodari huc potest dictũ Apostoli epist. 1. ad Corinth. cap. 9. v. 11. *Si nos vobis spiritualia seminauimus, magnum est, si carnalia vestra metamus.* Non debent itaque ecclesiasticæ personæ, contra eorum iura & accepta exemptionis priuilegia, aliis oneribus grauari. Defensionem quoque ex eo, quem dixi, titulo, secularis magistratus ecclesijs, personis ac rebus ecclesiarum ex officio debet; non itaque iustè agit, si ob id, ad quod ratione officij & ex iustitia obligatus est, onera & exactiones imponat. Satius videri debet cuique Catholico Principi, si ob continuas preces & sacrificia, quæ pro ipso in ecclesijs offeruntur, à Deo patrocinium & defensionem accipiat; & non tanti æstimare, quòd ipse ecclesias & ecclesiasticos defendat, vt mercedem inde atque bonorum ecclesiasticorum diminutionem postulet; interim verò diuino patrocinio destituatur: Ita enim plerumque animaduersum est, & ex ecclesiastica traditione notum, eos à Deo derelictos, infeliciter gubernâsse, aut vitam infeliciter finijsse, qui ecclesiasticam immunitatem multùm expugnarunt, aut violarũt.

Nunc ad declarandum assertionis sensum exempla quædam afferemus. Primum & notissimum est, si exactiones, collectæ, angariæ, seu vehiculares, aut similes præstationes personis ecclesiasticis indicantur, cõtra earum priuilegia & immunitates vtroq; iure stabilitas, videl. in Authent. Cassa C. de sacrosanctis Ecclesijs, & in l. 1. Auth. Item nulla Cod. de Episc. & clericis. c. non minùs 4. c. aduersus 7. de immunit. ecclesiar. c. 3. eod. in 6. c. quamquam, 4. de censib. in 6. 7

Alterum. Si leges seculares pœnam aut inhabilitatem quamcunq; decernant, comprehendo etiam personas ecclesiasticas, ob delictum proprium, aut parentum. Videl. si statuto municipali cautum sit, vt filij ex illegitimo concubitu nati intestabiles existant, eorúmque bona post mortem ad secularem fiscum deuoluantur. Hæc lex clericos & Religiosos obligare non potest; cùm pœnalis

nalis & coactiua sit. Quòd sanè extra controuersiam est, si loquamur de bonis ex quacunque causa acquisitis post susceptum clericatum: quippe quæ nec per se, neque ratione personæ possidentis, seculari magistratui subiectæ sunt. Sed idem quoque sentiendum de bonis ante clericatum acquisitis: Siquidem in casu isto bona illegitimè nati dici non possunt per se, seu reali aliquo vinculo obligata fisco; sed duntaxat per accidens, & in ordine ac dependentia ad personam, si ea in subiectione vsque ad mortem perseueret: Sin autem persona à seculari magistratu per clericatum eximatur, eximitur etiam res: Præsertim in hoc casu, cùm statutum illud proprium effectum suum nõ assequatur, aut exercere possit ante mortem illegitimè nati. Qua de re videri potest, quæ hîc scripsit Felin. n. 79. & n. 101.

Tertium. Statutum magistratus secularis, quo decernitur, vt si quis incolarum bona sua ex ciuitate aliò transferat, partem aliquâ v. g. decimam fisco, aut Communitati soluere cogatur, ecclesiarum aut ecclesiasticarum personarum bona comprehendere non potest; ob defectum potestatis statuendi de his bonis, atque in præiudicium ecclesiarum, & ecclesiasticarum personarum, sicuti copiosiùs tradit Abb. hîc in repet. c. n. 38. 39. Simile statutum est, si quis ciuium filiam, aut filium Religionem ingressurum dotauerit, vt partem detrahere Magistratui liceat: Aut, si quis ad piam causam legauerit, aut donauerit, vt partem aliquam publicæ fabricæ applicare necesse sit. Cuiusmodi statuta nulla etiam consuetudine stabiliri posse, post Hostiens. testatur hîc Felin. num. 94. ex cap. 1. de consuet.

Quartum. Statutum, vt si quis incolarum vitâ excedat, aliqua pars bonorum eius loci Domino applicetur, tametsi ponamus respectu secularium subditorum iustum esse posse, tamen respectu clericorum iniustum est, & ipso iure irritum, atque ecclesiasticæ libertati penitus repugnans, vti per se, & ex dictis patet.

Quintum. Si municipali v. g. statuto decretum reperiatur, vt qui Religionem ingrediuntur, ab hæreditate excludantur; vel vt parte aliqua hæreditatis, aut vitalitio contenti esse debeant. Ita Abb. in repetit. huius c. n. 35. Felin. nu. 78. Gaill cit. obs. 32. nu. 4. Tale enim statutum retrahit à Religionis ingressu, siue facit homines timidiores, & impeditos magis, ne ingrediantur, ait Felin. ibid.

Sextum Si statutum municipale sit, vt res immobiles æquè ac mobiles triennij spatio vsucapiantur, irritum est in ordine ad personas ecclesiasticas. Idque in Camera Imperiali decisum esse, testatur Gaill cit. obseruat. 32. ob regulam, quòd *statuta laicorum non ligent clericos, cùm sint contra libertatem ecclesiasticam*, iuxta Auth. Cassa, vbi Bartol & alij C. de SC. ecclesiis.

Septimum. Si statutum simpliciter ac generatim disponat, vt res immobiles non liceat alienare in extraneos aut non subditos, nõ extendit se ad clericos seu ecclesiasticos, vti ex communi docet idem Gaill ead. obs. 32. n. 3. Idque, sicuti & alia suprà posita exempla multò magis locum habent, si eiusmodi statutum onerosum specificè disponat contra ecclesiasticos, vt ipsis vendere v. g. non liceat, prout constat ex 1. assert. & habetur expresse in c. vlt. de immunit. eccles. in 6. tametsi Gaill n. 6. oppositum defendere conatus sit, post Baldum super hoc c. n. 6.

Porrò ex dictis declarationibus colligi 8
potest, quo sensu dicant DD. communiter cum Bartolo in cit. Auth. Cassa, & in l. 1. §. Quæ onerandæ, ff. quarum rerum actio non datur, & videre licet apud Suarez de immunit. eccles. cap. 22. n. 11. Ea statuta contra libertatem ecclesiasticam censeri, quibus clerici timidiores redduntur. Quemadmodum enim, quæ à seculari potestate commoda, fauores ac priuilegia clericis concedũtur, clericalem statum cohonestant, ipsos Clericos seu ecclesiasticas personas animant, & ad officia sua erga populum fidelem alacriùs obeunda excitant, aliósque plures ad statum clericalem amplectendum prouocant; ita vice versa, onera & grauamina, quæ laicorum statutis ac præceptis, personis ecclesiasticis seu directè, seu indirectè atq; in effectu, infe-

runtur, Clericorum, seu ecclesiasticorum, statum dehonestant, & ignobilem ac despectum reddunt; Clericorum animos contristant, ac deiiciunt, aliósque à statu clericali seu ecclesiastico absterrent. Quemadmodum enim libertas & immunitas homines ornat & extollit, ita contraria seruitus ac subiectio eosdem deprimit; vti colligitur ex cap. 1. in princ. de immunit. eccles. in 6. ibi, *Libertatem & immunitatem ecclesiasticam ladere ac minuere, tanquam honoris & priuilegij ecclesiarum inuidi moliuntur.* Etenim ad conseruandum Ecclesiæ decorem, & officiorũ ac Sacramentorum dignitatem, Deiq; ac Christi augẽdum honorẽ, necessaria est semperq; fuit immunitas, ac libertas ecclesiasticorum, quæ proinde à piis Principibus frequenter agnita, legibus stabilita, à summis Pontificibus confirmata & præcepta est; & idcirco non nisi impiè violari potest.

9 Id quoque hoc loco animaduertendum, quòd ecclesiastici, eorúmque bona siue reditus ecclesiastico Magistratui subiecta sint; qui proinde de iis disponere possunt, quandoque etiam onera imponendo; saluo tamen iure secularibus potestatibus competente, si bona, videlicet immobilia, reali aliquo onere affecta sint: Qua de re alibi agendum. Hoc autem secluso, si etiam magistratui seculari Clericos seu personas ecclesiasticas grauare concessum esset, profectò durior ac miserabilior foret conditio Clericorum, quàm ipsorum Laicorum. Id verò ab omni pietate, & Christiana traditione abhorret.

10 Corollarium. Si Principi alicui seculari priuilegium à Rom. Pontifice concessum esse ponamus, vt occurrente aliqua communi necessitate, ab ecclesiis & ecclesiasticis collectam ei exigere liceat; necesse est eum moderatè vti priuilegio, & ita vt ecclesiastici non nimis grauentur: Cùm, vt suprà dixi, alia sit eorum ratio, & conditio, quàm Laicorum: Ipséque secularis magistratus, quantumuis in hoc genere priuilegiatus sit, maiorem potestatem gerat erga laicos, tanquam subditos; quàm erga clericos, quippe quorum primordialis exemptio per concessum priuilegium non cessat. Denique priuilegium eà semper conditione concessum esse censetur, vt, si temporis progressu ecclesiis nimis graue & damnosum reddatur, reuocari debeat, sicuti constat ex c. suggestum 9. de decimis.

Dicendvm Tertio: Si leges seculares specificè non disponant de ecclesiis, aut ecclesiasticis rebus vel personis; neq; ex obiecto suo onerosæ sint, ob publicam vtilitatem communiter latæ, circa materiam pertinentem ad iurisdictionem secularem, iis etiam ecclesiasticæ personæ secundùm vim directiuam, non coactiuam obligantur. Hæc est communis Doctorum sententia, teste Suarez lib. 3. de legibus cap. 34. num. 6. & in tract. de immunit. eccles. cap. 16. num. 13, 20. & docui lib. 1. Theol. moral. cap. 13. vbi etiam dixi num. 6. Hanc obligationem erga Clericos directè non prouenire ex legibus ciuilibus; cùm eæ extra limites potestatis suæ extendi non possint; sed potiùs ex ecclesiastica potestate, per quam Clericis præcipitur, quod & naturalis æquitas postulat, vt pro seruanda communi pace ac quiete, ciuilibus legibus se conforment. 11

Pro maiore intellectu aduertendum est primò; Quod in assert. dixi, si leges ex obiecto onerosæ non sint. Interdum verò lex pro communi bono lata, indifferens est tum ad commodum, tum ad onus afferendum personis singulis, v. g. vt masculi in successione hæreditaria fœminis præferantur, vt in contractu aliquo instrumentum interueniat. Huiusmodi statuta censeri non debent ex obiecto onerosa, sicuti bene docet Abb. in repet. huius c. n. 40. 12

Secundò; A sacris canonibus potissimùm approbatæ sunt leges communes, præsertim Imperatoriæ; at verò non ita approbantur specialia locorum statuta, quæ aduersus communes leges à seculari magistratu condita sunt. Ex quo colligitur, veram esse doctrinã Ioan. Imolæ hîc n. 12. Abb. in repet. huius c. n. 39. Felini n. 81. contra Bart. in cit. l. omnes populi q. 5. statuto municipali, quo solemnitates in testamento vltra ius cõmune requiruntur, non obligari Clericos, v. g. vt 13

testa-

testamentum non valeat, nisi adhibiti sint octo testes, aut nisi intra sex menses magistratui exhibitum fuerit. Quia talibus statutis, per canones non approbatis, adimitur ecclesiasticis facultas testandi secundùm ius commune, sicuti alioquin testari posset. Eademque ratione non malè resoluit Abb. in repet. huius c. n. 36. & in c. quod Clericis n. 32. de foro comp. ibid. Ioan. Imolan. 4. & bene declarat Felin. hîc n. 101. Quòd statutum municipale, vt primogenitus à paterna hæreditate excludat fratres postea natos, nõ obliget eos, qui tempore conditi statuti Clerici erant: secùs autem, si eo tempore Laici & subditi fuerunt: tunc enim per constitutionem ab hæreditate patris, excepta portione legitima, excluſi censentur, eò quòd ius primogenituræ, vi statuti, statim acquisitum sit primogenito.

Sed alia est ratio de legibus communibus, maximè Cæsareis. Sic enim DD. apud Abb. in repet. huius c. n. 18. fatentur, quòd Clericus, si hæres institutus inuentarium non fecerit, vltra vires hæreditatis cõdemnari possit in externo foro, ex l. vlt. C. de iure deliberandi. Præterea, si Clericus hæres institutus, intra annum postquam à iudice monitus est, voluntatem defuncti non impleat, priuabitur hæreditate, iuxta Authent. Hoc amplius, Cod. de fideicom. Expeditius tamen est dicere, Auth. illam iure canonico receptam & stabilitam esse, atque ad eius imitationem canones editos, quibus Clerici obligantur, c. si hæredes 6. de testam.

14 Secundò aduertendum, maiorem cùm fauorem, tum exemptionẽ à legibus ciuilibus, competere ipsis ecclesiis & causis piis, quàm Clericis in particulari. Quandoquidem causa publica fauorabilior est, quàm priuata; & illa per se ipsam magis directè & propinquè ad Dei cultum refertur. Inde colligitur veram esse doctrinam Abb. in cit. c. quod Clericis num. 26. Felin. super hoc cap. num. 82. Licèt respectu Clericorum, seu ecclesiasticarum personarum particularium vim habeant leges Cæsareæ, quibus irrita v.g. redditur donatio facta supra solidos aureos 500. absque iudicis auctoritate, non item vim habere, respectu ecclesiæ aut causæ piæ, puta si pauperibus, aut xenodochio donatio facta sit. Simili ratione, tametsi testamenta secundùm ius Cęsareum, minùs solemnia irrita sint eorum respectu, quæ Clericis seu personis ecclesiasticis relicta sunt, tamen comparatione eorum, quæ ad causas pias relicta, nulla ciuilium legum solemnitas necessaria est: quia causa animæ, & causa Dei, quæ hîc proximè agi censetur, adeo fauorabilis est, vt nulla constitutione ciuili, supra ius naturale & gentium, restringi debeat, vti hîc in repet. c. notauit Abb. num. 38. Felin. num. 83. cum Glossa in c. cùm esses 10. ver. improbamus. de testam.

Sed quid sentiendum de ipsis Clericis, si 15
testentur in terris Imperij, vel alio regno, in quo septem testes ad testamenti valorem, aut saltem quinque ad alterius voluntatis requiruntur, num & ipsi eâdem lege adstringantur? Negant aliqui, quos secutus est Suarez de immunit. eccles. cap. 16. in fine. Sed contrarium magis placet, quod tradidit Abb. in repet. huius cap. num. 45. Lud. Mol. tract. 2. de iust. disp. 133. num. 8. Non valere testamentum Clerici conditum in terris Imperij, si solemnitates Cæsarei iuris adhibitæ non sint. Et hæc sententia in praxi obseruatur.

Porrò quod dictum est de legibus & sta- 16
tutis publicis, idem quodammodo dici potest de statutis & pactis familiæ. Si videl. vnius familiæ agnati inter se cum secularis Principis approbatione pæciscantur, vt nemo etiam ex hæredibus suis, absque aliorum è familia consensu, notabile quippiam donare aut legare possit; ita videl. vt hæredes, qui ipsimet pacti sunt, non aliter ad hæreditatem, vltra portionem legitimam, admittantur, nisi prius iuramentum seruandi statuti præstiterint. Talis pactio siue statutum firmum erit quoad causas profanas, etiam ipsas Clericorum personas particulares, si ijs donatio aut legatum non intuitu Ecclesiæ fiat. Non valebit autem statutum in præiudicium Ecclesiæ, siue non eò se extendere poterit, vt neque ecclesijs aut causis pijs quispiam ex bonis propriis non

requisito aliorum consensu, donare aut legare possit, sicuti iure naturali & communi concessum est.

Cæterùm si aliquis bonis suis, de quibus liberam disponendi facultatem habebat, vinculum apponat per fideicommissum, vt alienari extrà familiam non possint, sed semper ad familiæ primogenitum, aut maiorem natu v.g. pertinere debeant, id omnimodè obseruandum; ita vt alienatio neque in ecclesiarum fauorem fieri queat.

Tertiò aduertendum, in politicis contractibus, atque iudiciis contra laicum institutis in foro ciuili, valde conueniens, imò necessarium esse, vt clerici vnà cum laicis, inter quos degunt, eisdem legibus & statutis obligentur, prout videre est apud Hostiens. in summa de testam. §. Quomodo conficiantur, vers. verum Gl. in c. quod clericis 9. ver. aliquos de foro compet. Imolam hîc n. 11. Felin. n. 81 casu tertio. Quandoquidem idem quoque obseruatur in extraneis seu non subditis, si alicubi contrahant, aut litigent, vt eiusdem loci leges aut consuetudines obseruare debeant, l. si fundus 6. ff. de euictionibus, vbi dicitur, inspiciendam esse consuetudinem loci, in quo contractum est. Imò hæc ipsa etiam dici debent de ecclesijs, si earum nomine contractus aut iudicia exerceantur in foro ciuili, seruandas esse leges & consuetudines eiusdem fori, dummodò iustæ & sacris canonibus repugnantes non sint. Quia hoc in casu ecclesia emens v. g. prædium, perinde se habere censetur, ac persona particularis: dummodò salua interim maneant iura specialia & priuilegia ecclesiarum, v. g. vt in integrum restitutionem petere possint, si læsæ sint.

Restat, vt pars altera tertiæ assertionis declaretur; videlicet ciuilibus legibus, quæ ex obiecto non onerosæ, ob publicam Reipubl. quietem communiter latæ sunt, Clericos non obligari secundùm vim coactiuam, id est, vt ad eiusmodi legum obseruationem cogi possint à magistratu seculari per citationem, condemnationem, sententiæ latæ executionem, mulctæ impositionem. Nam tales actus iurisdictionis coactiuæ exerceri non possunt, nisi erga personas subditas: Clerici autem subditi non sunt seculari magistratui, sed notoriè exempti & liberi.

Atque hæc ipsa immunitas, si rectè aduertimus in hoc c. secundùm præcipuam Innoc. III. Pontificis intentionem, defensa fuit. Non enim negauit Papa, possessionem ecclesiis & personis ecclesiasticis auferendam esse, si scienter eas esse litigiosas emerint, aut per aliam contractus speciem sibi comparârint, vti statutum est in lege vltima, Cod. de litigiosis; Imò constitutionem istam ipsemet Pontifex in tali causa approbauit lib. 2. decret. tit. Vt lite pendente nihil innouetur, c. ecclesia 1. & 2. Sed aliud est, quod hîc damnauit Innocentius III. videlicet Senatorem vrbis executionem eius legis etiam erga ecclesias facere ausum fuisse; cùm tamen huiusmodi actus iurisdictionis coactiuæ ad Iudicem ecclesiasticum propriè spectare debeat.

Notandvm II. Sententia Iudicis, quæ fertur parte non citata (præterquam si res notoria sit, vt nulla tergiuersatione celari possit; quamuis & tunc citatio plerumque fieri debeat ad audiendam declarationem de notorio) vel non data copia defensionis parti, quippe cùm defensio iure naturali debeatur; aut quæ lata est fine cognitione causæ, pro irrita haberi debet. Ita sumitur ex hoc cap. in fine, & dicendum de his fusiùs in lib. 2. decretal. 17

CAPITVLVM XI.

Ex literis.

Paraphrasis.

Cùm quidam Magistri, seu Professores Vniuersitatis Parisiensis antiquas & laudabiles Collegij consuetudines transgrederentur; Collegium Magistrorum interposito iuramento statutum edidit, vt si quis ex Magistris seu Professoribus ordinationi totius Collegij resisteret, & tertò monitus nõ parèret, ex eo tempore Collegij cõmunione, & magistralibus actibus priuaretur. Postea in talẽ ordinationis eiusdem

transgres-

transgressionem cum contumacia iuncta incidit Guilielmus Magister, quê proinde Vniuersitas Magistrorum à societate sua & Magistratibus excluserunt. sed quia is postea à contumacia recedens satisfactioni condignæ se obtulit, dubitabant Magistri, an Guilielmum, non obstante iuramento eorum, recipere possent ac deberent. Respondit Innoc. III. Post debitam satisfactionem restituendum esse: cùm enim in statuto expressum non fuerit, vt pœna exclusionis seu priuationis à contumacibus incursa perpetua esset, intelligi debere secundùm ius commune Canonicum, ipsúmque stylum seu consuetudinem Curiæ Romanæ; vt pœna contumacibus inflicta duret, donec à contumacia recesserint.

Svmmarivm.

1. *Collegium Magistrorum artium & scientiarum possunt edere statuta iurisdictionalia, pertinentia ad professionem.*
2. *Potest Collegam ob crimen commissum priuare communione reliquorum Collegarum, saltem ad tempus; & iure ordinario: priuatio perpetua, plerumque reseruata est Vniuersitatis Rectori.*
3. *Pœna priuationis propter alicuius contumaciam lata, non expressâ eius perpetuitate, dependet à contumacia, ita vt hac cessante, etiam illa cesset.*
4. *Particulare statutum recipit interpretationem à iure communi, & stylo curiæ qui ius facit.*
5. *Contumacia transiens in specificum debitum priuatione perpetua, post repititam vocationem & admonitionem puniri solet: quæ tamen si reseruata non sit, per ordinariam dispensationem aut remissionem tolli potest.*
6. *Pœna ob aliud crimen absolutè per sententiam definitiuam in iudicio illata, videtur esse perpetua, saltem donec condemnatus restituatur.*
7. *Si in aliquo Collegio æquali numero sententiæ potestate sint Clerici & Laici, illud censeri debet Ecclesiasticum.*
8. *In Vniuersitatibus studiorum creandus est Rector Clericus, vt in Studiosos Clericos habeat iurisdictionem.*
9. *Iuramentum appositum actui intelligi debet secundùm naturam eius.*

NOTANDVM I. Collegium Magistrorum artium aut scientiarum liberalium statuta edere possunt, pertinentia ad professionem suam. Ita sumitur ex hoc c. ver. ordinationi Vniuersitatis, vnde id Canonistæ hîc communiter colligunt, & Syl. ver. lex 44. Item ex l. vlt. C. de iurisdictione omnium Iudic. & ex Auth. Habita C. Ne filius patre. Videri potest Abb. hîc n. 1. & n. 7. Felin. n. 5. vbi resoluunt; Licèt Collegium seu Vniuersitas Magistrorum caput seu rectorem non habeat, quòd nihilominus ipsa corpus, seu omnes collectiuè sumpti iurisdictionem habeant in singulos è collegio, eósque delinquentes punire possint, sicuti etiã Imola hîc annotauit n. 5. 1

Suarez tamen lib. 4. de legibus cap. 6. n. 13, aliter intelligit, sermonem in hoc c. non esse de statuto alicuius iurisdictionis, sed fidelitatis ob mutuum pactum & interpositum iuramentum, ob verba ea, *Licèt à vobis fide præstita fuerit constitutum.* Sed magis placet intellectus Glossæ summariæ hîc Imolæ n. 1. fuisse verum statutum ex iurisdictione prouenies, iuramento confirmatum, vt postea iterum dicam.

NOTANDVM II. Collegium v. g. magistrorum seu professorum, collegam ob commissum crimen eiusmodi pœnæ proportionatum, priuare potest communione ipsorum, & excludere à facultate & actibus communibus, videl. conuentibus, consiliis, examinationibus, Doctorum creatione, publicâ professione; Ita ex hoc c. colligunt Ioann. Andr. num. 10. Abb. n. 3. Imola n. 2. Inspicienda tamen sunt cuiusque Vniuersitatis originalia statuta, priuilegia, consuetudines. Plerũq; enim eiusmodi exclusio seu priuatio, præsertim si in perpetuum inferatur, supremo Vniuersitatis rectori aut 2

gubernatori reseruata est. Videri etiam potest Felinus hîc n. 7. quando resoluit, cùm Bartolo in l. sed & reprobari 7. ff. de excusat. tutorum, non tantùm Medicum, postquã semel approbatus à Republ. fuit, iterum ex causa iusta reprobari posse, vti dicitur in ea lege; sed etiam alios Doctores & Magistros, si postea intelligatur, imperitos esse atque ineptos; similitérque Curatos, etsi ad vnam vel alteram ecclesiam habiles declarati sint, posse nihilominus si ad aliam ecclesiam denuò præsententur, quamuis ea æqualis aut minoris curæ sit, atque per accuratiorem inquisitionem inhabiles reperiantur, reprobari. Sed neque prohibetur Episcopus, præsertim ex causa, Parochum examinatum & approbatum, denuò examini subijcere: Quandoquidem qui idoneus fuit, per socordiam, aliámque causam, inutilis fieri potest.

3 NOTANDVM III. Si pœna priuationis contra aliquem propter eius contumaciam lata sit, & non expressum, vt esset perpetua depositio ac remotio, censeri debet dependens à cõtumacia, ita vt eâ cessante, pœna remitti, aut tolli debeat. Ita sumitur ex hoc c. vers. *Quia tamen*; vbi duplex ratio adijcitur: *Cùm tam iuris canonici, quàm nostri moris sit, vt is, qui propter contumaciam communione priuatur, cùm satisfactionem congruam exhibuerit, restitutionem obtineat.* 4 Ex quo colligunt hîc Canonistæ, nominatim Abb. n. 5. quòd particulare statutum recipit interpretationem à iure communi, propter fauorem eius; Item à stylo seu consuetudine Curiæ principali: quia etiam stylus Curiæ ius facit, c. quàm graui 6. de crim. falsi. Discrimen verò est, quòd si statutum fori seu iurisdictionis ecclesiasticæ sit, interpretari debeat secundùm ius cõmune canonicum, & stylum Curiæ Romanæ, vti hîc apparet: Sin autem fori seu iurisdictionis secularis, interpretandum est secundùm ius commune, & stylum Curiæ regni, sicuti cit. loco admonet Abb. Addendum tamen est, magnam quoque in interpretatione statutorum habendam esse rationem consuetudinis cuiuslque loci: quia communitas statuendo non censetur facilè recedere velle ab antiquo tempore obseruatis & non reprobatis consuetudinibus, nisi id significet, argum. c. cùm consuetudinis 9. de consuetud. l. 2. Cod. Quæ sit longa consuetudo.

Interdum verò contumacia transit in 5 specificum delictum, v. g. non residentis in ecclesia, post repetitam vocationem, & admonitionem, tunc priuatio in perpetuum per modum absolutæ pœnæ inferri solet, vti constat ex. c. ex parte, & pluribus seqq. de cler. non resid. Potest tamen etiam talis pœna, si reseruata non sit, per ordinariam dispensationem seu remissionem tolli, vt hîc annotauit Felin. n. 18. & docui lib. 1. moral. Theol. tract. 5. p. 3. cap. 4. prope finem. Sin verò pœna ob aliud crimen absolutè 6 lata sit, v. g. exilij, & nihil adiectum, videtur esse perpetua, saltem donec reuocetur, seu condemnatus restituatur, teste Gl. hîc ver. in perpetuum, Abb. n. 10. Imola n. 7. Quod tamen limitari debet cum eod. Abb. cit. n. 10. Henr. Boich in fine huius c. Si magistratus extra iudicium, vel non præmissa causæ cognitione, interlocutoriè alicui prohibet, v. g. suæ artis exercitium, aut bonorum administrationem, eiusmodi præceptum non extendi vltra tempus, quo Magistratus iurisdictionem retinet, vti constat ex l. vlt. ff. de pœnis, iun. Gl. ver. administrationis.

NOTANDVM IV. Si in aliquo Collegio 7 sint tum clerici, tum laici, æquali seu numero seu potestate, vti accidit in Collegio Magistrorum siue Professorum, censeri illud debet ecclesiasticum: quia pars dignior trahit ad se partem minùs dignam, siue, vt alijs verbis dicam, partis potioris maior ratio haberi debet. Ita sumi potest ex isto c. 8 & docet hîc Imola n. 4. Abb. n. 4. post Bartolum in l. vlt. C. de Collegiis illicitis, quî admonet n. 13. In Vniuersitatibus studiorum creandum esse Rectorem clericum, quia si laicus esset, nullam exercere iurisdictionem posset in studiosos clericos, sed ij à potestate eius exempti forent.

NOTANDVM V. Iuramentum appositũ 9 actui,

actui, intelligi debet secundùm naturam eius: Quod alijs verbis dici solet, Iuramentum sortiri naturam & conditiones actûs, cui adijcitur, c. quemadmodum 25. de iureiur. & colligitur ex hoc c. quando Pontifex respondet, fidem præstitam seu Iuramentum non obstare, quò minùs statutum de contumacis exclusione intelligatur, sicuti suapte natura & secundùm conditiones iuris intelligi debet, donec à contumacia recessum sit. De hac re dixi etiam suprà in cap. cùm M. except. 3. hoc tit. Videri etiam possunt, quæ ex eod. fundamento docui lib. 4. Theol. moral. tract. 3. cap. 9. coroll. 2. Quòd *iuramentum præstitum circa materiam iuris, interpretandum est secundum terminos iuris, neque vltra extendendum.*

CAPITVLVM XII.

Ex parte.

PARAPHRASIS.

Canonici Ecclesiæ Eduensis statutum ex antiquo tempore præbendarum numerum diminuerunt, licèt reditus diminuti non essent. Episcopus Eduensis id Honorio III proposuit, qui re intellectâ Cabilonensi Episcopo & Cantori mandauit, vt auctoritate Sedis Apostolicæ antiquũ præbendarum numerum restituant, ideoque quas vacare intellexerint, adhibito consilio Episcopi Eduensis, personis idoneis conferant: non obstante, quòd confirmatio aliqua à Sede Apostolica de præbendis minuendis impetrata fuerit.

SVMMARIVM.

1. *Numerus præbẽdarũ antiquitùs definitus ob solum redituum notabile decrementum minui potest.*
2. *Non valet Clericorum statutum & pactum, quod cedit in cultûs diuini diminutionem.*
3. *Etiamsi à Papa confirmationem acceperit.*
4. *Beneficia Ecclesiastica personis idoneis conferri debent.*
5. *Mandatum de expediendo negotio cum consilio alterius non irritat actum expeditum sine consilio personæ, si illud adhiberi non potuit.*
6. *Secus est, si consilium personæ adhiberi potuit.*
7. *Et hoc non tantùm intelligendum de mandato & commissione ab homine, sed etiam de commissione concessa à lege, quæ intrinsecè modificata irritat actũ conditione aut modo non obseruato.*
8. *Nisi solemnitas aut conditio leuis sit, aut ad negotii naturam intrinsecè non pertinens, aut Iudici, cui vniuersitas causarum absolutè commissa fuerat, nouum præceptum detur de consilio alterius adhibendo.*

NOTANDVM I. Numerus præbendarum ex antiqua constitutione, aut consuetudine definitus, diminui non potest, præterquam si reditus notabiliter decreuerint. Ita hîc, & in c. cùm M. suprà hoc tit. Et breuiter hîc tradit Abbas num. 2. Per argumentum à sensu contrario notandum esse cum Gl. ver. imminuti, quòd *data diminutione reddituum, possunt Canonici, etiam sine auctoritate Papæ, restringere numerum præbendarum, ita vt præbendæ suppressæ non censeantur amplius vacare: Et intelligo, quòd hoc faciant cum auctoritate Episcopi.* Idem hîc docuit Imola n. 2. & dixi fusius in cit. cap. cùm M. 1

NOTANDVM II. Non valet clericorum statutum (sicuti neque pactum) quod in cultûs diuini diminutionem cedit. Nam statutum debet esse rationabile, ecclesiæ vtile, non damnosum: Nihil autem magis ecclesiæ damnosum, & irrationabile censeri debet, quàm si cultus diuinus, adeóque Dei honor & animarum spiritualis profectus minuatur: Imò personæ ecclesiasticæ ex vocatione sua, & officij obligatione, tam in publicis, quàm priuatis actionibus, eò maximè, tanquam ad principalem scopum suum, spectare debent, vt cultus diuinus, & quæ inde sequi solet animarum salus, augeatur. Consentit c. cùm inter 5. c. cùm venerabilis 7. de consuet. 2

De

De pacto, quamuis iurato, si in cultus diuini diminutionem cedat, irritum esse, constat ex c, si diligenti 12. de foro compet. quo habetur, quòd priuatorum ex pactis, etiam iuratis, iure publico derogari non possit.

3 NOTANDVM III. Eiusmodi statutum non valet, tametsi à Papa confirmationem acceperit. Ita hîc dicitur, & notauit Gl. ver. confirmatione, dans duas rationes. I. Quia confirmatio, si fiat in forma communi, non dat actui valorem, c. cùm dilecta 4. de confir. vtili, vbi dici solet, quòd *qui confirmat, nihil dat* de nouo; quia *quod non est, non confirmatur*. II. Quia cõfirmatio ex ignorantia emanauit; cùm à Capitularibus dissimulatum fuerit, præbendarum numerum antiquo statuto definitum, eorúmque reditus diminutos non esse.

4 NOTANDVM IV. Beneficia ecclesiastica personis idoneis conferri debent. Ita hîc mandat Pontifex Honorius III. in fine c. Et addit Gl. ver. idoneis; Tametsi hæc conditio expressa non esset, tamen subintelligendum fore; cùm iure communi insit, c, causam quæ 8. de elect. c. 2 de rescript.

QVÆRVNT hîc DD. circa verbum *cum consilio Episcopi*; Si alicui mandetur, vt negotium expediat adhibito consilio alterius, sicuti hîc Papa mandauit, vt præbendæ vacantes personis idoneis cum consilio Episcopi conferrentur; Commissarius autem, seu mandatarius consilium personæ non adhibeat, num firmum sit, quod ita actum est? Respondeo ex doctrina Imolæ hîc, Abbatis, & Felini, post Bartol. in l. 1. §. si plures, ff. de
5 exercitat. actione, & Dico I. Si consilium personæ adhiberi non potuit, quia mortua est, aut absens, & rogata accedere non vult, negotium autem dilationem non patitur, in hoc casu valet actus, expeditus etiam sine consilio personæ. Nam mandatum superioris intelligi ita debet, vt sit conforme iuri communi, vti colligitur ex c. præced. Atqui secundùm ius commune canonicum, si consilium alicuius adhibendum sit, idque adhiberi non possit, sine eo procedere licet, c. cùm in veteri 52. de elect. c. vn. §. vlt. Ne sede vacante &c. in 6. Ergo idem sentiendum de mandato, seu præcepto hominis, siue superioris.

Dico II. Si in tali casu consilium per- 6
sonæ adhiberi potuit, non valet actus, qui absque consilio gestus fuit, iuxta cit. c. cùm in veteri, iun. Gl. ver. expectatum, vbi bene addit, non satis esse petere consilium, sed etiam expectandum esse responsum: quia verba mandati ita intelligi debent, vt frustraneum non sit. Probatur assertio ex eo, quia non obseruatâ formâ mandati (si ea ad rem propinquè pertinens, veluti substantialis censeri possit) non valet mandatum, l. diligenter 5. ff. mandati. Atqui consilij auditio multum refert ad negotij expeditionem, cùm sæpe aliter & quidem rectiùs ageretur, si viri sapientis consilium audiretur: Ergo expressâ in commissione conditio, vt negotium expediatur cum consilio alterius, censeri debet intrinseca, & substantialis.

Adde, quod dictum est de commissione 7
ab homine facta, idem quoque sentiendum de commissione, v. g. iurisdictione aut simili potestate, concessa à lege; si videl. commissio intrinsecè modificata sit, irritum fore actum, si conditio aut modus non obseruetur: v. g. si Iudici per statutum municipale forma præscribatur iudicandi, adhibitis quatuor consiliarijs,

Sed aliter dicendum est, si solemnitas, 8
aut conditio, seu à lege, seu ab homine, præscripta, leuis sit, aut ad negotij naturam intrinsecè non pertinens, sicuti annotauit Bartol. in cit. §. si plures n. 13. Felin. hîc n. 8. Exempli causa, si præcipiatur, vt negotium intra dies xx. expediatur, valebit; etsi postea expeditum sit; nisi expresè adiectum fuerit, vt alioquin non valeat. Aliter quoque dicendum, si iudici v. g. cui antea vniuersitas causarum, iure ordinario aut delegato, absolutè commissa fuerat, nouum præceptum detur siue ab homine, siue à lege, vt in tali casu seu tali causarum genere adhibeat consilium viri sapientis. Non ideo enim Iudicis processus aut sententia irrita iudicabitur, quòd cõsilium non adhibuerit: cùm non debeat esse præsumptio, quòd concessa alicui potestas per superueniens præceptũ au-

auferatur, aut minuatur; nisi id expressum sit. Et alioquin in dubio actum quemlibet ita interpretari conuenit, vt valeat potiùs, quàm vt pereat, c. Abbate 25. de verb. signif. Quamobrem in eiusmodi casu, præceptum de forma aut conditione seruanda in expeditione alicuius negotij, est quidem obligatorium, sed non irritans actum, si modus obseruatus non sit.

CAPITVLVM VLT.

Quoniam.

Paraphrasis.

Gregorius IX. Constitutionem edidit, vt Clerici, qui in sacro ordine sunt, maiores reditus percipiant, & vt Clerici inferiores superioribus subditi sint, atq; obsequia præstent. Sed dubitatum fuit, vtrùm hæc constitutio correctoria consuetudinis seu obseruationis inter Clericos recepta, extenderetur etiam ad Clericos antea promotos. An verò tantùm locum habeat in Clericis post eam constitutionem promouendis. Respondit Gregorius, non extendi ad Clericos antea promotos & institutos, quia leges seu constitutiones futuris negotiis formam præscribunt, non autem ad præterita trahi debent, nisi expresè de præteritis cautum fuerit. Ita etiam habetur in l. leges 7. C. de legib.

Svmmarivm.

1. *Romanus Pontifex ecclesiasticis decretis omnes Christianos obligat.*
2. *Lex debet esse clara, & non ambigua.*
3. *Legem dubiam interpretari cum auctoritate, ad Principem spectat.*
4. *Constitutio, in qua exprimitur, quòd ad præterita negotia extendi debeat, præterita quoq; negotia comprehendit, nisi ea iam decisa sint transactione, sententiâ, solutione, vel iuramento.*
5. *In qua exprimitur, quòd ad futura tantùm referri debeat, ad præterita extendi non potest.*
6. *Constitutio, quæ absolutè fertur, nullâ factâ mentione præteritorum aut futurorum, si est merè interpretatiua seu declaratiua, ad præterita extenditur.*
7. *Si est irritans, ita vt actum nullum declaret, comprehendit actus etiã præteritos.*
8. *Idémq; est, si ita irritãs est, vt actum rescindat. Si autem lex decernendo impediat, ne actus validus sit, v. g. nouã formã præscribendo cõtractui, ad præteritos actus vel cõtractus extẽdi non decet.*
9. *Testamento condendo si per legẽ aut statutũ noua forma præscribatur, an extẽdi debeat ad testamenta antè condita, ex verbis Constitutionis colligendũ est.*
10. *Si lex sit, prout dispositiua, nihilq; in eâ expressum, an ad præterita extendi debeat, & de ipsô facto, aut modo & forma faciendi disponat, non extẽditur ad præterita: secus est, si de executione aut processu vlteriore negotij cœpti, modò exẽ omnino, vel maior ita statuendi ratio reperiatur in præterito, quæ in futuro.*
11. *Intelligenda est l. 21. ff. de legib. cùm lex in præteritum aliquid indulget, in futurum vetat: de venia delicti non extendenda ad delinquentes in futurum, ne præbeatur peccandi occasio.*

Notandvm I. Romanus Pontifex per ecclesiastica decreta Christianos omnes obligare potest; cùm ipse à Christo Domino, cum Apostolica auctoritate, constitutus sit Pastor omnium fidelium. Ita hîc in princ. *Quoniam constitutio Apostolicæ Sedis omnes adstringit*, & in c. cuncta per mũdum 17. & 18. causa 9. q. 3. Quare qui se subtrahit ab obedientia Papæ, consequenter se subtrahit ab ouili Christi; quæ est species quædam apostasiæ in Christianis, siue iis qui per Baptismum in Christi ouile suscepti sunt, vti videre licet apud S. Thom. 2. 2. q. 12. a. 1. 1

Notandvm II. Legem oportet esse clarã, & nõ ambiguã, siue, vt hîc dicitur, *nihil debet obscurum vel ambiguum cõtinere.* Quamobrem notat Abb. hîc n. 2. quòd trãsgressio legis dubiæ, aut obscuræ excusat, ppter probabilẽ eius ignorantiam: Idq; maximè locũ habet, si obseruatio, aut DD. persuasio assistat operãti cõtra verũ sensum legis, prout annotauit Gl. in c. vn. ver. de cætero, de postul. Prælat. in 6. 2

Notandvm III. Legem dubiam cum auctori-

ctoritate interpretari, ita vt interpretatio necessaria & generalis sit, ad Prin. quem spectat, l. leges 9. & seqq. C. de legibus, & c. inter alia, 31. de sent. excomm. *Vt vnde ius prodiit, interpretatio quoque procedat.* Dixi de hac re lib. 1. Theol. moral. tract. 4. c. 18. n. 1.

NOTANDVM IV. Constitutio, siue lex futuris negotiis formam, modúmque præscribit; ad præterita autem se non extendit; nisi nominatim de præterito tempore, & adhuc pendentibus negotiis cautum sit. Hoc est principale huius c. intentum, & sumptum est ex l. leges 7. C. de legibus. Pro maiore intellectu, distinguendum cum Anton. de Butrio hîc n. 15. Abb. n. 9. & seqq. post Bartol. in l. omnes populi q. 5. n. 39. ff. de iust. & iure; Vel in constitutione exprimitur, quòd ad præterita negotia extendi debeat; vel exprimitur, quòd ad futura duntaxat referri debeat; vel absolutè fertur, nulla facta mentione
4 præteritorum, aut futurorum. In primo casu, constitutio præterita quoque negotia comprehendit: Sed excipi debet, nisi ea iam decisa sint transactione, sententia, solutione, vel iuramento, sicuti docet Bartol. cit. loco n. 40. & constat ex l. causas 16. C. de transact. (vbi bene rem explicat Iason nu. 3.) l. contractus 16. C. de fide instrumentor. l. vn. C. de contractibus Iudicum, in fine. Ratio est, quia nunquam præsumendum est, quòd Princeps seu Magistratus ius alteri quæsitum auferre velit, iuxta c. 3. iun. Gl. ver. intentionis, de decimis; imò neque potest id statuere, aut decernere, nisi ex graui causa, iuxta ea quæ suprà docui in c. Quæ in ecclesiarum 7. hoc titulo.

Ampliari debet exceptio primò; Etsi causa siue lis iudiciaria non omnino absoluta sit, sed pendens per appellationem, quòd terminari ac finiri debeat secundùm leges vigentes tempore latæ sententiæ in prima instantia; & non secundùm leges postea emanantes, licet in ijs expressum sit, vt ad præterita etiam extenderetur, iuxta Auth. Vt cùm de appellatione cognoscitur, &c. Cuius rei ratio dari debet, quia Iudex appellationis veluti succedit in locum iudicis à quo, seu primæ instantiæ, neque decet, vt quod ille rectè iudicauerat, improbet, aut retractet.

Ampliari debet secundò, Tametsi causa seu lis iudiciaria necdum decisa sit; sed tantùm cœpta & adhuc pendens coram Iudice, terminanda non est secundùm nouiter emanatem constitutionem aut iussionem Principis, sed secundùm leges & consuetudines antiquas, iuxta Auth. In medio litis sacras iussiones non fieri, collat. 8. §. Si verò dum causa: Ratio dari debet; quia partes in Iudicem consentire censentur secundùm iura & leges, quæ tunc vigent; cùm de futuris seu postea statuendis scire plerumq; nõ possint. Exemplum dari solet: Si in aliquo regno noua datur constitutio; vt extantibus liberis masculis, fœminæ excludantur à communi successione parentum nobilium; atque expresse adiectum sit, quòd constitutio etiam ad hæreditates deuolutas extendi debeat; non tamen locum habet in casu, si hæreditas inter fratres & sorores diuisa tunc erat, cùm lex edita est; aut si de facienda diuisione lis pendebat coram Iudice, seu in firma instantia, seu per appellationem.

Limitari tamen hoc debet; Præterquam si statuto, aut iussione Principis expressum sit, vt noua constitutio etiam ad causas litis pendentis extendatur. Quæ ipsa tamen extensio facienda non erit, ad causas seu lites per transactionem, aut iudicialem sententiam definitas; quòd id valde incommodum & absurdum videatur, quæ penitus composita, transacta, aut finita sunt, immutare atque rescindere velle, vti colligitur ex suprà cit. l. vn. & l. sancimus 19. Cod. de sacrosanct. ecclesiis, ibi; *Quæ oportet non solùm in casibus, quos futurum tempus creauerit, sed etiam in adhuc pendentibus, & iudiciali termino, vel amicabili compositione non sopitis, obtinere.* Et quod hîc dicitur de causa finita per transactionem & Iudicis sententiam; idem quoque locum habet, si finita sit per iuramentum, aut factam solutionem v. g. hæreditatis acquisitionem, ita vt ius plenè acquisitum sit. Videri potest Felin. hîc n. 2. post Bartol. in l. 1. §. vlt. ff. ad Tertull.

In al-

5 In altero casu, si videlicet in constitutione expressum sit, vt ad futura tantùm referri debeat, certum tunc est, ad præterita extendi non posse. Hoc enim proprium est constitutionum, saltem earum, quibus aliquid fieri præcipitur, aut vetatur, vt de futuris disponant, non de præteritis. Nam eiusmodi lex est præceptum subditis impositum, & regula operationis; quod autem præteritum est, de eo præceptum dari non potest, neque regula aut forma operandi præscribi; cùm factum non possit fieri infectum. Ita rem explicat Franc. Suarez lib. 3. de legib. c. 18. n. 8.

In tertio porrò casu distinguendum, num lex sit interpretans tantùm, num irritans seu
6 infirmans actum, an propriè dispositiua. De lege interpretatiua, seu declaratiua dicendum, eam, si absolutè lata sit, etiam ad præterita esse extendendam. Quæ est communis doctrina, vt videre etiam licet apud Bartol. in cit. l. omnes populi, Felin. hîc n. 4. Nauarr. in c. si quando except. 21, n. 3. & seqq. de rescr. Suarez cit. lib. 3. c. 14. n. 2. Ratio dari debet: Nam qui ius declarat, non de nouo condit, sed quod antè positum est, denuntiat, arg. l. hæredes palàm 21. §. si quid ff. de testament. vbi generatim dicitur, quòd *qui declarat, nihil tunc dat, sed datum significat*: quamobrem dicere solent DD. quòd *magis obligat lex antiqua interpretata, quàm noua interpretans.*

Quænam verò eæ leges sint, non aliquid noui statuentes, sed quid iuris antea fuerit, explicantes, atque ideo etiam ad facta præterita trahendæ, id partim ex verbis legis colligi potest; prout exempli causa ostendit Suarez tom. 4. de relig. lib. 3. de admiss. scholariũ & c. 4. n. 3. in Bulla Gregor. XIII. Papæ, cuius initium: *Quantò fructuosius, Dictam Societatem* Iesv *firmo nostræ declarationis subsidio cõmunire volentes, statuimus &c. quoscũque, qui in ipsa Societate admissi, biennio probationis peracto, tria prædicta vota, tametsi simplicia, emiserint, emitténtq; in futurum, verè & propriè religiosos esse, & fuisse*: Partim verò colligi potest ex materia, & ratione legis: Inde enim frequenter intelligi poterit, tametsi Lex, consideratâ verborum formâ, videatur esse dispositiua & præceptiua in futurum (quia dicitur in ea, *statuimus, ordinamus, præcipimus, vt imposterum ita fiat*;) tamen reuera declaratiuam esse iuris antiqui, quod imposterum, si fortè neglectum sit, in obseruationem deduci imperatur. Talia reperientur plurima in decretis summorum Pontificum, quæ & in vitis eorum referuntur: vt de S. Alexandro I. Martyre, quòd *constituit, vt tantùm panis & vinum in mysterio offerretur; vinum autem aquâ misceri iussit: Idemq; decreuit, vt aqua benedicta sale admixto, perpetuò in ecclesiis asseruaretur, & in cubiculis adhiberetur ad fugandos Dæmones.* Exemplum aliud habemus in c. vlt. de sponsa duorum, vbi definitur, si post matrimonium ratum, & nondum consummatum, aliud cum altera sit contractum, & consummatum, posterius esse irritum: Id verò etiam ad matrimonia, quæ ante illud Innoc. III. Papæ decretum contracta erant, referendum esse, intelligi potest tum ex materia decreti seu responsi Pontificij, tum ex ratione decernendi, quæ ibi affertur Ecclesiæ traditio, & Rom. Sedis obseruatio: tametsi verba in futurum duntaxat præcipere videantur: *In matrimoniis de cætero contrahendis illud te volumus obseruare.*

Locutus autem sum de lege, quæ duntaxat declaratiua est, quòd ad præterita etiam extendi debeat: Veruntamen interdum lex non merè interpretatiua est veteris constitutionis, sed insuper pœnam transgressori adiicit, quæ antea decreta non erat, aut saltem non obseruata. Cuius rei exemplum affert Eman. Rodriq. tom. 1. regul. qq. q. 6. art. vlt. Clemẽtem VIII. Pontificem in Constit. de largitione munerum, nihil noui præcepisse, sed id quod ex anterioribus canonibus, Regularibus obseruandum erat, declarasse; nouam verò pœnam adiunxisse, qua non obligabantur ij, qui ante eam Constitut. editam, in eo genere deliquerant.

Interdum verò pœnæ iam antè decretæ, vltra verborum proprietatem, & ipsius iuris terminos, per nouam legem ex mera legislatoris voluntate fit declaratio extensiua, quam ad actus præteritos referre non oportet; nisi

expressum sit. Exemplum est in c. quantæ 47. de sent. excomm. vbi censura excommunicationis contra clericorum percussores lata, declarando extenditur etiam ad eos, qui delinquenti, seu percutienti consilium vel fauorem præstant, vel cùm possint & ex officio debeant impedire, intermittunt; tametsi alioquin excommunicationes latæ contra facientes, extendendæ non sint ad causas coadiuuantes, vti ex communiore docui lib. 1. Theol. moral. tract. 5. p. 2. cap. 5. n. 6. & videri potest Suar. lib. 3. de legib. cap. 14. n. 4. & de censur. disp. 12. sect. 4. n. 11.

Venio nunc ad legem irritantem, quæ varia est, iuxta variam acceptionem verbi irri-
7 tare, siue infirmare. Nam interdum in iure accipitur, vt idem sit, quod actum irritum declarare; & tunc lex irritans comprehendit etiam actus præteritos, si videlicet etiam anterioribus legibus, præsertim secundùm ius naturale vetiti erant, eademque ratio irritationis in præteritis, quę in futuris inest. Exemplum habes in l. vlt. C. de pactis, vbi irritum esse declaratur pactum de hæreditate viuentis, si absque eius consensu fiat. Et in l. penult. C. de incestis nuptiis, vbi statuitur, irritũ esse iudicandum matrimonium, si contractum sit cum vxore fratris demortui, tametsi ea virgo, seu non cognita sit. Et esse hanc legem declaratoriam, colligitur ex l. vlt. C. eod. Aliud exemplum est in c. vt lex 40. causa 27. q. 1. vbi decernitur, vt quisquis post professã continentiam, vxorem duxerit, ab ea separetur; *quia matrimonium non esse censemus*, ait Inn. II. Papa, isq; loquendi modus satis significat, etiã ante id in Ecclesia receptum fuisse.

Interdum verò irritare idem est quod irritum facere: Id verò duobus etiam modis fie-
8 ri potest; Vel si lex actum, qui validus erat, rescindendo irritũ reddat. Vt proinde in hoc sensu irritare aliud non sit, quàm rescindere, quod sicuti per sententiam fieri potest, vt videl. electio, vel beneficij collatio aut renũciatio, si contra canonem facta sit, tametsi mero iure valeat, tamen in pœnam à Iudice rescindatur, ita nihil prohibet, eiusmodi irritationẽ seu rescisionem præteritarum v. g. electionum, fieri per legem generalem, sicuti bene annotauit Suarez cit. cap. 14. n. 11. Vel si lex decernẽdo impediat, ne actus validus sit, v. g. nouam formã præscribendo, secundùm quam contractus aliquis condi debeat; alioquin irritus sit: Eiusmodi legem ad præteritos actus v. g. contractus, extẽdi non decet, argum. huius c. vbi id annotat Anton. de Butrio n. 15. & Legistę in suprà cit. l. leges, C. de Legibus, nominatim Bald. n. 2. Gaill lib. 2. obs. 9. n. 2. vbi aiunt, quòd contractus quilibet æstimari debet secundùm leges & cõsuetudines eo tempore vigentes, quo contractũ est: Tum quia de futuris & superuenientibus contrahentes cogitare non potuerunt: tum quia ipsis per contractum ius ex mutuo consensu acquisitum est, quo priuari non debent.

Controuersia autem est inter Doctores, si 9
per legem aut statutum noua forma testamẽti condendi præscribatur, num extẽdi etiam debeat ad testamenta antea condita, viuente adhuc testatore, qui testamentum immutare, & secundùm aliam de nouo præscriptam formam edere possit? Paulus Castrensis in l. Iubemus n. 7. C. de testam. negat testamenta antea condita ea lege comprehendi, ideoq; valida censenda esse. Quod etiã docuit Nauarr. in c. si quãdo, excepta 21. n. 13. de rescript. Sed contrarium tradidit Iason in ead. l. n. 8. Felin. hîc n. 1. col. 3. post Angel. in Auth. Vt factæ nouę Constit. §. 1. Arbitror autẽ quàm maximè attendendũ ad verba constitutionis, num ea etiam ad testamenta facta referri possint; Item, nũ ad ipsos testatores referantur, vt talem formã obseruare teneãtur, si validè testari velint; an verò ad Iudices, vt testamẽta valida non agnoscant, nisi eã cum formã condita sint. Nam hoc posteriore casu etiã ad præterito tempore scripta, aut nuncupata testamenta referri videtur, quãdoquidem ea vim suam ante mortẽ testatoris assecuta non sunt, teste Apostolo ad Hebr. c. 9. v. 16. *Vbi testamentum est, mors intercedat testatoris necesse est. Testamentum enim in mortuis confirmatũ est: alioquin nõdum valet, dum viuit testator.*

Reliquum est, vt dicamus de lege disponẽ- 10
te, ac propriè præcipiente aut vetante; si nihil expressum sit, vtrùm ad præterita extendi debeat: Distinguunt communiter DD. vti

videre

videre licet apud Nauarr. in cit. except. 21, fermè tota: Vel lex disponit de ipso facto, aut modo seu forma faciendi, & non extenditur ad præterita, seu quæ iam facta sunt, vti constat ex hoc c. Aut disponit de executione, aut processu vlteriore negotij cœpti; tunc extenditur ad præterita. Exemplũ habes in Clement. vn. iun. Gl. ver. deputati, de test. vbi statutum est, vt Religiosi, etiá exempti, si ad executionem vltimarũ voluntatum deputati sint, Ordinarijs locorũ executionis suæ rationem reddere teneantur. Hæc constitutio eos etiam Religiosos comprehendit, qui eo tempore deputati erant: sin autem executi tunc fuerant, nõ comprehendebantur: quia lex nõ trahitur ad facta præterita, nisi id exprimat. Aliud exemplum habes in c. 2. de concess. præb. in 6. vbi reprobatur omnis promissio, per quam datur via ad beneficium vacaturum; ita vt ea effectum seu executionem nullam habere possit. Qua constitutione plerique putant cõprehensas etiam fuisse promissiones tum factas, sed nondum effectum consecutas; quamuis Gl. ibi contrarium docuerit, propter adiectam voculam *de cætero*. Quâ de re ibi dicendum erit.

Aliud exemplum est: Si lex decernat, vt debitores, à creditore moniti ad soluendum, si dies xx. moram culpabilem trahant, in carcerem conijciantur, extenditur non tantùm ad futura debita, sed etiam ad ea quę iam contracta sunt; ita vt si mora culpabilis post editam constitutionem commissa sit, pœnæ legis locus esse debeat. Etenim si rectè attendimus, nihilominus vera manet regula, quòd lex non disponere censetur de facto, & negotio futuro: siquidẽ neq; ista lex disponit de cõtracto debito, quo modo fieri aut non fieri debeat; sed versatur circa debitum, tanquam materiam remotam, ac præsuppositam; propriè autem tantùm disponit de executione futura. Quâ de re videri potest Nau. in dicta except. 21. in confut. cõtrariorum, resp. ad 4. & 5. Suarez suprà cit. cap. 14. nu. 12. vbi bene docet, quòd lex impedire, aut vetare possit, ne actus tum cœptus consummetur; v. g. ne Nouitius professionem in Religione edat. Trident. Concil. sess. 25. cap. 15. de regul. *Nec qui minore tempore, quàm per annum, post susceptum habitum in probatione steterit, ad professionem admittatur*. Constitutio ista extendebatur ad eos etiam Nouitios, qui habitum tum susceperant, & in probatione versati sunt.

Requiritur tamen ad hoc, vt lex eiusmodi ad præterita quoque, nondum executionem consecuta, extendatur, eandem omninò, aut maiorem ita statuendi rationem reperiri in præterito, quæ in futuro, prout annotauit Vdalr. Zasius l. 1. §. Hæc autem, ff. Quòd quisque iuris &c. exemplum dans: Statutum aliquod decernit; si quis duobus annis in ecclesia laborauerit; aut in Vniuersitate docuerit, fruatur hoc priuilegio: Nõ minùs eo comprehendentur, qui tempore editi statuti laborârũt, aut docuerunt, quàm qui postea laboraturi sunt; nisi expressum sit, si quis de cætero per biennium laborârit; aut docuerit &c.

Ad extremum, operæ pretium est hîc explicare, quomodo intelligenda sit l. 21. ff. de legibus; *Cùm lex in præteritum aliquid indulget, in futurum notat*. Accipiendum enim est de indulgentia seu venia delicti, quæ à Principe fit criminosis: non esse eam extendendam ad eos, qui futuro tempore delinquent, ne alioquin lex ansam & incitamẽtum peccandi præbeat. Exemplum huius rei reperitur in l. 2. C. de generali abolitione; atq; ita tradunt & explicãt Bart. & Bald. super cit. l. cùm lex, Mart. Nau. in tr. de spolijs clericorum §. 19. n. 5. vbi aiunt; Si statutum editum sit, vt omnes banniti, è banno liberẽtur, solutis decem v. g. aureis, eo comprehendi non debeant, qui futuro tẽpore banno puniendi erunt; ne præbeatur peccãdi occasio. 11

Atque idem obseruari debet in voluntarijs partium compositionibus, seu transactionibus; quòd decerni possit, vt iniuria, aut dolus remissus, & condonatus sit; non autem, quòd imposterum impunè licet nocere, leg. si vnus 29. §. Illud nulla actione, ff. de pactis, & l. conuenire 5. ff. de pactis dotalibus. Id verò ex suprà cit. l. cùm lex, singulariter annotandum; Si vel lege,

dicto, aut partium compositione delictum, aut iniustè illatum damnum remissum; vel ne accusatio institueretur, constitutum fuerit; eo ipso prouisum videri, ne imposterum delinquere, aut iniuriam inferre impunè liceat; quia *cùm lex* (idémque est in transactione, aut promissione) *in præteritum aliquid indulget, in futurum vetat.* Videatur etiam, quæ dicturus sum in c. penult. de consuet.

CAPITVLVM I. eod. Tit. in 6.

Licet Romana.

PARAPHRASIS.

Princeps (qualis in ecclesiasticis Rom. Pōtifex est) condendo nouam legem, eo ipso tollere censetur leges priores, quibus illa contraria est; non item tollere censetur particularia statuta & consuetudines locorum, nisi id exprimat.

SVMMARIVM.

1. *Lex Principis posterior abrogat priorem, quatenus ei contraria est, licèt id non exprimat.*
2. *In Principe censetur esse notitia omnium iurium, siue legum communium.*
3. *Vnde error siue ignorantia iuris non excusat Principem, cùm eius scientiā se habere profiteatur.*
4. *Nec satis est Principem Consiliariorū scietiâ ac prudētiâ adiuuari: sed necesse est, vt & ipse iuris, ac iustitiæ gnarus sit, curámq; reip. & subditis iustitiam administrandi principaliter gerat; non autem omnem, aut panè omnem in alios coniiciat; aliàs ipsemet culpam eorum feret.*
5. *Etiam inferior Magistratus leges sui fori nosse censendus est, ideóque etiam velle statutum prius abrogare, si contrarium illi statuat; modò potestate statuendi & abrogandi præditus sit.*
6. *Generalis consuetudo Principi & inferiori Magistratui æquè cognita censeri debet, atque lex scripta; adeóque etiam per subsequens statutum ei contrarium eandem abrogare.*
7. *Vt autem lex posterior Pontificia contraria Concilio Generali censeatur derogare ei, debet derogatio esse expressa.*
8. *Et si illud nouissimum est, vt est Tridentinum, specialis eius mentio facienda est.*
9. *In rescriptis doctrina tradita vel maximè locum habet.*
10. *Peccat Legislator, si legem reipubl. vtilem abroget; abrogatio verò valida est, & effectum suum consequitur.*
11. *Lex & consuetudo rationabilis particularium locorum & personarum non abrogatur, nisi exprimatur saltem per clausulam generalem.*
12. *Adiunctâ autem generali clausulâ:* Non obstante quocunque statuto, aut consuetudine in contrarium: *censentur omnia sublata, acsi in specie essent expressa.*
13. *Iudex quilibet probabiliter ignorare potest iura consuetudinis locorum alienorum.*
14. *Doctori & alteri asserenti, aut testanti de particulari consuetudine, statuto, priuilegio, non est statim credendum.*
15. *Lex communis per legem contrariam si abrogatur, simul etiam statuta municipalia secundùm legem, aut ius illud commune conditum abrogata censentur.*
16. *Per legem generalem absque clausulæ derogatoria latam, non tolluntur priuilegia non contenta in Corpore iuris.*

NOTANDVM 1. Lex Principis posterior abrogat priorem, quatenus ei cōtraria est, etiam nulla facta mentione prioris legis. Idem habetur in l. sed & posteriores 27. ff. de legibus. Probari debet: Posterior voluntas, si & potestas adsit, superat priorem, ac tollit, si ei contraria sit: In legislatore autem adest potestas tollendi, seu abrogandi priorem legem, vti ponimus. Adesse 1

esse autem voluntatem, inde conuincitur, quia Princeps scit omnes leges suas, seu Reipubl.suæ:Consequenter,si legem condat, quæ priori contraria est,adeóque cum ea consistere nequit, hoc ipso eam sublatam vult.

Aduerte autem, quod dixi, abrogari legem priorem per posteriorem, *quatenus ei contraria est*, siue cum ea consistere non potest. Cùm enim lex omnis,præsertim quæ toti regno seu Reipubl. communis,cum ratione constituta esse debuerit pro communi vtilitate,cap.2. dist.4.ideo magnus legis, siue iuris communis fauor est ; Adeóque correctio,seu abrogatio,aut derogatio odiosa,&,nisi necessitas cogat,non asserenda,sicuti docui lib, 1. moral.Theol.tr.4. cap.18.n. 2.& inter alios videri potest Decius in c.1. lect. 1.n.11.de Constit.Suar.lib.6.de legibus cap. 27.n.4.

2 NOTANDVM II. In Principe censetur esse notitia omnium iurium,siue legum communium. Ita hîc significatur, quòd *Romanus Pontifex iura omnia in scrinio pectoris sui censetur habere.* Quod dictum hæreticorum Ministri ludibrij causa quandoque aduersus Romanum Papam obijciunt: sed frustra, & insciter ; cùm id Bonifacius VIII. huius c.auctor, ex Imperatorijs scrinijs mutuatus sit. Ita enim aiunt Impp. Honorius & Theodosius in l.omnium 19. C. de testam. *Toto iure,quod in nostris est*
3 *scriniis constitutum, teste.* Hinc colligitur, quòd error siue ignorantia iuris Principem non excusat ; cùm eius scientiam se habere profiteatur.

4 Ait verò Gl.sum.hîc,id fieri propter *Consiliarios & sapientes assistentes Principi,qui dicuntur pars corporis eius.* Rectè quidemid dicitur,Principem Consiliariorum scientiâ ac prudentiâ adiuuari : Interim verò necessarium,vt & ipse iuris ac iustitiæ gnarus sit, curámque Reipubl.& subditis iustitiam administrandi principaliter gerat ; nõ autem omnem, aut pænè omnem in alios conijciat : Eò quòd Dominus Deus,qui omnia prouidentissimè agit, ipsiusmet Principis,tanquam ministri sui cor,proximè erudit,ac dirigit, Prouerb. 8. *Per me reges regnant, & legum conditores iusta decernunt.* Ideo Salomon Rex lib.3.Regum c.3. v.6.petijt à Domino *cor docile, vt populum iudicare possit,& discernere inter bonum & malum,* Quandoquidem etiam inter ipsos Consiliarios reperiri possunt, qui vel scientiâ destituti sint,vel rectè agendi voluntate ; proprijs aut priuatis,minúsue ponderantibus rationibus magis quàm bono publico, iustitiæ,ac veritati seruientes. Et tum vel maximè error contingere potest, si ex plurium consultorum suffragijs Princeps decernere solitus sit : cùm fieri possit,vt sapientes ac intelligentes numero ab alijs superentur ; ijsque se opponere efficaciter non audeant : Tunc verò ad Principem pertinebit,inter bonum & malum, rectum & non rectum discernere ; alioquin ipsemet culpam feret. Si enim,quæ Consiliariorum,Officiariorúmque seu pacis,seu belli industriâ laudabiliter acta sint, Principis honori ac laudi tribuuntur ; cur non & quæ mala acta sunt,eidem adscribi debeant. Quare Salomon cap.6.sapientiæ v.2.& seqq ita Reges ac Prineipes hortatur : *Præbete aures vos, qui continetis multitudines,& placetis vobis in turbis nationũ : quoniã data est à Domino potestas vobis,& virtus ab Altissimo, qui interrogabit opera vestra,& cogitationes scrutabitur : quoniã cum essetis ministri regni illius, non rectè iudicastis ; nec custodistis legem iustitiæ, neque secundùm voluntatem Dei ambulastis. Horrendè & citò apparebit vobis : quoniam iudicium durissimũ his, qui præsunt, fiet.*

Ampliari debet tradita doctrina primò ; 5 Quòd etiam inferior magistratus,seu legislator leges sui fori,seu iurisdictionis, nosse censendus sit ; & ideo si quid ijs contrarium statuat,abrogare prius statutum velit; Cùm eadem proportionalis ratio sit, dummodo magistratus statuendi,& abrogandi potestate præditus existat. Secundò,quod dictum est de lege communi,idem quoque dicendum de generali cõsuetudine ; cùm & ipsa lex quædam,siue ius non scriptum sit ; & ideo æquè Principi,seu Legislatori cognita censori

6 seri debeat, atque lex scripta; consequenter si generali seu communiter receptæ consuetudini contrarium quid statuat, censetur eam reuocare, seu ei derogare velle, prout hîc annotauit Gl. ver. singularium, Baldus in l. 2. circa finem, C. Quæ sit longa consuet. Felin. in c. super literis n. 8. reg. 3. de rescript. quòd Princeps præsumitur scire consuetudines multùm vulgares, maximè loci, in quo ipse residet: Et ideo condendo legem consuetudini contrariam, videtur ei derogare velle, licèt consuetudinis mentionem non faciat. Et hoc ipsum locum habere in inferioribus, v.g. si ciuitas statutum condat aduersantem consuetudini, quòd eam reuocare censeatur, docuit Petr. Rauennat. de consuet. n. 106. Abb. in c. vlt. n. vlt. de consuet. Dummodò, quod semper supponitur, ciuitas tali potestate prædita sit, prout annotauit Suarez lib. 8. de legibus cap. 20. n. 8.

7 Limitari autem debet tradita doctrina, quòd lex posterior Pontificia contraria Concilio generali, non censeatur ei derogare, nisi derogatio expressa sit, prout docet Rochus Curtius in c. vlt. de consuet. n. 546. & alij communiter, apud citatos in moral. Theol. lib. 1. tr. 4. cap. 2. Quare dici solet, post Archidiac. super hoc c. quòd Concilij generalis constitutio tacitam continet clausulam derogatoriam omnium subsequentium dispositionum, quæ contrariæ sunt. At verò in alijs legibus communibus necesse est cõtineri expressam clausulam seu cautionem, vt per leges subsequentes censeri non debeant reuocatæ, nisi earum mentio fiat in posterioribus, sicuti cum Ioan. Andr. hîc notauit Philipp. Francus n. 12. Addit verò Suarez lib. 3. de matrim. disp. 26. n. 7. cum Hen-
8 riq. lib. 7. de indulg. cap. 26. n. 3. si Concilium generale nouissimum sit, vt nunc est Tridẽtinum, specialem eius mentionem faciẽdam esse, neque sufficere generalem clausulam, *non obstante quacunque lege, etiam Concilii generalis.*

9 Porrò tradita doctrina quàm maximè locum habet in rescriptis, prout constat ex c. nonnulli 28. vbi latè Felin. n. 3. 5. & seqq. c. eam, tract. 4. de ætate & qualitate, c. ex parte, de capellis Monachorum; propterea, quòd in his, propter impetrantium importunitatem, errores facilè contingant, sicuti Gl. indicat cit. c. ex parte, ver. nulla mentio. At verò leges maturiore cum examine, atque ex Principis certa scientia prodire solent, secundùm Glossam super hoc c. verbo noscatur. Quamobrem, si ex coniecturis colligi possit, mentem Principis fuisse per posteriorem legem publicè latam ac promulgatam, derogare legi anteriori Concilij generalis, clausulâ derogatoriâ opus non erit. Idémque de testamento posteriore, reuocatoria testamenti prioris, in quo etiam expressa clausula posita est, ne reuocatum cẽseatur, nisi clausulæ mentio fiat, reuocatum nihilominus censeri, & posterius preualere, si appareat de voluntate testatoris, ex communi docuit Iulius Clarus lib. 3. sent. §. Testamentum, n. 8. §. Cæterùm.

Sed neque in rescriptis contra qualecunque ius positiuum, cui à Principe derogari queat, dummodò constet, quòd ex Curia prodierint, & ex certa scientia, aliud requirendum est, sicuti Francus hîc docet n. 10. & Imola in cit. cap. nonnulli, n. 6. Exemplum affert Francus; Si Papa scienter, licèt ad petitionem & instantiam alicuius, rescribat, vt impuberi beneficium curatum conferatur; satis esse, quòd ex tenore ac forma rescripti appareat de certa scientia Papæ, licèt clausula *Non obstante* &c. adiecta nõ sit. Verumtamen si aliquid insolitum, aut contra publicam vtilitatem rescriptum sit, nunciare oportet, vt secunda iussio fiat, Auth. Vt nulli Iudicum, §. Et hoc verò iubemus, coll. 9. & tradit Gl. in l. vlt. ver. generali C. Si contra ius &c. Deinde si in d. anteriore contineatur clausula derogatoria contrariorum rescriptorum, tunc non sufficit Papam ex certa scientia rescribere contra ius illud, nisi specialem mentionem faciat, sicuti Imola & Francus cit. locis docent, & videri potest Felin. in c. postulasti n. 2. & quæ ibi dicam, hoc tit.

Qværi hîc potest primò: Vtrùm legis- 10
lator arbitratu suo legem anteriorem reuocare, seu abrogare possit? Responsio est affirma-

firmatiua, saltem vt abrogatio valida sit. Nam sicuti legis constitutio, ita & eius conseruatio, abrogatioque pendet à libera voluntate legislatoris; siue is vnus & absolutus sit, siue dependens à proceribus, concilio, aut plebe. Quare dici solet, quòd eiusdem potestatis est ligare & soluere; legem condere & tollere: nam per quas causas aliquid nascitur, per easdem etiam dissoluitur, cap. 1. de reg. iuris. Peccat tamen legislator, si legem Reipublicæ vtilem abroget; abrogatio verò effectum consequitur. Et potest hoc loco discrimen annotari; tametsi lex, si sine ratione & vtilitate lata sit, vim nullam habeat; abrogatio tamen eius, etiam sine ratione & vtilitate, effectum consequitur. Nam sicuti in aliis plerisque rebus plus requiritur ad rei generationem, quàm eiusdem corruptionem, seu abolitionem, ita & ad legis abrogationem sufficit voluntas auctoris exterius indicata; sed ad legis constitutionem multa requiruntur, vti docui lib. 1. Theol. moral. tract. 4. cap. 1. Dicunt verò Canonistæ, nominatim Innocent. in cap. quantò, ibid. Abbas num. 13. de consuetud. Nicolaus Euerardus loco argum. 129. num. 13. resistendum esse Papæ, si absque ratione statum vniuersalis Ecclesiæ noua lege immutare attentaret; vt si Quadragesimæ legem, aut de bigamis non ordinandis tollere vellet.

NOTANDVM III. Princeps lege lata non censetur derogare velle particularibus locorum & personarum statutis ac consuetudinibus; nisi exprimat; dummodo ea rationabilia sint. Ita habetur in textu, atque ratio adiungitur: Cùm enim huiusmodi statuta & consuetudines facti sint, & in facto consistant, ea Princeps probabiliter ignorat; consequenter censeri non potest ea reuocare velle; nisi exprimat, saltem per clausulam generalem, non obstante quocunque particulari statuto aut consuetudine in contrarium. Vbi statim obiici potest, quòd etiam statuta & consuetudines locorum particularia, quædam iura sunt; & ideo non rectè facti dicantur, quasi in iure non consistant. Respondeo, Pontificem non negare, ea in iure consistere; cùm dicat eorum vim & obligationem, si rationabilia sint, permanere. Quod itaque ait, facti esse seu in facto consistere, pertinet tantùm ad quæstionem An est; num videlicet & quænam talia statuta & consuetudines existant, cùm ad factum pertineat, Pontificem probabiliter ignorare; & ideo censendum non esse, de iis vel cogitationem, vel abrogandi voluntatem suscepisse; nisi in lege à se lata exprimat, vti dixi.

Corollarium I. Si Princeps legi generaliter latæ clausulam: *Non obstante quocunque statuto, aut consuetudine in contrarium*, adiiciat, censeri debent omnia sublata: perinde ac si in specie expressa essent. Ita docet ex communi Andr. Gaill lib. 2. obs. 18. nu. 2. Cùm enim Princeps particularia statuta & consuetudines in specie scire non debeat, & plerumque non possit, ideo sufficit clausula derogationis generalis, ac veluti conditionalis; si quæ contraria sint, &c. His adde, quòd interdum lex non tantùm tollat contraria ei statuta aut consuetudines; sed etiam damnet & improbet, tanquam irrationabilia, publico bono noxia, aut peccati nutritiua; tunc verò non tantùm tollit, quæ in præsenti tempore vigent, sed etiam impedit, ne in futurum constitui aut introduci possint, sicuti docent Legistæ in l. omnes populi, vbi Vdalricus Zasius concl. 5. ff. de iustit. & iure, Baldus in Auth. omnes peregrini n. 2. C. Communia de succes. Gaill cit. loco. Exemplum afferri solet ex Authent. Nauigia C. de furtis, vbi prohibetur, ne bona naufragantium eripiantur, *sublata penitus omnium locorum consuetudine*. Adde, si lex lata (præsertim canonica) aliquid prohibeat, tanquam per se siue ex proprio obiecto illicitũ, eo ipso tolli statuta & consuetudines in contrarium; ita vt neque in futurum introduci queant, sicuti Gaill & alij annotârunt. 12

Dixi autem præsertim canonica lege: Nam si ciuilis lex contractum v.g. tanquam vsurarium damnet; at verò Doctores aliqui, præsertim Theologi, quorum est hoc

examinare, probabiliter censeant vsurarium non esse, sed iustum, fieri potest, vt contra eam legem statuta & consuetudines locorum retineantur: Præterquam quòd eiusmodi leges prohibentes contractum vt illicitum vel vsurarium, seu Imperiales seu Pontificię, interdum intelligi debeant secundùm præsumptionem fori externi: ideóque ad Iudices prę cipuè tendant, vt secundùm eam præsumptionem iudicent. Cuius rei exemplum de censu vtrinque redimibili attuli in Theol. moral. lib. 3. tract. 4. de iust. cap. 18. nu. 6. ver. Alterum.

13 Corollarium II. Ex Petr. Rauenn. in tract. de consuet. n. 10. Iudex quilibet iura consuetudinis locorum alienorum probabiliter ignorare potest. Et ideo licèt iura communia, & quæ loci particularia siue propria sunt, coram Iudice produci non debeant, nec de eis fieri positiones & probationes, aliud tamen sentiendum de consuetudinibus & statutis aliorum locorum.

14 Corollarium III. Doctori, vel alteri personæ simpliciter asserenti, aut testanti de particulari consuetudine, aut statuto loci, vel accepto priuilegio, non est statim fides habenda. Ita docet Alexander Imoleus, in l. post dotem n. 29. ff. solut. matrim. Petr. Rauennates in tract. de consuet. nu. 178. Nauarr. in c. placuit d. 6. de pœnit. in fine. Quæ enim in facto consistunt, non simpliciter poni & asseri, sed demonstrari debent. arg. l. In bello 12. §. factę. ff. de capt. & postlim. reuersis. Testes autem, vt plenè rem demonstrent, iurati esse debent, ac voce deponere, vt examinari queant. Accedit, quòd ad statutum legitimè conditum, & in loco vigens: item ad priuilegium, quod in obseruatione existat &c. multò magis ad consuetudinem, vim iuris obtinentem, multa requiruntur, de quibus omnibus testari oporteret, sicuti videre est apud Gaill lib. 2. obseru. 31. n. 16. Veruntamen illud quorundam dictum apud Nauarr. cit. loco, quòd maiori Doctorum parti de consuetudine testatium credi non debeat, explicandum est, ita vt cedat in præiudicium alterius, seu iudicialem cõdemnationem. Attendendum quoque, num Doctores in commentariis suis testentur de consuetudine loci, in quo versati fuerunt: tum enim maior eis fides tribuenda, quàm si ex aliorum relatione acceperint, iuxta ea quæ hîc annotauit Francus num. 14. quòd præsentes & incolæ non censentur ignorare consuetudines locales, sed absentes & peregrini.

Qværitvr hîc cum Gl. ver. facti. Si lex communis à Principe per legem contrariam abrogetur, vtrùm simul etiam statuta municipalia, quæ secundùm legem seu ius illud commune condita sunt, abrogata censeri debeant? Responsio affirmatiua communiter recepta est, vti videre licet apud Felin. in c. 1. n. 15. de reser. Azor lib. 5. Instit. moral. cap. 26. q. 17. Sic enim, vti ponimus, statutum municipale nihil prorsus aliud, aliáue ratione præcipiat, quàm quod communi iure statutum est, tum substantialiter non differt à iure communi, sed est tantùm eius quædam interpretatio, propositio, ac promulgatio ad populum; eò quòd specialis cautio magis attenditur, ac terret, quàm generalis. Vide tamen quæ dicam infrà in c. 1. in fine, de rescript. 15

Id solùm suprà dictis addendum est, doctrinam huius not. 3. per legem generatim latam, absque clausulâ derogatoriâ, non tolli particularia statuta & consuetudines, locum etiam habere in priuilegiis non contentis in corpore iuris: cùm neque eorum omnium notitiam Princeps habere censeatur. Ita ex recepta sententia docet Suar. lib. 8. de legibus cap. 39. reg. 1. Eman. Rodriq. tom. 3. regul. qq. q. 46. art. 1. concl. 1. post Gl. in c. 1. ver. vt liberè, de rescript. 16

CAPITVLVM II.

Vt animarum.

SVMMARIVM.

1. *A censura excusantur non tantùm, qui statutum secundùm se ignorant, sed etiam qui ignorant censuram esse annexam.*
2. *Pontifex hoc c. ex proposito loquitur non de censuris Pontificiis, sed inferiorum*

rum Ordinariorum, quamuis responsio ibi tradita locum habeat etiam in Pontificiis.

3. *Subditus Episcopi non incurrit excommunicationem latam per statutum Episcopi, si contra illud agat extra Diœcesin, secus est, si illa feratur per præceptum.*

4. *Ex regula iuris, quòd Iudici, si extra territorium, vel supra modum suæ iurisdictionis ius dicere velit, impunè non paretur, colliguntur corollaria.*

5. *Locus plenissimè exemptus intra diœcesin, æquiparatur loco extra diœcesin; non autem ille, qui plenissimè exemptus non est: vnde subditus Episcopi in hoc delinquens obligatur illius statuto.*

6. *Potest Episcopus in Monasterio nõ plenissimè exempto citare & iudicare personas sibi subditas validè; non autem licitè, sine consensu Abbatis loci, qui ad hoc, vt licitè hæc fiant, requiritur.*

CApitulum istud suas partes continet; Prima his verbis Bonifacij VIII. constat; *Vt animarum periculis obuietur, sententiis per statuta quorumcunq; Ordinariorum prolatis, ligari nolumus ignorantes; dummodo eorum ignorantia crassa non sit, aut supina.*

Circa hunc textum dubitari solet, de quibus sententiis Pontifex loquatur; Et num de sententiis etiam per Pontificias leges, an solùm per episcopalia, seu similium Ordinariorum statuta latis, sermo sit; Et num aliquid noui statuere decreuerit Bonifacius. Respondeo breuiter ex mente Glossæ super hoc c. Ad 1. Pontifex præcipuè, & ex instituto loqui videtur de censuris per statuta promulgatis, *si quis* v. g. *furtum commiserit*; aut, *si quod iniustè accepit, non restituerit, excommunicatus esto*; eiusmodi sententiâ non 1
ligari ignorantes, nisi ignorantia crassa sit. Et quia hoc est iuris beneficium seu potiùs benigna interpretatio, latè accipi debet, quatenus materia obiecta permittit; vt sensus sit, non tantùm eos à censura excusari, qui statutum secundùm se ignorant; sed etiam qui ignorant annexam ei censuram. Quod sanè peculiare est in censuris, atque in aliis propriè dictis pœnis locum non habet, vt, tametsi aliquis sciat opus secundùm se prohibitum esse, si tamẽ nesciat annexam censuram, eam non incurrat: Quia ad censuram requiritur contumacia & virtualis quidam contemptus; non autem contemnit qui ignorat, iuxta l. Qui ignorans 50. ff. locati, prout etiam docui lib. 1. Theol. moral. tract. 5. p. 1. c. 5. n. 7. Excipitur verò ignorantia crassa; si videlicet alicui in mentem veniat rationabiliter dubitare, num opus aliquod sub ecclesiastica censura prohibitum sit; & nulla, vel vix vlla inquisitione facta, illud facere aggrediatur: siquidem & iste contemnere censetur, quando ita temerè se committit periculo agendi contra ecclesiasticæ censuræ prohibitionem. Hæc est doctrina Suar. de cens. disp. 4. sect. 9. n. 19. Molinæ tract. 5. de iustit. disp. 71. num. 9. quamuis de hac re variæ sint DD. sententiæ, vti videre licet apud Suar. in cit. disp. 4. sect. 9. & 10. Syl. ver. excommunic. vlt. quæst. 3.

Ad 2. Pontificem ex proposito non loqui 2
de censuris Pontificiis; sed inferiorum quorumcunque Ordinariorum. Id enim colligi videtur ex contextu, & verbo *statutis*, quo ius commune seu canones vniuersales plerumque comprehendi non solent. Ratio autem, cur de his tantùm statutis hîc sermo sit, dari alia non potest, nisi quia super his duntaxat quæstio mota fuit; cùm eiusmodi statuta in diœcesibus promulgata, citiùs in omnium diœcesanorum notitiam deueniant; & ideo ignorantia minùs probabilis esse videatur, quàm in Pontificiis de nouo editis Romæ decretis. Interim verò certum esse debet, responsionem c. huius etiam in Pontificiis constitutionibus, seu bullis, sub censuræ cõminatione latis, locum habere, vti tradiderunt DD. iam citati, & dixi etiam in cit. c. 5. n. 7. Cæterùm si quispiam contendere velit, verbum *statuti* hoc in loco latè accipi posse, vt omnem legem ecclesiasticam comprehendat; item nomen *Ordinariorum*, vt etiam Papam contineat, cùm ipse sit Ordinarius Ordinariorum, non multùm ei repugnabo.

Ad 3. dicendum, nihil hîc de nouo Pon-

tificem statuisse; sed quod rei natura postulat, atque iuri communi canonico conueniens est, declarãdo exposuisse. Ita docui etiam in suprà cit. num. 7. & tradidit Domin. Sotus in 4. d. 22. quæst. 1. art. 2.

Altera pars huius c. hæc verba complectitur: *Statuto Episcopi, quo in omnes, qui furtum commiserunt, excommunicationis sententia promulgatur, subditi eius furtum extra ipsius diœcesin committentes, minimè ligari noscuntur: cùm extra territorium ius dicenti non pareatur impunè.*

Est itaque hoc NOTANDVM, quòd subditus Episcopi, seu diœcesanus non incurrit excommunicationem latam per statutum Episcopi, si contra illud agat extra diœcesin.
3 Nam nemo legem ferre potest vltra limites iurisdictionis suæ, vti hîc dicitur in fine c. & sumptum est ex l. vlt. ff. de iurisdict. omn. iudicum: Sin autem Episcopus subditos seu diœcesanos suos per statutum obligare vellet, existentes extra diœcesin, tum extenderet legem seu statutum extra limites iurisdictionis suæ: Quandoquidem lex, seu statutum per se & immediatè tendit ad locum subiectum, videl. territorium seu diœcesin, eique quasi cohæret; Et ideo non potest afficere seu constringere quemquam, si extra territorium aut diœcesin existat. Alia verò ratio est de Superioris præcepto: si v. g. subdito ex diœcesi discedenti sub pœna excommunicationis præcipiatur, ne furetur: incurrere is censuram potest delinquendo extra diœcesin; Quia præceptum Superioris, sicuti & Iudicis sententia, immediatè tendit in personam subiectam, eiúsque veluti ossibus hæret, quocunque terrarum discesserit. Videri possunt quæ dixi fusiùs in cit. tr. 5. p. 1. cap. 4. coroll. 3. n. 7. & tract. 4. eiusd. libri 1. cap. 11. n. 1. & 2.
4 Porrò ex tradita iuris regula, quòd *Iudici, si extra territorium, vel supra modum suæ iurisdictionis ius dicere velit, impunè non paretur*, corollaria quædam colligit Vdalricus Zasius super eadem l. vlt. ff. de iurisd. omn. Iudicum. I. Si Archiepiscopus in Coëpiscopi sui diœcesi fortè commorans, ibi causas per appellationem ad se deuolutas tractare velit: excipi potest, quòd extra diœcesin ius dicenti impunè non paretur. II. Si Vniuersitas studiorum pestis tempore aliò commigret, Rector in aliena ciuitate ac veluti extra territorium suum, inter Studiosos ius dicere non potest: nisi noua promissione, aut iuramento se obligent ac subiiciant, etiam in ordine ad illum locum. III. Qui bannitum ex territorio proscriptum, offendendi facultate concessa, extra territorium offendit, puniri potest, iuxta doctrinam Baldi in l. 1. n. 6. ff. de hæred. instituendis, quòd *sententia banni nõ excedat territorium bannientis*, siue proscribentis. IV. Familia Iudicis criminosum fugientem extra territorium, seu in alieno territorio persequi non potest, aut capere, prout etiam docuit Baldus in c. cùm olim, in fine, de dolo & contumacia; Bartol. in l. quod ait lex, princ. ff. Ad L. Iuliam de adulter. Interdum tamen consuetudo permittit, vt liceat reum capere ad præsentandum Iudici loci, teste Zasio ibidem.

QVÆSTIO est, Si statuto episcopali aleæ ludus prohibitus sit clericis, num ludentes in loco exempto existentes intra diœcesin, cõtra statutum peccent; atque censuram, si quæ annexa sit, incurrãt? Quæstionẽ hanc, referendo Doctores, tractaui lib. 1. Theol. moral. tract. 4. cap. 11. n. 5. Quidam enim v- 5
niuersim aiunt, locum exemptum æquiparari loco extra diœcesin, vt Ioan. Andr. hîc & Zasius in suprà cit. l. vlt. col. 3. dans exemplum de Monasteriis, quæ tantùm Papæ subsunt. At verò Suarez de cens. disp. 5. sect. 4. n. 6. excipit ecclesias & monasteria Religiosorum exemptorum, aitque in his clericos Episcopo subditos obligari lege diœcesana. Mihi videtur verisima sententia Petr. Ancharani hîc, quam refert & sequitur Philip. Francus hic n. 11. Vel locus siue ecclesia est per se ac plenissimè exempta, etiam ratione populi, ita vt Prælatus eius quasi episcopalem iurisdictionem exerceat. In hoc casu vera est doctrina, quòd locus exemptus intra diœcesin æquiparatur loco extra diœcesin, & sumitur ex c. Episcopus 7. de off. Ordin. in 6. vbi de Episcopo dicitur, dubium non esse, *quin in quolibet loco ipsius diœcesis nõ exemp-*

pto,

pto, per ſe, vel per alium, poſſit pro tribunali ſedere: vnde per ſenſum contrarium colligitur, quòd in loco exempto iudicia exercere non poſsit: idque ne validè quidem. Vel locus ſiue eccleſia non eſt pleniſsimè exempta, quia vel populum ſubiectum non habet, vel is ab Epiſcopo exemptus non eſt; adeóque Prælatus loci quaſi epiſcopalem iuriſdictionem habere non cenſetur. In hoc caſu, vera eſt doctrina Friderici de Senis in conſil. 2. allegata & commendata hîc à Franco cit. n. 11. quòd *ſubditus Epiſcopi delinquendo in loco exempto, obligatur ſtatuto eius:* Quia priuilegia iſta exemptionis, quatenus ſunt præiudicátia iuriſdictioni ordinariæ Epiſcopi, ſtrictam interpretationem recipiunt; neque debent de caſu expreſſo ad alios non expreſſos extendi, argum. c. cum capella 16. de priuileg. Et præberet hæc res occaſionem delinquendi, turbarétque non parum diœceſalem Epiſcopi iuriſdictionem, ſi ea erga Religioſorum Monaſteria & Colgia, aut ſimilia loca exempta, etiam comparatione ſubditorum in ijs delinquentium, ſe non protenderet, vti per ſe patet.

Quamobrem, ſi Epiſcopus in eiuſmodi 6
Monaſterio exiſtens, perſonas ſibi ſubditas citaret, & iudicia inter eas exerceret, acta valida forent, nec poſſent ſubditi cõtra proceſſum excipere: ſed vt licitè ac conuenienter hæc fiant, requiritur conſenſus Abbatis loci. Quæ doctrina ſumitur ex c. luminoſo 6. cauſa 18. q. 2. & traditur à Gl. in Clem. vn. ver. aut earum parte, de foro compet. Et ab hac ſententia non diſcrepat P. Suarez cit. loco: ſolùm enim dicere intendit, Monaſteria & eccleſias Religioſorum exemptorum, nõ eſſe omninò ac pleniſsimè exempta; & nõ tam per ſe ac ratione ſui, quàm perſonarum priuilegiatarum inhabitantium: Adeò quidẽ, vt ſi accidat, Religioſos locum ſeu eccleſiam deſerere, aut in Religioſos vel Clericos non exemptos transferẽdo alienare, ea haud dubiè ſub iuriſdictionem Epiſcopi recaſura ſit: quia ſublato principali, tollitur acceſſorium; ſiue, ſublato eo, quod eſt per ſe, tollitur etiam id, quod eſt per accidens.

TITVLVS III.

DE RESCRIPTIS.

SVMMARIVM.

1. *Reſcriptum vim conſtitutionis & legis obtinet.*
2. *Et ſi propriè accipitur, eſt datum à Principe reſponſum, ad alterius conſultationem, ſuggeſtionem aut petitionem.*
   Differt ab oraculo, epiſtolâ decretali, & priuilegio ſeu bulla gratiæ. in quo?
3. *Reſcripta alia generalia ſunt, quæ omnes ſubditos obligant; alia ſpecialia, quæ ius faciunt inter partes, & in negotiis, pro quibus emanârunt.*
4. *Reſcriptum aliud eſt ſecundùm leges communes, & propriè Reſcriptum dicitur; aliud contra illas, & vocatur priuilegium; aliud denique præter eas, & dicitur gratia ſeu beneficium Principis.*
5. *Similis diuiſio eſt in Reſcriptum iuſtitiæ, & gratiæ ſeu beneficii.*

REctè poſt Conſtitutiones ſiue leges, de reſcriptis Principum tractatur. Nam ea vim legis 1
obtinere ait Vlpianus in l. 1. ff. de Conſtit. Principum, *Quod Principi placuit, legis habet vigorem.* Veruntamen ex ſeq. §. eiuſd. l. colligitur, Vlpianum legis vocabulum latè accepiſſe, pro quacunque conſtitutione, iuſsione, aut ſententia robur habente ſecundùm plenam Principis, à quo proficiſcitur, poteſtatem:

Inquit enim, *Planè ex his* (constitutionibus) *quædam sunt personales, nec ad exemplum trahuntur*: cùm tamen dictæ leges commune, & ad omnes pertinens præceptum continere debeant, l. 1. & seqq. ff. de legibus, & dixi suprà in c. 1. tit. præced. In antiquis.

2 Pro maiore intellectu, aduertendum primò, Rescriptum Principis, si propriè accipiatur, aliud non esse, quàm à Principe in scripto datum responsum, ad alterius consultationem, suggestionem, aut petitionem. Quare differt ab oraculo, quòd viuæ vocis responsum est: Deinde differt ab epistola decretali & priuilegio, seu bulla gratiæ; quòd hæc non semper dentur ad alterius petitionem, vel suggestionem: sed interdum proprio motu Principis, nullâque præcedente petitione.

3 Aduertendum secundò; Rescripta seu responsa Principis, alia generalia sunt, & alia specialia. Generalia sunt, quæ vim obligandi erga omnes, seu in omni loco subiecto habent; Vel quia eâ mente primitùs data sunt, l. 3. §. Diuus Adrianus, ff. de sepulchro violato; & exemplũ est in l. vlt. C. de temp. in integr. restitutionis: Vel quia postea in corpus iuris cum auctoritate redacta, atq; omnibus proposita sunt, vt vim legum seu decretorũ haberent, vt constat ex præfat. Gregor. IX. Papæ super quinque libr. decret. & cap. 1. d. 20. & annotauit Bartol. in l. 1. ff. de constit. Princip. & videri possunt quæ dixi tit. præced. in c. 1. n. 6. Specialia autem rescripta, seu responsa sunt, quæ cum respectu ad certam causam, personas, locum, vel tempus emanârunt, iuxta c. 1. d. 29. neque maiorem postea extensionem acceperunt. Et de his sermo est in l. 2. C. de legibus, vbi dicitur, quòd responsa Principis ad relationes & suggestiones Iudicũ in certo negotio, sicuti & priuilegia, seu concessiones factæ alicui prouinciæ, ciuitati, aut Curiæ, *generalia iura non sint, sed leges faciant his duntaxat negotiis, ac personis, pro quibus fuerunt promulgata.*

4 Aduertendum tertiò; Rescriptum Principis aliud esse secundùm leges communes, quod nomen rescripti strictè & propriè sibi vendicat: De his sermo est in l. penult. C. de precibus Imperatori offerendis, quòd *rescripta Principis contra ius elicita ab omnibus Iudicibus refutari conuenit.* Aliud verò est contra communes leges, & dicitur priuilegium, quasi priuata lex, in fauorem a icuius specialiter data, c. 3. d. 3. Aliud denique est rescriptum præter legem, quod dicitur gratia seu beneficium Principis. Quamquam, vt suprà dixi, gratia, & priuilegium latiùs etiam patent, quàm rescriptũ propriè & strictè acceptum. Id enim requirit, suggestionem seu petitionem præcessisse: At verò gratia & priuilegium interdum datur proprio motu & nullâ præcedente petitione, vt suprà dixi. Interim verò nihil prohibet, quin clausula *motûs proprii* apponatur propriè dicto rescripto, si videl. antecesit petitio, sed Pontifex non eam ex ea, quàm ex sua gratia & liberalitate moueatur ad concedendum, vti videre est apud Petr. Rebuffum in praxi benefic. tit. de clausulis mandator. n. 2.

Similis diuisio est, quòd rescriptum aliud est iustitiæ, seu tendens ad iustitiæ ad- 5
ministrationem idque plerumque esse solet ad lites iudiciarias, si videl. partibus in iudicio contendentibus, ad controuersiæ terminationem Princeps secundùm iura rescribat. Aliud verò est rescriptum gratiæ, seu beneficii, quod ex mera Principis liberalitate in fauorem alicuius, contra, aut præter commune ius conceditur: Et hæ vel gratiæ absolutæ sunt, in nullius grauamen cedentes, de quibus sermo est in suprà cit. l. penult. C. de precibus Imper. offerendis; *si sit aliquid, quod non lædat alium, & prosit petenti, vel crimen supplicantibus indulgeat*, seu condonet. Vel gratiæ respectiuæ, & cum alterius onere, aut iuris aliquo præiudicio iunctæ. Tametsi verò istæ gratiæ, seu priuilegia, præsertim si nullâ antecedente petitione, motu proprio procedant, nõ propriè rescripta dici debeant, latè nomen eo nomine etiam comprehenduntur, prout Abbas annotauit in rubr. huius tit. dicens, ita hîc accipi, quia sub hoc titulo de rescriptis tracta-

tractatur etiam de priuilegijs, & reſcriptis beneficialibus. Videri etiam poteſt Rebuff. in praxi benef. p.1.tit.de differ. inter reſcripta gratiæ,& iuſtitiæ,& in tract.de reſcript. & literis regijs in præfat.n.11.& ſeqq.Petr. Greg. Tholoſanus lib.1.de reſcript. cap. 2. diuiſ.3.

CAPITVLVM I.

Sicut Romana.

Paraphrasis.

Titio à Sede Apoſtolica generaliter conceſſa fuit licentia appellandi: poſtea verò Pontifex cauſam,quæ inter Titium & Caium erat, Iudicibus delegatis, ſublato appellationis remedio,commiſit: ſed Titius poſtea à ſententia Iudicum appellauit. Hoc caſu reſpondit Alexander III. appellationem illius admittendam non eſſe: quia ſpeciale reſcriptum de non admittenda appellatione in certa cauſa derogat generali reſcripto, ſeu priuilegio appellandi à Iudicibus.

Svmmarivm.

1. *Poteſt Papa,& quilibet ſupremus Princeps (ſolus tamen) iudici delegare cauſam, ſublato appellationis remedio.*
2. *Poteſt etiam Princeps alicui per priuilegium concedere, vt ei liberè appellare liceat.*
3. *Priuilegium,ſi fieri poteſt (vti poteſt in prædicto priuilegio) ita explicandum eſt, vt aliquid vltra ius commune tribuat.*
4. *Mandatum ſpeciale derogat generali.*
5. *Et ſi mandatum ſit lex generalis, ei derogat lex ſpecialis, ſiue hæc ſequatur, ſiue præcedat.*
6. *Legi generali non derogat reſcriptũ iuſtitiæ ei contrarium.*
7. *Derogatur ei per priuilegium ſtrictè acceptum,quod eſt contra ius ſeu commune legem; quod eſt præter vel vltra ius,priuilegium eſt latè acceptum.*
8. *Priuilegium (latè acceptum) generale derogatur & limitatur per ſpeciale reſcriptum,ſeu aliàs conceſſum priuilegium.*
9. *Reſcripto generali, ſiue iuſtitiæ ſit,ſiue gratiæ, aut beneficiale, derogatur per alterum ſpeciale; quod tamen cum limitatione intelligendum.*
10. *Non valet Reſcriptum à Pontifice, nec executioni mandari debet,per quod illegitimo confertur Canonicatus Eccleſiæ; in qua ſtatutum viget, vt nemo illegitimus Canonicus inſtituatur, niſi huius ſpecialis mentio fiat,aut reſcripto inſerta ſit clauſula derogatoria.*

Notandvm I. Rom. Pontifex,tanquam ſupremus Iudex in rebus eccleſiaſticis, poteſt Iudici cauſam delegare, ſublato appellationis remedio. Sed id præter Principem ſeu ſupremum iudicem, nemini alteri conceſſum eſſe, conſtat ex c.ſuper quæſtionum 27.iun.Gl.ver.prouocationis,de off.delegati,l.1.§.Interdum,ff. A quibus appellare non licet,& videri poteſt Gl. in c.vlt.ver.figura,de hæret.in 6. quòd inferior Principe, etiam Legatus, non poſsit conceſſa alicui iuris remedia auferre. 1

Notandvm II. Princeps alicui per priuilegium concedere poteſt, vt liberè ei appellare liceat: Ita apertè colligitur ex textu cit. Sed eſt difficultas, quam hîc mouet Gl. ver.vt liberè. Priuilegia enim ita concedi debent,vt quippiam operentur,ideóque aliquid tribuant,quod iure communi conceſſum non eſt,vti conſtat ex l. 1. C. de theſauris lib.10.& c.in his 30.de priuil. vbi id tradit Gl. communiter recepta ver. ex indulgentia. Atqui communi iure omnibus remedium appellationis conceſſum eſt; maximè in cauſis eccleſiaſticis ad Rom.Pontificem c.de appellationibus 11. c. ſuper eo 12.de appellat. Ergo inutile fuit priuilegium ſeu indultum à Sede Apoſtolica Titio datum, vt liberè appellare liceat. 2

Duplex

Duplex est responsio, quæ vtraque vera esse potest : Prima quam indicat Gl. cit. & probat Innoc. hîc, ver. Vel dic melius ; Nihil de nouo per hoc priuilegium concessum fuisse ; sed communiter competentem appellandi facultatem speciali prouisione corroboratum ; quia id interdum, v. g. ob aduersariorum potentiam, expedit ; siquidem specialis cautio plus timetur, quàm generalis, c. quamquam 6. d. 23. vbi id, allegato isto c. annotauit Gl. ver. plus, quòd *aliquis iure communi, & dato priuilegio tueri se potest.* Et secundùm hunc intellectum facilè defenditur ratio responsi Pontificij, quæ in fine c. ponitur, *quia speciale mandatum derogat generali.* Mandatum enim seu rescriptum à Principe emanans contra ius commune, derogat ei, etiam non factâ ipsius mentione ; dummodò eiusmodi derogatio insolita non sit, siue contra Curiæ stylum, vti constat ex ijs, quæ dixi in c. 1. de constit. in 6. Cùm itaque id frequens sit, vt Papa causam alicui specialiter committat, non adiectâ clausulâ derogatoriâ iuris communis, cognoscendam, ac terminandam remoto appellationis remedio ; ideò, si ponamus, per indultum illud Apostolicum Titio substantialiter nihil concessum fuisse, nisi quod iure communi competebat ; sequitur, huic indulto per speciale subsequens mandatum seu rescriptum derogatum fuisse.

Altera est responsio Hostiens. in summa tit. de rescriptis, §. sed potest distingui, quam reprobat Gl. hîc ver. vt liberè, sed defendit Ant. de Butrio n. 10. Indultum quodlibet, siue priuilegium, si fieri possit, ita explicare conuenit, vt aliquid vltra ius commune, seu quod communi iure concessum non est, tri-
3 buat, vti apertè habetur in cit. c. in his : quando itaque in casu huius c. priuilegium Titio concessum fuit, vt ei liberè appellare liceat, explicare debemus, indultum fuisse, vt modis etiam ijs, quibus alioquin communi considerato iure integrum non est, appellare posset ; dummodò concessio absurda & insolita non sit : videl. vt non tantùm bis, sed sæpius in eadem causa : & non tantùm in scripto, sed etiam sine scriptura à grauamine, aut sententia interlocutoria appellare liceat.

Sed secundùm hunc intellectum, difficile est defendere rationem, seu regulam à Pontifice hîc traditam ; mandatum speciale derogat generali ; Non enim verum videtur, quòd priuilegio generali supra, siue vltra ius alicui concesso derogetur per rescriptum seu mandatum speciale, si illius nulla omninò mentio fiat. Idque ostendi potest primò ; Quia posterius hoc rescriptum videtur procedere ex ignorantia priùs dati priuilegij, iuxta c. 1. de constit. in 6. vbi Papa profitetur, se talia, quæ facti sunt, seu in facto consistunt, si in iuris corpore non contineantur, probabiliter ignorare. Secundò, Quia non facilè præsumendum est, quòd Princeps iuri alteri acquisito per prius indultum, derogare velit : siquidem in Principe inconstantia reprehenditur ; & vt ex Baldo refertur consil. 327. *Princeps debet habere vnum calamum & vnam linguã, non plures.* His tamen nihil obstantibus rectè defenditur intellectus ille Hostiensis ex c. dudum 14. de præbend. in 6. vbi habetur, quòd *secundùm canonicas & legitimas sanctiones, per speciem generi derogatur, quamquã de genere in derogante specie mẽtio nulla fiat.* Et ex c. quamuis tibi 38. eod in 6. vbi habetur ; Si Papa alicui generatim concesserit facultatem vacantia beneficia suo nomine conferendi ; postea verò alteri beneficium in eadem ecclesia conferat, aut conferri mandet ; posterius istud mandatum seu rescriptum executioni mandandum esse ; *nam primæ generali gratiæ derogat posterior specialis, licèt de illa non fecerit mentionem.*

Ad 1. argum. suprà allatum respondetur ; Rescriptum speciale iuxta casum huius c. non esse omninò contrarium indulto priori generali ; cùm eius fructum & vtilitatem non penitus tollat, sed aliquatenus tantùm diminuat, aut limitet ; in aliis sui partibus, aut occurrentibus casibus integrum relinquens. Sed nec voluntas derogandi priuilegio priùs generatim concesso deest : cùm illud Pontifex eo modo ac conditione concedere

cedere ſoleat vt ipſi integrum ſit, occurrente aliquo caſu, per reſcriptum limitare, aut ei derogare, iuxta cit. cap. dudum, §. nos igitur. Quare tametſi ponamus, Pontificem ignorare, aut non recordari priùs dati priuilegij generalis, hæc tamen ignorantia non eſt cauſa poſtea dati reſcripti ſpecialis: quandoquidem etiam eâ ſublatâ, probabiliter emanaret. Ad alterum reſpondetur; Si per priùs conceſſum priuilegium ius in re alteri acquiſitum ſit, non eſſe præſumendum, Pontificem poſteriore reſcripto ei derogare voluiſſe, niſi exprimat, ſicuti poſtea dicam. At verò ſi ius in re non acquiſitum, ſed tantùm generalis alicui facultas ad actus publicos ſeu legitimos, qui nunquam ſub Principis diſpoſitione eſſe deſinunt, conceſſa ſit, v. g. appellandi liberè etiam ſine ſcriptura, conferendi beneficia, iudicandi in certo cauſarum genere; exiſtimandum eſt, quòd ſpecifica diſpoſitio generali deroget.

4 NOTANDVM III. Mandatum ſpeciale derogat generali. Ita habetur in fine huius c. & conſentit reg. 81. ff. *In toto iure generi per ſpeciem derogatur; & illud potiſſimum videtur, quod ad ſpeciem directum eſt.* & reg. 34. in 6. Verùm, cùm varia ſint Principis mandata; Aut enim ſunt leges, aut ſunt reſcripta, eáque vel ad lites, ſiue iuſtitiæ, vel reſcripta gratiæ; eáque vel meræ gratiæ, ſeu beneficia; vel propriè & ſtrictè priuilegia, quæ contra ius, ſeu vt derogatoria iuri, data ſunt; aut denique reſcripta beneficialia; De his ſingulis aliquid dicendum, vtrùm mandatum ſpeciale deroget generali.

5 Dico autem I. Legi generali derogat lex ſpecialis, ſiue ſpecialis ſequatur, ſiue præcedat. Quòd lex ſpecialis poſterior deroget priori generali, etiã nulla eius facta mentione, conſtat ex c. 1. de conſtit. in 6. Quòd verò lex ſpecialis priùs lata, deroget poſteriori generali; ſiue, vt aliis verbis dicam, quòd poſterior lex generalis ſaluam relinquat legem priorem ſpecialem, ab eáque limitetur, tradunt Doctores communiter apud Sanch. lib. 2. de matr. diſp. 24. nu. 6. Gl. in cit reg. 34. in 6. Baldus hîc nu. 12. & 13. Rodriq. tom. 1. reg. qq. q. 59. a. 2. qui affert exemplũ. Sit lex aliqua antiqua, quæ nobilibus eorumque filiis vſum armorum permittat, vt ipſis à Iudicis familia auferri nõ poſsint; Poſtea feratur alia lex, quæ generatim vſum armorum prohibeat, non facta mentione, ſeu derogatione legis anterioris ſpecialis: dicendum, eam non tolli per poſteriorem; ſed hanc limitari per anteriorem: quia generi per ſpeciem derogatur: ſiue ſpecies antecedat, ſiue ſequatur. Ratio huius doctrinæ eſt: Cùm enim iuri ũ correctio odioſa ſit, nec ſine neceſsitate introducenda c. cùm expediat 29. de elect. in 6. ideo, ſi fieri poſsit, & mens ſeu voluntas ſtatuentis non apertè repugnet, ita vtramq; legem accipere debemus, vt poſterior generalis anteriorem ſpecialem non corrigat, ſeu aboleat, ſed per eam limitari debeat; cùm id frequentiſsimum ſit, vt regula generalis per ſpecialia quædam limitetur. Aliquando tamen apertè ex verbis colligitur, per legem poſteriorem, vniuerſaliter latam, præſertim ſi prohibitiua ſit, omnia tolli, quæ ei contraria ſunt; quare tunc locum habet regula, quod qui omnia dicit, nihil excludit. c. ſolitæ 6. §. vlt. de maior. & obed.

Dico II. Legi generali ſeu communi contrarium à Principe emanans reſcriptum iuſtitiæ, ei non derogat, ſed falſum & obreptitiũ cenſeri debet. Nam Princeps fons iuſtitiæ eſt, ac veluti lex animata, Authent. de Conſulibus §. vlt. iun. Gl. ver. legem, collat. 4. Et ideo non decet, vt inde iniuriarum naſcatur occaſio, vnde iura naſcuntur, l. meminerint 6. Cod. vnde vi. Dixi de hac re in cap. quæ in eccleſiarum 7. quæſt. 3. dicto 1. de conſtitution. 6

Dico III. Legi generali haud dubiè derogatur per priuilegium ſtrictè acceptum, teſte Abb. hîc num. 8. Petro Rebuffo de reſcript. & liter. regiis in præfat. num. 72. & ſumitur ex l. reſcripta, Cod. de precibus Imperatori offerendis. Nam hæc eſt ratio priuilegij, quòd ſit à Principe ſeu Magiſtratu conceſſa gratia, ſeu indulgentia, aduerſus ius commune ſeu ordinarium, prout tradit idem Abb. in c. olim, num. vltim. de verb. ſignif. & docui in Theolog. moral. lib. 1. tract. 4. cap. 23. num. 5. vbi videre licet, priuilegium interdum 7

latiùs accipi, vt duas species complectatur; quia aliud est priuilegium contra ius, seu communem legem: aliud verò præter ius, seu vltra ius, v. g. potestas absoluendi, dispensandi, ex liberalitate Principis concessa alicui, vel aliquibus, quibus iure communi non competit.

8 Dico IV. Priuilegium (latè sumpto vocabulo) generale derogatur ac limitatur per speciale rescriptum, seu aliàs concessum priuilegium. Hoc est præcipuum huius c. intentum: Quare dicunt Doctores, vti videre est apud Anton. hîc n. 1. Felin. n. 3. Rebuffum de rescript. & literis regijs in præfat. n. 107. Suarez lib. 8. de legibus. cap. 38. n. 5. & seqq. Azor tom. 1. lib. 5. cap. 22. q. 12. quòd *priuilegio generali obstat rescriptum seu priuilegium speciale*. Idque vel maximè locum habet, si priuilegium anteceſsit: Si v. g. alicui immunitas à tributis specialiter concessa sit, non derogabitur eius priuilegio per decretum subsequens, quo omnes tributum pendere iubentur. Non enim censetur Princeps priùs concessum priuilegium auferre velle, nisi id exprimat, c. veniens 19. de præscript.

Sin autem rescriptum aut priuilegium posteriùs datum sit, distinguere oportet, vti suprà in not. 2. huius c. Si enim nihil iuris in re acquisiti propriè auferatur, sed duntaxat facultas actuum exercendorũ, qui Principis potestati suâpte naturâ subiacere censentur, per priuilegium limitetur, derogabitur priori generali. At verò si per prius generale alicui concessum priuilegium ius in re acquisitum sit, non censetur Princeps illud notabiliter imminuere velle: sed posterius derogatorium speciale rescriptum siue priuilegium ex prioris ignorantia procedere: eò quòd Princeps rescriptorum omnium, seu concessorum priuilegiorum, propter multitudinem, recordari non possit iuxta c. ex parte 12, de off. deleg. Et sumitur doctrina hæc ex c. quamuis 8. hoc tit. in 6. c. ex tua 9. de filijs presbyter. eâmque exemplis declaraui in Theol. moral. lib. 1. tr. 4. c. 23. n. 27. limit. 2.

9 Rescripto generali, siue id iustitiæ sit, siue gratiæ, aut beneficiale, derogat alterum speciale, prout ex communi docet Rebuff. de rescript. & literis regijs in præfat. n. 103. & sumitur c. pastoralis 28. §. Præterea, vers. Nos autem, de offic. delegati, c. pastoralis, §. quoniam, hoc tit. & suprà cit. cap. dudum. Dummodò materia subiecta patiatur, vt speciale mandatum seu rescriptum sit veluti limitatio quædam rescripti generalis. Sin autem ambo rescripta ita comparata sint, vt simul, spectatâ intentione Principis, consistere non debeant, tunc valet prius rescriptum, posterius autem per ignorantiam, vel obreptitiè emanâsse censetur, si de priore nulla in eo mentio fiat, c. 3. hoc. tit.

Quaeri solet: Si Pontifex pro illegi- 10
timè nato scribat, vt ipsi canonicatus conferatur in ecclesia, in qua statutum viget, vt nemo illegitimus Canonicus instituatur, num literæ valeant, & executioni mandari debeant. Videtur esse affirmandum; Quia tales literæ continent dispensationem in cõmuni iure; cuiusmodi dispensatio Pontifici Rom. permissa, & non inconsueta est: derogatur itaque iuri communi, consequenter & statuto; cùm id nihil diuersum contineat à statuto. Sed contrarium communiter tradunt, nominatim Ant. de Butrio hîc n. 13. & seqq. Imola n. 12. Ioan. Andr. in c. 1. de filijs presbyt. in 6. Petr. Rebuff. in praxi benef. p. 1. tit. de differ. rescript. n. 14. Propterea, quòd rescripta ad beneficia, ad excludendam ambientium importunitatem, strictæ interpretationis esse debeant, iuxta cit. c. 1. de filijs presbyt. in 6. Arbitror autem, doctrinam hanc intelligendam esse, non si Ecclesiæ statutum mera sit commemoratio, aut propositio communis ecclesiastici canonis; sed si ex propria ratione seu causa editum sit, nimirum ad arcendas dispensationes, tanquam noxias futuras ecclesiæ, in qua statutum viget. Negari enim non potest, quin statutum conforme iuri communi, si propriam rationem, vtilitatem & effectum habere possit, superaddant nouum vinculum seu obligationem; cùm nihil obstet, eandem rem pluribus vinculis seu obligationibus subiectam esse ita vt vno sublato, alterum permaneat. Quare in

hoc

hoc caſu, ſi ſtatuti nulla mentio fiat, ſeu clauſulam derogatoriam literæ non habeant, obreptitiæ iudicari debent. Et hæc eſt theoria Anton. cit. loco & Felin. hîc n. 15.

CAPITVLVM II.

Ex parte Conuentreñ.

Paraphrasis.

Clericus Guilielmus literas impetrauit à Pontifice Alexandro III. ad Epiſcopum Conuentrenſem, vt ſi ipſi conſtaret, Franciſcum Beneficiarium de periurio conuictum eſſe, aut beneficio in perpetuum renũciaſſe, remoto Franciſco beneficium conferret Guilielmo. Franciſcus à ſententia hac ad Pontificem, & à Romana Sede literas ad Archiepiſcopum Cantuarienſem reportat, quibus ipſi mandatur, vt præbendam abſolutè, & ſine cauſæ cognitione reſtituat Franciſco. Quo intellecto Papa reſcribit ad dictũ Archiepiſcopum, quòd non credat, ſe ita ſcripſiſſe ad Epiſcopum Conuentrenſem; cùm ſecundùm ſtylum Curiæ addi, vel ſi non addatur, intelligi debeat conditio, (*ſi preces veritate nitantur*) Quare mandat Archiepiſcopo, vt ſi in literis ſcriptum eſſe reperiat, quòd Franciſcus abſolutè & ſine cauſæ cognitione reſtitui debeat, nullâ inſuper in literis mẽtione factâ prioris reſcripti à Guilielmo impetrati ad Epiſcopum Conuentrenſem, priùs latam eiuſdem Epiſcopi ſententiam confirmet, & Franciſcum ad Sedem Apoſtolicam cum literis accedere compellat.

Svmmarivm.

1. *In reſcripto ad inſtantiam partis dato ſemper ineſt, vel ſubintelligitur clauſula:* ſi preces veritate nitantur.
2. *Non eſt tamen illa ſubſtantialis reſcripto iuſtitiæ, ita vt per ſe illud reddat irritum, niſi cauſam definiat. Eſt autem ſubſtantialis diſpenſationibus reſcriptis gratiæ.*
3. *Eadem clauſula neceſſariò in omni reſcripto aut mandato Principis, etiam pœnali, & ſine clauſula iuſtificatoriæ promanante ſubintelligenda eſt.*
4. *Reſcriptum iuſtitiæ, quod eſt contrarium iuri communi, & ſtylo Curiæ, de obreptione & falſitate ſuſceptum eſt.*

NOTANDVM I. In reſcripto dato ad inſtantiam ſiue petitionem partis, etſi non exprimatur, ſubintelligi tamen clauſula debet, *ſi preces veritate nitantur*. Conſentit l. vn. C. de diuerſ. reſcriptis. Quare notat Rebuffus in praxi benefic. p. 1. tit. de reſcript. gratiæ & iuſtitiæ; ſecundùm forum canonicum, clauſulam ordinariè apponi ſolitam, etſi non exprimatur, ſubintelligi debere: ſed excipiendum eſſe; Niſi ius, vel ſtylus Curiæ, qui pro lege habetur, expreſsionem clauſulæ alicuius tanquam neceſſariam poſtulet: tunc enim pertinebit ad formam reſcripti; ſine forma autem res non ſubſiſtit. Quare regula illa, quod *tacitum expreſſo æquiparatur*, ſeu *taciti & expreſſi eadem vis eſt*, limitari debet; niſi expreſsio requiratur, tanquam forma rei, prout patet etiam in expreſsione verborum in Sacramentis. 1

Corollarium. Si Aduerſarius, contra quem reſcriptum impetratum eſt, neget, vera eſſe quæ in eo continentur, probatio impetranti incumbit. Debet autem ea omnia probare, quæ pertinent ad fundandam intentionem ſeu petitionem ſuam; ſiue, ſine quibus Princeps petitioni non annuiſſet, prout hîc Baldus ſignificat n. 7. Felin. n. 27. Idque procedit etiam in beneficialibus: Exempli cauſa, ſi aliquis à Pontifice petat ſibi ex alterius beneficio, tanquam reditibus abundante, penſionem aſsignari; & pars, quæ poſsidet beneficium, neget abundantem eſſe, ſeu onus penſionis ſuſtinere poſſe, petenti probatio incumbit.

QVÆRVNT Interpretes, vtrùm clauſula hæc, ſiue conditio (ſiue expreſſa, ſiue ſubintellecta) ſit *ſine qua non*, ſeu ſubſtantialis reſcripto, ita vt per ſe irritum cenſeri debeat, ſi preces veritate non nitantur? Reſponſio eſt negatiua, vt videre eſt apud Felin. hîc n. 2

6. Baldum in c. super literis n. 19. hoc tit. & sumitur ex l. 2. C. si contra ius, &c. Ratio est; quia clausula non apponitur ad fundandam seu inchoandam Iudicis, cui causa committitur, iurisdictionem; sed ad instruendum illum, quomodo secundùm iustitiam procedere debeat. Sed alia ratio est de dispensationibus, aliisque gratiæ rescriptis: ea enim, si per obreptionem obtenta sint, siue narrata, ex quibus Princeps ad concedendum motus fuit, veritate destituta sint, iure ipso irrita sunt; vt proinde Commissarius seu Executor secundùm ea operari non possit, iuxta l. 2. C. si contra ius, & docui in Theol. moral. lib. 1. tract. 4. cap. 22. num. 17. & dicendum erit infrà in c. ad aures 8. c. constitutus 19. hoc tit. Quamobrem eadem ratione rescripta iustitiæ, per obreptionem emanantia, si non causam præparent, iudicémque instruant, sed causam definiant, ac terminent, ipso iure, & non tantùm ope exceptionis, irrita existunt, prout bene annotauit Baldus in l. 1. num. 2. C. de colluf. deteg. & sequitur Iason in l. 2. n. 22. C. si contra ius, &c.

3 His addendum; Clausulam, *si preces veritate nitantur*, necessariò in omni Principis rescripto aut mandato, etiam pœnali, & sine clausula iustificatoria, vti vocant, promanante subintelligẽdam esse: vt proinde Reus per rescriptum damnatus, tametsi citatus sit duntaxat ad videndum se incidisse in pœnam v. g. banni, semper tamen excipere possit de obreptione; adeóque mandati vim per oppositionem falsitatis elidere, pœnámque euadere, vt videre licet apud Ancharan. consil. 240. Andr. Gaill lib. 1. obseru. 15. num. 2. Ratio verò est; quia defensio contra falsitatem ac mendacium, cuilibet iure naturali permissa est; & ideo à Principe per rescriptum tolli non potest; quare nec sublatum vnquam censetur, quacunque forma aut modo conceptum sit.

4 Notandvm II. Rescriptum iustitiæ, quod contrarium est iuri communi, & stylo Curiæ (quale erat illud, vt Commissarius absque causæ cognitione procederet) de obreptione, ac falsitate suspectum esse debet: Quare Commissarius secundùm formam talis rescripti procedere non debet: donec Princeps certior factus, aliud rescribat, vti sumitur etiam ex l. vlt. Cod. de precibus Imperatori offerendis, & habetur apud Gregor. I. Pontificem, lib. 8. indict. 3. epist. 32. ad Episcopum Tauromitanum: *Si aliter se veritas, quàm nobis insinuatum est, forta ſſis habuerit, fraternitatis vestræ subtiliter scripta nos instruant, vt quid fiendum sit, nostris iterum discurrentibus epistolis, agnoscatis.* Sed & pœnam meretur mendax impetrator, seu rescripti præsentator; Et eapropter, sicuti hîc habetur, si quis rescriptum afferat alienum à ratione & stylo communi Curiæ, ad Curiam, vnà cum rescripto, tanquam de falsitate ac deceptione suspectus, remitti debet. Ita Imola hîc num. 3. Abb. nu. 4. & constat ex c. si quando 5. hoc tit.

Videri etiam possunt, quę dicam in c. inter cæteras 4. hoc tit.

CAPITVLVM III.

Cæterùm.

Svmmarivm.

1. *Delegatio Iudicis per primum rescriptum non tollitur per secundum, nisi de primo fiat mentio.*
2. *Processus tamen à Iudice posteriùs delegato institutus validus est, si nihil à parte excipiatur contra rescriptum posterius.*
3. *Si prior impetrans suo rescripto renuntiet; tunc procedi potest secundùm rescriptum posterius.*
4. *Rescriptum tamen iustitiæ ipso iure irritum est, si accessorium sit rescripto gratiæ obtento per obreptionem.*
5. *Si in posteriore rescripto mentio fiat prioris, censetur Papa causam à prioribus iudicibus auocare.*
6. *Et si clarè constet, mentem Papæ fuisse, tempore datarum literarum auocare acta ab eo tempore iudicis delegati, inualida sunt.*
7. *Modus ordinarius & consuetus reuocãdi iurisdictionem delegatam est, vt reuocatio vim antè non habeat, quàm inno-*

tuit delegato per literarum auocatoriarum auocationem.

8. *Reſcriptum ad Iudices vtriuſque partis conſenſu impetratum, non valet ſecundum ad alios iudices impetratum per alteram partem, nullâ mentione factâ primi, & impetrans adexpenſas condemnandus eſt.*

1 IN hoc c. tria reſpondet Alexander III. Papa: Primum. Si quis à Sede Apoſtolica literas impetrauerit, quibus cauſa Iudicibus delegata ſit; poſtea verò eius aduerſarius alias literas ab eadem Sede impetret, in quibus eadem cauſa alijs Iudicibus committatur; poſterius iſtud reſcriptum, ſi nulla in eo mentio fiat prioris reſcripti, non obtinet firmitatem: quare prioris iudices, non obſtante poſteriore reſcripto, ad deciſionem cauſæ procedere poſſunt.

DVBIVM verò eſt: Num poſterius reſcriptum ipſo iure irritum exiſtat, an verò ope exceptionis; ita, vt ſi nihil à parte excipiatur contra reſcriptum, proceſſus inſtitutus à Iudicibus poſteriùs delegatis vali-
2 dus cenſeatur? Reſponderi debet, validum eſſe, ex doctrina Innocentij, & aliorum communi apud Abb. hîc n. 5. contra Tancredum apud Ioan. Andr. hîc n. 7. Quòd reſcriptum iuſtitiæ, obtentum per obreptionem, non antè irritum, quàm per exceptionem elidatur, vti conſtat ex c. ſi autem 9. c. plerumque 23. hoc tit. c. vt debitus 59. de appellat.

3 Corollarium. Si prior impetrans reſcripto ſuo ſeu expreſsè, ſeu tacitè renunciet, procedi poteſt ſecundùm reſcriptum poſterius, quod tacitâ veritate, ſeu nullâ factâ mentione prioris, emanauit; quippe quod ipſo iure validum eſt, donec ab aduerſario infringatur.

4 Bene tamen hîc Abbas num. 6. limitat, Reſcriptum iuſtitiæ ipſo iure irritum eſſe, ſi acceſſorium ſit reſcripto gratiæ obtento per obreptionem, quia ruente principali, ruit etiam acceſſorium; cùm accidens non poſsit ſubſiſtere ſine fundamento. Exempli cauſa: Sempronius beneficium parochiale obreptitiè impetrauit à Papa: Is executorem deputauit Officialem Eccleſiæ Auguſtanæ. Reſcriptum iſtud licèt iuſtitiæ ſit, tamen ipſo iure irritum cenſeri debet, vti colligitur ex c. conſtitutus 19. & c. audientiam 31. hoc tit.

Alterum dictum. Si in poſteriore reſcripto mentio fiat prioris reſcripti ſeu factæ commiſsionis, cenſetur Papa cauſam à prioribus iudicibus auocare. Sed dubium eſt; ſi in hoc caſu Iudices priores, permittente poſteriore impetrante, procedant ſecundùm reſcriptum priùs datum, vtrùm proceſſus valeat? Reſpondetur, cum Ioann. Andr. hîc n. 7. inſpiciendum eſſe; Num mens Pontificis fuerit, abſolutè reuocare priorem commiſsionem; Tunc non valet proceſſus, ob defectum iuriſdictionis: An verò reuocatio facta ſit in gratiâ poſterioris poſtulantis: Is enim fauori ſuo renũciare poteſt, & permittere aut cõſentire, vt cauſa ſecundùm priores literas apud priùs datos Iudices agitetur. 5

QVÆSTIO eſt; Si Papa aliûſue Princeps cauſam alicui Iudici commiſſam, ab eo auocet, vel vt ipſemet cognoſcat, vel vt alijs committat; vtrùm ſtatim ac ſecundæ, ſeu auocatoriæ literæ datæ ſunt; an verò poſtea & quando, iuriſdictio à priore iudice ablata cenſeri debeat? Reſp. & Dico I, Si clarè appareat, mentem Papæ fuiſſe, ſtatim, 6
ſeu tempore datarum literarum auocare; vt quia in literis clauſula irritans continetur, ſi quid ex eo tempore actũ fuerit, tunc non valebit, quod à delegato actum fuerit, ob iuriſdictionis defectum. Ita docet Abb. hîc n. 10. & in c. cùm M. n. 33. de conſtitut. in c. audita n. 13. de conceſſ. præbendæ in 6. Auffrerius in Capellæ Tholoſ. q. 481. n. 4. Felin. hîc n. 18. Nam hoc in caſu adeſt talis reuocandi iuriſdictionem voluntas, vti ex verbis manifeſtum eſt; Atque ita reuocandi poteſtas: Cùm enim iuriſdictio à delegato Iudice, per mortem delegantis, ipſo iure ſeu lege, ſtatim reuocata cenſeatur, ſi res integra ſit, c. relatum 19. c. gratum 20. de off. delegati (quæ eſt tacita reuocatio iuriſdictionis delegatæ per legem introducta, l. more 5. ff. de iuriſd. omn. Iudicum) multò magis locum habebit reuocatio iuriſdictionis expreſſa, facta ab homine, ſeu Principe; &

quidem siue res integra sit, siue non: pendet enim id ex voluntate Principis. Non tamen decet, eiusmodi auocationes fieri cum aliorum præiudicio, & iudiciorum perturbatione; præterquam ex causa, v.g. in pœnam malè procedentis, aut iudicantis.

7 Dico II. Ordinarius & consuetus modus reuocandi iurisdictionem delegatam iste est, vt reuocatio antè vim non habeat, quàm delegato innotuit per literarum auocatoriarum præsentationem. Sumitur ex c. cùm contingat 24. hoc tit. & docet Anton. de Butrio in cit. c. audita n. 14. Abb. cit. n. 13, & alij, quos refert & sequitur Thom. Sanchez lib. 3. de matrim. disp. 33. n. 11. & 12. disp. 36. n. 9. & videri potest Suarez lib. 8. de leg. cap. vlt. & quæ docui lib. 1. moral. Theol. cap. 23. n. 28. Eodémque modo iurisdictio, seu in causa procedendi potestas Iudici delegato antè non acquiritur, quàm literæ ipsi præsentatæ sint, c. super eo 12. de appellat. Quare Felin. ex recepta sententia hîc ait n. 11. *Nec conferri, nec auferri iurisdictionem ante literas præsentatas*; tametsi de datis literis delegatus aliunde notitiam acceperit. Ratio dari debet, quia hîc est congruentior cùm dandæ, tum auferendæ iurisdictionis modus.

Dico III. Si literæ reuocatoriæ iurisdictionis à prioribus Iudicibus ad instantiam partis emanârunt, tacitè ipsis conditio inesse censetur, dummodò pars impetrans ijs vtatur, prout colligitur ex dictis c. præced. & tradit ex communi Felin. hîc n. 11. Auffrerius cit. loco num. 5. & 6. Abb. Panormit. in suprà cit. c. audit. n. 15.

8 Tertium dictum Pontificis: Si rescriptũ ad Iudices vtriusque partis consensu impetratum fuerit, postea verò ab vna parte, altera nesciente, impetretur rescriptum ad alios Iudices, nullâ factâ mentione de priore rescripto communi consensu impetrato, posterius obreptitium censeri debet; Insuper impetrans ad expensas condemnari, quas Aduersarius eius propterea fecit. Ratio prioris partis est; Quòd Roman. Pontifex non soleat Iudices ex communi partium voluntate datos, ad vnius partis petitionem reuocare: sed neque solet Iudices dare, nisi ex partis vtriusque consensu, vti docet Abb. hîc n. 11. Gl. in l. obseruandum 47. ff. de Iudicijs; Quamquam nihil etiam obstat, atque consuetum est, si non ambæ partes adsunt. Iudicem delegare, quem pars vna petiuerit, quia alteri semper manet integrum eum allata causa recusare, c. causam 17. de offic. delegati, & docet ex communi Decius hîc n. 10. Ratio posterioris partis est, quia dolosè impetrans literas ad alios Iudices, iniusta causa est expensarum, quas aduersarius facere cogitur accedendo, aut curatorem mittendo, si citatus sit: Ergo hoc ipsi damnum compensare cogitur.

CAPITVLVM IV.

Inter cæteras.

PARAPHRASIS.

Archiepiscopus Eboracensis consuluit Alexandrum III. Papam; quid agendum, si Pontifex de duobus sub disiunctione inquiri mandauit: quorum vnum verum reperitur, & alterum falsum: Exempli causa vtrùm Rector ecclesiæ ex sacerdote illegitimè genitus sit, vel curam ecclesiæ illegitimè acquisierit; &, si ita esse compererit, eo remoto, parochiam alteri conferat; Respondet Papa; satis esse, quòd alterutrum delegato compertum fiat, vt ad amotionem, & ad alterius promotionem deuenire debeat; Idémque in similibus casibus obseruandum esse.

SVMMARIVM.

1. *Si Princeps mandat in rescripto de duobus inquiri alternatiuè, ad certum effectum consequendum, sufficit alterum delegato compertum fieri.*
   Ita in alternatiuis contractibus & promissionibus satis est alterutrum impleri à debitore, cuius est optio.
2. *Interdum vocula alternatiua* Aut, Vel, *posita in obligatione aut mandato, non tribuit optionem, sed ordinem seruandum significat.*

3. *In*

3. In rescriptis iustitiæ, aut literis gratiæ subinde copulatiua Et ponitur pro disiunctiua,

NOTANDVM I. Si Princeps in ordine ad certum effectum mandet de duobus alternatiuè inquiri, sufficit alterum coram Commissario ostendi. Ratio est, quia ad veritatem enunciationis alternatiuæ satis est, si alterutra pars subsistat: sed ad veritatem copulatiuæ enunciationis vtriusque partis verificatio requiritur, §. penult. Instit. de hæred. instituendis.

Eadémque doctrina etiam in contractibus & promissionibus locum habet, iuxta reg. 70. in 6. *In alternatiuis debitoris est electio, & sufficit alterutrum impleri.* Idque extenditur in l. penult. C. de condict. indebiti; si quis debitor duarum rerum sub disiunctione, vtramque per errorem soluerit, ratus videl. vtramque copulatiuè se promisisse, optionem ei competere repetendi quam maluerit; sicuti & dandi optionem habere debebat.

In pœnis verò à lege, aut homine sub disiunctione ob crimen decretis, distinguunt hîc Abb. n. 5. Felin. n. 7. Num verba ad reum dirigantur, v. g. *soluat centum aureos, aut exulet à ciuitate*; tum optio ipsi reo relinquitur: An verò ad Iudicem referantur, *puniatur centum aureis, vel exilio*; tum iudicis arbitrio res committitur. Et verò in dubio, præsumendum ad Iudicem referri: quandoquidem pro varietate personarum, & circumstantiarum, varia pœna decerni solet; idque arbitrari ad Iudicem propriè pertinet, l. respiciendum 11. l. aut facta 16. ff. de pœnis.

2 Porrò pro maiore intellectu, duas bonas doctrinas afferre libet ex Gl. super cit. reg. 70. Prima, Interdum siue ex loquendi modo, siue ex materia subiecta apparet, voculam alternatiuam *Aut, Vel*, positam in obligatione aut mandato, non optionem tribuere, sed ordinem seruandum significare. Cuius rei exemplum extat in l. cùm pater 79. §. à te peto ff. de legatis 2. Item, si dux belli militi dicat, *aggredere hostem, eúmque repelle; aut fuge*; sensus est, si repellere non possis, fuge; Item si lex aut Superior Iudici præcipiat, vt criminosum aureis centum mulctet, aut flagellet; videtur significari, pecunijs mulctandum esse; at verò in defectu, si pecunias soluere non possit, in corpore puniendum.

Altera. In rescriptis iustitiæ, ac literis 3
gratiæ seu dispensationibus quandoque copulatiua *Et* ponitur pro disiunctiua l. sæpe 53. ff. de verb. significat. Si videl. spectatâ materiâ subiectâ, ac intentione & consuetudine mandantis, vnum ex pluribus membris seu partibus sufficit ad propositum effectum aliquem. Exemplum est in c. 2. suprà hoc tit. Si Papa mandet Commissario, vt, si ipsi constiterit beneficiarium conuictum esse de periurio, & beneficio renunciâsse (vtrumque enim horum propositum erat Pontifici) reum inde remoueat, atque alteri conferat; videtur hoc in casu sufficere, si pars altera verificata sit. Quare Gl. ibidem ait ver. & perpetuò: *Si alterum per se sufficit ad remotionem alicuius, sufficit si alterum probetur; licèt copulatiuè ea duo mandentur.* Et paulò pòst: *Nunquam fuit intentio Dom. Papæ, vt vtrumque necesse sit probare.* Limitat verò ibidem: Nisi expressè mandetur, quòd vtrumq; probari debet; Vel si aduersarius seu impetrans ad vtrumque probandum se expressè obligârit, arg. c. licet 9. vbi id notat Gl. ver. se adstrinxit, de probat. Videri potest Rebuffus de rescript. & literis regijs in præfat. num. 57. & seqq.

Eandem porrò doctrinam locum etiam habere in quibuscunque gratiæ commissionibus, & dispensationibus, annotatur in dec. 7. Rotæ Rom. in nouis: *Licèt plura Capitula in commissione obtenta narrentur, quorum aliqua sunt falsa, aliqua vera; si ex veris potest sequi effectus & conclusio, valet commissio.* Et Nauarr. in consil. 7. hoc tit. edit. 2. *Quando in aliquo libello, commissione vel priuilegio, ponuntur multa causa, etiam copulatiuè, quæ non omnes sunt de iure necessaria ad operandum aliquem effectum, sufficit, vt vna illarum, qua illum operari po-*

test

est, sit vera. Videri etiam potest Felin. in c.2.n.21,& seqq. hoc tit.

NOTANDVM II. Si Princeps Iudici formam secundùm iustitiam procedendi in vna causa præscribat, eandem quoque in alijs similibus obseruare debet. Ita hîc,& in l. non possunt 11.ff.de legibus. Dixi de hac re in c.3. de Constit.

CAPITVLVM V.

Si quando.

PARAPHRASIS.

1 Alexander III. Papa scribit ad Rauennat. Archiepiscopum,si quando literæ Papales ad eum dirigantur,quæ ab æquitatis ratione quippiam alienum continent, quod turbari ideo non debeat : sed negotij,pro quo scribitur,naturam & qualitatem diligenter considerans, aut mandatum impleat ; aut quare implere non possit, causam rationabilem per literas proponat. Neque enim Pontifex ægrè fert,ea mandata non impleri, quæ obreptitiè seu per prauam suggestionem emanârunt.

SVMMARIVM.

1. *Is, ad quem dirigitur rescriptum Papæ, ei parere debet, vel rationabilem causam assignare,cur parere non possit.*
2. *Si Princeps aliquid insolitum,à ratione alienum,vel contra publicam vtilitatem committat,aut mandet,non est executioni mandandum ; sed noua declaratio & noua iussio petenda. Idem iuris est in vniuersalibus legibus.*
3. *Principi mandanti quod est contra conscientiam,aut licitè impleri non potest, parendū non est : neq; Officiario quamuis constituto cum plenitudine potestatis v.g. Legato Generali belli, si mandet,quod reipubl. manifestè noxium, aut intentioni Principis contrarium.*
4. *Princeps ægrè ferre non potest, si rescriptum eius obreptitium tanquam iniquum,& à ratione alienum arguatur.*

NOTANDVM I. Si Princeps aliquid 2
insolitum,à recta ratione alienum, aut contra publicam vtilitatem committat, aut mandet,nō est executioni mandandum,sed declaratio & secunda iussio petenda. Ita etiam habetur in Authent. Vt nulli Iudicum, §. Et hoc verò iubemus, collat.9. & c. cùm teneamur 6. de præb. vbi dicitur, non esse exequendum mandatum, si id sine scandalo fieri non possit. Videri potest Innoc. in c. inquisitioni,de sent. excomm. & S. August. serm.6.de verb. Domini, relatus in c. Qui resistit 97. causa 11.q.3.Gl.in l.3. ver. Iudices,C. Si contra ius &c. *Non timeant miseri Prælati, si veritatem sequantur* (arguendo falsitatem) *cùm Deo & Papæ per hoc placeant.* Baldus in l. vlt. n.5. C. Sententiam rescindi non posse,vbi ait,*Clausulam ex certa scientia non operari in his, quæ Princeps præsumitur ignorare, vt sunt facta, commercia & bona consuetudines locorum.*

Eandem porrò doctrinam non malè existimat Suarez lib.4 de legib. cap.16.n.7. locum etiam habere posse in vniuersalibus Pontificijs legibus : Si videl. lex pro vniuersa Ecclesia, & tota v. g. Europa edita, vni regno aut prouinciæ, ob speciales causas à moribus hominum nimis discrepare, aut seruatu difficillima videatur ; expectandum esse, donec Pontifex informatus, iterum rescribat. Imò, addit Suarez, si clarum, seu indubitatum sit, legem nouiter editam ob speciales causas, & consuetudines loci, nequaquam conuenientem esse prouinciæ, obligationem eius per se cessare : Eò quòd Pontifex locorum specialia ignorare censeatur c. 1. de Constit.in 6. Et non velle aliquid insolitum aut abhorrens à fidelium moribus statuere,aut præcipere. Vide quæ dixi lib.1.moral.Theol.tr.4.cap.3.n.vlt.

QVÆSTIO est ; Si Papa clerico, qui notoriè indignus est, mandet beneficium conferri,vtrùm Commissarius parere debeat ? Respondeo cum Abbat.hîc n.3. Ioann. Andr.

Andr. in c. ſignificauit, de off. Ordin. Capella Tholoſ. deciſ. 489. Vel manifeſta eſt mens Pontificis, volentis vt huic indigno conferatur, vel non manifeſta: Si hoc poſterius, ſuperſederi debet, donec Pontifex conſultus iterum reſcribat. Sin autem prius, iterum diſtinguendum, num in inhabilitate diſpenſare poſsit Pontifex: tunc parendum eſt mandato, vti colligitur ex cap. 2. de ſchiſmat.

3 An diſpenſare non poſsit, idque vel quia abſolutè loquendo caſus indiſpenſabilis eſt, v. g. vt furioſo, ſeu amenti beneficium conferatur; vel conſideratis circumſtantiis loci, &c. quia graue ſcandalum, & perturbatio certò orietur, vt ſine peccato diſpenſatio non poſsit executioni mandari, tunc parendum non eſt, prout ſuprà dixi, & tradunt Anton. de Butrio & Imola in cit. cap. ſignificauit, in fine, Rebuff. de reſcript. & liter. regiis art. 1. Gloſſ. 4. Robertus Maranta in qq. legal. diſp. 1. num. 19. quia ſi Princeps aliquid iubet, quod eſt contra conſcientiam, aut licitè impleri non poteſt, non eſt ei parendum. Pertinet huc, quod ex ſancto Auguſtino ſerm. 6. de verbis Domini refertur in c. Qui reſiſtit 97. cauſa 11. quæſt. 2. *Sed quid? ſi illud iubeat* Princeps, *quod non debeas facere? Hic ſanè contemne poteſtatem* humanam, *vt timeas poteſtatem* diuinam.

Sed & id obiter aduertendum, quod in eodem loco ſubiungit Auguſtinus: *ſi aliquid Proconſul iubeat, & aliud Imperator, numquid dubitatur, illo contempto, illi eſſe ſeruiendum?* Itaque acceptandum non eſt mandatum, nec exequendum, quamuis cum plenitudine poteſtatis conſtituti Officiarij, v. g. conſtituti Legati generalis belli, ſi quippiam mandet, quod Reipubl. manifeſtè noxium, aut intentioni Principis contrarium eſt; quia poteſtatis plenitudo ad talia ſe nequaquam extendit: Interea tamen iuſſus ſeu mandatum ſuperioris malè obtemperantem aliqualiter excuſat, vt in externo foro mitiùs puniendus ſit, iuxta reg. Quod quis 24. & quæ ibi congerit Gloſſa in 6.

Adde his doctrinam Ioann. Andr. Anton. & Imolæ in cit. cap. ſignificauit, in fine, Felin. hîc num. 6. & 7. quòd inferior Principe diſpenſare in aliqua inhabilitate non poſsit, niſi præmiſſâ cognitione cauſæ: At verò Princeps ipſe, v. g. Papa, tollere arbitratu ſuo poteſt inhabilitatem, ex iure poſitiuo ortam: ideóque ſufficit, quòd ex reſcripto appareat, auferre voluiſſe, vt ſi dicatur: Titio, non obſtante quòd ex ſacerdote illegitimè natus ſit, parochia conferatur: Eſto enim, quòd Princeps iuſtâ cauſâ motus non fuerit ad diſpenſandum, ſeu habilitandum, tamen impedimentum ablatum eſt: ſed ſecùs eſt in inferiore, cui conceſſum non eſt in lege ſuperioris etiam validè diſpenſare, niſi ex legitima cauſa: Non autem cenſetur ea adeſſe, niſi eius cognitio fuerit præmiſſa. Videri poteſt Franciſcus Suarez lib. 8. cap. 13. num. 11. & ſeqq. & Theolog. moral. lib. 1. tract. 4. cap. 22. quæſt. 1.

NOTANDVM II. Princeps ægrè ferre non poteſt, ſi reſcriptum aut mandatum ex Curia eius per obreptionem emanans, tanquam iniquum, aut à recta ratione alienum, arguatur. Ita hîc Pontifex ait: *Patienter ſuſtinebimus, ſi non feceris, quod praua nobis fuerit inſinuatione ſuggeſtum.* Quandoquidem id frequenter accidit, vt Principi multitudine negotiorum occupato, falſa proueris ſuggerantur, aut ab ipſo non ſatis cognita ſcribantur & mandentur, ſicuti Impp. teſtantur in l. 1. Cod. de petit. bonorum ſublatis lib. 10. *Quoniam plerumque in nonnullis cauſis inuerecunda petentium inhiatione conſtringimur, vt etiam non concedenda tribuamus, &c.* Ideo dum eiuſmodi obreptitia reſcripta non acceptantur, non Principis poteſtas (qua de diſputare ſacrilegij inſtar eſſe cenſetur in l. diſputare C. de crimine ſacrilegij) in dubium vocatur, ſed ſcientia & voluntas. Imò verò poteſtas & auctoritas Principis defenditur, quando id, quod legitimè velle non potuit, ne voluiſſe quidem, neque ſciuiſſe, oſtenditur. Videri poteſt Andreas Gaill lib. 2. obſeru. 58.

4

Vdalricus Zasius tom. 6. operum lib. 2. conſ. 10. fol. 130. edit. Francofurd.

CAPITVLVM VI.

Cùm Ordinem.

PARAPHRASIS.

1 Si contra Ciſtercienſis Ordinis Profeſſos (quippe quos Sedes Apoſtolica ſingulari fauore proſequitur) reſcriptum aliquod ſuper decimis, vel aliis rebus, in quibus ſpecialiter priuilegiati ſunt, ab eadem Sede impetratum ſit, in quo dicti Ordinis mentio non fiat, non tenentur Regulares ad illud reſpondere.

SVMMARIVM.

1. *Ciſtercienſes ſunt priuilegiati, vt non poſſint ex reſcripto Papæ conueniri, niſi in eo mentio fiat de eorum Ordine.*
2. *Priuilegium à Principe conceſſum poteſt præſcribere formam futuris reſcriptis, ita vt eâ formâ non ſeruatâ reſcriptum ipſo iure ſit irritum.*
3. *Reſcriptum iuſtitiæ, vel ad lites, valet, etſi in eo mentio non fiat priuilegij eis competentis, contra quos illud emanat, non item reſcriptum gratiæ.*
4. *Priuilegia Regularium in Corpore iuris non contenta per clauſulam generalem* Non obſtantibus, &c. *non reuocantur, ſecùs eſt, ſi in corpore iuris contineantur; ad horum enim derogationem addi debet ſpecifica eorum mentio.*
5. *Priuilegiis iiſdem derogatur per clauſulã generalem reuocatoriam, licèt ea data ſint cum clauſula, vt nullâ contrariâ conſtitutione reuocata cenſeantur, niſi eorum ſpecialis mentio fiat.*
6. *Excipiuntur ea, quæ cum tali derogatoria clauſula in Corpore Iuris extant; hæc enim per legem generalem non reuocantur, niſi ſpecialis eorum mentio & derogatio fiat.*
7. *Quæ per modum contractûs priuilegia conceſſa ſunt per clauſulam prædictam generalem, non reuocantur.*
8. *Exempti in iudicium vocati non tenentur comparere ad allegandum priuilegium, ſi id in Corpore iuris contineatur.*
9. *Epiſcopus notoriè exiſtens in poſſeſſione iuriſdictionis erga Clericos, aut Regulares intra ſuam diœceſin habitantes, poteſt contra eos procedere, non attentis eorum, quæ offerunt, priuilegiis & probationibus, imò nec appellatione.*
10. *Si autem dubium ſit circa poſſeſſionem iuriſdictionis, poteſt extraiudicialiter contra exemptos procedere, etiam cenſuras comminando: illi autem recuſare & appellare ad Pontificem poſſunt.*
11. *Contra Monaſterium notoriè in poſſeſſione exemptionis exiſtens, Epiſcopus procedere non poteſt, poteſt tamen petere exhibitionem priuilegij, aut probationem legitimæ præſcriptionis; interea autem vſque ad cognitionem cauſæ in poſſeſſione relinquendum eſt.*
12. *Exiſtens intra diœceſin, qui de iure communi exempti non ſunt, dicunt autem ſe eſſe exemptos ex priuilegio aut præſcriptione, in poſſeſſione exemptionis quidem ſunt, ab Ordinario tamen citati comparere debent, & priuilegium edere, aut de præſcriptione docere; ſi neutrum horum præſtare poſſint, vti poteſt Ordinarius iuriſdictione ſuâ contra illos.*

NOTANDVM 1. Priuilegium à Principe conceſſum poteſt præſcribere formam futuris reſcriptis, ita, vt ſi ea forma ſeruata non ſit, reſcriptum ipſo iure irritum exiſtat. Ita Anton. hîc n. 2. Abb. n. 2. Decius n. 3. Exẽplum eſt hîc: Si Ordo aliquis priuilegium habeat, vt per reſcriptum conueniri non poſſit, niſi expreſſum ſit, quòd Religioſi ſint eius Ordinis v. g. Ciſtercienſium; hoc in caſu ſi v. g. Parochus aliquis impetret à Sede Apoſtolica, vt Monaſterium S. Stephani intra parochiam ſuam ſitum, decimas ex agris ſuis præſtare cogatur, ſubreptitium, imò irritum erit reſcriptum; ſi in eo expreſſum non ſit, Monaſterium eſſe Ordinis Ciſtercienſium. 2

Sed QVÆRITVR hîc primò; Num iuxta 3

caſum.

casum huius cap. necesse sit mentionem fieri priuilegij, v. g. immunitatis à decimis eis competentis, contra quos rescriptum emanat? Resp. cum Baldo hîc num. 16. Boich n.1. Vel est rescriptum iustitiæ seu ad lites, tum necesse non est eius immunitatis mentionem fieri, sicuti neque aliarum exceptionum peremptoriarum; cùm in progressu litis semper opponi possint, vti constat ex cap. 1. de litis contest. in 6: & bene hîc explicat Abb. n.3. Vel est rescriptum gratiæ seu indulgentiæ; tum opus est eius mentionem fieri, alioquin subreptitium censebitur, c. Inter 20. de sent. & re iudic.

4 QVÆRITVR secundò; Num sufficiat, si in rescripto contineatur clausula derogatoria priuilegij generalis. Exempli causa; Si in rescripto Papali mandatum sit, vt à Commissario seu delegato Iudice visitari & in iudicium vocari possint Regulares, cuiuscunque ij Ordinis ac Religionis sint, quantumcunque, etiam specialiter priuilegiati, aut exempti; num vi eius rescripti visitari aut conueniri queant Regulares, qui speciale priuilegium acceperunt, vt per rescripta Apostolica conueniri non debeant, nisi vel Ordinis, vel accepti priuilegij mentio specialis fiat?

Respondeo & Dico I. Si eiusmodi priuilegium Regularibus concessum in corpore iuris non contineatur, censeri debet ei derogatum per clausulam generalem, *Non obstantibus quibuscunq; qualitercunq; conceptis priuilegiis.* Ita docet Abb. in c. cum instantia n. 5. de cens. Felin. in c. nonnulli n. 6. hoc tit. Syl. ver. priuilegium q. 10. dicto 6. Suar. lib. 5. de legibus disp. 38. n. 2. Ioann. Azor tom. 1. moral. Instit. lib. 5. cap. 22. q. 12. Ratio est: Quia Princeps neque à seipso, neque ab antecessore suo obligari potuit ad certam formam rescripti seruandam; multò minùs vt datum priuilegium auferre non posset, si vellet; velle autem auferre, sufficienter ex ea generali reuocatoria clausula colligitur. Idque magis confirmabitur ex 2. resp.

Dico itaque secundò; Si priuilegium huiusmodi in corpore iuris insertum sit, non derogatur ei per clausulam generalem, sed opus est specifica mentio seu derogatio priuilegij, secundùm formam, quæ in eo exigitur. Ita ex communi docet Felinus in cit. c. nonnulli n. 9. Suarez cit. cap. 38. num. 1. & docui lib. 1. Theol. moral. tract. 4. cap. 23. num. 26. vbi duas rationes attuli: I. Quia lex generalis non tollit specialem, si ob peculiarem rationem excepta videri possit: quia species derogat generi, sicuti suprà etiam docui in c. 1. hoc tit. II. Quia Princeps iura omnia, adeóque etiam priuilegia, si in iuris corpore continentur, nosse censetur cap. 1. de Constit. in 6. Et ideo si eis, quæ specificam derogationem requirunt, derogare vellet, in specie mentionem faceret: At verò quæ non sunt in iuris corpore posita, cùm singula seu in specie ignoret, non potest ea specificè exprimere: & ideo ad derogandum sufficere debet clausula generalis, vti suprà dixi.

Porrò quod de rescriptis dictum est, idem 5 quoque sentiendum de legibus, & sacris canonibus: Si videlicet priuilegium datum sit Regularibus v. g. cum clausula, vt nulla contraria constitutione reuocatum censeatur, nisi eius mentio specialis fiat, nihilominus reuocatum censeri debet per clausulam reuocatoriam generalem, *Non obstantibus quibuscunq; &c priuilegiis*, prout inter alios docet Francisc. Suarez in cit. cap. 38. num. 1. Eman. Rodriq. tom. 2. qq. regul. quæst. 2. art. 7. vbi ait, *Multæ Religiones, præcipuè mendicantes, huiusmodi habent clausulam* derogatoriam constitutionum subsequentium, nisi priuilegiorum mentio fiat, & tamen *inuenio multa earum priuilegia reuocari in Concil. Trident. in quo nulla de ipsis Religionibus mentio fit.* Sed excipi hinc debet: Nisi pri- 6 uilegium cum huiusmodi derogatoria clausula in corpore iuris extet; tum per generalem legem non debet censeri sublatum, aut derogatum, nisi specialis eius mentio ac derogatio fiat, prout Suarez loco citato docet, & Glos. celebris in Auth. Qua in prouincia, ver. illic omni priuilegio cessante, C. Vbi de crimine agi oportet. Et alia Glossa in l. 3. ver. pragmatica C. de silentiariis lib. 12. vbi accommodatum huic rei exemplum habetur: Decurionibus enim & silentiariis data priuilegia ibi à Valentiniano Imperatore confir-

mantur: adeò, vt nulla pragmatica sanctione eis derogatum censeri debeat. Quamobrem etiamsi generale statutum postea edatur in contrarium, non facta expressa derogatione eius legis, non censebuntur ij comprehensi.

Addit verò Suarez citato loco num. 3. aliam exceptionem; Quod per clausulam generalem *non obstante quocunque priuilegio, &c.* censeri non debent sublata aut derogata ea priuilegia, quæ per modum contractus concessa sunt, v. g. in remunerationem meritorum; cùm ea non nisi ex graui causa ad bonum publicum pertinente iustè tolli, seu reuocari possint; & ideo huiusmodi reuocatio in generali clausula non comprehenditur, sed opus est specifica expressa mentione, *etiamsi per modum contractus fuerint concessa.* Quamuis neque hæc clausula, ex plenitudine potestatis prouenies sufficiet, si priuilegia data sint non subditis, v.g. clericis, posteaquam ea acceptata, & ius acquisitum priuilegiatis. Cùm plenitudo potestatis ad derogandum iuribus non subditorum se non extendat, prout etiam dixi in c. Quæ in ecclesiarum 7. de Constit. & videri possunt, quę docui lib. 1. Th. mor. tr. 4. c. 23, n. 25. 7

Notandvm II. Si priuilegiatus seu exemptus, cuius priuilegium exemptionis in corpore iuris continetur, ad iudicium vocetur, respondere non tenetur; cùm exceptione declinatoria notoriè tutus sit. Ita colligitur ex textu huius c. in fine. 8

Existimat verò Glos. hîc ver. *nulla facta mentione*, in fine, quòd in casu huius c. *Monachi debeant venire priuilegium suum allegaturi*; alioquin contra eos procedi possit, argum. l. si quis ex aliena 5. ff. de iudic. quam doctrinam examinat hîc Felinus num. 8. Sed contrarium rectiùs docet hîc Abbas num. 5. Necessarium non esse, vt exempti compareant ad allegandum priuilegium, si id in corpore iuris contineatur, argum. l. 3. ff. de iudiciis. Quam sententiam potiùs confirmat cit. l. si quis ex aliena; Nam causa, cur ex aliena iurisdictione citatus ad Prætorem, comparere debeat, ibi redditur: *Prætoris enim est æstimare, an sua sit iurisdictio*: Vbi Glossa explicans ait: *Scilicet cùm dubium sit: aliàs non.* Nullum autem potest esse dubium, si exemptio in corpore iuris contineatur, ideóque nec cognitioni, siue examini vllus locus relinquitur, prout mox iterum dicam.

Qvæstio enim hoc in loco tractari 9
potest, si Episcopus seu Ordinarius loci contra Clericos aut Religiosos intra diœcesin suam habitantes procedere, aut eos visitare velit; ij autem exemptos se asserant; quid de iure agere concessum sit Ordinario loci? Respondeo ex doctrina Abb. in c. venerabili, de censibus, Rota Rom. apud Ascan. Tamburinium de iure Abbatum tom. 1. disp. 15. q. 8. & Dico I. Si Episcopus sit in possessione iurisdictionis erga Regulares v. g. & hoc constet, tum non attentis quæ offerunt priuilegiis, aliisue probationibus, procedere potest ad manutenendam seu defendendam possessionem iurisdictionis suæ: sed neque appellationem in hoc casu recipere tenetur, quia *procedit tunc vt pars, non vt iudex*, ait Abb. num. 3.

Dico II. Si dubium sit, num Episcopus 10
in possessione iurisdictionis existat contra exemptos, potest similiter extraiudicialiter procedere, etiam censuras comminando: Illi autem recusare, & appellare ad Pontificem possunt: Ita vt si post appellationem censura lata sit, ea pendeat ex futuro euentu, si videlicet Pontifex cognouerit, iustum aut iniustũ processum sententiamque fuisse. Ita post Innoc. in cit. c. venerabili, ibid. Abb. n. 3. vbi suadent; si allegantes exemptionem, ostendant priuilegium suũ, vt Episcopus illud cognoscat extraiudicialiter. Et Tamburinius nu. 3. referens Rotam Romanam, quòd *ad euitandam manutentionem Ordinarij, non sufficit exhibitio priuilegij, nisi vlterius adsit quasi possessio exemptionis, vti habetur in c. cùm persona 7. de priuil. in 6.* Et n. 5. *Eo ipso quòd Ordinarius exercet iurisdictionẽ in vna parte suæ diœcesis, videtur constitui in quasi possessione exercendi quoad omnes, in quibus alter non habet particularem quasi possessionem.* Et eodem n. 5. *Per istam exhibitionem priuilegij, quæ concernit petitorium, remaneret Episcopus priuatus sua quasi possessione, nisi eam manutenere ac defendere licitum esset,*

con-

contrà notata Abb. in c. 1. n. 1. Butrio n. 2. Vt lite pendente, &c.

11 Dico III. Si Epiſcopus non ſit in poſſeſſione iuriſdictionis erga Monaſterium v. g. ſed illud in poſſeſsione exemptionis exiſtat, atque de hoc conſtet; non poteſt Epiſcopus contra Regulares procedere, aut cenſuras comminari: Quia priuaret eos poſſeſsione, aut quaſi poſſeſsione iuris ſui. Poteſt tamen Epiſcopus petere, vt priuilegium exemptionis exhibeatur, aut de legitima præſcriptione doceatur; interea verò dum res cognoſcitur, in poſſeſsione relinquendi ſunt, iuxta cit. cap. cùm perſonæ, & docet Rota Rom. ſuprà citata n. 7. Abb. in c. 1. num. 4. Vt lite pendente &c. Sylueſt. ver. exemptio q. 6. Em. Rodr. tom. 2. regul, qq. q. 64. a. 7. & Angel. ver. exemptio, §. Vtrùm pendente, quòd exemptus *pendente lite non eſt turbãdus in poſſeſſione ſua, etiamſi poſſideat contra ius commune: dummodo ex aliqua probatione, licèt non ſufficiente, ad finale intentum ipſe iuſtificet poſſeſſionem ſuam.*

12 Dico IV. Tametſi ij, qui intra diœceſin exiſtentes exemptos ſe dicunt, ex priuilegio aut præſcriptione in poſſeſsione exemptionis ſint, tamen ab Ordinario ſeu Diœceſano citati comparere debent, atque priuilegium edere, aut de præſcriptione docere. Quòd ſi neutrum horum præſtare poſsint, conceſſum eſt Epiſcopo iuriſdictone ſuâ contra illos vti, citato cap. cùm perſonæ, in fine, & docet Syl. ver exemptio q. 5. In dubio autem num priuilegium validum ſit, aut ſaltem cauſam præſcribendi præbeat, non poteſt Ordinarius de eo cognoſcere, aut contra illos pronunciare, vel poſſeſsione ſpoliare, prout loco cit. tradit Rodriquez; rationem aſsignans; partim ne quis ſit iudex in propria cauſa, contra l. Qui iuriſdictioni 10. ff. de iuriſd. omn. Iudicum; partim quia interpretatio priuilegiorum Apoſtolicorum eidem Sedi reſeruatur.

Aduertendum autem hoc loco: Hæc, quæ ex cit. cap. cùm perſonæ, allata ſunt, de ijs tantùm intelligi debere, qui priuilegio aut præſcriptione legitima ab Ordinario ſeu Diœceſano exemptos ſe profitentur; non autem de ijs, qui iure communi exempti ſunt. Idque inde probatur, quia proceſſus ille aduerſus exemptos, quo compelluntur ſuum priuilegium edere, inde prouenit; quòd *de iure communi, Ordinariorum intentio ſit fundata*, cit. c. cùm perſonæ: Hæc autem ratio nequaquam locum habet erga iure communi exemptos: Cùm enim ſpecies deroget generi, c. 1. de reſcriptis; ideo ſi ex vna parte Ordinarij iuriſdictio in omnes intra diœceſin exiſtẽtes, ex alterà verò parte, quorundam exemptio ex cõmuni iure nota ſit, non poteſt dici Ordinarij iuriſdictio erga hos fundata. Quamobrem rectè docuit Ioan. Andr. in reg. 27. in 6. Abb. ſuper hoc c. n. 5. Imola ibid. n. 5. Decius n. 4. de reſcript. Syl. loco cit. q. 8. Eman. Rodriq. tom. 1. regul. qq. q. 36. a. 4. quòd Religioſi mendicantes, cùm iure communi, omnibus noto, exempti ſint, comparere non teneantur, ad allegandam aut oſtendendam exemptionem ſuam. Quorum communis doctrina conciliari poteſt cum alijs DD. apud Felin. hîc n. 8. quando aiunt, quòd exempti ſi ſuper exemptione citẽtur, comparere & priuilegium allegare debeant; etiamſi notorium eſſe exiſtimetur. Id enim verum eſt, ſi priuilegium in corpore iuris contentum non ſit: Diſcrimen eſt, quòd huiuſmodi priuilegij, cùm ſit inſtar iuris communis, allegatio aut exhibitio fruſtra petatur; non ita verò priuilegij in corpore iuris non contenti; cùm id omnibus ita notum non ſit; aut, ſi notorium eſſe dicatur, hoc ipſum allegari, atque de eo cognoſci poteſt cùm in facto potiùs, quàm in iure conſiſtat. Quam ipſam doctrinam legere potes apud Sebaſt. Sapiam ſuper Abbate in cit. c. cùm ordinem, lit. d.

CAPITVLVM VII.

Eam te.

PARAPHRASIS.

Vacante Sede Tornacienſi, Alexander III. ſcripſit ad Capitulum eiuſdem Eccleſiæ pro Petro ex Iudaiſmo ad fidem Catholicam conuerſo, mandans, vt ipſi Canonicatus in Eccleſia Tornacienſi confera-

tur. Sed quia ius conferendi beneficia ad solum Episcopum, non etiam Capitulum in ea Ecclesia pertinebat, ideo mãdatum Papæ exequi non poterat. Cùm autem Archidiaconus pariter & Canonicus eius ecclesiæ Episcopus consecratus esset, Petrus ab ipso Canonicatum petiuit. Sed Episcopus se excusauit, quòd ipse à Sede Apostolica mandatum nullũ accepisset. Hoc intellecto, Alexander III. rescribit, excusationem hanc inanem esse, cùm ex datâ literarum cognosci potuerit eas promanâsse tempore Sedis vacantis, seu cùm nullus esset Episcop⁹. Quamobrẽ literæ missæ fuerunt ad Capitulum, tanquam in quo interim omnis rerum administratio resideret. Addit verò Pontifex, non ideo Petrum repudiandum esse, quia ex Iudæo genere ortus sit.

SVMMARIVM.

1. *In rescriptis Principis, si dubitetur, an sint obreptitia, tempus* datæ *inspici debet.*
2. *Capitulum Cathedrale, vacante Sede, exequi potest mandata Apostolicæ Sedis, etsi eorum executio ad Episcopum propriè spectet.*
3. *Iudæus conuersus postquam constantiam probauit, ad Ordines & beneficia promoueri potest.*
4. *Si statutum foret in Ecclesia episcopali, vel regulari (vti esse potest) vt nemo ex genere Iudæorum in ecclesiam, vt beneficiarius, aut in Monasterium recipiatur; Papa autem per rescriptum contrarium mandet, vi talis rescripti recipi non debet, si huic nulla mentio vel clausula statuti inserta sit.*

NOTANDVM I. Collatio beneficij ecclesiastici est gratuita concessio, siue gratia; ac veluti species quædam donationis, prout hîc appellatur.

1 NOTANDVM II. In rescriptis Principis, si dubitetur de eorũ viribus, aut sintne obreptitia; tempus *datæ* inspici debet, sicuti etiam habetur in c. constitutus 19. iun. Gl. hoc tit. ver. impetrâsset. Item si agatur de capacitate Iudicis delegati, aut commissarij seu executoris, ad quem rescriptum directum est, cap. statutum 11. iun. Gl. ver. canonicis, hoc tit. in 6. & docet hîc Decius n. 5. fusè Boich n. 1.

NOTANDVM III. Capitulum cathedrale, vacante Sede, exequi potest mandata 2
Apostolicæ Sedis, tametsi eorum executio ad Episcopum propriè spectet: Exemplum habemus hîc. Si vacet præbenda, cuius libera collatio ad Episcopum absque Capitulo pertinet, non potest eam conferre Capitulum Sede episcopali vacante, c. vn. Ne Sede vacante in 6. Attamen si Papa mandet eam conferri certæ personæ, exequi potest, imò debet Capitulum; propterea quòd eiusmodi collatio sit veluti necessaria: At verò in necessarijs præbendarum collationibus succedit Capitulum, vti colligitur ex c. 1. de institut. & tradit Nicol. Garcias p. 5. de beneficijs cap. 7. n. 51. Vt si ex fundatione certæ personæ, aut vni ex familia præbenda conferri debeat. Videri potest Innoc. hîc, Anton. de Butrio n. 24. Abb. n. 14.

Obijci potest, quòd Pontifex hîc dicat, Capitulum Pontificis mandatum exequi nõ potuisse. Responsio colligitur ex textu; Ideo exequi non potuisse; quia cùm literæ præsentarentur, Episcopus nouiter electus confirmationem, quin & consecrationem acceperat: Notum autem est, Capitulum ex eo tempore, cùm Episcopus confirmatus est, episcopalia negotia exercere non posse. Etenim Capitulum administrat loco & vice Episcopi, dum Sedes vacat, c. his quæ 11. c. cùm olim 14. de maior. & obed. Superueniente autem principali cessat potestas administratoris seu vices gerentis; atque ad ipsum, Episcopum, inquam, confirmatum, statim deuoluitur. Eapropter ait hîc Pontifex, friuolam fuisse excusationẽ Tornacensis Episcopi, nullum se mãdatum recepisse: Nam mandatum, cùm emanabat, non ad ipsum, qui nondum (vti ex datâ literarum colligi potuit) administrationem gerebat, sed ad Capitulum pertinebat; ex quo etiam ipse

vnus

vnus erat, videl. Canonicus & Archidiaconus, ac proinde scire debuerat, cur & quo tempore mandatum prodierit; atque executioni mandare, cumprimùm ecclesiæ administrationem accepit.

3 NOTANDVM IV. Ex Iudaismo ad Fidem Catholicam conuersus, postquam constantiæ suæ sufficientia signa præbuit, ad sacros ordines & ecclesiastica beneficia promoueri potest. Ita hîc, & docui lib. 1. moral. Theol. cap. 2. assert. 5.

4 QVÆSTIO est: Si in ecclesia Tornacensi statutum fuisset, vt nemo ex Iudæorum gente ortus, Canonicus, aut beneficiarius fieret, vtrùm Episcopus & Capitulum Petrum vi harum literarum Papalium recipere debuissent? Respondeo negatiuè, si nulla mentio, seu clausula derogatoria statuti inserta sit, iuxta doctrinam Ioann. Andreæ in c. ei cui, de præbend. in 6. Felin. in c. nonnulli n. 9. hoc tit. quòd Princeps non censetur derogare velle statutis & consuetudinibus locorum, nisi exprimat: & ideo *per literas Papæ nunquam derogatur statutis requirentibus certas qualitates in promouendo.* Videri etiam potest Rota Roman. in decis. 1. in nouis, de præbend. Ratio responsionis sumitur ex c. 1. de constit. in 6. ex quo colligitur; Pontificem censendum non esse particularium locorum seu ecclesiarum consuetudinibus ac statutis, si ea rationabilia sint, derogare velle, nisi exprimat: Statutum autem istud, vt nemo ex genere Iudæorum in ecclesiam vt beneficiarius, aut in Monasterium, vel Ordinem recipiatur, rationabile esse potest; neque excedit potestatem statuendi, quæ est in ecclesia episcopali, aut regulari, prout videre licet apud Eman. Rodriq. tom. 1. reg. qq. q. 10. a. 3.

Neque obstat, quòd Pontifex in fine huius c. ait; *Quòd Iudæus extiterit, ipsum dedignari non debes.* Quia in ecclesia Tornacensi non extabat tale statutum; alioquin allegatum fuisset: Cùm itaque spectato cõmuni iure, tales non repellantur, rectè dixit Papa, eum, pro quo scriptum fuit, à præbenda repelli non potuisse.

CAPITVLVM VIII.

Ad aures.

PARAPHRASIS.

Intellexerat Lucius III. Pontifex, quòd Decani, Archidiaconi, Præcentores, & alij ecclesiasticis dignitatibus præditi, tacitâ dignitate seu personatu suo, atque simplici nomine se appellantes, literas super minoribus beneficijs à Sede Apostolica impetrarent: Eapropter rescribit Linconẽsi Episcopo, nolle se, vt eiusmodi literæ à personis, quæ pluribus reditibus abundant, contra pauperes clericos impetratæ vim obtineant.

SVMMARIVM.

1. *Rescriptum impetratum à Papa redditur obreptitium, si in eo tacetur dignitas aut personatus impetrantis.*
2. *Non item si impetratum sit ab Ordinario, cui notæ qualitates impetrantis esse censentur; vel si aliàs certum sit aut verisimile, Papam aut alium Principem, etiam suppressâ qualitate & veritate, concessurum fuisse beneficium; modò expressio qualitatis non sit, vt forma, requisita.*
3. *Princeps non solet beneficium vni concedere, ita, vt alter ladatur, saltem grauiter. Vnde nunquam præsumi debet, Principem rescribere, mandare, priuilegium vel beneficium conferre voluisse cum graui seu notabili præiudicio.*

1 NOTANDVM I. Si Clericus obtinens dignitatem aut personatum, impetret aliud beneficium, etiam ex minoribus, debet exprimere qualitatem beneficij antè obtenti: alioquin rescriptum obreptitium censeri debet. Ratio est: Quia est obtentum per taciturnitatem veri per se ad rem pertinentis, quo cognito, Papa rem postulatam probabiliter non concessisset; Cùm non sit eius

eius intentio beneficia conferre personis, quæ iam antè ecclesiasticis beneficijs abundant; maximè cum pauperum clericorum, quibus minora beneficia competunt, detrimento, iuxta c. postulasti 27, hoc tit. Ita explicant Innoc. hîc & Abb. n. 2.

Hac etiam de causa in Concil. Lateranensi sub Leone X. sess. 9. in Bulla reformat. Curiæ decretum est, vt beneficia quæ 200 ducatorum valorem annuum non attingunt, R. E. Cardinalibus non conferantur, præterquam si vacent per obitum vnius ex familiaribus eorum.

2 His duo adde: I. Si ab inferiore Ordinario, v. g. Episcopo, petatur beneficium, qualitates petentis, aut beneficij petiti non ita exprimi debent, sicuti si à Pontifice impetretur; quia Ordinario notæ esse censentur, prout Felin. annotauit in cap. in nostra, n. 25. coroll. 29. hoc tit. Idque verum est, si expressio veri non requiratur tanquam forma, ita vt sine ea rescriptum irritum sit, sed duntaxat ad subreptionem impediendam: subreptio autem per taciturnitatem veritatis locum non habet, vbi ea concedenti nota est. II. Neque tunc subreptioni propter taciturnitatem veri locus esse potest, si certum aut verisimile sit, Principem, v. g. Pontificem, nihilominus, etiamsi veritas expressa fuisset, concessurum fuisse, prout etiam ex hoc cap. colligitur vers. *cùm non sit intentionis nostræ*, iun. Gl. in casu; atque ex Ancharano cons. 137. exemplo declarat Auffrerius super decis. Capell. Tholos. 436. Quòd mala expressio valoris beneficij non nocet, si ex literis colligatur, quòd Papa opulentiùs etiam & fortasse libentiùs, concessisset. Id tamen limitari debet, si versentur in casu, quòd expressio qualitatis tanquam forma requiratur, prout hîc annotat Felin. n. 11. Sine forma enim res non subsistit, sicuti etiam suprà dixi in c. 1. in 1. not. hoc tit. & videri possunt, quæ dicentur in cap. super literis, 20. c. postulasti 27. hoc tit.

3 NOTANDVM II. Princeps non solet beneficium vni concedere, ita vt alter lædatur, *saltem grauiter*, ait Gl. hîc ver. intentionis: Modicum autem præiudicium æstimari non solet. Spectat huc, quod ex S. Ambrosio refertur in c. denique 10. causa 14. q. 5. *Si non potest subueniri alteri, nisi alter lædatur, commodius est neutrũ iuuari, quàm grauari alterum.* Eapropter nunquam præsumi debet, Principem rescribere, mandare, aut priuilegium vel beneficium cõferre voluisse, cum graui seu notabili alterius præiudicio, vti hîc Baldus notauit n. 2. & dixi in c. Quæ in ecclesiarum 7. de Constitut.

CAPITVLVM IX.

Si autem.

PARAPHRASIS.

Dubitabatur, si Titius rescriptum ad lites à Sede Apostolica impetrauerit, eóque vsus non sit coram Iudice delegato; Interea autem Caius, aduersarius eius, alio impetrato rescripto, in quo prioris mentio nulla facta, Titium in eadem causa ad iudicium trahat, quæstio, inquam, erat, an is exhibendo prius rescriptum, aduersus Caium excipere, eúmque repellere possit. Respondet Lucius III. Papa, esse distinguendum; Si prior impetrans Titius rescripto, ob dolum vel negligentiam, vsus non fuit, (vnius anni spatio, sicuti habetur in c. plerumque 23. hoc tit.) excipere non potest: Sin autem non culpâ suâ, sed quia Iudicis delegati copiam habere non poterat, agere intermisit, competit ei exceptio aduersus literas posteriores. 1

SYMMARIVM.

1. *Valet rescriptum secundum impetratum ab Aduersario, licèt non faciat mentionem de primo, si prior impetrans ob dolum vel negligentiam (intra vnius anni spatium) illo non fuit vsus.*
2. *Rescriptum iustitiæ ex se perpetuum est, nisi postea aliud impetretur ei contrarium;*

trarium; tunc enim ope exceptionis prius tolli potest ob dolum, aut negligentiam eo non vtentis.

3. *Vniuersim rescripta iustitiæ seu ad lites obreptitiè obtenta, ipso iure nulla non sunt, sed per exceptionem elidi possunt.*

4. *Negligentia post anni lapsum præsumitur in impetrante rescriptum, quo vsus non fuit; non autem dolus, qui ab allegante probari debet.*

2 NOTANDVM I. Tametsi rescripta iustitiæ perpetua sint, si certum tempus definitum non sit; id est, semper eorum vsus, seu vtendi facultas duret, quamdiu permanet ius siue agendi, siue excipiendi, super quo fundantur, l. 2. iun. Gloss. ver. perennia Cod. de diuers. rescriptis; limitari tamen debet per hunc textum: Nisi postea aliud ei contrarium rescriptum à Principe impetretur: tum prius tolli potest ope exceptionis, propter negligentiam aut dolum eo non vtentis.

3 NOTANDVM II. Rescripta iustitiæ seu ad lites, obreptitiè obtenta, non sunt ipso iure irrita, sed per exceptionem elidi possunt. Ita notant Interpretes hic Abb. num. 2. Anton. num. 7. Felin. cap. ad audientiam 31. num. 17. hoc titulo. Sanchez lib. 8. de matrimon. disp. 21. num. 3. & sumitur apertè ex textu: Nam posterius rescriptum, priori contrarium, eius mentionem nullam faciens, subreptitium est, vt etiam constat ex c. 3. hoc titulo. Et tamen anni elapso spatio si prior impetrans suo rescripto per negligentiam aut dolum non vtatur, posterius vires & roburacquirit: Ergo non fuit irritum ipso iure; sed tantùm infirmum, vt per exceptionem elidi posset: Nam *quod ab initio vitiosum est, non potest tractu temporis conualescere*, reg. ff. 30. Et reg. 18. in 6. *Non firmatur tractu temporis, quod de iure ab initio non subsistit.*

Obiicitur, quod Legistæ docent in l. licet 5. C. de except. & præscript. *Quæ sunt temporalia ad agendum, perpetua sunt ad excipiendum*: Itaque tametsi primi rescripti impetrator ex eo post annum agere prohibeatur, poterit tamen de obreptione rescripti posterioris excipere, vt efficaciter ex eo conueniri non possit. Respondeo: Si exceptio, siue ius excipiendi ex radice perpetua proueniat, puta ex iure naturali defensionis, quod per legem positiuam non tollitur, tunc locum habet regula: Tametsi ius actionis tempore definiatur per legem, ius tamen excipiendi perpetuò manere. Exemplum est in l. purè 5. §. vlt. ff. de doli & metus except. Si à quopiam v. g. in contractu deceptus es, seu dolo circumuentus, competit tibi aduersus eum actio de dolo, quam secundùm l. vlt. Cod. de dolo, intra biennium instituere potes: Quo elapso, tametsi de dolo agere concessum non sit, si tamen aduersarius aduersus te actionem moueat, petens seruari contractum, semper eum per exceptionem doli mali repellere poteris: cùm naturalis æquitas non patiatur, aliquem ex propria iniquitate commodum reportare: aut cum alterius iniuria, aut damno locupletari. Sin autem exceptio siue ius excipiendi ex fundamento seu radice mutabili proueniat, tum eo destructo aut infirmato, corruit etiam ius excipiendi, prout hìc apparet. Siquidem tam actio, quàm exceptio contra rescriptum posterius fundatur in rescripto priùs impetrato; quod cùm per canonis decretum in pœnam negligentiæ aut commissi doli, infirmatum sit, sequitur quòd & actio, & exceptio infirma reddatur. Sic etiam se res habet, si rescriptum iustitiæ contra priuilegiatum impetretur non facta priuilegij mentione, competit exceptio aduersus rescriptum: Quæ tamen exceptio cùm in priuilegio fundata sit, ideo si ponamus priuilegiatum ei voluntariè renunciasse, corruet exceptio vnà cum priuilegio. Qua de re dixi aliquid in c. cùm Ordinem in quæst. 1. & ibi Abb. num. 3. hoc tit. Videri possunt hìc Ioann. Andr. Imola & Abbas; & quæ examinando traditam doctrinam docet Decius.

QVÆRVNT hìc etiam DD. Num post anni 4 lapsum dolus aut negligentia præsumatur in eo, qui rescripto vsus nō fuit? Affirmant Hostiensis & Anton. n. 10. Abb. n. 4. Decius n. 2.

de negligentia ; ita vt rescripti impetrator, si culpam aut causam in Iudicem conjicere velit, à quo impeditus fuerit, quo minus actionem proponeret, probare teneatur. Negant autem de dolo : nam dolus non præsumitur, sed ab allegante probari debet, l. quoties 18. §. qui dolo ff. de probat. Et fit hæc probatio per coniecturas, seu indicia exteriùs perspicua, l. dolum ex indiciis 6. C. de dolo malo ; cùm dolus in animo residens per se non appareat.

CAPITVLVM X.

Ad hæc.

Paraphrasis.

Relatum fuerat Lucio III. Pontifici, quòd quidam ex Curia Romana literas afferrent, in quibus omnia eorum negotia vni Iudici, vel plurib⁹, quos ipsi elegerint, iudicio committantur : Vnde accidere solet, vt repudiato Iudicis ordinarij examine, ad vnum vel plures Iudices delegatos, qui ipsis propitij sint, aduersariæ autem parti suspecti, pro causis definiendis recurrant. Quod cùm iniquum & irrationabile sit, mandat Pontifex Ordinario loci, vt si eiusmodi literas in prouincia sua repererit, eas viribus carere Apostolicæ Sedis auctoritate decernat.

Svmmarivm.

1. *Rescriptæ iustitiæ de falsitate suspectæ sunt, ideóque reijcienda, in quibus certus iudex non delegatur, aut certo vni iudici omnia præsentia & futura committuntur.*
2. *Item si quid contineant contra stylum Curiæ, aut naturalem æquitatem.*
3. *Potest Papa ex plenitudine potestatis per rescriptum dare potestatem eligendi quemcunque iudicem, saluo tamen iure recusandi.*
4. *Ex plenitudine potestatis potest Princeps operari contra ius commune positiuum, aut consuetudinarium, seu Curiæ suæ stylum : modò nihil agat contra rationem aut æquitatem naturalem.*

NOTANDVM I. Duæ inter alias causæ sunt (iuxta communiorem intellectum, in hoc c. insinuatæ) ob quas rescriptum de falsitate suspectum esse debeat : I. Si in rescripto certus Iudex non delegetur, sed arbitrio & electioni impetrantis committatur. Futurum enim est, vt Iudicem sibi propitium, aduersario autem suspectum eligat. II. Si negotia omnia cùm præsentia, tum futura vni, etiam certo, Iudici committantur : Quod secundùm Rom. Curiæ stylum fieri non solet in rescriptis iustitiæ ; cùm per id ordinario Iudici multùm derogaretur. quod plerumque non expedit, argum. c. peruenit 39. causa 11. quæst. 1. De rescriptis iustitiæ loquor : At verò per rescriptum gratiæ ad defendendum v. g. Ordinem Regularium, aut Monasterium ab iniuriis & impetitionibus manifestis aduersariorum, dari ita solent Iudices, qui dicuntur *Conseruatores*, cap. 1. & c. vlt. de iudic. deleg. in 6. atque notarunt hîc Imola & Abb. vterque n. 5. 1

NOTANDVM II. Si literæ Principis contra stylum Curiæ, aut cõtra naturalem æquitatem quippiam continentes præsententur, de falsitate suspectæ sunt, ideóque reiici debent. Ita hîc, & suprà in c. 2. hoc tit. & c. 3. de Capell. Monachorum. 2

QVÆRIT Glossa hîc ver. *elegerint* : Num Papa ex certa scientia eiusmodi rescriptum committere possit, v. g. cum potestate eligendi quemcunque Iudicem ? Et rectè respondet, committere posse, saluo tamen iure recusandi. Quod etiam docet Anton. hîc in fine, ibid. Baldus, & Abb. n. 8. Nam vocula *ex certa scientia*, æquiualet hîc plenitudini potestatis : At verò Princeps ex potestatis plenitudine operari potest contra ius commune positiuum, aut consuetudinarium seu Curiæ suæ stylum, dummodo nihil agat contra rationem aut æquitatem naturalem, tollendo v. g. ius naturale defensionis, aut sine necessitate partem alteram grauando ; Id autem fieret, si causam seu litem decidendam committeret 3 4

teret

teret Iudici incerto, ſeu quem impetrans elegerit, non conceſſa parti alteri recuſandi poteſtate.

CAPITVLVM XI.

Ad audientiam.

Paraphrasis.

H. de ſancto Stephano, qui ab Epiſcopo ſuo excommunicatus fuerat, literas tanquam à Sede Apoſtolica miſſas præſentauit, in quibus de abſolutione ipſi conferenda cõtinebatur: ſed quia propter vitium latinitatis ſuſpectæ erant, Epiſcopus remiſit eas ad Lucium III. Papam; Qui hîc reſpondet; cùm dictæ literæ manifeſtum in conſtructione peccatum contineant, non eſſe ipſis fidem habendam.

Svmmarivm.

1. *Reſcriptum, quod manifeſtum in conſtructione vitium ſiue ſolœciſmum continet, tanquam falſum reijci debet; niſi in eo ſtylo Curiæ, vel Cameræ Apoſtolicæ conforme ſit, cum quo conferendum.*
2. *Et hoc locum habet non tantùm in reſcriptis Pontificiis omnibus iuſtitiæ & gratiæ; ſed etiam in reſcriptis & priuilegiis aliorum Principum.*

Non autem in inſtrumentis Notariorum.

1 NOTANDVM VN. Literæ, quę tanquam ab Apoſtolica Sede miſſæ afferuntur, ſi in cõſtructione verborum vitium manifeſtum, ſiue ſolœciſmum contineant, tanquam falſæ rejici debent. Ratio eſt: Quia reſcriptum Principis tranſit per multas manus, & magna maturitate decoquitur, c. Apoſtolicæ 4. cauſa 35. quæſt. 9.

2 Ampliari debet doctrina primò cum Abb. hîc n. 3. Vt intelligatur de omnibus reſcriptis Pontificis, ſiue ſint iuſtitiæ, ſiue gratiæ. Secundò, vt locum etiam habeat in reſcriptis & priuilegiis aliorum Principum; cùm eadem ſit ratio. Non autem locum habet in inſtrumentis Notariorum, ſecundùm Gloſſ. fin. hîc Felin. in c. ex parte n. 2. de fide inſtrum. Quia vnum hominem errare procliue eſt, l. errore 7. C. de teſtament. & in l. 2. C. de errore aduocatorum dicitur, quòd error libellum ſcribentis parti nocere non debeat: ſi oſtendi poſſit, vel ex coniecturis appareat, à ſcribente erratum fuiſſe. Videri poſſunt quæ docui lib. 1. Theol. moral. tr. 4. c. 22. n. 27.

His addendum eſt, ex Petr. Gregor. Tholoſano ſuper hoc c. verbo peccatum: Antequam Pontificium reſcriptum propter vitiatam latinitatem rejiciatur, verba eius conferenda eſſe cum ſtylo Curiæ, aut Cameræ Apoſtolicæ; videndúmque, num loquendi modus diſſimilis ſit, nécne: Cùm non propter falſam latinitatem præcisè, ſed inde ortam præſumptionem fraudis, reſcriptum rejici debeat: Præſumptio autem cedit veritati, quando Principis voluntas probabiliſimè apparet, ſicuti etiam Gl. hîc fatetur ver. manifeſtum, circa medium.

Si dicas, Ex hoc ſequi, nullum eſſe diſcrimen inter Principis reſcriptum, & Notarij, alterius ſue ſimilis perſonæ ſcripturã. Reſpondeo; Imò eſſe diſcrimen; Quod Principis reſcriptum, in quo error manifeſtus continetur, ob rationem in 1. not. poſitam, magis ſuſpectum ſit de falſitate; vt non tam facilè quiſpiam admittatur ad probationem contrarij; quandoquidem ſuſpicio hæc ſiue præſumptio eſt iuris & de iure; niſi contrarium indubiè appareat.

CAPITVLVM XII.

Ex parte S.

Paraphrasis.

Capella Emptonenſis ſuberat Eccleſiæ de Tarento, cuius Rector de Tarento erat Sebaſtianus. Onuphrius Diaconus litem intendit Capellano Emptonenſi coram Ordinario; ab eius ſententia appellat Onuphrius, ſed appellationem non proſecutus expellit Capellanum. Verùm Sebaſtianus cauſam ſui Capellani proſequitur, & à Sede Apoſtolica literas ad iudices delegatos impetrat. Ab his in iudi-

iudicium vocatus Onuphrius, obiecit, se literas priores à Sede Apostolica impetrasse, quibus potiùs deferri debeat, quàm posterioribus, cùm in eis nulla mentio fiat priorum. Verùm has literas idem Onuphrius vsque ad tertiam citationē suppresserat, nec eis vsus fuerat ob dolum vel negligentiam: quæ negligentia & dolus inde etiam apparebat, quia in impetratione literarum nullam de appellatione mentionem fecerat, cùm tamen biennium à tempore appellationis elapsum fuisset. Quare in hac re rescribit Clemens III. & mandat, si rem ita se habere constiterit, vt omnibus in statum pristinum restitutis, quę post appellationem attentata fuerunt, Capella Ecclesiæ matrici restituatur, & Onuphrius ad expensas præstandas Sebastiano Rectori condemnetur.

SVMMARIVM.

1. *Quæ dicatur matrix Ecclesia.*
2. *Si Rector ecclesiæ superioris sit etiã inferioris seu capellæ, quã gubernat per Capellanum seu Vicarium, Capellanus capellam non suo, sed Rectoris principalis nomine possidet.*
3. *In libello de possessione retinenda, vel recuperanda mentio fieri potest de iure proprietatis, etsi id postea non ostendatur.*

1 NOTANDVM I. Si ecclesia parochialis seu plebana capellam sibi subiectam habet, eius comparatione dicitur matrix. At verò spectato communi iure, ecclesia parochialis non habet fundatam intentionem super capella intra fines parochiæ constituta, vt ipsi subiecta censeri debeat, tanquam matrici: sed ostendi debet ius speciale, v.g. quòd hac cõditione fundata fuerit, aut ex parochiæ reditibus erecta, vt subesset & regereturab Ecclesia parochiali, secundùm Gloss. in c. eam te 4. ver. pendeant, de æt. & qual. Abb. hic num. 1. Felin. 1. eundem Abb. in c. ad audientiam nu. 8. de eccles. ædif. Alioquin verò per ecclesiã matricem, quæ intentionem fundatam super omnes diœcesis ecclesias & capellas habet, intelligi debet cathedralis seu episcopalis c. venerabilis 22. de verb. signif.

2 NOTANDVM II. Si Rector ecclesiæ superioris, seu principalis, sit etiam Rector inferioris seu capellæ, quam per Capellanum seu vicarium gubernat, iuxta ea quæ tradit Gl. in cit. c. eam te, ibid. Anton. n. 10. tunc Capellanus capellam non possidet suo nomine, sed potiùs nomine Rectoris principalis: quemadmodum nec colonus fundum suo, sed domini nomine possidet, iuxta l. 1. C. Communia de vsucapion. & c. cùm venissent 11. iun. Glossa in not. de rest. spoliat. Quare, sicuti si colonus è fundo dejiciatur, seu expellatur, domino competit actio seu interdictum possessionis recuperandæ, vti docet Bart. in l. 1. §. dejicitur, ff. de acq. possess. Ita etiam si capellanus Rectori dicto modo subiectus dejiciatur, Rector ecclesiæ matricis actionem instituit, vti hic apparet, & annotauit Imola num. 1.

3 NOTANDVM III. Ibi, *cùm de iure pertineat*: Quod in libello de possessione retinenda, vel recuperanda, nihil obstat mentionem fieri de iure proprietatis, etiamsi id postea non ostendatur; Attenditur enim ad conclusionem libelli, & non ad ea quæ narrata sunt, & ea quæ narrantur, non extendunt conclusionem libelli. Ita hic Abb. notat n. 3. Anton. n. 2. Videri autem possunt quæ dicentur in c. 2. de ord. cognit. Simili modo in decretis ecclesiasticis attendi debet ad sententiam definitionis, aut decisionis; & non ita ad rationes, & alia, quæ accessoriè ac veluti incidenter, maiorisque confirmationis causa inseruntur. Horum enim non tanta auctoritas esse debet: adeóque si ponamus, falsum quippiam in decreto seu fidei, seu morum, contineri, nihilominus decretum vim suam habebit. Dixi de hac re aliquid in lib. 2. mor. Theol. tract. 1. cap. 2. fin.

NOTANDVM IV. Qui literas impetrat super causa, in qua appellauit, appellationis suæ mentionem facere debet. Item, ex diuturnitate seu mora temporis, quo impetrans literis non vtitur, sed eos supprimit, negligẽtia vel dolus præsumi potest, vti etiã dictum in c. si autem 7. hoc tit. Item, post appellationem

nem interpoſitam, ſi quæ attentata ſunt, in ſtatum priſtinum reuocari debent, c. ſuper quæſtionum 27. in fine, iun. Gl. in not. vlt. de offic. deleg. Item, ſi appellans appellationem ſuam intra terminum à iure vel iudice definitum non proſequatur, condemnandus eſt ad expenſas aduerſario præſtandas, ſi quas proſequendo appellationem fecit, c. reprehenſibilis 26. c. Nicolao 64. de appellat.

CAPITVLVM XIII.

Sciſcitatus.

PARAPHRASIS.

Quidam miſit Cæleſtino III. petitorium, id eſt, ſcriptum continens dubitationem ac petitionem. Si Sedes Apoſtolica duobus vel pluribus iudicibus cauſam delegauerit, adiectâ clauſulâ *ſi vnus mandatum exequi non poſſit*, vt alter vel reliqui ſine illo exequantur, vtrùm id de impotentia tam iuris quàm facti intelligi debeat. Reſpondet Pontifex de vtrâque accipiendam eſſe: iuris impotentia v.g. eſt, ſi delegatus ſit ſeruus, vel infamis, vel excommunicatus, vel iudiciorum omninò imperitus: facti impotentia eſt, ſi morte præuentus fuerit, aut graui morbo, aliâue neceſsitate impeditus, quò minùs cauſam cognoſcere queat. Adijcit verò Cæleſtinus, quòd impeditus cauſam ſuſcipere, debeat impedimentum Collegis ſignificare, quia ad legitimam excuſationem non ſufficit nolle cauſam ſuſcipere, cùm poſsit, niſi reſcriptum alternatiuam contineat, ſi qui non potuerint, aut noluerint, alij in cauſa procedant.

SVMMARIVM.

1. *Impoſſibile non tantùm cenſetur, quod naturaliter vel omninò non, aut difficillimè fieri poteſt, ſed etiam, quod honeſtè fieri nequit.*
2. *Quædam perſona à natura iudices eſſe prohibentur, vt furioſus, infans: quædam à lege, aut recepta conſuetudine, vt ſeruus, infamis, excõmunicatus &c.*
3. *Impedimentum poſt factam delegationem Iudici ſuperueniens impedit eum à munere cognoſcendi & iudicandi.*
4. *Impedimentum Iudicis (ordinarii & delegati) ſi naturale eſt, ſed publicè & probabiliter ignorati, irrita eſt eius ſententia & proceſſus, non item, ſi impedimentum ex iure poſitiuo eſt.*
5. *Impedimentum iuris publicè notum Iudicis proceſſum & ſententiam inualidat, etſi partes nihil contra iudicem excipiant.*
6. *Valet ſententia iudicis excommunicati non vitandi, ſi contra eum non excipiatur.*

NOTANDVM I. Duplex eſt impotentia, ſiue duobus modis impoſsibile aliquid dicitur; videlicet *de iure, & de facto*, c. vlt. de pactis. Nam ſecundùm communem loquendi & ſentiendi modum, vtroque etiam iure confirmatum, non tantùm id impoſsibile cenſetur, quod naturaliter vel omninò non, aut difficillimè fieri poteſt, ſed etiam quod honeſtè & ſecundùm mores fieri nequit, l. ſi ſtipulor 35. ff. de verbor. obligat. l. filius qui 15. ff. de condit. inſtitut. vbi Papinianus I.C. ait: *Quæ facta lædunt pietatem &c. & generaliter quæ contra bonos mores fiunt, nec facere nos poſſe credendum eſt.* Atq; ideo horum omnium impoſsibilium, ſi alicui mandentur, nulla eſt obligatio, regul. 6. in 6. 1

NOTANDVM II. Quædam perſonæ à natura iudices eſſe prohibentur, vt furioſus, infans: Quædam autem à lege, aut recepta conſuetudine, vt ſeruus, infamis, excommunicatus, &c. Videri poteſt Paulus I.C. in l. cùm prætor 12. ff. de iudicijs, quem ſecutus eſt Gratianus in c. 1. cauſa 3. q. 7. 2

NOTANDVM III. Clauſula inſerta reſcripto iuſtitiæ, *Si non omnes intereſſe poteſtis &c.* eum qui non vult intereſſe, cùm poſsit, ab inobedientia non releuat: Interim verò aliorum iuriſdictionem, etiam ſine ipſo, confirmat, c. prudentiam 21. §. Adijcimus, de offic. delegati.

3 Qvæstio Prima. Si impedimentum tempore factæ delegationis non fuit in Iudice, sed postea superueniat, num eum impediat à munere cognoscendi & iudicandi? Responsio debet esse affirmatiua cum Gl. hîc ver. infamem. Abb. n. 7 Decio n. 7. Idq; verum est, siue impedimentum naturale superueniat, vt furor, amentia; siue legitimum, vt si seruus efficiatur, aut iuris infamiam contrahat, quippe quæ ipso facto publici muneris priuationem inducit, l. 2. §. si miles ff. Quibus ex causis infamia contrahitur. Sed alia ratio est de infamia facti, vt si quis in periurium incidat, aut homicidium committat. Tametsi enim testis ita criminosus saltem per partis exceptionem repelli possit, c. testimonium 54. de testibus; non tamen Iudex repelli potest; præterquam si ex crimine specialiter parti suspectus, ideóque recusabilis sit. Ratio discriminis inter Iudicem & testem afferri debet; partim quia contra iudicem, si malè iudicâsse videatur, appellationis remedium competit, vti hîc Imola notauit n. 19. Abb. n. 8. Partim, quia Iudicis officium publicum est: & ideo non tam facilè recusari potest, vti hîc Decius monuit n. 7. Idque maximè locum habet, si causa Iudici ordinario commissa sit; cùm enim in aliis causis toleretur, cur non in ista? Cæterùm, si impedimentum Iudici delegato superueniens, postea cesset, vt si amentiæ morbus, in quem post factam commissionem incidit, tollatur; vel infamis pristinæ famæ ac potestati restituatur, recuperat iurisdictionem in causa ipsi delegata. Nam impedimentum temporale magis suspendit iurisdictionem, quàm tollit, teste Anton. hîc n. 23. Abb. n. 10. Dec. n. 8.

4 Qvæstio Secvnda. Si impedimentum Iudicis, seu is ordinarius sit, seu delegatus, ignorabatur, & post latam ab ipso sententiam innotescat, num ea retractari, vel irrita censeri debeat? Resp. & Dico I. Si impedimentũ iudicãdi, quamuis publicè ignoratum, naturale est, v. g. amentiæ morbus, aut surditatis, ita vt causam Iudex non intellexerit, irrita est eius sententia, ac processus.

Dico II. Si impedimentum ex iure positiuo est, sed publicè ac probabiliter ignoratum, valet sententia & processus; neque detecto postea errore, retractari debet, iuxta l. Barbarius, ff. de offic Prætor. Exempli causa: Si iudex ordinarius vel delegatus à legitimo magistratu constitutus publicè in aliquo loco habeatur pro ecclesiæ membro, cùm sit excommunicatus non toleratus; vel pro libero homine, cùm sit seruus, seu mancipium; vel pro masculo, cùm sit fœmina, acta eius valent: Quare dicunt DD. quòd in hoc casu *error communis ius tribuit*. Dixi de hac re copiosè lib. 1. Th. mor. tr. 4. cap. 22. n. 9.

5 Dico III. Si impedimentum iuris publicè notum sit, tametsi partes nihil contra Iudicem excipiant, siue quia id ignorant, siue quia remittere volunt, non valet processus & sententia iudicialis. Ita Imola hîc n. 22. Abb. n. 12. Decius n. 7. Cùm enim aliquis iure ipso inhabilis est, partes non possunt eum habilem reddere: siue, vt aliter dicam, si defectus non pendet à voluntate partis, eius taciturnitas nihil operatur, secundùm Gl. in l. 1. ver. inchoata, C. vbi de crim. agi oportet.

Addit Decius cit. loco, tametsi iuris impedimentum v. g. seruitus, aut infamia, publicè ignoretur, posse tamen partem illud detegendo, excipere contra iudicem, tam ordinarium, quàm delegatum: ita, vt si nihilominus procedere velit, aduersus ipsum appellari possit.

6 Sed & alius casus est, in quo sententia Iudicis ordinarij aut delegati valet, si contra eum non excipiatur; secùs, si ante latam sententiam excipiatur: Videlicet si is in excõmunicatione existat, non vitandus. Nam in Concilio Constantiensi, extrau. *Ad euitanda*, licentia data fuit fidelibus communicandi cum excommunicatis, si denuntiati non sint, nec notorij clericorum percussores; ita tamen, vt per hoc ipsis excommunicatis, nullus fauor factus fuerit; esset autem non paruus eorum fauor, seu commodum, si fideles contra iudicem excipere non possent, sicuti iure antiquo poterant, c. exceptionem 12. de except. Videri possunt quæ docui lib. 1. Theol.

Theol. moral. tract. 5. p. 2. c. 2. effectu 8. & cap. 4. n. 4.

CAPITVLVM XIV.

Paſtoralis.

PARAPHRASIS.

Si duo reſcripta ſuper eâdem causâ ad diuerſos iudices à Sede Apoſtolica peruenerint, & dubitetur, an prius per poſterius reuocetur; tum ſi vna pars iudicum delegatorum alteri deferre velit, vt cognoſcat, ad quos iuriſdictio pertineat, illi ſoli, quibus defertur hoc dubium, diriment, antequam de cauſa principali cognoſcatur. Quòd ſi neutra pars iudicum alteri deferre velit, tunc ſimul vtrique, inſpectis reſcriptis eorúmque datis, definiant, vtri parti potiùs iuriſdictio competere debeat. Quòd ſi inter ſe non conſentiant, hoc caſu (tametſi plures ſint iudices ex vna parte delegati, quàm ex altera parte) communi partium litigantium conſenſu arbitri eligendi ſunt, qui controuerſiam hanc definiant, videl. ad priorèſne, an ad poſteriores iudices cognitio pertineat.

SVMMARIVM.

1. *Iudex ordinarius & delegatus cognoſcere poteſt, vtrùm ſua ſit iuriſdictio; & quidem ſi delegatus ſit vnus, ſolus cognoſcat; ſin plures, & non concordent, ad arbitros recurrendum eſt.*
2. *Si iudex bonâ fide & probabiliter pronunciet, ſe competentem eſſe, & ab hac ſententia interlocutoria non appelletur, proceſſus & ſententia in cauſa principali valebit; licèt poſtea innoteſcat, ab initio verè competentem non fuiſſe.*
3. *Secùs tamen eſt, ſi iudicis iuriſdictio fundata non ſit: non enim in cauſa principali procedere poteſt iudex, niſi certus ſit de iuriſdictione ſua.*
4. *Ex duplici titulo poteſt Iudicis iuriſdictio non eſſe fundata: primò, ſi nullitas ſit ex parte reſcripti, ſeu commiſſionis prætentæ. Secundò, ſi commiſſio ſit à Superiore in cauſa ad iuriſdictionem ac poteſtatem eius non pertinente.*
5. *Error, quantumuis probabilis, iuriſdictionem conferre non poteſt, ſi commiſſio non facta eſt ab habente poteſtatem.*
6. *Iudici procedere volenti obiectus defectus incompetentiæ, ſi ſit talis, quem lex aut Superior, cui iudex ille eſt ſubiectus, ſupplere non poſſit, facit, vt in dubio nequeat de hac exceptione cognoſcere, & iudicare.*
7. *Secùs eſt, ſi defectus ſit, qui ſuppleri à lege, aut prædicto Superiore queat.*
8. *Si inter iudices per diuerſa reſcripta ſuper eodem negotio delegatos controuerſia orta componi non poſſit, vtra pars cognoſcere debeat, nec pars vna alteri deferre velit: per arbitros ab vtraque parte electos cauſa decidenda erit.*
9. *Si cauſa communi conſenſu duarum diuerſarum partium (collegiorum ſeu corporum) decidenda ſit, debet vtrobique maior pars conſentire.*

NOTANDVM I. Non tantùm Iudex ordinarius, exorto dubio, num ad ipſum pertineat iudicare, cognoſcere poteſt, num ſua ſit iuriſdictio, l. ſi quis ex aliena, 5. ff. de Iudicijs, l. 2. ff. ſi quis in ius vocatus &c. ſed etiam delegatus. Ita ſumitur ex hoc c. & notat Abb. n. 1. Felin. in c. ſuper literis c. 18. 23. & ſeqq. 1

Sunt autem aliquæ adhibendæ declarationes: Prima eſt, Si vnicus iudex delegatus ſit, ipſe ſolus orto dubio cognoſcet: Sin autem plures, ſeu vno, ſeu diuerſis reſcriptis, delegati ſint, conuenire ſimul debent, ac dubium diſcutere: ſin autem conſentire non poſſint, arbitros eligere, ſicuti iterum dicam in 2. not.

Altera declaratio. Si iudex, ordinarius aut delegatus, orto dubio de iuriſdictione ſua in certa cauſa, bonâ fide ac probabiliter 2

biliter pronunciet, se competentem esse: atque à sententia hac interlocutoria non appelletur, processus & sententia in causa principali valebit: esto postea comperiatur, ab initio verè competentem non fuisse, vti hîc ex communi docet Anton. 3. & 9. latè Felin. cit. c. super literis fermè toto. Ratio dari debet; quia hæc est mens ac voluntas committentis iurisdictionem, vt orto dubio num Iudex in causa aliqua cognoscere possit, ad ipsum pertineat determinare; & secundùm id procedere: Ideóque habemus hîc alium casum, in quo *error probabilis ius tribuit.*

3 Quamobrem rectè ex communi doctrina in suprà cit. c. super literis n. 29. 30. notat Felin. Secùs dicendum esse, si Iudicis iurisdictio fundata non sit; siue, vt clariùs dicam, si iurisdictio eius per pronunciationem eam, competentem se esse, fundari non possit. Etenim iudex in causa principali procedere nunquam potest, nisi certus sit de iurisdictione sua, prout etiam docuit Steph. Auffrerius in capell. Tholosanæ quæst. 479. n. 3. cùm neque tutor administrare possit, nisi certus sit se tutorem esse l. quæro 3. in fine, ff. de eo qui pro tutore &c.

Accidit verò id, quod dixi, vt Iudicis iurisdictio fundari non possit, duobus modis;
4 Primò, si nullitas sit ex parte rescripti, seu commissionis prætentæ; quia supposititia est, aut rescriptum falsum. Etsi enim tunc Iudex, quamuis ex causa verisimili, arbitretur ac pronunciet, ius cognoscendi se habere, irritum erit quidquid agitur; ob defectū commissionis, & acceptæ iurisdictionis. Distinguendum itaque, monet ibidem Felinus, inter literas falsas, & obreptitias: Illæ *nullam dant iurisdictionem*; hæ verò *dant tam super principali, quàm super dubio iurisdictionis; & sententia ex eis lata transit in rem iudicatam.* Secundò, si commissio facta sit à Superiore in causa ad iurisdictionem ac potestatem eius non pertinente, vti habetur in l. 2. C. si à non competente iudice &c. Tametsi enim in hoc casu, si dubius sit, Iudex delegatus, cognoscere possit, num ipsi ex vi eius cōmissionis procedere liceat, vti vult Baldus in ead. l. 2. n. 2. Felin. n. 36. si tamen cognoscendo ac pronunciando se iudicem esse, erret, quia reuerà, vt ponimus, Superior causam, extra iurisdictionis limites existentem, committere non potuit, acta à iudice delegato irrita prorsus sunt.

Exemplum habemus, si Princeps secularis causam, quæ verè ecclesiastica & extra forum suum est, committat cognoscendam alteri; isque ob auctoritatem committentis, aliásue rationes, pronunciet competentem se esse, poterit quidem, si bonâ fide procedat, excusari à culpa; sed acta eius irrita erunt, ob iurisdictionis defectum; quippe quam 5
error, quantumuis probabilis, conferre non potest, si commissio non facta ab habente potestatem, prout docere solent Doctores in l. Barbarius, ff. de off. Prætor. & dixi aliquid in Theol. moral. lib. 1. tr. 4. c. 22. n. 9.

Eadémque omninò ratione dicere id cogimur de iudice ordinario, si causa ad ipsum delata sit, de qua dubium est, num fori sui secularis sit, an verò ecclesiastici; ipse verò pronunciet, ecclesiasticam non esse, cùm reuerà sit, atque talem esse postea intelligatur, acta eius Iudicis & sententiam latam, irritam esse; quia à non Iudice, seu cuius iurisdictio fundata non erat, processerunt, sicuti mox ampliùs dicetur.

Tertia enim in not. 1. traditæ regulæ de- 6
claratio est: Si iudici, siue ordinario siue delegato, procedere volenti obijciatur defectus incompetentiæ, distinguendum; vtrùm defectus sit ex rei natura, siue talis, quem lex aut Superior, cui iudex ille subiectus est, supplere non possit; an verò defectus sit, quem lex aut Superior supplere queat. In priore casu, si v. g. obijciatur esse amentem, non potest in dubio de hac exceptione cognoscere: quia iurisdictio eius sicuti super principali fundata non est, ita nec super accessorio isto seu incidente, prout pluribus allegatis docet Felinus in eod. c. super literis n. 23.

Præterea si Iudici seculari in causa procedere volenti, pars obiiciat, quòd sit ecclesiastica, ad ipsius proinde cognitionem, iurisdictionémque non pertinens; Aut, si citatus ad

Iudi-

Iudicem secularem, excipiat se clericum esse, iurisdictioni eius in hac causa nõ subiectum stante dubio de exceptione ista, Iudex secularis cognoscere ac pronunciare non potest, saltem efficaciter, vt eius iurisdictio per pronunciationem, si non appellatur, fundamentum ac vires acquirat; prout in hoc ipso casu docet Glos. in c. si Iudex 12. de sent. excom. in 6. quòd *de re ecclesiastica & spirituali nec principaliter, nec incidenter habet secularis iudex se intromittere*, iuxta c. tuam 3. de ord. cognitionis, c. lator 5. c. per venerabilem 13. Qui filij sint legitimi: sed, vt ait Gl. margin. ibi, Felin. hic n. 4. *In dubio isto ecclesiasticus est iudex, tanquam maior.* Eleganter Anton. de Butrio in cit. c. super literis n. 40. & in c. si diligenti 12. nu. 14. de foro compet. vbi ait: *Propter dubium etiam causæ deferentis causam ad iudicem secularem, quamquam cognoscere possit an sit iudex, non per hoc tamen subiicitur clericus iudici seculari, quoad principalem causam.* Et paucis interiectis: *Per quæ patet, regulam illam l. si quis ex aliena* ff. de iudiciis, (quòd iudex in dubio cognoscere posit, num sua sit iurisdictio, & ita eam fundare ac stabilire) *procedere, quando iudex quis non est, esse tamen potest, saltem in hoc* & per hoc dum cognoscit, *an sit iudex: vbi autem iudex non est, nec esse potest, dubium non facit eum iudicem: nec tunc pronunciatio, per quam se iudicem pronunciaret, faceret eum iudicem: quia sententia impossibilis nihil prodest.* Quam ipsam doctrinam commendat & sequitur Felin. in cit. n. 23. Et Decius in c. cùm ordinem, in fine, hoc tit. *Si iudex esset omnino incapax, prout est iudex secularis contra clericum, tali casu licèt pronunciaret se competentem, sententia nihil valet, vt notat Abb. c. si diligenti, col. fin. de foro compet.*

7 In posteriore autem casu, locum habet regula ea, quam paulò antè cum Ant. de Butrio produxi, quòd Iudex in dubio cognoscere posit de iurisdictione sua, eamque asserendo, etiam super causa principali stabilire. Sed declarandum & limitandum primò; Si qualitas fundans iurisdictionem Iudicis ordinarij aut delegati, extrinseca siue accessoria sit, quia cognoscere non potest de causa, nisi existente tali qualitate, tunc ante omnia, saltem extraiudicialiter, informare se debet circa eam qualitatem, si de ea dubitetur: Tum verò, si in partem affirmatiuam determinauerit, fundata erit iurisdictio eius, etiam quoad causam principalem; tametsi ponamus, qualitatem verè non inesse: quando versamur in casu, vbi lex aut superior supplere potest defectum. Exemplum habes in c. 1. & c. vlt. de off. delegati in 6. vbi Conseruatoribus iudicibus committitur, vt de iniuriis, ac violentiis manifestis cognoscant: ad alia verò iudicialem cognitionem non extendant: Hoc ipso verò eis conceditur, vt præparatoriè cognoscere, & informare se possint, num iniuria manifesta sit, siue talis, vt ad examẽ suum iudiciale pertineat, prout Felin. monet in cit. c. super literis n. 20. arg. c. 1. & c. præterea 5. de off. delegati: Quia qui concedit principale, concedit etiam accessoria, & præparatoria, sine quibus principale expediri non potest. Aliud exemplum est in c. accusatus 8. §. sanè, de hæret. in 6. vbi decernitur, vt Inquisitores Fidei non se intromittant in cognitionem de crimine diuinationis, aut sortilegij, nisi hæresin sapiat manifestè; vbi videri potest Gl. ver. manifestè, Dominic. de S. Geminiano in c. 1. §. contrahentes, vers. sed quid, ibid. Francus n. 5. de foro compet. Felin. cit. n. 20. Bartolus in l. præscriptione n. 7. & 8. C. si contra ius vel vtil. publicam.

Limitandum est secundò; Si non de nudo iurisdictionis exercitio agatur; quippe quod onus potiùs esse censetur, quàm honor aut commodum, etsi fortasse modicum quid commodi, v. g. sportulas, adiunctum habeat; sed agatur vel de statu & existimatione personæ Iudicis: vt si ei obiiciatur iuris infamia, aut contracta seruitus; adeóque de non modico commodo, quod ex iurisdictionis exercitio percipiet; Tunc iusta aderit causa, saltem vt suspectum iudicem recusandi; ita vt de exceptione illa ad firmandam iurisdictionem suam cognoscere non possit: Quia sicuti in principali, ita etiam in accessorio seu incidente suspicio contra illum & recusatio locum habet. Qua de re videri potest Bartol.

in l. quidam consulebat, n.3. & seqq. ff. de re iudic. Petr. Ancharanus in c. si contra not. 3. de off. deleg. in 6. Felin. in cit. c. super literis n.23. & seqq. Anton. in c. cæterùm n.9. de iudiciis, Abb. in c. venerabili, de censibus, & in cit. c. super literis n.10. inquiens ibi; *Quando exceptio pariter concludit in incidente, sicuti in principali, non potest iudex cognoscere.*

Porrò ex his infert Abb. in cit. c. cùm super n.10. in 4. casu; Si non agatur duntaxat de iurisdictionis exercitio, sed de proprietate, ac statu subiectionis; quia citatus ait se à iurisdictione exemptum ac liberũ esse; quòd Iudex de hac exceptione ad fundandam iurisdictionem super causa principali cognoscere non possit; saltem efficaciter, & ita vt recusari nequeat, sicuti sentit Felin. in eod. c. super literis n.24. Vide quæ docui suprà in c. cùm ordinem, hoc tit. prope finem.

§ NOTANDVM II. Si inter iudices per diuersa rescripta super eodem negotio delegatos, controuersia orta componi non possit, vtra pars cognoscere debeat: nec pars vna alteri deferre velit: per arbitros ab vtraque parte electos causa decidenda erit. Hoc est præcipuum huius c. responsum, quod declarat P. Lud. Molina tract. 5. de iustit. disp. 31. n.2. Appellantur autem hi arbitri iuris, seu ex legis præscripto ac necessitate constituendi. Alium casum habemus in c. si clericus 46. causa 11. q. 1. Si Episcopus cum Clerico diœcesis suæ controuersiam habeat, ad arbitros ab vtraque parte eligendos recurrendum esse. Qua de re dicendum alibi. Alius casus est in c. suspicionis 39. de off. delegati. Sed & in similibus, quamuis in iure non expressis casibus, ad arbitros confugiendum esse, putat Gl. in c. statutum 11. ver. copia, hoc tit. in 6. quam doctrinam examinat hîc Felin. n. 1. & 2. Sic dixi lib. 1. Theol. moral. tract. 2. cap. 5. n.26. Si supremi Principes inter se controuersiam habeant, atque ea per transactionem componi non possit, communi partium consensu arbitros esse eligendos, qui controuersiam dirimant: Idque ex gentium iure, & naturalis rationis præscripto, cùm superiorem non habeant, ad quem lis decidenda referri queat. At verò iudices delegati, si de iurisdictione dubitent, Superiorem consulere possunt, saltem cùm res moram patitur, vti colligi videtur ex c. 2. de offic. delegati. Quod & de ordinariis iudicibus, si inter eos de iurisdictione contentio oriatur, ad Superiorem referendam esse, tradit Felinus in c. super literis, n.35. hoc tit. ex Angelo in l. 2. C. de in ius vocando.

QVAERES. Quomodo id fieri possit, vt ex diuersis ad diuersos Iudices datis rescriptis non appareat, iuxta quod eorum rescriptorum iurisdictio competat, & processus institui possit? Respondeo, cum Abb. hîc n. 2. & seqq. Varias posse occurrere dubitandi rationes; & inter eas hanc, si rescripta diuersa aut contraria vna eadêmque die data reperiantur. Tum enim si per testes probari, aut alia ratione constare possit, vnum priore die hora datum esse, præferri id debet posteriori, prout docet Ioann. Andr. hîc, Felin. n.5. Zasius in l. 1. §. editiones, paulò post initium, ff. de edendo; qui addit, in instrumentis Notariorum horam etiam adiungi solitam esse. Plura de prioritate *datæ* inter duo rescripta videri possunt apud eundem Felin. cit. n.5. & in c. capitulum n.14. hoc tit.

NOTANDVM III. Circa ea verba, *quamuis plures sint*: Si causa communi consensu duarum diuersarum partium, collegiorum seu corporum decidenda sit, non sufficit maiorem (absolutè loquendo) partem congregatorum consentire; sed necesse est, vt vtrobique pars maior consentiat. Exempli causa, si vtrobique sint quinque congregati, vniuersim autem decem; atque ex vna parte quatuor, ex altera autem duo consentiant, dici non potest consensus duorum collegiorum seu corporum: sed opus est, vt ex vtrauis parte minimùm tres consentiant. Similiter, si tria corpora seu collegia ius eligendi aut præsentandi habeant: & vnum Collegium quod triginta personas complectitur, in aliquam personam consentiat; alterum, quod habet personas viginti, non consentiat; in tertio denique, quod habet etiam viginti personas, consentiat minor pars, vid. nouem duntaxat, non erit rata electio; quandoquidem

dem non adeſt maior pars eligentium, ſi eligentes non vt perſonæ ſingulares, ſed collectiuè ſiue ad corpora concurrunt. Quæ eſt doctrina Gl. fin. hîc Abb. n. 6. Felin. n. 8. §. Vbi duo corpora, pulchrè Anton. nu. 15. in fine, *Quando plura corpora, vt corpora, vniuntur ad expediendum actum, quodlibet corpus habet vnam vocem integram: quia attenditur corpus, & non numerus perſonarum.* Idem tradunt DD. in c. ſcriptum 40. de elect. vbi Abb. n. 6. fusè rem iſtam declarat.

§. Quoniam.

Paraphrasis.

Si alicui cauſæ cum generalitate abſque perſonarum & rerum expreſsione delegatæ fuerint, v.g. cognoſce de iniuria hac Titio illata, & quibuſdam aliis tibi ab eodem proponendis: hoc caſu iudex delegatus iuriſdictionem habet veluti in habitu, licèt actu eam exercere non poſsit erga perſonas & res, antequam exprimantur. Quamobrem ſi ab eâdem Apoſtolicâ Sede aliud poſtea reſcriptum emanet, quo cauſa ſpecialis contenta ſub generalitate prioris reſcripti aliis iudicibus demandetur, ſpeciale hoc reſcriptum derogat generali, tametſi de eo nullam faciat mentionem.

Svmmarivm.

Iuriſdictio delegata non datur in actu ante expreſſionem cauſarum, de quibus agendum; & perſonarum, contra quas agendum ſit.

Notandvm I. Reſcriptum ad lites ſpeciale derogat priori generali, licèt de eo mentionem non faciat: cùm ſit generalis regula, quòd ſpecies derogat generi. Dixi de hac re in cap. 1. hoc tit. Excipiendum verò eſt: Niſi in priore generali diſpoſitione poſterioribus reſcriptis forma præſcribatur, vt in iis mentio ſeu clauſula derogatoria ponatur, alioquin non derogetur, vti dixi in c. cùm Ordinem 6. hoc tit.

Notandvm II. Si iudici delegatio facta ſit ſine expreſsione perſonarum, aut cauſarum, iuriſdictionem acquirit duntaxat in habitu; eámque priùs exercere non poteſt, niſi expreſſæ fuerint cauſæ, de quibus agendum; & perſonæ, contra quas agendum. Ita Gl. hîc ver. iuriſdictionem, & videri poteſt c. 2. de Libelli oblat.

CAPITVLVM XV.

Sedes.

Paraphrasis.

Inprimis præfatur Innocent. III. quòd Sedes Apoſtolica exhibeat ſe liberalem poſtulantibus, quamuis alij eius gratiâ abutantur, quare ad horum malitiam impediendam decernit, ſi in reſcripto à Sede Apoſtolicâ impetrato perſonæ minores ac minùs dignæ exprimantur, quæ in iudicio conueniri poſsint, adiectâ clauſulâ indefinitâ, *Et quædam aliæ perſonæ*, quòd ſub eâ non comprehendantur perſonæ maiores ac digniores, neque item multitudo perſonarum, ſed ſummum 4. vti poſtea dicetur c. 2. eod. in 6. Similiter ſi in reſcripto res minores expreſſę fuerint, adiectâ clauſulâ, *vt cognoſcatur ſuper his & aliis quibuſdam*, per eam non comprehenduntur cauſæ grauiores ſeu maioris momenti. Denique ait, ſi quis in petitione perſonas expreſſerit, non quòd cum ijs iudicio contendere velit, ſed vt alias paris vel minoris conditionis perſonas, per adiectam clauſulam, *Et quaſdam alias*, conueniri poſsit, totum reſcriptum irritum cenſendum eſſe. quia ſua cuique fraus & dolus prodeſſe non debet.

Svmmarivm.

1. *Liberalitas eſt propria Principum.*
2. *Cauſæ vel negotia committi poſſunt vni, ſine ſpecifica eorum expreſſione.*
3. *Clauſula generalis ſeu indefinita ſubſequens ordinariè reſtringitur ad ſimilia ijs, quæ præceſſerunt.*

Item dictio alius, alia, *est implicatiua similium.*

4. *Subinde tamen diuersorum, & quandoque etiam maiorum comprehensiua, pro ratione intentionis disponentis, quæ tum ex subiecta materia, tum ex ipsa verborum constructione, seu loquendi modo colligitur.*

5. *Corruente parte principali rescripti ob subreptionem falsi, corruit etiam pars accessoria.*

1 NOTANDVM I. Principem decet esse beneuolum, ac liberalem, vti hîc indicatur, iun. Gl. ver. liberalem, & sumitur ex c. 1. de donat. & reg. 16. in 6.

2 NOTANDVM II. Licèt in rescriptis, in quibus causæ delegantur, Iudices exprimi debeant, vti suprà dictum in c. ad hæc hoc tit. Causæ tamen seu negotia vni committi possunt sine specifica eorum expressione: Cùm non sit tantum periculum: quandoquidem delegatio fieri potest viro prudenti & in rebus versato, qui causas, quamuis plures & varias, iustè definiat. Quare interdum Iudices in certo loco delegantur ad vniuersitatem causarum, vti dicetur in tit. de off. delegati, hoc libro.

3 NOTANDVM III. Qui super diuersis causis, aut contra diuersæ conditionis personas rescriptum impetrat, in quo quædam negotia expressa sunt, aut quædam personæ, contra quas in iudicio contendendum sit, nominatæ; adiecta clausula generali, seu indefinita *& aliu* negotia, *& contra alias* personas; in ea clausula censeri non debent comprehensa negotia maiora; sed tantùm æqualia aut leuiora: sed nec personæ maiores seu digniores, sed tantùm æqualis aut minoris conditionis comprehenduntur.

Ex his tradi solet regula, quòd clausula generalis seu indefinita subsequens, ordinariè restringitur ad similia ijs, quæ præcesserunt, secundùm Anton. hîc n. 10. Abb. n. 1. & 9. Decium n. 2. Item, dictio *alius, alia*, est implicatiua similium, vti hîc Imola notat n. 19. Felin. n. 6. & alij mox citandi.

Afferenda enim sunt traditæ doctrinæ exẽpla: Primum ex Innoc. c. ex literis 7. de iure patr. ver. non exempto, Abb. hîc n. 2. Si Episcopus alicui dicat, *Dono tibi villam, & omnia iura*, seu *alia iura, quæ inibi mihi competunt*, non comprehenduntur iura spiritualia, v. g. ius decimarum: Quia clausula generalis, *& omnia iura*, seu *alia iura* restringitur ad talia, cuiusmodi antecesserit, videlicet ius temporale prædij. Excipe; Nisi spirituale talis naturæ sit, vt cum re temporali accessoriè transeat, videlicet ius patronatus, cit. c. ex literis.

Alterum ex Baldo in l. A procuratore C. mandati, quod commendat hîc Imola n. 11. Si Baro alicui dicat, *Vendo tibi hoc prædium & omnia iura, quæ mihi ibi competunt*, non comprehenditur vectigal ibi constitutum, nec locus gladij aut furcæ, quo merum imperium continetur. Quia clausula generalis adiecta restringitur ad talia, cuiusmodi specificè antea fuerat expressum; videlicet prædium, atque adeò iura omnia, quæ communiter prædio annexa esse, siue cum eo vendi solent, comprehenduntur: Non autem ea, quæ, vt maiora, specialem expressionem requirere videntur. Eapropter docuit etiam Zasius in l. Imperium, in fine, ff. de iurisdict. omn. iudicum, si Princeps in aliqua villa, pago, aut oppido iurisdictionem alicui concesserit, ea concessione non venire merum & mixtum imperium. Præterquam, si dicatur, largissimam vel omnimodam iurisdictionem tribui, secundùm Gl. in Clem. vn. ver. omnimodam, de for. comp. quòd *iurisdictio omnimoda sumitur vt genus, comprehẽdens etiam merum & mixtum imperium, l. 3. & 4. ff. de iurisdict. omn. Iudicum.* Et annotauit Eman. Rodriq. tom. 1. reg. qq. q. 20. a. 4. in fine, quòd signum vniuersale adiectũ voculæ *alius* ampliat dispositionem, atque comprehendi facit etiam maiora expressis; Vt si Pontifex facultatem tribuat absoluendi à certis casibus expressis, postea verò adijciantur verba, *& aliis qualitercunq; enormibus*; comprehendi etiam maiora expressis, & quomodocunque reseruata. Quamquam etiam hæc doctrina limitari debet; si vel ius, vel stylus Curiæ specialem expressionem postulet; tum sub generalita-

ralitate ea verborum non comprehensa censentur specialiter reseruata, vid. Casus Bullæ Cœnæ Domini, maximè hæresis, sicuti docui lib. 1. moral. Th. tr. 5. p. 2. c. 5. n. 2.

Tertium est apud Lud. Molinam tr. 2. de iustit. disp. 495. n. 19. Si colonus casibus fortuitis quibusdam in specie expressis renuntiet, clausulámque generalem adiiciat, *& cæteris fortuitis casibus*, intelligi debet de æqualibus & minoribus, non item de maioribus ac magis insolitis, arg. huius c. & Clem. 2. de Procurator. Secùs tamen dicendum videtur, si clausula exuberans, *& aliis quibuscunque, qualitercunq; incidentibus*, apposita sit.

Quartum apud Nicol. Euerardum in locis argumentorum, loco 5. Si dispensatum sit cum Titio, vt quæcunque beneficia simplicia, quæ sunt in diœcesibus Germaniæ superioris, ac inferioris, consequi possit; & postquam ad ætatem legitimam videl. 25. annorum peruenerit, duo curata aut aliàs incompatibilia vbiuis locorum existentia, acceptare possit; restringi debet generalitas *vbiuis locorum* ad beneficia curata, quæ in Germania superiore aut inferiore vacantia sunt.

Quintum ex Scæuola I. C. in l. emptor 48. §. Lucius ff. de pactis: Quidam mercator acceptis à numulario rationibus dati & accepti, cum ipso conuenit; vt si præterea aliquod instrumentum debiti reperiatur, pro casso & inutili haberetur; clausula huius remissionis duntaxat intelligitur de debitis in genere cambij, de quo mentio antecesserat.

Sextum ex Proculo in l. vlt. §. cui dubia, ff. de tritico, vino, vel oleo legato: Si testator ita legârit: *Vinum amphorarium, Aminæum, Græcum, & omnia alia dulcia Titio dentur*; non de alijs rebus dulcibus intellexisse putandus est, nisi quæ potionis sunt.

Septimum legi potest apud Matth. de Afflictis decis. 244. Ducissa Calabriæ in testamento suo legauit certam pecuniæ summam *Ecclesiæ S. Ianuarii, & ecclesiæ S. Arpini, & aliis sanctis Patronis Neapolitanis*: Cùm autem in ecclesia S. Ianuarij sepultæ essent quatuor corpora sanctorum Patronorum Neapolit. Atque item in ciuitate Neapolitana essent aliæ ecclesiæ sub nomine seu titulo eorundem sanctorum Patronorum; dubitatio inde orta est, num per eas voces *& aliis sanctis Patronis Neapolitanis*, testatrix legare voluerit ecclesijs in honorem Patronorum dedicatis: an verò ecclesiæ S. Ianuarij, in quo eorundem corpora requiescunt. Respondit Afflictis cit. loco; Quòd *illa dictio, & aliis Sanctis, posita in legato, est implicatiua similium; & facit positionem eiusdem qualitatis, quando ponitur inter ea, quæ sunt eiusdem rationis. Et sic cùm testatrix primò legauit ecclesiis, & postea dixit, & aliis Sanctis, intelligitur legâsse ecclesiis dictorum Sanctorum*. Et postea: *Nec debet esse in consideratione, quod dixit, & aliis Sanctis, & non dixit Ecclesiis Sanctorum. Quia secundùm vulgarem vsum loquendi faminarum, cùm volunt nominare ecclesias, nominant Sanctos. V. g. cùm vult* aliquis *nominare ecclesiam S. Petri martyris, dicit, Lego S. Petro martyri: intelligitur autem de ecclesia S. Petri martyris: quia legata fiunt ecclesiis Sanctorum, & non Sanctis, qui sunt in cœlo.* Quam ipsam doctrinam tradidi in censuris contra Astrum inextinctum, p. 2. cens. 9.

Atque hæc quidem, quæ dixi, ita se habent: Non potest tamen omnino generalis doctrina tradi de voce *alius*, prout rectè annotauit Gl. in c. deinde 3. ver. cum cæteris, d. 26. Anton. hic n. 10. & alij quos refert Sanchez lib. 3. de matrim. disp. 20. n. 3. Sed inprimis spectandum est, quænam fuerit mens seu intentio disponentis; quæ partim ex subiecta materia, de qua agitur; partim verò ex ipsa verborum constructione, seu loquendi modo colligetur: Exinde interdum apparebit, vocem *alius* non esse implicatiuam similium; sed diuersorum comprehensiuam, vti videre est Luc. 23. v. 32. Quandoque etiam maiora complectentem, quàm expressa præcesserunt: præsertim si signum generale adiectum sit; dummodò, sicuti suprà dixi, excludantur extraordinaria, insolita, & de quibus probabiliter, ne in 4

genere quidem, cogitatum fuit, iuxta reg. 81. in 6. *In generali concessione non veniunt ea, quæ quis verisimiliter non esset in specie concessurus.*

NOTANDVM IV. Propria fraus ac dolus nemini patrocinari debet, vti etiam habetur in c. seq. c. 2. de dolo & cõtumacia, c. 1. de eo qui duxit &c. c. dictum 4. iun. Gl. ver. fallaciam, causa 30. q. 1. l. verùm 64. §. Tempus autem, ff. pro socio, ibi; *Nec enim æquũ est, dolum suum quemquam relevare*: Ne inde aliquis commodum reportet, vnde pœnam meretur, quod æquitas non patitur.

5 NOTANDVM V. Si pars principalis rescripti ob subreptionem falsi corruit, etiam pars accessoria seu ab ea dependens corruere debet. Etenim in casu huius c. potissimùm Papa delegauit Iudices ad expedienda negotia expressa; ad alia verò non expressa concomitanter, ac veluti accessoriè. Cùm itaque ob simulationem & mendacium impetrantis rescriptum circa expressa corruit, mirum non est etiam circa adhærentia siue concomitantia corruere, vti colligitur ex verbis postremis c. *Careat penitus impetratis.*

CAPITVLVM XVI.

Ex tenore.

PARAPHRASIS.

Romanus Presbyter de Collouilla literas à Sede Apostolica impetrauit contra Abtem de Becco, cúmque earum vigore Iudices delegati Abbatem citassent, Romanus noluit coram eis contendere. Postea verò alias literas ad alios Iudices super eâdem causâ à Papa impetrauit, nullâ in eis factâ mentione literarum priorum: coram his iudicibus Abbas vocatus noluit respondere, quòd diceret se vi priorum literarũ à prioribus iudicibus, quorum potestas reuocata non sit, citatum comparuisse, & respondere paratum fuisse. Hac re ad Innoc. III. delatâ, respondet, Romanum vtriusque rescripti commodo carere, vt neutro vti possit, ne fraus ipsi sua patrocinetur.

SVMMARIVM.

1. *Coram iudice citatus comparens, si in eâdem causâ ab alio citetur, exceptionem declinatoriam apponere potest.*
2. *Rescriptum præsentatum iudici, iurisdictionem ei tribuit, & impetrans, citato & comparente reo, non potest illi renuntiare sine consensu partis aduersæ.*
3. *Rescripta diuersa contra aliquem super eâdem causâ ad diuersos iudices, non factâ mentione prioris in posteriori, & vtroque vtens, perdit commodum vtriusque.*
4. *Dum autem neutro vsus est, potest vti priore, posteriore autem non nisi in casu, quo ex circumstantiis appareat, bonâ fide & ad cautelam illud esse impetratum: vel prius ob aliquem defectum sit nullum, aut per exceptionem elisibile.*
5. *Facultas alicui concessa ad aliquem actum intelligi debet de efficaci, qui possit habere effectum.*
6. *Verbum* Careat *in lege pœnali importat sententiam priuationis ipso facto incurrendam.*

NOTANDVM I. Si quis coram Iudice citatus comparuerit; & postea coram alio super eâdem causâ citetur; declinatoriam exceptionem apponere potest, quòd vbi lis cœpta est, etiam finiri debeat, l. 30. *Vbi acceptum* (etiam per citationem, ait Gl. ibi) *est semel iudicium, & ibi finem accipere debet.* Item, si duo iudices ordinarij, aut delegati concurrentem habeant iurisdictionem, & vnus eorum per citationem præueniat, alter pendente lite, se intromittere non potest, c. cùm plures 8. de off. delegati, docet Andr. Gaill lib. 1. obseru. 29. n. 5. & obser. 32. num. 9.

Adde, quòd in casu huius c. Iudici per præsentationem literarum non tantùm iurisdi-

risdictio acquisita fuerit: Sed insuper etiam, post factam citationem, si reus ad defendendum se comparuit, rescriptum vtriusque partis commune factum sit, cui proinde impetrator absque alterius consensu renunciare non potuit. Qua de re Abb. hîc n. 1. Innoc. in cap. conquestione, de restit. spoliatorum.

3 NOTANDVM II. Qui contra aliquem super eodem negotio ad diuersos iudices diuersa rescripta impetrat, nullâ in posteriore factâ mentione prioris, propter malitiam & commissum dolum, ipso iure vtrumque perdit. Hæc est principalis decisio huius c. Pro cuius pleniore intellectu, aduertendum; Quòd hæc sit pœna à sacris canonibus inflicta, sicuti hîc apparet, & in c. vlt. hoc tit. Verba autem legis pœnalis intelligi debent cum effectu, c. hæc autem verba 17. vbi Nauarr. n. 9. d. 1. de pœnit. Idem Nauarr. & in tract. de alien. rerum eccles. n. 19. 20. Idcircò concludit Gl. hîc communiter recepta, ver. cõmodo, & alia Gl. in c. dispendia 3. ver. fuerit, eod. tit. in 6. Pœnam hanc non incurri, nisi impetrans rescripto vtroq; vsus fuerit.

Sed QVÆSTIO est, dum neutro vsus fuit impetrans, num in eius optione sit, vtro eorum vti, seu iudicibus præsentare malit? Respondeo & Dico primò; Certũ est, quòd vti possit priore; cùm per posterius, in quo nulla mentio prioris facta, reuocatum aut infirmatum non fuerit. 4 Secundò; Si, omisso priore, posterius præsentet, præsumptio doli subest; Atque ideo per exceptionem subreptionis elidi potest secundum rescriptum. Veruntamen, si ex circumstantijs appareat, bonâ fide, & ad cautelam impetrâsse secundum; quia timebat iudicem per prius rescriptum delegatum moriturum, aut in terras remotas discessurum, vtrumque rescriptum firmum censeri debet; ita vt etiam priore omisso, vti possit posteriore, secundùm mentem Gl. hîc ver. commodo, Anton. n. 8. Abb. n. 5. licèt aliter Cardinal. Hostiensis. Tertiò; Si literæ priùs impetratæ ob aliquem defectum nullæ fuerunt, firmæ sunt posteriores ad alios iudices, etsi in ijs nulla mentio priorum fiat, sicuti docet Gl. recepta in c. cum nostris 6. ver. vacaret de iure, de concess. præb. ex reg. 52. in 6. *Non præstat impedimentum, quod de iure non sortitur effectum.* Quartò; Idem probabiliter dicitur, si priores literæ, seu rescriptum priùs impetratum per exceptionem elidi poterat, firmum fore posterius ad alios iudices, nullâ prioris factâ mentione, vti docuit Gl. fin. hîc. Abbas n. 6. Decius n. 5. & alij plerique argum. l. si dari stipuler 25. ff. de verb. oblig. vbi dicitur, quòd quasi nullum, siue inutile censetur, quod per exceptionem tolli potest. Item argum. c. plerumq; 23. hoc tit. vbi narratur, rescriptum posterius, in quo nulla mentio facta est prioris ad alios iudices dati rescripti, *non valere*; cùm tamen non ipso iure irritum fuerit, sed tantùm ope exceptionis

Porrò ex ipsa doctrina, allegatâ Gl. fin. huius cap. Nauarrus in tract. de redit. eccles. 5 q. 3. mon. 9. n. 3. Suarez tom. 3. de relig. lib. 8. de paupert. cap. 16. n. 15. regulam colligunt, Si facultas alicui concessa sit ad aliquem actum, intelligi debere de efficaci, seu qui possit habere effectum: Ideóque facultatem à Pontifice concessam v. g. Religioso testandi de bonis acquisitis ex reditibus ecclesiasticis, non restringi ad primum testamentum; cùm illud perfectum non sit, dum testator viuit, sed suâpte naturâ reuocabile sit; Poterit itaque Religiosus, recedendo à priore sua voluntate aliud, & aliud condere testamentum.

NOTANDVM III. Verbum *careat* positum in lege pœnali, videtur significare sententiam priuationis ipso facto incurrendam, sicuti hîc annotauit Felin. n. 16. & 17. & sumitur quoque ex c. præced. in fine, *careat penitus impetratis.* Ratio est; quia iste loquendi modus significat executionem siue effectum ex imperio ipsius legis, seu latæ tunc sententiæ, oriturum. Videri potest Franc. Suar. de censuris disp. 3. sect. 3.

* * *

CAPI-

CAPITVLVM XVII.

Cùm adeò.

PARAPHRASIS.

Petrus Clericus in Ecclesia Modecensi sufficientem sibi præbendam consecutus, postea impetrauit à Papa literas, quibus eidem Canonicatum in Ecclesia de Gronzola conferri iubebat. Eo intellecto, Archiepiscopus Mediolanensis scripsit ad Innocentium III. mirari se tale rescriptum à Sede Apostolica emanâsse, &c. Respondet Papa, mirari eum non debuisse, cùm ex literarum tenore apparere potuerit, eas per subreptionem obtentas fuisse, quandoquidem de præbenda Petri, & quòd Canonicus esset Modecensis, nulla in ijs mentio facta fuit, imò nec quòd Clericus esset; insuper in literis Papalibus conditio adiecta erat, si ad ecclesiasticum Ecclesiæ Gronzalensis beneficium dignus existeret.

SVMMARIVM.

1. *Habenti beneficium congruæ sustentationi, pro qualitate personæ sufficiens, non debet aliud conferri.*
2. *Omissio in rescripto alicuius, quod iuxta stylum & formam Curiæ Romanæ est necessariò exprimẽdum, reddit illud obreptitium, & quidem ipso iure irritum.*
3. *In rescripto ad beneficium conferendum addi solet, vel subintelligitur conditio, si nullum canonicum impedimentum ei obstet.*

1 NOTANDVM I. Habenti beneficium ecclesiasticum, quod ad decentem sustentionem, spectatâ qualitate personæ, sufficiens sit, non debet aliud conferri. Ita sumitur ex hoc c. iun. Gl. ver. sufficientem, & ex c. postulasti 27. hoc tit. Ratio est: Quia ex abundantia redituum ecclesiasticorum sequitur clericorum luxus, vanitas, & ecclesiasticæ disciplinæ relaxatio; item Ministrorum paucitas, & clericorum aliorum inopia; consequenter cultûs diuini diminutio. Et adeò quidem in Ecclesia Christi vsitatum erat, vt habenti beneficium sufficiens aliud non conferretur, vt Archiepiscopus Mediolanensis miratus hîc fuerit, tale à Sede Apostolica mandatum emanâsse: Neque verò Pontifex Innocent. III. admirationem reijcit; sed ait, ex literarum tenore colligi potuisse, eas obreptitias & irritas fuisse. Adde Trident. Concil. sess. 24. cap. 17. de reform. *Cùm ecclesiasticus ordo peruertatur, quando vnus plurium occupat officia clericorum, sanctè sacris canonibus cautum fuit, neminem debere in duabus ecclesiis conscribi. Verùm quoniam multi improbæ cupiditatis affectu, se ipsos,* NON DEVM *decipientes, ea quæ bene constituta sunt, variis artibus eludere, & plura simul beneficia obtinere nõ erubescunt, sancta Synodus debitam regendis ecclesiis disciplinam restituere cupiens, præsenti decreto (quod in quibuscunque personis, quocunque titulo, etiamsi Cardinalatûs honore fulgeant, mandat obseruari) statuit, vt in posterum vnum tantùm beneficium ecclesiasticum singulis conferatur. Quod quidem, si ad vitam eius, cui confertur, honestè sustentandam non sufficiat, liceat nihilominus aliud simplex sufficiens, dummodo vtrumque personalem residentiam non requirat, eidem conferri.*

NOTANDVM II. Rescripta ex Curia Romana promanantia diligenter inspici, & considerari debent; vtrùm stylus seu forma scribendi obseruata fuerit; vtrùm aliquid tacitum, seu omissum, quod necessariò erat exprimendum; Exinde enim apparebit nonnunquam obreptitia esse, & quidem ipso iure irrita, nec executioni mandanda, si sint rescripta gratiæ, aut beneficialia, vel dispensationes, vti dixi in c. 2. hoc tit. & habetur in c. constitutus 19. eod. & tradit hîc Baldus n. 9. Fuerunt autem in his literis duo omissa, quæ necessariò, secundùm Curiæ stylum, exprimenda erant: I. Quòd impetrans aliud & quidem sufficiens beneficium haberet: Id cùm in Pontificiis literis non contineretur, conse-

consequens est, neque in supplicatione positum fuisse; adeóque obreptitiè literas impetratas, tacito videl. eo, quod si sciuisset Pontifex, petitioni non annuisset, sed nec rationabiliter annuere potuisset. II. Quòd impetrans rescripti clericus esset: nam & id in beneficialibus rescriptis, secundùm Rom. Curiæ consuetudinem, exprimi debet, vti ex textu colligitur, & docet Anton. n. 9. Abb. n. 2. Propterea quòd laicus ecclesiastici beneficij capax non sit, c. 2. de instit. Nam beneficium est ius quoddam spirituale, quod in laicum non cadit. Videri potest Azor tom. 2. lib. 6. c. 2. q. 5.

3 NOTANDVM III. In rescripto ad beneficium conferendum, addi solet, vel, etsi non addatur, intelligi debet, conditio, si persona, pro qua scribitur, ad beneficium illud idonea, ac digna sit; siue, si nullum canonicum ei obstet impedimentum, vt videre est in c. veniens 13. de renunc. vbi id notat Ioan. Andreas num. 1. & videri potest Nauarr. in c. si quando except. 11. n. 1. hoc tit.

CAPITVLVM XVIII.

Causam.

PARAPHRASIS.

1 Pro intellectu huius c. ante omnia sciendum est, quòd lib. 2. decretal. extet tit. 6. Vt lite non contestata, &c. *non procedatur ad testium receptionem, vel sententiam definitiuam.* Id verò intelligi debet iure ordinario, & exceptis casibus extraordinariis, qui afferuntur in c. vlt. §. porrò, eod. tit. Quare si Iudex, controuersiâ ad ipsum delatâ, in citatione peremptoria dicat, seu cominetur, se, nondum lite contestata, contra reum absentem etiam processurum esse ad testes recipiendos, & sententiam definitiuam proferendam; aut si Iudici delegato ea procedendi potestas committatur, tum consuetum & necessarium est, vt clausula adiungatur, *quantum de iure poterimus*, sicuti videre licet in c. tum ex literis 5. de in integr. restit. c. cùm dilecti 5. de dolo & contumacia. Est enim ea clausula limitans, siue restringens ad casus, in quibus ita procedere de iure concessum est.

SVMMARIVM.

1. *Lite non contestatâ, non potest procedi ad testium receptionem, vel sententiam definitiuam iure ordinario, & exceptis casibus extraordinariis.*
2. *Rescriptum iustitiæ debet intelligi secundùm ius commune, ita vt nihil ei contrarium decernat.*
3. *Secùs est de priuilegio Principis propriè dicto, & statuto particulari.*
4. *Si concepto falsò rescripti, aut legis intellectu iudex processum iudiciarium instituit, rescindi debet, aut irritus declarari, in quantum in eo erratum est.*

2 NOTANDVM I. Rescriptum iustitiæ ita interpretari conuenit, vt iuri communi congruum sit, seu nihil communi iuri contrarium decernat, tametsi necesse sit à proprietate verborum recedere, vel adiectam clausulam transponere, vti hìc docet Gl. in notandis, & ver. precedat. Anton. n. 5. Abb. n. 1. Decius n. 1. Gaill. lib. 1. obs. 33. n. 6. & sumitur ex hoc c. Tametsi enim, vti Anton. hìc animaduertit n. 6. clausula in medio posita non soleat ad omnia, siue vtrumque extremum referri, tamen in casu huius rescripti respondit Innoc. III. Papa, ad vtrumque referendum esse; videlicet ad probationes recipiêdas, & ad definitiuam sententiam procedendum esse, *quantum de iure concessum est*; quandoquidem ita communi iure decretum est, à quo Princeps in rescriptis iustitiæ nequaquam recedere solet. Adde, si in eiusmodi casu ordo aut constructio verborum aliter defendi non possit, præsumendum, à scriptore transpositionem, aliâmue mutationem factam esse. qui error veritati obesse non debet, l. errore 7. & l. ambiguitates 24. C. de testam. & satis colligitur ex textu huius c. iun. Gl. ver. fuerat inferenda.

3 Cæterùm alia ratio est de Principis priuilegio propriè dicto: Ad eius enim rationem pertinet, vt sit alicuius rei contra ius commune ex Principis beneuolentia concessio,

ſicut notauit Gl. in c. 1. ver. noſcatur, de conſtit. in 6. & dixi in c. 1. in not. 3. dicto 3. de reſcript. Quomodo autem eiuſmodi priuilegia in dubio interpretanda ſint, videl. plerumque ſtrictè, vt quàm minimùm, ſalua proprietate verborum, iuri communi derogent; Item, quòd omnia Principis beneficia ita intelligi debeant, vt iuri alieno acquiſito nihil præiudicij afferant, docui copiosè lib. 1. moral. Th. tract. 4. c. 23. n. 5. & 6. & videri poteſt Felin. hîc n. 7. & ſeqq. Azor tom. 1. moral. Inſtit. lib. 5. cap. 23. q. 2.

Alia item ratio eſt de ſtatuto particulari: Id enim frequenter contra ius commune editur; dummodo ſtatuentes tali poteſtate præditi ſint. Quare licet verba ſtatuti, ſi commodè fieri poſsit, ita interpretari conueniat, vt cum iure communi conſentiat, c. cùm dilectus 8. de conſuetudine; non tamẽ ita, vt verba ad ſenſum improprium aut inſolitum trahantur; prout per ſenſum cõtrarium colligitur ex eod. c. cùm dilectus, & notauit Abb. hîc n. 6. vbi ait, reſcriptum iuſtitiæ non ea intentione prodire, vt aliquid addat communi iuri, quomodo interdum particularia ſtatuta eduntur.

4 NOTANDVM II. Si concepto falſo reſcripti, aut legis intellectu, iudex proceſſum iudiciarium inſtituit, reſcindi debet, aut irritus declarari, quatenus in eo erratum eſt: ſecùs, vbi erratum non fuit. Ita ſumitur ex textu, & docet Gloſſa in notandis; *ſolum illud reuocatur, quod eſt illegitimè factum.*

CAPITVLVM XIX.

Conſtitutus.

PARAPHRASIS.

Paulus Clericus à Cæleſtino III. literas impetrauit ad Decanum & Capitulum eccleſiæ Bituricenſis, quibus mandabatur, vt ipſum Paulum in canonicum reciperent, eíque præbendam, ſi vel tunc vacaret, vel proximè vacatura ſit, conferrent. Cùm autem Capitulum mandatum implere negligeret: idem Pontifex datis literis, quas vocant executorias, huius rei executores conſtituit. Interim mortuo Cæleſtino ſucceſsit Innocentius III. coram quo controuerſia hæc iterum agitata, proponente in ſui deſenſionem Capitulo, literas illas ſubreptitias fuiſſe, propter taciturnitatem veri, quandoquidem numerus Canonicorum in eccleſia Bituricenſi iuramento confirmatus, & à Sede Apoſt. approbatus ſit, cuius rei nulla in literis mentio fiebat. Hoc intellecto, ſcribit Innoc. III. ad Archiepiſcopum Senonenſem, ſi intellexerit numerum canonicorum iuramento conſtitutum fuiſſe in eccleſia Bituricenſi, priuſquam Paulus literas executorias à Sede Apoſt. impetraſſet, irritum eſſe declaret; quidquid earum literarum vigore factum fuerat. Sin autem aliter ſe res habere compererit, videl. numerum canonicorum eo tempore ſtabilitum non fuiſſe, tunc faceret illi in canonicum recepto præbendam, ſi vacauerit, aſsignari, ſublato omni appellationis remedio.

SVMMARIVM.

1. *Reſcriptum gratiæ derogans eccleſiæ alicuius ſtatuto iurato, nullâ eius factâ mentione, ipſo iure irritum eſt; imò & illud, quod derogat iniurato ſtatuto de certo numero Canonicorum.*
2. *Et ſi mentio fiat ſtatuti, taceatur autem illud eſſe iuratum, reſcriptum obreptitium & irritum cenſeri debet.*
3. *Idem eſt, ſi taceatur ab impetrante in eo verum, etiam probabiliter ignoratum.*
4. *Arguens reſcriptum ob taciturnitatem veri eſſe obreptitium, tenetur id probare.*
5. *Niſi intentionem ſuam ſuper narratis fundatam habet.*
6. *Ad cognoſcendum, an reſcriptum ob taciturnitatem veri ſit obreptitium, inſpici debet tempus impetrationis, ſeu datæ literarum.*
7. *Vt reſcriptum gratiæ, iuſtitiæ, & diſpenſationis propter expreſſionem falſi non ſit obreptitium, debent narrata in eo vera fuiſſe tempore impetrationis; ſeu datæ literarum.*

8. Si

8. Si reſcriptum in parte principali propter obreptionem irritum ſit, etiam eius pars acceſſoria irrita eſt.

1 NOTANDVM I. Non valet reſcriptum gratiæ, ſeu ad beneficium conſequẽdum, derogans Eccleſiæ alicuius ſtatuto iurato, nulla eius facta mentione. Ita ſumitur ex hoc c. & tradit Gl. in notandis, Baldus n. 9. Abb. n. 5. Atque eſſe ipſo iure irritum, colligitur ex fine huius c. iun. Gl. ver. irritum decernatis, & dixi ſuprà in c. cùm adeò 17. hoc tit.

Adde primò; Tametſi ſtatutum de certo numero canonicorum iuratum non fuiſſet, nihilominus eius mentio fieri debuiſſet, ſicuti ex communi docet Anton. hîc n. 5. & 6. Felin. n. 1. Imola n. 2. & dixi in c. 1. de reſcriptis in fine, quòd reſcriptum gratiæ aut beneficiale non deroget ſtatuto eccleſiæ, nulla eius facta mentione; cùm mens Pontificis non ſit laudabili locorum conſuetudini aut ſtatuto præiudicium adferre, niſi exprimat, c. 1. de conſtit. in 6. Videri etiam poteſt Francus in c. ei cui, n. 5. de præb. in 6.

2 Adde ſecundò; Tametſi in literis Papæ mentio fiat ſtatuti, ſi tamen taceatur, eſſe iuratum, obreptitiæ & irritę cenſeri debent, vti docet Baldus hîc n. 9. Abb. n. 7. Imola n. 5. Felin. n. 3. cùm ait, *Statuta iurata non tolli per generalem derogationem ſtatutorum*, ſicuti in ſimili tradit Gl. in Clem. vn. ver. pacta de ſepult. quòd *pactum iuratum non tollitur per clauſulam, Non obſtante pacto.* Ratio dari debet, quia tametſi in eiuſmodi ſtatuto v. g. de certo canonicorum numero per iuramẽtum firmato, cenſeatur excepta auctoritas Superioris, vid. Papæ, vti docui lib. 4. Theol. moral. tract. 3. cap. 9. n. 4. in alter. condit. *Saluo iure Superioris*, tamen Papa difficiliùs ſolet ſtatuto derogare, propter vinculum iuramẽti; Quandoquidem duplex vinculum firmius eſt, quàm ſimplex. Ideóque addi debet clauſula derogatoria, *non obſtante ſtatuto, etiam iurato*, prout videre eſt in c. cum aliquibus 4. hoc tit. in 6.

3 NOTANDVM II. Reſcriptum gratiæ irritum fit propter taciturnitatem veri, etiam probabiliter ignorati ab impetrante. Quia obreptio iſta non tam vitiat reſcriptum ob culpam aut dolum impetrantis, quàm ob defectum voluntatis in concedente; ſi videlicet probabiliter non conceſſiſſet, ſi rem plenè cognitam habuiſſet. Ita notauit Gl. in c. ſeq. ver. literas dediſſemus, Anton. hîc n. 5. Abb. n. 1. Thom. Sanchez lib. 8. de matrim. diſp. 21. n. 56. & ſumitur ex hoc c. quando Pontifex tantùm reſpondet, attendendum eſſe, vtrùm numerus canonicorum iuramento decretus tunc fuerit, cùm P. Clericus literas impetrauit.

4 NOTANDVM III. Circa verbum, *ſi vobis conſtiterit.* Qui objicit, reſcriptum obreptitiè propter taciturnitatem veri impetratum fuiſſe, tenetur id probare; cùm id ſit fundamentum exceptionis ſeu oppoſitionis factæ contra reſcriptum. Ita ſumitur ex hoc cap. & docet Ioann. Andr. in c. vn. de litis conteſtat. in 6. Anton. hîc n. 7. Abb. n. 2. & 3. Baldus n. 1. Imola n. 3. Dec. n. 1. At verò quòd reſcriptum obreptitiè impetratum non ſit per ſuggeſtionem falſi, impetrans probare debet; videlicet quòd preces veritate nitantur, iuxta c. 2. de reſcript. vbi id docui, & tradunt Abb. & Decius locis citatis. Idem Abb. in c. quia circa n. 3. de conſang. & affin. Petrus Rebuffus in tract. de reſcript. & liter. regiis, in præfat. n. 56. argum. l. 2. ff. de probat. *Ei incumbit probatio, qui dicit*, ſeu affirmat aliquid actum, *non qui negat.* Sed bene limitat Rebuff. Si 5 impetrans intentionem ſuam ſuper narratis fundatam habet, non tenetur eam probare; ſed aduerſarius contrarium oſtendere debet: Vt ſi parochus, in parochiæ poſſeſſione notoriè exiſtens, impetret reſcriptum pro decimis intra parochiam exiſtentibus, arg. c. 2. de reſtit. ſpoliatorum, in 6.

6 NOTANDVM IV. Ad cognoſcendum, an reſcriptum ob taciturnitatem veri obreptitium ſit, nécne, inſpici debet tempus impetrationis, ſeu *datæ* literarum. Ita ſumitur ex hoc c. iun. Gl. communiter recepta, ver. impetraſſet, & tradit Abb. in cit. c. quia circa, n. 4. & in c. dilectus 27. n. 9. de præb. Quemadmodum hoc idem fit in iuribus ſeu obligationibus ex contractu, vt attendendum ſit tempus, in quo contractum fuit. Quare De-

cius hîc nit n. 2. Quòd excipiens de taciturnitate veri, teneatur illud probare secundùm tempus; Vid. statutum de certo numero extitisse tempore impetrationis: Siquidem agens, aut excipiens probare tenetur asserta cum omnibus qualitatibus, sine quibus intentio sua subsistere non potest.

7 Eadémq; ratione vt rescriptum obreptitium non sit propter expressionem falsi, necessariũ est, narrata in rescripto seu iustitiæ, seu gratiæ aut dispensationis, vera fuisse tempore impetrationis, seu *datæ* literarum, sicuti habetur in cit. c. quia circa 6. de consang. & affin. vbi causa ad dispensandũ in consanguinitatis impedimento, videl. proles nata, quæ Pontifici proposita erat, falsa dicitur; *cum ante dispensationem obtentam, viam fuerit vniuersæ carnis ingressa.* Videri potest P. Sanchez lib. 8. de matrim. disp. 30. n. 4. & n. 5. vbi admonet Ordinarios & Confessarios, quibus dispensationes à Sede Apostolica committuntur, vt precum veritatem cautè examinent: quia sæpè contingit, vt ea existere incipiat post concessionem Romæ factam: Vt si allegetur, feminam famæ iacturam passam esse ex frequente cum viro, cui nuptura est, conuersatione; infamia autem non nisi post tempus datæ dispensationis orta sit. Qua de re egi etiam in Theol. moral. lib. 1. tract. 4. c. 22. q. 2. Hîc autem adiungo, Considerandam esse formam literarum, seu commissionis: quia interdum expediens siue mittens literas ipsemet non dispensat, sed iubet Commissarium dispensare v. g. super impedimento matrimonij, *si personæ verè pauperes sint, & rationabilis causa vrgeat, vid. scandalum, infamia, loci angustia, aut alia similis*; tunc sufficit, causas subsistere tempore dispensationis à Commissario faciendæ, argum. c. ei cui, 29. de præb. in 6.

Notandvm V. circa verba, *quidquid factum est occasione literarum, irritum decer-*
8 *natis.* Si rescriptum gratiæ, seu beneficiale, propter obreptionem in parte eius principali irritum sit, etiam pars accessoria cẽseri debet irrita. Ita notant Abb. hîc n. 5. Dec. n. 2. & allegatis his verbis c. Sanchez lib. 8. de matrim. disp. 21. n. 6. Nam principalis intentio Papæ fuit mandare, vt Pancratius in canonicum reciperetur; quia verò Canonicus præbendâ diu carere non debet, adiecit, vt si aliqua vacaret, vel proximè vacatura esset, eidem conferretur: Cùm itaque principalis pars rescripti, propter tacitum statutum de certo numero canonicorum obreptitia fuerit, etiam altera pars de præbenda seu reditibus ipsi assignandis, & quidquid occasione literarum actum fuit, corruere debuit. Dixi de hoc in simili c. cùm adeò 15. hoc tit. in fine, & videri possunt, quæ dicam c. ad audientiam 31. infrà, eodem.

CAPITVLVM XX.

Super literis.

Paraphrasis.

Dubium ortum fuit, quidnam sentiendum sit de literis à Sede Apostolica impetratis per taciturnitatem veri, aut per suggestionem falsi. Et alij quidem sentiebant tale rescriptum omnino irritum esse, vt impetrans nullum ex eo commodum percipere possit. Alij autem dicebant, licèt secundùm formam à Pontifice præscriptam, quippe subreptitiam, procedi non debeat, tamen iudices delegatos causam cognoscere, & sententiam ferre posse secundùm formam aut ordinem iuris communis. Ad hanc dubitationem Resp. Innoc. III. distinguendum esse, vtrùm literæ cum taciturnitate veri, & suggestione falsi impetratæ fuerint per malitiam & dolum impetrantis; an verò per simplicitatem ac ignorantiam. Primo casu in pœnam delinquentis omnino irritæ censeri debent literæ, vt postquam iudici dolus sufficienter demonstratus fuerit, supersedeat causæ illius cognitione. In altero autem casu iudex attendere debet, num Papa, si falsitas suggesta non fuisset, aut veritas non occultata, nihilominus literas dedisset, licèt non tali forma ac modo, tamen secundùm formam iuris communis, tunc iudex nihilominus causam cognoscat secundùm

iuris.

iuris communis ordinem: An verò nullas omnino literas Pontifex dedisset, tunc iudex delegatus procedere non potest, nisi fortasse, vt partibus conuocatis cognoscat de qualitate & modo subreptionis, & vtrùm ea fuerit ratio impetrationis literarum, ita vt Princeps causam nullo modo delegasset, si veritatē cognouisset, tum etiam iudex cognitionis officium nullo modo impendat. Sin verò Princeps nihilominus causam delegasset, licèt non tali forma aut cum talibus clausulis, tunc iudex cognoscat absque eiusmodi specialiter præscriptis formis, sicuti ius commune & ordinarium requirit.

SVMMARIVM.

1. *Rescripta iustitiæ sub-vel obreptitia fiunt, vel per taciturnitatem veri, vel per suggestionem falsi ad rem intrinsecè pertinentis.*
2. *Vtraque obreptio accidit, aut fraude siue ex malitia, aut ex simplicitate ac ignorantiâ: in priori totum rescriptū fit irritum; non item in posteriori.*
3. *Si Princeps cognitâ veritate aut suggestâ falsitate penitus non dedisset rescriptum, vitiatur rescriptum propter obreptionem, cuiuscunque dolo aut culpâ vel etiam sine culpâ contigerit.*
4. *Et hoc non tantùm locum habet in rescriptis iustitiæ, sed etiam in rescriptis gratiæ, & literis beneficialibus.*
5. *Iudex delegatus debet conformare processum voluntati & intentioni delegantis.*
6. *Circa legum ciuilium intellectum etiam in materia politica si diuersa sint DD. sententia, Pontifex decidere potest, & claræ Iuris Canonici decisioni in vtroque foro standum est.*

1. NOTANDVM I. ibi: *tacitâ veritate, vel suggestâ falsitate.* Rescripta iustitiæ duas ob causas subreptitia, seu obreptitia fiunt; Primò per taciturnitatem veri ad rem per se, siue intrinsecè pertinentis; Secundò per suggestionem falsi, itidem intrinsecè ad rem spectantis, prout etiam colligitur ex l. 2. C. si contra ius &c. Idémque locum habet in rescriptis gratiæ, aut beneficialibus, prout ex communi docet P. Thom. Sanchez lib. 8. de matrim. disp. 21. n. 2. & seqq. Ratio est: Quia rescripta pendent ex voluntate iurisdictionem mandantis: gratiam, aut beneficium conferentis: Duo autem sunt, quæ voluntarium tollunt; & consequenter concessionem, aut mandatum, vel saltem formam, modúmue eius irritum, vel infirmum reddunt; ignorantia veri dissimulati, & persuasio falsi suggesti.

Dixi autem id locum habere, si veritas dissimulata, aut falsitas expressa in rescripto sit rei per se & intrinsecè pertinentis ad negotium; quia si tantùm extrinsecè, & per accidens se habeat, non vitiabitur rescriptū, siue id iustitiæ, siue gratiæ sit; tametsi Princeps, si veritatem cognitam habuisset, rescriptum non dedisset. Exemplum est: Si ponamus, in Curia aliqua odium conceptum esse aduersus Belgas, v. g. Tum si Titius Belga rescriptum impetret, dissimulans se Belgam esse; aut dicens, ex Moguntia se oriundum, non vitiabitur propterea rescriptum; tametsi fortasse si Belgam se esse confessus fuisset, illud minimè obtinuisset; quandoquidem, vti ponimus, circumstantia hæc, num impetrans Belga sit, an ex superiore Germania oriundus, ad causam siue rem, de qua agitur, per se nihil attineat.

Vlteriùs, tametsi veritas occultata, aut falsitas expressa ad rem per se & intrinsecè pertineat, si tamen ea non fuerit causa finalis & principalis factæ concessionis, sed impulsiua tantùm; quia sine ea, adeóque perspectâ veritate, Princeps idem, eadémque formâ mandasset, aut concessisset; esto, fortasse difficiliùs, non debet rescriptum obreptitium censeri, vti ex probabiliore docui lib. 1. moral. Theol. tr. 4. c. 22. n. 20. & tradit Sanchez cit. disp. 21. n. 17. 32. Nam falsitas causæ impulsiuæ voluntarium non tollit: quandoquidem ea animum non mouet ad dandum absolutè (siquidem etiam eâ remotâ daretur) sed ad dandum libentiùs, citiúsq; Qua de re videri potest Alex. de Neuo in c. 3. de confirm. vtili vel inutili.

Porrò quibus in casibus res ita comparata sit, vt Princeps nihilominus concesisset, id vir prudens arbitrabitur, considerato stylo seu consuetudine Curiæ, negotij qualitate & circumstantijs, prout allegato Lapo alleg. 89. docet Matth. de Afflict. decis. Neapol. 106. n. 4. Sanchez n. 19. Vide etiam, quæ dicentur in c. postulasti 27. hoc. tit.

2 NOTANDVM II. circa §. *Nos igitur*; Obreptio tam per taciturnitatem veri, quàm per suggestionem falsi, duobus modis accidit; Aut fraude, siue ex malitia: Aut ex simplicitate ac ignorantia: Vbi nomine ignorantiæ, etiam crassam intelligere debemus; *dummodò non sit ingens temeritas*, ait Sanchez n. 66. & colligitur ex textu c. quando ignorantia fraudi opponitur ac malitiæ, quæ scientiam requirit & propositum circumueniendi saltem virtuale aut implicitum.

Discrimen autem inter obreptionem dolosam, eámque quæ ex ignorantia fit, ponitur in textu; Quòd in priore, totum rescriptum, seu circa omnes eius partes irritum fiat; ita vt Iudex ne quidem secundùm formam iuris communis, de causa principali cognoscere debeat; esto Princeps, etiam semotâ eâ obreptione dolosâ, dedisset nihilominus rescriptum, licèt non eâ formâ, sed secundùm terminos iuris communis. At verò in posteriore casu, locum habere debeat ea distinctio; vt, si Princeps, non interueniente obreptione, dedisset rescriptum, quamuis non in forma speciali, Iudex procedere possit secundùm formam communem; nō autem, si Princeps nullo modo dedisset.

Vt hæc res, quam variè disputando inuoluunt interpretes hîc, clariùs intelligatur, inprimis affero exemplum ex Abb. hîc n. 2. Titius à Papa (vel inferiore Ordinario, videtur enim doctrina huius c. etiam huic applicari posse, teste Sanchez n. 4.) impetrauit literas contra debitorem suum, falsò allegans, in ciuitate sua consuetudinem esse, vt lites summariè & de plano, non autem obseruato iudiciario ordine, cognoscantur: Propterea Papa, causam cuidam commisit Iudici, adijciens, vt summariè & de plano procedat. Tum distinguendum, num impetrans sciens & volens falsum allegârit; an verò per ignorantiam. In posteriore hoc casu procedere debet iudex secundùm formā ordinariam, seu communi iure obseruari solitam; saltem si aduersarius voluerit. At verò in priore casu integrum rescriptum euerti potest, vt iudex à cognoscenda causa desistere debeat.

Nunc verò aliqua declaranda sunt: I. Quòd rescriptum iustitiæ vel omninò, si dolo impetratum sit; vel secundùm partē corruere debeat, si per ignorantiam obreptio interuenit: intelligi debet, dummodò pars aduersaria excipiat seu opponat de subreptione, vti ex communi docet Anton. hîc n. 13. 15. 20. Imola n. 5. Abb. n. 5. Sanchez n. 76. post Gl. ver. nullatenus, Idq; sumitur ex textu c. ver. *postquam* iudici *super hoc facta fuerit fides*; videl. per probationes ad instantiam partis opponentis obreptionem; Aut si ex euidentia facti obreptio notoria sit, iuxta doctrinam Gl. in l. 1. C. Qui & aduersus quos restit. ver. in consil. ibi Baldus n. 7. Gaill lib. 1. obs. 31. n. 4. quòd iudex supplet in facto, si notorium sit, etiam non petente parte. Itaque acquiritur delegato iurisdictio, vt procedere possit, donec obreptio notoria fiat in processu; deinde verò supersedere cogitur, vel omninò, vel secundùm formam eam specialem, quæ propter obreptionem præscripta fuerat, vt suprà explicatum.

II. Quòd propter commissum dolum, Iudex penitus supersedere debeat, tametsi Princeps rescriptum dedisset in forma communi, si dolus non interuenisset; id non est ex natura rei, sed pœnæ loco constitutum, vt colligitur ex verbis c. *in suæ peruersitatis pœnam*. Ex quo primò infert Sanchez cit. disp. 21. n. 71. post Decium super hoc c. in mea edit. in 6. Si partes rescripti sint penitus separatæ, videl. super diuersis negotijs aut causis; subreptionem ex dolo seu mendacio contingentem in vna parte, nihil nocere alteri parti. Censentur enim veluti duo rescripta; Et cùm constitutio huius c. pœnalis sit, extendi non debet; sed adhærendum regulæ iuris 37. in 6. *Vtile non debet per*

per inutile vitiari. Idque ſumi videtur ex c. ſi eo tempore 9. hoc tit. in 6.

Secundò infert idem Sanchez n. 67. Si non ipſe impetrans, ſed ſollicitator aut Curialis dolum commiſit, vt reſcriptum obreptitiè emanaret, non eſſe locum pœnæ; vt videl. totum reſcriptum irritum ſit, etiamſi Papa nihilominus reſcripſiſſet, ſed non ſecundùm eum modum.

3 Cæterùm, ſi Princeps cognitâ veritate, aut ſuggeſtâ falſitate penitus non dediſſet reſcriptum, vitiatur reſcriptum propter obreptionem, cuiuſcunque dolo aut culpâ, vel etiam ſine cuiuſquam culpa contigerit; quia deeſt voluntas committentis; dummodò res quæ tacetur, aut falsò narratur, per ſe, ſiue intrinſecè ad negotium pertineat, ſicuti ſuprà explicaui.

4 III. declarandum, Tametſi textus huius c. loquatur tantùm de reſcriptis iuſtitiæ, locum tamen etiam habere debet in literis gratiæ, ac beneficialibus, vti hîc docet Abb. n. 2. 5. 6. & 17. Decius n. 5. & ait eſſe communem Sanchez n. 54. Quare & in his diſtinguendum eſt, dolóne an per ignorantiam obreptio contigerit; &, ſi per ignorantiam, an Princeps nihilominus eandem gratiam dediſſet ſecundùm ſubſtantiam: Sin autem dolo, vtrùm pars reſcripti, in quo dolus commiſſus, cohærens ſit cum altera parte, an verò penitus ſeparata, tunc enim pars gratiæ conceſſæ, in qua dolus admiſſus non eſt, non vitiabitur, donec per Iudicis ſententiam, in pœnam, reſcindatur. Exemplum huius rei attuli in Theol. moral. lib. 1. tr. 4. c. 22. n. 25. de eo, qui diſpenſationem in voto caſtitatis impetrauit, ad ducendam conſanguineam; allegata cauſa incontinentiæ ſuæ, quæ verè ſuberat; & allegata cauſa, quæ penitus falſa erat, quòd ea alium maritum conditioni ſuæ parem reperire non poſſet: Hoc in caſu diſpenſatio ſuper voto, conſiſtet; at verò diſpenſatio ſuper matrimonio contrahendo irrita erit: & quidem ipſo iure. Hoc enim diſcrimen ſemper ſuppono inter reſcripta gratiæ, & reſcripta iuſtitiæ; quòd illa per obreptionem irrita fiant ipſo iure; hæc autem ope exceptionis, ſicuti ſuprà dixi in c. ſi autem 9. hoc tit. & tradunt DD. communiter apud Sanchez cit. diſp. 21. n. 3. & n. 54.

Doctrina autem huius tertij declarandi partim ſumi debet ex eo; quia ſi reſcripta iuſtitiæ propter ſubreptionem irrita ſeu infirma redduntur, multò magis reſcripta gratiæ, ac beneficialia; quippe cùm hæc longè faciliùs infirmentur, prout Abb. annotauit n. 5. Decius n. 5. Partim verò ex eo, quòd diſtinctio illa, vt attendamus, num Princeps nihilominus gratiam conceſsiſſet ſecundùm ſubſtantiam, nécne, eſt ex rei natura; adeò vt tametſi hoc c. non emanaſſet, ita diſtinguere oportuiſſet.

IV. declarandum; Cur aliquoties dixerim, ad irritationem reſcripti ſeu iuſtitiæ, ſeu gratiæ, referre, num Princeps, etiam ceſſante obreptione, eandem in ſubſtantia gratiam conceſsiſſet, aut reſcriptum dediſſet, nécne. Si enim non eandem rem, eandémue gratiam conceſsiſſet, aut mandâſſet, ſed aliam; adeóq; reſcriptum aliud fuiſſet in ſubſtantia; irritum erit, quod impetratum eſt. Exemplum affert hîc Innocent. ver. in communi forma, verſ. Et nota quòd generaliter, Abb. n. 3. in fine, Titius impetrauit reſcriptum contra Caium debitorem ſuum per ignorantiam ſeu obliuionem, ex cauſa mutui; poſtea coram iudice delegato libellum format ex cauſa empti ac venditi: Hoc in caſu iudex procedere non poteſt, ne quidem ſecundùm formam iuris communis: quia cauſa, quæ proponitur, ſecundùm ſubſtantiam alia ſeu diuerſa eſt ab ea, quæ comprehenditur verbis reſcripti. Similis caſus circa materiam beneficialem habetur in c. ſuſceptum 6. hoc tit. in 6. eúmque explicabo infrà in cap. ſignificante 34. hoc tit. Ratio huius doctrinæ ſeu declarationis ea eſt; quia exinde quòd de alia re Princeps ſcripſiſſet, ſeu aliam rem conceſsiſſet, ſi obreptio non interueniſſet, non ſequitur, quòd eam conceſſerit, aut pro ea ſcripſerit; ſed potiùs cõtrarium; quia conditio non ponit rem in eſſe. Secùs autem, ſi eandem rem in ſubſtantia, etiam ſublatâ obreptione, abſolutè mandaſſet aut conceſsiſſet: tunc enim adeſt abſolutæ

soluta voluntas Principis: licèt non secundùm eum modum seu circumstantias, secundùm quas propter errorem rescripsit.

5 NOTANDVM III. circa finem c. *Eadem ratio quæ delegantem &c.* Iudex delegatus debet processum suum conformare voluntati ac intentioni delegantis, cuius vices agit, & à quo iurisdictio eius dependet, prout Abb. hìc docet n. 3. Decius n. 4. & colligitur ex c. isto verbis allegatis, quando dicitur; post cognitam obreptionem, si appareat, quòd delegans literas nullas dedisset, si obreptionem sciuisset, quòd etiam iudex nullatenus procedere debeat: secùs, si delegans dedisset literas, saltem secundùm formam communem: tunc etiam iudex ita procedere debebit.

NOTANDVM IV. ex tota huius c. decisione, maximè ijs verbis in principio positis, *diuersos intelleximus diuersa sentire*;
6 Si circa legum ciuilium intellectum, etiam in materia politica, diuersæ sint Doctorum sententiæ ac intellectus, Pontifex decidere potest; ita, vt vtroque foro claræ iuris canonici decisioni inhærendum sit. Ita docui etiam suprà in c. 1. n. 9. de Constit. & hic tradit Anton. n. 11. Imola n. 1. Abb. n. 3. Hieron. Schurpf cent. 2. consil. 7. n. 1. Orta autem fuerat inter Legistas controuersia ex duabus legibus, quæ inter se videbantur contrariæ, vid. l. 2. & l. etsi legibus 5. C. si contra ius; Nam in priore dicebatur, præscriptione seu exceptione factâ obreptitiè impetrati rescripti, Iudicem de exceptione cognoscere debere, & iuxta eam cognitionem, de causa ipse sententiam ferre. At verò in l. posteriore habetur, vt *mendax precator careat penitus impetratis.*

CAPITVLVM XXI.

Edoceri.

PARAPHRASIS.

Literæ à Sede Apostolica impetratæ sunt contra Abbatem Ordinis Præmonstratensis, ad quarum tenorem coram iudice delegato respondere tenetur, sublato appellationis remedio. Sed quia causa communis erat Abbati & Conuentui, in literis autem Apostolicis nulla mentio fiebat Conuentûs: ideo dubitabatur, an non Abbas appellare posset, si iudex declararet vigore literarum illum ad respõdendum coram se obligari? Resp. Innoc. III. Abbatem (nisi alia rationabilis causa ipsi suffragetur) non posse per appellationem subterfugere, quò minùs coram iudice delegato respondere teneatur: propterea quòd ad ipsum propriè pertineat Congregationis suæ negotia procurare. Secùs tamen dicendum fore, si negotia Conuentûs omnino separata sint à negotijs Abbatis, vt ad illa administratio Abbatis se non extendat.

SVMMARIVM.

1. *Prælatus Regularis in causa ipsi & Conuentui Regulari communi conuenitur per rescriptum, in quo solet quidem fieri mentio Conuentûs, non tamen necessariò.*
2. *Prælatus solus absque sui Conuentûs consensu requisito agere per se, & Procuratorem (non tamen vniuersalem) constituere, eúmque reuocare potest.*
3. *Administratio plena & libera, adeóq; etiam actio, & defensio in iudicio Prælato competit, tam in temporalibus, quàm in spiritualibus.*
4. *Etiam Abbatissa & Priorissa habet liberam administrationem rerum Monasterij; & licèt iurisdictionis spiritualis capax non sit, tamen ex commissione eius vsum & executionem exercere potest in Moniales & Clericos beneficiarios, præcipiendo etiam in virtute obedientiæ.*
5. *Per consuetudinem tamen & statutum introduci potest, vt saltem negotia ardua, grauíssque momenti in Monasteriys Prælatus sine consensu, vel consilio Conuentûs non expediat.*
6. *Conuentui præiudicialia v. g. Monachorum receptio, non potest Prælatus agere*

agere abſque Conuentûs, aut maioris partis conſenſu.

7. *Adminiſtrationem plenam & liberam eſſe ſecundùm canones penes Prælatos regulares, intelligendum eſt iuxta antiquam inſtitutionem, quæ eiuſdem Ordinis ac regulæ Monaſteria, iura, & bona ita ſeparat, vt vni communi ac generali Patri non ſubſint; ſecùs eſt de aliis Religionibus v.g. mendicantium, in quibus immediati Prælati ſubſunt vni Generali.*

8. *In Societate Superior id poteſt, quod eſt ipſi conceſſum; non verò quidquid eſt ipſi non prohibitum.*

9. *Iure communi, & ex primæuâ vitæ regularis inſtitutione bona omnia Monaſterij communia eſſe debent Prælato & Conuentui; ſpeciali tamen iure conſuetudinis, priuilegij, ſtatuti, maximè à Pontifice confirmati, ex cauſa rationabili bonorum & prouentuum diuiſio fieri poteſt.*

10. *Quod tamen plerumq; noxium eſt Religionibus, & à paupertatis perfectione alienum.*

1 NOTANDVM I. Tametſi ferme conſuetum ſit, vt in reſcripto impetrato in cauſa, quæ communis eſt Prælato & Conuentui regulari, mentio etiam fiat ipſius Conuentûs, tamen id neceſſarium non eſt. Hæc eſt præcipua deciſio huius c. Ratio redditur in textu; Quia Prælati regulares *ex officio tenentur Congregationum ſuarum negotia procurare.* Itaque ita formatur argumentum: Ad eum propriè pertinet in iudicio reſpondere, cauſamq; defendere, ad quem rerum, de quibus agitur, adminiſtratio ſpectat, prout ex communi hîc notat Anton. n. 2. arg. iam dicti textus: At verò rerum communium Monaſterij, ſiue regularis Congregationis, adminiſtratio à ſacris canonibus Abbati ſiue Prælato conceſſa eſt, & quidem libera, ſiue independens à Conuentu, vti colligitur ex c. Abbatem 4. cauſa 18. q. 2. c. non dicatis 11. §. Cùm huius, cauſa 12. q. 1. & docet hîc Imola n. 2. Abb. n. 2. & in c. 2. n. 2. de ſolut. Fel. n. 5. Nauarr. in conſ. vn. De his quæ fiunt à Præl. ſine conſ. Capit. & in comment. 2. de Regular. n. 64. vbi exinde colligit, quòd Prælatus nec Superioris licentiâ, ſpectato communi iure, ad agendum, vel reſpondendum pro bonis & iuribus Monaſterij, indigeat.

Tradita doctrina ampliari debet primò; 2
Quòd ſicuti Prælatus ſolus in iudicio ſtare poteſt pro rebus eccleſiæ ſuæ, ita etiam procuratorem, ſeu actorem conſtituere, eúmque liberè reuocare, non petito conſenſu Conuentûs, vti hîc Anton. docet n. 21. Abb. n. 8. & in c. vn. de Syndico n. 6. propter regulam receptam ex l. 1. ff. de procurator. quòd qui per ſe in iudicio contendere poteſt, is etiam per procuratorem. Si tamen vniuerſalis procurator conſtituendus ſit, ita vt officium Syndici, ſeu œconomi, ſuapte natura perpetuum, gerat, aiunt Innoc. hîc Abb. & Ant. citatis locis, requiri conſenſum Conuentûs: quia id inter negotia ardua numeratur.

Secundò; Quòd adminiſtratio, eáque plena & libera, conſequenter & actio, defenſióque in iudicio, Prælato competat non tantùm in rebus temporalibus, ſed etiam ſpiritualibus; quia tota poteſtas Monaſterij penes Abbatem, ſeu Prælatum eſt, vti conſtat ex canonibus ſuprà citatis, & videri poteſt Suar. tom. 4. de Relig. lib. 2. de Religioſis quatenus Prælati ſunt, cap. 26. Quare ſolus, abſque Conuentu, ſeu non requiſito Conuentu, Regulares ſubditos ſuos corrigere poteſt, iuxta c. cùm ad Monaſterium 7. & cap. vlt. de ſtatu Monachorum, & docet Ioan. Andr. in c. Ioannes n. 16. de Regul. Abb. in c. reprehenſibilis nu. 11. de appell. ſolus item ordinare ea, quæ pertinent ad cultum diuinũ, aut Eccleſiæ neceſsitatem, teſte Abb. in c. ea noſcitur n. 4. de ijs quę fiunt à Prelatis &c. Tabiena in ſumma ver. Abbas num. 13. Ex quo colligunt Ioann. Andr. & Tabiena cit. locis, quòd non ita in rebus gerendis regularis Prælatus pendeat à Conuentu, ſicuti Epiſcopus à Capituli conſenſu, aut ſaltem conſilio, iuxta cit. tit. libr. 3. decret. de ijs quæ fiunt à Prælatis ſine conſenſu Capituli: propterea quòd ipſa Ordinis regula, maximè propter obedientiæ votum, plenam Abbati ſeu Prælato regulari ſuper

Regulares suos, & Monasterium, potestatem tribuat.

4 Tertiò; Quòd & Abbatissa seu Prioriſſa habet liberam administrationem rerum Monasterij, prout docet Abb. in c. 2. n. 4. de his quæ fiunt à Prælatis &c. Iurisdictionis autem spiritualis licet capax non sit; quamobrem nec excommunicare, nec alias propriè dictas censuras inferre potest: tamen ex commissione Prælatorum ecclesiasticorum vsum quendam, seu potiùs executionem iurisdictionis in Moniales, & Clericos beneficiarios exercet: Vnde & quodammodo Prælata dici potest. Qua de re videri potest Syl. ver. Abbatissa, & Theol. moral. lib. 1. tract. 5. p. 1. cap. 3. n. 3. Constat etiam ex praxi Ecclesiæ, quòd Moniales votum obedientiæ edant erga Præpositam suam; quæ proindè illis præcipere potest, quod iustum est, atque conforme regulæ; ita vt ex religionis virtute, seu vi voti obedire teneantur: qua de re Franc. Suarez tom. 4. de Relig. tract. 9. lib. 1. cap. 12. n. 8. Quamobrem sentiendum est cum eod. P. Suarez tom. 3. de Relig. lib. 10. cap. 11. n. 20. Azor tom. 1. Instit. lib. 13. cap. 10. q. 7. quòd Abbatissa non tantùm administrationem politicam, aut domesticam (tanquam materfamilias quędam) erga suas Moniales gerat; sed etiam spiritualem, ita vt spiritualia præcepta imponere, atque adeò, si res exigat, in virtute S. Obedientiæ præcipere possit, quæ ad animæ salutem spectantia, & regulæ consentanea sunt: Licèt contrarium existimârit Domin. Sotus in 4. d. 20. q. 1. art. 4. Rodriq. tom. 1. regul. qq. q. 15. a. 1. Sanchez lib. 6. moral. c. 1. n. 21. & 30.

5 Limitari autem debet primò; Quòd per consuetudinem, similitérque per statutum introduci in Monasteriis potest, vt Prælatus saltem ea, quæ grauia sunt, seu maioris momenti, sine consensu, aut sine consilio Conuentûs non expediat. Quare, quomodo in hac parte se gerere debeat Prælatus, ex ordinationibus & recepta consuetudine cuiusque Monasterij petendum est. In dubio autem, præsumptio stat pro Prælato ex iure communi: quippe cui, vt suprà dixi, plenam & liberam administrationem sacri canones concesserunt.

Secundò; Quæ Conuentui præiudicialia 6
esse possunt, v. g. Monachorum receptio, qua de re dixi Theol. moral. tract. 5. c. 5. n. 5. Item quæ ad statum ecclesiæ, seu monasterij, eiúsque honorem spectant, vt si agatur de subiectione eius, aut membrorum ipsius; non potest Prælatus agere absque Conuentûs aut maioris partis consensu; cùm ea ad iurium alienationem, seu amissionem tendere possint. Ita Anton. hîc num. 8. Imola n. 5. Henr. Boich num. 5.

Tertiò; Quæ suprà dicta sunt de Abbatibus & Præpositis regularibus, quòd secundùm canones, plenam ac liberam rerum Monasterij administrationem, & consequenter in iudicio actionem, defensionémque habeant; intelligi debent secundùm antiquam institutionem, iuxta quam eiusdem Ordinis ac Regulæ monasteria, iura & bona ita discreta 7
ac separata habent, vt vni communi ac generali Patri, quoad earundem administrationem non subsint. At verò de aliis Religionibus, videlicet Mendicantium, in quibus vnus Generalis, eíque subordinati Prouinciales, locorúmque seu Monasteriorum, Collegiorum, immediati Prælati ita constituti sunt, vt hi vid. Guardiani, Priores, Rectores à Prouincialibus: Prouinciales verò ab vno Ordinis Generali, tanquá membra vnius Corporis seu Congregationis totius ab vno Capite, tam quoad iurisdictionem, potestatémque in ipsos exercendam, quàm quoad ecclesias, monasteria, Collegia, bonorúmq; ac iurium administrationem, dependeant (sicuti explicaui in Censuris Astri inext. p. 1. loco 6. & p. 2. cens. 12. 13. 14.) aliter sentiendum; Videl. quòd quanta subordinatis potestas tam quoad iurisdictionẽ, quàm quoad bonorum administrationem, facultatémque standi in iudicio, competat, ex singularum Religionum constitutionibus, consuetudinibus, ac priuilegiis colligi debet. Et quidem de Societate Iesv, in qua magna dependentia est inferiorum à Generali, ait Suarez tom. 4. de Relig. lib. 10. de regimine Societatis, cap. 5. n. 6. *in* 8
Societate ad cognoscendam vniuscuiusq; Prælati facultatem, vtendum potiùs esse affirmatiua, quàm negatiua regula, id est, id vnum-
quam-

quemque posse, quod sibi est concessum, non verò quidquid sibi non est prohibitum. De litibus autem forensibus, num suscipi possint, nécne, videri possunt, quæ 2. Congreg. generali Soc. Iesv can. 45. habentur, & reg. 15. & 16. Procurator. Colleg.

9 NOTANDVM II. Etsi spectato communi iure, & prima institutione vitæ cœnobiticæ, aut regularis, bona omnia Monasterij communia esse debeant Abbati seu Præposito, & Conuentui, vti colligitur ex c. Cùm ad Monasterium 6. de statu Monachorum, tamé speciali iure consuetudinis, priuilegij, statuti, præsertim à Pontifice confirmati, ex causa rationabili introduci potest bonorum diuisio, vt videlicet mensa Prælati, & mensa Conuentûs, siue vtriusque prouentus separati sint, vti colligitur ex hoc c. in fine, & docent hîc Interpretes communiter, & fusè Nauarr. in comment. 3. de regular. n. 9.

Quo ipso in casu bona, & prouentus ad Conuentum spectantia non Abbatis, sed alterius à Conuentu constituti Oeconomi, v. g. Prioris conuentualis administrationi subiecta erunt: Poterítque Conuentus Procuratorem aut Syndicum arbitratu suo constituere, ac reuocare; non requisito consensu Prælati: præterquam si causa ad ipsum quoque pertinere videatur. Quæ est communis doctrina Anton. hîc n. 5. Abb. n. 6. Decij num. 9. quæ similiter etiam locum habet in negotiis, quæ propria sunt Capituli alicuius ecclesiæ secularis.

Corollarium. In eiusmodi causa, seu negotio quod Conuentûs aut Capituli proprium est, non admittitur Prælatus ad agendum, nisi exhibeat mandatum, seu consensum Capituli: Potest tamen absque mandato admitti, si caueat, Conuentum postea rem ratam habiturum: quia eodem modo admitti solent personæ valde coniunctæ, vti dicetur infrà hoc tit. c. nonnulli 28. §. Sunt & alij: Est autem magna coniunctio inter Prælatum, & Capitulum seu Conuentum; cùm vnum corpus efficiant: Similitérque Capitulum seu Conuentus in causa Prælati per Syndicum seu Actorem agere potest, si caueat Prælatus rem ratam se habiturum. qua de re Imola hîc n. 8. Felin. n. 5. post Gl. in cap. 1. ver. legaliter, de procurat.

Addendum verò est, plerumque noxium 10
esse Religiosorum Congregationibus, & à paupertatis perfectione alienum, si bonorum seu prouentuum diuisio inter Prælatum & Conuentum instituatur: Quamobrem contra Prælatos, maximè Commendatarios Ordinis Cistercienſium, à Sede Apostolica obtentum, atque constitutum fuit, *vt omnia bona monasteriorum & aliarum locorum dicti Ordinis sint communia*, prout explicaui in Censuris p. 2. cens. 13.

Contra ea quæ in 1. not. dicta sunt, sentit Gl. hîc ver. debeant, & alia Gl. in cit. c. 1. ver. legaliter, de procurat. Prælatum regularem non posse in iudicio pro iuribus aut bonis monasterij communibus contendere, siue per se, siue per Procuratorem aut Syndicum, nisi Conuentûs consensus accedat. Nam qui rem alienare non potest, is nec rem in iudicium deducere potest, l. ait Prætor, 7. ff. de iure deliberandi: Constat autem Prælatum absque Conuentûs assensu, non posse alienare bona immobilia, & mobilia pretiosa, quæ seruari possunt: Ergo saltem in causis, in quibus de eiusmodi bonis agitur, Prælatus absque Conuentu in iudicio contendere non potest.

Oppositum verò huius docent hîc Innoc. Ioann. Andr. Anton. Abbas, Imola, Felin. locis citatis, Henr. Boich n. 7. Nam quicunque habent administrationem à lege, ij in iudicio agere & conueniri possunt, vti apparet in tutore comparatione bonorum pupilli, in patre comparatione bonorum aduentitiorum filiifamil. in marito comparatione bonorum dotalium vxoris: Prælatus autem administrationem bonorum ecclesiæ suæ, à sacris canonibus concessam, obtinet, & quidem plenius, quàm v. g. tutor habeat, sicuti hîc Abb. animaduertit n. 2. Interim tamen fateri debemus, tutius & consultius esse, propter auctoritatem Glossæ, vt procurator ad expediendа negotia, & in iudicio contendendum constituatur non solius Prælati auctoritate, sed etiam Conuentûs interueniente consensu: Imò necessarium id esse videtur in rebus arduis seu

quæ magni momenti sunt, vti post Innocent. hîc Abb. n. 6. & alij admonent.

Ad argumentum Glossæ respondetur; regulam eam in maiore propositione allatam, falsam esse in ijs personis, quæ in iudicio agunt, non proprio nomine, sed alieno. Nam v. g. tutor pro rebus pupilli in iudicio contendere potest per se, vel substitutum procuratorem; licet pleraque eius bona absque iudicis auctoritate alienare non possit. Ad l. Ait Prætor, dico, esse casum eum specialem; quòd hæres, dum de adeunda hæreditate in deliberatione versatur, sicuti alienare ex hæreditate nihil potest, ita neque in iudicium aliquid deducere; cùm hæreditate nondum adita, nec dominium rerum habeat, nec à lege concessam administrationem.

CAPITVLVM XXII.

Cùm dilecta.

PARAPHRASIS.

Duæ Moniales monasterij Hesiensis, Regina & Gertrudis, apud Sedem Apost. contendebant super electione Abbatissæ: Regina quidem, quę erat Custos monasterij, per se, Gertrudis per Procuratorem. Pontifex hanc causam inprimis commendauit Scholastico Hildensi & aliis cum mandato, vt ante omnia in illa perturbatione & litigio Administratorem abbatiæ constituerent, cui subtractorum ex monasterio resignatio seu restitutio fieret. Postea eadem causa demandata fuit Abbati de Remech, & aliis cum simili mandato, vt de subtractorum resignatione in manus Administratoris facienda prouiderent. Verùm Innocent. III. circa vtrorumque iudicum processum, cognitis difficultatibus, decreuit posteriorum iudicum processum infirmandum esse, quia literæ ad ipsos impetratæ subreptitiæ erant, quandoquidem eadem causa priùs aliis iudicibus delegata fuerat, nullâ in secundis literis priorum factâ mentione. At verò priorum iudicum processum per se irritum esse, quia illi formam mandati non obseruarunt, sed relicto articulo principali de prouidendo Administratore, & subtractorum resignatione facienda, de aliis articulis, videlicet ad electionem Abbatissæ pertinentibus inordinatè cognouerunt: quare denique hanc causam delegat Papa Archiepiscopo Magdeburgensi, vt restitutis Gertrude & aliis quibusdam Monialibus (quæ, vti videtur, ex monasterio eiectæ erant) secundùm formam mandati Apostolici in negotio isto cum rationis discretione procedat.

SVMMARIVM.

1. *Religiosus regulariter personam standi in iudicio non habet: habet tamen in quibusdam casibus, in quibus potest per se, vel per procuratorem in iudicio stare: Monialis autem tantùm per procuratorem.*
2. *Rescriptum ad lites obreptitiè impetratum non est ipso iure irritum, sed ope exceptionis irritari potest.*
3. *In scripturis ordo verborum attendi debet; & quod priùs præcipitur, ante alia expediendum est.*
4. *Et qui prior nominatur, is censendus est dignior.*
5. *Dum vacat ecclesia regularis, Administrator interea à Superiore deputari debet.*
6. *Forma mandati seu commissionis facta obseruanda; aliàs processus irritus est. Si ea non sit merè iuris communis, sed à delegante de nouo præscribatur, & sit substantialis.*
7. *Censetur forma substantialis, quando ea in mandato, alio modo, aut in alium finem exprimitur, quàm ius commune requirit.*

NOTANDVM I. Licèt regulares vtriusque sexûs in iudicio per se, vel per alium, ordinariè loquendo, contendere non possint, excipiuntur tamen casus speciales, inter quos vnus est, in causa electionis suæ ad Prælaturam, aliámue dignitatem vel officium. Alios casus refert Felin. hîc n. 15. & 16. 1

& 16. Nauarr. comm. 2. de Regul. n. 65. Sanchez lib. 6. moral. cap. 12. n. 2. & seqq. Quosdam eorum casuum retuli in Theol. moral. lib. 4. tr. 5. cap. 11. Alij verò sunt: Si agatur de valore professionis: aut de electione Religiosi, num ea iusta sit: Item si alimenta necessaria, aut expensæ à Monasterio denegentur; Si beneficium seculare, aut etiam regulare, quamuis manuale, & vt obedientiarius aliquis possideat, pro iure suo agere & se defendere potest, sicuti post Rot. Romanam docuit etiam Anton. in c. præced. n. 15. Potest autem in his casibus Religiosus seu per se, seu per procuratorem in iudicio stare, vti notat Abb. hîc n. 1. arg. huius textûs: Hodie tamen non conceditur Monialibus, vt extra claustrum se conferant, iuris sui prosequendi causa, sed procuratorem mittere debent, vti colligitur ex cap. vn. §. Porrò, de statu Regul. in 6.

Porrò, quòd regulariter Religiosus personam standi in iudicio non habeat, inde colligunt DD. Quia sui iuris non est; nec dominium bonorũ habet; ideóq; seruo, aut filiofam. æquiparatur, qui in iudicio, absq; patris aut domini sui licentiâ, contendere non possunt, l. vix 53. ff. de iudicijs, l. seruus 6. C. eod. c. vlt. de iudic. in 6. Quare aiunt Felin. hîc n. 15. Nauarr. cit. comm. 2. n. 64. Sanchez cit. loco n. 9. Si Monachus aliúsue Religiosus vestibus, aliáue re spoliatus sit, non posse eum, absque Prælati licentia agere pro restitutione; sed Monasterio competere actionem. Quòd si iniuria illata sit Religioso, non competet ipsi actio; neque condonatio, seu remissio; sed vtrumque ad Prælatum pertinet; præterquam si Prælatus absens sit, & procuratorem nullum reliquerit, prout hæc generatim traduntur de eo, qui in alterius potestate constitutus est, in l. sed si vnius 17. §. Prætor ait, ff. de iniurijs & famos. libellis.

2 NOTANDVM II. Rescriptum ad lites, obreptitiè impetratum, quia v. g. in eo nulla mentio facta prioris rescripti, non est ipso iure irritum, sed ope exceptionis irritari potest. Ita sumitur ex cap. isto, ver. irritandum, & tradit Glossa in notandis, & ver. irritum, Anton. hîc n. 4. Abb. n. 5. & n. 9. Vbi bene admonet, si agatur de publica vtilitate, vt in casu huius cap. quòd Iudex ex officio processum, etiam parte non opponente, irritare possit, priusquam sententia in rem iudicatam transierit: Idémque sentiendum est, si obreptio notoria sit, prout suprà monui in c. super literis, 20. hoc tit.

3 NOTANDVM III. In rescriptis ordo verborum attendi debet; ita, vt quòd in rescripto, aut mandato priùs præcipitur, ante alia expediendum sit. Ita sumitur ex hoc c. iun. Gl. ver. transponentes, vbi Ioan. Andr. circa eandem Gl. Ant. n. 5. inquiens, quòd *ordinis peruersio, seu transpositio vitiat processum ipso iure.*

4 Addit Felin. hîc n. 4. post Domin. in cap. fin. de off. deleg. in 6. quòd is dignior censeri debet, qui prior nominatur: Vnde colligit Tamburin. tom. 1. de iure Prælator. disp. 25. q. 7. n. 2. quòd Prælati Ordinis Prædicatorum antecedunt Prælatos Ordinis Minorum: Et hi Prælatos Eremitarum S. Augustini; quos sequuntur PP. Carmelitæ; Quia iuxta hunc ordinem in iure nominantur, c. un. §. sanè, de relig. domibus in 6.

5 NOTANDVM IV. ibi: *Personæ idoneæ administrationem committerent*, quòd vacante ecclesia regulari, administrator à superiore, interim dum Sedes vacat, deputari debet. Ita sumi videtur ex textu, & notat Anton. hîc n. 6. vbi ait, quòd *vacante Sede Superior agit pro bonis ecclesiæ subtractis.* Idémque docuit Ioann. Andr. in c. 2. n. 3. de testam. in 6. Felinus in c. his quæ n. 2. §. Quartò arguitur sic allegans & commendans dictum Archidiaconi super cit. cap. 2. quòd *Episcopus habet curam statûs Monasterij, vacante Sede, & ipse dat administrationem in temporalibus ac spiritualibus.* Quia *omnia iura*, inquit Felinus, *quæ dicunt Capitula succedere vacante Sede, loquuntur de Capitulo ecclesiæ Cathedralis.*

Corollarium. Vacante Prælatura regulari, Episcopus Administratorem cum auctoritate deputare potest, etiam quoad disciplinam regularem, si Monasterium exemptum non sit. Quia licèt Episcopus in istis

negotijs se non immiſceat, ordinariè loquendo; secùs tamen est, si Prælatus deficiat, aut negligens vel remissus sit, arg. c irrefragabili 13. de off. ordinarij. & videri potest de hoc Franc. Suarez tom. 3. de Relig. lib. 10. cap. 11. n. 15. & seqq.

Cæterùm si administrator nullus à Superiore deputetur, tum Prior aut Senior gubernationem exercebit; sed non propriè dictam iurisdictionem: præterquam si per legitimè præscriptam consuetudinem, quippe quæ iurisdictionem dare, sicuti & auferre potest, c. cùm contingat, 13. de foro compet. aliud obtentum sit,

Veruntamen contra notandum istud sentit hîc Abb. n. 3. & alij apud Felin. loco cit. quòd administratio bonorum Monasterij, vacante Prælatura, pertineat ad Conuentũ, argum. Clem. 1. vers. Abbate autem, de statu Monachorum; Et ad textum huius cap. respondet Panormit. dissidium ac pertubationem ortam fuisse in Monasterio; & ideo administratorem constitui debuisse; quia in tali rerum statu Conuentus seu Capitulum non censetur idoneum administrationi gerendæ. Quâ simili ratione legimus in c. vlt. de statu Monachor. Si Prælatus regularis ob bonorum dilapidationem, aliúdue crimen, amotus fuerit, à Diœcesano interim cõstituendum esse administratorem, donec alius Ecclesiæ Prælatus ordinetur. Quamobrem, cùm hæc quæstio, cui Prælatura vacante, in ecclesijs regularibus administratio bonorum competat, non satis decisa sit, diœcesium consuetudo sequenda erit.

6 Notandvm V. Forma mandati, seu factæ commissionis diligenter obseruari debet, l. diligenter 5. ff. mandati, alioquin processus irritus est, vti Gl. hîc docet, ver. irritum, & alij communiter, P. Ludou. Mol. tr. 5. de iust. disp. 25. n. 2. Suar. de cens. disp. 3. sect. 12. in fine. Verùm in hac re distinguere oportet: Vel forma seu conditio, quæ Iudici delegato præscribitur, iure etiam communi requiritur, tunc nouam formam non inducit: sed solùm commonitionem seu instructionem Iudicis continet, secundùm Gl. receptam in Clem. 1. ver. repererint, de offic. delegati, Gl. in Clem. 1. ver. inhibentes, de iure patron. Innoc. in c. prudentiam n. 9. de off. deleg. Franc. Suarez lib. 5. de legibus cap. 31. n. 8. & seqq. Thom. Sanchez lib. 3. de matrim. disp. 33. n. 3. Quare dicunt DD. in c. significasti 4. cum Gl. ver. conditione, de elect. & super l. conditiones quæ extrinsecus, 98, ff. de condit. & demonstrat. & l. 3. ff. de legatis 1. vbi Bartolus; quòd *expressio conditionis, quæ de iure inest, nihil operatur*: quia etsi non exprimeretur, tamen subintelligi deberet. Quamobrem si conditio seu forma secundùm se non sit actui exercendo substantialis, adeóque omissio eius conditionis actum non efficiat irritum, etsi fortè illicitum & non congruè factum; tunc idem quoque erit, si in commissione aut mandato conditio talis expressa fuerit. Exempli causa; *Conferas beneficium Titio, si idoneus est*: Tametsi ponamus, minùs idoneum esse, nec moribus, aut scientiâ commendatum; dummodò non infamis aut omninò illiteratus, adeóque de iure inhabilis existat, valet collatio ipsi à Commissario facta, sicuti iure ordinario valeret, prout docui lib. 4. moral. Th. tr. 2. cap. 15. n. 1. Et affert hunc casum Innocent. in c. vlt. de præsumpt. in princ. Imola in c. penult. n. 2. de Constit. Sanch. in cit. loco, & lib. 8. de matrim. disp. 34. n. 26. Aliud exemplum attuli in mor. Theol. lib. 1. tr. 5. p. 2. cap. 6. q. 2. dicto 4. vbi hanc ipsam doctrinam tradidi.

Vel forma siue conditio, aut procedendi modus iure communi non requiritur, sed à delegante de nouo præscribitur: tum censetur esse substantialis, vt nisi ea forma seruetur, actus irritus sit. Exemplum habes hîc: Quia forma procedendi, quam hîc Pontifex præscripsit, ac principaliter mandauit, vt delegati ad Monasterium personaliter accederent, administratorem constituerent, cui subtractorum restitutio fieret, non merè iuris communis fuit; sed ab homine, videl. Pontifice, specialiter inuenta & proposita. Dico, *non merè*; Negari enim non debet, cùm & expresè in textu c. dicatur, etiam contra iuris ordinem processisse delegatos; dum posthabitâ cognitione de spolio, de iure electio-

lectionis cognoscere cœperunt, contra l. 1. C. de appell. c. cùm dilectus 6. de causa poss. & propriet. Ideóque ex hoc capite præcisè, processus eorum & sententia valuisset (licèt per appellationem rescindi posset, vti constat ex cit. l. 1.) si Pontifex nihil aliud, quàm id, quod iure communi statutum, mandare intendisset. Et hæc videtur mens Anton. de Butrio, quam hîc fusè examinat Abbas num. 12.

Aliud exemplum huius posterioris membri habes apud Innocent. & Imolam cit. locis; Si Papa mandet conferri alicui beneficium, si sit in iure Canonico, aut Theologiâ doctor, non valebit collatio, nisi conditio subsistat. Item, si mandet alicui, vt post solertem indagationem siue examen super vitâ & doctrinâ Titij, si idoneum repererit, beneficium ei Apostolicâ auctoritate conferat: non valet collatio, nisi examen præmissum sit, vti bene docet Felin. in cit. c. vlt. n. 33. de præsumpt. Sanchez duobus locis suprà citatis, contra Gl. in cit. Clem. 1. ver. repererint, de off. deleg. Nam forma ea examinis præmittendi, spectato communi iure, non requiritur; sed sufficit, contra instituendum, aut prouidendum non adesse iudicia, quòd minùs idoneus siue indignus sit, iuxta cit. c. vlt. in fine.

Addèdum verò his est, cùm tota potestas iudicis delegati pendeat ex voluntate delegantis, ideo ante omnia considerâdum esse, voluerítne ipse, vt propter formam rescripti non seruatam processus irritus sit, néne. Quamobrem accidit interdum, vt tametsi à committente forma modúsue procedendi, qui communi iure præceptus non est, præscribatur, tamen ex materia subiecta, loquendi modo, alijsque circumstantijs, vel ex Curiæ consuetudine colligi possit, non fuisse mentem committentis aut mandantis formam substantialem, seu sine qua non statuere, sed solùm mentionem, instructionémque circa negotij expeditionem facere. Vt si Ordinarius dispensans in denunciationibus, sacerdoti alicui committat facultatem assistendi matrimonio, adiecto, vt priùs præcipiat sponsis sub excommunicatione, ne ante denunciationes factas matrimonium consumment; Sacerdos autem omisso præcepto isto, sponsos coniungat, valida erit desponsatio seu matrimonium, prout resoluit Sanchez cit. disp. 33. n. 2. & 6. Contrà verò fieri potest, vt tametsi forma siue conditio, quæ iure communi requiritur, mandato apposita sit, velit tamen mandans sine ea actum, seu processum non subsistere; vt si apertò id exprimat, *aliter non valeat &c.* Vel si ex materia, scribendi modo &c. idem colligi debeat: Vt in casu huius c. quando non absolutè iudicibus præceptum fuerat, vt priùs de spoliatione, quàm de iure electionis cognoscerent, sicuti de iure fieri oportet; sed procedendi forma specialiùs determinata erat, vt facilè appareret, Pontificem normam mandati substantialem ponere voluisse.

Inseruit huc, quod dicitur in suprà cit. l. 5. ff. mandati, *Diligenter igitur fines mandati custodiendi sunt.* Et additur ratio: *quia qui excessit, aliud quid facere videtur.* Et 7 optimè Couarr. in c. alma mater, de sent. excomm. in 6. p. 1. §. 9. n. 8. eúmque secutus Sanchez cit. disp. 33. n. 4. ex hoc ipso c. colligunt; quando in mandato forma alio modo, aut in alium finem exprimitur, quàm ius commune requirit, censeri formam substantialem. Item, *Ordo iuris in mandato iurisdictionis expressus ad instructionem causæ, & ad iustitiæ ministerium formam non inducit; quam tamen constituit. si ab homine speciali quadam cautela ordo iuris modum procedendi concernens, fuerit traditus.* Et hic est sensus huius c. ex mente Abb. hîc n. 12. & adstipulatur doctrina Bartoli l. diem proferre 32. §. stari, ff. de recept. arbitris.

CAPITVLVM XXIII.

Plerumque.

PARAPHRASIS.

Si alterum rescriptum super eâdem causâ ad alios iudices impetretur, non factâ mentione prioris rescripti, per exceptionem

nem reijci potest; nisi is, qui prius rescriptum impetrauit, eo dolo aut negligentiâ per annum vti intermittat: tum enim secundum rescriptum prævalebit primo. Debet autem hæc censeri pœna, cùm alioqui vsus rescriptorum perpetuus sit, l. falso. C. de diuersis rescriptis.

SVMMARIVM.

1. *Rescriptum secundum valet, licèt in eo de primo (quo vti noluit impetrans intra annum) non fiat mentio.*
2. *Malitijs hominum non est indulgendum.*
3. *Vt valeat rescriptum secundum ob taciturnitatem prioris obreptitium, requiruntur duo: lapsus anni, & impetrantis prioris dolus, vel negligentia, dum noluit eo intra annum vti.*
4. *Vnde iustum impedimentum ostendere ad eundem pertinet, & consultum est, quamuis non necessarium, vt de eo protestationem faciat.*

1 NOn rarò accidit, vt aliqui Papalibus literis impetratis, eas longo tempore non præsentarent; cùm autem aduersarij ipsorum alias literas ad alios Iudices impetrâssent, quarum auctoritate citati fuerunt, tum demum prioribus suis literis productis cõtra posteriores exceperunt, validas non esse, quòd priorum nulla in eis mentio fieret. Cùm itaque malitijs hominum indulgendum non sit, statuit hîc Innocentius III. vt si quis literis à Papa impetratis, ex eo tempore, quo Iudicum delegatorum copiam habuit, intra annum ex malitia vel negligentia, vti intermiserit, auctoritate posteriorum literarum conueniri possit, tametsi in eis de prioribus nulla mentio fiat.

2 NOTANDVM I. Quòd malitijs hominum indulgendum non est, prout etiam habetur in c. significante 5. Qui matrim. accusare possunt, ex l. in fundo §. 9. ff. de rei vindicat. Crescit enim peccandi desiderium, si prosper successus appareat; deprimitur autem, si obstacula, & successus non optatus sequantur. Quamobrem nulla maior censeri debet hominis in terris infelicitas, quàm si dum malè agere pergit, felix esse videatur: Contrà verò, nemo felicior eo, qui dum bene agit, affligitur, & imprudentibus infelix esse videtur.

NOTANDVM II. Si prior impetrans literas Papales ex malitia aut negligentia, intra annum, posteaquam Iudicis copiam habere potuit, ei non præsentauit, conueniri poterit per literas posteriores ab Aduersario in eadem causa ad alios iudices impetratas, tametsi in eis nulla priorum mentio facta sit, l. falsò C. de diuersis rescriptis.

Corollarium. Exinde apertè colligitur, & notat hîc Ant. n. 8. Imola n. 3. Abb. n. 3. quòd rescriptum ad lites obreptitiè obtentũ, (v. g. non factâ mentione priorum literarum ad alios iudices impetratarum) non est ipso iure irritum; sed per aduersarij exceptionem elidi debet. Si enim ipso iure irritum esset, non posset propter non vsum intra annum, accedente dolo aut negligentia aduersarij, valorem acquirere, ob iuris regul. 18. in 6. *Non firmatur tractu temporis, quod ab initio de iure non subsistit.*

Et aduerti hîc potest ex verbis c. prout; etiam admonet Abb. n. 1. & 7. duo requiri, vt posterius rescriptum, quod propter taciturnitatem prioris obreptitium fuerat, vires acquirat; Lapsus anni, quo prior impetrans rescripto suo vsus non fuit; Et eiusdem dolus, vel negligentia. Porrò tametsi hîc Gl. fin. rectè doceat, ex solo lapsu anni, quo impetrans rescriptum suum præsentare intermisit, præsumptionem negligentiæ aut malitiæ aduersus ipsum oriri, vt proinde contrarium, seu iustum impedimentum ostendere ad ipsum pertineat, argum. c. vlt. de locato; Atque ob eam causam consultum fore, vt 4 de hoc ipso impedimento protestationem interponat, argum. c. vlt. de appellat. Nihilominus tamen, etiam nullâ protestatione præmissâ, si impedimentum allegetur & probetur, ad iudicem pertinebit arbitrari, num excusatio iusta sit, an verò dolus aut negligentia interuenerit, prout Iac. Menochius docuit in arbitrar. Iudicum, qq. casu 204.

CAPI-

CAPITVLVM XXIV.

Cùm contingat.

PARAPHRASIS.

Titius impetrauit literas contra Caium ad officialem cuiuſdam eccleſię. Poſtea idem Caius alias literas ſuper eâdem causâ impetrat ad decanum alterius eccleſiæ. Officialis in eâ causâ procedens, & Caium excommunicans mandat Epiſcopo loci, vt eundem excommunicatum publicè denunciet. Sed mox à Decano aliud mandatum Epiſcopo ſuperuenit, vt Caium ab excommunicatione abſolutum promulget: vtri iudici delegato Ordinarius parere debet? Reſp. Innocent. III. Vel Ordinario, cùm is mandatum primum accipit, notum eſt, vel ignotum, inter iudices delegatos de iuriſdictione controuerſiam eſſe: ſi notum eſt, non debet exequi mandatum, donec inter iudices contentio dirimatur. c. paſtoralis 14. hoc tit. Sin autem ignotum, prius mandatū exequi tenetur. Quòd ſi poſtea à poſterioribus iudicibus mandatum contrarium ſuperueniat, tum iubeat ſibi exhiberi literas delegationis, & ſi in ijs reperiat priores literas expreſsè reuocari, exequatur ſecundum mandatum; ſin autem non reuocentur, nullatenus exequatur. Verùm ſi dubius exiſtat de reuocatione, non debet exequi, donec controuerſia de iuriſdictione inter iudices ſopita ſit. Caueat tamen Ordinarius, ne declinandi mandati causâ dicat ſe dubitare de iuriſdictione, vbi dubitandum non eſt; aut dicat ſe certum eſſe de valore vel reuocatione reſcripti, vbi certus non eſt. Porro tametſi Ordinarius in tali caſu literas à iudicibus delegatis petere poſsit, vt videat, num eorum mandatum exequi debeat, nèc ne; non tamen ipſe de eorum iuriſdictione aut iure partium iudicandi poteſtatem vllam habet.

SVMMARIVM.

1. *Delegatus Papæ mandare poteſt Ordinariis in negotio ſua commiſſionis. Debet tamen ſuæ delegationis exhibere literas, quæ fidem faciant de poteſtate accepta.*
2. *Ordinarius controuerſiis inter delegatos iudices ſuper iuriſdictione illorum ſe non intromiſcere debet.*

NOTANDVM I. Delegatus Papæ Ordinariis locorum mandata dare poteſt in ijs, quæ ad expeditionem commiſſæ ſibi cauſæ pertinent: Quia in ea vicem Papæ repræſentat; ideóque maior eſt Ordinariis, c. ſanè 11. de offic. delegati. Neceſſe tamen eſt, vt literas delegationis ſuæ exhibeat, quò fides illi de accepta poteſtate fieri poſsit, vti hîc dicitur, & in c. cùm iniure 31. de elect. & in l. 1. C. de mandatis Principum. 1

NOTANDVM II. Si controuerſia inter iudices delegatos de iuriſdictione oriatur, Ordinarius ſe immiſcere non debet, partium diuerſarum probationes aut exceptiones admittendo; ne iudicis officium ſibi vſurpare cenſeatur. Sed eo ſolùm fine literas Apoſtolicas inſpiciendas petere poteſt, vt cognoſcat, num, & cui iudici obtemperare teneatur, ſi quæ vigore literarum, de quibus dubium ortum eſt, ipſi imperentur. 2

Porrò admonet hîc Ioann. Andreas n. 3. Caſum huius c. frequenter etiam accidere circa reſcripta gratiæ, v. g. conferendorum beneficiorum; vt executores diuerſa & oppoſita mandent locorum Ordinariis: Tum verò ita ipſis agendum eſſe, ſicuti in hoc c. de reſcriptis iuſtitiæ declaratur.

CAPITVLVM XXV.

Olim.

PARAPHRASIS.

Pancratius clericus poſsidebat parochiam de Salice, quam Rudolphus de Cliuo ſibi per intermediam perſonam legitimè collatam eſſe contendebat. Cauſa delata fuit ad Innocent. III. qui eam tribus Abbatibus delegauit. Hi partes ſemel, iterum, ac tertiò citantes, cùm Pancratius nec per ſe, nec per procuratorem accedere vellet, eum ob

contumaciam excommunicarunt, & fructus parochiæ interim sequestrarunt. Sed Pancratius postea iudicibus obedientiam pollicitus à censura absolutionem impetrauit. At verò in literis absolutionis abraso eo, quod positum erat de loco & die, in quo se sistere iudici debebat, ipse scripsit fructus sequestratos sibi restitui debere: quod facinus suum coram duobus Abbatibus (nam tertius delegatus de absentia se excusauerat) confessus fuit. Eapropter Innoc. Papa quibusdam aliis in mandatis dat, vt si ita est, Pancratio silentium in perpetuum imponant super petēdâ parochiâ, eámque Rudolpho cum fructibus sequestratis assignent. Sed iudices hi dubitarunt, an clausula, *Si ita est*, ad id tantùm, quod proximè antecesserat de rasura literarum, referri deberet, an verò ad omnia antecedentia. Resp. Innocent. ad omnia referendam esse, quia tametsi sufficiat crimen falsi de Pancratio ostensum esse, vt perpetuum ipsi silentium super parochiâ petendâ imponatur, non tamen ea Rudolpho assignari potest, nisi de iure ipsi competente, seu de collatione legitimè facta ostensum fuerit.

SVMMARIVM.

1. *In causa beneficiaria ob contumaciam rei fructus beneficij sequestrari possunt.*
2. *In eâdem causâ falsificans literas, & de hoc crimine falsi conuictus, iure suo excidit, & in pœnam falsi incidit.*
3. *Contendens beneficium ad se pertinere, debet necessariò docere de iure & institutione sua, nec satis est probare aduersarium ius in eo nullum habere, aut ipsummet hoc confiteri.*
4. *Confessio extraiudicialis in criminibus non præiudicat.*

1 NOTANDVM I. In causa beneficiaria, si reus contumax sit, fructus beneficij sequestrari possunt: Nam actor, iure suo nondum ostenso, in possessionem mitti non debet, ob periculum, ne vitium intrusionis incurrat, iuxta c. vn. de eo qui mittitur in possess. causa rei seruandæ, in 6. Et notauit Ioan. Andr. hîc n. 4. Abb. n. 5.

2 NOTANDVM II. Litigans Clericus de beneficio, si literas super ea lite falsasse conuictus fuerit, iure suo, si quod habeat, excidere debet, eique perpetuum silentium imponi. Ita sumitur ex textu. Cęterùm si criminaliter agatur, clericus conuictus de crimine falsi, beneficiis in perpetuum priuādus siue deponendus, & in monasterium ad agendam pœnitentiam detrudendus dicitur in c. si Episcopus 7. d. 50. Quòd si literas Papales aliquis falsauerit, excommunicationem contrahit; Et, si clericus sit, degradari, atque Curiæ seculari tradi iubetur in c. ad falsariorum 7. de crimine falsi, & c. nouimus 27. de verb. signif.

NOTANDVM III. Clausula, *si ita est*, iuxta negotij qualitatem, seu sicut materia subiecta postulat, vel refertur ad id tantùm quod antecesserit, vel ad omnia quæ antecesserunt, vti Ioan. Andr. hîc notat n. 16. Imola n. 16. Abb. n. 3. & colligitur ex textu, quando dicitur; Clausulam, *si ita est*, respectu silentij indicendi Pancratio, satis impleri, si vitium falsi, cuius proximè mentio facta, ostensum sit: At verò respectu parochiæ Rudolpho conferendæ, non impleri dictam clausulam, nisi omnia narrata ostensa fuerint, videl. non tantùm commissa rasura à Pancratio, sed etiam collatio legitimè facta Rudolpho: Quia beneficium ecclesiasticum non potest licitè sine institutione canonica obtineri, reg. 1. in 6. Videri hîc potest Felin. n. 10. post Ioan. And. in suprà cit. c. vn. col. 1. Quòd non sufficit 3 possessori beneficij, vt de aduersario ostēdat, ipsum ius nō habere, aut ipsemet aduersarius hoc confiteatur; si possessor de suo iure seu institutione docere non possit. Eapropter, si vnus de beneficio contendentium clericorum, de iure suo probando sibi diffidat, impetrare in Curia interdum solet literas in forma, *Si neutri*, aut *Si nulli*. Qua de re videri potest Azor tom. 2. mor. instit. lib. 6. c. 32. q. 5. §. Sunt etiam.

Circa textum DVBITATVR primò; Vel Iudices principaliter ob contumaciam rei citati, fructus parochiæ sequestrārunt; vel accesso-

ceſſoriè propter excommunicationem eidem inflictam: nam excommunicato fructus beneficij meritò ſubtrahuntur, c. paſtoralis 53. in fine, de appellat. Neutrum dici poteſt: Non 1. Quia, vt conſtat ex c. vlt. in fine, vt lite non conteſtata &c. Iudex ab initio duplicem pœnam contumaci infligere non debet, videl. excommunicationem, miſionemque in bonorum poſſeſſionem; cuius veluti vicem hîc tenet bonorum ſequeſtratio Non 2. Quia depoſita contumacia, & exhibita ſatisfactione congrua, ita vt abſolutionem reus mereatur, fructus ei reſtitui debent, cit. c. vlt. §. in aliis. Reſp. Ioan. Andr. hîc, Imola n. 17. Abb. n. 5. Oſtendi hoc argumento, Iudices non rectè proceſſiſſe: Sed non ideo Pancratius literas radere & falſare debebat: appellare autem poterat, ſeu querelam ad Papam deferre.

DVBITATVR ſecundò; Cùm Pancratius falſi crimen coram Iudicibus confeſſus fuerit, cur Papa nihilominus aliis Iudicibus mandet, vt ſuper ea recognoſcant, & ſi ita eſſe intellexerint, homini ſilentium imponant. Varia reſpondent Interpretes hîc: Id magis placet, quòd confeſsio Pancratij non fuerit iudicialis; cùm enim tres delegati fuerant, vno eorum abſente, reliqui duo cognoſcere non poterant, c. cauſam 16. & c. penult. de of-
4 fic. delegati. Quòd autem confeſsio extraiudicialis in criminibus non præiudicat, legi poteſt apud Felin. hîc n. 2.

CAPITVLVM XXVI.

Dilectus.

PARAPHRASIS.

Abbas Monaſterij S. Stephani à Papa Viſitator conſtitutus fuit ciuitatis ac diœceſis Bononienſis; is in viſitatione Bartholomæum & Antonium Presbyteros propter grauia & manifeſta delicta à beneficiis amouit & excommunicauit. Illi autem à Sede Apoſtolica, quaſi ſpoliati fuiſſent, literas impetrarunt de reſtitutione ipſis facienda, non inſertâ cauſâ amotionis, nec facta mentione excommunicationis ſuæ. Quare Innocent. III. ſcribit Epiſcopo Imolenſi, ſi ita ſe rem habere cognouerit, vt literas ſubreptitias eſſe, & viribus carere decernat.

SVMMARIVM.

1. *Viſitator conſtitutus cum poteſtate iudicandi, corrigendi; poteſt pro grauitate criminum Clericos beneficiarios beneficiis priuare & deponere.*
2. *Contra iudicem iniuſtè ſpoliantem non poteſt impetrari reſtitutio in forma communi.*
3. *Niſi extraiudicialiter ſpoliaſſet, aut notoriè etiam in iudicio iniuſtè.*
4. *Reſcriptum iuſtitiæ præter alias cauſas obreptitium fit per taciturnitatem veri, ſi impetrans mentionem non facit excommunicationis; vel ſi à iudice poſſeſſione ſua priuatus cauſam ſuæ priuationis non exprimit.*

NOTANDVM I. Viſitator conſtitutus 1
à Papa (vel etiam Epiſcopo, ſicuti Abb. hîc docet n. 5.) cum poteſtate iudicandi, corrigendi, poteſt etiam clericos ſeu beneficiarios beneficiis priuare, ac deponere, ſi talem pœnam commiſſa crimina mereantur. Dixi autem, ſi conſtitutus ſit cum poteſtate iudicandi, &c. Secùs enim ſentiendum de viſitatoribus, de quibus mentio eſt in c. penult. & vlt. de ſtatu Monachorum: Ii enim conſtituti fuerunt ad ordinandum & reformãdum Religioſos, non ad iudicandum & puniendum, prout ibi legi poteſt, & annotauit Anton. hîc n. 8. Imola n. 6. Abb. cit. n. 5. Et enim viſitatores illi deputati fuerunt à Capitulo generali Religioſorum, quod cùm poteſtatem non habuerit priuandi Prælatos, multò minùs talem poteſtatem dare poterat; ſed Superiori vid. Papæ, aut Epiſcopo denunciare debebat. Dixi de hac re in cenſura Aſtri inextincti p. 2. cenſ. 42. 43.

NOTANDVM II. Contra iudicem in- 2
iuſtè priuantem ſiue ſpoliantem, non poteſt impetrari reſtitutio in forma communi, ſicuti ſi priuatus ſpoliaſſet. Ita ſumitur ex hoc c.

& tradit Gl. recepta in c. 3. in fine causa 7. q. 1. & latè hìc explicat Felin. n. 1. Auffrerius in Capell. Tholos. q. 491. Sensus traditæ doctrinæ est, quòd qui à Iudice se spoliatum, seu possessione priuatum ostendit, non illicò seu ante omnia restituitur, sicuti si ab alio spoliatus esset: sed priùs cognoscendum de causa priuationis, seu ablatæ possessionis: Neque enim vis, seu violentia censetur, quam magistratus rectè, ac licitè intulit. l. 3. ff. Quod metus causa. Semper autè in dubio pro magistratu, seu iudice præsumptio est, quòd rectè processerit, donec contrarium ostendatur, arg. c. quid culpatur 4. causa 23. q. 1. & tradit Gl. cit.

5 Limitari debet doctrina: Si Iudex extra iudicialiter aliquem possessione priuet; aut non seruato iuris ordine, v. g. possessorem, cuius colorata possessio est, non citando, aut defensiones eius audiendo; & quotiescunque notorium est, Iudicem iniustè possessorem deiecisse; in his casibus Iudex censeri debet vt priuatus: & ideo ab eo spoliatus incontinenti restitui debet; sicuti docet Abb. in c. conquerente, de restit. spoliatorum, latè Felin. hìc cit. n. 1. Capella, & ibi Auffrerius in cit. q. 491.

4 NOTANDVM III. Præter alias, duæ causæ sunt, ob quas rescriptum iustitiæ obreptitium fit per taciturnitatem veri: Prima, si impetrans mentionem non fecerit excommunicationis, quâ affectus est: Nam rescriptum Papæ ab excommunicato impetratum ipso iure irritum est, adeóque adest inhabilitas ex parte impetrantis, aut recipientis rescriptum, c. 1. hoc tit. in 6. Altera, si quis tanquam à Iudice priuatus, seu possessione sua amotus, causam amotionis non exprimat. Ita sumitur ex textu huius c. & fusè declarat Glossa hìc ver. excommunicationis, & seq. Gl. ver. viribus carere.

CAPITVLVM XXVII.

Postulasti.

PARAPHRASIS.

Episcopus Veratisamensis quęsiuit ex Innoc. III. Si à Sede Apostolica literas iuxta formam cap. cùm secundùm Apostolum, acciperet: quibus iuberetur beneficium alicui prouidere, qui ex Vicariæ perpetuæ prouentibus, & proprio patrimonio commodè sustętari potest: an tales literas exequi deberet. Resp. Innocent. subreptitias censendas esse, quippe impetratas tacita veritate, quam si Papa cognouisset, probabiliter non ita scripsisset. nam huiusmodi literæ à Sede Apostolica emanant pro clericis pauperibus, nullúmque beneficium habentibus: qui autem Vicariam perpetuam obtinet, ecclesiastico beneficio non caret. Accedit, quòd neque literas gratiosas dare solet Papa, vt beneficium conferatur alicui, qui antea aliquod habet, nisi de eo mentionem faciat.

SVMMARIVM.

1. *Literæ beneficiales aliæ sunt Iustitiæ, aliæ Gratiæ.*
2. *Rescriptum iustitiæ obreptitium est, si impetrans mentionem in eo non fecit patrimonij, ad quod ordinatus est; vel beneficij, quod obtinet.*
3. *Causæ impulsiuæ cessatio non vitiat rescriptum.*
4. *Intruso idem beneficium, in quod se intrusit, impetrante, tacitâ intrusione, rescriptum est obreptitium.*
5. *Assecutus beneficium per laicam potestatem, incapax sit eiusdem canonicè assequendi.*
6. *Si intrusus in vno beneficio, quod illicitè, non autem de manu laici accepto possidet, aliud beneficium impetret, tacitâ intrusione, soláque possessione beneficij expressa, valida videtur esse impetratio.*
7. *Absque titulo beneficij clericus in sacris ordinari non debet, nisi ex patrimonio, vel aliunde commodam; & pro ratione sui status honestam habeat sustentationem.*

PRo intellectu huius c. sciendum est, literas beneficiales, id est, quibus à Papa beneficium alicui prouideri, aut conferri mandatur,

datur, alias eſſe iuſtitiæ, & alias gratiæ. Literæ *iuſtitiæ* (aliàs *pauperum* appellantur, item in *forma communi*,) quæ iuxta formam c. cùm ſecundùm 16. de præb. ſcribuntur pro clericis pauperibus, ſiue ijs, qui ab Epiſcopo ſine beneficio aut patrimonio ſufficiente, contra canones ordinati ſunt. Quamobrem Pontifex pro his clericis, exigente iuſtitiâ ſcribere ſolet, vt ipſis prouiſio, ſeu beneficij collatio fiat. Literæ autem *gratiæ*, ſeu *gratioſæ* appellantur, quæ pro alijs, non pauperibus ſeu indigentibus clericis, è Curia Romana emanant. Ita Ioan. Andr. & Abb. & alij hîc, Rebuffus in praxi benefic. de differentijs inter reſcripta gratię & iuſtitiæ, n. 31. & videri poteſt c. ſi pauper 31. de præbend. in 6.

2 NOTANDVM I. Reſcriptum iuſtitiæ, ſeu in forma communi clericorum pauperum obreptitium eſt, ſi in eo mentio non fiat patrimonij, ad quod impetrans ordinatus eſt; vel eccleſiaſtici beneficij, quod obtinet: Quare Epiſcopus, aliúſue cui prouiſio mandatur, exequi non tenetur. Hoc eſt præciputum intentum huius c.

Aduertendum hoc loco, quod hîc Felinus tradit n. 5. In impetratione reſcripti gratiæ faciendam non eſſe mentionem priùs obtentæ penſionis clericalis, aut præſtimonij, ſi beneficia non ſint, ſed tantùm loco ſtipendij, prout etiam ex communi docet Capella Tholoſ. q. 473. At verò in reſcripto iuſtitiæ, ſiue ſecundùm formam pauperum, mentionem eorum fieri oportere: Alioquin obreptitium erit; ſaltem, vt per exceptionem peremptoriam infringi poſsit, ſi contra ordinatorem impetratum fuerit; quandoquidem per eiuſmodi prouentus cauſa paupertatis tollitur. Imò ipſo iure irritæ erunt tales literæ, ſi non contra ordinatorem tanquam contentioſæ dirigantur; ſed ſimpliciter mandetur alicui, vt clerico, tanquam pauperi, prouideat: Tum enim quaſi gratioſæ iudicari debent, quibus id propriũ eſt, vt ipſo iure propter obreptionem irritæ cenſeri debeant, prout ſupra aliquoties dictum, & ſumitur ex l. 1. ff. de natalibus reſtit. Videri etiam poteſt Ioann. Andr. hîc & Abbas num. 3. Imola num. 7.

Ex hoc porrò c. verbis ijs, *Et habente beneficij ſufficientis ſubſidium*, non pauci Doctores, Imola hîc n. 4. Felin. n. 1. Abb. n. 1. Rodriq. tom. 2. regul. qq. q. 59. a. 5. Azor tom. 2. mor. Inſtit. lib. 6. cap. 3. q. 20. §. Alij verò, & alij apud Sanchez lib. 8. de matrim. diſp. 21. n. 10. regulam tradunt, reſcripta, ſaltem beneficialia, per taciturnitatem veri ad rem per ſe & intrinſecè pertinentis, obreptitia fieri, ſi id tacitum fuerit, quod ſi cognouiſſet Princeps, difficiliùs rem petitam conceſsiſſet: ſiue, vt alijs verbis dicam, non tantùm ſi taciturnitas veri ſit cauſa finalis conceſsionis; quia eâ remotâ, adeóque habitâ cognitione veritatis, Princeps non conceſsiſſet; ſed etiam, ſi ſit cauſa duntaxat impulſiua, quia ſi rem tacitam ſciuiſſet Princeps, conceſsiſſet quidem, ſed difficiliùs, vitiari reſcriptum. At præſtat, vt adhæreamus doctrinæ, quam tradidi ſuprà in c. ſuper literis 20. hoc tit. & in Theol. mor. lib. 1. tr. 4. cap. 22. n. 19. Reſcriptum obreptitium non 3
eſſe, ſi Princeps rem petitam, cognitâ veritate, eodem modo ac formâ conceſsiſſet, licèt difficiliùs; dummodò neque ius, nec Curiæ ſtylus veri expreſsionem requirat, prout videre licet apud Sanchez cit. diſp. 21. concl. 1. & ſeqq.

Neque obſtant verba huius c. finalia: Senſus enim eorum eſt, quòd Pontifex non ſoleat ſcribere pro habente ſufficiens beneficium, vt ei alterum conferatur, niſi de prioris mentionem faciat. Fuit itaque taciturnitas vicariæ perpetuæ cauſa finalis conceſsionis, ſeu qua ſublata, id eſt, ſi ſciuiſſet Papa veritatem, nullatenus ita ſcripſiſſet. Præterquam quòd & ſtylus Curiæ huiuſmodi expreſsionem poſtulet, prout etiam colligitur ex c. cùm adeò 17. hoc titulo c. ſi motu 23. eod. in 6.

Ex his, & quæ dicta ſunt in cit. c. ſuper literis, reſoluitur QVÆSTIO, quam hîc tractat Felin. in fine c. Vtrùm reſcriptũ gratiæ beneficialis datum pro Titio, qui ſe antea in beneficium intruſerat, adminiſtrationem & fructus eius non canonicè adepti capiendo, ſubreptitium & irritum cenſeri debeat? Reſp.

ex doctrina Card. Zabarellæ, & Petr. de Ancharano apud Felin. citato loco, Auffrerij in
4 quæst. 484. Capell. Tholos. & Dico I. Si quis idem beneficium, in quod se intrusit, tacita intrusione, impetrauit, obreptitium est rescriptum, secundùm omnes. Quia intrusio est canonicum impedimentum, inhabilitans personam ad assequendum beneficium: Collatio autem irrita est, si fiat ei qui ipso iure inhabilis existit. Dixi de hac re in Th. moral. lib. 4. tract. 2. cap. 15. n. 3.

5 Dico II. Si quis per laicam potestatem ecclesiasticum beneficium assecutus sit, itidem incapax fit eiusdem canonicè assequendi, argum. c. quisquis 43. de elect. & docet ex communi Syl. ver. beneficium 3. num. 1. Consequenter, nisi in rescripto, seu concessione beneficiali exprimatur inhabilitas ista, adeóque tollatur, irrita erit impetratio. Ex quibus etiam apparet, quòd in his duobus casibus Papa saltem non tali modo ac forma scripsisset, si intrusionis vitium sciuisset.

6 Dico III. Si intrusus in vno beneficio, quod illicitè, non autem de manu laici acceptum possidet, aliud beneficium impetret, non factâ mentione intrusionis, sed tantùm quòd beneficium possideat, videtur esse valida impetratio, prout præter Zaburr. & Anchar. etiam Felin. concludit hîc in fine; Quia licèt expressio intrusionis retraheret Papam à concessione alterius beneficij, tamen ea expressio intrinsecè non pertinet ad rescriptum: cùm per id dicta intrusio purgari non debeat, (ait Felin.) prout accidit in duobus prioribus casibus. Et his consentiunt ea quæ suprà dixi in cit. c. super literis, quòd taciturnitas veri non vitiet gratiæ rescriptum, si rei impetratæ intrinseca non sit, tametsi cognitâ eâ veritate, Princeps gratiam non concessisset.

7 Notandvm II. circa ver. *commodè* & ver. *competenter*, quòd clericus in sacris absque titulo beneficij ordinari non debet, nisi ex patrimonio, vel aliunde commodam, & considerato statu honestam habeat sustentationem. Bene enim annotauit Gl. in c. vn. §. Sanè, ver. absq, penuria, de statu Regul. in 6. Abb. hîc not. 2. & in c. 1. n. 4. de Institut. Felin. hîc n. 3. quòd alia sit sustentatio necessaria, quæ mendicitatem excludit: alia autem sustentatio congrua, secundùm qualitatem statûs & personæ: Et inseruire id potest pro intellectu rescriptorum, in quibus conditio apposita est, *Si persona verè pauper est*. Nam in materia largæ interpretationis, seu gratia Principis, verificabitur, si persona congruam, siue decentem sustentationem non habeat, considerato statu suo, liberis & familia, quam alere cogitur, &c.

CAPITVLVM XXVIII.

Nonnulli.

Paraphrasis.

Quidam literas à Sede Apostolica impetrant ad iudices valde remotos; quamobrem reus ne laboribus aut sumptibus premeretur; vel cedere, vel vexationem redimere cogebatur. Ideo in Concilio Lateran. sub Innoc. III. decretum est, ne quis vltra duas dietas, id est, iter duorum dierum extra diœcesin suam per literas Apostolicas trahi possit: exceptis duobus casibus: Primus, si vtraque pars consentiat. Secundus, si in literis Apostolicis constitutioni illi expressè derogetur. Vide quæ dicam in c. Statutum 11. hoc tit. in 6.

Svmmarivm.

1. *Reus ad iudicium è loco remoto cum magnis sumptibus & laboribus citandus non est: nisi necessitas, aut causæ grauitas postulet.*
2. *Vi huius constitutionis non potuit quis ad iudicium citari vltra duas dietas extra suam diœcesin, nisi de consensu partium, vel cum expressa mentione in rescripto & derogatione constitutionis.*
3. *Nouo iure sufficit & requiritur vna dieta cum consensu expresso vtriusque partis, quæ debet numerari à finibus diœcesis.*

4. Fa-

4. *Factâ mentione dietæ, niſi exprimatur in ſpecie legalis, vulgaris intelligenda eſt.*
5. *Obreptitium eſt reſcriptum iuſtitiæ, emanans contra hanc Conciliarem conſtitutionem ſine clauſula eius derogatoria, ſi poſtea reus vltra duas dietas, & ſpectato hodierno iure vltra vnam ad iudicium trahatur.*

1 NOTANDVM I. Non eſt æquum, vt reus ad iudicium è loco remoto cum magnis ſumptibus, & laboribus citetur; niſi neceſsitas aut cauſæ grauitas poſtulet. Quamobrem dicunt Legiſtæ; nominatim Bartolus in l. cùm poſt. 26. C. de appell. Canoniſtæ hîc, nominatim Ancharan. & Felin. in princ. Si negotium modicum ſit, & diſtantia longa, quòd iudex cauſam in patriam litigantium ablegare cogatur, argum. cit. l. cùm poſt. Et Bartolus in l. mediterraneæ 8. C. de annonis lib. 10. generalem regulam tradit; *Non eſſe faciendum id, in quo plus expenditur, quàm commodi percipitur.* Exempla ſunt: Debitor non tenetur reddere debitum, ſi plus in eo tranſmittendo expendere cogatur, quàm illud valeat, de quo dixi lib. 3. moral. Theol. tr. 2. de iuſtit. cap. 12. n. 1. Tutori non exigenti, quæ pupillo debita ſunt, negligentiæ non imputatur, ſi in ijs exigendis plus expẽdere neceſſe ſit, quàm valeant. Iudex non debet teſtes citare ad locum iudicij, ſi adeò diſtent, vt plus expendendum eſſet in ijs accerſendis, quàm ſit valor rei, qua de contenditur: quare hoc in caſu examen teſtium alteri delegari debet. Denique ſi in adeundo Superiorem plus aliquis expenſurus, quàm ratio & qualitas negotij ſuadeat, tum cenſeri quis debet ad Superiorem non habere recurſum.

2 NOTANDVM II. Spectatâ hac conſtitutione, quæ facta in Concilio generali ſub Innocent. III. non potuit aliquis per literas Papales ad iudicium citari vltra duas dietas, numerandas à fine diœceſis ſuæ; præterquam ſi partes conſentiant; vel in reſcripto expreſſa fiat mentio & derogatio huius Conciliaris conſtitutionis. Hæc verò poſtea mutata ſunt per cap. ſtatutum 11. hoc tit. in 6. & quidem in duobus, prout annotauit Lud. Molina tr. 5. de iuſt. diſp. 25. n. 7. I. eſt, quòd non ſufficiat quicunque conſenſus, etiam tacitus & præſumptus, ſed requiratur expreſſus vtriuſque partis. II. eſt, 3 quòd duæ dietæ, nouo eo iure ad vnam reſtrictæ ſunt. Debet autem numeratio dietæ fieri à finibus diœceſis; cùm enim, ordinariè loquendo, grauari non cenſeatur pars litigans, ſi intra diœceſin litigare debeat, argum. c. ſi epiſcopus 7. de offic. Ordin. in 6. ideo grauamen à fine diœceſis æſtimatur, vti hîc Abb. annotauit. not. 2.

QVÆSTIO prima. Quæ dicta ſunt de 4 duabus, ſeu vna dieta, ſiue diei itinere, intelligíne debeant, de legali, quæ continet xx. milliaria italica, id eſt, 20. millia paſſuum, paſſus autem quinque pedes habet, l. 3. iun. Gl. ff. de verb. ſignif. An verò de vulgari, ſeu ſecundùm loci cuiuſque conſuetudinem & cõmunem? Quam poſteriorem quæſt. partem præfert Gl. hîc fermè cõmuniter recepta, vltra duas dietas, Ant. hîc n. 20. Abb. n. 5. Mol. tr. 5. de iuſtit. diſp. 25. n. 7. per argumentum à ſpeciali in c. præſenti 34. §. loca, de præb. in 6. Quare Menochius de arbitrarijs qq. caſu 106. Angelus in ſumma, ver. dies n. 2. exiſtimant, ſi de dietis ſermo ſit, neque exprimatur, vt legales ſeu per legem definitæ intelligantur, iudicis arbitrio frequenter relinquendum eſſe, conſideratis circumſtantijs diei, itineris, ac perſonarum, quantum viæ ſpatium nomine dietæ comprehendatur. Et inſeruire id poterit ad intelligenda priuilegia v. g. Regularium, in quibus de duabus dietis, aut vna dieta mentio fit, vt attendatur num in ſpecie exprimatur dieta *legalis*; an non exprimatur, tum enim de vulgari accipi debet.

QVÆSTIO ſecunda. Si in hoc c. clau- 5 ſula derogatoria reſcriptorum contra hanc Concilij generalis conſtitutionem emanantium, poſita non fuiſſet, an ſi poſtea reus, nullâ factâ mentione huius conſtitutionis, vltra duas dietas, & ſpectato hodierno iure, vltra dietam in iudicium traheretur, num obreptitium cenſeri debeat reſcriptum? Dico, *ſi clauſula poſita non fuiſſet.* Certum enim

enim est, si ea posita sit in quacunque lege canonica aut ciuili, non valere rescriptum contrarium, aut derogatorium, nisi de ea lege mentio fiat, aut specificè, aut saltem per verba æquipollentia, *non obstante constitutione de duabus dietis*, vti videre hîc licet apud Felin. n. 2. & seqq. Qui addit ex communi doctrina n. 5. ampl. 6. id locum etiam habere successoribus legislatoris: Cùm enim successor legum anteriorum custos esse debeat, ac defensor, non præsumitur ab earum, quarum & notitiam habere censetur, recedere velle, nisi sufficienter declaret.

Nunc respondeo ad quæst. affirmatiuè cum Abb. hîc n. 10. Baldo super l. vlt. n. 5. C. Si contra ius &c. & alijs. Ratio est: Quia rescripta iustitiæ, cùm sint præiudicialia parti aduersariæ, procedere debent secundùm iura, & ita vt aduersarius non nimis grauetur. Sed alia ratio est de rescriptis gratiæ, videl. priuilegijs, ac dispensationibus: in ijs enim non est opus mentionem facere legis, cui derogant, vti docet Ioan. Andr. in c. vn. prope finem, de excess. Prælator. & docui suprà hoc tit. c. 1. not. 3. dicto 3. Sed bene excipit Bartol. in cit. l. vlt. n. 4. Abb. hîc cit. n. 10. Nisi priuilegium contra ius sit non parum præiudiciale, siue derogans iuri alteri acquisito: Cùm Princeps non soleat, neque rationabiliter possit gratiam vni facere cum alterius detrimento; nisi grauis causa exigat.

Accedit verò, quòd canon huius c. sit Concilij generalis; adeóque habere censeatur tacitam clausulam derogatoriam subsequentium dispositionum contrariarum, nisi in ijs mentio fiat constitutionis Conciliaris, prout videre est apud Felin. hîc n. 3. Sanchez lib. 3. de matrim. disp. 26. n. 7. & docui suprà in c. 1. de constit. in 6.

Est tamen magnum discrimen inter constitutionem, in qua clausula derogatoria subsequentium dispositionum expressè requiritur, vt hîc; & constitutionem, in qua tacitè siue præsumptè talis clausula inesse censetur. Primò; Si ex constitutione seu generalis Concilij, seu alia quacunq, expressè dicitur, eam reuocatam non censeri, nisi specifica eius mentio fiat, tum non tollitur per clausulam generalem, *non obstante quacunque*, sicuti bene hîc Abb. docuit cit. n. 10. Quia Princeps, notitiam anterioris legis habens, si eam tollere vellet, specificam derogationem adijceret, prout lex requirit, iuxta c. 1. de constit. in 6. At verò si lex Conciliaris talem clausulam nō habet, sufficienter tollitur per clausulam eam generatim derogatoriam cuiuscunque antecedentis legis.

Secundò: Ad derogandum legi Conciliari, in qua clausula derogatoria subsequentium dispositionum aut concessionum tacitè continetur, sufficit, quòd appareat, aut coniectura capi possit de certa scientia, ac voluntate Principis, prout hîc tradit Abb. n. 8. & docui in cit. c. de constit. in 6. Et ad hoc defendendum, seu rescriptum à subreptione liberandū multum momenti habet, si talis sit Curiæ consuetudo, vt frequenter rescripta dentur contra Concilij alicuius canonem, quippe quo Papa ligari omninò non potuit. Exempli causa, Concil. Tridentinum voluit, sess. 24. c. 5. de reform. matrim. vt in secundo gradu consanguinitatis vel affinitatis nunquam dispensetur, nisi inter magnos Principes, & ob publicam causam: Quo tamen non obstante, Pontifex interdum cum quibusdam inferioris conditionis personis dispensat ex causa vrgente, quamuis non publica; etiam non additâ clausulâ derogatoriâ Conciliaris constitutionis. Sin autem lex anterior expressè postulet, vt in derogatione mentio eius fieri debeat: tum non valebit contraria dispositio, tametsi adiecta sit clausula motûs proprij, aut ex certa scientia, vti hîc idem Abb. docet n. 9. argum. l. si quis in principio 22. ff. de legat. 3. vbi idem dicitur de testamentis. Ratio traditæ doctrinæ est, quia cùm hæc res tota pendeat ex voluntate Principis, quippe qui absolutè loquendo alligatus non est legibus positiuis, quò minùs ijs derogare possit; in priore illo casu facilis coniectura capi potest, quòd per speciale rescriptum gratiæ, seu dispensationem aliquam ei derogare velit; etiamsi id signatè non exprimat; dummodò rescriptum seu priuilegium non sit notabiliter

ſiter præiudiciale. At verò in poſteriore caſu non ita præſumptio fieri poteſt: Cùm enim lex anterior, quæ ſpecialem & expreſſam mentionem requirit, formam det ſubſequentibus reſcriptis aut diſpenſationibus, ideo Princeps, dummodò, vt pono, lex illa in vigore & obſeruatione ſit, nunquam videtur ei derogare velle, niſi exprimat. Tametſi verba iſta, *ex certa ſcientia*, aut *proprio motu* adiecta ſint: quia vt bene Abb. hîc cit. n. 9. Felin. n. 11. Suarez lib. 8. de legibus cap. 12. n. 11. Sanchez lib. 8. de matrim. diſp. 21. n. 52. clauſula ea obreptionem tollere poſsit, non tamen ſupplere voluntatem concedentis, aut gratiam vltra eius intentionẽ extendere. Eadémq; de cauſa, cùm Princeps particularia, quę facti ſunt, ignorare cenſeatur, c. 1. de conſtit. in 6. ideo fit, vt propter defectum ſcientiæ, & conſequenter voluntatis, veroſimiliter præſumptum, clauſula *motus proprij* neque perſonæ inhabilitatem, cuius in reſcripto nulla penitus mentio fit; neque ius alteri quæſitum: neque particulare ſtatutum loci tollat; ſicuti docent DD. apud Sanchez cit. diſp. 21. n. 49. & dicendum de hoc in c. ſi motu 23. de præb. in 6.

§. Sunt & alij.

Paraphrasis.

Aliqui illicitum quæſtum exercentes, vt lites ſopitas excitare, aut nouas ſuſcitare poſſent, fingebant cauſas, ſuper quibus à Sede Apoſtolica literas impetrarunt, abſque mandato Domini, ſiue eius cuius cauſa agebatur: quas deinde literas vel reo ad redimendam vexationem ſuam, vel actori ad litis ſuæ proſequutionem vendiderunt. Quare decretum eſt in eodem Concilio generali, vt ſi quis de cætero ſine ſpeciali mandato Domini ſeu agẽtis principalis literas à Sede Apoſtolica impetrare præſumpſerit, eæ irritæ ſint, & impetrans vt falſarius puniatur; præterquam ſi perſona valde coniuncta fuerit, quæ etiam abſque mandato ad agendum in iudicio admittitur.

Svmmarivm.

1. *Reſcripta ad lites ſunt ſtrictæ interpretationis.*
2. *Nec ſi ſint Papales, valent, ſi pro alio ſine ſpeciali eius mandato impetrata ſint; & impetrans, tanquam falſarius, puniendus eſt.*
3. *Et huiuſmodi literæ ipſo iure nullæ ſunt.*
4. *Neq; eas poſtea Dominus aut Principalis ratificare poteſt.*
5. *Beneficia omnia ſiue gratiæ, adeóq; etiam diſpenſationes pro altera perſona capaci, abſque vllo eius mandato, impetrari poſſunt à Pontifice.*
6. *Ius tamen in re non acquiritur ei, cui gratia eſt data, donec ipſemet vel alius eius nomine ex ſpeciali mandato acceptauerit, vel ſine hoc acceptationem factam ab alio eius nomine poſtea ratam habeat.*

Coniunctus pro coniuncto abſque mandato ad agendum admittitur, dummodò caueat, eum ratum habiturum, quæ acta fuerint.

Notandvm I. Reſcripta ad lites reſtringenda potiùs ſunt, quàm extendenda: ſiue, vt alij dicere ſolent, reſcripta ad lites ſtrictæ interpretationis eſſe debent. Ratio eſt, quia præbent cauſam litigandi, & cedere poſſunt in alterius præiudicium; ideóque odioſa cenſentur, ſecundùm Abb. hîc not. 1. & 2. in fine. Idémque dicendum de priuilegiis, quatenus ea cedere poſſunt in alterius præiudicium, l. 2. §. Si quis Principe, ff. Ne quis in loco publico &c. Item de reſcriptis ad eccleſiaſtica beneficia c. quamuis 4. de præb. in 6. Idque propter ambitionem, & auaritiam, quæ clericis valde noxia eſt, auertendam. 1

Notandvm II. Non valent literæ Papales ad lites, quæ pro alio ſine ſpeciali eius mandato impetratæ ſunt: Et impetrans, tanquam falſarius, puniri debet. Id tamen intelligi debet, non quòd verè crimen falſi commiſerit: cùm literæ falſatæ non ſint; ſed perinde ac falſarius puniendus; tametſi mitiùs, & ſecundùm Iudicis arbitrium, teſte Abb. hîc n. 7. 2

3 QVÆSTIO prima. Num literæ in casu huius c. ipso iure nullæ sint? Gl. ver. sine speciali mandato, & Abb. hîc n. 6. negant; ideóque putant, si reus nihil excipiat, validas esse. Sed contrarium rectè docent Anton. n. 18. Imola n. 4. Nam inhabilitas personæ facit, vt actus penitus nullus sit; cùm actus non subsistat sine potentia siue agendi, siue recipiendi. At verò persona impetrans, nisi speciale mãdatum habeat, inhabilis reddita est ad impetrandum rescriptum ad lites. Quæ doctrina sumitur ex l. licet 56. ff. de iudic. & l. licet 23. C. de Procurator.

4 QVÆSTIO secunda. Num Dominus seu Principalis ita impetratas literas postea ratificare possit? Videtur esse affirmandum, ex cit. l. 56. ff. de iudiciis, & c. 2. de pactis, reg. 10. in 6. ex quibus iuribus habetur, quòd quæ nomine meo gesta sunt, postea rata habere possum: & quòd huiusmodi ratihabitio per fictionẽ retrotrahitur, & mandato æquiparatur: Quamobrem Gl. communiter recepta in c. ex parte, de rescr. 33. ver. Procurator, & Abb. ibid. n. 8. aiunt, quòd gesta per falsum procuratorẽ in iudicio postea ratificari possint, l. 3. §. falsus, ff. rem ratam haberi. Contrarium tamen omnes docent, post Gl. hîc cit. ver. sine speciali mandato, & aliam Gl. in cit. reg. 10. ver. ratihabitionem, prope finem. Rationem dat Gl. hîc, quam secutus est Zasius in l. si quis iniquum §. Si procurator, ff. Quod quisque iuris; esse hunc casum specialem, siue exceptum ab ea regula: Idque propter odium litium. Sed melior ratio est, quam Abb. hîc dat n. 5. & pulchrè tradit Bartol. in cit. l. 56. ff. de Iudiciis; Regulam illam, quòd *ratihabitio retrotrahitur* &c. Et *quòd ratum habere possum, quæ nomine meo gesta sunt*: Intelligi debere, si alius defectus non fuerit, quàm consensus, isque postea suppleri possit, quippe in partis fauorem requisitus, vti accidere solet in pactis & contractibus, cit. c. 2. de pactis; Et in litis contestatione, cit. l. licet: Non item, si defectus, ex ratione boni publici per legem introductus, suppleri non possit: Veluti si is, qui tuo nomine, absque mandato, in iudicio contendit, seruus fuerit, aut pupillus; non poterunt acta per ratificationem confirmari, secundùm Gl. receptam in cit. l. licet, ver. cùm esset. Deinde, si iudex alienus, seu iurisdictione carens, causam cognouerit, ac deciderit, non potest iudex proprius, seu ad quem causæ cognitio de iure pertinet, postea ratificare; tametsi ab initio mandare seu delegare potuisset, sicuti rectè docent ex communi, locis citatis, Bartol. & Abb. cum Gl. in ead. l. licet, ver. deducta, argum. l. 2. C. de iure fisci lib. 10. Idque propter iurisdictionis publicæ defectum, quæ cùm iudicio intrinseca & substantialis sit, ideo defectus iste per hominem, seu Iudicem suppleri postea non potest, sed locum habet reg. iuris 30. ff. *Quod ab initio vitiosum est, non potest tractu temporis conualescere.* Eodem verò modo se res habet in casu huius c. quando, vt dixi, persona ob minuendas lites, & vitanda publica incommoda, incapax reddita est ad impetrandum rescriptum, sine mandato speciali.

Porrò, quòd ad praxin attinet, Gregor. Tholos. super hoc c. ver. exigi, testatur, in Curia Rom. vix aliquem huius can. vsum esse. Siquidem, vt Abb. hîc ostendit n. 3. Procurator generalis, absque speciali mandato, rescriptum ad lites impetrare potest nomine proprio, eo modo ac iure, quo etiam ad agendum in iudicio admittendus est, absque speciali mandato, exceptis ijs casibus, quę speciale mandatum requirunt, c. qui generaliter 5. de procurator. in 6. Nauarrus quoq; in consil. 4. n. 7. de rescriptis ait, *In* Rom. *Curia parum curari de exceptione defectus mandati ad impetranda rescripta, etiam ad lites, de quo in §. sunt & alij.*

5 QVÆSTIO tertia; Num aliquis, similiter absque mandato speciali, vel etiam generali, pro altero impetrare possit à Papa ecclesiasticum beneficium, dispensationem, aliámue gratiam, seu priuilegium. Abbas Panorm. in c. innotuit, n. 10. de elect. inquit, ad petendam dispẽsationem in alterius gratiam, requiri speciale mandatum. Sed contrarium est dicendum, ita vt generalis doctrina sit; Beneficia omnia, siue gratias, adeóque etiam dispensationes, pro altera persona capaci, absque vllo eius mandato, impetrari posse à Pon-

Pontifice, prout hîc docet Gl. cit. ver. absque speciali mandato, in fine, Felin. hîc n. 45. Rebuffus in praxi tit. de dispens. n. 23. Nauarr. in c. si quando, except. 1. de rescript. & in consil. 2. & 4. hoc tit. Suarez lib. 6. de legibus, cap. 13. n. 6. & 7. Idque probatur ex l. vniuersis 5. C. de precibus Imperatori offerendis, in qua generatim habetur: Rescripta per quemcunque pro altero supplicantem impetrata valere. Confirmatur: Cùm Princeps motu proprio, seu nemine petente, gratiam quamcunque, beneficium, aut dispensationem alicui conferre possit, absenti & ignoranti, l. qui absenti 38. ff. de acq. poss. c. si tibi absenti 17. de præb. in 6. Cur non etiam id possit, aliquo alio interueniente, seu pro altero petente? Veruntamen ius in re non acquiritur ei cui gratia data, donec acceptauerit, seu consenserit: Neque verò is, qui pro absente & ignorante impetrauit, eius etiam nomine acceptare potest, absque speciali mandato; eò quòd acceptatio siue consensus sit actus personalis, prout docent DD. in c. accedens 23. de præb. Felin. hîc n. 46. Sufficit tamen, si quis postea ratam habeat acceptationem, quam alter ipsius nomine fecit, iuxta Gl. in cit. c. si tibi absenti, ver. habueris. Cùm non aliud hîc desit, quàm consensus partis, qui suppleri per ratihabitionem potest, vti suprà dictum.

Notandvm III. Persona coniuncta admittitur in iudicio ad agendum pro altero, dummodò caueat, eum ratum habiturum, quæ acta fuerint, l. sed & hæ 35. ff. de procurator. Vbi & personæ numerantur, quæ coniunctæ censeri debeant, videlicet liberi, parentes, fratres, affines, & liberti. Arbitrantur verò aliqui, vt Baldus in cit. l. n. 2. Abb. hîc n. 10. has personas, veluti exempli loco numeratas esse; Exempla autem non restringunt regulam, sed declarant, vt etiam in similibus locum habere debeat. Etenim lex citata considerat affectionem coniunctorum: quare ad Iudicem pertinebit arbitrare, quæ persona ita coniuncta alteri societate, aut amicitiâ videri debeat, vt tanquam aliena ab omni suspicione fraudis, ad agendum admitti possit. Vide quæ dixi in c. edoceri 21. vers. Corollarium, hoc titulo.

CAPITVLVM XXIX.

Dilectus.

Paraphrasis.

Inter Ioannem & Iordanum Clericos controuersia erat de ecclesia S. Nicolai. Jordanus contra Ioannem à Sede Apostolica literas impetrauit ad Archiepiscopum Cantuariensem, & alios quosdam: sed Ioannes excipiendo oppositum, quòd vltra duas dietas à diœcesi ad iudicium traheretur contra Concilium Lateranense, de quo nulla in rescripto mentio fiebat. Sed iudices hanc exceptionem admittere noluerunt, eò quòd dictus Ioannes in duabus aliis ecclesiis loco iudicij propinquioribus beneficia possideret, & eâ ratione domicilium habere censeretur. Quare ab his appellauit Ioannes ad sedem Apostolicam, & appellationem prosequutus literas impetrauit ad Archiepiscopum Eboracensem, & Collegâ. Verùm Archiepiscopus Cantuariensis & socij eius in causa nihilominus procedentes Eboracêsibus iudicibus inhibuerunt, ne causam cognoscerent. Quod cùm Papæ Honorio III. significatum esset, mandauit Cantuariensibus, vt causæ cognitione superfedeant, cùm non ad ipsos, sed ad iudices Eboracenses pertineat cognoscere, vtri parti iurisdictio competat.

Svmmarivm.

1. *Domicilium contrahitur à Clerico in loco beneficij residentiam postulantis.*
2. *Dieta in actione reali computanda est à diœcesi domicilij, non diœcesi, in qua res sita est.*
3. *Si quis in duabus diœcesibus domicilium habeat, réscq; litigiosa in vnâ earum sita sit, dieta computanda est à fine diœcesis, in qua res sita est, & domicilium habetur.*
4. *Ad iudicem appellationis, aut ab eo delegatum pertinet cognoscere, num à sententia interlocutoria recipienda sit; &*

si sit, inhibere iudici à quo, ne in causa procedat. Attentata post inhibitionem irrita censeri debent.

1 NOTANDVM I. Clericus in loco beneficij sui residentiam postulantis, domicilium habere censetur; secùs, si beneficium residentiam non postulet. Hæc est communis doctrina, vti videre est apud Innoc. in c. ex ore n. 3. de priuil. Abb. & Felin. hîc n. 2. eundem Abb. in c. postulasti n. 4. de foro compet. licèt aliter sentiat Gloss. hic ver. domicilium. At verò Religiosi censentur habere domicilium in loco monasterij sui, teste Innoc. in cit. loco, Abb. in cit. c. postulasti n. 5. Felin. hîc n. 8. Interim verò Religiosus non amittit ius, siue domicilium originis suæ, saltem quoad commoda, vt videl. ab Episcopo eius loci ordines accipere possit, prout Abb. notat cit. n. 5. Non item quoad onera siue obligationes: Quemadmodum per professionem in Religione soluitur quidem patria potestas, non autem ius seu commodum successionis in paterna hæreditate, ait Felin. cit. n. 8.

2 Porrò Innoc. hîc in princ. quem sequitur Anton. n. 18. & alij, existimat, arg. huius c. in actione reali, id est, quæ ratione rei sitæ in aliqua diœcesi, instituta sit, dietas, siue iure nouo vnam dietam, computandam non esse à diœcesi domicilij, sed diœcesi in qua res sita est. Contrarium tamen rectiùs docet Gl. in c. statutum 11. §. cùm verò, ver. vnam dietam, hoc tit. in 6. quam sequitur hîc Imola n. 12. Felin. n. 13. & alij plerique. Optimè autem declarat Abb. hîc n. 3. & in c. ex parte n. 9. de foro comp. Et dicit primò, Intra diœcesin, in qua res sita est, haud dubiè conueniri posse reum coram Ordinario, c. vlt. de foro comp. Consequenter etiam coram delegato Papæ; cùm Pontifex in iurisdictione concurrat cum omnibus locorum Ordinariis. Secundò: Si quis per rescriptum Papale conueniendus sit extra diœcesin, vbi res sita sit (aut vbi contraxit, vel deliquit) computatio dietarum, aut dietæ vnius necessariò fieri debet à loco domicilij, adeóque beneficij residentiam postulantis; nulla habita ratione, vbi res, de qua litigatur, sita sit. Idque probatur ex c. præc. & cit. c. statutum; in quibus dicitur, quòd reus per rescriptum Papæ trahi non possit extra diœcesin vltra duas, & iure nouo extra vnam dietam: Atqui ratione rei possessæ non censetur aliquis habere diœcesin, aut territorium, cùm neque, absolutè loquendo, subditus ibi sit; sed neque dici potest trahi extra diœcesin, in qua res sita est; cùm inibi domicilium, vti pono, non habens, ordinariè non habitet. Itaque in casu isto, si alibi domicilium sit, & alibi res sit, licèt conueniri possit intra fines diœcesis rei sitæ, non tamen extra eam. Tertiò; 3 Si quis in duabus diœcesibus domicilium habeat, & in vna earum res sita sit, de qua litigatur, tunc si reus conuentus extrà trahatur, dietæ computari debent à finibus eius diœcesis, in qua res sita est, simul & domicilium habetur, argum. cit. c. ex parte 15. de foro compet.

Quamobrem in casu huius c. iustam appellandi causam habuit Ioannes; quòd vltra duas dietas per rescriptum traheretur extra diœcesin, in qua ecclesiam S. Ioannis, de qua lis orta erat, possidebat. Non itaque rectè censuerunt Iudices Cantuarienses, dietas à finibus alterius diœcesis, in qua itidem beneficium possidebat Ioannes, computari posse: Præsertim, cùm non credibile sit, inibi ad residentiam reum conuentum obligatum fuisse.

NOTANDVM II. Ad Iudicem appel- 4
lationis, aut ab eo delegatum pertinet cognoscere, num appellatio ab interlocutoria sententia recipienda sit, nécne: Et, si recipienda, inhibere Iudici, à quo appellatum, ne in causa vlteriùs procedat; Ita, vt quæ post inhibitionem attentata fuerint, irrita censeri debeant, c. Romana 3. §. Quòd si obijciatur, & c. non solùm 7. de appell. in 6. Ex quo apparet, Iudices Cantuarienses in casu huius c. malè egisse, quando ipsi, à quibus ad Pontificem appellatum, Iudicibus ab eodem delegatis inhibuerunt, ne in commisso ipsis appellationis negotio procederent; cùm tamen non ad dictos Cantuarienses, sed ad alios, quibus causa appellationis à Papa delegata erat, pertineret cognoscere, fuerítne causa probabilis appellandi; &, si talis videatur, inhibere.

Inte-

Interim rectè admonet hîc Innocent. n.3. Glossa ver.inhibentes, Abb.n.7. Felin.n.13. quòd non rarò Iudex à Papa delegatus, non præmissâ aliâ causæ cognitione, inhibere possit Iudici à quo, ne vlteriùs procedat; si nimirum ex rescripto Papæ appareat, eum iustitiam appellationis cognouisse, iuxta c. pastoralis 28. §. præterea, de offic. deleg.

CAPITVLVM XXX.

Capitulum S. Crucis.

PARAPHRASIS.

Callimachus clericus ab Honorio III. literas monitorias, & mox præceptorias impetrauit ad Capitulum collegiatæ ecclesiæ Cameracensis, vt ipsi Canonicatus conferretur: postea verò Beatus clericus ab eâdem Sede impetrauit literas executorias ad Archiepiscopum Tornacensem, & collegas eius ad similem canonicatum in eâdem ecclesiâ, nullâ factâ mentione priorum literarum. Cùm autem Capitulares contra hos iudices ad Sedem Apostolicam appellarent: Iudices eo non obstante, in illos suspensionis & excommunicationis sententiam protulerunt. Postmodùm etiam Callimachus literas executorias impetrauit ad iudices alios, qui & ipsi in Capitulares sententiam suspensionis & excommunicationis protulerunt. De hoc toto processu informatus Papa, rescripsit Episcopo & Archidiacono Legionensi, vt absoluto Capitulo à sententijs suspensionis & excommunicationis, eum qui prius mandatum de prouisione facienda à Sede Apostolica impetrauit, in Canonicum instituì curent, alteri perpetuo silentio imposito.

SVMMARIVM.

1. *Excommunicatus aut suspensus propter nouam contumaciam iterum excommunicari aut suspendi potest.*
2. *Impetrans prior literas ad beneficium posteriori impetranti præferendus est.*
3. *Papa non solet grauare collatorem beneficiorum pluribus mandatis de prouidendo certis personis.*

NOTANDVM I. Olim fermè consuetum erat, vt si Roman. Pontifex alicui gratiam de prouidendo ipsi beneficium faciebat, triplices literas scripserit: Primæ erant *monitoriæ*, quibus Papa veluti precibus primarijs adhibitis, hortabatur collatorem ordinarium, vt Titio beneficium, si quod vacet, vel proximè vacaturum sit, conferre velit. Deinde secutæ sunt aliæ *præceptoriæ*, quibus idipsum præcipiebatur: postea verò hæc duo literarum genera in consuetudinem abijsse, testantur Ioan. Andr. & Abb. in c. insinuatione, hoc tit. Petr. Greg. Tholos. lib.1.de rescript.cap.4.n.1. Azor tom.2.lib. 6.c.32.q.2. Nisi Pontifex scribat pro receptione Monialis in Monasterium, aiunt Ioann. Andr. & Abb.cit.loco. Tertiæ sunt *executoriæ* literæ, in quibus executor constituitur ad compellendum collatorem, ad prouidendum ei, cui Papa mandauit.

NOTANDVM II. Qui censuram excommunicationis, aut suspensionis incurrit, propter nouam contumaciam, iterum excommunicari, aut suspendi potest. Ita colligitur ex hoc c. & fusè hanc rem explicat Suar. de censur.disp.5.sect.2.n.8. & seqq. & dixi quædam in Th.moral.lib..tr.5.p.2.c.6. n.10. Videri etiam potest c. officij 42.de sent. excomm. 1

NOTANDVM III. Qui priùs literas ad beneficium impetrat, posteriùs impetranti præferendus est. Ita etiam habetur in c. tibi qui 12. eod.in 6.& notat Gl. margin.hîc ver. *prius*, legendum id esse, non vt aduerbium, sed vt nomen. Nisi malis dicere (siue aduerbium sit, siue nomen) sensum verborum esse: ei præbendam conferendam esse, qui prius ad eos destinatum mandatum Apostolicum reportauit, id est, impetrauit, seu assecutus est. 2

NOTANDVM IV. Papa non solet grauare collatorem beneficiorũ pluribus mandatis de prouidendo certis personis. Ita sumitur ex hoc c. & c.mandatum 38. hoc tit. 3

Quamobrem si plures mandatum de prouidendo ad eandem ecclesiam, non pro eodem beneficij corpore, adferant, is, cuius literæ posteriores sunt in *data*, repelli potest per viam exceptionis, seu oppositi grauaminis, sicuti hîc Abb. ait n.4. Posset quidem collator vtrumque impetrantem recipere: sed non tenetur; quia si in posterioribus literis posita non sit clausula, *non obstante quòd pro alio scripserimus*, intentio Papæ mandantis esse censetur, vt prouideatur impetranti, *si priùs pro alio non scripserit.* Qua de re Innoc. hîc. Verùm in his immorari necesse non est; quandoquidem gratiæ expectatiuæ, seu literæ de conferendo beneficio proximè vacaturo per Trid. Concilium sess. 24. c. 19. de reform. penitus sublatæ sunt: Multò minùs in Germania nostra, expectatiuarum, aut mandatorum, de quibus in casu huius c. aliquis locus esse potest, propter Concordata cum Nicolao V. Papa in Constit. *Ad sacram.*

CAPITVLVM XXXI.

Ad audientiam.

PARAPHRASIS.

Aliqui Clerici cùm à Sede Apostolica impetrassent literas super prouisione beneficij, renunciarunt literis eâ conditione, vt pensio annua, vel aliud beneficium ipsis conferretur. Postea ab eâdem Sede alias impetrârunt literas super prouisione ipsis faciendâ, de literis priùs impetratis, & dicto modo venditis mentionem non facientes. Hoc intellecto Honorius III. decernit literas secundas ipso iure irritas esse, ideóque rescindendum esse, quidquid earum prætextu factum fuerit.

SVMMARIVM.

1. *Habens literas Papales ad beneficium proximè vacaturum, si eis renuntiat cum pacto, vt pensionem vel aliud beneficium consequatur, literæ posteriores beneficiales, hoc tacito, impetratæ irritæ sunt.*
2. *Renunciatio ista expectatiuæ cum pacto adipiscendæ pensionis vel beneficij simoniaca est.*
3. *Literæ expectatiuæ posteriores obreptitiæ sunt, si nulla in eis mentio fiat priùs impetratæ expectatiuæ, cui impetrans non absolutè, sed pro pensione, aut ecclesiastico beneficio renunciauit.*
4. *Rescripto gratiæ propter obreptionem nullo, irrita sunt etiam alia, quæcunq; eius occasione siue propter illud acta sunt.*
5. *Rescripta obreptitia ad lites communiter loquendo, irrita non sunt, nisi ope exceptionis.*

NOTANDVM I. Si habens literas Papales ad beneficium proximè vacaturum, ipsis renunciat, cum pacto vt pensionem vel aliud beneficium consequatur, & postea, eo tacito, alias similes literas impetrat, hæ posteriores irritæ sunt. Pro intellectu aduerte primò: Nihil obstare, quò minùs aliquis literis expectatiuis, seu ad prouidendum, renunciet, prout ex communi tradit hîc Abb. n. 7. Felin. n. 11 Imò eo ipso renunciare quispiam censetur, quando aliud beneficium, quod cum priore expectato incompatibile est, cum pacifica possessione assequitur; adeo, vt tametsi adeptum beneficium deinde resignauerit, tamen gratiam expectatiuâ nō recuperet, Clem. gratiæ, iun. Gl. hoc tit. Ratio dari debet: Quia habens gratiam expectatiuæ seu de prouidendo, eo ipso, quòd prouisus non est, seu collationem nullam accepit, non habet ius ad beneficium, nisi remotè: quare liberè, etiam non requisito Superioris consensu, renunciare ei potest. Quemadmodum id ipsum simili ratione dicendum est de præsentato seu nominato ad beneficium; qui itidem remotè ac præparatoriè qualequale ius acquirit. Imò hoc ipsum sentiendum de electo nondum confirmato, quod iuri suo liberè renunciare possit, secundùm Gl. receptam in c. si electio 26. ver. renunciat, de elect. in 6.

Aduer-

2 Aduerte secundò; Si renunciatio ista expectatiuæ fiat cum conditione seu pacto adipiscendæ pensionis, vel beneficij, simoniaca censeri debet. Quæ est magis recepta sententia apud Abb. hîc n. 6. Felin. n. 11. contra Gl. ver. renunciantes, in fine; & colligitur ex hoc c. ver. taliter venditas, & ex c. vlt. de pactis, vbi omnis pactio in spiritualibus, tanquam simoniaca, damnatur. Sed neque locum hîc habet permutatio expectatiuæ cum beneficio; quia cùm expectatiua tendat ad beneficium, quod nondum vacat, adeóque ius in illo aut ad illud, si propriè loquendũ sit, non habetur, ideo permutari non potest, iuxta doctrinam Ioann. And. in c. vn. de rerum permut. in 6. Atque bene docuit Suarez tom. 1. de relig. cap. 33. de simon. n. 8. permutationes beneficiorum odiosas, ideóque non extendendas esse; cùm sint concessiones quædam, ac veluti dispensationes contra canones, quibus omnis pactio in spiritualibus prohibita est.

3 Aduerte tertiò; Literæ expectatiuæ posteriores obreptitiæ sunt, si nulla in eis mentio fiat prius impetratæ expectatiuæ, cui impetrans non absolutè, sed pro pensione, aut ecclesiastico beneficio renunciauit. Ex quo indirectè colligi videtur; prout hîc Abb. annotauit num. 4. in impetratione beneficij mentionem quoque faciendam esse pensionis, si ea iure ac titulo beneficij ecclesiastici constituta sit; esto ea iniustè ac simoniacè possideatur, vti hîc notat Anton. n. 9. Ne alioquin commodum quis ex iniquitate sua reportet: Neque enim decet, vt stultus melioris conditionis sit, quàm sapiens, c. eam qui 18. de præb. in 6. Vide quæ dicentur in c. seq. in quæst.

4 Notandvm III. Si rescriptum gratiæ obreptitium, adeóq; ipso iure nullum sit, etiam alia quæcunque eius occasione, siue propter illud acta sint, pro irritis haberi debent. Quia ruente principali, ruit etiam accessorium, prout dixi etiam in c. 3. hoc tit. & habetur in hoc c. in fine, sumitur quoq; ex c. si super 9. de offic. deleg. in 6. latè explicat hîc Abb. n. 14. Felin. n. 17. & in n. 22. col. penult. Nauarr. in c. si quando, prælud. 1. n. 1. hoc tit. Id verò tanquam certum semper supponimus, rescripta beneficialia, & quæcunque gratiæ sunt, propter obreptionem penitus irrita esse; non item rescripta 5 ad lites, communiter loquendo, sed ope exceptionis irritari debere. Ratio discriminis est, quia in ijs negotium determinatur ac definitur; in his præparatur tantùm aut committitur, prout notauit Baldus in l. 1. n. 4. C. de collus. deteg. Gaill lib. 1. obs. 14. n. 5.

CAPITVLVM XXXII.

In nostra.

Paraphrasis.

Clerici aliqui à Sede Apostolica plures literas ad diuersarum ecclesiarum beneficia impetrant, in posterioribus literis de priùs impetratis nullam mentionem facientes: postea vigore vnius Apostolici Indulti in vnâ ecclesiâ recepti, licèt nondum literas beneficiales assecuti, in alterâ ecclesiâ vigore aliarum literarum recipi postulant. Hoc intellecto Pontifex mandat Archiepiscopo Mediolanensi, vt hos clericos contentos receptione in vnâ ecclesia ad beneficium alterius ecclesiæ vigore literarum Apostolicarum aspirare non permittat, nisi in literis secundis mentio fiat, eos in vnâ ecclesiâ receptos esse.

Svmmarivm.

1. *Receptus in canonicum cum expectatione præbendæ: propriè loquendo, beneficium non obtinet.*
2. *Debet in impetratione literarum ad alterius ecclesiæ Canoniam mentionem facere suæ receptionis.*
3. *Vnde habens & possidens beneficium, si aliud impetret, non tantùm tenetur facere mentionem de habito iam & possesso beneficio, sed etiam de iure, quod habet ad consequendum beneficium, etsi eo iniustè spoliatus sit.*

4. *Plu-*

4. *Plures literæ super eodem beneficio simul impetratæ, omnes valent, si sint consentientes, & non repugnantes.*
5. *Idem est, si successiuè sint impetratæ.*
6. *Impetrans à Papa beneficij vacantis collationem per modum concursûs, aut secundùm Concordata Germaniæ in mẽse Papali, posterior gratia beneficialis obreptitia est, si nulla mentio fiat gratiæ de alio beneficio priùs impetratæ.*
7. *Habens à Papa gratiam expectatiuam, si aliam impetret ad aliam ecclesiam, posterius rescriptum irritum erit, nisi priori renunciatum esse constet.*

1 NOTANDVM I. Receptus in Canonicum cum expectatione præbendæ, propriè loquendo, beneficium non habet, prout constat ex definitione beneficij, quam tradidi in Theol.moral.lib.4.tr.2.cap.1. *Ius perpetuum recipiendi reditus ex bonis ecclesiæ, ratione spiritualis officij, ecclesiasticâ auctoritate constitutum.* Sancitúrque istud not. ex hoc c.ibi, *Licet nondum in eis ecclesiasticum beneficium sint assecuti.*

2 NOTANDVM II. Qui in canonicum, cum expectatione præbendæ, receptus est, debet in impetratione literarum ad alterius ecclesiæ canoniam, mentionem facere receptionis suæ. Hæc est præcipua intentio huius c. Ex quo colligitur, quòd impetrans à

3 Papa literas ad beneficium, siue præbendam, non tantùm de priùs habito & possesso beneficio mentionem facere debet, c.cùm adeò 17.hoc tit. c. si motu 2.3.de præb.in 6. sed etiam de iure, quod habet ad consequendũ beneficium, seu præbendam; quale ius habet qui in canonicum receptus, debetur enim ei suo tempore præbenda. Quâ eâdem ratione docet Abb.hîc n.10. quòd beneficio iniustè spoliatus, de eo in impetratione alterius mentionem facere debet: quia licèt reditus nullos percipiat, habet tamen ius ac titulum percipiendi. Etenim qui actionem habet, siue ius petendi præbendam, aut ereptam recuperandi, ipsam rem habere videtur, reg.15, ff. Idq; etiam in personali actione locum habere declarat Gl. ibidem.

QVÆSTIO est: An literæ plures, seu 4
simul & sub eâdem datâ, seu successiuè, super eodem, aut diuersis beneficijs impetratæ, nullâ alterius impetrationis factâ mentione, subsistere possint? Respondeo & Dico I. Si plures literæ super eodem beneficio simul, siue eodem die, v.g. consecrationis Papalis, per diuersos intercessores impetrentur, ambæ aut omnes valent, si consentiant, seu repugnantes non sint, Hæc est communis doctrina apud Abb.hîc.n.5. Felin. num.1. Cùm enim ambæ literæ eandem formam & datam contineant, in effectu censentur eædem, quamuis plura exemplaria: quemadmodũ & vnicum testamentũ in pluribus chartis authenticis consignari potest, l. vnum 23.ff. Qui testamẽta facere possunt. Idque interdum necessarium esse potest, siue cautionis causa fieri, vt si fortè vnum amittatur, alterius vsus esse queat, prout in ead. l. dicitur, & annotauit Gl.in c. extenore 16. ver.negotio, hoc tit.

Dico II. Idem pari ratione sentiendum, 5
si aliquis plures literas successiuè super eodem beneficio impetret; vt videl.magis munitus sit. Ita Abb.n.6.Anton.n.9.Imola n.6. Cùm enim duo rescripta sub eâdem formâ ad eundem effectum tendunt, non debet vnum per alterum elidi; sed veluti vnum rescriptum, quamuis indubitatius aut securius, reputari. Videri potest Gl. cit.

Dico III. Si quis à Papa gratiã beneficiali 6
nõ per modum præuentionis seu expectatiuæ obtinuit, sed beneficij vacantis collationẽ per modum concursus, aut secundùm Germaniæ Concordata in mense Papali; certum esse debet, posteriorem gratiam beneficialem obreptitiam & irritam fore, si nulla mentio fiat gratiæ de alio beneficio priùs impetratæ: eò quòd per eiusmodi gratiam impetratam, licèt nondum præsentatam, nec plenæ executioni mandatam, ius acquisitum sit.

Dico IV. Si quis à Papa gratiam expectatiuam de prouidendo consecutus sit, & vel eodem tempore seu sub eâdem datâ, vel sub diuersa, aliam expectatiuam ad aliam ecclesiam impetret, dubium est in vtramque partem disputabile, num vtrumque rescriptum valeat,

valeat, ita vt in optione impetrantis sit, quo
7 eorum vti velit. Partem affirmantem videtur amplecti Gl. hîc, & tenet Petr. Greg. Tholos. super hoc c. Idque probari posse videtur tum ex hoc c. ver. in aliis recepti: Ergo per sensum contrarium, si ratione literarum, Clerici impetratores in aliis ecclesiis nondum recepti fuissent, aliter dicendum foret. Tum quia expectatiua propriè loquendo non tribuit ius ad beneficium, sicuti suprà dixi in c. præc. Ergo non debet comprehendi ea regula, qua dicitur, quòd impetrans gratiam beneficialem, teneatur facere mentionem de quolibet antè impetrato beneficio, aut iure beneficiali.

Contrarium tamen communiter tenent DD. Innoc. hîc n. 7. Ioann. Andr. & Abb. n. 7. Imola n. 11. Felin. col. 2. Ioan. Azor tom. 2. lib. 6. cap. 33. q. 5. Ratio dari debet; non quia per expectatiuam ius beneficiale acquiratur, cuius mentio facienda sit, prout sentire videtur Azor. cit. loco: sed quia taciturnitas huius expectatiuæ est rei intrinsecè pertinentis ad rescriptum posterius, quod Papa, si veritatem cognouisset, non dedisset, aut certè alio modo & conditione dedisset: Cùm alioquin occasio præbeatur exercendis fraudibus; si duas, aut plures gratias, seu rescripta beneficialia validè impetrentur, eâque occasione plura in diuersis ecclesiis beneficia quandoque acquirantur. Cùm itaque fraudibus & malitiis hominum obuiandum sit, & rescripta beneficialia propter hominum arcendas cupiditates, odiosa censeantur, iuxta cap. 4. de præb. in 6. ideo existimandum est, contra intentionem Pontificis, atque obreptitiè obtineri. Itaque in casu isto posteriùs datæ literæ irritæ erunt; præterquam si constet, aut probari possit, prioribus renunciatum esse.

Atque hæc inseruient pro casu illo; si quis clericus ad beneficium præsentatus, seu nominatus, aliud beneficium à Pontifice impetret, nullâ præsentationis illius mentione factâ, num literæ Papales obreptitiæ, & irritæ sint? Affirmandum cum Azor cit. q. 5. Non quòd præsentatus, propriè loquendo, ius ad beneficium consequatur; cùm reuerà non habeat nisi remotum ac præparatorium, sed quia hac occasione ad pluralitatem beneficiorum, contra sacros canones, præter & contra voluntatem Papæ gratiam concedentis, aperiretur: Ideóque censeri hæc debet taciturnitas veritatis per se pertinentis ad negotium; quâ cognitâ gratia vel penitus facta non esset, vel saltem non eo modo, sed cum conditione, onere, &c. Quæ responsio saltem tunc vera est, si is cui præsentatio facta, teneatur præsentatum in beneficio instituere, per ea quæ tradit Felin. in c. in nostra n. 4. de rescript. Selua de benef. p. 3. q. 11. n. 1. & 2.

Ad argumentum 1. pro parte affirmante resp. ex ijs verbis nihil colligi posse pro quæstionis decisione: cùm solùm contineant casûs Pontifici propositi relationem. Ad 2. patet responsio ex dictis.

CAPITVLVM XXXIII.

Ex parte.

PARAPHRASIS.

Papa priuilegium concesit Decano & Capitulo ecclesiæ Laudunensis, vt contra iniustos impetitores suos sententiam excommunicationis proferrent. Vi huius priuilegij excommunicarunt virum nobilem Ioannem, à qua sententia is ad Sedem Apostolicam appellasse videtur. In hac controuersia vtraque pars misit procuratorem Romam, sed lite coram Papa contestata, cùm procuratores rei gestæ fidem exhibere non possent, controuersia commissa fuit iudicibus delegatis, eo adiecto, vt in causa procedant, tametsi postea aliæ literæ, sed absque vtriusque partis consensu, impetratæ fuerint. Ab his porro iudicibus citatus Ioannes, respondit se non obligari ad litigandum coram ipsis, quia Vincentium procuratorem ante expeditionem literarum reuocarit propter suspicionem, quam aduersus eum acceperat. Sed contra hoc opposuit Capitulum, quòd ea reuocatio mandati procuratoris nec ad ipsos, nec ad Pontificem peruenisset: quare iudices delegati pronunciarunt,

non obstante eâ reuocatione ad ipsos spectare, vt de causa sibi commissa cognoscant. Quod cùm agerent, procurator Capituli iudicibus exhibebat priuilegium Apostolicum, ex quo appareret, Capitulo potestatem non defuisse excommunicandi Ioannem: Ex aduerso stans procurator Ioannis alias literas Apostolicas postea impetratas exhibuit, quibus continebatur, vt si causam ex vtriusque partis voluntate definire non possent, illam cum sufficiente processûs habiti informatione vnà cum priuilegio Capituli ad Sedem Apostolicam remitterent. Sed Capitulares dicebant, literas has posteriores irritas esse, quippe impetratas à Vincentio procuratore post reuocationem mandati. His omnibus intellectis ac ritè perpensis, Resp. Gregorius IX. Si reuocatio mandati ad procuratorem peruenerat, literas ab eo posteriùs impetratas irritas esse debere, ideóque à iudicibus delegatis causam decidendam esse secundùm præcedentium Apostolicarum literarum concessionem. Cùm enim in Concilio Lateranensi literæ Apostolicæ ad lites sine speciali mandato impetrari nequeant, nisi impetrans nomine alieno persona sit coniuncta, multò minùs valere debet impetratio literarum facta à procuratore, posteaquam mandati sui reuocationem cognouit.

Svmmarivm.

1. *Capitulum, etiam Cathedralis Ecclesiæ, de iure communi, iurisdictionem spiritualem non habet; habet tamen interdum ex priuilegio Apostolicæ Sedis, aut consuetudine legitimè præscripta.*
2. *Iudex notoriè iniuriam passus ratione publici officij potest incontinenti contra iniuriam inferentem procedere.*
3. *Iudex delegatus cognoscere potest, num sua sit iurisdictio, etsi pars citata neget ei vllam competere: secus est de Ordinario.*
4. *Pronunciatio, iudicem se esse, est sententia interlocutoria: habens tamen vim definitiuæ, à qua etiam ciuili iure appellari possit.*
5. *Dictum Aduersarij secundùm vnum effectum impugnari potest, secundùm alium admitti, vel etiam contra Aduersarium retorqueri.*
6. *Procurator ad negotia cõstitutus vt validè reuocetur, debet ei reuocatio intimari; & hoc sufficit, etiamsi pars contrahens cum eo ignoret. Quæ post insinuatam reuocationem acta sunt, irrita habentur.*
7. *Excipitur tamen contractus matrimonij, & acceptatio beneficij ecclesiastici facta à procuratore post reuocationem mandati, etsi eius notitia ad eum non peruenerit. Idem est, si sit simplex mandatarius, sine merus internuncius mittentis.*
8. *Etiam per tacitam reuocationem, quæ fit morte mandantis, reuocatur mandatum.*
9. *Procurator constitutus ad contrahẽdum, vel quasi contrahendum cum certa persona, in cuius præiudicium ac damnum cedit reuocatio procuratoris, ordinariè illi huius reuocatio insinuari debet; aliàs, licet eam sciat procurator, quæ gesta, rata erunt.*
10. *Procurator ad lites post litem contestatam vt validè reuocetur, reuocatio debet insinuari Iudici, vel Aduersario.*
11. *Procurator generalis ad negotia, siue Institor, in certo loco constitutus, in eo reuocatio illius palàm significanda.*

NOTANDVM I. Ver. *auctoritate Apostolica indulgentiæ*, Capitulum, quamuis sit ecclesiæ Cathedralis, non habet, iure communi spectato, iurisdictionem spiritualem, cuius actus sunt excommunicare, interdictũ ferre, &c. sed interdum ex priuilegio Apostolicæ Sedis, aut consuetudine legitimè præscripta. Ita notát híc Ioan. Andr. Antõ. Imola, Abb. Felinus, & alij, post Gl. in c. irrefragabili 13. ver. per Capitulum, de offic. Ordinarij, Gl. in c. dilecto 6. ver. Decano, de sent. excomm. in 6.

NOTANDVM II. Circa ver. *protulissent*, Si cau-

Si cauſa offenſionis notoria ſit, poteſt is qui iuriſdictione præditus eſt, contra offendentem, ſeu iniuriam ratione publicæ auctoritatis inferentem, incontinenti procedere. Quæ eſt limitatio quædam eius regulæ: quòd nemo in propria cauſa iudex eſſe poteſt. Quæ doctrina etiam colligitur ex ſuprà cit. c. dilecto, & notat hîc Anton. n. 5. Dixi de hac re in Th. moral. lib. 3. tr. 6. c. 2. q. 4. except. 2.

3 NOTANDVM III. Ver. *per quandam interlocutoriam protuliſtis.* Iudex delegatus cognoſcere poteſt, num ſua ſit iuriſdictio: tametſi pars citata omnis iuriſdictionis defectum obiiciat, ſeu dicat, nullam penitus iuriſdictionem competere ei, qui ſe delegatum aſſerit. Ratio dari debet: Quia iudex delegatus omnia agit nomine delegantis; cuius iuriſdictio cùm, vt ponimus, fundata ſit, & in dubium non reuocetur, habet etiam delegatus poteſtatem cognoſcendi de eo, quod ab ipſo promanat; videl. vtrùm literæ delegationis validæ ſint, nécne. Sed aliud dicendum videtur de iudice ordinario, v. g. Epiſcopo, cui ſi obiiciatur, non eſſe legitimum Epiſcopum, ideóque iuriſdictione carentē, de hoc dubio, ſi, vti pono, probabiliter opponatur, ipſemet cognoſcere, & interlocutoriè dirimere non poteſt; cùm certus non ſit de iuriſdictione ſua, ſiue, iuriſdictio eius fundata non ſit. Et ita docet Abb. in c. ſuper literis n. 10. caſu 3. hoc tit. ibidem. Felin. n. 23. fall. 3. poſt Bartol. in l. ex ſententia, prope finem, ff. de teſtament. tutore, Baldum in l. Iudices n. 2. C. de fide inſtrument.

4 Circa idem verbum *per quandam interlocutoriam*, admonet Abb. hîc not. 6, quòd pronunciatio iudicem ſe eſſe, ſit ſententia interlocutoria; habens tamen vim definitiuæ, ita vt etiam ciuili iure ab ea appellari poſsit, ſecundùm Gl. in Auth. Habita, in fine, C. Ne filius pro patre &c. Vide Andr. Gaill lib. 1. obſeru. 130. n. 9.

5 NOTANDVM IV. Dictum aduerſarij, quòd aliquis impugnat ſecundùm vnum effectum, admittere poteſt, imò etiam retorquere contra aduerſarium ſecundùm alium effectum. Exemplum affert Bartol. in l. non vtique, ff. de except. Si Titius debitor pupilli, conuentus à tutore, excipiat ſe debitū ſoluiſſe pupillo; hoc in caſu tutor exceptionem iſtam admittere poterit, quatenus Titius per eā virtualiter fatetur, debitorem ſe fuiſſe: non enim ſoluiſſet, niſi debuiſſet. Non autem admittet exceptionem eo fine, vt iterum ſoluere non teneatur, ſi ſolutio abſque tutoris auctoritate facta fuit pupillo. Simili ratione in hoc c. Confeſsionem Ioannis recipere noluit Capitulum ad effectum irritationis priorum literarum: Poſtea tamen eādem reuocationis confeſsione nixi ſunt Capitulares ad effectū irritationis literarum poſteriorum. Idque notauit Gl. hîc ver. *non valere dicebant*, Abb. n. 5. dicens, quòd *aliquis fundare ſe poteſt ſuper eo, quod impugnat, ſi ad alium effectum impugnet, & ad alium ſe fundet.* Videri etiam poteſt Abb. in c. bonæ 2. n. 29. de Prælat. Felin. in c. Capitulum n. 13. ad finem hoc tit.

NOTANDVM V. Acta à procuratore valida ſunt, ſi reuocatio ad notitiam procuratoris non peruenit. Ita hîc ver. *ſi reuocatio*, iun. Gloſ. ibidem. Imò ſi procurator ad lites cōſtitutus ſit, atq; interſit aduerſarij, & Iudicis, reuocationē cognitam eſſe, neceſſe etiam eſt, ipſis eam intimari, alioquin valebunt acta cum procuratore reuocato, prout ex hoc etiā c. colligi poteſt, & paulò pòſt declarabo.

QVÆSTIO enim hoc loco vniuerſim tra- 6
ctari poteſt; Vtrùm reuocatio Procuratoris valeat, tametſi non venerit in notitiam ipſius procuratoris, Iudicis, aduerſarij, aut alterius partis contrahentis. Reſpondeo, & Dico I. Si procurator ad negotia conſtitutus ſit, eius reuocatio antè vim non habet, quàm ad ipſum peruenerit: quæ autem poſtea ab eo acta ſunt, irrita cenſeri debent. Ita habetur in l. ſi mandaſſes 15. ff. mandati. Idémque locum habet in reuocatione tacita, quæ fit per mortem mandātis, l. inter cauſas 26. princ. ff. eod. & tradit Gl. communiter recepta in Clem. vn. ver. ignorantem, de renunc. Doctores alij apud Sanchez lib. 2. de matrim. diſp. 11. n. 6. Ratio prioris partis affertur in cit. l. ſi mandaſſem, *ne damno afficiatur is, qui mandatum ſuſcepit.* Intereſt enim plerumque procuratoris, mandati reuocationem ſcire: quandoquidem ipſe contrahendo cum altero obli-

gationem contrahit, l. 1. C. de sent. & interloc. Posterior verò pars, quòd videlicet sufficiat procuratori intimari reuocationem, etiamsi pars contrahens cum eo, ignoret, inde probatur, quia aliorum contrahentium plerumque non interest reuocationem scire; cùm saltem procuratorem sibi obligatum habeant, iuxta cit. l. 1.

7 Sed excipitur primò contractus matrimonij, quod validum non est, si celebretur à procuratore ignorante reuocationem mandati sui, quod habuit cum certa persona nomine mandantis contrahendi, c. vlt. §. sanè, de procurat. in 6. Ratio est, quia cùm consensus contrahentium principalium ad essentiam matrimonij requiratur, ideo ius eum supplere non potest, sicuti in aliis contractibus supplet, prout bene explicat Suarez citato loco.

Excipitur secundò cum Felin. hîc n. 11. Quod acceptatio beneficij ecclesiastici facta à procuratore non valet, post reuocationem mandati, etsi ad procuratorem non peruenerit. Rationem dat Felin. quia inter beneficiarium & ecclesiam quasi spirituale matrimonium quoddam contrahitur, ad cuius valorem consensus acceptantis formalis & actualis requiritur. Sed alia ratio dari potest ex l. si pater 4. ff. de manumissis vindicta, vbi Bartol. & Dynus generalem regulam tradunt, quòd reuocatio mandati valet, etsi non perueniat ad notitiam mandatarij, si exinde non lædatur, siue eius non interfit, sicuti accidit in casu beneficij pro altero acceptati.

Obstare autem videtur Clem. vn. de Renunc. vbi habetur, renunciationem beneficij factam à procuratore post reuocationē eius, validam esse, etsi reuocatio neque ad procuratoris, neque ad eius, in cuius manibus renunciatio fieri debet, notitiā peruenerit. Sed persistendo in tradita doctrina, respondetur, id specialiter ibi constitutum esse in casu renunciati beneficij, ad puniendam inconstantiam, quæ ecclesiasticas personas, præsertim in hoc rerum genere, non parùm dedecet, vti ex princ. eiusdem Clem. satis colligitur. Videri possunt Dominicus, & Ancharanus & alij in cit. c. vlt. de procurat. in 6.

Tertiò excipi, seu potiùs declarari assertio debet; Si non sit procurator, cui potestas siue generalis, siue specialis ad negotia peragenda data sit; sed simplex mandatarius, siue merus internuncius; & instrumentum mittentis: Huius executio non valet post mandati reuocationem, etsi reuocatio ad notitiam ipsius non peruenerit, vti hîc notauit Felin. num. 18. Petr. Ancharan. in cit. cap vlt. Molina tom. 2. tract. 2. de iustit. disp. 263. num. 4. Sanchez cit. disp. 11. num. 7. Exempli causa, si miseris nuncium, vel famulum cum simplici mandato donandi sceptrum aureum Sempronio, non valebit traditio donatioque facta, postquam mutata voluntate, reuocasti mandatum: Si tamen nuncius, siue simplex iste mandatarius, vel qui cum eo bona fide contraxit, damnum inde passi sint, iis resarcire debes; quippe cùm causa eius fueris.

His adde, quòd etiam per tacitam reuo- 8
cationem, quæ fit morte mandantis, reuocatur mandatum v. g. donandi aliquid alteri, vt postea efficaciter impleri non possit, l. 2. iun. Gl. ver. dominij, ff de donat. & docui lib. 3. Theol. moral. tr. 4. c. 1. n. 4. & 5.

Dico II. Si Procurator constitutus sit 9
ad contrahendum, vel quasi contrahendum cum certa persona, in cuius præiudicium ac damnum reuocatio procuratoris cedere potest, hoc in casu, ordinariè loquendo, necesse est, reuocationem etiam personæ illi innotescere: alioquin rata erunt, quæ à procuratore, quamuis sciente reuocationem, adeóque malâ fide acta fuerunt. Ita docet Abbas hîc num. 10. Felin. num. 22. Angelus in tit. Instit. de mandato, §. rectè, n. 7. Nota autem, quod dixi de procuratore constituto ad contrahendum, v. g. emendum, mutuò accipiendum à certa persona, aut quasi contrahendum, videl. in iudicio, iuxta l. 3. §. Idem scribit, ff. de peculio: Si e- 10
nim misisti procuratorem ad lites; isque litem cum aduersario tuo contestatus est, quod is postea egerit, ratum habere debes, tametsi mandatum reuocâras, si reuocatio ad Iudicem, vel aduersarium non peruenit, vti colligitur ex hoc c. & habetur expres-

sius

fiùs in c. mandato 13. de Procurator. & docet Abb. in cit. n. 10. Felin. cit. n. 24. Bartolus in l. vn. n. 7. C. de fatisdando.

11 His addendum est; Si quis in certo loco generalem procuratorem ad negotia, seu potiùs institorem constituerit v. g. ad merces vendendas, necesse esse, vt eius reuocatio palàm in eo loco significetur, prout docuit Bartol. in cit. l. vn. n. 9. Ioann. Andr. hîc n. 17. Felin. n. 7. Abb. in c. 3. n. 5. de procurat. & sumitur ex l. sed si pupillus 9 §. de quo, ff. de institoria actione. Institor autem est, qui tabernæ, vel cuilibet alteri negotiationi præpositus est; ita dictus, quòd negotio gerendo instet, l. institor 3. ff. eod.

Ex dictis denique clarè intelligi potest; Cur reuocatio procuratoris in casu huius c. facta à Ioanne sine Capituli & Papæ notitia, sufficiens non fuerit ad infirmandas literas priores; quippe cùm eæ post litis contestationem à Sede Apostolica, cum vtriusque partis consensu impetratæ fuerint; ideóq; reuocatio præiudicialis esse potuit, tam Capitulo litiganti, quàm ipsi Pontifici, coram quo lis introducta fuit. At verò eadem procuratoris reuocatio, si, vt ponitur, ad ipsius notitiam delata est, non item ad notitiam Capituli & Pontificis, sufficiens fuit ad infirmandas literas posteriores; quippe quæ extraiudiciales erant, atque in commodum solius impetrantis datæ. Vide Gl. in casu. Abb. hîc n. 10.

CAPITVLVM XXXIV.

Significante.

Paraphrasis.

Raphaël literas Apostolicas ad iudices quosdam impetrauit contra Vitum super controuersiâ de Bannis, & quibusdam alijs similibus. In literis autem scriptum erat de Vito diœcesis Remensis. Vitus à iudicibus citatus opposuit se vigore eius rescripti conueniri non posse, quia non de Remensi, sed Leodiensi diœcesi sit. Cùm autem iudices exceptionem hanc admittere nolentes nihilominus procederent, ab ijs appellauit ad Sedem Romanam. Quare Gregorius IX. scripsit ad Decanum & Canonicum quendam ecclesiæ Leodiensis, vt, si rem ita se habere cognouerint, irrita esse declarent, quæ à prioribus iudicibus acta fuerunt.

Svmmarivm.

1. *Rescriptum impetratum contra hominem, qui in eo dicitur esse certæ diœcesis, qui tamen est alterius, obreptitium habetur.*
2. *Error in nomine, siue aliis signis, aut qualitatibus rei demonstrandæ causâ adiectis, nihil obest dispositioni, si res ipsa nota sit: secùs est, si error in his fiat per modum determinationis, siue taxationis.*
3. *Mandata de beneficio prouidendo non debent ad casus alios, quàm expressos extendi.*

Notandvm Vn. Qui coram Iudice per literas Papæ delegato in aliqua diœcesi conuenitur, in quibus dicitur, conuentum esse eiusdem diœcesis, cùm tamen ex alia sit diœcesi, contra literas, tanquam obreptitias excipere potest. Hic est verus sensus, ac veluti mens c. huius, prout significat Gl. hîc ver. Non de Remensi, & bene declarauit Sanchez lib. 8. de matr. disp. 21. n. 39. Eandémque doctrinam tradidit Baldus in l. prescriptione 15. C. Si contra ius &c. Si quispiam in supplicatione narrans pecuniam se mutuâsse Titio, ciuitatis Perusinæ, cùm tamen is iurisdictioni illi subditus non sit, impetrat contra eum rescriptum iustitiæ ad Iudicem Perusinum; reus citatus excipere & rejicere potest rescriptum. Quia error iste causa finalis fuit, cur ad hunc iudicem rescriptū fuerit directum, eò quòd, sicuti Baldus ibid. ait & Innoc. in c. dilecti n. 3. de foro comp. Vbi quis sortitur forum Ordinarij, sortitur etiam forum eius, cui Ordinarius subordinatus est, videl. Papæ, qui est Ordinarius Ordinariorum.

Aliter verò formant casum, atque decisionem

sionem huius c. Innoc. Ioann. Andr. Anton. Imola, Abb. Felin. in princ. siue num. 1. quòd *rescriptum impetratum contra hominem vnius diœcesis, non extenditur ad hominem eiusdem nominis alterius diœcesis.* Id verò diuersimodè explicant: Vel vt error acciderit circa personam, quia is, contra quem in alia diœcesi existentem rescriptum impetratum erat, alius homo fuit, quamuis eiusdem nominis. Et secundùm hunc sensum, quem sequitur Abb. antiquus hîc, doctrina quidem vera est, sed non congruit verbis c. huius. Vel vt error duntaxat acciderit circa qualitatem personæ, quasi ea esset huius diœcesis, cùm tamen alterius esset; interim verò constaret de corpore. Et hic casus magis conuenit c. nostro: quandoquidem Vitus conuentus non negauit se eum esse, contra quem rescriptum impetratum est; oppositi verò se non ex diœcesi Remensi esse, sicuti in literis continebatur, sed ex Leodiensi. Qui tamen error cùm consistat in qualitate accidentariæ demonstrationis, disputant DD. citati, num is vitiare debuerit rescriptum.

2 Pro intellectu huius rei annotanda est doctrina communiter recepta, quam hîc tradit Abb. n. 4. & in c. super literis n. 6. Felin. ibid. n. 3. limit. 4. Rota Roman. decis. 4. aliàs 582. de rescript. in antiquis. Sanchez cit. disp. 21. n. 35. & seqq. Error qualitatis adiectæ per modum demonstrationis, si de rei corpore constet, rescriptum, aliàmue dispositionem non vitiat, si etiam sine tali errore, dispositio aut concessio ita facta fuisset. At verò error qualitatis adiectæ per modũ determinationis, siue taxationis, vitiat rescriptum siue dispositionem; esto, error non fuerit eius causa; quia etiam eo remoto dispositio aut rescriptum ita prodijsset. Prior pars huius doctrinæ habetur in l. demonstratio 17. ff. de condit. & demonstration. *Si ita seruus legatus sit, Stichum cocum, Stichum Sutorem Titio lego, licèt neque cocus, neque sutor sit, ad legatarium pertinebit, si de eo sensisse testatorem conuenit.* In l. si quis fundi 4. ff. de legatis 1. *Si quis in fundi vocabulo errauerit, & Cornelianum pro Semproniano nominauerit, debebitur Sempronianus.* Et Instit. de legatis; *Si quis in nomine, cognomine, prænomine, agnomine legatarij errauerit, si de persona constat, nihilominus valet legatum. Nomina enim significãdorum hominum causa reperta sunt, qui si alio quolibet modo intelligantur, nihil interest.* Quæ ratio generaliter probat traditam doctrinam; errorem siue in nomine, siue alijs signis aut qualitatibus rei demonstrandæ causa adiectis, nihil obesse dispositioni, si res ipsa nota sit, prout etiam habetur in cit. l. demonstratio, *Nam etsi in persona legatarij designanda aliquid erratum fuerit, constet autem cui legare voluerit, perinde valet legatum, ac si nullus error interuenisset.*

Idémque euenire potest in gratijs, ac dispensationibus: Si v. g. dispensatio petita sit pro Iacobo Fabro; at verò in rescripto, per errorem, nominetur Iacobus Molitor; vel scribatur pro Iacobo Fabro, & dicatur esse Doctor Decretalium, cùm sit Doctor Legũ.

Sed dubium est, quod mouet Sanchez cit. disp. 21. n. 38. Si ponamus, Iacobum Fabrum esse hominem notum Pontifici, quem per errorem imaginatur sibi esse supplicantem, & ideo eius nomen rescripto siue gratiæ dispensationis inseritur, quæ tamen, vt pono, nihilominus emanasset erga Iacobum Molitorem, nisi error interuenisset; num rescriptum gratiæ prodesse possit supplicanti Iacobo Molitori? Affirmat Sanchez cit. disp. 21. n. 38. Quia in hoc casu error potiùs speculatiuus, quàm practicus interuenit, quando Papa, propter merita causæ sibi propositæ, absolutè vult dispensationis gratiam conferre homini supplicanti, vel pro quo ipsi supplicatur; licèt quoad applicationem erret, existimans esse alium hominem, quàm reuerà sit, iuxta ea quæ de intentione Ministri in sacramentis docui moral. Theol. lib. 5. tract. 1. cap. 4. n. 6. Respondeo autem, licèt hæc doctrina valde probabilis sit, si loquamur de concessione gratiæ secundùm se, quatenus ad substantiam eius, saltem in conscientiæ foro, scriptura non requiritur; sed sufficit Principis voluntatem declaratam &

cogni-

cognitam esse; cuiusmodi voluntas hîc deesse non videtur; Attamen ipsum rescriptũ dispensationis in voto, v.g. aut impedimento matrimonij; multóque magis beneficiale, aut ad lites, (quippe magis odiosum) irritum erit, nec executioni mandandum. Nam error circa personam, tanquam substantialis, vitiat rescriptum, vti omnes fatentur: In hoc autem rescripto continetur error circa personam, & quidem non accidentaliter seu quoad nomen tantùm; (quia positus est *Iacobus Molitor* per errorem pro *Iacobum Faber*;) sed per se, & ex intentione concedentis; quia is putabat, pro hoc homine petitum esse, & ideo pro eo rescriptum fuit.

Nunc probatur altera pars suprà traditæ doctrinæ, & quidem ex iam tradito fundamento; Quòd error rescriptum, aut dispositionem quamlibet vitiat, si sit circa substantiam rei, quæ conceditur, aut personam cui conceditur; & vno verbo circa substantiale obiectum eius, prout docui lib. 3. moral. Theol. tr. 4. cap. 5. n. 1. At verò error qualitatis rescripto adiectæ per modum determinationis, seu taxationis redundat in personam, aut substantiam rei, quæ per qualitatem determinatur, vti docui lib. 5. moral. Theol. tract. 10. p. 4. cap. 2. assert. 2. limit. 2. Exemplum huius rei in rescripto iustitiæ attuli suprà in c. super literis not. 2. declarat. 4. hoc tit. In legatis exempla sunt: Si ita legauerit testator: *Pecuniam, quæ in designata arca est, Titio dari volo*, irritum est legatum, si in arca pecunia nulla sit. Sin verò ita; *Pecunia, quæ in arca est, atque olim mihi à Caio donata, Titio detur*; valet legatũ, si pecunia in arca sit, licèt testatori à Caio non donata, eò quòd satis constet de corpore pecuniæ; vt proinde per falsæ qualitatis demonstrationem vitiari non debeat legatum, iuxta suprà cit. l. demonstratio, & l. quidam testamento, 99. iun. Gl. margin. noua, ff. de legatis 1. & Instit. de legato, §. Huic proxima. Eadémque ratione, si error accidat circa personam, cui legatur; *Habeo nunc seruum in villa, eum manumitti iubeo*; irrita est dispositio testatoris, si seruos quidem habeat, sed nullum in villa; Sin autem dicat, *seruum meum Pamphilum, quem nunc in villa alo, manumitti iubeo*, valida est dispositio, cùm de persona constet. Semper tamen excipiendum, nisi de contraria testatoris voluntate liquidò appareat.

In rescriptis ad beneficia elegans casus, siue exemplum doctrinæ eius, habetur in c. susceptum 6. hoc tit. Si Papa pro duobus clericis beneficium quoddam vacans postulantibus scripserit, quorum prior proposuerat, vacare illud per obitum; posterior verò scripsit vacare per cessionem beneficiarij; hoc in casu beneficium ei conferri debet, qui posterius impetrauit, si non per mortem, sed per cessionem seu resignationem vacet. Eodémque in c. generalis regula traditur; Si Papa mandet Titio beneficium conferri, quod per renunciationem Caij vacabit; non posse illud Titio conferri, si Caius priùs moriatur, quàm beneficium renunciet; adeóque illud per obitum vacare contingat. Rationem ibi assignabimus ex verbis eius c. Quia beneficium per obitum vacans est veluti species distincta à beneficio vacante per renunciationem; Siue, vt aliter dicam, qualitas hæc vacationis per renunciationem est determinativa seu specificativa beneficij; consequenter si qualitas in beneficio desit, siue in ea erratum sit, vitiabitur commissio siue rescriptum.

Cæterùm, si constet de subiecto, ac veluti corpore alicuius beneficij vacantis v. g. per renunciationem Caij; adijciatur verò falsa demonstratio, vt quòd sit patronatus laici, cùm sit ecclesiastici, vel liberæ omnino collationis, eiusmodi error non vitiat rescriptum, si etiam eo sublato, rescriptum eodem modo emanasset; neque Curiæ Rom. stylus expressionem eiusce qualitatis postulet.

Simili ratione in c. cùm de non 27. de præb. in 6. habetur; Si Papa mandet alicui conferri præbendam sacerdotalem, non posse ei conferri præbendam non sacerdotalem, seu diaconalem: Item, si mandet alicui conferri præbendam integram, non posse conferri dimidiam; tametsi impetrans, siue is pro quo scribitur, dimidiâ contentus esse velit: denique si

Papa

Papa mandet alicui conferri præbendam certi valoris, aliam minoris valoris, etiam volente impetrante conferri non posse: Adverte autem ad verba eiusdem c. *In ecclesia, in qua integræ & dimidiæ præbendæ habentur.* Ex his enim apparet superiùs tradita doctrina, si subiectum secundùm se indeterminatum & ad diuersas veluti species indifferens, determinetur ad rem siue speciem certam, esse qualitatem taxationis: Secùs autem esset, si omnes præbendæ in aliqua ecclesia dimidiæ aut minoris valoris essent, & Pontifex pro Titio scriberet, vt vacans, aut proximè vacatura præbēda, quæ integra, aut maioris valoris sit, conferretur. Hoc in casu conferri debebit præbenda dimidia: quia qualitas, in qua errauit Pontifex, non taxationis, sed demonstrationis tantùm est.

3 Adijcitur verò ibid. veluti confirmationis causa; quòd *huiusmodi mandata de prouidendo beneficio non debent ad casus alios, quàm expressos, extendi:* Quia fines mandati diligenter sunt custodiendi, l. diligenter 5. ff. mandati; Neq; interpretatione benignâ, siue per epikeian extendi potest; eâ ratione, quòd Principalis etiam alterum mandaturus fuisset, si in mentem ei veniisset &c. Cùm enim aliud, & non istud mandârit, sequendus est tenor & forma mandati, vti docet Innoc. in c. super literis n. 3. hoc tit. Et ideo generalem regulam tradit idem Innoc. hîc, Syl. ver. rescriptum q. 1. in fine, Philip. Decius in reg. 110. ff. n. 13. quòd rescripta ad beneficium de casu aut persona expressa ad casum aut personam non expressam extendi haud possint.

Ex dictis intelligi potest Rotæ Roman. decis. 4. de rescript. quam suprà allegaui, Abb. hîc n. 6. & in c. super literis n. 6. eod. tit. Felin. hîc n. vlt. Si Papa iusserit conferri alicui beneficium sacristiæ, & appellauerit dignitatem, cùm esset duntaxat officium, non corruere rescriptum: quia error est in qualitate demonstrationis, non taxationis, seu determinationis: sed neque causa est concessionis gratiæ; quia si Papa sciuisset, non esse dignitatem, nihilominus cōcessisset: etenim qui dignū maiore reputauit, etiā minore donasset. Quæ vera doctrina est; dumodò ponamus, constare de certo beneficij corpore, quod conferendum sit, & per errorem appellari dignitatem, sicuti ibidem Rota supponit. Secùs verò dicendum foret, si Papa mandet, conferri alicui dignitatem in ecclesia, ita vt ea qualitas sit determinans beneficij conferendi: Aut si mandetur alicui conferri beneficium curatum, ita vt cura sit qualitas determinans beneficij: non poterit vi huius rescripti conferri officium, aut beneficium simplex, prout ex suprà dictis constat.

His explicatis, restat, vt ad quæst. respondeam, in qua interpretes hîc laborant. Cùm enim in casu huius c. persona, contra quam rescriptum impetratum erat, nota esset, error accidentarius circa diœcesin non debebat obesse rescripto. Respondent Abb. hîc n. 4. Henric. Boich n. 3. & alij, non posse opponi contra eiusmodi rescriptum, propter expressionem alterius diœcesis; sed propter distantiam itineris, si ponamus, Iudicem, ad quem reus tractus fuit, vltra duas dietas, & iure nouo vltra vnam distare.

Veruntamen retentâ explicatione huius c. quam in not. vn. proposui, aliter dicendum; In hoc ipso casu, si quis Iudicem vltra duas, aut iure nouo, vltra vnam dietam à diœcesi sua impetrârit, obreptitiè, seu falsò asserens se ex alia diœcesi esse; errorem hunc esse intrinsecum rescripto siue delegationi ad hunc Iudicem directæ; & causam principalem siue finalem eius; quia si Papa veritatem cognouisset, huic Iudici nequaquam delegâsset: aut saltem non tali modo, ac formâ, sed cum clausula derogatoria dictarum &c. Ideóque contra rescriptum istud tanquam obreptitium, ratione falsò nominatæ diœcesis, rectè excipitur, prout in hoc c. manifestè indicatur.

CAPITVLVM XXXV.

Rodulphus.

PARAPHRASIS.

Remigius literas impetrauit contra Episcopum

pum Sagiensem, & quosdam alios Sagien. diœcesis, super controuersiis de reditibus & aliis rebus. Iudices delegati vigore huius rescripti citarunt Valentinum Rectorem ecclesiæ S. Christophori in ciuitate Sagiensi, quocum controuersia Remigio erat, fortasse de iure decimarum. Sed Valentinus excipiendo proposuit, quod vi huius rescripti Apostolici conueniri non possit, cùm ipse de ciuitate sit Sagiensi: clausula autem illa, *Et quosdam alios de diœcesi Sagiensi*, non comprehendat existentes in ciuitate, sed extra ciuitatem. Cùm autem iudices exceptionem hanc admittere nollent, Valentinus ad Papam Gregorium XI. appellauit, qui postea rescripsit, exceptionem iustam fuisse, ideóque irrita esse declaranda, quæ à iudicibus illis contra Valentinum acta vel decreta fuerunt.

Summarium.

1. *Per rescriptum impetratum contra homines diœcesis, non intelliguntur, nec conueniri possunt homines ciuitatis, quæ est caput diœcesis.*
2. *In materia odiosa vocabulum accipi debet strictè, modo fraus aut elusio statuti, vel dispositionis sequi non possit; in materia fauorabili, amplè. & hoc etiam in materia indifferente, si ampla acceptio magis vocabulo propria, & vsitata est.*
3. *In materia odiosa nomine ciuitatis ea tantùm comprehenduntur, quæ murorum ambitu continentur; in fauorabili, adiacentia suburbia, & pagi ad ciuitatem pertinentes.*
4. *In fauorabilibus nomine territorij, diœcesis, aut diœcesanorum, intelliguntur etiam loca & personæ intra territorium, aut diœcesin exemptæ.*
5. *Prorogatio iurisdictionis delegatæ partium consensu fieri non potest de persona ad personam, potest tamen de re ad rem.*

1 NOTANDVM Vn. Per rescriptum impetratum contra homines diœcesis, non possunt conueniri homines ciuitatis, quæ est caput diœcesis. Ita omnes hîc.

Pro intellectu autem, ac defensione huius c. aduertendum est; Non rarò accidere, vt vocabulum vnâ, & non inusitatâ, vel etiam propria significatione, accipiatur latè; aliâ verò, etiam inconsueta significatione, capiatur strictè, specificè, aut partialiter. Tum verò si non appareat, quænam fuerit mens statuentis aut disponentis, adeóque in dubio, vtra earum acceptionum præferenda sit, hæc regula tradi debet: Quòd in materia odiosa, vocabulum 2
accipi debet, secundùm strictam significationem; dummodò fraus, aut elusio statuti, vel dispositionis sequi non possit. At verò in materia fauorabili, vocabulum accipi debet secundùm amplam eius significationem. Imò etiam in materia indifferente, si ampla ea acceptio magis vocabulo propria, magisue vsitata sit. Ita docent hîc Imola, Abb. Felin. & alij.

Nunc afferemus exemplum doctrinæ: Primum est in c. si sententia 26. de sent. excomm. in 6. vbi habetur, quòd interdicto populo, si aliud expressum non sit, non censetur interdictus clerus. Ratio est: Quia populus sæpe ita accipitur, vt à clero distinguatur: quare cùm materia interdicti pœnalis, ideóque odiosa sit, vocabulum *populus* in dubio, iuxta strictiorem hanc significationem accipi debet. At verò in materia fauorabili, vt si priuilegium seu gratia aliqua concedatur populo Augustano, etiam Clerici ac Religiosi incolæ comprehenduntur, argum. §. Plebs autem, Instit. de iure natur. gent. & ciuili, vbi dicitur, quòd appellatione populi vniuersi ciues significantur, connumeratis etiam patritiis & senatoribus. Videri potest Syl. ver. clericus 1. q. 2. Angel. eod. ver. 1. n. 2. & quæ hîc Felin. congessit n. 18. Simili ratione docui in Theol. moral. lib. 1. tract. 5. p. 4. c. 4. n. 3. Quòd in materia odiosa nomine clericorum non venit Episcopus, neque Religiosi: At verò in materia fauorabili comprehenduntur; cùm verè clerici sint.

Alterum. Nomine ciuitatis in materia o- 3
diosa, ea tantùm continentur, quæ murorum ambitu inclusa sunt; non item adiacentia sub-

urbia, & pagi ad ciuitatem pertinentes, vti colligitur ex c. si ciuitas 17. de sent. excomm. in 6. & docet Abb. hîc n. 4. Felin. n. 1. Excipi tamen debet, vt suprà, I. Nisi aliud appareat ex verbis dispositionis. II. Nisi fraus aut illusio statuti, aut dispositionis sequi possit: tunc enim, vti ait Pontifex in cit. c. si ciuitas, expedit etiam in odiosa materia, ampliorem interpretationem fieri; videl. si ciuitas interdicta sit, vt etiam adiacentia suburbia comprehensa intelligantur, quia alioquin clerici celebrandi causa passim ad suburbia se conferrent.

At verò in materiâ fauorabili nomine ciuitatis, aut vrbis veniunt etiam loca adiacentia, vt colligitur ex l. 1. ff. de offic. Præfecti vrbis, & l. ædificia 139. ff. de verb. signif. Veruntamen interdum ex circumstantiis appareat, quòd v. g. testator ciuitatem expresserit, vt à locis adiacentibus distingueret: e. c. *Lego Sempronio frumentum omne, quod in ciuitate habeo.* non videtur tunc legasse frumentum, quod extra ciuitatem est in horreis; præterquam, si inibi ad tempus tantùm fuisset, vt postea ad ciuitatem transferretur. At verò si testator frumentum leget, quod Romæ habet, videri potest intellexisse etiam de frumento, quod in suburbij horreis asseruatur, prout Baldus hîc docet n. 8. Felin. n. 3.

Huc etiam spectat, quòd natus in vico, vel castro vicino ciuitati, pertinente ad eius iurisdictionem, è ciuitate oriundus dicatur, l. Qui ex vico 30. ff. Ad Municipalem, l. Qui in continentibus 147. ff. de verb. signif. & notauit Bartol. in l. 1. n. 2. ff. Ad Municipalem.

4 Tertium. In fauorabilibus nomine territorij, diœcesis, aut diœcesanorum comprehenduntur etiam loca & personæ intra territorium aut diœcesin exemptæ, non item in odiosis, vel onerosis, prout ex Paulo Castrensi consil. 132. refert & commendat Felin. hîc cit. n. 18.

Quartum exemplum habemus in c. isto. Nam licèt nomen diœcesis frequenter, & quidem non impropriè ita accipiatur, vt etiam ciuitatem comprehendat, in qua ecclesia Cathedralis est, vti colligitur ex c. 1. de off. Ordinarij, & c. vn. iun. Gl. ver. diœcesi, de rerum permut. in 6. Interdum tamè strictiùs accipitur, pro reliquo territorio ad spiritualem Episcopi iurisdictionem pertinête, præter ciuitatem sedis & ecclesiæ Cathedralis, vti colligitur ex c. quamuis 4. de præbend. in 6. Quamobrem hæc acceptio diœcesis in rescriptis ad lites, quippe quæ odiosa sunt, ideóque strictæ interpretationis esse debent, c. nonnulli 28. §. sunt & alij, hoc tit. præferenda est; nisi ex adiunctis aliud colligi debeat.

Nihilominus decisionem huius c. Petr. Greg. Tholos. hîc & alij apud Abb. n. 3. tanquam minùs iuridicam impugnât. Eò quòd ciuitas, in qua est ecclesia cathedralis, sit caput diœcesis: ideo comprehendi debeat in diœcesi. Respondeo; Si dicere velint, ciuitatem cathedralem reipsa contineri in diœcesi, sicuti caput in corpore, nemo id negat: Sin autem velint, nomen diœcesis nunquam vsurpari pro reliquis eius partibus, præter ciuitatem cathedralem seu episcopalem, negari debet, Cùm inusitatum non sit, vnam speciem aut partem præcipuam ita vsurpari, vt in communi nomine siue appellatione non veniat, prout videre est apud Canonistas super rubr. tit. de cognat. legali. Atque ita etiam caput non infrequenter accipi solet, vt à corpore reliquo distinguatur. Nónne etiam Episcopus est præcipuus clericorum; & tamen nomine cleri, aut clericorum in materia odiosa comprehendi non solet? Item Cathedralis ecclesia est caput ecclesiarum reliquarum diœcesis; & tamen expresè respondit Bonifac. VIII. in suprà cit. c. quamuis; Si Papa mandet alicui beneficium prouideri in aliqua ecclesia ciuitatis aut diœcesis, mandatum istud ad ecclesiam cathedralem extendi non posse: Quia propter specialem eius honorem, sub ea verborum generalitate, in materia strictæ interpretationis, non censetur inclusa. Ex quo simili ratione inferunt Ioan. Andr. & Abb. hîc n. 5. cum Gl. in c. accepimus 13. ver. in maiori ecclesia, de æt. & qualit. Si Papa mandauerit alicui beneficium conferri in diœcesi, non posse ipsi conferri in ciuitate episcopali: quia in materia stricta, qualis hæc

est cir-

eſt circa beneficialia reſcripta, nomine diœceſis non venit ciuitas epiſcopalis, ſeu cathedralis.

QVÆSTIO hîc moueri ſolet circa Gloſ. fin. huius c. Si Papa ſecundùm formam huius c. Iudices deleget, ad cognoſcendam cauſam, quæ eſt contra Epiſcopum & quoſdam de diœceſi; atque aliquis ex ciuitate cathedrali, vi huius reſcripti conueniatur, qui nihil excipiens in iudices conſentiat, vtrùm proceſſus valeat. Gloſſa hîc rectè negat. Nam priuatorum conſenſu dari non poteſt iuriſdictio ei, qui nullam habet, l. 3. C. de iuriſdict. omn. Iudicum: Atqui delegatus Iudex non habet iuriſdictionem, niſi ſecundùm dependentiam à voluntate delegantis, ſeu mandantis. Cùm itaque ſuper perſonis in ciuitate non ſit ei iuriſdictio mandata, non poteſt eam partium conſenſu acquirere, prout expreſsè deciſum eſt in c. P. & G. 40. de off. deleg.

Exiſtimant tamen Ioan. Andr. hîc n. 13. Abb. n. 10. Imola in fine c. non improbabiliter, contra Gl. final. hîc; Si in iudice delegato erga perſonam adſit fundamentum iuriſdictionis, poſſe reſcripti extenſionem fieri ad res ſub eo non comprehenſas, ſi partes expreſsè vel tacitè conſentiant: e. c. Si Eccleſiæ Præpoſitus contra Decanum impetret reſcriptum ad Iudices ſuper pannis & quibuſdam aliis rebus; poſſe Iudices delegatos maiorem etiam cauſam, quàm ſit ea de pannis, proponente Præpoſito, cognoſcere, ſi Decanus non excipiat, ex c. ſedes 15. hoc tit.

5 Ideòque aiunt, licèt prorogatio iuriſdictionis delegatæ, partium conſenſu fieri non poſſit de perſona ad perſonam; fieri tamen poſſe de re ad rem.

CAPITVLVM XXXVI.

Significauit.

PARAPHRASIS.

Gaſpar & Bonifacius literas à Pontifice impetrarunt aduerſus Epiſcopum Tullenſem, & quoſdam alios clericos: vigore harum literarum iudices citarunt Comitiſſam Namutenſem, eò quòd frater eius, cui in Comitatu ſucceſſerat, pecunias mutuas acceperat à Gaſpare & Bonifacio. Sed Comitiſſæ procurator exceptionem oppoſuit, cùm frater illius tempore impetratarum literarum in viuis fuerit, & in iudicium non vocatus, ipſam conueniri amplius non poſſe vigore eius reſcripti. Sed Iudices hanc exceptionem admittere noluerunt: quare ipſa appellauit ad Sedem Apoſtolicam. Vnde Reſp. Gregor. IX. Abbati S. Iacobi, vt ſi res ita ſe habeat, acta omnia contra Comitiſſam irrita eſſe pronunciet.

SVMMARIVM.

1. *Si per clauſulam reſcripti conueniendus moriatur ante litem conteſtatam, hæres eius conueniri non poteſt.*
2. *Prælatus ſucceſſor per eiuſmodi clauſulam conueniri poteſt, etſi reſcriptum impetratum ſit viuente Anteceſſore.*

NOTANDVM Vn. Si vi reſcripti, ſeu factæ delegationis per clauſulam generalem, *& quoſdam alios*, conueniendus, ante cœptam litem moriatur, hæres eius conueniri non poteſt. Ita Gl. & alij communiter hîc. 1

Ratio huius deciſionis eſt iſta: Hæres adeundo hæreditatem non ſuſcipit obligationes paſtorales, quas defunctus ante mortem contraxit. Atqui frater huius Comitiſſæ ante mortem ex Papali reſcripto obligationem nullam ſuſcepit: Ergo Comitiſſa, ratione hæreditatis aditæ, ſiue vt hæres, loco fratris defuncti conueniri non poterat vigore eius reſcripti. Maior eſt certa; Minor declaranda. Siquidem per clauſulam eam generalem, *& quoſdam alios*, optio datur impetranti, quoſnam conuenire velit: Itaque priuſquam voluntatem ſuam declarauerit, litem mouendo perſonæ particulari, vid. Comiti, nullam is ex reſcripto Pontificio obligationem contraxit, argum. c. paſtoralis 14. in fine, hoc tit.

Exinde colligitur primò, quòd aliter dicendum, ſi in Papali reſcripto nominatus fuiſſet Comes: tunc enim reſcriptum reſpectum habuiſſet ad eum particularem homi-

nem, in cuius demortui locum hæres succedit; cùm iuris fictione hæres eadem persona cum defuncto intelligatur, Authent. de iureiurando à moriente præstito, coll. 5. & cum Glos. communiter hîc docent interpretes.

Secundò, quòd aliter dicendum, si Comes ab aduersario vigore rescripti, ante mortem suam in iudicium vocatus sit: tunc lite cum eo cœpta per citationem, obligatio ex rescripto transiisset ad hæredem eius Comitissam, sicuti ex hoc ipso c. colligitur per sensum cõtrarium, & docet Gl. recepta ver. viueret.

Tertiò, quòd aliter dicendum, si debitum ex mutuo incubuisset Comiti non obligatione personali, sed ratione rei, siue quatenus erat possessor Comitatus: tunc enim Comitissa, ad quam Comitatus deuolutus, vigore eius rescripti cum clausula generali, conueniri posset, vti eadem Gl. annotauit, & constat ex c. dilecti 17. de foro comp. ex quo habetur, quòd Prælatus successor per eiusmodi generalem clausulam conueniri possit, tametsi rescriptum impetratum sit, dum antecessor viueret: quandoquidem Prælatus per se non conuenitur, sed ratione ecclesiæ aut dignitatis, quæ non extinguitur, sed ab vno Prælato ad alterum transit, argum. c. quoniam Abbas 14. de off. deleg. Atque ita docet Ioan. Andr. hîc n. 12. Abb. n. 4. Quare etiam vice versa, si Prælatus nomine ecclesiæ suæ literas à Papa impetrauit, eo mortuo, successor quoque illis vti poterit.

CAPITVLVM XXXVII.

Ex insinuatione.

Paraphrasis Et Svmma.

Literæ exemptoriæ valent, tametsi monitoriæ non præcesserint: præterquam si in exemptoriis mentio fiat de monitoriis: tunc enim obreptitiæ illæ erunt, *quippe per falsi oppressionem impetratæ.*

Vide quæ suprà dicta sunt in c. Capitulum S. Crucis 30. hoc tit.

CAPITVLVM XXXVIII.

Mandatum.

Paraphrasis Et Svmma.

Si duo ad eandem ecclesiam à Sede Apostolica mandatum adferant, de prouidendo ipsis canonicatu, & in posterioribus literis clausula contineatur, Si pro alio non scripsimus, gratiam hanc exequaris; *hoc casu non debet prouideri posteriori, si illi qui priùs impetrauit, prouisum fuerit: quia non est intentio Papæ, collatorem ordinarium grauare super receptione, seu institutione duorum, nisi id exprimatur.*

SEd quænam fuit ratio dubitandi, cùm in secundo mandato expressè posita fuerit conditio, *si pro alio non scripsimus, qui gratiam prosequatur?* Respondet bene Gl. Ideo dubitatum fuisse, quia conditio posita fuit de præsente: Nemo autem tum prosequebatur, seu beneficium petebat; sed prior, pro quo scriptum fuerat, beneficium iam obtinebat. Nihilominus decernit Greg. IX. Papa; posterius mandatum reijci posse; quia si vni impetranti prouisum sit beneficium, satisfactum est intentioni Papæ; cùm is nolit ecclesiam super receptione duorum grauare, prout etiam colligitur ex c. penult. eod. tit. in 6.

Notandvm I. Si Papa mandet alicui canonicatum in ecclesia prouideri, necesse non est de præbenda mentionem fieri. Quia præbenda debetur Canonico; adeóque est quid consequens ad canonicatum, iuxta c. Si clericus 11. & c. si postquam 14. de præb. in 6. Qui autem vult antecedens, vult etiam consequens; & qui mandat principale, mandare etiam censetur accessorium. Ita Abb. hîc n. 1. & in c. dilectus n. 6. de præb.

Notandvm II. Collator ordinarius per mandata Apostolicæ Sedis super beneficiorum prouisione, censetur grauari. Quia beneficij collatio, cùm sit gratia & donatio quædam, pertinet ad exercendam liberalitatem Prælati: præsertim erga eos, qui-

quibus bene obligatus eſt, vti notat hîc Abbas antiquus. Quamobrem beneficiorum collatio cenſetur veluti fructus eccleſiaſticæ dignitatis ac poteſtatis. Videri poſſunt, quæ ſcripſit Azor tom. 2. lib. 6. c. 32. & quæ docui in Theol. moral. lib. 4. tr. 2. cap. 10. & 11.

CAPITVLVM XXXIX.

Literis.

PARAPHRASIS.

Si Papa v.g. Gregor. IX. pro Guilielmo clerico ſcripſerit, vt in canonicum reciperetur, niſi eccleſia antè à ſe grauata fuiſſet ſimili mandato: hoc caſu Guilielmus inſtitui debet ad canonicatum vacaturum, non obſtante, quòd idem Papa ad eundem collatorem priùs literas executorias dederit pro alio clerico, qui ab anteceſſore Pontifice monitorias literas impetrârat. Neque enim obſtat, quòd Pontifex, niſi exprimat, eundem collatorem duobus mandatis grauare non ſoleat, quia hoc caſu Gregorius IX. poſterioris tantùm mandati auctor eſt; prius autem ab anteceſſore Honorio III. originem accepit: quod, vt executioni mandetur, ad ſucceſſoris officium pertinet curare.

SVMMARIVM.

1. *Si ſucceſſor exequatur opus cœptum ab Anteceſſore, tribuitur id magis Anteceſſori.*
2. *Gratiæ expectatiuæ, ſeu mandata de prouidendo, omnino per Concil. Tridentinum ſublata ſunt.*

1 NOTANDVM Vn. Si ſucceſſor exequatur opus cœptum ab anteceſſore, tribuitur id magis anteceſſori: quia primordia cuiuſque rei ſpectari debent.

Sed temporis ſucceſſu in Roman. Curia conſuetudo introducta fuit, vt Pontifex Rom. mox poſt promotionem ſuam, omnes anteceſſorum gratias expectatiuas ſeu de prouidendis beneficijs, quæ executioni mandatæ non fuerunt, ita vt ius in ijs quæſitum, reuocaret, prout videre eſt in c. ſi is, 39. c. quondam 40. de præb. in 6. & c. vlt. de conceſſ. præb. eod. libr. Propterea quòd gratiæ expectatiuæ eccleſijs grauamen inferant; promiſsionem item, ac veluti pactionem de futura ſucceſsione contineant, cuiuſmodi pactio indecens cenſetur, c. 2. & 3. de conceſſ. præb. cap. 2. eod. tit. in 6. Quamobrem 2
Concil. Trident. ſeſſ. 24. c. 19. gratias expectatiuas, ſeu mandata de prouidendo omninò ſublata eſſe voluit; prout etiam ſuprà dixi.

CAPITVLVM XL.

Abbatem.

PARAPHRASIS.

Pontifex ſcripſit pro Sebaſtiano clerico ad Abbatem S. Proculi, vt illi in aliqua eccleſiarum ſui Monaſterij beneficium prouideret: poſtea alias literas idem Pontifex dedit ad diœceſanum Epiſcopum, quibus mandauit, vt in Diœceſi ſua, ſi pro alio ſcriptum non eſſet, faceret prouideri clerico Vdalrico. Hunc Epiſcopus iuſſit inſtitui in eccleſia ad Monaſterium Abbatis pertinente; ſed Abbas contradixit, quia ipſe antea ſpirituale mandatum acceperat, vt Sebaſtiano prouideret. In hoc caſu Reſpondet Gregor. IX. exceptionem Abbatis iuſtam eſſe; cùm Pontifex non ſoleat eundem collatorem pluribus eiuſmodi mandatis grauare.

SVMMARIVM.

1. *Mandatum generale non derogat ſpeciali, præſertim priùs impetrato.*
2. *Collatio beneficiorum ordinario iure pertinet ad Epiſcopum; ſpeciali tamen conſuetudinis ſiue priuilegij aliquando ad inferiorem, v.g. Abbatem, Capitulum, &c.*

NOTANDVM I. Mandatum generale 1
non derogat mandato ſpeciali, præſertim priùs impetrato. Ita ſumitur ex hoc c.

iun. Gl. ver. per literas generales, & dixi de hoc in c. 1. hoc tit.

2 NOTANDVM II. Licèt collatio beneficiorum diœcesis ad Episcopum iure ordinario pertineat, c. cùm ex iniuncto 12. in fine de hæret. iure tamen speciali, siue consuetudinis, siue priuilegij, quandoque inferiori competit; v. g. Abbati, aut Capitulo, prout videre etiam est in c. cum aliquibus 4. hoc tit. in 6.

NOTANDVM III. Pontifex non tam ad ecclesiam attendit, ne vna pluribus gratijs expectatiuis grauetur; quàm ad collatorem, ne vni plura talia mandata imponantur, prout Ioann. Andr. & Abb. hîc annotârunt, & confirmari potest ex c. præsenti 3. de off. legati in 6.

CAPITVLVM XLI.

Ab excommunicato.

PARAPHRASIS.

Prælatus quidam subditum excommunicauit, non seruatâ formâ Concilij Lateran. *in c. sacro, de sentent. excommunicat.* vbi requiritur, vt antecedat monitio canonica, causa rationabilis, & manifesta. Excommunicatus querelam detulit ad Pontificem: is rescribit, ac mandat Excommunicatori, vt hominem non motâ difficultate absoluat. Sin autem parere recusset, deputantur alij iudices, qui mandatũ Apostolicum exequantur, & absolutionem impertiant. Verùm in rescripto Pontificis addita fuit clausula *(si ita est)* de qua dubitatur, an referatur ad excommunicatorem, quasi is cognoscere debeat, num excommunicatio legitimè, nécne inflicta fuerit; an verò talis cognitio ad iudices delegatos pertineat: & hoc posterius affirmat Gregorius IX. additâ ratione, quia cùm excommunicator de proprio facto certus sit, frustra ipsi cognitio causæ committeretur.

SVMMARIVM.

1. *Rescriptum directum ad Excommunicatorem, vt absoluat excommunicatum de iniusta excommunicatione querentem, illo nolente absoluere, delegatis iudicibus, causâ ab ijs cognitâ, absolutionem mandat.*
2. *Ignorantia facti proprij ordinariè non præsumitur, sed alieni.*

NOTANDVM I. Si excommunicatus 1
ad excommunicatoris Superiorem de iniusta excommunicatione querelam deferat, Superior remittit eum pro absolutione ad excommunicatorem; delegatis iudicibus, qui nolente illo absoluere, causâ cognitâ, absolutionem conferant: Excepto, si periculum in mora sit; vel si excommunicatio notoriè iniusta sit: Tum ipsemet Superior hominem statim absoluat; vel declarabit nunquam ligatum fuisse, si excommunicatio non tantùm iniusta, sed etiam inualida fuerat, iuxta ea quæ dixi in Th. moral. lib. 1. tr. 5. p. 1. cap. 6. Videri potest c. ad reprimendam 8. & quæ ibi dicentur, de offic. Ordinarij, Abb. hîc n. 12. & seqq.

NOTANDVM II. Ignorantia facti pro- 2
prij ordinariè non præsumitur, sed alieni. Ita sumitur ex text. c. in fine. Et est hæc limitatio quædam reg. 47. in 6. prout etiam dixi in c. 2. de Constitut. & videri potest Gaill. lib. 2. obs. 48. n. 21.

CAPITVLVM XLII.

Si proponente.

PARAPHRASIS.

Aliquis modicum beneficium obtinens, ex quo sufficienter sustentari non poterat, & proponens Pontifici, se nullum beneficium habere, impetrauit rescriptum de prouisione faciendâ. Tale rescriptum subreptitium & irritum est.

SVMMARIVM.

1. *Rescriptum ad beneficium, & eiusdem collatio à Papa impetrata, non factâ men-*

mentione beneficij habiti, quantumuis modici ſubreptitia & irrita eſt.

NOTANDVM Vn. Non tantùm beneficij collatio à Papa impetrata, non factâ mentione beneficij habiti, quantumuis modici, obreptitia & irrita eſt, c. ſi motu 23. de præbend. in 6. ſed etiam gratia & reſcriptum ad beneficium obtinendum. Tametſi verò caſus c. huius propoſitus ſit in ſuggeſtione falſi; idem tamen ſentiendum de ſuppreſsione veri, prout Gl. ſentit in princ. huius c. Saltem ita dicendum, ſpectato hodierno iure, & conſuetudine ſeu ſtylo Curiæ, qui ius facit, c. quàm graui, 6. de crimine falſi, & annotauit Imola hîc n. 3. Intelligi autem debet de omni beneficio propriè dicto, ſiue quod in titulum datur perpetuum, ſiue temporalem, prout notauit Felinus c. in noſtra n. 18. hoc tit.

Obijci poteſt: Error ſiue ignorantia beneficij modici, non ſufficientis ad ſuſtentationem, non eſt cauſa gratiæ aut reſcripti de altero beneficio; quia etſi ſciuiſſet Papa, beneficium contuliſſet, aut conferri mandâſſet: Ergo non debet dici gratia aut reſcriptum obreptitium. Confirmatur: Cùm modica æſtimari non ſoleant, ideo beneficium modicum ſiue exiguum quaſi non beneficium eſt. Reſp. ad obiectionem, neg. conſequent. Quia ſi ſtylus Curiæ expreſsionem alicuius rei in reſcriptis exigat, cenſetur pertinere ad formam eorum; & ideò non attenditur, num taciturnitas eius rei fuerit cauſa conceſsionis, nécne, prout dixi in c. ſuper literis 20. hoc tit. Ad Confirmat. dico; Nullum beneficium ita modicum, aut non æſtimabile eſſe eo reſpectu, vt nulla ipſius in alterius à Sede Apoſtolica impetratione ratio habenda ſit: Idq; propter cauendas deceptiones, aliàque incommoda ſalubriter ſtatutum. Videatur Azor tom. 2. Inſtit. lib. 6. c. 10. q. 3.

CAPITVLVM Vlt.

Quia nonnulli.

PARAPHRASIS.

Aliqui reſcriptis Apoſtolicis ad lites varijs modis abutebantur. Vel enim nomine ſuo literas impetrans alteri, cui idem erat nomen, tradidit, & is, qui ita accepit, quoslibet indebitè fatigauit: Vel impetrauit aliquis literas contra eas perſonas, quibuſcum nil ipſi controuerſiæ erat: Vel literas impetratas ad controuerſiam decidendam traxit, quæ tempore impetrationis orta non fuit: Vel ad diuerſos iudices varia ſuper vno negotio reſcripta impetrauit: Vel etiam ſuper pluribus negotijs ſeu perſonalibus actionibus, quæ commodiùs coram vno iudice expediri poſſent, idque fatigandi aduerſarij causâ, vt litem componi patiatur, aut iure ſuo cedat: Vel denique reus reconuenire volens actorem ſuum, literas & ipſe aduerſus actorem impetrauit ad iudices diuerſos, aut vt compareat in villa, v. g. Tuſculanâ, cùm plures eiuſdem nominis villæ eſſent, vt ſi non comparuiſſet, tanquam contumax excommunicaretur, & ita ab actione repelleretur. Hi omnes, & ſinguli, vno ex dictis modis reſcripto Apoſtolico abutentes, eius commodo carere, & aduerſario ad expenſas, & damna condemnari debent.

SVMMARIVM.

1. *Reſcripta iuſtitiæ ſunt iura perſonalia, ideò alteri non poſſunt cedi, nec tranſeunt ad ſucceſſorem aut hæredem, niſi fuerint impetrata nomine dignitatis, vel beneficij.*
2. *Reſcriptum ad lites cum clauſula, Et quibuſdam alijs cauſis, non extendit ſe ad cauſas, quæ poſt impetrationem exortæ ſunt; Reſcriptum ad beneficium vacaturum non ad ea, quæ poſt datam literarum de nouo inſtituta ſunt.*
4. *Nemo ſuper vno eodémque negotio ad diuerſos iudices trahi debet.*
4. *Qui aduerſarium indebitè fatigat, expenſas compenſare cogitur à Iudice in eâ cauſâ delegato.*
5. *Sed tum demum ad eas condemnare hic iudex debet, ſi aduerſarius petat.*

Iudex

Iudex non tenetur interponere officium suum, nisi parte petente, si agatur de vtilitate priuata, exceptis causis miserabilium personarum, aut quæ ad pietatem & misericordiam spectant.

6. *Qui alteri eiusdem nominis Apostolicas literas vtendas tradit, committit crimen falsi, & criminaliter puniri potest; qui autem rescripto alieno vtitur, vt reus criminis Stellionatus puniendus est.*

1 NOTANDVM I. Rescripta iustitiæ sunt iura personalia, id est, eis tantùm personis vtilia, quibus concessa sunt; & ideo non possunt alteri cedi: nec transeunt ad successorem, aut hæredem; nisi fuerint impetrata nomine dignitatis, aut beneficij, prout dixi in c. significauit 3. 6. hoc t. Et ita notauit hîc Ioann. Andr. n. 9. Abb. not. 2. & n. 9. vbi bene admonet, Irritum esse rescriptum, si tempore *datæ* mortua sit persona, cui impetratum (idémque est in priuilegio, l. Neratius 152. ff. de regulis iuris) vel contra quam impetratum, l. 2. ff. de sententijs, quæ sine appell. rescinduntur.

2 NOTANDVM II. Rescriptum ad lites impetratum, cum clausula *Et quibusdam alijs causis*, non extendit se ad causas, quæ post impetrationem exortæ sunt. Simili modo legimus in Clem. vlt. eod. tit. Quòd rescriptum impetratum ad beneficium in ecclesia aliqua vacaturum, non extenditur ad ea beneficia, quæ post *datam* literarum de nouo instituta sunt. Ratio dari debet, quòd hæc rescripta strictæ interpretationis sint, partim quòd non deceat in his præsertim materijs, dispositionem facere de ijs, aut circa ea, quæ nondum sunt. Sed & generalis regula tradi solet, quòd in simplici quantũuis generali dispositione, nisi aliud exprimatur, præsentia, non quæ necdum orta sunt, comprehendi solent, l. si ita scripsisset 47. ff. de Legat. 2. & videri potest Zasius in l. Si quis iniquum, §. Quod autem, ff. Quod quisque iuris &c.

Corollarium; Etiam ex hoc capite apparet, in rescriptis iustitiæ, ac beneficialibus attendendum esse tempus *datæ* literarum.

NOTANDVM III. Nemo super vno 3
eodémque negotio ad diuersos iudices trahi debet: Idque duas ob causas: I. Ne continentia, seu connexio causæ diuidatur, l. Nulli 10. C. de Iudicijs, & l. 1. iuncta Gl. verbo eundem iudicem, C. de quibus rebus ad eund. iudicem eatur, vbi dicitur, quòd in causis connexis plures, quamuis diuersi fori, coram vno iudice litigare debent. Eapropter Gaill. obseruat lib. 1. obs. 32. n. Iurisdictionem Cameræ Imperialis ratione continentiæ tum causarum, tum personarum (si videl. vnus consortium litis immediatè Cæsari subiectus sit) fundari posse; vt omisso medio iudice, ad superiorem, videl. Cæsareum tribunal, veniendum sit. II. Vt tempori, & sumptibus parcatur; & litibus modus statuatur, prout hîc insinuatur. Tametsi enim sermo duntaxat sit de iudicibus delegatis, tamen etiam ad Ordinarios, propter identitatem rationis in canone expressæ, extendi posse tradit hîc Gl. ver. literas, in fine, Abb. n. 13. Quid porrò sentiendum, si quis alterum in diuersis causis ad diuersos iudices trahat, dicetur in c. 3. eod. in 6.

NOTANDVM IV. Qui aduersarium 4
indebitè fatigando, causam ei præbuit expensarum, alteriúsue damni, id ei compensare cogitur. Sed à quo iudice ad hoc condemnandus est? Rectè respondet Gl. hîc ver. expensis ac damnis, Quòd à Iudice in ea causa delegato. Quia licèt literæ ad eum impetratæ infirmæ sint, propter fraudem impetrantis, ne ex malitia sua commodum reportet; adcóque Iudex super causâ principali iurisdictionem per eas non acquirat; nihilominus tamen iurisdictionem acquirit super quæstionibus incidentibus; vt videl. cognoscat, num rescriptum propter malitiam impetrantis, infirmum sit, & impetrans ad præstandas expensas condemnari debeat. Ratio huius rei est: Quia ad hæc incidentia cognoscenda fundata est per rescriptum iurisdictio delegati: Quare sicuti ordinarius Iudex cognoscere potest, num sua sit iurisdictio; &, si pronunciet non esse, actorem

rem ad expensas condemnare, ita & hîc accidit, prout Abb. declarat n. 14.

5 Porrò ead. Gl. ver. expensis, admonet, & Abb. n. 15. Iudicem tum demum partem ad expensas condemnare debere, si aduersarius petat. Qua de re Bartol. in l. diem §. Hoc autem iudicium, ff. de damno infecto, regulam tradit; Quòd Iudex non teneatur interponere officium suum, nisi parte petente, si agatur de vtilitate priuata, exceptis causis personarum miserabilium, aut quæ ad pietatem, aut misericordiam spectare videntur.

6 His addendum, quod Innoc. hîc notat, Ioan. Andr. n. 4. Abb. n. 18. Si quis literas Apostolicas alteri, qui eiusdem nominis, ad vtendum tradat, committere falsi crimen, ita vt criminaliter puniri possit, prout colligitur ex l. falsi nominis 13. l. Qui falsam 19. ff. Ad L. Cornel. de falso: Is autem qui rescripto alieno vtitur, vt reus criminis stellionatûs puniri debet, vti colligitur ex l. 3. ff. de crimine stellionatûs. Est autem stellio lacerti genus versutissimum, à quo stellionatum dicimus quamlibet impostruram, seu callidam circumuentionem, si proprio nomine careat.

CAPITVLVM I. eod. Tit. in 6.

Ipso iure.

PARAPHRASIS.

1 Rescriptum ab excommunicato impetratum, atque processus ex eo rescripto institutus, ipso iure irrita sunt; præterquam si impetratum sit in causa ipsius excommunicationis, aut appellationis articulo.

SVMMARIVM.

1. *Rescriptum impetratum ab excommunicato, & processus ex illo secutus, sunt ipso iure irrita, nisi in causa ipsius excommunicationis, vel appellationis.*
2. *Excommunicatio facit hominem inhabilem ad impetrandum rescriptum, siue sit iustitiæ, siue gratiæ, aut priuilegij, cum restrictione tamen n. 1. asserta.*
3. *Processus iudicis delegati vigore rescripti ipso iure irriti, irritus quoq; censeri debet.*
4. *Decisio huius c. locum habet in rescriptis Papæ, non aliorum Ordinariorum; vti nec in rescriptis Principum secularium.*
5. *Valet tamen eadem decisio etiam, si excommunicatio est occulta; quamuis propter publicam & probabilem ignorantiam excomunicationis fieri queat, vt acta à iudice delegato vigore rescripti valida sint.*

NOTANDVM I. Excommunicatio facit hominem inhabilem ad impetrandũ rescriptum: Quæ causa est, quòd rescriptum ipso iure statim irritum sit, ob incapacitatem recipientis seu impetrantis. 2

Ampliari debet hæc doctrina, quòd locum habeat in omni impetrato rescripto, siue iustitiæ, etiam in causa spoliationis, alteriúsue possessorij interdicti, sicuti hîc Francus notauit n. 11. siue gratiæ, aut priuilegij, prout rectè docuit idem Francus n. 3. in princ. Suarez de cens. disp. 13. sect. 1. n. 12. post Gl. hîc ver. alio, quòd nullæ literæ impetratæ ab excommunicato valent, præter eas, quæ in textu exceptæ sunt: Potéstque inde etiam confirmari; quia rescripta gratiæ faciliùs irrita redduntur, quàm rescripta ad lites.

Restringi autem debet, sicuti in textu; Primò, quòd excommunicatus super causa excommunicationis suæ, si eam à Iudice suo inflictam, iniustã aut inualidam esse contendat, rescriptum à Papa ad iudicem delegatum impetrare possit; ne videl. ei desit remedium defensionis, vti Gl. magna hîc annotauit: Et Anton. de Butrio hîc not. 4. Licet aliquis prohibeatur agere ob certam causam inhabilitatis aut impedimenti, non tamen prohibetur agere inficiando inhabilitatem; dicendo v. g. se non esse legitimè excommunicatum, se non esse amentem; & super eo rescriptum impetrare. Secundò, quòd excommunicatus si à sententia Iudicis appellauit, super articulo appellationis rescriptum Papale impetrare queat. Ratio est: Quia excommunicatus in iudicio stare potest, saltem

vt reus, c. intelleximus 7. de Iudiciis; consequenter & appellare, si à Iudice iniustitiam pati videatur; cùm id ad defensionem propriam pertineat, quæ nemini negari debet, vti hîc Anton. notat n. 6. dans regulam, quòd si alicui concessum sit stare in iudicio, etiam alia concessa ei censeri debent, quæ ad ius suum obtinendum necessaria sunt, arg. c. præterea 5. de off. delegati, & l. 2. ff. de iurisdict. omn. Iudicum. Et Philippus Francus consequenter infert hîc n. 12. Quòd excommunicatus, si non audiatur super exceptionibus suis, & vniuersim loquendo, super articulis causæ pendentis coram Ordinario, impetrare possit rescriptum delegationis.

3 NOTANDVM II. Processus Iudicis delegati factus vigore rescripti, ipso iure irriti, irritus quoque censeri debet. Ratio est: Quia delegatus vi eius rescripti non acquirit iurisdictionem; saltem quoad processum in causa principali: vbi autem deest fundamentum iurisdictionis, nihil agi potest iudicialiter. Veruntamen cùm in casu isto non desit potestas in delegante, ideo delegatus ex vi rescripti ad hoc fundatus est, vt cognoscere possit, num sua sit iurisdictio, siue num verè excommunicatus fuerit impetrans, nécne, prout etiam suprà dixi in c. ex parte 33. not. 3. hoc tit. in antiq.

QVÆSTIO prima; Quænam causa sit, quòd excommunicatus stare possit in iudicio vt actor, si nec à reo per exceptionem, nec à iudice ex officio repellatur, c. 1. de except. in 6. & tamen rescriptum ad lites validè impetrare non possit? Varia respondet Gl. hîc ver. processus: Arbitror responderi posse: Quòd rescriptum iustitiæ, seu commissio causæ, latè loquendo, sit gratia siue beneficium Papæ delegantis: Generatim autem omnis gratia, concessio, ac beneficium Papę, ex stylo Curiæ, irritum est, si fiat excommunicato; idque in odium excommunicationis. At verò actor coram Iudice litigare volens ius suum prosequitur; ideóque valent acta, nisi per exceptionem excommunicationis repellatur.

4 QVÆSTIO secunda; Vtrùm responsio huius c. habeat etiam locum in rescriptis aliorum Ordinariorum, quòd & ea ipso iure irrita sint, si ab excommunicatis impetrentur? Resp. negatiuè, cum Nauarro consil. 44. de Sent. excomm. edit. 2. Suarez de cens. disp. 17. sect. 1. n. 2. Nam nomen rescripti, absolutè pronunciatum, accipitur pro responso Principis, seu eius qui Superiorem non habet. Confirmatur ex eo, quòd ideo consuetudo Curiæ Romanæ vigeat, vt rescriptis omnibus absolutio à censuris præmittatur, in ordine ad effectum eorum consequendum; quòd fieri solet ad cautelam, iuxta ea quæ dixi lib. 1. Theol. mor. tr. 5. p. 1. c. vlt. n. 8. Quæ tamen absolutio in Episcoporum rescriptis præmitti non solet.

Interdum verò in absolutione ad cautelam, siue ad effectum præsentis gratiæ, v. g. dispensationis consequendum, limitatio apponitur; *Nisi in excommunicatione per annum inſorduerit*; Tum verò executor gratiæ super hæc informationem capere debet: Nam de ijs omnibus inquirere debet, quæ si essent, aut non essent, gratiæ effectum siue executionem impedirent.

QVÆSTIO tertia; Vtrùm responsio huius c. locum habeat in rescriptis Principum secularium, videl. Imperatoriis, Regiis, &c. Affirmat Nauarrus in cit. loco n. 2. & 6. Sed meritò dubitat, & partem negantem probabiliorem autumat Suarez cit. l. 1. n. 3. Quia Pontifici solùm videtur propositum fuisse statuere de rescriptis Papalibus: quare cùm decretum huius c. odiosum sit, non debet fieri extensio. Præsertim cùm non sit eadem ratio aliorum rescriptorum; propterea quòd ecclesiasticus Princeps, siue supremus Ecclesiæ Pastor excommunicatos, dum in excommunicatione persistunt, magis quàm alij auersari debet; & cauere, ne beneficia contumacibus & Ecclesiæ inobedientibus proueniant. Accedit, quòd incommoda sequi possint, si rescripta aliorum Principum irrita sint, propter impetrantium excommunicationem, quæ tamen ab ipsis tolli non potest, sicuti Pontifex tollit absoluendo.

QVÆSTIO quarta; Num decisio huius c. 5 locum etiam habeat, si excommunicatio occulta sit? Negat hîc Archidiaconus, in cuius senten-

ſententiam propendet Nauarr. cit. conſ. n. 8. Sed contrarium ex communiore rectè docet Syl. ver. reſcriptum q. 2. Suarez num. 4. Quia Pontifex generatim ſeu indefinitè loquitur de excommunicato; neque eſt ratio, cur ad excommunicatum notorium, ſeu publicum reſtringamus: Nam vbi ius non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus, l. de pretio 10. ff. de public. in rem actione. Confirmatur ex eo, quòd in reſcriptis auctoritate Papali emanantibus abſolutio ad cautelam præmitti ſolet ab excommunicatione, &c. ſiue notoria ſit, ſiue occulta.

Veruntamen propter publicam & probabilem ignorantiam excommunicationis, fieri poteſt, vt acta à iudice delegato vigore reſcripti valida ſint, iure ipſo ſupplente defectum, argum. l. Barbarius 3. ff. de officio Prætoris; Idque ex probabiliore docet Sanchez lib. 3. de matrim. diſp. 22. n. 19. licèt aliqui contradicant apud eundem.

CAPITVLVM II.

Cùm in multis.

Paraphrasis.

1 Cùm ſæpe in iure infinitas, & multitudo nimia reprobetur, ideo ſtatuit Innoc. IV. Papa in Concilio Lugdunenſi: vt, ſi quiſpiam contra certam perſonam reſcriptum à Sede Apoſtolica impetrârit, cum clauſula *& quoſdam alios*, vigore eius clauſulæ, non plures quàm tres vel quatuor in iudicium trahere poſsit: Item, vt impetrator reſcripti nomina eorum in primo citatorio coram iudice delegato exprimere debeat; poſtea autem variare non poſsit, & pro nominatis alios ſubſtituere; ne videl. fraudi locus ſit.

Svmmarivm.

1. *Clauſula in reſcripto* quoſdam alios *non intelligitur vltra tres, vel quatuor, quorum nomina impetrata exprimere debet in primo citatorio, nec poſtea pro ijs alios ſubſtituere poteſt.*

2. *Si impetrator aliam perſonam citet, & ea non excipiat, proceſſus irritus eſſe videtur.*

CIrca hoc c. duo breuiter aduertenda duxi: Primum, cum Gl. not. 3. Cùm dicitur, neceſſe eſſe, vt impetrator perſonas non nominatas, ſeu in clauſula indeterminatè cõtentas, coram iudice exprimat: intelligi debet ſub conditione, ſi contra aliquas litigare velit: ſin autem nolit; quia fortè cum ijs tranſigere mauult; nihilominus libellum contra perſonam in reſcripto nominatam offerre poteſt: Quia nemo cogitur alicui litem intentare. Alterum cum Gl. ver, quorum: Si 2 impetrans reſcripti aliam poſtea perſonam, quam priùs non nominârat, citari faciat, eâque comparens nihil excipiat, proceſſus irritus eſſe videtur: Quia Iudex vi reſcripti ſuper hac perſona iuriſdictionem non accepit; conſequenter nec per taciturnitatem partis acquirere poteſt, prout etiam dixi in c. Rodulphus 35. in fine hoc tit. Et videri poſſunt, quæ dicta in c. ſedes 15. eod. tit. in antiq.

CAPITVLVM III.

Diſpendia.

Paraphrasis.

Si quis plures actiones perſonales alteri intentare velit, non ad iudices diuerſos, ſed ad eoſdem literas impetrare debet: ſimiliter & reus, ſi eodem durante iudicio actorem in alia cauſa reconuenire, vel ad eum conueniendum reſcriptum Apoſtolicum impetrare velit, ad eoſdem iudices id fieri debet, præterquam ſi illos vt ſuſpectos recuſare poſsit. Quòd ſi vel actor, vel reus contra hanc conſtitutionem egerit, in primis commodo literarum carebit, & proceſſus iudiciarius non ſubſiſtet. Deinde aduerſario, ſi per tales literas citatus fuerit, ad expenſas condemnandus erit.

Svmmarivm.

1. *Reus conuentus poteſt actorem coram eodem iudice reconuenire.*

2. *Et dum lis ab actore intentata pendet, coram alio eum conuenire nequit.*
3. *Lex irritans quandoque est pœnalis, interdum autem fauorabilis, & indifferens.*

IDem fermè constitutum fuerat à Gregor. IX. Papa, suprà in cap. vlt. hoc tit. Hic verò additum ab Innoc. IV. vt processus ipso iure irritus esset: Antea verò, si aduersarius coram altero iudice conuentus in actione personali, contra rescriptum malè impetratum non excepisset, processus coram eo iudice vim habuisset. Idque colligitur ex ver. *ampliantes*, ibid. Gl. & ver. *processus valeat*.

Porrò cùm hîc sermo tantùm sit de impetrantibus rescriptum ad Iudices delegatos, in actionibus personalibus; non potest id extendi ad actiones reales; vel ad Iudices ordinarios, etiam quoad personales actiones; saltem quod attinet pœnam irritationis processus. Qua de re videri potest Ioan. Andr. hîc, Anton. n. 18. & seqq. Francus n. 3. Innoc. & alij in cit. c. vlt. Matth. de Afflict. decis. Neap. 354. n. 6. & seqq.

NOTANDVM I. Licet rescripta iustitiæ stricti iuris sint, & non extendenda ad casum, aut personam non expressam, tamen ius reconuentionis postulat, vt qui alterum per rescriptum ad iudicem delegatum traxit, coram eodem vicissim conueniri queat. Ita hîc in §. Reus quoque, & in l. cùm Papinianus 14. iun. Auth. Et consequenter, C. de sent. & interloc. Ratio est; quia si quis elegerit Iudicem contra aduersarium, ægrè ferre non potest, vt & aduersarius eundem habeat contra se, cap. 1. & 2. de mutuis petit. Idque ampliari debet primò; Quòd locum habeat, etiamsi iudex alioquin iurisdictionem non habeat in actorem; si tamen is reum conueniat, non potest reconuenire volenti exceptionem incompetentis iudicis obijcere; cit. l. cùm Papinianus. Secundò; Locum habet reconuentio non tantùm circa idem negotium, super quo impetratum est rescriptum, sed etiam super alio quolibet; ita, vt vtraque causa simul definienda sit, cap. 1. de mutuis petit. Tertiò; Quòd reus conuentus non tantùm possit actorem coram eodem iudice reconuenire; sed etiam quòd coram alio, dum lis ab actore intentata pendet, conuenire non possit, cit. Auth. Et consequenter. Eademque ratione hîc dicitur, quòd reus conuentus, lite durante, ad alium Iudicem, quamuis in diuersa causa, rescriptum impetrare nequeat vt videlicet litibus, valde exosis, moderamen aliquod adhibeatur. Quartò, quòd rescripti impetrator, postea quam illud præsentauit Iudici delegato, & aduersarium citari fecit, non possit per pœnitentiam resilire; quò minùs reus comparens illum reconuenire possit, etiam reluctantem; quare rescriptum veluti commune vtrique parti factum est, argum l. petendæ 6. Cod. de temporibus in integr. restitut. Videri potest Vdalricus Zasius in l. si quis iniquum, col. 2. ff. Quod quisque iuris &c. vbi regulam tradit; Iis quæ habeo auctore te, vti possum contra te, quamuis nolente te.

NOTANDVM II. Circa verba finalia, *Simili pœna* &c. quòd lex irritans, quandoque sit pœnalis; & hac ratione odiosa, nec facilè extendenda. Dico *quandoque*; quia non semper lex irritans pœnalis est; sed interdum publicam vtilitatem spectans, ideóque fauorabilis; interdum verò indifferens, prout hanc rem explicat Suarez lib. 5. de legibus cap. 19. n. 8. & seqq.

CAPITVLVM IV.

Cum aliquibus.

PARAPHRASIS.

Si in aliqua ecclesia consuetudo vel statutum vigeat iuramento, vel Apostolicæ Sedis confirmatione roboratum, vt vltra definitum numerum Canonici non instituantur; Pontifex autem facultatem tribuat aliquem recipiendi supra numerum: dubitatur; an is auctoritate Apostolicâ receptus censeatur, an verò per potestatem *Collatoris ordinarij*, v. g. Capitularium, ad quos literæ diriguntur. Resp. Bonifac. VIII. esse distinguendum. Si enim recep-

receptio seu institutio Canonici non pertinet ad eos, quibus literæ mittuntur, sed per eos facultatem acquirunt instituendi; tunc Apostolicâ auctoritate receptus censeri debet. Si verò ad ipsos Capitulares v.g. ad quos literæ destinantur, receptio seu institutio Canonici pertinet, tunc eorundem potestate receptus censeri debet, nisi in literis expressum fuerit, vt auctoritate Apostolicâ recipiatur.

SVMMARIVM.

1. *Receptus in Canonicum, Papali auctoritate receptus, præferendus est alteri etiam auctoritate Legati Apostolica recepto.*
2. *Gratia beneficialis à Papa impetrata contra consuetudines, priuilegia aut statuta, non valet, nisi eorum mentio fiat per clausulam derogatoriam saltem generalem,* Non obstantibus, *&c.*
3. *Papa, Princeps, vel alius Superior mandans aliquid ordinariam habenti potestatem, non facit eum delegatum siue executorem: sed excitat eius potestatem; vel si impedita sit, impedimentum tollit.*
4. *Potest tamen is ipse constitui commissarius aut delegatus: si videl. exprimatur, vt Apostolicâ auctoritate v.g. procedatur.*

1 QVÆRES: Ad quid referat, num Canonicus in casu huius c. Apostolicæ Sedis auctoritate, an verò ordinarij collatoris, receptus censeatur? Resp. cum Gl. in princ. c. Quia si Papali auctoritate in Canonicum receptus fuit cum expectatione præbendæ, in eius assecutione, alteri, etiam auctoritate Apostolici Legati recepto, præferri debet, c. hi qui 12. de præb. in 6.

2 NOTANDVM I. Gratia beneficialis à Pontifice impetrata, contra ecclesiæ alicuius priuilegia, consuetudines, aut statuta non valet, nisi eorum mentio fiat, saltem per clausulam derogatoriam generalem; *Non obstantibus* &c. Ita sumitur ex hoc c. & docet hîc Ioann. Andr. & Francus n. 1. addens, si statutum iuratum sit, etiam iuramenti mentionem faciendam esse; idémque est, si aliâ speciali ratione statutum confirmatum, roboratúmque sit, vti ex hoc c. colligitur, & dixi de hac re in c. Constitutus 19. n. 1. hoc tit. in antiq.

3 NOTANDVM II. Si Papa, aliúsue Princeps, aut Superior aliquid mandet ordinariam habenti potestatem id agendi, non censetur eum facere delegatum, siue executorem, sed excitare eius potestatem; vel, si ea impedita sit, dispensando, aut relaxando tollere impedimentum: Hæc est præcipua intentio huius c. & notat Gl. in casu, & videri potest Ioann. Monachus hîc, Gl. in c. licèt 12. Felinus ibid. & alij, de offic. Ordin. vbi de hac re agendum.

4 NOTANDVM III. Etiamsi quispiam ordinariam potestatem quidpiam agendi habeat, potest tamen à Principe in eo negotio constitui commissarius aut delegatus; si videl. exprimatur, vt Apostolicâ v.g. auctoritate procedatur, sicuti hîc apparet in fine c. & in c. si apostolicæ 22. de præbend. in 6. Nam *omnia nostra facimus* (ait Imperator in l. 1. C. de veteri iure enucleando, allegatque in Gloss. c. 1. ver. auctoritate, de transact.) *quibus auctoritatem nostram impartimur.* Idque annotauit hîc Francus n. 4. inquiens, id obseruandum in commissionibus, quæ à Papa locorum Ordinarijs fiunt. Plerumque tamen vocula ea: *Vice nostrâ procedas*, aut, *vt Apostolicæ Sedis delegatus*, adijci solet, si commissio aut mandatum excedat potestatem iudicis ordinarij, siue quoad causam secundùm se, siue quoad personas, si videl. ab ordinaria iurisdictione exempta sint, vti passim in decretis Trident. Concilij de reformatione, videre licet.

CAPITVLVM V.

Si gratiosè.

PARAPHRASIS.

Notum est ex c. cùm in cunctis 7. §. cùm re-

rò, de electione, quòd beneficia omnia electi in Episcopum post eius confirmationem & consecrationem ipso iure vacant. Verùm Pontifex cuidam ad Episcopatum promoto gratiam fecit, vt beneficia antea obtenta retinere posit vsq; ad beneplacitum voluntatis suæ, id est, quamdiu ipsi placuerit. Dubitatum fuit hoc casu, an mortuo illo Pontifice gratia expiret. Affirmat Bonif. VIII. propterea quòd per mortem extinguatur voluntas, seu beneplacitum. Secùs autem est, si dictum fuerit vsque ad beneplacitum Sedis Apostolicæ; quia enim Sedes ipsa, seu dignitas Episcopalis non moritur, ideo gratia durat perpetuò, nisi à Successore reuocetur. Cæterùm talis gratia Pontificia intelligitur tantùm de beneficijs canonicè obtentis; non autem mens est Pontificis dispensare in beneficijs non canonicè acquisitis.

SVMMARIVM.

1. *Gratia facta Episcopo, vt possit retinere beneficia, est odiosa, ideóq; stricta interpretationis.*
2. *Gratia concessa à Principe vsque ad beneplacitum suum; per mortem eius, etiam ciuilem, expirat.*
3. *Non item, si in rescripto dicatur:* donec reuocauero, *vel,* quamdiu aliter non ordinauero.
4. *Vti nec expirat, si concessa sit gratia vsque ad beneplacitum Sedis, seu dignitatem, seu iurisdictionem obtinentis.*
5. *Gratia ad beneplacitum Papæ, Regis, Episcopi, qui concessit, est perpetua, nec extinguitur cum persona, nisi aliud ex verbis adiunctis, aliisue circumstantijs colligi possit. Sunt tamen qui contrarium docent.*
6. *Si in rescripto gratiæ tam persona, quàm dignitas expressa sit, probabilius est, per mortem concedentis gratiam non expirare.*

NOTANDVM I. Tametsi beneficia omnia assumpti ad Episcopatum ipso iure vacant per promotionem (vti vocant) prout habetur in c. cùm in cunctis 7. §. Cùm verò, de elect. potest tamen Pontifex Rom. & quandoq; solet ex iusta causa gratiam facere, vt ab Episcopo retineantur: Ea tamen, quia odiosa est, quippe beneficiorum pluralitatem, ministrorum paucitatem inuehens, ambitionémq; nutriens, strictæ interpretionis esse debet. Videri possunt quæ docui Theol. moral. lib. 1. tract. 4. c. 23. n. 5. & 8.

NOTANDVM II. Gratia à Principe concessa vsq; ad beneplacitum suum, eo mortuo, sine alia reuocatione expirat. Idémque sentiendum de verbis æquipollentibus, vt si dicatur, *donec voluero. quamdiu ita mihi placuerit &c.* prout rectè docet Mol. in tr. 2. de iust. disp. 298. n. 10. & tr. 5. disp. 20. n. 6. Suar. lib. 8. de legib. disp. 33. n. 3. Ratio dari debet; quia verba ostendunt gratiam non absolutè cõcedi, sed cum limitatione, quamdiu perseuerauerit concedentis voluntas, siue beneplacitum; cùm itaque per mortem id omninò extinguatur, vti in textu dicitur, sequitur, etiam gratiam ita concessam extingui. Et debet hæc doctrina generatim intelligi de omni gratia, seu Principis beneficio, quantumuis fauorabili, prout ex communi tradit Gl. hîc ver. morte, Francus n. 10. Couarr. lib. 3. var. resol. c. 15. n. 4. Suar. cit. loco, Sanchez lib. 8. de matrim. disp. 28. n. 50. Quia ratio tradita in textu huius c. quòd per obitum personæ eius beneplacitum extinguitur, perinde in omnibus gratijs locum habet; etiam Papalibus indulgentijs, sicuti Suar. notauit. Sumitúrque eadem doctrina ex l. locatio 4. ff. locati, vbi dicitur: *Locatio, precariúue rogatio ita facta, quoad is, qui eam locasset, dedisséue, vellet, morte eius qui locauit, tollitur.* Vbi Bartolus quasi rationem assignans ait, *voluntas morte finitur*

Ampliari debet tradita doctrina, vt locum etiam habeat in morte ciuili, videlicet depositione ab officio, eiúsue resignatione, prout ex communi docet Sanchez cit. disp. 28. n. 56. Ratio dari debet, quia etiam tunc voluntas, seu perseuerantia in voluntate concedendæ gratiæ cessat, eò quòd radix & facultas

facultas volendi conceſsionem, aut in voluntate perſeuerandi, quod eſt officium, penitus ceſsârit. Sed alia ratio eſt, ſi poteſtate præditus qui gratiam conceſſerat, in excommunicationem labatur, prout idem Sanchez ex communi tradit n. 57. Francus hîc n. 12. poſt Bartol. in l. centeſimis, §. Si ita ſtipulatus n. 12. ff. de verb. obligat. Ratio dari debet: quia voluntatis perſeuerantia, ſicuti & ipſa poteſtas ſiue officium radicaliter manet in excommunicato, aut ſuſpenſo; tametſi quoad exercitium impeditum ſit: quemadmodum & in dormiente manet. Sed dubium eſt, ſi in furorem, ſeu amentiam eámque perpetuam incidat Princeps, num beneplacitum ceſſare, ideóque gratia extincta cenſeatur? Affirmat Bartolus cit. loco. Sed contrarium rectè docuit Couarr. cit. n. 4. verſ. Tertiò. Sanchez n. 58. Qui enim in furorem ſiue amentiam incidit, dum dignitatem, iuriſdictionémque retinet, atq; per Officiales, aut Vicarium adminiſtrat, interpretatiuè retinet voluntatem, eo ipſo, quòd mutare eam non poteſt, arg. c. maiores 3. §. vlt. de Baptiſmo, & l. ſi is qui 27. ff. de acq. poſſeſſ. vbi dicitur, quòd qui poſſeſsionem ſaltus animo retinebat, furere cœpit; eam non amittat, imò amittere non poſsit: *furioſus*, inquit ibi IC. Proculus, *non poteſt deſinere animo poſſidere.*

3 Porrò, ſi in collata gratia ſeu priuilegio dicat Princeps, quòd permanere debeat, ſeu eo frui poſsit priuilegiatus, *donec reuocauero*, vel, *quamdiu aliter non ordinauero*, per mortem concedentis non finitur; quia ad reuocationem, ſeu contrariam ordinationem actus poſitiuus requiritur, prout ex cõmuni docui lib. 1. Theol. mor. tr. 4. cap. 23. §. 5.

Ex his colligit Sanchez lib. 7. moral. cap. 29. n. 113. Si Religioſus adminiſtrationem, officium, ſiue obedientiam à Prælato acceperit, referre, vtrùm ea collata ſit abſolutè, vel cùm addito, *donec reuocauero* (quæ tamen conditio nihil addit, aut demit: cùm de iure inſit, ſicuti & in gratia ſeu priuilegio, c. cùm ad monaſterium 6. de ſtatu Monach.) tunc enim non amittitur per mortem conferentis: An verò collata fuerit ad beneplacitum Prælati; tunc expirat morte concedentis, prout etiam annotauit Ioann. Andr. in c. porrecta, in fine, de confirm. vtili & inutili.

NOTANDVM III. Si gratia à Principe conceſſa ſit vſque ad beneplacitum Sedis, ſeu dignitatem aut iuriſdictionem obtinentis, non extinguitur per mortem concedentis. Ratio datur in textu c. quia Sedes ipſa, ſiue dignitas non moritur, ſed poſt mortem vnius vacat, & ad ſucceſſorem tranſit. Eapropter Gl. hîc ver. perpetuò, annotauit; Sicuti priuilegium diuiditur in perſonale & reale, reſpectu eius cui conceditur; quia interdum conceditur perſonæ, & cum eâdem extinguitur; interdum conceditur rei, v. g. Sedi, aut dignitati epiſcopali; tum ad ſucceſſores in dignitate tranſit, reg. 7. in 6. reg. 68. & 156. ff. & docui lib. 1. Theol. moral. tr. 4. c. 23. n. 4. Ita etiam dici poteſt reſpectu concedentis; quòd aliud proueniat tanquam à perſona eius; & ideo cum eâdem extinguitur;; aliud verò proueniat, tanquam à dignitate & officio eius; & ideo cum dignitate permanet priuilegium, donec poſitiuè reuocetur. 4

QVÆRITVR autem primò; Si gratia alicui facta ſit cum adiectione, *quamdiu Roman. Pontifici placuerit*, ſiue *ad beneplacitum Regis*, *ad beneplacitum Epiſcopi*, vtrùm expiret per mortem eius Põtificis, Regis, aut Epiſcopi qui conceſsit? Doctores non conſentiunt, vti videre eſt apud Sanchez cit. diſp. 28. n. 62. cuius ſententia mihi placet; In dubio, & niſi aliud ex verbis adiunctis, aliſue circumſtantijs colligi poſsit, exiſtimandum eſſe, gratiam eſſe perpetuam, nec extingui cum perſona; quandoquidem emanauit ſub nomine officij, ſeu dignitatis: quemadmodum ſi alicui delegatio facta ſub nomine officij, aut dignitatis, eo mortuo non expirat mandatum, c. quoniam 14. de off. delegati. Contrarium tamen docuit Couarr. cit. cap. 15. n. 2. Mol. cit. diſp. 298. n. 14. 5

QVÆRITVR ſecundò; Si vtrumq; tam perſona, quàm dignitas expreſſa ſit: *Concedimus tibi facultatem* &c. *vſq; ad beneplacitum*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

citum nostrum, & Apostolicæ Sedis, num per mortem concedentis extinguatur? Tractat quæstionem Francus hîc n. 14. & refert Ioann. Andr. & Hostiensem, qui negant: Alios autem qui affirmant, si normam personæ præcesit; quippe cujus tum maior ratio habenda sit, propter ordinem scripturæ. argum. l. si communis seruus 37. ff. de stipul. seruorum. Arbitror priorem sententiam esse probabiliorem: Quia verba ita intelligi debent, vt frustra posita non sint; esset autem frustranea ea adiectio *& Apostolicæ Sedis*; nisi dicamus, sensum esse, gratiam dependere *à beneplacito Sedis, ac dignitatis, quam nos nunc gerimus, Apostolicæ*. Quare, si res dubia sit, sensus iste præferendus; maximè in gratia seu priuilegio, nemini præiudicante; quippe quod amplam interpretationem meretur, c. quamuis 4. de præbendis in 6. & suâpte naturâ perpetuum, seu mansurum est, donec per actum reuocetur, iuxta reg. 16. in 6. *Decet, concessum à Principe beneficium esse mansurum.*

Adde, quòd Andr. Gaill lib. 2. obs. 60. n. 16. dicat, non obseruari, vt gratia & priuilegium à Principe concessum, morte concedentis non extinguatur. Cujus rei non aliam rationem reddi posse video, nisi quòd verba ea; *Concedimus ad beneplacitum Cæsareæ Maiestatis nostræ*, benignè explicari possint, sicuti paulò antè significaui; vt proinde intentio Principis fuerit duntaxat cauere, & admonere, priuilegium non transire in contractum, nullamque obligationem parere sibi & successoribus, sed liberè reuocari posse. Quæ conditio licèt suâpte naturâ priuilegijs & gratijs insit, tamen expressa cautio obesse non potest, & quandoque, ad omnem dubitationem tollendam, prodesse, iuxta illud vulgatum, quòd *abundans cautela non nocet*, reg. ff. non solent 95.

CAPITVLVM VI.

Susceptum.

Paraphrasis.

Pontifex mandârat Episcopo v.g. vt à Titio clerico acceptâ beneficij, quod possidebat, resignatione, illud Sempronio clerico conferret: accidit verò, vt Titius, antequam resignaret, mortem obiret: hoc casu Episcopus mandatum Apostolicum exequi non potest; cùm beneficium non per resignationem, sed per mortem vacauerit; præterquam si de mandantis intentione aliud expressè appareat. Deinde, si duo super eodem beneficio literas Papales impetrent; quorum primus narrauerit vacare illud per obitum, posterior autem vacare per resignationem; hoc in casu, secundus, posthabito priore, beneficium assequi debet, posito quòd per renuntiationem siue cessionem vacauerit.

Svmmarivm.

1. *Vacatio beneficij per mortem, & resignationem, sunt diuersi modi, seu species beneficiorum vacantium: ideo si in rescripto mandetur alicui conferre beneficium vacans, aut vacaturum per resignationem, non potest ei conferri beneficium vacans, vel vacaturum per mortem.*
2. *Quod similiter locum habet in alijs modis siue speciebus vacationis.*
   Imò non tantùm locum habet in rescriptis beneficialibus, sed etiam in omnibus rescriptis gratiæ, seu beneficij Principis (etsi ea motu eius proprio concessa sint) & aliorum Ordinariorum.
3. *A verborum proprietate & communi acceptione recedendum est, si de alia intentione scribentis appareat.*
4. *Mors ciuilis morti naturali non equiparatur, nisi in casibus iure expressis.*

NOTANDVM I. Si in rescripto beneficiali mandetur alicui conferri beneficium vacans, aut vacaturum per resignationem; non potest ei conferri, si vacet aut vacaturum sit per obitum. Ratio indicatur in textu, iun. Gl. ver. susceptum. quia vacare per obitum, & vacare per renunciationem, sunt

sunt diuersi modi, ac veluti species beneficiorum vacantium: Ergo quod de vna dicitur, non potest de altera intelligi: siquidem à diuersis non fit illatio, l. sed si ante 17. ff. de except. l. si maritus 10. C. de donat. inter virum & vxorem, Guido decis. Gratianopol. 264. n. 3. Videri possunt quæ suprà dixi in c. significante 34. hoc tit.

Ampliari debet doctrina primò; Quòd similiter locum habeat in aliis modis siue speciebus vacationis, vt si mandetur alicui conferri beneficium, quod vacat per assecutionē alterius incompatibilis, non potest conferri, quod vacat per matrimonij cōtractum: Præterquam si clausula adiecta sit, *vel quouis alio modo vacauerit*. Qua de re post Gl. ver. expresse, videri potest Francus hîc n. 8. qui addit n. 9. Si facta sit impetratio beneficij vacantis per mortem Petri defuncti decedentis eo loco, tempore, vel alio quouis modo, non valiturum rescriptum, si non per mortem Petri, sed alterius antecessoris proximi vacauit. Quia clausula *vel alio quouis modo* refertur ad id tantùm, præsertim in hac materia stricta, quod proximè antecessit.

2 Ampliari debet secundò, quòd tradita doctrina nō tantùm locum habeat in mandatis, & rescriptis beneficialibus, quæ strictæ interpretationis esse debent; & in propria specie ac forma impleri, iuxta l. diligenter 5. ff. mandati, sed etiam in omnibus rescriptis gratiæ seu beneficiis Principis, tametsi largam explicationem mereantur, prout rectè hîc docet idem Francus n. 6. dans exemplum de eo, cui facta est facultas conferendi quinque beneficia vacantia in diœcesi per mortem, non potest is vi huius priuilegij conferre vacantia per renunciationem, prout docent DD. in c. quamuis 38. cum Gl. ver. decedentium, de præb. in 6. & c. sicut 5. cum Archidiacono & Gl. ver. decedentium, de verb. signif. eod. libro. Idque probatur: Quia nulla gratia, aut dispositio extendi potest vltra mentem seu intentionem concedētis, aut disponentis: Mens autem siue intentio disponentis ex verbis colligi debet secundùm propriam institutionem eorum, aut communem acceptionem. qua de re dixi lib. 1. Theol. moral. tr. 4. c. 18. n. 5. Quamobrem dicunt DD. quòd priuilegium non plus operatur, quàm verba exprimunt, vti colligitur ex c. porrò 7. de priuil. vbi Gl. ver. tenorem, quòd *priuilegium in sua forma tantùm seruari debet, & non vltrà extendendum*. Et videri de hac re potest Suarez lib. 8. de legibus c. 28. num. 15. 16. Sanchez lib. 8. de matrim. disp. 1. num. 4.

Ampliari debet tertiò; Vt etiam locum habeat doctrina, etsi gratia proprio motu Principis concessa sit: propter rationem iam traditam: idque docuit idem Suarez n. 15. cum Gl. in Clem. 2. ver. directas, de præbend. vbi ait, quòd *motus proprius non ampliat gratiam, aut vim verborum, licet excludat subreptionem*.

Ampliatur quartò, quòd doctrina huius c. etiam habeat locum in rescriptis aut concessionibus aliorum Ordinariorum; quia ratio suprà tradita eodem modo in ijs ostendit.

NOTANDVM II. Circa ea verba, *Nisi* 3 *de intentione mandantis, &c.* Quòd à verborum proprietate & communi acceptione recedendum sit, si de alia intentione scribentis appareat, iuxta l. non aliter 67. ff. de legat. 3. *Intentio*, inquit Francus hîc n. 4. *præfertur verbis, si de illa apparet, seu probari potest*. Quia verba instituta sunt ad significandam intentionem siue mentem loquentis: si ergo de ea aliunde constet, ratio verborum habenda non est. Quod vel maximè locum habet in Principe, qui verborum certæ formæ astrictus non est.

Aduertendum autem hoc loco, extensionem hanc verborum vltra eorum proprietatem, aut communem acceptionem, factam ex mente seu intentione loquentis, aut mandantis, vberiorem & ampliorem esse oportere in materia fauorabili, quàm in materia odiosa, aut quæ strictam interpretationem requirit, prout admonet idem P. Suarez cit. cap. 28. n. vlt. Quare non immeritò Pontifex in casu huius c. circa materiam odiosam versante, requisiuit, vt à recepta verborum significatione recedatur, de alia scribentis intentione *apparere expressè*. Sin autem materia fauorabilis sit, v. g. Principis gratia nemini præ-

iudicans: item statutum aliquod, vel promissio obligationem inuehens, minor euidentia, attamen coniecturæ valde probabiliter conuincentes sufficient ad hanc vltra verborum proprietatem &c. faciendam extensionem. *Spectanda est*, inquit bene Suarez, *materia subiecta: nam ad illam solent verba accommodari: & præcipuè spectandum est, an sit materia ambitiosa, vel etiam periculosa, ex qua possit sumi occasio ad multiplicandas lites, vel peccata; vt* videl. tunc *verba coarctentur. Præterea circumstantiæ omnes causarum, & personarum diligenter attendendæ sunt: nam hæc omnia conferunt, tum ad significationem verborum, tum ad mentem Principis intelligendam.* Videri possunt, quę dixi in c. 3. de Constitut.

Exinde resolui potest; Si vel à fundatore mandatum, vel à Capitulo aliquo legitimè statutum sit, vt post mortem vnius beneficiarij, persona talis qualitatis substituatur; vel persona substituta, in locum defuncti, tale onus, aut commodum ferre debeat; num idem quoque extendi debeat ad eos, qui in beneficio succedunt per resignationem. Qua de re Ioann. Andr. hîc col. 1. Francus n. 3. Arbitror autem non posse generalem doctrinam tradi; sed ex materia subiecta, & circumstantiis colligendum fore, quænam fuerit mens statuentium; quippe qui sæpe ad iuridicam verborum acceptionem non exactè attendere solent; atque interdum vnam speciem vacationis, vid. per mortem, tanquam quæ cõmuniter accidere solet, nominare; vt tamen idem quoque in aliis, ob rationis identitatem, fieri velint, iuxta doctrinam apud Sanchez lib. 7. de matrim. disp. 8. n. 13. quòd verba posita in dispositione ob frequentiorem vsum, eam non restringunt.

4 Notandvm III. Mors ciuilis (vid. renunciatio aut depositio) morti naturali non æquiparatur, nisi in casibus iure expressis. Ita sumitur ex hoc c. iun. Gl. ver. non morte, & l. ex ea parte, 121. §. In insulâ, ff. de verb. obligat. vbi Gl. quòd appellatione mortis, naturalis intelligitur, non ciuilis. Tametsi enim mors ciuilis, v. g. depositio, æquiparetur in iure morti naturali, tamen æquiparatio ista locum nõ habet, nisi in casibus æquiparatis, vti videre licet apud Franc. hîc & DD. ab eo citatos n. 16.

CAPITVLVM VII.

Gratia.

Paraphrasis.

Titius ignorans beneficium ab Episcopo sibi absenti collatum esse, impetrauit aliud beneficium à Sede Apostolicâ, nulla facta mentione beneficij priùs sibi collati. Hoc casu dubitatum fuit, vtrùm gratia Papalis valida, an vitiosa, seu subreptitia sit. Resp. Bonifac. VIII. validam esse, ita vt quidem vtrumque retinere non possit, si beneficia incompatibilia sint: fore tamen in optione impetrantis, vtrum eorum relinquere velit.

Svmmarivm.

1. *Beneficio sibi ab inferiore collato, nondum autem acceptato, potest à Papa validè aliud impetrare, nulla etiam mentione facta de collatione prioris; alterutrum tamen retinere debet, si de iure simul sint incompatibilia.*
2. *Rescriptum tacitâ veritate obtentum, sine dolo, valebit, si Papa etiam veritate cognitâ id concessisset, quamuis alio modo, aut sub alia conditione.*

VAriæ sunt huius c. explicationes, vti videre licet apud Domin. hîc, & Francum n. 3. DD. in c. super literis, vbi Anton. n. 27. Abb. n. 5. Felin. n. 6. hoc tit. Sanchez lib. 8. de matrim. disp. 21. n. 60. Quid sentiam mox indicabo.

Notandvm Vn. Si cui ab inferiore 1
collatore beneficij collatio facta sit, isque nondum acceptârit, seu consensum dederit, à Papa, nulla etiam mentione facta ea collatione, validè impetrat gratiam alterius beneficij: Si tamen vtrumque simul secundùm canones retinere non possit, altero, quod maluerit, contentus esse debet. Hunc sensum videtur amplecti Gl. super ver. ignoranti.

Quòd

Quòd rescriptum beneficiale in hoc casu validum & non obreptitium sit, ita ostenditur: Vel enim esset obreptitium, quòd secundùm stylum Curiæ, mentio prioris beneficij, quantumuis modici, tanquam forma seu conditio necessaria, requiratur, iuxta c. penult. hoc tit. in antiq. & c. si motu 23. de præb. in 6. Id verò dici non potest: quia canones isti loquuntur de beneficio obtento. In casu autem nostro prius beneficium obtentum non est; cùm ante consensum præstitum, is cui collatio facta, nihil penitus iuris in illo habeat, præter id, quod consentiendo siue acceptando ius in eo acquirere possit, c. si tibi absenti 17. de præb. in 6. Vel obreptitium esset ex eo, quòd taciturnitas factæ collationis, quamuis necdum acceptatæ, causam prębeat rescripti siue gratiæ Papalis: quandoquidem si Papa veritatem cognouisset, verisimiliter non concessisset, cùm per hanc viam beneficiorum pluralitas inuehi possit, à qua sacri canones, eorúmque fideles custodes Romani Pontifices abhorrent, vti colligitur ex c. cùm adeò 17. c. postulasti 27. c. in nostra 32. hoc tit. & ex Concil. Trident. sess. 24. c. 17. de reform. Verùm aduertere oportet ad suprà cit. c. super literis 20. jis verbis; *saltem in* 2 *forma communi literas dedissemus*; Exinde enim sumitur doctrina, si rescriptum (siue iustitiæ, siue gratiæ; cùm eadem vtriusque ratio sit, nisi quòd hoc propter obreptionem, ipso iure vitiatur, illud verò ope exceptionis) tacita veritate obtentum sit, sine dolo, valiturum rescriptum, si Papa etiam veritate cognita, concessisset, quamuis alio modo, aut sub aliqua conditione: tunc enim rescriptum siue gratia, saltem cum eo modo, aut conditione, executioni mandari poterit. Id verò in proposito casu ita accidit: Aut enim duo illa beneficia impetrans de iure, id est, iustè, & canonicè simul obtinere potest; tunc taciturnitas ea prioris collati, non acceptati beneficij, nequaquam est causa gratiæ Papalis; quia eam Papa, etiã re cognita, absolutè, eodémque modo fecisset. Aut vtrumque simul de iure, id est, iustè, legitimè, canonicè obtineri non potest; (non tantum si speciali ratione incompatibilia sint, iuxta c. referente, 7. & c. de multa 28. de præb. sed etiam ideo, quia obstat à sacris canonibus prohibita beneficiorum pluralitas, quorum singula ad honestam sustentationem sufficiant) tunc Pontifex illi, qui collationi, aut etiam electioni de se factæ non consensit, aliud quoque conferret, sed sub modo & conditione, quæ hîc expressa est; vt vtrumque non retineat; sed si prius acceptare velit, posterius à Papa impetratum relinquat: sin hoc malit, illud ne acceptet, vel acceptatum resignet. Quod ipsum in hoc c. tanquam æquum & canonicum fieri iubetur.

CAPITVLVM VIII.

Quamuis.

Paraphrasis.

Titius à summo Pontifice gratiam obtinuerat de conferendo ipsi beneficio in ecclesia Cathedrali N. Mox idem Pontifex, vel successor eius gratiam reuocauit: Deinde verò simílem gratiam Caio clerico ad eandem contulit ecclesiam: Postea dictus clericus Titius gratiæ reuocatæ restitutionem ab eadem Apostolica Sede impetrauit. Cùm itaque in ea Cathedrali ecclesia beneficium vacasset, dubitatum fuit, Titiúsne, an Caius in eius assecutione esset præferendus? Respondet hîc Bonifacius VIII. Papa, Titium præferendum esse: Quia talis restitutio, si aliud non exprimitur, fieri censetur sine præiudicio iuris alieni.

Svmmarivm.

1. *Princeps nunquam censendus est gratiam alteri facere cum alterius iuris præiudicio.*
2. *Restitutio à Principe alicuius ad iura sua legitimè amissa, noua gratia est, ideóque non semper ea fit in integrum.*
3. *Episcopus non potest restituere presbyterum ob crimen depositum, inuito patrono.*

Notandvm I. Princeps nunquam cen- 1
sendus est alicui gratiam facere, cum alterius

terius iactura, siue diminutione iuris sui; nisi id exprimat. Dixi de hac re in c. quæ in Ecclesiarum 7. de Constitut. Admonet autem Francus hîc n. 3. ex hoc textu apparere, id etiam locum habere *in materia, in qua Princeps per solam voluntatem suam posset ius alterius auferre, prout est in materia beneficiali.*

2 NOTANDVM II. Si quis à Principe ad iura sua, quæ legitimè amisit, restituatur, censetur hæc noua gratia; ideóque non semper fit ea restitutio in integrum, ita vt omnia recuperet, quæ tempore priuationis habebat; prout fieri solet in restitutionibus, quæ exigente iustitia, aut æquitatis ratione fiunt, ob læsionem, ob vim, &c. l. 1. ff. ex quibus causis maiores &c. l. 1. & l. vlt. in fine C. de sentent. passis. Ita sumitur ex hoc c. ver. cùm talis, fun. Gl. ibid. & docet Baldus in cit. l. vlt. Felinus in c. venerabili princ. de offic. deleg. Abb. in c. quia, n. 9. de elect. Ratio est quia actio, seu ius qualecunque, quod semel extinctum est, non renascitur, l. quires 95. §. Aream, ff. de solut. vbi dicunt DD. quòd obligatio extincta nunquam reuiuiscit.

Exinde colligitur primò cum Gl. hîc ver. cùm talis, quam Canonistæ communiter sequuntur, Zasius item allegato textu huius c. in l. iura ff. de legibus; Si quis à Principe ob commissum crimen bonis suis priuatus sit, & postea restituatur, non recuperari ab ipso ea bona, quæ medio tempore alienata, aut alteri donata sunt: Cùm enim rus ac dominium bonorum pristinum amiserit, illud per restitutionem non recuperat; sed per nouam gratiam, concessionem, seu donationem Principis; quæ fieri non censetur cum præiudicio iuris aliis personis acquisiti. Quare neque fructus intermedio tempore percepti recuperabuntur; si eorum percipiendorum ius alteri relinquebatur, Auth. Idem de Nestorianis, Cod. de hæreticis, & docet Francus hîc in fine c. Zasius citato loco. Dixi de hac re aliquid in c. quæ in ecclesiarum, dub. 1. de Constitut.

3 Secundò colligit eadem Gl. communiter recepta; Si ecclesiæ alicuius Presbyter ob crimen canonicè amotus, seu depositus sit, postea restitui non posse ab Ordinario, sine patroni consensu, seu repugnante patrono. Ratio dari debet; partim quia est potiùs hæc noua institutio, quàm iuris pristini restitutio; ideo quodammodo noua patroni præsentatio necessaria est: partim quia negari non potest, vacante beneficio per depositionem, patrono acquiri ius alium præsentandi; quod ius inuito adimi non debet.

CAPITVLVM IX.

Si eo tempore.

PARAPHRASIS.

Sempronius cùm vicesimum quartum ætatis annum necdum haberet, ideóque propter ætatis defectum ad beneficium curatum inhabilis esset, *c. cùm in cunctis. 7. de electione.* à Pontifice impetrauit mandatum de prouidendo ipsi beneficium cum cura, vel sine cura animarum. Cùm autem Sempronius annum ætatis 24. assecutus esset, vacauit in ecclesia beneficium curatum: dubitatur, an authoritate literarum Apostolicarum ipsi conferendum esset. Resp. Papa, conferri non posse: quia in gratiis beneficialibus inspiciendum est tempus *datæ literarum.* Cùm itaque eo tempore Sempronius inhabilis fuerit ad beneficium curatum, habilis verò ad non curatum; vigore eius rescripti consequi potest beneficium sine cura, non autem cum cura.

SVMMARIVM.

1. *Rescriptum beneficiale, quod & quatenus tempore* datæ literarum *fuit propter obreptionem irritum, non conualescit tractu temporis ob rei mutationem.*
2. *Idem quod secundum vnam partem obreptitium est, secundùm alteram, non connexam, sed separabilem, consistere potest.*

NOTANDVM I. Rescriptum gratiæ, seu beneficiale, quod, & quatenus tempore impe-

impetrationis seu datæ literarum, propter obreptionem, irritum fuit, non potest tractu temporis, propter rei mutationem, conualescere. Ita intelligit & explicat Abb. in c. dilectus 27. n. 8. de præb. Felin. in c. eam te n. 18. hoc tit. Mart. Nauarr. in c. si quando excepit. 10. n. 6. vbi ait, quòd ad cognoscendum, num rescriptum beneficiale obreptitium sit, attendi debet tempus *datæ*: Ita vt non sufficiat tempore executionis impetrantem habilem esse ad beneficium; nisi etiam fuerit tempore impetrationis, siue datæ literarum. Qui est casus huius cap. Ratio dari debet, quia *non firmatur tractu temporis, quod ab initio de iure non subsistit*, reg. 18. in 6.

Neque obstat huic doctrinæ c. ei cui 29. in 6. vbi significari videtur per sensum cõtrarium, interprete Gl. ibid. ver. nondum; Si quispiam à Papa gratiam impetrauit, quâ simpliciter mandabatur, vt beneficium proximè vacaturum ei conferretur; accidat autem, vt vacet sacerdotalis; conferri non posse vi eius rescripti, si *tunc*, id est, tempore vacationis impetrans ætatem legitimam assecutus non sit; posse autem, si tunc assecutus sit. Itaque ait Glossa: *inspicimus non tempus datæ siue vacationis* beneficij, in quo gratiæ beneficialis executio fit. Resp. cum Abbate & Felin. cit. locis; In cap. illo *Ei cui*, nullam obreptionem contigisse; Igitur aliam regulam ex eo colligi; Videl. Cessante obreptione, si agatur de gratia, cuius effectus pendens & executioni mandatus non est, spectandum esse tempus non concessionis, seu impetrationis, sed executionis.

Ex quo colligit Abb. loco suprà cit. Dominic. & Francus hîc n. 5. Si Papa motu proprio mandâsset iuxta tenorem huius c. videl. vt Titio beneficium proximè vacaturum cum cura, vel sine cura, prouideatur, posse prouideri curatum, etsi tempore impetrationis ætatem requisitam ad curatum non habuerit; dummodò eo tempore habeat, cùm vacat curatum. Ratio est; quia motus proprius tollit obreptionem, c. si motus, 23. vbi omnes DD. de præb. in 6.

Dicet quispiam: Motus proprius tametsi obreptionem tollat, non tamen tollit incapacitatem, seu inhabilitatem personæ; nisi quid addatur, ex quo colligi possit, Papam dispensare, seu impedimentum tollere velle, vti docet Gl. recepta in Clem. Si Romanus 4. ver. validam, de præb. & alia Gl. in cit. c. si motu, ver. ob hoc; vbi exempla ponuntur, *de defectu natalium, vel ætatis, vitio corporis, bigamia, & similibus; quæ licet per viam subreptionis parti opponi non possint, opponuntur tamen per viam iuris communis; cum proprius motus talium dispensationem non faciat.* Resp. nullam esse hîc difficultatem: Vera enim hæc sunt, si adsit incapacitas ex parte recipientis gratiam; vt si Papa puero conferat beneficium curatum: cùm tamen nullum indicium appareat voluisse dispensare. Hîc autem nulla adest incapacitas ex parte recipientis gratiam; cùm secundùm ius, certa ætas, videl. 24. annorum completorum, non requiratur ad acquirendam gratiam pro beneficio curato vacaturo; sed vt eam ætatem habeat clericus, cùm ei tale beneficium confertur.

NOTANDVM II. Rescriptum beneficiale, quòd secundùm vnam partem obreptitium & irritum est, secundùm alteram partem, non connexam, sed separabilem, consistere potest. Quia vtile per inutile vitiari non debet, reg. 37. in 6. Sumitur apertè ex hoc c. ibi, *Beneficium autem sine cura*, & tradit Gl. communiter hîc recepta, in fin. notando, Felin. allegato hoc c. in c. Sedes n. 2. hoc tit. Nauarr. consil. 8. n. 3. hoc tit. Gaill. lib. 1, obs. 66. n. 11.

CAPITVLVM X.

Si propter.

PARAPHRASIS.

Bonifacius VIII. Episcopo cuidam speciali gratiâ concessit, vt ad dissolutionem debitorum ecclesiæ suæ omnium beneficiorum vacantium in diœcesi primos fructus ad quinquennium percipere posit, non obstantibus quibuslibet consuetudinibus, priuilegijs, vel statutis, per quæ gratia illa impediri posset. Sed quia

liquorum beneficiorum fructus primi anni speciali consuetudine, priuilegio, vel statuto debebantur ecclesiæ Cathedralis fabricæ, vel alteri vsui, vel alicui personæ singulari, dubitatum fuit, quid de his fructibus faciendum esset. Resp. Papa, intentionem suam non esse, nouâ illâ concessione specialibus antea factis primorum fructuum applicationibus præiudicium afferre, nisi id expressum fuerit,

SVMMARIVM.

1. *In generali concessione primorum fructuum Episcopo facta non comprehenduntur ij, qui antehac fabricæ, alteriue pio vsui, aut personæ debebantur.*
2. *Fructus hi seu reditus primi anni, quæ & annatæ vocantur, in vacantibus beneficijs iure designari possunt, & alteri pio vsui aut personæ applicari non tantùm à Papa, sed etiam ab inferioribus Ordinarijs, qui tamen applicare non possunt eas suæ mensæ.*
3. *Si Episcopo Pontifex fructus omnium in diœcesi vacantium beneficiorum cõcedat, eâ generalitate comprehenduntur etiam dignitates v. g. Præpositura, Decanatûs &c.*
4. *Non autem beneficia, & Prælaturæ exemptæ.*

HVIVS c. responsum non vno modo intelligitur: Aliqui volunt, mentem Pontificis Bonif. VIII. fuisse, vt fructus primi anni ex vacantibus beneficijs darentur ecclesiæ fabricæ, aut personæ illi, cui antehac dari debebant; at verò fructus anni secundi, ex speciali Pontificiâ concessione, Episcopo obuenirent. Ita significat Ioan. Monachus in c. cum aliquibus, ibid. Probus hoc tit. & lib. & alij, quos refert Gl. final. hîc: Quia clausula *Non obstantibus* non tollit obstacula temporalia; (quod enim differtur, non aufertur) sed quæ gratiæ extinctionem operari possent. Alij verò, vt Gl. cit. Ioann. Andr. & alij multi dicunt, fructus primi anni Episcopo deberi ex Papali hac concessione; fructus autem secundi anni ecclesiæ fabricæ, vel alteri vsui, iuxta consuetudinem, statutum, &c.

Sed neutra expositio textui congruere videtur: Et cùm reseruationes primorum fructuum cedant in præiudicium ac damnum beneficiariorum, prout videre licet in extrauag. Ioannis XXII. Papæ *Suscepti*, inter communes, Ne Sede vacante aliquid innouetur; ideo credibile non est, nomine primorum fructuum, etiam secundi anni fructus hîc comprehensos fuisse; cùm id magna & exorbitans extensio esset.

Placet itaque intellectus, quem rubrica c. indicat, & tradidit hîc Archidiaconus, Petr. Ancharanus; explicant & declarant hîc Anton. n. 5. & seqq. Francus n. 12. Quòd in generali concessione primorum fructuum Episcopo facta, comprehendi non debent ij fructus, qui antehac fabricæ, alteriue pio vsui, aut personæ debebantur: Propterea, quòd Papa non censetur vni gratiam facere, cum alterius damno & præiudicio: Cùm notum sit, quòd priuilegium speciale deroget priuilegio generali, præsertim subsequenti, c. 1. hoc tit. in antiq. vbi id docui not. 3. dicto 4. & pertinet huc iuris reg. 81. in 6. *In generali concessione non veniunt ea, quæ quis verisimiliter non esset in specie concessurus.*

Neque iuuat causam Episcopi clausula *Non obstantibus*, posita in textu; quia ea intelligi debet secundùm limites concessionis; videl. vt eorum beneficiorum vacantiũ fructus primos, qui ex voluntate Pontificis Episcopo obuenire debent, nulla consuetudo, priuilegium aut statutum (si quod sit v. g. vt fructus omnes sine diminutione ad successorem in beneficio perueniant) impedire possit. Voluntas autem Pontificis alia non fuit, neque rationabiliter esse potuit, nisi eorum omnium beneficiorum vacantium, quæ antea simili onere erga alteram causam, aut personam grauata nõ erant, fructus ad quinquennium Episcopo, ad soluenda debita, concedere.

NOTANDVM I. Priuilegium siue gratia generalis non derogat priori gratiæ seu priuilegio speciali; sed potiùs ab ea limitatur,

tur,ſeu derogatur,iuxta regul. 81.ff. *In toto iure generi per ſpeciem derogatur.*

2 NOTANDVM II. Fructus ſeu reditus primi anni,quæ & *annatæ* dici ſolent, legitimâ auctoritate deſignari poſſunt in vacantibus beneficijs eccleſiaſticis,vt ſummo Pontifici,Epiſcopo, eccleſiæ fabricæ, vel alteri pio vſui,ob rationabilem cauſam, applicentur. Et fieri ſolet hæc fructuum demendorum deſignatio ante beneficiorum collationem,ita vt affecta iam hoc onere ad inſtituendos beneficiarios perueniant, prout annotauit Thom. Campegius de annatarum inſtitutione,n.11.

QVÆSTIO prima: Cuius auctoritate annatæ ſeu beneficiorum primi fructus deſignari,& alteri pio vſui aut perſonæ applicari poſsint? Reſpondeo,De Rom. Pontifice non poſſe eſſe dubium, prout conſtat etiam ex hoc c. ſed & inferiores Ordinarios, videlicet Epiſcopos, ex iuſta & rationabili cauſa, beneficijs annatas imponere poſſe, docent DD. hîc in Gl. margin. Campeg. cit. loco n.6. Ioann. Andr. hîc n.5. vbi reſoluit, quòd Epiſcopus cum Capitulo, ſtatutum facere poſsit de certa parte fructuum primi anni ex beneficijs in diœceſi vacantibus applicanda ad fabricam eccleſiæ cathedralis,ſi eius reparandæ neceſsitas ſit. Non poteſt autem Epiſcopus, etiam cum Capituli conſenſu,ſtatuere,vt primi anni prouentus ſuæ menſæ applicentur; quia auctoritatem præſtaret in proprio facto, ſeu proprium commodum,Clem.2.de rebus eccleſiæ non alienand. Quare hoc in caſu Pontificiâ auctoritate opus eſt, prout etiam in hoc c. apparet.

Videri poſſunt, quæ de annatis ſcripſi Theol. moral. lib.4. tr.10. cap.vlt.§.5.n.46. Quòd adhuc hodie in quibuſdam Germaniæ eccleſijs vigeant,& quidem ita,vt Epiſcopo primi fructus,ſeu potiùs eorum pars moderata reſeruetur. Neque ſatis conſtat, num per Concilium Tridentinum ſeſſ.24. cap.14. de reform. huiuſmodi primorum fructuum ex vacantibus beneficijs ſubtractio ſimpliciter prohibita ſit; an verò duntaxat,ne ita accipiantur, vt ſimoniæ ſpeciem gerat, pro collatione aut inſtitutione capiantur.

QVÆSTIO ſecunda; Si Pontifex,iuxta 3
caſum huius c. omnium in diœceſi vacantium beneficiorum fructus Epiſcopo concedat,num eâ generalitate comprehendantur etiam dignitates,v.g.Præpoſitura,Decanatus; & num etiam beneficia & Prælaturæ exemptæ? Ad primum,videri poſſet negatiuè eſſe reſpondendum; Quia in materia odioſa, adeóque ſtrictæ interpretationis, nomine communi beneficiorum non veniunt dignitates: hæc autem annatarum conceſsio odioſa eſſe videtur; cùm ſit contra primæuam beneficiorum inſtitutionem; atque deroget iuri inſtituendorum beneficiariorum, quibus integri prouentus obuenire deberent,iuxta tit. lib.3. decret. vt beneficia eccleſiaſtica ſine diminutione conferantur. Nihilominus affirmatiuam partem rectè hîc tenent Ioan. Monach. & Ioan. Andr. & ſumitur apertè ex c. penult. de verbor. ſignif. Ratio dari debet: Quia hæc conceſsio ſiue indulgentia potiùs fauorabilis,quàm odioſa cenſeri debet, prout hîc Gl. indicat, ver. primi anni, & tradit Francus hîc n.6. Domin. n.9. Idque partim ſpectatâ intentione Pontificis,iuxta regulam,quam ijdem DD.tradunt,Couarr.lib.1.reſol.cap.11.n.5. Sanchez lib.1.de matrim.diſp.1.n.4. In diſpoſitionibus, quæ vnâ ratione odium ſiue onus, alterâ fauorem continere videntur, principalem diſponentis intentionem conſiderandam eſſe; dummodò ita res conſtituta ſit,vt odium à fauore ſeparari non poſsit: At verò ſi ſeparari queant,tum eâ parte,quâ diſpoſitio fauorabilis eſt,latè explicari, quâ verò odioſa,ſtrictæ interpretationis eſſe debet, prout cit. locis Couarr. Sanchez declarant: Cùm itaque intentio Papæ præcipua fuerit fauorem Epiſcopo præſtare,vt à debitis,quibus Epiſcopatus grauatus erat, liberaretur; nec poſsit fauor iſte ſeparari ab onere,ſeu derogatione iuris,qua de obiectio fuit,ideo dicendum,conceſsionem hanc latè explicandam eſſe: Partim verò,ſpectatâ materiâ conceſsionis, hoc ipſum dici conuenit: Cùm ſit facta Epiſcopo,tanquam patri com-

comparatione aliorum beneficiariorum diœcesis: quibus, vt filijs, incumbit prouidere Episcopo, si indigeat: eáque ipsa prouisio, siue subsidium in honorem ipsorum quoque deriuatur. Quare licèt, absolutè loquendo, onus quoddam eorundem sit, tamen charitas subleuat, vt non æstimetur: Deinde si alij inferiores beneficiarij onus sustineant, vt primi anni fructibus, aut aliquâ eorum portione careant, multò id magis sustinere decet Præpositum, Decanum, & Canonicos; quippe qui in maiore gradu constituti, Episcopo suo propinquiores, magisque coniuncti sunt.

Ad alterum membrum quæstionis, affirmatiuè respondet Ioan. Andr. hîc n. 1. Petr. Ancharan. not. 3. Tametsi enim beneficia à iurisdictione Episcopi exempta sint, tamè in diœcesi eius existunt. Sed contrarium magis placet, quod hîc Archidiaconus & alij ab Anton. de Butrio n. 20. allegati docuerunt.

4 Nam beneficia hoc ipso quòd à iurisdictione & curâ Episcopi exempta sunt, cum ipso communionem non habent; ideóq; nec obligationem erga ipsum suscipiunt, præterquam in casibus specificè expressis. Confirmatur: Exemptio est veluti speciale priuilegium: Et ideo per generalem concessionem ei derogatum censetur, argum. huius c. & l. decurionibus 3. C. de silentiarijs lib. 12. iuncta Gl. Ad argum. pro parte affirmatiua resp. Beneficia exempta, cùm administrationi episcopali subiecta non sint, non censeri esse de diœcesi saltem generali appellatione beneficiorum diœcesis, in oneribus seu præstationibus non comprehendi.

CAPITVLVM XI.

Statutum.

PARAPHRASIS.

Circa modum rescriptorum Apostolicorum ad lites aliter hîc statuit Pontifex Bonifacius, quàm antea tum ab ipso, tum ab alijs Pontificibus statutum erat. Et primò decernit, vt controuersiæ auctoritate Sedis Apostolicæ, vel legatorum eius, alijs non delegentur, quàm ecclesiasticam dignitatem, vel personatum obtinentibus, aut Cathedralis ecclesiæ Canonicis. Deinde vt hæ causæ alibi non cognoscantur, quàm in ciuitatibus & locis insignibus, vbi copia peritorum haberi possit.

SVMMARIVM.

1. *Causæ ab Apostolica Sede, vel eius legatis committi debent dignitatem ecclesiasticam aut personatum gerentibus, & Cathedralium ecclesiarum Canonicis.*
2. *Dignitatem habet, & delegationis capaces sunt, qui à præeminentia, quam cum ecclesiastica iurisdictione gerunt, amouibiles sunt.*
3. *Hinc delegati Papæ esse possunt Vicarius Episcopi generalis, seu Officialis principalis; & si duo sint Officiales æquè principales, vtrique delegari potest.*
4. *Priores, qui toti Conuentui cum iurisdictione præsunt, possunt esse delegati Papæ; non autem Guardiani Ordinis Minorum; nec Superiores Societatis IESV sine Præpositi Generalis licentiâ.*
5. *Beneficium & dignitas habet se vt excedens & excessum. Vicariatus enim generalis dignitas est, non beneficium; idem est de Cancellariatu in Academia à Sede Apostolicâ approbatâ; & Superioratus Ordinum Mendicantium.*
6. *Commissio alicui facta ratione officij vel dignitatis, quam postea resignauit, non ab ipso sed eius successore expediri decet; secùs est, si commissio facta sit personæ.*
7. *Canonicus, ad quem literæ Papales directæ sunt, ingrediens religionem, potest eas exequi.*
8. *Professi ecclesiæ Cathedralis regularis possunt esse Papæ delegati, aut Legati; vti vniuersim omnes Canonici, etiam qui præbendam non habent.*

9. *Alterc*

9. *Actore & reo in eadem ciuitate aut diœcesi existentibus, causa committi non potest extra ciuitatem aut diœcesin, nisi in casibus hic nominatis.*
10. *Actor contra reum diuersæ ciuitatis aut diœcesis debet impetrare delegatum vel in ciuitate aut diœcesi rei, vel in alia non propria, nec vltra vnam dietam existente.*
11. *Delegatus extra locum commissionis nil agere potest, nisi de consensu partium expresso; neq; alteri causam subdelegare, nisi in eum locum; & personis requisitam qualitatem habentibus.*
12. *Delegatus Apostolicus ad lites nullum munus à partibus accipere debet, nisi sit esculentum aut poculentum ex mera liberalitate oblatum, quod intra paucos dies absumi possit.*
13. *Alioquin acceptum restituere debet.*
14. *Et hoc etiam intelligendum est de aliis commissariis, quibus v.g. dispensationes super votis, aut matrimonij impedimentis committuntur.*
15. *Ei incumbit sumptus præstare, cuius gratiâ actus exercetur.*
16. *Delegatus non debet assumere assessorem, nisi eo in conscientia indigeat, qui neutri parti sit suspectus; & huic salarium partes soluent, quod tamen, vti & Notariorum, delegatus iudex moderabitur, nec cum ijs, aut cum assessore lucrum participabit.*

Qui si aliquid aduersus hanc constitutionem acceperit, ad integram restitutionem tenebitur, non profutura ipsi remissione ab ijs facta, quibus restitutio fieri debet.

17. *Si quid Iudicis conscientiæ aut prudentiæ relinquitur, non est locus querelæ, aut appellationi; nec opus certâ causæ cognitione aut probatione: pars tamen officium iudicy implorare non prohibetur, vt compellat Commissarium ad id, quod conscientiæ eius commissum est, rationabiliter expediendum.*
18. *Inhabilitas comparandi dominij accepti muneris non est ad alios iudices delegatos extendenda, quàm Papæ & Legatorum eius.*
19. *Delegatus non debet vocare testes, nisi causæ status id requirat, & tunc producens expensas pro accessu, discessu, &c. soluere cogitur.*
20. *Quidquid contra hanc constitutionem actum fuerit, ipso iure irritum est.*

NOTANDVM I. Expedit quandoque, vt leges anteriores, si Reipublicæ minùs commodas esse experientia doceat, mutentur, & aliæ constituantur. Ita hîc, & in c. non debet 8. de conſ. & affinit.

NOTANDVM II. Tametsi dignitas & personatus interdum pro eodem accipiantur, vti colligitur ex c. cùm accessissent 8. de constit. interdum tamen distinguuntur; vt dignitas sit ecclesiastica præeminentia, iuncta cum iurisdictione fori externi: Personatus autem ecclesiastica præeminentia sine iurisdictione. Quæ de re dixi in mor. Theol. lib. 4. tr. 2. cap. 4. n. 4.

NOTANDVM III. Causæ, auctoritate Sedis Apostolicæ, aut Legatorum eius, aliis cõmitti non possunt præter dignitatem ecclesiasticam aut personatum gerentes, & Cathedralium ecclesiarum Canonicos. Hoc est præcipuum huius c. constitutum, pro cuius intellectu, ante omnia, circa verbum *causæ* duo aduertenda sunt. Primum, cum Glossa ibid. quam interpretes ibi communiter approbant, & Imola in c. cùm in iure, ibidem Abb. n. 2. de elect. fusè Nauarr. in c. cùm contingat, nullit. 2. n. 4. & seqq. Sermonem hîc esse duntaxat de commissionibus, quæ fiunt cum annexa iurisdictione: sic enim nomen causæ accipi solet, vt iurisdictionem inuoluat, prout colligitur ex c. super quæstionum 27. post princ. de off. delegat. Quare annotauit Nauarr. cit. loco distinguendum esse inter executores, qui deputari solent super gratiis Sedis Apostolicæ: Aut enim sunt executores meri, qui partes iudicis assumere non debent, sed executionem tantùm mandati facere, v.g. beneficium conferre, aut prouisum in possessionem mittere, nemine se opponente: Item ij, quibus articulus non iurisdictio-

dictionalis, sed nudum ministerium, v.g. testium receptio committitur: hi non indigent ea qualitate, quæ in hoc c. postulatur. At verò executores gratiarum, qui partes iudicis assumere debent, iurisdictionem ue obtinent, secundùm Gl. receptam in Clem. vn. ver. executores, vbi ait, quòd *executores ad prouidendum delegatam iurisdictionem habent*, in ijs requiruntur huius c. qualitates; Tametsi in commissione non contineantur verba iurisdictionis processum significantia, vid. *vocatis vocandis*, aut *contradictores compescendo, &c.* quia talis clausula tacitè intelligitur in negotiis causæ cognitionem requirentibus. Et hæc eadem sentiri debent de subexecutoribus, prout videre licet in Rot. Romana decis. 1. de off. deleg. in antiquis: *Executor datus in literis gratiæ non potest mandare subexecutori, nisi sit persona habilis, de qua cauetur in c. statutum, de rescript. in 6. quod talis executor habeat potestatem cognoscendi, seu assumendi iudicis officium: Nudum autem ministerium simplici presbytero seu curato bene potest demandare, vt notat Archidiaconus in eo c. statutum, ver. causæ.* Confirmatur ex c. cùm in iure 52. de elect. vbi causa electionis faciendæ, adeóque extrajudicialis, commissa est fratri cuidam Ordinis Prædicatorum: cùm itaque in hoc disertè nihil fuerit mutatum, & iurium correctio vitanda sit, c. cùm expediat 29. de elect. ideo in eodem iure antiquo persistendum, arg. l. præcipimus 32. Cod. de appellat.

Alterum. Statutum huius c. duntaxat locum habet in causis, quę suapte natura coram ecclesiastico iudice tractari debent; Non item in ijs causis, in quibus etiam Iudex laicus, secundùm canones, idoneus esse potest; videl. si Pontifex in causa criminali, aut ciuili, contra laicum sibi subditum, aut per viam appellationis contra alium, iudices deleget; Cùm enim commissio hæc Iudici laico fieri possit, non minùs poterit fieri clerico carenti qualitate hîc requisita; excepta tamen sanguinis causa. Ita ex communiore annotauit Francus hîc n. 12. post Ioann. Andr. in c. fua nobis 65. col. 1. de appellat.

2 QVÆSTIO prima: Vtrùm ij dignitatem gerere, & delegationis capaces censeri possint, qui à præeminentia, quam cum ecclesiastica iurisdictione gerunt, nutu Superioris, amobiles sunt? Responsio est affirmatiua, prout videre licet in Clem. 2. hoc tit. Vbi inprimis responsum est de principali Officiali Episcopi, quòd à Sede Apostolica, vel Legato eius, dari possit delegatus; Is enim licèt pro arbitrio Episcopi, aut sede vacante, Capituli eum constituentis, amoueri possit; tamen dum in officio est, ex episcopali iurisdictione ac tribunali, cui præest, præeminentiam ac dignitatem gerit, prout annotauit Gl. in cit. Clem. 2. ver. delegatus, Sbrozius de Vicar. generali lib. 1. q. 49.

Est autem hîc aduertendum, eum qui in his aliisue pluribus regionibus, appellari solet Vicarius generalis Episcopi, in Italia appellari Officialem principalem, sicuti Azor testatur tom. 2. lib. 3. cap. 13. q. 8. Quamobrem literæ Apostolicæ, saltem quæ ad vltramontanas regiones destinantur, *Officiali* inscribuntur. Quo verbo semper intelligi solet principalis Officialis, cui videl. iurisdictio episcopalis generatim, tam quoad causas, quàm quoad loca diœcesis commissa sit, qui apud nos, vti paulò antè dixi, Vicarius in spiritualibus generalis appellari solet. Quòd si verò in ecclesia aliqua, duo sint Officiales æquè principales, seu duo Vicarij generales concurrentes in ordinaria episcopali sibi cómissa iurisdictione, vtrique delegari potest, secundùm Gl. marginal. receptam circa verb. Principalis, cit. Clem. 2. Sin autem ita sint plures Episcopi Officiales, siue Vicarij, vt vnus in temporalibus sit, alter in spiritualibus; vel vnus in certa diœcesis parte, aut quoad certas causas, v. g. matrimoniales, decimales; alter verò generatim sit constitutus; tunc iste solus, tanquam principalis literas apostolicas, quæ Officiali inscribuntur, accipiet, vti constat ex prædicta Clem. 2. iun. Gl. ver. Principali, & verb. foraneo, & videri potest Sbrozius lib. 2. q. 29. Garcias de benef. p. 5. cap. 8. n. 36. 120. Et colligitur ex hoc ipso c. quia Officialis in temporalibus ecclesiasticam iurisdictionem non gerit; Officialis autem in spiritualibus certis causis, adeóque

non

non generalis, iuriſdictionis quidem officium exercet; ſed præeminentiam, dignitatémque in eccleſia non obtinet; quare delegatum Sedis Apoſtolicæ eſſe non poſſe, certum eſt. Imò non deſunt, qui cum Gl. in cit. Clem. ver. Officialis, arbitrantur, Vicarium generalem in ſpiritualibus delegatum dictæ Sedis Apoſtolicæ, aut Legati eius, eſſe non poſſe, niſi etiam ſit Vicarius ſiue Officialis in temporalibus, vti videre licet apud Sbrozium lib. 1. q. 49. Id tamen verum non eſt, & eccleſiarum praxi repugnans.

4 Secundò in ead. Clem. reſponſum fuit de Priore Conuentuali, qui Congregationi Regularium cum iuriſdictione præeſt, tametſi is non per electionem conſtitutus ſit, ſed à ſuperiore v.g. Abbate, alióue Prælato, ad nutum eius amobilis, quòd delegatus eſſe poſſit, iuxta tenorem huius c. ſtatutum; At verò Prior clauſtralis eſſe non poſsit. Ratio dari debet, quia Conuentualis ille Prior dignitatem eccleſiaſticam gerit; cùm habeat præeminentiam cum iuriſdictione iunctam ſuper certo collegij corpore, ſeu congregatione Regularium: Iſte autem, clauſtralis inquam Prior, Abbati in eadem congregatione ſeu corpore eccleſiæ ſubiectus, non dignitatem, ſed ſolicitudinem potiùs gerere cenſetur, vti notauit Capra in ead. Clem. 2. n. 7. Abb. Panorm. in c. niſi eſſent n. 6. de præbendis.

Exinde inferunt Doctores, Dominicus de S. Gemin. in cap. nullus n. 6. de elect. in 6. Francus hîc n. 4. Aug. in ſumma ver. delegatus n. 3. Syl. V. eod. q. 2. n. 3. & alij cõmuniter, quòd Guardiani Ordinis Minorum poſsint eſſe delegati Sedis Apoſtolicę & Legatorum; eò quod dignitatem eccleſiaſticam habeant. Sed Sanchez lib. 6. moral. cap. 13. n. 81. propter ea quæ tradit Rodriq. tom. 1. reg. qq. q. 65. a. 3. annotat, id PP. Guardianis non licere, propter peculiarem Ordinis conſtitutionem, eiuſmodi iuriſdictiones delegatas, iunctas cum Litigio, bonorum temporalium inter partes diſtributione &c. ad conſeruandam inſtituti puritatem, animorúmque quietem, ipſis prohibentem. At verò à Superioribus Societatis noſtræ, talia ſine Præpoſiti Generalis licentia, ſuſcipi non poſſe, conſtat ex Conſtitut. eiuſdem Societ. p. 6. c. 3. §. 7. & tradit Sanchez eod. cap. 13. n. 67. & 82.

Corollarium. Beneficium & dignitas habent ſe vt excedens & exceſſum; ad eum modum proportionalem, ſicut animal & album; non enim omne, ſed quoddam animal album eſt; & non omne, ſed quoddam album animal eſt: Ita etiam quædam, non omnia beneficia dignitates ſunt; & vice verſa, quædam, non omnes dignitates beneficia ſunt. Quod poſtremum declarari debet: Nam primò, vicariatus generalis dignitas eccleſiaſtica eſt, ſed non beneficium, ſicuti bene docet Azor cit. cap. 13. q. 8. Ratio dari debet, quia officium, & dignitas ea potiùs radicatur in principali, videl. Epiſcopo ipſi autem Vicario quodammodo ceſſa eſt: Ex quo fit, vt mortuo aut depoſito Epiſcopo, expiret vicariatus. Mortuo autẽ, vel amoto Vicario, vicariatus propriè non vacet; cùm tamen omnia beneficia, etiam manualia & regulares obedientiæ vacent, prout annotauit Gl. in cit. Clem. 2. ver. per electionem, & conſtat ex Clem. vn. de ſuppl. negl. Prælatorum, in princ. Secundò, Cancellarius in Vniuerſitate ſtudiorum à Romano Pontifice approbata, dignitatem ſeu perſonatum habet, videl. præeminentiam eccleſiaſticam; tametſi ea cum iuriſdictione iuncta non ſit: nam ad Cancellarij officium non requiritur iuriſdictio; ſed poteſtas ad gradus & honores academicos jis, qui idonei ſunt, conferendos: Eapropter literarum apoſtolicarum delegatus eſſe poteſt, vti teſtatur Azor cit. cap. 13. q. 9. Et tamen Cancellariatus eccleſiaſticum beneficium dici non poteſt. Tertiò Superiores Ordinum Mendicantium, iuriſdictione præditi ſuper Congregationem, ſeu corpus aliquod eccleſiæ Regularium, Prælati ſunt, ac dignitatem obtinent, vt ſuprà dixi: Et tamen beneficium eccleſiaſticum non habent, prout idem Azor annotauit q. 7. Quod maximè verum eſt in jis Ordinibus Mendicantium, qui iuxta primam inſtitutionem ſuam, reditus ſtabiles non habent. In Collegijs autem Societatis noſtræ ſunt quidem, ex primæua eorum inſtitutione ac fundatione, reditus ſtabiles; ſed cùm eorundem adminiſtratio principaliter 5

non ad ipsos Scholasticos, aut Rectorem eorum, sed ad Societatem Professam, & quoad exercitium & vsum, ad Præpositum Generalem pertineant, ideo in dictis Collegijs, ecclesiasticis beneficijs nullus locus esse potest. Videri possunt quæ docui in Censuris astri inext. p. 2. cens. 14. fol. 105. & seqq.

QVÆSTIO secunda; Si quis tempore delegationis dignitatem habuit, vel canonicatum cathedralem, non item tempore præsentationis, vtrùm idoneus sit ad exequendas
6 literas Papales? Respondeo. Si commissio facta est alicui ratione officij, aut dignitatis suæ, quam postea resignauit, non ipse, sed successor in officio & dignitate expedire debet; secùs, si commissio facta sit personæ, vti colligitur ex c. quoniam 14. vbi de hac re agendum, de offic. delegati. Ecclesiæ autem Cathedralis Canonico si fiat delegatio, semper censetur facta personæ; cùm is propriè successorem non habeat, secundùm Glos. receptam in c. quod sicut, 28. ver. consentire, in fine, de elect. Atque ita docet Gl. hîc ver. canonicis, Domin. & Francus n. 9. Baldus in l. generaliter, C. de Episc. & Cler. vbi benè limitat ex l. 2. ff. de Senatoribus; Nisi quis ob crimen remotus, seu depositus sit, ita vt infamiam contraxerit.

QVÆSTIO tertia; Si Canonicus, ad quem literæ Papales directæ sunt, Religionem in-
7 grediatur, vtrùm eas exequi possit? Affirmándum est, cum Anton. hîc n. 14. Franco n. 8. Quia status Religionis superueniens non efficit eum incapacem, dummodò Prælati licentia accedat: Et iam suprà dictum, capacitatem delegati considerari secundùm tempus factæ delegationis, quemadmodum & in delegante idem tempus attendêdum est, argum. reg. 73. in 6. & tradit specul. p. 1. in tit. 1. §. fin. n. 22. v. Quid si causa, Francus hîc n. 8. Rota Rom. tit. §. de rescript. in antiquis decis. 27. aliàs 122.

QVÆSTIO quarta: Vtrùm Professi alicuius ecclesiæ Cathedralis regularis, possint esse delegati Romani Pontificis, aut Legati
8 eius? Negat hîc Ioann. Andr. post princ. Domin. q. 2. Francus n. 5. dicens, saltè exceptioni contra eos locum esse. Sed contraria sententia videtur probabilior, quę est Abb. in c. causam n. 9. de iudiciis, Sanchez in cit. lib. 6. cap. 13. n. 83. Cùm & ipsi sint canonici Cathedrales: nec status Religionis repugnet; quandoquidem etiam Abbates, & Priores conuētuales, qui veri Religiosi sunt, eiusmodi literas & delegationes suscipere possunt, vti constat ex cit. Clem. 2. & suprà explicatum.

QVÆSTIO quinta; An eiusdem Sedis, & Legatus eius, & delegatus esse possit Canonicus, qui præbendam non habet? Affirmandum est, cum Ioann. Andr. & Anton. hîc num. 3. & aliis communiter; Idque non tantùm, si sermo sit de Canonico ecclesiæ Cathedralis regulari, sed etiam de seculari: quia præbenda canonicum non facit, sed ius spiritualis officij, & sumitur ex cap. Si is cui 39. de præbend. in 6. iun. Gl. in notandis; Vbi habetur, si in ecclesia statutum sit, vt dignitas non conferatur nisi canonico; sufficere, si quis canoniam habeat, etsi non præbendam; secùs, si in statuto expressè dicatur, vt canonico præbendato conferatur.

His addendum, quòd in Concil. Trident. 25. cap. 10. de reform. præceptum sit, vt in qualibet diœcesi quatuor probati viri constituantur, qui eas habeant qualitates, quæ in hac Bonifac. VIII. constitutione requiruntur; vt his præter locorum Ordinarios causæ ecclesiasticæ, seu ad forum ecclesiasticum pertinentes, à Romano Pontifice, aut Legato seu Nuncio eius, delegari queant. Interim tamen nihil obstat, quò minùs Pontifex etiam alteri clerico, aut non habenti qualitatem communi iure requisitam, ex certa scientia committere possit, prout hîc admonet Gl. ver. literarum.

§. Cùm verò.

Si actor & reus eiusdem ciuitatis, aut 9
diœcesis sint, causa committi non potest extra ciuitatem, aut diœcesin; præterquam in casibus hîc nominatis; videlicet si actio ab Episcopo, vel Capitulo cõtra aliquem de diœcesi; vel vice versa, ab aliquo de diœcesi cõtra Episcopum aut Capitulum; vel contra vniuersitatem ciuitatis, villæ, aut castri dirigẽda sit; Vel deniq; si actor ciuitatẽ, aut diœcesin,

in qua

in quâ iudicium agitandum eſt, ob iuſtum periculum, intrare non audeat. His in caſibus extra ciuitatem & diœceſin commiſsio fieri poteſt: ita tamen, vt vltra vnam dietam à fine diœceſis ſuæ nemo trahatur. Cæterùm in dicto caſu iuſti timoris, qui & in literis commiſsionis exprimi debet, neceſſarium eſt, vt qui eas ad iudicem extra ciuitatem aut diœceſin impetrauit, ipſi de periculo, ſaltem per proprium iuramentum, fidem faciat.

Pertinet huc etiam, quod in Clem. 1. hoc tit. decretum eſt: Si actor eiuſdem cum reo ciuitatis, aut diœceſis ſubditus ſit alteri in alia ciuitate aut diœceſi exiſtenti, qui & ipſe ius agendi habeat; non poſſe in hoc caſu reum trahi extra ciuitatem aut diœceſin ſuam. Exempli causâ; Si Prior Conuentualis ſubditus Abbati exiſtenti in alia ciuitate aut diœceſi, controuerſiam habeat cum colono degenti in ciuitate, aut diœceſi, in qua Prioratus exiſtit, conueniri debet in eadem ciuitate aut diœceſi; nec trahi poteſt per literas Apoſtolicas ad litigandum in ciuitate aut diœceſi Abbatis, aut Prælati maioris, cui Prior aliúſue Adminiſtrator ſubditus eſt; Tametſi controuerſia ſit ſuper fundo pertinente ad menſam Abbatis.

§. Cùm autem.

10 Si actore & reo diuerſarum ciuitatum aut diœceſium exiſtentibus, actor in ciuitate, aut diœceſi eiuſdē rei Iudici cauſam delegari nolit, tum iudicem non quidem in ſua, ſed in alia ciuitate, aut diœceſi liberè impetrare poteſt: dummodò locus, ad quem reus trahendus eſt, vltra vnam dietam ab eiuſdem rei diœceſi remotus non ſit.

§. Cùm autem.

11 Iudex delegatus in alia ciuitate, aut diœceſi, niſi ad quam deputatus eſt, nec partes citare, nec de cauſa cognoſcere poteſt; præterquam ſi partium conſenſus expreſſus accedat. Sed neque alteri cauſam ſubdelegare poteſt, niſi in eum locum; & non niſi perſonæ ſuprà requiſitam qualitatem habenti. Videri poſſunt Gloſſæ hîc.

§. Inſuper.

Iudicium cum omni puritate coram de- 12
legato procedat: eapropter nullum munus, aut quidquid aliud à partibus litigantibus accipiat, niſi ſit eſculentum aut poculentum, ex mera liberalitate oblatum, quod intra paucos dies aſſumi poſsit: Excipitur verò, ſi delegatus extra domicilium ſuum ad cauſam cognoſcendam proficiſci, neceſſarium ſit: tum expenſas itineris moderatas, æqualiter à partibus, quippe quarum commune negotium geritur, accipere non prohibetur; niſi perſonæ litigantes notabiliter pauperes ſint. Explicat hunc textum Lud. Mol. tr. 2. de iuſtit, diſp. 84. n. 1.

NOTANDVM I. Iudex delegatus non 13
poteſt à partibus litigantibus munus aliquod accipere; Alioquin acceptum reſtituere debet, vt infrà dicitur in §. Si quid autem.

QVÆSTIO autem eſt; Num conſuetudo, quam in quibuſdam diœceſibus vigere teſtantur, vt Officialis ſcutum aureum v. g. accipiat pro labore in audiendis teſtibus ad verificanda narrata, quos partes producunt, repugnet decreto, vt nullum munus recipiatur? Quam quæſtionem in his terminis propoſuit Nauarr. in conſil. vlt. hoc tit. edit. 2. circa commiſsiones in diſpenſando: quandoquidem etiam in ijs, ſecundùm Roman. Curiæ ſtylum, apponitur præceptum: vt *depoſitâ ſpe cuiuſcunque muneris, aut præmij, etiam ſponte obluti*, informatio capiatur &c. Affirmat Nauarr. cit. loco, propter generalitatem verbi, *cuiuſcunq; muneris*; ſumpto etiam argumento ex hoc §. iun. Gloſsis. At verò Sanchez lib. 8. de matrim. diſp. 35. n. 10. ait, viros doctos à ſe conſultos, quos & ipſe ſequitur, arbitrari, id licitum eſſe, non obſtante hoc ſtatuto, aut dictâ prohibitione; propterea, quòd impenſi laboris ſtipendium muneris aut præmij rationem non habeat. Mihi tamen magis placet Nauarri doctrina, eam ſcuti aurei v. g. acceptionem eſſe contra decretum; quippe quo omne munus prohibetur, & clarè in hoc cap. exprimitur, *nullum munus, vel quicquid aliud*: Et negari debet, quod in compenſationem impenſi laboris

boris petitur,aut accipitur,muneris rationem non habere ; cùm notum sit, id quod comparatione aliorum laborantium merces appellatur,comparatione Iudices,Aduocati, &c.honestiore vocabulo,*munus* vel *honorarium* dici, vti colligitur ex cap.15.Matthæi vers.5.& docui lib.4.Theol.mor. tract.vlt. cap. vlt, n. 25. Confirmatur ex eo, quòd mens Pontificis committentis sit, vt commissarius gratis exequatur,prout apertè hîc dicitur,*gratis & cum omni puritate*: Non autem gratis fit,si in laboris compensationem,quippiam accipitur.

14 Porrò : quæ hîc specialiter de Iudice delegato ad lites decernuntur ; vt quòd esculenta & poculenta,liberaliter oblata, accipere ei liceat ; &, si præter hæc, aliquid aliud accipiat, eius dominium non acquirat, sed restituere cogatur , non obstante quauis remissione,infrà §. Si quid autem,ea transferri non debent ad alios commissarios,quibus v.g. dispensationes super votis , aut matrimonij impedimentis committuntur. Videri possunt quæ dixi Theol.moral.lib.4. tract.4. c.4.n.10.

15 Notandvm II. Ei incumbit sumptus præstare,cuius gratiâ actus exercetur, l. sed etsi 11. §. Quo autem loco, vbi legi potest Bartol. ff. Ad exhibendúm, & l. quoniam 10. C. de testibus,& infrà in hoc c. §. Proferendo,quibus in locis dicitur,sumptus testibus illum præstare oportere,qui eos producit. Quare & hîc rectè dictum,cùm Iudex causam vtrique parti communem cognoscat,ideo sumptus itineris communiter & æqualiter esse præstandos. Videri potest Andr. Gaill lib.1,obseru.99. Zasius super l, Prætor ait,§.Is etiam,ff.de edendo ; vbi ait; *quod Iudex ex officio facit,non ad partis instantiam, vtriusque partis sumptibus expediri,vt cùm petit consilia Doctorum*.

§. Assessorem, §. Notarium, §. Si quid autem.

Delegatus assessorem sibi assumere non debet,nisi eo indigeat,quod conscientiæ illius committitur. Alioquin,si sine necessitate assumat, ex proprijs ei Iudex prouidere cogitur. Quòd si assessore indiget, talem adhibeat,qui neutri parti suspectus sit. Huic verò salarium competens , prout Iudex moderabitur,partes,quarum negotium commune est, dare debent. Notarium porrò aut notarios,ad habendum assumptos,cùm genus istud hominum in exigendo salario plerumque rationis metas excedat,iudex delegatus prudenter refrænet ; neque vllatenus cum ijs ,aut cum assessore lucrum participet. Quòd si delegatus aduersus hanc constitutionem quippiam acceperit, ad integram restitutionem teneatur ; non profutura ipsi remissione ab ijs facta, quibus restitutio fieri debet. Videri etiam possunt, quæ dicuntur in c. cùm in omni,10. de vita & honest.clericorum. 16

Circa verba illa §. assessorem, *quòd conscientiæ relinquatur*,admonet Gl.ibid.si quid Iudicis conscientiæ relinquatur,non esse locum querelæ,aut appellationi. Idque verum est,quòd parti non competat eiusmodi remedium per viam iustitiæ ; attamen officium Superioris implorare non prohibetur, vt compellat commissarium ad id rationabiliter expediendum,quod conscientiæ eius commissum est ; quia conscientia rationabilis esse debet , non scrupulosa, argum. c. per tuas 35.de simon. Et ita cum Domin.tradit Francus hîc n.6. & Sanchez lib. 3. de matrim. disp. 10. q. 3. Videri etiam potest Gl. in Clem. 1.de iure patronat.circa verba, *Ipsorúmq; Episcoporum conscientias onerамus*. videl. circa portiones Vicarijs parochiarum competentes designandas,vbi iam tradita doctrina clarè proponitur. 17

Deinde ex eâdem Gl. huius §.ver.relinquatur,pluribus allegatis tradit Francus hîc n. 6. Sanchez lib. 3. de matrim. disp. 8. n.4. Si quid alicuius conscientiæ,aut iudicio relinquatur,opus non esse certâ causæ cognitione,aut probatione,sed sufficere,vndecunque is informationem, seu cognitionem rei consecutus sit, cuius arbitrium ipsi commissum est ; dummodò de alterius præiudicio non agatur. Exempla sunt, si denunciationes trinæ ante matrimonij celebrationem

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

nem remittendæ videantur, Trident. ſeſſ. 24. c. 1. de reform. matrimonij. Aut ſi ex commiſsione Sedis Apoſtolicæ, ſuper impedimento matrimonij contrahendi diſpenſandum; *dummodò ſcandalum, infamia, vel alia rationabilis cauſa ita poſtulare videatur:* Hac in re plurimum momenti habere debet ipſius commiſſarij ſeu delegati iudicium; tametſi fortaſsè producti teſtes, iſque qui eorum depoſitiones concepit, minùs aptè cauſas explicârit: quandoquidem commiſsio talibus verbis fieri ſolet, apud Sanchez lib. 8 de matrim. diſp. 35. n. 1. *Te diligenter ſuper præmiſſis informes, &, ſi per informationem eandem, preces veritate niti repereris, ſuper quo tuam conſcientiam oneramus, tunc &c.* Apoſtolicâ auctoritate diſpenſes.

Circa §. Si quid autem, quærit Gl. ver. *remiſſione*; Si Iudex parti litiganti, à qua munus accepit, re ipsâ reſtituerit, num poſtea de nouo illud Iudici à parte liberaliter donari poſsit? Affirmat probabiliter Gl. quã ſequitur Molin. cit. diſp. 84. n. 14. dummodò nihil in fraudem fiat, & is, cui donatur, deſierit tunc eſſe iudex delegatus donantis. Quia aliud eſt reſtitutionem accepti muneris remittere, quod hîc prohibetur; aliud verò rem in effectu reſtitutam, denuò donare. In odioſis verò, ſeu pœnalibus non debet fieri extenſio de caſu in caſum. Quam ipſam ob cauſam Gl. in §. Inſuper, ver. mo-
18 deratas, & Mol. cit. diſp. n. 16. bene admonent; hanc ipſam pœnam ſeu inhabilitatem comparandi dominij accepti muneris, extra caſum, de quo c. loquitur, delegatorum Roman. Pontificis, & Legatorum eius, extendendam non eſſe ad alios iudices delegatos.

§. Pro ferendo.

19 Delegatus teſtes vocare non debet, niſi conditio & ſtatus cauſæ poſtulet. Tum verò is, qui teſtes produxit, competentes expenſas pro veniendo, commorando, redeundo, illis ſubminiſtrare cogitur.

Vide quæ ſuprà dixi in hoc c. §. Inſuper, not. 2.

§. fin.

Quidquid contra præſentem conſtitutio- 20
nem actum fuerit, ipſo iure irritum & inane eſt.

Bene hîc Gloſſa admonet, hoc eſſe nouum ſtatutum: quia ſpectato priore iure, proceſſus inſtitutus, non obſeruatis quibuſdam, quæ hîc præcipiuntur, validus erat, donec per exceptionem oppoſitam infirmaretur. Videri poteſt Suarez lib. 5. de legibus cap. 28. & 29.

CAPITVLVM XII.

Tibi qui.

PARAPHRASIS.

Caius à Sede Apoſtolica gratiam impetrauit ad eccleſiam Biturenſem: conſtituto ipſi executore, qui ipſum in Canonicum recipi faceret, & præbendam, ſi quæ vacaret, aut proximè vacaturam prouideret. Poſtea ſimilem gratiam expectatiuam in eadem eccleſia à Pontifice Seius impetrauit, qui literis ſuis priùs præſentatis, in Canonicum receptus fuit ante Caium, qui literas poſtea præſentauit. Inde dubium ortum eſt, vter horum in aſſecutione præbendæ vacantis anteferendus ſit? Reſpondet Bonif. VIII. Si præbendæ eo tempore, cùm Caius prior literarum impetrator in Canonicum receptus eſt, Seio necdum collata fuit, dictum Caium præferendum eſſe: Sin autem collatio tunc facta, relinquenda eſt præbenda eidem Seio prouiſo: Præterquam ſi executor intimauerit collatori mandatum de prouidendo ipſi Caio, ſeu vigore mandati interdixerit ei, ne conferret; præſertim ſi cum inhibitione collationis interpoſitum ſit decretum, vt alteri facta collatio irrita ſit: Idémque iuris eſſe debet, ſi in literis gratiæ Apoſtolicæ inſertum fuerit, vt irritum & inane eſſet, quidquid contra eam attentaretur. Tunc enim non obſtante, quòd ante receptionem Caij, priori literarum præſentatori

tatori Seio præbenda collata sit, eidem auferri, & Caio conferri debet: Dummodò Caio, priori impetranti, dolus aut notabilis negligentia obijci non possit.

SVMMARIVM.

1. *Impetrans gratiam expectatiuam post alium, si prius in Canonicum receptus est, in assecutione præbendæ priori impetranti postponendus est, nisi dolus aut negligentia huic obijci possit.*
2. *Executores habent iurisdictionem delegatam.*

1 NOTANDVM I. Canonicatus distinguitur à præbenda, adeò, vt inter duos impetrantes gratiam expectatiuam, si posterior priùs in Canonicum receptus est, in assecutione præbendæ priori impetranti postponendus sit.

Limitari tamen id debet, sicuti in fine c. dicitur: Nisi dolus, aut notabilis negligentia ei obijci possit. Exempla eius rei affert Francus hic n. 8. Felin. in c. Capitulum n. 5. hoc tit. Si primus gratiæ impetrator sciens posteriori præbendam conferri, id fieri permitttat; Vel si intra terminum à collatore, aut secundæ gratiæ constituto executore, sibi assignatum, prouideri sibi non faciat, seu collationem præbendæ acceptare culpabiliter intermittat.

Aduertendum hîc obiter, decisioni huius c. non aduersari c. eum cui 7. de præb. in 6. vbi dicitur, eum qui canonicatum à Sede Apostolica assecutus est, omnibus alijs præferendum esse, etiam illi, qui literas de simili gratia priùs præsentauit, priúsque receptus fuit. Nam textus ille loquitur de prouisione seu collatione canonicatûs in forma *Dignum* à Papa facta, per quam ius in re, & quasi dominium canonicatûs seu beneficij acquiritur: hîc autem sermo est de gratia expectatiua, seu mandato prouidendi: *Longè autem diuersa sunt, conferre & mandare conferri*, ait Gl. in cit. c. eum cui.

2 NOTANDVM II. Executor à Papa cõstitutus ad expediendam gratiam beneficialem, habet iurisdictionem delegatam à Papa, vti ex hoc cap. colligitur, cùm dicitur, quòd possit inhibere collatori, decretum interponere, & contradictores quoslibet compescere. Et ita annotauit Gl. hîc ver. certo, & alia Gl. in Clem. 1. ver. executores de offic. delegati, & videri potest Francus hîc n. 4. vbi admonet, ex doctrina Lapi, & cit. Gl. huius c. quòd executor deberet esse certus ac nominatus; quemadmodum & de iudice delegato dictum in c. ad hæc 10. hoc tit. in antiq.

CAPITVLVM XIII.

Si pro te.

PARAPHRASIS.

Titius impetrauit literas executorias ad Præpositum ecclesiæ Biturensis, vt ipsi Canonicatum, & præbendam vacantem, vel proximè vacaturam, Apostolicâ auctoritate prouideret, si Episcopi & Capituli consensus accederet. Postea verò Sempronius ad eandem ecclesiam impetratâ gratiâ, in Canonicum receptus fuit: Hoc facto, cùm deinde Episcopi & Capituli consensus accederet, etiam Titio priori literarum impetranti, canonicatus collatus est. Hoc in casu, si post vtriusque receptionem, præbendam vacare contingat, dubitatum fuit, vter alteri anteponendus sit? Respondet Bonifacius VIII. Sempronium esse in præbenda eius assecutione anteponendum.

SVMMARIVM.

1. *Si primo impetranti mandetur prouideri sub conditione, & secundus priùs impetrans ante illius conditionem impletam obtineat Canonicatum, is in assecutione præbendæ primo præfertur.*
2. *Quòd si Episcopus mortuus esset, aut impeditus, quò minùs assensum daret cum Capitulo in mandato requisitum ad Canonicatum Titio conferendum, executor cum solo Capituli consensu prouidere non potuit, nisi in mandato expressum fuisset, vt cum consilio Episcopi executor procederet.*

NOTAN-

1 NOTANDVM Vn. Si vni mandetur prouideri sub conditione, postea alteri absolutè, atque ante conditionem impletam, canonicatus posteriori impetranti conferatur, is in assecutione præbendæ præponi debet priori impetranti & posteriùs recepto. Hæc est summaria decisio huius c. Ratio dari debet: Quia conditio de futuro contingenti suspendit quamlibet dispositionem & mandatum, ita vt antè non purificetur, atque effectum suum consequatur, quàm ea euenerit, l. potior 11. ff. Qui potiores in pignore: Vbi in §. Si colonus similem huic casum legere licet: Si quis instrumenta, quæ in fundum intulerit, pignoris loco obligârit; deinde verò, antequam ea intulit, alteri eadem instrumenta absolutè oppigneret; ius pignoris huius posterioris potiùs cẽseri debet, quippe quod effectum priùs consecutum est, quàm prius, cuius apposita conditio postea impleta fuit. Sic & in casu huius c. gratia posteriori impetranti facta absolutè, potior censeri debet, quàm facta priori sub conditione, donec ea impleatur: Consequenter si vigore eius gratiæ posterior impetrans canonicatum consequatur, antequam conditio impleta sit; in assecutione præbendæ, tanquam potiore iure nixus, præferendus est,

Apparet itaque, decisionem huius c. eâ solùm ratione niti, quòd primo impetranti facta sit gratia conditionalis: sin autem absolutè facta esset, in assecutione præbendæ præferendus esset posteriori impetranti, tametsi is canonicatum priùs assecutus esset, iuxta c. præcedens, prout præter alios annotauit Capella Tholos. q. 273. Addit Gl. in Clem. vn. ver. executorem, de conces. præb. idem dicendum fore, si mandato de prouidendo adiecta sit conditio, *si impetrans idoneus est*, aut *si consensum dederit*. Quia talis conditio non mutat naturam gratiæ. Quam doctrinam etiam refert, & commendat Auffrerius super cit. q. 273. Francus hîc n. 4. Ant. n. 11.

2 QVAERIT hîc Gl. ver. assensus; Quid si Episcopus mortuus esset, aut impeditus, quominùs assensum daret; vtrùm executor, saltem cum Canonicorum seu Capituli consensu, prouidere potuisset. Videri potest esse affirmandum ex c. vn. Ne Sede vacante, in 6. Sed rectè negat Gl. Quia conditio ea mandato apposita, censetur forma eius, quâ non obseruatâ, corruit mandatum, argum. c. cui de non 27. de præb. in 6. Sed secùs dicendum, si in mandato expressum esset, vt executor procederet cum consilio Episcopi, eo mortuo aut impedito procedere posset, argum. c. cùm in veteri 31. de elect. Rationem dat Gl. cit. quia actus necessariò non pendet à consilio personæ, quod aliquis requirere tenetur, sicuti pendet à consensu: quandoquidem consilium, ordinariè loquẽdo, sequi aliquis non tenetur. Qua de re videri etiam potest Suarez lib. 8. de legibus cap. 13. n. 6. & quæ dicam in cit. c. cùm in iure.

CAPITVLVM XIV.

Duobus.

PARAPHRASIS.

Si duo à Sede Apostolica literas executorias de prębenda ipsis in eâdem ecclesia conferẽda afferant, nec appareat, vter eorũ literas priùs impetrarit, quis eorũ in assecutione præbendæ præferendus? Resp. Bonifac. VIII. Papa: Si vni eorum ipse Pontifex canonicatum contulit, alteri autem non contulit, sed mandauit ab ordinario collatore conferri: hoc in casu is præferri debet, cui à Pontifice collatio facta. Sin autem Pontifex vtrique contulit canonicatum; aut si vtrique ab Ordinario conferri mandauit, tunc præferendus est is, qui literas suas priùs præsentauit, cùm alioquin in gratia æquales sint. Si denique accidat, vt & in præsentando concurrant, id est, literas simul præsentent, tum ij ad quos spectat canonicorum receptio, & præbendarum collatio, aut maior eorum pars vnum ex duobus eligant, altero penitus excluso: nisi ex literis Pontificis expressè appareat, mentem eius fuisse, vt vtrique prouideretur.

SVMMARIVM.

1. *In literis beneficialibus attendendum tẽpus* datæ, *vt is, qui priùs gratiam impetrauit, alteri præferendus sit.*
2. *Pluribus cum literis Apostolicis eodem die ad eandem ecclesiam concurrentibus in præsentatione, præferendus est is, qui literas priùs præsentauit: si simul autem concurrant, locus est gratificationi, ita vt vnus illorum pro collatorum arbitrio eligi possit.*

1 NOTANDVM I. In literis beneficialibus de prouidendo, attendi debet tempus *datæ*; vt is, qui priùs gratiam impetrauit, alteri præferendus sit, iuxta iuris reg. 54. in 6. *Qui prior tempore, potior est iure.* Consentit c. tibi qui 12. hoc tit. & lib. Quapropter, si duorum impetrantium literæ eodem die impetratæ sint, probatio incumbit ei, qui suas priùs expeditas affirmat: Similiterque ei qui suas priùs præsentatas, ait; cùm hoc sit fundamentum intentionis suæ, prout docet Imola in c. relatum n. 8. de præbend.

2 NOTANDVM II. Si in literis de prouidendo, quæ pluribus eodem die ad eandem ecclesiam datæ sunt, apparere non possit de prioritate temporis, is præferendus est, qui literas priùs præsentauit: Sin autem ponamus, duos, plurésue impetrantes simul præsentasse, tum locus est gratificationi, ita vt vnus ex ijs collatorum arbitrio eligatur, sicuti hoc idem dicitur de pluribus à patrono laico præsentatis in c. cùm autem, 24. iun. Gl. ver. iudicio Episcopi, de iure patron. Ratio horum est, quia ambæ gratiæ expectatiuæ validæ sunt; quamuis collatores alterutram reijcere possint, siue contra eam excipere, quòd Papa non soleat ecclesiam vnam pluribus eiusmodi mandatis grauare: sed debent tunc reijcere eam, quæ minoris firmitatis est: sin autem æqualis, tum demum gratificationi locus est. Alia verò ratio est de literis beneficialibus, quibus pluribus personis vno eodémque die eiusdem beneficij collatio facta est: In hoc enim casu literæ, quæ posteriùs datæ, obreptitiæ sunt, & penitus irritæ; ex quibus proinde nullum ius impetranti acquiri potest, neque earum vigore in possessionẽ, absque intrusionis vitio mitti. Quamobrem prioritas præsentationis in hoc casu prodesse non potest; sed, si de prioritate collationis apparere nequeat, neutra gratia seu collatio Papalis executioni mandanda, interim, donec quid certius intelligatur, prout bene docuit hîc Philip. Francus n. 6.

CAPITVLVM VLT.

Quia.

PARAPHRASIS.

1 Bonifacius VIII. Pontifex reuocat omnes indulgentias seu priuilegia perpetua, quæ à se vel Antecessoribus suis concessa sunt personis, vt siue in scholis essent, siue in altera ecclesiarum suarum residerent, siue in Curia Romana moram traherent, siue in alio certo loco, vel etiam (*apparet, verba copulatim, non diuisim accipi*) beneficiorum suorum fructus, exceptis quotidianis distributionibus, percipere possent; Et protestatur, se eiusmodi priuilegium seu gratiam imposterum personis non concessurum esse, optátque, cùm precipere non possit, vt nec successores sui concedant: Eò quòd vagandi licentiam & dissolutionis materiam præbeat, & in cultûs diuini diminutionem cedat, atque ob eam plerumque diuinum officium omittatur; cùm tamen ecclesiasticum beneficium propter præstandum officium conferri soleat.

SVMMARIVM.

1. *Indulgentiæ seu priuilegia omnia concessa à Bonifacio, & eius Prædecessoribus, Clericis de percipiendis perpetuò fructibus, in absentia sunt reuocata.*
2. *Per hoc tamen non censetur sublatum priuilegium percipiendi fructus beneficij in absentia concessum alicui ad tempus incertum, seu indefinitum v. g. dum in studiis versaretur.*
3. *Neque etiam indulgentiæ concessæ ecclesiis*

cleſiis, vel dignitatibus reuocatæ ſunt, ſed tantùm quæ conceſſæ ſunt perſonis.

4. *Papa, aliúſue Princeps ſucceſſoribus ſuis imperare, aut legem præſcribere non poteſt.*

INprimis aduerte, hanc indulgentiarum reuocationem duobus modis limitari; Primò, vt tantùm perpetuæ indulgentię fructus in abſentia percipiendi reuocatæ ſint, non item ad tempus, v. g. quinquennij. Nomen autem *perpetuum* in iure idem ſignificare ſolet, quod dum hominis vita durat, vti colligitur ex l. 1. ff. pro ſocio: Quo ipſo ſenſu beneficia eccleſiaſtica perpetua dicuntur; ſiue quòd ius tribuant totâ vitâ duraturum, niſi beneficiarius legitimè renunciet, vel ob crimen aut inhabilitatem amoueatur, ſiue, quòd per totam vitam durare poſsint, ſi ſermo ſit de beneficiis manualibus, argum. l. Iuriſperitos 33. in princ. ff. de excuſat. tutorum. Nam & hoc ipſo ſenſu gratiæ Principis perpetuæ dicuntur, quia ſemper durant, donec reuocentur, vel ijs renuncietur. Qua de re videri poteſt Azor tom. 2. lib. 3. cap. 26. q. 12. & docui Th. mor. lib. 4. tr. 2. cap. 1.

2 QVÆSTIO autem eſt, ſi indulgentia ſiue priuilegium fructus beneficij in abſentia percipiendi, conceſſum alicui fuerat ad tempus incertum, ſeu indefinitum, v. g. dum in ſtudiis verſaretur, vel in Epiſcopi ſeruitio, num ſublatum cenſeri debeat? Affirmat hîc Gl. ver. perpetuas, ibid. Francus, quia etiam in hoc caſu gratia perpetua eſſe poſsit, argum. l. ſufficit 56. ff. de condict. indebiti. Cõtrarium tamen magis placet, quod Ioann. Monachus hîc docet. Quialicet fateamur, vocem *perpetuum* interdum ita vſurpari, prout etiam Gl. annotauit in cit. l. 1. tamen ea vſurpatio minùs frequens eſt; neque huic textui ſatis accommodata videtur: Accedit, quòd conſtitutio hæc correctoria ſit, ſeu reuocatoria; & ideo quæ expreſsè non reuocantur, conſiſtere cenſentur, argum. l. præcipimus 31. C. de appellat. Dicamus itaque, perpetuam indulgentiam hîc dici, quæ per ſe ac veluti poſitiuè perpetuitatem habet, donec reuocetur: non quæ negatiuè tantùm, quia certo tempore non definitur; & caſualiter fieri poteſt, vt totâ vitâ duret.

Secundò limitatur iſta reuocatio, vt tantùm indulgẽtię, quæ perſonis conceſſæ ſunt, reuocentur; non item quæ eccleſiis, aut dignitatibus: Hæc enim realia, & localia priuilegia, ſuapte naturâ ſtabiliora ſunt, magísque fauorabilia, quàm quæ perſonalia ſeu perſonis ſingulis conceſſa, prout hîc Gl. admonet, vel dignitatibus; Et Gl. margin. ibid. frequenter fieri, vt quippiam per ſe concedatur eccleſiæ, aut dignitati; tametſi in vtilitatem perſonarum quaſi per accidens redundet. 3

NOTANDVM I. Propter ambitioſam petentium importunitatem fieri poteſt, vt Romanus Pontifex diſpenſationes & gratias circa beneficia largiatur, quæ in eccleſiarum detrimentum, cultûs diuini imminutionem, & officiorum diuinorum neglectum cedunt, atque inſolentiæ & vagationis materiam clericis præbent: Et ideo tales conceſsiones abolere conuenit; cùm nihil magis Eccleſiarum Paſtoribus, maximè ſupremo Pontifici incumbat, quàm diuini cultûs augmentum, eccleſiarũmque decorem & bonum ordinem procurare: & quæ his contraria ſunt, tollere. Porrò ex hoc ipſo textu colligitur, quòd, quando Princeps reſcripſit, aut indulgẽtiam, gratiàmue conceſsit contra ius, aut vtilitatem publicam, obreptitiè, propter petentium opportunitatem, emanaſſe, cenſeri debeat, ſicuti hoc ipſo allegato textu, annotauit Gaill lib. 2. obſeru. 58. n. 9. & Gloſſa hîc ver. importunitatem, quòd *propter petentium importunitatem Princeps ſæpe non concedenda concedit, vt hîc vides, & l. 1. C. de petit. bon. ſublatis lib. 10.* Dixi de hac re in c. quæ in eccleſiarum, de conſtit.

NOTANDVM II. Papa, aliúſue Princeps ſucceſſoribus ſuis imperare, legémue præſcribere non poteſt: quia par in parem imperium non habet, c. innotuit 21. de elect. Sumpſit autem Bonif. VIII. extrema huius c. verba ex l. digna vox 4. C. de legibus, vbi Impp. Theodoſ. & Valentinianus aiunt, *quod vobis licere non patimur, aliis indicamus.* Ibidem Salicetus, *Paribus licet indicare, non imperare.* 4

TITVLVS IV.

DE CONSVETVDINE.

SVMMARIVM.

1. *Consuetudo est ius moribus constitutum.*
2. *Ad ius consuetudinis introducēdum requiritur, vt ea sit iusta, & rationabilis.*
3. *Et cùm populus plerumq; iam non habeat legis condendæ potestatem, ideo absq; Principis aut Magistratûs sui consensu, saltem tacito, ius consuetudinis introducere non potest, vti nec mulieres.*
4. *Si in arbitros compromissum sit, eo adiecto, vt secundùm iura & leges procedant, aut pronuncient, procedere & pronunciare ij possunt secundùm iustas eo in loco receptas consuetudines.*

CVM hactenus dictum fuerit de iure scripto, videl. legibus ex rescriptis Principis: sequitur, vt de iure non scripto agatur, quæ est consuetudo. Nam, vt in Institut. habetur, tit. de iure natur. gent. & ciuili; Ius aliud est scriptum, aliud non scriptum: Scriptum ius est lex, plebiscitum, senatusconsultum, Principum placita &c. Ius non scriptum est, quod vsus comprobauit.

Veruntamen differentia hæc inter legem & consuetudinem essentialis non est: cùm ad legis substantiam scriptura non requiratur: Sed quia leges vim suam promulgatione accipiunt, quæ plerumque in scripto fieri solet, ideo ab hac origine sua leges dicuntur iura scripta; quamuis nihil obstet, etiam per vocem eas promulgari cum obligandi voluntate. Quemadmodum & vice versa, consuetudines populi in scriptum redigi possunt: suam verò originem & obligationis vim non accipiunt in scriptura, sed vtentium seu agentium frequentia, qui dicitur mos populi.

1 Consuetudo breuissimè definiri potest ex Iuliano IC. in l. 32. ff. de legibus, *Ius moribus constitutum.* Vbi nomen *iuris* accipitur pro eo, quod Græci vocant νόμον, id est, legem, quatenus ea latè accipitur, vt vtramque iuris scripti & non scripti speciem comprehendat. Quo sensu Iustinianus dixit in suprà cit. Institut. tit. §. Constat, νόμων οἱ μὲν ἔγγραφοι, οἱ μὲν ἄγραφοι. Et Vlpianus in l. 33. ff. de legib. *Diuturna consuetudo pro iure & lege in his quæ non ex scripto descendunt, obseruari solet.*

Quod additur in definitione, *moribus constitutum*, originem seu causam introducendi iuris seu legis non scriptæ demonstrat, iuxta l. 35. ff. eod. *Sed & ea, quæ longa consuetudine approbata sunt, veluti tacita ciuium conuentio, non minùs, quàm ea quæ scripta sunt, iura, seruantur.* Et suprà cit. l. 32. *Quidenim interest, suffragiis populus suam voluntatem declaret, an rebus ipsis & factis?* Vult dicere Iureconsultus, si actus à populo, aut maiore populi parte, longo tempore (quod ciuili iure decennium est) vniformiter frequentetur, ipso hoc facto declarare videtur, si aliunde contrarium non appareat, velle populum iuris obligationem introducere, non minùs quàm si ius siue legem verbis, videl. scripto aut voce, proponeret ac promulgaret.

Corollarium I. Quæ conditio ad legis cō- 2
stitutionem inprimis requiritur, vt sit iusta, rationabilis, Reipubl. vtilis, c. 2. d. 4. eadem ad ius consuetudinis exigitur: At verò consuetudo, quæ contra bonos mores est, aut cui leges resistunt, atque corruptela vocari solet, non in iure, sed solo facto consistit, iuxta c. ex parte 10. & c. vlt. hoc. tit.

Corollarium II. Cùm populus plerum- 3
que iam non habeat legis condendæ potestatem, quando eam in vnum Principem, aut plures Optimates contulit, ideo nec ius consuetudinis introducere potest, absque Principis aut Magistratûs sui consensu, saltem tacito. Multò verò minùs in rebus eccle-

siasti-

siasticis Christianus populus consuetudinis statuendæ potestatem habet, absque consensu Prælatorum, quippe penes quos, ex Christi institutione, omnis iurium ecclesiasticorum potestas residet. Videri potest Innoc. in cit. c. ex parte n. 3.

Corollarium III. Mulieres ius consuetudinis introducere non possunt; prout tradit ex communi Bartol. in l. 1. ff. de legibus, arg. eiusdem legis, ver. virorum: Cùm enim mulieres non debeant sedere in consilio, ideóque nec ad leges condendas adhiberi, consequens est, inquit Bartol. *quòd vsus mulierum non inducat consuetudinem: quia lex & consuetudo æquipollent, l. de quibus 32. ff. eod.* Videri etiam potest Abb. p. 2. consil. 53.

4 Corollarium IV. Si in arbitros compromissum sit, eo adiecto, vt secundùm iura procedant, ij procedere possunt secundùm iustas eo in loco receptas, & instar legum habitas consuetudines. Nam verbum generale generaliter intelligi debet, seu ita, vt omnes species sub se comprehendat: Cùm itaq; ius se habeat vt genus ad legem scriptam & consuetudinem, ideo iuris seu iurium appellatione vtraque species comprehenditur; quando nulla ratio aut necessitas restringendi apparet. Quin etiamsi adiectum sit, vt arbitri pronuncient secundùm leges, possunt tamen ferre sententiam secundùm consuetudines receptas. Nam verba dispositionis, si id fieri possit, ita accipi debent, vt ea conformis sit iuri communi: At verò ius commune præcipit, vt in contractibus & iudicijs laudabiles locorum consuetudines obseruentur, c. 3. de eo qui mittitur in possessionem &c. l. circa 19. C. de locato, l. 3. C. de ædif. priuatis, l. 1. C. Quæ sit longa consuetudo. Neque inconueniens, aut inusitatum est, ita nomen legis accipi, vt etiam iura consuetudinis comprehendat, sicut suprà dictum. Sed etsi ponamus, nomen legis strictè fuisse acceptum, quatenus à iure consuetudinis distinguitur, nihilominus poterunt arbitri secundùm receptas consuetudines, causam definire, nisi apertè appareat, aliam fuisse partium compromittentiũ in arbitros voluntatem. Cùm enim leges scriptæ decernant, laudabiles loci consuetudines esse seruandas, (nisi partes communi consensu, sine tamen iuris publici violatione, expressè ab ijs recedant) ideo dum arbitri iuxta consuetudines commissam sibi controuersiam definiant, id agunt, quod legibus scriptis, secundùm quas pronunciare iussi sunt, valde consentaneum est. Videri potest de hoc corollario Abb. Panormit. in rubr. huius tit. Rochus Curtius de statut. & consuet. princ. n. 37. & seqq.

CAPITVLVM I.

Consuetudines.

PARAPHRASIS.

Decet Prælatos, ecclesiarum sibi subiectarum consuetudines, si ijs grauari videantur, remittere.

SVMMARIVM.

1. *Consuetudines, quibus grauantur ecclesiæ, vltrò à Prælatis remittendæ.*
2. *Rationabiles locorum consuetudines circa dona clericis vel ministris ecclesiæ danda, seruandæ.*
3. *Prælati ecclesiastici ecclesias, & beneficiarios petendo, vel accipiendo ab ijs subsidium, sine necessitate grauare non debent.*

PLerique Canonistæ existimant, in hoc c. reprobatas fuisse consuetudines à laicis in ecclesiarum grauamen introductas: easque irritas declarari, aut saltem iudicis ecclesiastici officio tollendas esse. Ita hîc Innoc. Ioann. Andreas, Imola, Abb. Panorm & alij. Exempli causâ; Si consuetudo alicubi inualuerit, vt rustici parocho decimas non antè persoluant, quàm ipsis munus aliquod, siue xenium dederit. Nam leges & statuta laicorum, quibus ecclesijs aut statui ecclesiastico grauamen per se & directè imponitur, adeóque libertati ecclesiasticæ repugnant, pro irritis haberi debent, c. quæin ecclesiarum, c. ecclesia, quibus locis id docui.

de constit. Consuetudo autem, si per modum iuris seu obligationis introducatur, species legis est: Ergo consuetudo eiusmodi, quæ per se ac directè contra libertatem, siue in grauamen ecclesiarum, aut ordinis ecclesiastici introducitur, irrita est, & tolli debet.

Hæc verè quidem dicuntur, sed aliena sunt ab intentione huius c. Id enim sumptum est ex S. Gregorio I. Papa lib. 1. registri, indict. 9. epist. 94. ad Felicem Episcopum
1 Messanens. Vbi approbat asseruandámque ait ecclesiæ Messanensis consuetudinem, secundùm quam clericis xenia quot annis transmittebantur: Prohibet verò, ne ipsi Pontifici imposterum mittantur: Quia decet, inquit, vt consuetudines huiusmodi, quibus constat ecclesijs grauamen induci, vltrò remittamus: Cùm potiùs alijs ecclesijs à Sede Apostolica subsidium afferendũ sit, quàm vt ab ipsis aliquid accipiatur.

Igitur secundùm verum intellectum huius
2 c. Notandvm est I. Quòd rationabiles locorum consuetudines circa dona clericis, seu ministris ecclesiæ afferenda, seruari debeat,

3 Notandvm II. Quòd Prælatus ecclesiasticus, ecclesias aut beneficiarios sibi subditos, per petitionem aut acceptionem subsidij, sine necessitate, grauare non debet.

CAPITVLVM II.

Ex literis.

Paraphrasis.

Consuetudo alicubi fuerat, diuturno tempore obseruata, vt, si quis prædium, ecclesiæ, Monasterio, alterive pio loco, seu inter viuos, seu per vltimam voluntatem, donare vellet, pugillum terræ manu acciperet, vel super extremitate pallij, quod Ecclesiæ Rector gestabat, aut super altari poneret, pluribus videntibus & audientibus testibus. Huiuscemodi donationes quidam tanquam inualidas oppugnabant: Consultus de hac re Innocent. III. Papa respondit; Eiusmodi donationes, vigore consuetudinis, ita factas locis pijs, firmiter obseruandas esse; imò per eas non tantùm dominium rei donatæ, sed etiam promissionem traditam censeri.

Svmmarivm.

1. *Possessio ordinariè quidem acquiritur per veram & realem apprehensionem, potest tamen consuetudine introduci, vt etiam per fictam acquiri possit.*
2. *Fictæ apprehensionis actus expressius signum erit possessionis transferendæ, si conuenientia verba addantur v. g.* trado tibi possessionem prædij cum iuribus suis.
3. *Quodlibet signum externum aptum significandæ possessionis translationi sufficit ad possessionem fictè transferendam; modò alius verè non possideat.*
4. *Eiusmodi possessio, propiè loquendo, non est vera. sed ficta possessio, vnde etiam parit solùm interdictum possessionis adipiscendæ, non autem recuperandæ.*

Notandvm Vn. Consuetudine introduci potest, vt per apprehensionem fictam non tantùm rei dominium, sed etiam possessio eius acquiratur. Ita Abb. Imola & alij communiter.

Pro intellectu aduertendum est primò; Ordinariè quidem ad acquirendam alicuius rei possessionem opus esse verâ & reali 1
eius apprehensione, iuxta l. 3. ff. de acq. possess. & l. liget, Cod. eod. attamen ciuilibus legibus constitutum, vt in quibusdam casibus sufficiat actus apprehensionis fictæ per quem traditio & apprehensio rei ex iuris dispositione significetur, atque ita possessio acquisita censeatur. Sic v. g. tradendo claues in præsentia ædium, earundem possessio transfertur, l. clauibus 74. ff. de contrah. empt. Et qui alicui instrumentum donat ac tradit, in quo ius v. g. mancipiorum continetur, cùm dominium, tum possessionem eorum transferre censetur, l. 1. C. de donationibus, & plura similia recensui Th. moral. lib. 3. tr. 1. cap. 7. n. 2. Quòd si itaque legibus

ciui-

ciuilibus, & ad earundem imitationem, canonicis quoque constitutum fuit, vt per aliquem actum corporalem, qui sit signum traditionis & apprehensionis, possessio acquiratur; idem simili ratione per diuturnam consuetudinem (præsertim in materia fauorabili, videl. in ordine ad acquirendum ecclesijs & pijs locis) introduci potest.

2 Secundò aduertendum, Actum apprehensionis fictæ tunc expressiùs fore signum possessionis transferendæ, si verba conuenientia adijciantur, v.g. *trado tibi possessionem prædij cum iuribus suis.* Et talia verba, vnà cum pugilli traditione &c. prolata fuisse, colligitur ex verbis textûs, *sub testimonio videntium & audientium cum dicta forma.* Nam testis de sensu debet percepisse id sensibile obiectum, de quo testatur: Quamobrem ex Hostiensi notant hîc Ioan. Andr. Imola n. 4. Abb. n. 5. specialiter ad maiorem securitatem statutum esse de teste testamentario, quòd testatorem videre debeat, l. hac consultissima 8. C. de testam. Alioquin verò sufficeret loquentem audire, dummodò vox eius indubitatè cognosceretur. Sin autem testari aliquis debeat de eo, quod vtriusque sensus, visus, inquam, & auditus, obiectum est, vt in casu huius cap. tum deponere testem necesse est, vidisse se pugillum v.g. terræ impositum fuisse; & audiuisse se verborum formulam, quæ pronunciari solet.

3 Tertiò aduertendum, per quodlibet signum, aut actum visibilem, aptum significandæ possessionis translationi, eam fictè transferri posse, tum per legem, vti constat ex l. raptores 42. §. bona autem C. de Episc. & clericis, tum per consuetudinem, vti hîc apparet: Et testatur Iason in l. si sorori n. 2. C. de iure deliber. Andr. Gaill. lib. 2. obs. 129. n. 13. in plerisque Galliæ prouincijs receptum esse, vt per hæreditatis aditionem, declarando videl. hæredem se esse velle, non dominium tantùm, sed etiam possessio rerum acquisita intelligatur; dummodò alius in earum possessione non sit, prout bene limitat ibid. Iason. Cùm enim duo eandem rem in solidum possidere nõ possint, vti constat ex l. 3. §. Neratius, ff. de acq. possess. ideo locus non est possessioni fictæ, si iam adsit possessio alterius vera: Denique etiam per hominem, videl. Principem, posse, si is velit, solâ voluntatis declaratione, rei dominium & possessionem in alterum transferri, dubitandum non esse, ait Matth. de Afflict. decis. Neapol. 299. n. 25. Vt si Princeps sibi præsentem, de feudo per annulum v. g. aut ensem inuestiendo dicat, se tradere ei corporalem feudi possessionem, dummodò alius in possessione non sit, prout limitat idem Auctor n. 29.

Quartò aduertendũ, Eiusmodi possessionẽ, quæ sine reali & corporali apprehensione rei fit, propriè & absolutè loquendo, non esse veram, sed fictam & abusiuam, prout ibid. Afflict. notauit, & constat ex cit. l. 3. in principio. Rationem dat Baldus in Auth. defuncto n. 6. C. de ad SC. Tertullianum: Quia possessio, secundùm propriam rationem suam, factum requirit, seu in facto consistit: ius autem, aut Principis deuotum factum supplere non potest, ita vt verè sit, quod nõ est; videl. res apprehensa sit, cùm non est: Semper enim fictio differt à veritate; Exempli causâ, qui illegitimè natus postea legitimatus à Principe est, non ideo verè legitimus est. Itaque id præstat apprehensio ea ficta, vt effectus & commoda possessionis translata censeantur; non item vera & corporalis possessio acquisita. Quare notant Baldus cit. n. 6. Iason cit. n. 2. Gaill. lib 2. obs. 152. n. 16. Afflict. cit. decis. 299. n. 30. eiusmodi possessionem fictam non parere interdictum possessionis recuperandæ: Nam qui possessionem verè nunquam habuit, non potest spoliatus dici, atque ad amissam possessionem restituendus; sed parere interdictum possessionis adipiscendæ; & quidem ita, ait Afflict. vt non possit opponi exceptio dominij. Alios quoque effectus parit hæc possessio, videl. quòd per eam competat beneficium vsucapiendi: item Publiciana in rem actio, si fortè is, qui in casu huius c. rem ecclesiæ donauit, eius dominus non fuerat, prout hîc notauit Abb. n. 8. in fine, & videri potest hîc Anton. n. 31. Imola n. 16.

4

CAPI-

CAPITVLVM III.

Ad noſtram.

PARAPHRASIS.

Intellexit Innocent. III. Papa, in Pictauienſi diœceſi conſuetudinem inualuiſſe, vt ſi cauſæ, etiam eccleſiaſticæ, decidendæ eſſent, partium auditis allegationibus & querelis, quorumcunque præſentium, literatorum & illiteratorum, ſapientium & inſipientium, ſententia exquireretur, eâque ſtaretur. Hanc conſuetudinem ait Pontifex nullius momenti eſſe; quia rationabilis non eſt, & canonicis aduerſatur inſtitutis: quandoquidem ſententia ab eo, qui iuriſdictione præditus non eſt, nullam obtinet firmitatem. Eapropter facultatem tribuit Epiſcopo Pictauienſi, (*ſeu potius iure conceſſam declarat*) vt, ea conſuetudine non obſtante, cauſas ſubditorum ſuorum eccleſiaſticas ipſemet ſecundùm merita earum, & ſicuti ratio poſtulauerit, definire poſsit.

SVMMARIVM.

1. *Conſuetudo nulla eſt, vt iudex ſit iuriſdictione non præditus.*
2. *Iudici ſeu Magiſtratui conſilia aliorum, & quidem plurium Sapientum, exquirenda, quæ tamen ſequi non tenetur.*
3. *Malè plerumque reipubl. conſultum eſt, ſi Princeps omnia Conſiliarijs ſuis committat, ita vt ab eorum ſententia nunquam recedat; vel quæ & quibus rationibus ipſi ſtatuerint, non recognoſcat; cùm ipſi potius Principi, quàm Conſiliarijs curare reipubl. incumbat.*
4. *Noxium item reipublicæ eſt, ſi eius negotia promiſcuè cum literatis & illiteratis tractentur; vnde Conſiliarij literati & ſapientes à Magiſtratu adhiberi debent.*

   Nec ſufficit Conſiliarium eſſe Iuriſperitia inſtructum, ſed oportet eum etiam eſſe prudentem, ac verè ſapientem; adeóque virum bonum, & ab auaritia alienum.
5. *Sententia lata à non iudice, ipſo iure nulla eſt.*

MVlti hunc textum ita intelligunt, quaſi laici ſiue populus fuerit, qui de cauſis etiam eccleſiaſticis ſententiam dicere iuſſus eſſet: Propterea colligunt ſummam c. cum rubr. *Non valet conſuetudo, vt in cauſis eccleſiaſticis dictum populi pro ſententia teneatur.* Quia cauſæ eccleſiaſticæ non laicorum, ſed eccleſiaſticorum iudicio definiri debent, c. 2, & 3. de iudicijs.

Veruntamen cùm Pontifex hanc rationem non attulerit: ideo placet alter intellectus, ſecundùm quem eſt NOTANDVM 1. Non valet conſuetudo, vt in controuerſijs ſeu iudicijs eorum ſententiâ ſtari debeat, qui iuriſdictione præditi non ſunt. Ita Innoc. Ioann. Andr. Abb. Imola & alij. Probatur. Cùm enim iuriſdictio pertineat ad ſubſtantiam iudicij, & iudex nullus eſſe poſsit, niſi iuriſdictione præditus; ideo conſuetudo illa, vt quorumlibet præſentium iudicio ſtetur, tanquam irrationabilis, iuribus omnibus contraria, ipſamque iudicij vim ac neruum euertens, nullius eſſe poteſt momenti.

Eapropter rectè colligunt hîc Innoc. & Ioan. Andreas, quòd nec in ciuilibus cauſis conſuetudine introduci poſsit, vt eæ ſecundùm populi, qui Magiſtratui ſubiectus eſt, vocem decidi debeant. Nam eo ipſo quòd populus ſe ſubiectum profitetur, non poteſt per conſuetudinem aut præſcriptionem tollere ea, quæ ad Superioris ſeu Magiſtratûs iuriſdictionem ac gubernatiuam poteſtatem intrinſecè & neceſſariò requiruntur, vti colligitur ex c. cùm non liceat 12. de præſcr. & dixi de hac re lib. 3. Theol. moral. tr. 1. cap. 8. n. 6. illat. 2.

Deinde colligunt citati Doctores cum Gl. hîc ver. quæritur; Conſultum quidè eſſe, 2 vt Iudex ſeu Magiſtratus aliorum, & quidem plurium, ſapientium conſilia exquirat, & audiat; ſed non ita, vt obligatus ſit ea ſequi. Nam ſententia vltima ad Iudicem ſpectat, quam auditis partibus, atque conſultoribus ſuis

suis interrogatis, secundùm id quod iustum
3 est, & ratio dictat, pronunciare debet. Quare etiam malè plerumque Reipubl. consultum est, si Princeps ita omnia Consiliariis suis committat, vt ab eorum sententia nunquam recedat, vel quæ, & quibus rationibus ipsi statuerint, non recognoscat: Cùm ipsi Principi potiùs, quàm Consiliariis, officium & cura Reipublicæ incumbat, prout etiam suprà docui.

4 NOTANDVM II. Consiliarij, aut Assessores, qui à Magistratu adhibentur, literati, & sapientes esse debent; Noxiúmque est Reipubl. si promiscuè cum literatis & illiteratis, sapientibus atque insipientibus Reipubl. negotia tractentur: propterea quòd procliue sit bonos à malis deprauari, aut certè supplantari, iuxta dictum Domini Luc. 16.v.8. quòd *filij huius seculi prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt.* Ita sumitur ex textu huius c. Non sufficit verò doctrinâ, siue iuris peritiâ instructum esse Consiliarium; nisi prudens ac verè sapiens, adeóque vir bonus sit: quamobrem passim in iure, viri boni arbitrium commendari, atque requiri solet. Est enim vir prudens, idémque bonus, qui non tantùm quid rectum, iustúmque, atque bono publico commodum sit, nouit, sed etiam ad sequendum, perpetuò inclinatus est, nullàque vitiosa affectione inde se amoueri patitur. Quamobrem Exodi cap. 18.n.21. Iethro cognatus Moysi dixit: *Prouide autem de omni plebe viros sapientes & timentes Deum, in quibus sit veritas, & qui oderint auaritiam, & constitue ex eis tribunos, & centuriones, & quinquagenarios, & decanos; qui iudicent populum omni tempore.* Ante omnia verò postulauit, vt ab auaritia alieni sint: hæc enim mentem excæcatam à vero, imò ab ipso Deo abducit, cùm sit *idolorum seruitus*, ad Coloss. cap. 3. v. 5. Vide quæ dixi in c. 1. de Constit. in 6. not. 2.

5 NOTANDVM III. Sententia lata à non iudice ipso iure nulla est, vti hîc dicitur in textu, & sumptum est ex l. 1. C. Si à non competente &c. Probatúrque ex eo, quia sententiam ferre iurisdictionis actus est: Ita que nulla est sententia, quæ à non iudice, seu iurisdictionem non habente procedit.

CAPITVLVM IV.

Quantò.

PARAPHRASIS.

Relatum fuit ad Innoc. III. Papam, quòd simplices quidam Sacerdotes apud Vrbem Constátinopolim Confirmationis Sacramenta, quæ ab Apostolorum tempore solis Episcopis reseruata sunt, Fidelibus ministrare præsumant, sola consuetudine in locis jis vigente factũ excusantes. Quare mandatis Vicario suo in Orientalibus regionibus constituto, vt Presbyteris omnibus prohibeat, ne imposterum id simili temeritate audeant. Tametsi enim ea Sacramenta à Fidelibus non contemnenda, sed magni facienda sint; minùs tamen periculi est, si stante ea necessitate (quæ legi subiecta non est) vt Episcopus haberi non possit, omnino omittere, quàm ab jis, quibus conferre non licet, cum temeritate (quæ lege damnata est) inaniter conferri & accipi: Etenim talis collatio seu administratio vmbram quidem Sacramenti præ se fert, veritate autem & affectu destituta est.

SVMMARIVM.

1. *Duo sunt Ordines Sacerdotum, primi & principales, Episcopi; alij simplices sacerdotes hîc vocantur, alias Presbyteri dici solent.*
2. *Quæ sunt propria Ordinis Episcopalis, ea ab inferioribus Clericis, etiam Presbyteris, nullo vsu seu consuetudine, quãuis immemoriali, acquiri, vel vsucapi possunt.*
3. *Qui per legem incapax est alicuius iuris, aut potestatis, is per solam consuetudinem seu exercitium & vsum, quantumuis diuturnum, eius capax fieri non potest; potest autem per dispensationem aut priuilegium.*

4. *Consuetudo obseruata, sciente eo, qui priuilegiare potest, & cùm posset, non prohibente, vim priuilegij habet.*

NOTANDVM I. Romanus Pontifex ab antiquo tempore Vicarios suos in ecclesiis quoq; Orientis constitutos habuit, cum potestate præcipiendi ac vetandi, per Apostolicæ Sedis auctoritatem. Quod est certum signum potestatis vniuersalis erga omnes ecclesias se extẽdentis. Qua de re dixi in Theol. moral. lib. 1. tr. 4. cap. 6. §. 1.

1 NOTANDVM II. Duo sunt ordines sacerdotum; Alij primi ac principales, videl. Episcopi, qui & sacerdotes consecrare, & Fideles seu baptizatos confirmare possunt: Alij verò sunt ordinis secundi, qui simplices sacerdotes hoc loco appellantur; aliàs Presbyteri dici solent; jis dictæ potestates non competunt. Qua de re egi lib. 5. Th. mor. tract. 9. c. 3. n. 4. & seqq. Ex quibus ibi dictis apparebit, de potestate Presbyterorum & Episcoporum malè hîc scripsisse Abb. Panorm. n. 11. quem rectè inter alios refutat Ioann. Azor. tom. 2. lib. 5. cap. 1. q. 8.

2 NOTANDVM III. Quæ sunt propria ordinis episcopalis, ea ab inferioribus clericis, etiam Presbyteris, nullo vsu, seu consuetudine, quamuis immemoriali, acquiri, siue vsucapi possunt. Nam vsucapere seu præscribere non potest, qui est incapax eius actûs, per quem vsucapere debet: Siue, vt aliis verbis dicam, incapax possidendi est etiam incapax præscribendi, quandoquidem *sine possessione præscriptio*, seu vsucapio *non procedit*, reg. 3. in 6. Sed omnis clericus Episcopo inferior, incapax est conferendi Sacramentum Confirmationis, & Ordinationis: Ergo tametsi diuturno tempore hos actus, videl. inualidè & sine effectu, exerceat, nunquam eas potestates vsucapere, & acquirere potest, prout in fine huius c. significatur.

Atque hæc quidem doctrina clara est, si loquamur de incapacitate, quæ prouenit ex diuina lege seu institutione, vt in casu c. nostri: Sicut enim ea lex seu institutio per contrariam legem humanam abrogari nõ potest, v. g. vt Presbyteri ex vi & potestate ordinationis suæ, baptizatos confirment, ita nec per consuetudinem ea incapacitas tollitur: Sed idem quoque dicendum, si incapacitas ex lege positiua proueniat, v. g. Ecclesiæ institutione: Tametsi enim, absolutè loquendo, non repugnet huiusmodi legem per contrariam consuetudinem aboleri; stante tamen lege, per quam personæ incapaces redditæ sunt actum aliquem validè exercendi, fieri non potest, vt per quamcunque, etiam immemorialem consuetudinem, siue exercitium, capaces reddantur, ob eandem, quam suprà dixi rationem; idque doctè, allegato hoc c. annotauit Suarez lib. 7. de legibus cap. 19. n. 17.

Res ista exemplis declarabitur: Primum. Stante lege canonica, quæ semper in ecclesia viguit, quòd ecclesiarum, & sacrorum vasorum, eorũmque quæ sancti chrismatis vnctionem postulant, consecratio propriasit Episcoporum, & Presbyteris ex vi ordinationis suæ, non competat, nullus Prælatus seu secularis, seu regularis, aliúsue sacerdos non episcopus, per consuetudinem, quantumuis diuturnam, etiam immemorialem, accedente quoque bona fide, dictam consecrandi potestatem acquirere potest, prout inter alios docet Syl. ver. benedictio n. 3.

Alterum. Posito, quòd lex Bonifaciana in c. statutum 11. de rescriptis in 6. in obseruatione sit, sicuti reuera est, vt causæ ab Apostolica Sede & Legatorum eius non delegentur nisi personis in dignitate constitutis, aut Canonicis Cathedralibus, nulla consuetudine obtineri potest, vt alia persona talem qualitatem non habens literas accipiat & exequatur; propterea quòd lex ea irritans sit, adeóque mandati executio, facta à persona non capaci, irrita. Accedit hîc specialiter, quòd mens committentis seu delegantis Pontificis non sit huic personæ, quæ requisitam qualitatem non habet, delegandi; ideóque etiam ex hoc capite, videl. ob voluntarij defectum, irrita est delegatio causæ.

Tertium. Cùm ius decimarum spirituale sit, ideóque in laicum non cadat, ideo nunquam etiam immemoriali tempore, & cum bona fide illud vsucapere potest, c. causam quæ 7. de præscript.

Quæ-

Quartum. Cùm Laici incapaces sint spiritualium iurium eligendi ecclesiarum Prælatos, conferendi ecclesiastica beneficia; item iurisdictionis exercendæ in ecclesias, & ecclesiasticas personas; ideo nulla, quantumuis diuturna aut immemoriali consuetudine, vel præscriptione acquirere eam possunt, vti docui lib. 4. Theol. mor. tr. 9. c. vlt. & videri potest Suarez in tract. de immunit. eccles. cap. 32. n. 17. & seqq. post Ioann. Andr. in c. 2. de præb. in 6. Philipp. Decium in c. nouit. n. 12. de iudiciis.

Itaque in eiusmodi casibus, in quibus v. g. laici incapaces iurium spiritualium, aut Presbyteri incapaces potestatis consecrandi sacra vasa, nihilominus per concessionem aut priuilegium supremi Ecclesiæ Pastoris, capaces fieri possunt, ita argumentari possumus: Vel persona, quæcunque præter, aut potiùs contra communem legem canonicam, talem potestatem sibi arrogat, priuilegium accepit, aut non accepit: Si prius, dici non potest, quòd eam præscriptione, seu diuturni temporis vsucapione acquisierit. Si posterius, locum habet regula superiùs tradita, & communiter à Iureconsl. approbata, Ioan. Andr. Decio locis suprà cit. Felin. in c. causam, n. 4. & seqq. de præscript. c. accedentes n. 6. eod. tit. quòd posità incapacitate personæ, locum habere non possit vsucapio, quantocunque, etiam immemoriali tempore, continuata: cùm enim actus, siue vsus & exercitium actuum, posità incapacitate personæ, nullum & irritum sit, non potest per illud ius aliquod acquiri, iuxta dictum vulgatum; *quod nullum est, nullum effectum producit.* Videri etiam potest Suarez lib. 8. de legibus cap. 7. vbi explicat regulam Iuristarum ex eodem fundamento desumptam, quòd priuilegium potentius sit consuetudine, & multa per priuilegium acquiri possint, quæ consuetudine propter subiecti incapacitatem, acquiri non possunt. Qua de re dixi etiam in c. ecclesia 10. de constit. & in Theol. mor. lib. 3. tr. 1. cap. 8. n. 6.

3 NOTANDVM IV. Qui per legem incapax est, alicuius iuris aut potestatis, is per solam consuetudinem, seu exercitium & vsum, quâtumuis diuturnum, eius capax fieri non potest. Hæc est doctrina in præc. not. explicata, & sumitur ex c. isto ver. *solam consuetudinem prætendentes*, & tradit eam Baldus hîc in fine c. Abb. n. 2. Videtur autem Pontifex Innoc. III. quando Presbyteros illos temeritatis arguit, quia solâ consuetudine nixi, Fideles confirmabant, insinuare, secùs fuisse dicendum, si ipsi super concessione seu dispensatione à Sede Rom. Apostolica, propter necessitatem seu penuriam Episcoporum, ipsis factâ intentionem fundassent: tum enim de ea inquiri, seu examinari debuisset. Videri possunt, quæ dixi lib. 5. Theol. moral. tract. 3. cap. 6.

His adde primò; Ad vsucapionem, tum in hoc casu, tum in aliis suprà allatis exemplis, haud sufficere, si cum immemorialis temporis vsu siue consuetudine facti, bonáque fide, concurrat fama concessi priuilegij, aut dispensationis, per quam persona capax facta sit. Hæc enim fama licet fidem bonam confirmet, faciátque præsumptionem seu colorem tituli, ita vt possessor à possessione & exercitio amouendus non sit, prout locis suprà allegatis rectè docuit Felinus; attamen si fama falsa sit, seu concessio nulla facta, re vera persona manet incapax: consequenter vsucapio siue præscriptio perfici non potest. Consequenter si veritas postea detegatur, videl. nullam dispensationem factam esse, irrita censeri debebit, quæ acta sunt.

Adde secundò; Quòd in his, in quibus 4
Princeps priuilegium rationabiliter concedere potest, & solet, sufficit plerumque consensus tacitus: si videl. sciat potestatem aliquam ab ijs, qui secundùm communem legē incapaces sunt, exerceri, & non prohibeat, cùm si vellet, prohibere posset. Ita docet ex communi Petrus Rauenn. de consuetudine n. 61. & seqq. Rochus Curtius in c. vlt. de cōsuet. n. 300. 301. vbi ait, *consuetudo obseruata sciente eo, qui priuilegiare potest, vim priuilegij habet.*

Porrò de his, quæ in hoc c. dicta sunt, aliis quoque in locis ex instituto agendum erit: sed hîc veluti generale fundamentum ex hoc c. eruisse, operæ pretium esse videtur.

CAPITVLVM V.

Cùm inter.

PARAPHRASIS.

Episcopus Cenomanensis, aut fortasse vacante Sede Capitulum, generale interdictum loci posuit in ciuitate Cenomanensi: sed Canonici ecclesiæ S. Petri de Curia illud obseruare recusantes, pulsatis campanis, ianuis apertis, & voce altâ diuina officia celebrârunt: Pro defensione ipsorum Procurator allegauit, quòd ecclesia S. Petri à primâ fundatione suâ libera extiterit atque exempta; consuetudinem quoq; fuisse, vt in ea ecclesia in generali edicto, excommunicatis & interdictis personaliter exclusis, diuina officia dicto modo celebrare liceret. Hoc cognito, decreuit Innocent. III. Papa, cùm per consuetudinem eam, si quæ esset, neruus ecclesiasticæ disciplinæ disrumperetur, irritandam esse.

SVMMARIVM.

1. *Episcopus ecclesiam exemptam à sua iurisdictione directè subijcere interdicto non potest, potest tamen indirectè.*
2. *Non valet consuetudo, per quam sententia interdicti legitimè lati, aut cuiuscunque censuræ ecclesiasticæ violatur.*
3. *Imò vniuersim non valet consuetudinis introductio, siue præscriptio, quotiescunq; aliquid agitur contra disciplinam ecclesiasticam, qui est velut neruus ecclesiæ.*
4. *Consuetudo facti, si sit contra neruum ecclesiasticæ disciplinæ, rescindenda & tollenda; consuetudo autem iuris, vti nulla introduci potest, ita vt nulla & irrita declarari debet.*

1 NOTANDVM I. Licèt Episcopus directè non possit interdicto subijcere ecclesiam exemptam à iurisdictione sua, potest tamen indirectè & per consequentiam: Quia in interdicto locali generali, si v. g. ciuitas interdicta sit, etiam exemptorum ecclesiæ comprehenduntur; cùm alioquin interdictum ferme inane foret, eiúsque censura declinari posset, si populus in ecclesiis exemptorum officia diuina perciperet. Quamobrem posteriore iure Clem. ex frequentibus, de sent. excomm. Religiosi omnes, etiam exempti sententiam excommunicationis incurrunt, si generale interdictum loci, legitima auctoritate positum non obseruent. Videri potest Abb. hîc n. 3.

2 NOTANDVM II. Non valet consuetudo, per quam interdicti legitimè lati sententia violatur. Ita annotatur in rubr. huius c. Idque ob rationis identitatem, extenditur ad omnem censuram, prout hîc Abb. docet n. 2. *Consuetudo non valet, per quam sententia ecclesiasticæ censuræ violatur.* Ratio assignatur in textu: Quia non valet consuetudo, per quam neruus ecclesiasticæ disciplinæ rumpitur; esset enim ecclesiis noxia, irrationabilis, ideóque rejicienda, argum. c. cùm venerabilis 7. & c. vlt. hoc tit. Atqui censura ecclesiastica est veluti neruus ecclesiasticæ disciplinæ: quia sicuti corporis membra neruis continentur, vt officia sua ritè obire possint, ita & fideles ecclesiasticis censuris, earúmque metu in officio continentur, & à peccatis atque inobedientia reuocantur.

3 Potest etiam generaliùs fieri ratiocinatio, ex mente huius c. *Non valet consuetudinis introductio, siue præscriptio, quotiescunque aliquid agitur contra disciplinam ecclesiasticam, qui est veluti neruus ecclesiæ,* vti Gl. hîc ait ver. de consuetudine: Per violationem autem censuræ, agitur contra disciplinam ecclesiasticam, seu, vt in textu dicitur, neruus ecclesiæ rumpitur: ergo non valet præscriptio, seu eiuscemodi consuetudinis introductio.

Dicet quispiam, in hoc c. non dici, consuetudinem esse irritam, sed irritandam. Quæ res mouit Lud. Molinam in tr. 2. de iustit. disp. 79. n. 6. vt fateretur, ex hoc c. non ostendi, consuetudinem contra neruum ecclesiasticæ disciplinæ introductam non valere, sed esse reuocandam seu rescindendam.

Con-

Contrarium verò cum Gl. tradunt hîc interpretes communiter, & Suarez lib. 7. de legibus cap. 6. n. 8. vbi contendit, dictam cõsuetudinem irrationabilem esse, ideóque vires obtinere non posse. Ad obiectionem resp. I. Non esse infrequens in iure, vt quod irritum est, dicatur irritandum, id est, irritum & inane declarandum, prout apparet in c. cùm dilectus iun. Gl. ver. cassauimus, hoc tit.

4 II. Duplex est consuetudo, facti, & iuris. Illa, si sit contra neruum ecclesiasticæ disciplinæ, rescindenda & tollenda est; at verò consuetudo iuris nulla introduci potest; ideóque irrita, vt dixi, & inanis declarari debet.

CAPITVLVM VI.

Cùm olim.

Paraphrasis.

Cùm Londonensis Episcopus in ecclesia sua creare vellet nouam dignitatem, seu personatum Præcentoriæ, eius rei licentiam ab Innoc. III. Papa obtinuit, eâ cõditione, vt in assignandis ei reditibus nulli inferretur præiudicium; atque vt Præcentor in sessionibus, processionibus & alijs eum obtineret honorem ac dignitatem, quam in alijs Anglicanis ecclesijs Præcentores obtinent. Quòd si autem in eis diuersæ aut contrariæ consuetudines seruarentur, talis Præcentori Londonensi dignitas, seu præeminentia statueretur, vt alijs personis nullum præiudicium fieret, sed rationabiles in eadem ecclesia hactenus obseruatæ consuetudines illæsæ permanerent.

Svmmarivm.

1. *In ecclesiâ noua dignitas, aut beneficium institui non debet cum diminutione reditnum, aut iuris aliorum beneficiariorum.*
2. *Excipe primò: nisi necessitas seu magna vtilitas ecclesiæ id postulet.*
3. *Secundò, nisi modicum & non æstimabile præiudicium inferatur.*
4. *Iure communi canonico de noua dignitate, aut officio in ecclesia nihil statuente, imitanda est consuetudo ecclesiarum vicinarum, in quibus eadem dignitas, aut officium existit.*
5. *Non item si dignitas vel officium de nouo sit erigendum, de quo iure communi canonico statutum est; tunc enim hoc sequendum est, non consuetudo vicinarum ecclesiarum.*
6. *Vniuersitas studiorum de nouo erectæ potiri debet priuilegijs concessis in Aushent. Habita, C. Ne filius pro patre; ita vt etiam in causis criminalibus Studiosi proprium iudicem habeant.*

NOTANDVM I. Non debet in ecclesiâ 1
noua dignitas, aut beneficium institui, cum diminutione reditnum, aut iuris aliorum beneficiariorum. Ita sumitur ex textu huius c. & tradit præter alios hîc Baldus n. 4. dicens, quòd non debet vnum altare vestiri, ita vt alterum denudetur. Sed excipiendum est primò: Nisi necessitas seu magna vtilitas ecclesiæ id postulet. Tunc e- 2
nim non prohibetur Episcopus, (saltem cum Capituli, & patroni consensu) demere vni dignitati, aut beneficio, & alteri dare, sicuti hîc docent Imola n. 5. Abb. in 6. arg. c. 1. de rebus ecclesiæ non alien. in 6. iun. Gl. ver. tenues, & c. 3. de eccles. ædificandis, ver. magna difficultas; Ex quibus habetur, quòd ex causa necessitatis seu maioris vtilitatis, v. g. ob multitudinem plebis, aut locorum distantiam, possit intra fines parochiæ ædificari capella, quamuis ob id parochialis ecclesiæ Rectori oblationes aliquæ decedant, aut reditus minuantur: sin verò absque causâ id fieret, Rector parochiæ se opponere posset, iuxta c. 1. de noui operis nunciat. iun. Gl. ver. in præiudicium.

Excipiendum secundò; Nisi modicum, 3
& non æstimabile præiudicium inferatur: Tum sufficiet quælibet causa rationabilis, seu ad augmentum diuini cultûs pertinens. Ita Gl. hîc ver. præiudicium, Anton. num. 5.

Quâ ratione idem Anton. n. 15. docet, etiam nullâ aliâ causâ vrgente, nisi cultûs diuini augendi, posse Episcopum capellas ædificare intra parochias arbitratu suo; dummodò id fiat absque subtractione redituum ex parochijs; etsi per accidens, seu consecutiuè ijs aliquid decedat; quia oblationes & dona eò deferrentur, & populus ad officia diuina subinde accederet &c.

Cur autem in casu huius c. licentia nouam dignitatem præcentoriæ in ecclesia constituendi, etiam secluso præiudicio aliorum, à Pontifice petita fuerit, non satis constat: Fortasse id factum ob maiorem securitatem & firmitatem; aut quia Capitulum Episcopo contradicebat, vti Abb. hîc ait.

4 NOTANDVM II. Si noua dignitas, aut officium in ecclesia aliqua constituatur, & ius commune canonicum de eo nihil disponat, imitanda est consuetudo ecclesiarum vicinarum, in quibus eadem dignitas aut officium existit. Sed quid? si dignitas vel officium, v.g. Archidiaconi, Archipresbyteri, de quo iure communi statutum est, de nouo erigendum sit; sed in vicinis ecclesijs circa illud diuersa specialis consuetudo existat, sequendúmne est ius commune, an consuetudo vicinarum ecclesiarum? Placet re-

5 sponsio Abb. hîc n. 6. & 7. sequendum esse ius commune, quia consuetudo specialis contra ius commune introducta ei non derogat, nisi limitatè, siue in ordine ad locum aut ecclesiam, in qua viget: sicuti vniuersim de consuetudine abrogatoria legum, atque præscriptione, ex communi tradit Bartol. in Auth. Qui rem, C. de SS. Ecclesijs, & pluribus allegatis docet Curtius de consuet. n. 322. quòd *consuetudo contra ius non extenditur ad alium casum aut locum*; Item quòd *consuetudo, quæ est in vna ecclesia, non extenditur ad aliam*: Idem Ioseph. Mascard. not. 1. de probat. concl. 23. n. 12. & seqq. vbi limitat: Nisi sit locus accessorius, seu eiusdem iuris cum altero: quâ ratione consuetudo vigens in ciuitate plerumque extenditur ad vicos & castra vicina, si eiusdem iurisdictionis sint.

6 Exinde colligit Abb. hîc n. 7. Si alicubi studiorum Vniuersitas de nouo erigatur, quòd potiri debeat priuilegijs concessis in Auth. Habita, C. Ne filius pro patre, ita vt etiam in causis criminalibus Studiosi proprium Academicum iudicem habeant; non obstante quòd Gl. ibi ver. si litem, dicat, propter non vsum, atque renunciationem tacitam, contrarium in Vniuersitatibus obseruari. Quia talis consuetudo (ait Abbas) non nocet, nisi in locis, in quibus est introducta.

Quæres: quisnam dictus sit Præcentor, & quod eius officiũ? Respondet Azor tom. 2. lib. 3. cap. 23. Eundem esse, qui in nostris ecclesijs Cantor dici solet: eiúsque officium fuisse antiphonas & psalmos inchoare. Qui tametsi iurisdictionem propriè non habuerit, præeminentiam tamen in sessionibus, processionibus &c. inter reliquos Canonicos, diuina officia horis diurnis atque nocturnis, in ecclesia celebrantes, gerebat; ideóque dignitatem seu personatum habebat, inferiorem primicerio, de quo in c. vn. de offic. Primicerij. Succentorem autem, de quo mentio in c. inter dilectos 11. de excess. Prælator. ait Azor, esse eundem, qui in quibusdam ecclesijs Vicecantor appellatur, quia Cantoris, aut Præcentoris vice fungitur.

NOTANDVM III. Si aliquid agendum sit instar, seu secundùm imitationem aliorum, & ea diuersa reperiantur, sequendum est id, quod magis rationabile, minúsque præiudicij adfert. Ita hîc, & simile quid habetur in c. ex parte 18. de censibus. Exemplum afferunt Anton. hîc n. 12. Imola n. 4. Instrumentum contractûs, alteriúsue dispositionis fieri conuenit secundùm consuetudinem Notariorum: sin autem diuersæ formæ instrumentorum vsitatæ sint, imitanda est ea, quæ rationi & æquitati magis cõgruit. Verùm id plerumq; in consilio duntaxat est, non in præcepto: cùm non semper teneamur sequi, quod est optimum: sed sufficiat sequi, quod cum ratione aliqua receptum, non reprobatum, ideóque tutum est; nisi Superioris impositum mandatum aliud postulet.

CAPI-

CAPITVLVM VII.

Cùm venerabilis.

PARAPHRASIS.

Episcopus Hostiensis, & L. Presbyter S. Crucis Cardinales, Legati Sedis Apostolicæ in partibus Alemaniæ, repererunt, quòd Abbas Monasterij Hermionensis, Romanæ Sedi immediatè subiecti, ad Abbatiam Monasterij Corbiensis itidem ad Sedem Romanam specialiter pertinentis propriâ temeritate transferit, ab ipso Pontifice, aut vices eius in Germania tenentibus, licentia nec petita, nec obtenta. Postea verò Nuncij dicti Abbatis pro excusatione facti allegarunt, generalem hanc esse eius terræ consuetudinem. Sed Innoc. III. respondet, cùm talis consuetudo potiùs corruptela censenda sit, quippe sacris canonibus inimica, imposterum seruandam non esse.

SVMMARIVM.

1. *Omnes ecclesiæ & monasteria immediatè Romanæ subiecta, iuri Romanæ Ecclesiæ subesse, & exemptionem ac libertatem habere censentur.*
2. *Non valet consuetudo, vt Prælatus ecclesiam suam dimittere, eíue renunciare possit, sine licentia Superioris.*
3. *Nec valet consuetudo, vt Prælatus electus non teneatur à Superiore confirmationem petere.*
4. *Generalis consuetudo alicuius loci passim vigens & tolerata, licèt irrationabilis sit, adeóque contra legem præualeat, tamen excusationem aliquam, & veniam delicti aliquo modo mereri potest: secùs est, si sit consuetudo singulorum peccantium contra legem, tunc enim non minuitur peccatum, sed potiùs aggrauatur.*

1 NOTANDVM I. Tametsi omnes ecclesiæ & monasteria Romanæ vniuersali Ecclesiæ subiecta sint, attamen quæ immediatè eidem subijciuntur, specialiter ad ius Romanæ Ecclesiæ pertinere censentur, atque exemptionem & libertatem habere, prout dicitur in c. si Papa 10. in princ. de priuil. in 6. Atque simili ratione in Roman. Imperio quæ ciuitates, aut Nobiles v.g. Cæsari, nullo mediante subditi sunt, exempti, & liberi appellantur; ac ciuitates specialiter Imperiales.

2 NOTANDVM II. Non valet consuetudo, vt Prælatus ecclesiam dimittere, eíue renunciare possit, sine licentia Superioris. Sicut Abbas subiectus Episcopo, (inquit Gl. hîc ver. migrâsse) sine licentia Episcopi renunciare, aut locum suum relinquere non potest, c. Abbas 8. causa 18. q. 2. sic Abbas subiectus tantùm Papæ renunciare non potest, sine eiusdem licentia; tametsi insufficiens sit, c. vlt. §. Item si quis, de renunc. Ratio insinuatur in textu c. Quia huiusmodi consuetudo bonum ordinem ac disciplinam ecclesiasticæ hierarchiæ destruit, ideóque irrationabilis est, & corruptela potiùs, quàm consuetudo dici debet.

3 NOTANDVM III. Nec valet consuetudo, vt Prælatus electus non teneatur à Superiore confirmationem petere. Ita colligitur etiam ex hoc cap. & tradit hîc Ioann. Andr. n. 8. Abb. in c. transmissam n. 3. & c. qualiter n. 2. de elect. Ratio est, quia & hæc consuetudo est contra bonum ordinem ecclesiasticæ hierarchiæ, secundùm quem inferiores Ministri ac Prælati Ecclesiæ à Superioribus dependere, atque in sua institutione ius & auctoritatem accipere debent. Cùm enim consuetudo sit instar iuris ac legis, ideo iusta & rationabilis esse debet; alioquin nullam ex Principum voluntate & constitutionibus assistentiam vigorémq; habet.

Præsertim verò ecclesiarum speciales cõsuetudines, si bono vniuersalis Ecclesiæ, eiúsque fini, quæ est salus animarum, & vita æterna, incommodent, nullâ temporis diuturnitate robur acquirere possunt; ideóque abolendæ & corrigendæ: Tales sunt consuetudines, quæ, vt dixi, ecclesiasticum bene constitutum ordinem ac dependentiam tollunt,

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

lunt, disciplinam ecclesiasticam eneruant, peccandi materiam & occasionem præbent, cultûs diuini imminutionem introducunt, clericis officia diuina negligendi, vagandi, luxûs & otij licentiam permittunt.

Obijci potest contra not. III. Quidquid per priuilegium obtineri potest, idem quoque per consuetudinem immemorialem, si sit capacitas in vsucapiente, introduci potest. Atqui Summus Pontifex pluribus Religionibus priuilegio indulsit, vt ipsarum Abbates, aut Præpositi generales, cùm primùm canonicè electi sunt, plenam iurisdictionem absque alia speciali Sedis Apostolicæ confirmatione, consequantur, vt videre est apud Em. Rodriquez tom. 2. regul. qq. q. 53. a. 3. Ergo hoc ipsum per consuetudinem immemorialem, introduci potest. Respondeo; Ecclesiæ Ministros ac Prælatos nõ esse capaces ecclesiasticæ iurisdictionis consequendæ, & exercendæ, nisi cum ordine ac dependentia ad Superiores Prælatos, (arg. c. qualiter 17. de elect.) præsertim ad Rom. Pontificem, à quo tanquam Capite à Christo constituto, omnis ecclesiastica potestas in inferiores ministros conueniente ordine descendit, vti docui lib. 1. Theol. moral. tr. 4. cap. 7. §. 2. Capaces itaque fieri possunt per concessionem seu priuilegium Papale; non autem per solam consuetudinem, iuxta ea quæ suprà dixi in c. quanto 4. hoc tit.

4 NOTANDVM III. Generalis consuetudo alicuius loci, tametsi irrationabilis sit, ideóque contra legem non præualeat, tamen excusationem aliquam & veniam delicti aliquo modo mereri potest. Ita Gl. hîc ver. migrâsse, alia Gl. in c. denique 6. ver. consuetudine, d. 4. vbi ait, quòd *consuetudo excusat à pœna temporali.* Anton. hîc n. 12. *licèt consuetudo non excuset à peccatis, inducit tamen faciliorem potestatem dispensandi*, argum. c. 2. de tempor. ordinationum. Similia tradit Abb. hîc n. 4. Imola n. 8. Nauar. in cons. vlt. n. vlt. de accusat. edit. 2. Idque colligunt ex hoc c. quandoquidem Pontifex non exprimit, quid in pœnam temerarij transitus, decretum fuerit de Abbate, v. g. vt vtrâque Prælaturâ careret, argum. c. quanto, de translat. Episcopi; & ideò credibile videri potest, in altera, ad quam transijt Abbatia, toleratum & confirmatum fuisse. Locutus sum autem in not. de irrationabili consuetudine *generali*, seu quæ in Communitate passim viget, & toleratur. Sin verò sermo sit de consuetudine singulorum peccantium contra legem, non minuitur per eam, sed potiùs aggrauatur peccatum; vti constat ex c. vlt. hoc tit. & Authent. Vt nulli Iudicum, §. 1. vers. Neq; verò angarijs. Tum quia perseuerantia in peccato, eiúsque iteratio per se auget, & aggrauat; tum quia virtualem contemptum continere videtur; & ideo etiam in externo foro grauiùs punitur, vti constat ex l. 3. Cod. de Episcopali audientia, vbi id Gl. & DD. notant, Rochus pluribus allegatis in c. vlt. n. 62. 63. hoc tit.

Positâ autem consuetudine generali, rectè traditam doctrinam defendit, & declarat Franc. Suarez lib. 7. de legibus cap. 19. n. 8. Partim quia ex publica consuetudine delicti, plerumque oritur ex parte singulorum delinquentium aliqua ignorantia, aut saltem minor consideratio deformitatis: Partim quia exemplum multorum delinquentium est vehemens quædam tentatio, ac veluti impulsus quidam ad imitandum, aliquo modo imminuens peccatum, ob hominis infirmitatem: Partim quia ex parte Reipubl. nascitur inde difficultas, & quasi impossibilitas quædam multitudinem peccantium puniendi. argum. cit. c. 2. de tempor. ordinat.

CAPITVLVM VIII.

Cùm dilectus.

PARAPHRASIS.

Controuersia mota fuit coram Innocentio III. Pontifice, inter Guilielmum ecclesiæ Andrens. Monachum, & Capitulum monasterij Karofensis, super iure eligendi Abbatem, & valore electionis factæ à Conuentu monasterij Andrensis. Guilielmus proposuit, se à Fratribus dicti Monasterij concorditer electum fuisse; ideóque, cùm tam de iure communi, quàm Apostolicæ Sedis priuilegio, ad dictum

Con-

Conuentum duntaxat libera eligendi Prælatum pertineat, electionem sui à Pontifice confirmari petiit. Ex aduersa parte Procurator Capituli Karofensis proposuit, Episcopum ordinarium olim, ex voluntate & petitione patronorum ecclesiæ, constituisse, si numerus Regularium inibi ita augeretur, vt Prior vel Abbas constituendus esset, quòd electio penes eiusdem loci fratres, & Capitulum Karofense esse deberet; idque, eius statuti vigore, longo tempore obseruatum fuisse, videl. vt vacante Monasterio Andrensi, Fratres eiusdem loci & in Capitulo Karofensi conuenientes, è gremio eiusdem Karof. Monasterij sibi Abbatem eligerent. Quare petiit dictus Procurator, vt electio Guilielmi facta tum cõtra statuti tenorem, tum contra consuetudinem approbatã (quæ optima legum interpres est) tanquam minùs canonica cassaretur. Pontifex Innocẽtius inprimis electionem eam cassauit, (id est, cassam & irritam esse declarauit) quia cognouerit factam esse à suspensis, & de suspenso. Quòd verò ad ipsum ius eligendi attinet, considerandum esse ait, quòd verba statuti ita commodè intelligi possint, vt neque iuri communi, neque priuilegio à Sede Apostolica Fratribus Andrens. concesso deroget; nimirum, vt electio Abbatis ad solum Conuentum Andrens. Monasterij spectet, confirmatio autem ad Capitulum Karofense: Ideóque mandet Pontifex; vt, nisi ex parte Cœnobij Karofens. suprà dicta consuetudo, iuri communi cõtraria (videl. vt ex gremio eius ecclesiæ Abbas pro Monasterio Andrensi eligendus sit) fuerit probata, Andrens. Monachis ius electionis adiudicetur; tali modo, vt liberam facultatem habeant vel de ecclesiæ suæ gremio, vel aliunde personam idoneam canonicè eligendi, & Capitulo Karofensi præsentandi, vt ab eo (si canonica electio fuerit) confirmetur.

Svmmarivm.

1. *Religiosus ad Prælaturam electus ius suum, sine alia licentia, in iudicio prosequi potest.*
2. *Patronus siue fundator ecclesiæ in ipsa fundatione, cum consensu Episcopi, conditionem honestam, etiam contra ius commune, & interdum cum derogatione iuris episcopalis, apponere potest.*
3. *Consuetudo approbata est optima legum interpres.*
4. *Consuetudinis rationabilis & legitimè præscriptæ virtus est, vt legem vincere, mutare, & penitus abrogare possit, eiusque obligationem in conscientia determinare.*
5. *Suspensus ab officio eligi non potest in Prælatum, nec promoueri ad aliud beneficium ecclesiasticum.*
6. *Suspensus ab officio, priuatus quoq; est potestate eligendi, & beneficia conferendi, ita vt electio, aut beneficij collatio passiua à suspenso, excommunicato, aut personaliter interdicto facta, vniuersim irrita sit; actiua autem, nonnisi ab ijs, si denunciati sint, & non tolerati.*
7. *Suspensus à beneficio eligere, aut beneficia conferre, ratione eius censuræ, potest.*
8. *Verba statuti, vel alterius dispositionis ita explicari debent, vt quàm fieri potest saluâ eorum proprietate, aut communi acceptione à iure communi non recedatur.*
9. *Nisi statutum, priuilegium, aliáue dispositio alterius iuri derogaret, aut præiudicialis alteri foret; tunc enim verba potiùs impropriè explicãda sunt, quàm vt ius tertij lædatur.*
10. *Excusabiles sunt, & bona fide procedunt, qui iuxta statuti, aut cuiuslibet dispositionis, quæ sensum dubium habet, vnum sensum, quamuis falsum, operantur.*

NOTANDVM I. Monachus, siue Religiosus ad Prælaturam electus, ius suum, sine alia licentia, in iudicio prosequi potest. Ita etiam habetur in c. cùm dilecta, 22. de rescriptis. 1

NOTANDVM II. Patronus, siue fundator ecclesiæ, in ipsa fundatione, cum consensu Episco- 2

piscopi, conditionem honestam, etiam contra ius commune, & interdum cum derogatione iuris episcopalis, apponere potest. Ita sumitur ex textu huius c. & ex c. verum 5. de condit. appositis, & notat hîc Baldus num. 9. Abb. n. 4. Rochus de consuet. n. 264.

Aduerte autem, quod dixi primò; In ipsa fundatione, non item postea, conditionem, modum aut grauamen apponi posse, prout rectè docet Gl. in c. 2. ver. sic quidam, causa 10. q. 1. Cùm enim quilibet rei suæ sit moderator & arbiter, ideo in traditione, seu donatione facta ecclesiæ, velle aliquis potest non aliter nisi cum certa conditione donare, aut fundare; videl. vt electi Prælati confirmatio non ad Episcopum, sicuti iure communi decretum est, sed ad aliud Monasterium, aut Prælatum eius pertineat. At verò post factam fundationem non potest talis aliqua conditio exigi, sicut habetur in cit. cap. 2. vbi id notat Gl. cit. ex l. 4. C. de donat. quæ sub modo, vbi dicitur, quòd *perfecta donatio conditiones postea non capit.*

Secundò, quod dixi cum Episcopi consensu: Quia ipsemet fundator, cùm sit persona priuata, non potest sua voluntate aut auctoritate, canones immutare, prout habetur in c. requisisti 15. ante medium, de testam. Quare etiam in hoc c. conditio illa, vt confirmatio ad Conuentum Karof. pertineat, Episcopi constitutum dicitur, factum secundùm petitionem patronorum. Quo in loco rectè admonet Gl. ver. cõstitutum, Imola n. 21. Abb. n. 5. & 10. Episcopum, etiam petente aut consentiente patrono, non posse post factam fundationem, quando iam ius v. g. confirmandi Prælatum episcopali dignitate acquisitũ est, mutationem instituere, vt confirmatio ad alium pertineat, nisi adsit iusta causa seu necessitas, & ea adhibeantur, quæ ad alienationem iuris ecclesiæ acquisiti necessaria sunt. Multò minus Episcopus, etiam cum Capituli sui consensu, generale statutum condere potest, vt, si fundatio aliqua Monasterij, aut Collegiatæ ecclesiæ fiat, confirmatio Abbatis, aut Præpositi non ad ipsum, sed ad alium spectare debeat, prout bene docet Rochus in cit. c. vlt. n. 266. Partim quia Episcopus non potest statuere contra canonum decreta. c. quod super 9. de maior. & obed. c. institutionis 7. causa 25. q. 5. & docent DD. in cap. 1. de constit. Abb. in c. vlt. n. 9. hoc tit. Partim quia tale statutum irrationabile foret, & contra bonum ordinem ecclesiasticæ hierarchiæ, & ideo vim nullam haberet, iuxta c. 2. d. 4. *Erit autem lex honesta, iusta, &c.*

NOTANDVM III. Consuetudo approbata, est optima legum interpres. sumptum est hoc dictum ex l. 36. ff. de legibus: *Si de interpretatione legis quaratur, in primis inspiciendum est, quo iure ciuitas retro in eiusmodi casibus vsa fuit: Optima enim est legum interpres consuetudo.* Quamobrem hæc vna est ex proprietatibus consuetudinis, legem interpretari, & confirmare, teste Gratiano super c. in istis 3. d. 4. Ideóque quasi gemino iure fulcitur, cui tam lex, quàm consuetudo assistit, vti ex hoc c. colligitur, & traditur in c. sopitæ 14. vbi Gl. & DD. communiter ver. consuetudine, de censibus. Quòd si sensus legis siue statuti, spectato verborum tenore, atque interpretatione Doctorum, dubius sit, consuetudo communiter obseruata determinabit, vt aliud requirendum non sit, sed ita lex accipienda, sicuti consuetudo obseruat, iuxta l. 37. ff. eod. vbi dicitur; *In ambiguitatibus, quæ ex legibus proficiscuntur, consuetudinem, aut rerum perpetuò similiter iudicatarum auctoritatem, vim legis obtinere:* Idque adeò, vt tametsi ponamus consuetudinem populi, potentis legem condere, aut saltem habentis consensum tacitè approbatiuum Superioris (si per se legem condere non possit) aberrare à vero legis sensu, consuetudo tamè obseruari debeat, prout constat ex cit. l. 37. & tradit in his terminis Abb. hîc n. 7. Petr. Rauennas de consuet. n. 89. Suarez lib. 5. de legibus, cap. 4. n. 16. vbi bene admonet, non esse hanc meram legis interpretationem, sed potiùs mutationem: quandoquidem & hæc virtus rationabilis & præscriptæ consuetudinis est, vt legem vincere, mutare, & penitus abrogare possit, c. vlt. hoc tit. & videri potest Bartol. in l. de quibus n. 5. ff. de legibus.

Exinde colligunt DD. communiter, vt videre est apud Thom. Sanchez lib. 6. moral. cap.

cap.4.n.27.Rodriq. tom.1. regul.qq.q.66.a. 4.& tom.2.q.101. a.vlt. si ex verbis legis aut ordinationis nō satis appareat, num sub peccato obliget in conscientia; item, quàm grauis sit eius obligatio, videlicet num sub peccato mortali, an veniali, id per receptam & approbatam cōsuetudinem determinari, argum.Clem. Exiui,§. Item ordo communiter sensit, de verbor. signif. Nam sicuti per consuetudinem, nulla existente lege scripta, saltem cum scientia & tacita approbatione Superiorum,obligatio talis introduci potest; ita etiam,imò faciliùs, si lex aliqua existat, quæ per consuetudinem, interpretationem, corroborationem, & fortasse augmētum siue extensionem accipiat. Videri potest Suar.cit.loco, & eod.lib.7. cap. 17. & quæ docui lib. 1. Theol.moral.tr.4.cap.vlt.n.3.& seqq.

Veruntamen discernendum hoc in loco est,num persuasio in populo,& quę inde nasci solet consuetudo,iuxta quam lex accipitur & obseruatur, tanquam obligans sub peccato, aut sub mortali & non tantùm veniali, iuncta sit cum intentione introducendæ eiusmodi obligationis; etiamsi fortasse eam lex primordialis non habuerit; & tum vera est suprà tradita doctrina, & satis confirmata in cit. Clem. Exiui; An verò procedat duntaxat ex suppositione legis ita obligantis; siue, vt clarè dicam, si populus seu Communitas ideo legem obseruet, quasi sub peccato, aut non veniali, sed mortali obligātem, quia existimat, suapte institutione talem ei obligationem inesse: Tum locum habet, quod traditur ab Innoc.in c.penult. ante n. 1. hoc tit. Gl. in c.frustra 7. d.8. Gl. in l. de quibus 31.ver. abrogentur, ff. de legibus, quòd non valet consuetudo,quæ per errorem introducta est; & dicam de hac re in c.vlt. quæst. vlt. hoc tit. Nam actus agentium liberorum non producunt effectum vltra intentionem: si itaque Communitatis intentio non sit absolutè obligationem introducere; sed tantùm operari ex hypothesi obligationis per legem productæ,si ea non sit,vel non tanta sit, vt existimatur, sequitur, ex vi consuetudinis non oriri obligationem; sed sæpe per accidens ex conscientia erronea, siue existimante esse peccatum, vbi non est,aut esse mortale, vbi tantùm veniale;& nihilominus operante. Quamobrem in hoc ipso casu, si obseruatio consuetudinis legem interpretetur tanquam obligantem sub culpa, aut sub graui culpa, erit hoc potiùs signum,seu testimonium aliquod existentis eiusmodi obligationis; sed non certum & infallibile: præterquam, si sit totius populi Christiani,seu vniuersæ Ecclesiæ sensus;aut si de ea re vniformis sit omnium DD. sententia; quippe cui error subesse non potest. Sin autem non omnium, sed plurimorum,& quasi communis sit doctrina, & hinc orta in populo fideli persuasio, legem canonicam v.g. sub mortali peccato obligare; tum si alij, quamuis pauci Doctores contrarium sentiant, aut senserint, eorúmque sententia damnata non sit,neque ex verbis,aut obiecto legis siue canonis satis appareat adeò grauis obligatio, tum non est asserenda cum certitudine.

NOTANDVM IV. Suspensus ab officio eligi non potest in Prælatum,sed nec ad aliud ecclesiasticum beneficium promoueri. Ita hîc & in c.per inquisitionem 26.de elect. & in c. cùm bonæ 8.de æt.& qualit. Ratio est, quia non potest aliquis assumi ad susceptionem eius officij,cuius exercitio priuatus est, cap. vlt. de Cler. excōmunicato ministrāte. Quare ob eandem rationem,neque is qui à beneficio suspensionem incurrit, ad nouum beneficium promoueri potest, cit. c. cùm bonæ, iun.Gl.ver.suspensi,& tradit alia Gl.in c.cupientes 16.§. Cæterùm ver.beneficiis de elect. in 6. Idque intelligi debet vel vniuersim, si absolutè quis suspensus sit à beneficiis; vel limitatè, si in ordine ad certam ecclesiam. Neque refert, tametsi qui suspensionem à lege,aut homine illatam contraxit,beneficium tum nullum habeat: nam nihilominus in eo censura operatur, vt inhabilis fiat ad beneficium de nouo, durante suspensione, consequendum; sicuti & suspensus ab ordinibus, licet ordines aliquos non acceperit;& qui irregularitatem contraxit, etsi nullos ordines habeat, incapax tamen redditur ad accipiendum; idque propter regulam suprà traditam ex cit.c.vlt. quòd nemo promoueri debet ad

tale officium aut potestatem, cuius exercitium ipsi interdictum est. Quamobrem idem quoque eâdem ratione dicendum de excommunicato, quòd ad ecclesiasticam dignitatem aut quodlibet beneficium assumi non possit, c. postulasti 7. de clerico excomm. ministrante: Atque de interdicto personaliter, sicuti ex communi docet Syl. ver. electio 1. q. 14. & sumitur ex suprà cit. c. vlt. Multòque magis de irregulari, vti colligitur ex cap. nisi 10. de renunc. & docet ex communi Nau. in man. c. 27. n. 251. Cùm enim beneficium detur propter officium, cap. vlt. de rescript. in 6. Ideo inhabilis ad officium ecclesiasticum, videlicet irregularis, inhabilis quoque censeri debet ad beneficium.

6 Notandvm V. Suspensus ab officio priuatus quoque est potestate eligẽdi, & beneficia conferendi. Ita sumitur ex hoc c. Est autem discrimen inter electionem, aut beneficij collationem actiuam, & passiuam, de qua in præc. notando dictum: Quòd actiua, facta à suspenso, similitérque ab excommunicato, iuxta c. vn. Ne sede vacante in 6. aut ab interdicto personaliter, iuxta c. cùm inter 16. de elect. si denunciati non sint, sed tolerati, valeat, nisi per exceptionem repellantur; Idque propter Extrau. Concilij Constantiensis Ad euitanda, & dixi de hac re lib. 1. Theol. moral. tract. 5. p. 3. cap. 1. num. 3. At verò passiua electio vniuersim irrita est, si fiat ab irretitis censurâ excommunicationis, suspensionis, aut interdicti personalis: tametsi denunciati non sint; prout ex communi docet Suarez de cens. disp. 13. sect. 1. num. 26. Quandoquidem per Extrauag. Constantiensem ipsis censurâ irretitis nullus fauor factus fuit, prout docui in eod. tr. 5. p. 2. cap. 4. n. 1. & 7.

7 Præterea suspensus à beneficio, licet promoueri non possit, vt suprà dictum, ipse tamen eligere, aut beneficia conferre, ratione eius censuræ non prohibetur, vti colligitur ex cap. cùm in cunctis 7. de elect. & cap. si compromissarius 37. eod. in 6. & tradit Gl. in cap. cùm Vintonienſis 25. verb. admiserant, eod. tit. in antiq. ibid. Abb. num. 10. contra Nauarr. in cit. cap. 27. num. 36. §. Sextò, & alios. Nam suspensio à beneficiis intelligitur à fructibus eorum percipiendis: eligere autem, conferre, aut instituere ad beneficia, propriè loquendo, non sunt fructus beneficiorum; sed potiùs actus officij, & iurisdictionis: Ergo cùm versemur in materia pœnali & odiosa, extensionem, aut amplam interpretationem facere non debemus.

Notandvm VI. Verba statuti, fundationis, alteriúsue dispositionis ita explicari debent, vt, quàm fieri potest salua eorum proprietate, aut communi acceptione, à iure communi non recedatur. Hæc est præcipuè intẽta huius c. doctrina, & notat Gl. hîc communiter recepta ver. iuri communi. Consonat hoc, quod habetur in l. 2. vbi Gl. & DD. C. de noxal. action. & in l. vlt. §. In computatione, vbi Gl. Bartol. & alij C. de iure deliberandi, quòd statutum disponens circa materiam, de qua etiam iure communi dispositum reperitur, ita, quatenus fieri potest, intelligi debeat, vt cum eodem consentiat: Sin autem, spectatâ inprimis statuentis intentione, aut verborum proprietate &c. diuersitas omnino vitari non possit, saltem ea non ampliùs, quàm necesse sit, extendi, sed potiùs restringi debeat; propterea quòd ius commune fauorabile sit, ideóque eius derogatio, seu correctio restringenda, iuxta cap. cùm expediat 29. in princ. de elect. in 6. §

Dixi autem *salua verborum proprietate*: Nec enim placet, quod hîc Abb. tradit num. 21. si verba statuti duplicem habeant intellectum, proprium & improprium, præferendum esse improprium, vt cum iure communi consentiat: Contrarium enim colligitur ex Bart. in l. omnes populi n. 54. & seqq. ff. de iust. & iure, Baldo in l. maximum n. 15. C. de liberis præteritis, vbi ait; Cùm statutis municipalibus id ferme proprium sit, vt derogent iuri communi, ideo esse simpliciter intelligenda, vti verba sonant; non autem interpretationem capiendam esse à iure communi. Idémque pari ratione sentiendum de contractibus, fundationibus, (qui est casus cap. nostri) & priuilegiis con-

concessis: prout videre licet apud Suarez lib.8. de legibus cap. 27. dicto 2.& cap.28. regul.3.quandoquidem & in his vsitatissimum est,quòd legi communi derogent.

9 Cæterùm, si statutum, priuilegium, aliáue dispositio circa talem materiam versetur,quæ iuri alieno derogare, seu alteri damnosa siue præiudicialis esse possit,tum verba potiùs ad impropriam acceptionem trahenda sunt,quàm vt ius tertij lædatur, sicuti ex communi rectè docuit Suarez cit. cap.28.Gaill lib.2.obs.33.n.6.qui addit n.7. statuta non esse intelligenda captiosè, & cum iniuria aliorum; & potiùs superflua esse iudicanda,quàm vt ex ijs alicui indebitè damnum inferatur. In Principe tamen maior est potestas alieno iuri derogandi, si causa iusta adsit,ac de scientia & voluntate eius appareat,prout dixi c. quæ in ecclesiarum, de constitut.

10 NOTANDVM VII. Si statutum aut quælibet dispositio sensum dubium & ambiguum habeat,excusabiles censentur,& bonâ fide procedere,qui secundùm vnum eius sensum,quamuis falsum, operantur. Quod alijs verbis dici solet,Ignorantiam legis,aut dispositionis dubiæ excusare siue probabilem & iustam iudicari,saltem præsumptiuè & in externo foro. Ita singulariter annotauit Abb.hîc n.13.& docent Legistæ in l. regula 9.ff.de iuris & facti ignor.& sumitur ex isto c. Cùm enim constitutum de modo electionis faciendæ duplicem sanum,id est, non improprium aut violentum sensum habere posset,tametsi Pontifex alterum eorum, qui iuri communi conformis erat, præferendum esse iudicârit,vt in super.not.explicatum; limitat tamen, si consuetudo secundùm alienum verborum sensum introducta esset,secundùm eam procedendum ac decernendum fore.

CAPITVLVM IX.

Cùm consuetudinis.

PARAPHRASIS.

Quandoquidem consuetudinis, vsúsque longæui non leuis auctoritas est, contrà verò nouitates discordiam pariunt; ideo Innocent. II. auctoritate huius rescripti mandat Capitulo Parisiensi, vt absque Episcopi sui consensu,ecclesiæ suæ constitutiones & consuetudines approbatas non immutent,neq; nouas introducant: aut si quas introduxerint, irritas esse decernant.

SVMMARIVM.

1. *Consuetudo habet vim legis, si legitimè introducta sit.*
2. *Nouitates plerumque querelas & discordias pariunt,ideóque non facilè introducendæ.*
3. *Excipe; si constet mutationem factam esse à prima institutione, regulâ, aut lege, v.g. Canonicorum cùm secularium tum regularium, monasteriorum, religiosorum; ad hanc enim reductio & reformatio laudabilis est.*
4. *Capitulum absque Episcopi consensu non potest ecclesiæ suæ statutum & consuetudines antiquas tollere, nouásque introducere.*

NOTANDVM I. Consuetudinis,vsúsue longæui non est vilis auctoritas, ita hîc dicitur,& sumptum est ex l.2. C. Quæ sit longa consuetudo. Habet enim vim legis, siue legi scriptæ æquiparatur,si probata seu legitimè introducta sit, l. de quibus 32. ff. de legibus,& dixi de hoc in rubr. huius tit. 1

NOTANDVM II. Nouitates plerumque querelas & discordias pariunt. Ideo facilè inducendæ non sunt,vti Gl.hîc ait,ver. nouas,ex l.2.ff. de Constit. Principum; *In rebus nouis constituendis euidens esse vtilitas debet,vt recedatur ab eo iure, quod diu æquum visum est.* Atque Nauarr. in tract. de redit. eccl.q.1.mon.12.ex Hippocrate Aphorism. allegat, *omnes mutationes periculosas esse.* 2

Excipiendum tamen est: Si constet,mutationem ac discessum factum fuisse à pri- 3

ma institutione, regulâ, aut lege; tametsi in eo diu, seu tempore longæuo perseueratum, reductio tamen ad primam institutionem, & obseruationem, laudabilis plerumque & reformationis rationem habere censetur: Origo enim rei spectanda est, l. qui id quod 34. ff. de donat. Fauorabilis quoque est reditus ad naturam primordialem, l. si vnus, 28. §. pactus ne peteret, in fine, ff. de pactis, & docetur in c. cùm accessissent 8. vbi Felin. n. 5. & 6. de constit. Et est aliquale discrimen inter consuetudinem introductâ contra ius seu institutionem primæuam, & inter legem reuocatoriam iuris antiqui; quòd hæc præcedente consultatione, & cognitione causæ emanare soleat, & ideo de eius ratione atque vtilitate minùs dubitari possit: at verò consuetudinis aduersus legem introductæ initium plerumque irrationabile, & peccato obnoxium sit; adeóque consuetudo non tam probata, quàm tolerata: tametsi temporis diuturnitate maiorem vim ac robur acceperit. Quæ theoria maximè locum habet, si constet, leges primordiales, à quibus per consuetudinem diuturnam recessum est, magna cum consideratione & accommodatè ad rei naturam, personarúmque, de quibus latæ sunt, qualitatem, constitutas fuisse. Huius generis est prima institutio, ac regula Canonicorum cùm secularium, tum regularium, Monachorum item omniúmque Religiosorum: Consuetudines enim, quæ contra eam postea introductæ, plerumque minùs laudabiles, & statui eorum non conuenientes sunt; reformatio autem, seu reductio ad primæuam institutionem commendatur.

4 Notandvm III. Capitulum, absque Episcopi consensu non potest ecclesiæ suæ statuta & consuetudines antiquas tollere, nouásque introducere. Ita hîc habetur expressè, & docui in c. cùm omnes 6. de constitut, & in Theol. moral. lib. 1. tr. 4. cap. 7. §. 4. Sed numquid, vice versa, Episcopus, sine Capituli consensu, statutum nouum condere, aut antiquam ecclesiæ suæ consuetudinem, vel statutum tollere potest? De hac re dixi in cit. §. 4. n. 9. & videri potest Abb. hîc n. 5. qui bene etiam annotauit a. seq. Si ponamus, Episcopum præscripsisse aduersus Capitulum, vt in exercenda iurisdictione, & dispensationibus, Capitularium consilium requirere non teneatur, consequens non esse, quòd etiam statuta condere posit Capitulo non requisito: quia statuti editio est quid separatum ab exercitio iurisdictionis circa casus particulatim incidentes; non autem præscriptio extenditur de casu ad casum. Accedit, quòd statutum certum ac firmum sit, atque per id status ecclesiæ magis mutari censeatur, quàm per iurisdictionis exercitium, dispensationes &c. quæ pro temporum & personarum varietate mutantur.

CAPITVLVM X.

Ex parte.

Paraphrasis.

Ad Honorium III. Papam relatum fuerat, quòd in regione quadam duæ irrationabiles consuetudines vigerent. Prima erat; Si quispiam, seu indigena, seu alienigena, bona sua dissipâsset, aut negligentiâ suâ, vel quocunque casu amisisset, vxoris suæ bona mobilia & immobilia liberè alienare ei liceret. Altera, Si vxor in adulterium lapsa esset, vt nihilominus medietatem omnium bonorum, quæ vir lucratus esset, exigere & apprehendere posset; cùm potiùs ab omnibus viri bonis excludi deberet. Has consuetudines declarat Papa obseruandas non esse.

Svmmarivm.

1. *Non valet consuetudo inducens homines ad peccandum, aut bona sua dissipandum; vti nec pacta aut statuta.*
2. *A consuetudine ad pactum, vel statutum, valet argumentatio negatiuè; nõ semper tamen affirmatiuè.*
3. *A statuto ad pactum, plerumque procedit argumentum negatiuè.*
4. *Non valet statutum familiæ de successio-*

cessionibus certo modo continuandis, nisi à Principe confirmetur.

5. *Non est æquum, vt aliquis inde præmium consequatur, ex quo pœnam meretur.*

6. *Non tantùm ciuilis, sed etiam ecclesiasticus Magistratus debet noxias consuetudines tollere, si peccandi occasionem præbeant, vel iuri naturali repugnent, aut iniquitatem contineant.*

7. *Statuto, vel consuetudine introduci potest, vt, si publicorum Officialium, aut Mercatorum bona ad soluenda debita non sufficiant, etiam dotes vxorum, & liberorum bona, tametsi hæredes non sint, apprehendi possint.*

1 NOTANDVM I. Non valet consuetudo, per quam homines inducuntur ad peccandum, aut bona sua dissipandum. Ita rubr. summaria huius c. & sumitur apertè ex textu huius c. quando eiusmodi consuetudo dicitur *abusiua*, siue *abusus*; aliàs *irrationabilis*, seu *minùs rationabilis*, c. 3. hoc tit. Et *corruptela potiùs, quàm consuetudo*, c. cùm venerabilis 7. eod. tit. Item *consuetudo praua, iniqua, ecclesiastica contraria honestati*, c. ex frequentibus 3. de Institut. Huiusmodi enim descriptionibus apertè indicatur, consuetudinem per se, seu ipso iure irritam esse; propterea quòd ad consuetudinis non minùs, quàm legis substantiam, requiritur, vt rationabilis sit, seu in iusta ratione fundata, vti bene notat Abb. in c. vlt. n. 2. hoc tit. Quamobrem in fine huius c. ait Pontifex, *declaramus, vos non teneri ad huiusmodi consuetudines obseruandas: Qui* autem *declarat*, inquit Abb. hîc n. 4. *nihil de nouo agit*, l. hæredes 21. §. Si quid post, ff. de testam. Videri potest Franc. Suarez lib. 7. de legibus cap. 7. n. 7.

Ampliari debet tradita doctrina primò; Quòd neque pacta huiusmodi valere debent, quæ inducunt ad peccandum, vel bona inutiliter dissipandum; quia sunt contra bonos mores, Reipubl. damnosa, publicis legibus inimica, vti constat ex l. conuenire 5. ff. de pactis dotalibus, vbi dicitur, non valere pactum, quòd marito agere non liceat propter res amotas seu subreptas ab vxore; quia tali pacto mulieres inuitantur ad furandum. Et in l. seq. habetur, non valere pactum, vt maritus de solo dolo, non item de culpa seu negligentia in bonis dotalibus administrandis teneatur: Interest enim Reipubl, vt dotes mulieribus saluæ maneant, l. 2. ff. de iure dotium.

Ampliari debet secundò; Quòd nec statuta valeant, quæ peccandi occasionem præbent, aut bona propria inutiliter dilapidandi &c. Ita argumento huius c. tradit, præter alios, Nauarr. in tr. de spolijs clericorum §. 19. n. 5. vbi colligit, in puncto iuris veriorem esse sententiam Dominici super c. 1. de filijs Præsbyt. in 6. Tametsi Episcopus, per eum textum, cum illegitimè natis dispensare possit, vt ad ordines minores, & beneficia simplicia admittantur; non posse tamen generali edito statuto illegitimos ad ea habiles reddere; quia præberet peccandi occasionem; ideóque statutum irrationabile, & ecclesiæ damnosum foret.

Enimverò bona est argumentatio à consuetudine ad pactum, vel statutum negatiuè: Id consuetudine introduci non potest; ergo nec pacto, aut statuto: Tametsi non semper valeat argumentatio affirmatiuè; Id consuetudine introduci potest, ergo etiam pacto vel statuto. Exempli causâ: Communitas pagi per pactum, aut statutum non potest nouum festum instituere; potest verò per consuetudinem diuturnam, instar legis, sciente & tolerante Prælato ecclesiastico, obseruatam. Deinde, non valet pactum vel statutum, vt receptus ad canonicatum 20. aureos ad ecclesiæ Cathedralis fabricam offerat; & tamen consuetudine diuturnâ cum bona fide id introduci poterit. Rationem affert Abb. in c. cùm M. n. 25. de constitut. Quia statutum, sicuti & pactum, habet principium necessitatiuum seu coactiuum: Communitas autem pagi non potest cogere ad festi obseruationem; nec Episcopus aut Capitulum cogere potest instituendum ad pecunias soluendas; quia collatio aut institutio simoniaca censeretur, arg. c. 2

ex mul-

ex multis 9. causa 1. p. 3. At verò consuetudo habere potuit principium voluntarium, id est, ex actibus voluntarijs seu liberis, cum bona fide, paulatim introduci potuit obligationis necessitas, seu consuetudo iuris, vti colligitur ex cap. ad Apostolicam 42. de simon.

3 Quòd si verò statutum & pactum inter se conferre placeat, plerumq; procedit argumentum negatiuè à statuto ad pactum: Id per Communitatis statutum introduci non potest, quia est contra bonos mores; Ergo neque pacto constitui. Non autem procedit affirmatiuè: quia multa per statutum fieri possunt, non autem per pactum, vti docet Philipp. Decius in reg. ff. 27. Bartol. in alia 15. §. eleganter, ff. solut. matrim. arg. eius legis. Exempli causâ, Forma & solemnitas statuto tolli, seu mutari potest, argum. l. si non speciali 9. C. de testam. Sed pacto tolli non potest, l. testandi 13. C. eod. l. nemo 58. ff. de legatis 1. Ratio est, quia iuri publico derogare cuiquam permissum non est, cit. l. testandi. Videri etiam potest Imola in cap. vlt. n. 39. hoc tit.

4 Hinc obiter colligitur: Non valere statutum familiæ de successionibus certo modo continuandis, nisi à Principe confirmetur: Cùm enim familia (vti ponimus) ius statutum condendi non habeat, solùm censeri debet pactum priuatorum, per quod successionis iuri publico non derogatur. Atque ita docet Andr. Gaill lib. 2. obs. 127. n. 5. Rosenthal de feudis cap. 7. concl. 25. & sumitur ex l. licet 19. C. de pactis. & l. hæreditas 5. C. de pactis conuentis, quibus in locis pacta de succedendo, & non succedendo vniuersim prohiberi videntur.

5 Notandvm II. Non est æquum, vt aliquis inde præmium consequatur, ex quo pœnam meretur. Ita Ant. hîc n. 13. Imola n. 5. & sumitur ex textu c. Cùm enim iure tam ciuili; quàm canonico, statutum sit, vt mulier de adulterio conuicta, in criminis pœnam, dotem amittat, eáque marito acquiratur, l. Consensu 8. C. de repudijs, Auth. Vt liceat matri vel auiæ, §. Quia verò, & c. plerumq; 4. de donation. inter virum & vxorem; Id-eo æquitas non permittit, vt occasione commissi adulterij, lucrum ac veluti præmium consequatur ex bonis mariti, quæ v. g. is ex administratione & vsufructu bonorum dotalium acquisiuit.

Notandvm III. Non tantùm ad ci- 6
uilem magistratum pertinet, consuetudines noxias è Republ. sua tollere, sed etiam ad ecclesiasticum, si tales sint, vt peccandi occasionem præbeant, vel iuri naturali repugnent, siue iniquitatem contineant. Qualis erat ea consuetudo, vt marito bonorum suorum dissipatori liceat vxoris, etiam non consentientis, dotem alienare. Ita annotauit, & ex textu c. colligit Abb. hic n. 5. Cùm enim ecclesiasticci Prælati officium sit, fideles sibi subditos ad salutem & vitam æternam dirigere, ideo ad eundem pertinet, peccata tollere, quæ ab eo fine directè abducunt, argum. c. nouit 13. de iudic. & c. consuetudo 5. d. 1. in quo indicatur, ad legitimam consuetudinem requiri, vt religioni conueniat, disciplinæ congruat, saluti proficiat.

Quærunt hîc Canonistæ, nominatim Imola n. 5. Abb. n. vlt. cum Gl. ver. alienat, V- 7
trùm statuto, vel consuetudine introduci possit ad excitandam v. g. vigilantiam publicorum Officialium, aut Mercatorum, vt ob negligentiam, aut dolosam ipsorum administrationem, negotiationémue, si bona eorundem ad soluenda debita non sufficiant, vt etiam dotes vxorum, & liberorum bona, tametsi hæredes nó sint, apprehendi possint. Responsio est affirmatiua, quæ sumitur ex l. vlt. Cod. de primipilo, lib. 12. vbi habetur, Si primipilus (id est, annonæ militari præfectus iuxta l. sat is 4. C. Quibus in causis pignus, &c. & l. 6. & 7. Cod. Theodos. de cohort. primip.) ob malam administrationem fisco obligatus, ex bonis proprijs satisfacere non possit, vxoris & liberorum bona, etiamsi patris hæredes non existant, apprehendi posse. Ratio dari debet: Quia ob bonum publicũ, si ratio necessitatis postulare videatur, Magistratus de bonis subditorum disponere potest, vti colligitur etiam ex l. penult. C. de primipilo: Quare si experientiâ cognitum sit, publicos Officiales, aut Mercatores, cum magno

magno Reipubl. aut exercitus detrimento, officiũ suum malè administrare, dolis vti &c. nisi pœnæ grauioris timore, eáque speciali & insolita coërceantur, vt in defectum propriorum bonorum, etiam quæ vxoris & liberorum, ad quos amor & affectus magnus est, apprehendantur; videri nõ debet id alienum à ratione, quòd in tali casu innocentes, propter culpam aut dolum nocentis, non quidem pœnam propriè, attamen damnum sustinere debeant, argum. l. quisquis 5. §. filij C. Ad L. Iuliam Maiestatis, l. iure prouisum 5. C. de Fabricens. lib. 11.

CAPITVLVM VLT.

Cùm tantò.

PARAPHRASIS.

1 Jus naturali, quippe cuius transgressio salutis periculum inducit, quacunque consuetudine, quæ tamen corruptela potiùs dicenda est, derogari non potest: Imò tantò grauiora sunt peccata, quantò diutiùs infelicem animam detinent. Tametsi quoque longæuæ consuetudinis non sit vilis auctoritas, non tamen est vsque adeò valitura, vt iuri positiuo præiudicium afferre queat, nisi sit rationabilis, & legitimè præscripta.

SVMMARIVM.

1. *Iuri naturali nullâ consuetudine derogari potest.*
2. *Consuetudo alia est iuris constitutiua; alia abrogatiua.*
3. *Iuris constitutiua requirit potestatem condendi legem; non item abrogatiua, quæ obtineri potest, ignorante Principe legislatore.*
4. *Ad consuetudinem per modum legis statuendam, vniuersim loquendo, requiritur, & sufficit tempus longum, scilicet decennium; ad abrogandam autem per consuetudinem legem ecclesiasticam requiruntur quadraginta anni.*
5. *Omni legi positiuæ per consuetudinem derogari potest, non item iuri naturæ præceptiuo.*
6. *Debet autem ea consuetudo esse rationabilis; nulla enim consuetudines irrationabiles aduersus legem præualere possunt.*
7. *Quæ sit consuetudo irrationabilis?*
8. *Religiosi per consuetudinem obtinere non possunt facultatem liberè testandi in casibus, in quibus ea priuilegio Papali obtineri potest.*
9. *Consuetudo, vt sit abrogatoria legis, debet esse legitimè præscripta, hoc est, tanto tempore cum bona fide continuata, quantum iura ad legitimam præscriptionem requirunt.*
10. *Consuetudo ob errorem seu ignorantiam legis introduci nequit.*

NOTANDVM I. Temporis diuturnitas, & inueterata consuetudo peccatum non minuit, sed auget, vt hic dicitur, & in c. cùm haberet 5. prope finem, de eo qui duxit &c. & c. non satis 8. de Simon. Videri etiam possunt, quæ dixi in c. cùm venerabilis 7. hoc tit.

NOTANDVM II. Lex positiua per contrariam consuetudinem, si rationabilis & præscripta sit, aboletur. Pro maiore huius rei intellectu, aduertendum; Quòd consuetudo, intellige publicam, alia facti sit, & alia iuris, prout colligitur ex textu cap. 2. hoc tit. in 6. Consuetudo facti aliud non est, quàm mos populi, seu actus in populo, aut maiore parte populi, palàm frequentatus. Consuetudo iuris non est aliud, quàm ius moribus populi cõstitutum, vt dixi in rubr. huius tit. Quamobrem consuetudo facti est veluti via ad consuetudinem iuris constituendam; quia ex facto ius oritur. Ita colligitur ex c. 4. & 5. d. 1. & docui in Theol. morali lib. 1. tract. 4. c. vlt. n. 1. & videri potest Rochus super hoc c. in princ. n. 18. & seqq.

Vlteriùs, sicut lex scripta alia est iuris constitutiua, alia iuris abrogatiua: Ita etiam consuetudo alia est, per quam ius nouum introducitur, siue constituitur; alia verò est iuris siue legis antecedentis abrogatoria. De hac sermo est in hoc c. De illa autem in cit. c. 5. 2

d. 1. vbi Isidorus ait: *Consuetudo autem est ius quoddam moribus constitutum, quod pro lege suscipitur, cùm deficit lex.* Vult dicere, iuxta l. de quibus 32. ff. de legibus, consuetudinem parem cum lege scripta obligationem habere: ideóque instar legis, seu nō minùs, quàm legem scriptam, obseruari debere.

3 Inter has porrò consuetudines plura discrimina sunt: Primum. Consuetudo iuris constitutiua requirit potestatem legem condendi: quare si populus ea potestate præditus non sit, tum consuetudinem iuris introducere non potest absque scientia, & tacito consensu Superioris, qui in eo genere legem condere potest, sicuti ex communi Petr. Rauenn. tract. de consuet. n. 96. Abb. hîc n. 8. Th. Sanchez lib. 7. moral. cap. 24. n. 2. licet aliter Suarez lib. 7. de legibus cap. 13. n. 7. & seqq. At verò consuetudo abrogatoria legis cùm ciuilis, tum ecclesiasticæ, obtineri potest, ignorante Principe legislatore, prout etiam ex hoc c. colligitur, cùm ad consuetudinem legis positiuæ abrogatoriam, duo tantùm requiruntur, vt sit rationalis, & præscripta; prout ex communi hîc notauit Abb. n. 13. & confirmatur inde, quia alioquin nunquam, aut rarissimè leges communes per consuetudinem abrogarentur; cùm Pontifex, eadémque ratio est de aliis Principibus legislatoribus, fateatur se locorum speciales consuetudines ignorare, in c. 1. de Constit. in 6.

Neque verò mirum videri debet, faciliùs concedi populo potestatem legem contraria consuetudine abrogandi, quàm nouam consuetudinem vim legis habentem introducendi. Nam in constituenda consuetudine iuris asseritur potestas & iurisdictio, quæ populo, saltem in causis ecclesiasticis, non competit; In ciuilibus verò causis faciliùs permittitur populo, legis obligationem per diuturnam consuetudinem, etiam ignorante Principe, introducere: quemadmodum & statuta condere, quamuis iuri communi contraria sint, non infrequenter Communitatibus concessum est, de qua re hîc legi potest Abb. n. 9. At verò in legis abrogatione per desuetudinem non vsurpatur iurisdictio; quandoquidem non imponitur obligationis vinculum, sed dissoluitur; idque non directè, vel auctoritatiuè, quasi quippiam statuat populus, conueniátue ad abjiciendam legis obligationem; sed tantùm indirectè per viam præscriptionis, seu diuturnam; cum bona fide, possessionem immunitatis à lege. Etenim, vniuersim loquendo, visum fuit expedire ad pacandas hominum conscientias, vt, si longo tempore in possessione alicuius iuris siue immunitatis extitissent cum bona fide, in ea possessione, per legis assistentis & adminiculantis beneficium conseruarentur. Quamobrem rectè dici solet, quòd omnis præscriptio iuris adminiculum postulet, & ideo iure resistente (videlicet in casu huius cap.) introductionem consuetudinis aduersus legem inhibente; vel, quod eôdem redit, consuetudinem damnante, irrationabilem, abusum, corruptelam appellante: ne in futurum quidem præualere potest, quamdiu legis resistentia vigere censetur, prout docet Abb. in c. 2. n. 7. de probat. Suarez lib. 7. de legibus cap. 7. n. 8. & in tract. de immunit. eccles. c. 32. n. 22.

4 Alterum discrimen est. Ad consuetudinem per modum legis statuendam, vniuersim loquēdo, requiritur & sufficit tempus longum, videl. decennium. At verò ad abrogandam legem ecclesiasticam, seu consuetudinem legi ecclesiasticæ contrariam, introducendam, xl. anni requiruntur. Hæc est communior doctrina Gl. in c. vlt. ver. consuetudo, hoc tit. in 6. Gl. in c. consuetudo 7. d. 12. Abb. hîc n. 11. & 13. Syl. ver. consuetudo n. 6. Rochi super hoc c. n. 409. Azor tom. 1. lib. 5. cap. 17. q. 6. & cap. 18. q. 6. eámque docui in Th. moral. lib. 1. tract. 4. c. vlt. n. 2. & 6. Prior pars traditi discriminis sumitur ex l. sed & ea 34. ff. de legibus, iuncto tit. C. de præscript. longi temporis: Et habet etiam locum in legibus ecclesiasticis; cùm de his nihil peculiariter statutum reperiatur. Circa posteriorem verò partem aduerte primò, Sermonem esse de lege ecclesiastica per consuetudinem abroganda, non de ciuili: Nam hæc generalis differentia est, quòd iura ciuilia inter præsentes tollantur, cum bona fide contrà agentium, spatio decennij, iuxta cit. tit. C. de præscript. longi temporis: At verò iura ecclesiastica

ante

antè annos XL. per præscriptionem non tolluntur, c.ad aures 6. cap.auditis 15. de præscript.

Aduerte secundò, sermonem esse de lege recepta, & stabilita: At verò lex non recepta minore tempore tolli potest; saltem non longiore, quàm decennij spatio, prout docui in eod.tract.4. c.3.n.4.

Aduerte tertiò; Sermonem esse de abrogatione legis per præscriptionem, seu contrauentionem cum bona fide, temporis diuturnitate continuatam. Sin autem loquamur de abrogatione legis concurrente Principis scientiâ, videntis ac tolerantis legem non obseruari, & publicè contra eam agi, ex quo interdum rationabilis coniectura capi potest de voluntate eius reuocandi legem, etiam antea receptam: multoque magis si recepta nunquam fuit: tum non potest certum tempus definiri, sed viri prudentis arbitrio relinquitur, considerata materiâ legis, & circumstantiis variis, æstimare, quænam sit Legislatoris voluntas: ab ea enim pendet subsistentia legis. Et hoc bene docet Anton. hîc n.17. Suarez lib.7. de legibus cap.15. n.5. At verò, si Princeps absens sit, aut probabiliter nesciat, legem non obseruari, seu contra eam à populo agi, aut, tametsi fortè sciat, non tamen constet, aut ex coniecturis colligi possit, contentum esse, vt lex abrogetur, tum persistendum est in suprà tradita doctrina, requiri decennium, imò XL. annorum spatium ad abrogandam legem canonicam, quæ recepta & stabilita fuerat, prout bene hîc docet Abb. n.13. & 14.

Idémque pari ratione dici potest de consuetudine non contra, sed præter legem, etiam minore tempore, quàm decennij, eam stabiliri posse, si satis appareat de voluntate populi operantis, seu frequentantis actum, cum voluntate obligationem inducendi: & scientiâ atque consensu Superioris vt obligatio introducatur, si populus per se legem introducere non possit, iuxta ea quæ indicat Suarez in cit. cap.15.n.8. Sin autem de hoc non satis appareat, amplectenda est communis doctrina, ad introducendum ius consuetudinis, decem annos requiri, atque sufficere, prout dixi in priore parte discriminis.

Qvæstio Prima. Quænam leges per contrariam consuetudinem abrogari possint? 5
Respondeo; Positis conditionibus, quòd consuetudo irrationabilis non sit, & legitimo tempore præscripta, nullam legem positiuâ, seu ecclesiasticam seu ciuilem, excipiendam esse; cùm vtroque in iure vniuersim & indistinctè significetur, iuri seu legi positiuæ per consuetudinem derogari posse. Atque ita ex communi docet Rochus super hoc c. n. 212. 351. Suarez cit. lib.7. cap.19. At verò legem naturalem, ac diuinam nulla consuetudine aboleri, aut aliquatenus derogari posse, apud Theologos certum est, vti etiam constat ex hoc cap. iun. Gl. ver. iuri naturali, & tradit S. Th. 1.2.q.97.a.3.ad 1. Suarez lib. 2. de legibus cap. 14. De iure gentium, num ei per consuetudinem contrariam derogari possit, disputat Suarez cit. lib. 7. cap.4. n.5. & seqq. Sed breuiter dicendum, si sermo sit de iure gentium præceptiuo (iuxta distinctionem quam tradidi lib. 1. Theol. mor. tract.4. cap.8. n. 7.) illud per consuetudinem contrariam tolli non posse, prout bene docuit Rochus Curtius super hoc c. n. 445. & seqq. Bartol. in l. de quibus n.5. ff. de iust. & iure, Azor cit. cap.17. q.4. Quæ enim omnibus rectè institutis gentibus, tanquam iusta & rationabilia (haud dubiè ex naturali dictamine rationis) visa sunt, ea humanæ societati vtilia, ac necessaria; & quæ his opposita sunt, noxia censeri debent, v.g. fœdera, inducias, pacem constitutam non seruare, legatorum immunitatem violare &c. Quare hæc neque per leges expresè constitui, neque consuetudine introduci possunt.

Qvæstio Secvnda. Quo sensu dicatur, quòd consuetudo, vt legem superet & aboleat, rationabilis esse debeat; & quænam irrationabilis consuetudo esse censeatur? Respondeo ad primum; Quòd populus, aut Communitas, quæ legem directè seu condere seu abrogare non potest, nihilominus eam tollere possit per contrariam cõsuetudinem, id prouenit ex assistentia legum cùm ciui- 6

lium, tum canonicarum; quæ longæ consuetudini talem vim tribuerunt: At verò leges non approbant, aut fouent consuetudines, nisi quæ rationabiles, & honestate, vtilitate èq; nixæ sunt: Ergo irrationabiles consuetudines, quippe destitutæ abrogationis auctoritate, aduersus legem prævalere non possunt. Rectè autem aduertit hîc Abb. num. 6. satis esse ad legis abrogationem, quòd consuetudo contra eam temporis diuturnitate introducta aliquâ consideratione vtilis & rationabilis, & alioquin non reprobata sit, licet aliâ consideratione, ob quam fortasse lex siue canon constitutus est, minùs vtilis & rationabilis existat, argum. c 3. hoc tit. in 6. vbi de hoc agendum.

7 Ad alterum respondeo; Irrationabilis consuetudo censeri debet, quæ iuri naturali diuino, aut gentium, præceptiuo aduersatur, vel Religioni, pietati, aut bono publico incommodat. Cùm enim quod eiusmodi est, per legem expressam constitui non possit, iuxta c. 2. d. 4. sequitur, quòd neque per consuetudinem introduci queat, vti etiam colligitur ex c. consuetudo 5. d. 1. & ex l. deprecatio 9. ff. Ad L. Rhodiam de iactu, in qua habetur, non valere consuetudinem, vt naufragis erepta bona non restituantur.

Pro maiore intellectu aduertêdum est primò, Accidere interdum, vt tametsi aliquid, si præcisè ex obiecto suo consideretur, iuri naturali aut rectæ rationi aduersari videatur, per circumstantiam tamen aliquam cohonestetur, ideóque tam lege, quàm consuetudine constitui possit: propterea quòd ex circumstantia adiuncta fiat aliqua mutatio in obiecto. Exempli causa, iuri naturali, gentium, & publicæ vtilitati aduersatur, si res ciuibus propriæ auferantur, aut illata damna non compensentur; ideóque hæc nec lege, nec consuetudine constitui possunt, Nisi circumstantia concurrat, quòd id ad Rempublicam conseruandam necessarium sit. Qua de re Rochus hîc n. 448.

Aduertendum secundò, Interdum ex ipso obiecto clarè apparere, quòd consuetudo iuri naturali, aut publicæ vtilitati repugnet, v. g. vt parentes necessaria alimenta filiis denegent, aut si in necessitate constituti sint, à filiis non adiuuentur: quia iura eiusmodi naturalia certa & immutabilia sunt. Interdum verò ad maiorem certitudinem, quòd consuetudo irrationabilis sit, habemus declarationem legum aut canonum; ita vt dubitare non liceat: quandoquidem consuetudines, sine legum admiculo, seu resistentibus legibus, prævalere non possunt, vti suprà dictum. Sic consuetudo aduersus ecclesiasticam libertatem vtroque iure, tanquam irrationabilis damnata est, prout ostendi lib. 4. Theol. moral. tract. 9. cap. vlt. num. 1. & tradit Gl. hîc ver. rationabilis in fine; Bartol. in cit. l. de quibus, num. 5. Abb. hîc num. 5. Rochus super hoc cap. num. 415. & seqq. Interdum denique dubitari potest de consuetudine, in sacris canonibus expressè non reprobata, num ecclesiis damnosa sit, aut ecclesiasticæ disciplinæ eneruans, vel peccandi occasionem præbens, adeóque irrationabilis, nécne; tum ad Ordinarios ecclesiæ Prælatos pertinet examinare, num ratio aliqua honestatis, aut necessitatis in ea reperiri queat, saltem ita, vt damnum, si quod ex alia consideratione Ecclesiæ, aut bono publico inferri potest, aliqualiter compensetur. Et hoc sensu rectè docent DD. nominatim Abb. hîc num. 5. Rochus n. 462. Henriq. Boich num. 11. post Gl. in cap. 1. ver. rationabilia, de constit. in 6. Vtrùm consuetudo rationabilis sit, relinquendum esse Iudicis, seu viri boni arbitrio.

Ex hac theoria Innoc. Abb. & alij in c. nulli 5. de rebus eccles. non alien. Anton. in c. non est n. 6. ibid. Franc. n. 2. hoc tit. in 6. inferunt, non valere consuetudinem, vt bona ecclesiastica à Prælato liberè alienare cõcessum sit: quia talis consuetudo non potest non cedere in graue detrimentum ecclesiæ: nec apparet, quomodo hoc damnum compensari, & res cohonestari possit.

Simili modo respondi in Theol. mor. lib. 4. tract. 8. cap. 3. num. 7. irrationabilem, & irritam esse consuetudinem, si vniuersim, & respectu omnium, saltem laicorum, introducta alicubi sit, vt sufficiat in Quadragesima ter in hebdomade ieiunare: Quia per

per talem consuetudinem derogatur le- ecclesiasticæ antiquissimæ, ex Apostol. traditione semper & vbique obseruatæ, & Ecclesiæ quàm maximè vtili: vt non appareat, quanam ratione vtilitatis & necessitatis cohonestari queat, ita vt Prælati Ecclesiæ assistentiam ei & valorem dare iustè possint, ac velint.

QVÆSTIO TERTIA. Vtrùm per consuetudinem obtineri possit, vt Religiosis liberè testari concessum sit in casibus, in quibus priuilegio Papali testandi facultas dari potest. Affirmat Nauarr. in comment. 2. de Regul. n. 44. Sanchez lib. 7. moral. cap. 8. n. 62. ob regulam Doctorum, quòd quidquid priuilegio acquiri potest, idem quoque consuetudine, saltem immemoriali, ex l. hoc iure 3. §. Ductus aquæ, ff. de aqua quotid. & æstiua. Confirmat Sanchez ex eo, quòd prohibitio testandi sit ex iure positiuo humano: ergo per consuetudinem abroga-
8 ri potest. Sed contrarium videtur tenendum, cum Rodriquez tom. 1. regul. qq. q. 69. art. 2. & alijs plerisque, quos citat Sanchez cit. loco n. 61. Probatur: Religiosi, nullâ consuetudine introducere possunt id, quod eorum statui, & paupertatis professioni repugnat: At verò de bonis, pro arbitratu disponere, siue in vita, siue in casu mortis, Superioris non habitâ licentiâ, id religioso statui & paupertatis professioni repugnat: Ergo &c. Maior est clara; quia supposito voto, seu professione paupertatis, talis obseruatio seu consuetudo repugnat religioni, pietati, adeóque naturali iuri; imò verò contradictionem inuoluere videtur, vt manens Religiosus ea agere licitè possit, quæ statui & professioni religiosæ contraria sunt, vti colligitur ex c. cùm ad monasterium 6. de statu monachor. Probatur minor, quia in hoc consistit proprietas, quam Religiosi per paupertatis votum à se abdicârunt, quòd sit libera & independens à Superiore de bonis temporalibus pretio æstimabilibus disponendi facultas, prout ex communi doctrina explicaui lib. 4. Theol. moral. tract. 5. cap. 7. n. 1. Ergo &c. Potest autem Superior Religioso licentiam dare disponendi de bonis, seu particulatim, seu etiam per generale indultum, aut legem, quâ ratione Religiosis beneficij ecclesiastici administrationem gerentibus ipsâ lege cõcessum est, vt de fructibus eius pro sua sustentatione, & in causas pias tempore administrationis suæ liberè disponere possint, prout ex communi docui in cit. c. 7. q. 5. At verò stante hoc, quòd Superior videl. Rom. Pontifex nec particulariter dispensando, nec per vniuersalem licentiam, aut legem (qualis nulla extat) Religiosis concessit, vt de bonis testari, seu mortis causâ disponere liceat, non video, quâ ratione id consuetudine acquirere possint. Præterquam quòd ea etiam irrationabilis, & statui eorum minimè conueniens esset: Quamobrem etiam Nauarr. cit. loco dixit, credere se, *nullibi gentium esse vllis Religiosis eiusmodi testandi consuetudinem*. Ad argum. pro priore sententia allatum facilis est responsio; Falsam esse regulam, si non sit capacitas in subiecto: At verò Religiosus incapax est de bonis disponendi inter viuos, aut mortis causâ, nisi à Superiore licentiam, aut concessionem acceperit: Fit autem capax per concessionem seu datam licentiam, vti paulò antè dixi, & vniuersim explicaui in c. quanto 4. hoc tit. Ad Confirmationem, dico; supposito professionis voto, prohibitionem ne Religiosi testari possint, nõ ex solo iure positiuo prouenire, sed ex naturali & diuino.

QVÆSTIO QVARTA. Quo sensu in hoc c. dicatur, quòd consuetudo, vt legem vincat & abroget, debeat esse legitimè præscripta. Respondeo, sensum esse, quòd con- 9
suetudo [illegible]oducta aduersus legem positiuam, vt pr[illegible]leat, siue eam abroget, debeat esse completa per præscriptionem; id est, vt tanto tempore, cum bona fide, continuata fuerit, quantum iura ad legitimam præscriptionem requirunt. Quòd si verò propriè loquendum sit, consuetudo non præscribitur, sed per eam, si legitima requisita habeat, præscribitur aduersus legem.

Obiectionis causâ afferri potest l. 2. C. Quæ sit longa consuetudo: *Consuetudinis, ususq; longæui non vilis auctoritas est: ve-*

rùm non vsque adeò sui valitura momento, vt aut rationem vincat aut legem. Variæ sunt explicationes: Ea expeditissima & vera, quæ & ex hoc c. colligitur; vt consuetudo longa contra legem prævaleat, duo esse necessaria; videl. vt sit rationabilis; atque legis adminiculum siue assistentiam habeat. Quemadmodum enim aliæ præscriptiones, ita & hæc præscriptio consuetudinis populi seu subditorum aduersus legem, ex voluntate seu concessione Legislatorum seu Principum vigorem accipit, ijsque resistentibus procedere non potest. Quo ipso etiam sensu consuetudo, quæ sacris canonibus inimica est, siue cui sacri canones resistunt, pro irrita habetur, c. quanto 4. c. cùm venerabilis 7. hoc tit.

10 Qvæstio Qvinta. Vtrùm consuetudo, ob errorem seu ignorantiam legis, introduci possit? Respondendum est negatiuè cum Gl. hîc communiter recepta ver. legitimè præscripta, Gl. in c. frustra 7. d. 8. Doctoribus, quos allegat & sequitur Suarez lib. 7. de legibus cap. 12. n. 2. Probatur & explicatur: Siue loquamur de consuetudine præter legem, quam suprà appellaui noui iuris constitutiuam; ad illam necessarium est, vt populus siue Communitas voluntatem habeat nouæ iuris obligationis introducendæ; consequenter, si ex errore siue ignorantia circa legem procedat; quia videl. ideo actum frequentat, quòd falsò existimet, se lege latà ad eum obligari; aut ideo ab actu aliquo v. g. frumenti ex prouincia euectione abstinet, quia falsò existimat, per legem prohibitum esse; tum nõ habet voluntatem nouæ obligationis introducendæ; quia error circa causam finalem & principalem agendi, tollit cõsensum, iuxta l. errantis 9. C. de iuris & facti ignorantia, & explicaui in lib. 3. Theol. moral. tr. 4. cap. 6. assert. 3. Quemadmodum in simili docent DD. quos allegaui lib. 4. Theol. mor. tr. 5. cap. 5. n. 9. Quòd religionem inualidè professus, etiamsi longo tempore actus Professorum exerceat, existimans se obligari, quia professio valida fuerit, nunquam eam ratificet: cùm enim errantis non sit voluntas; seu voluntas non feratur in incognitum, non potest quis velle ratificare, seu validum reddere, quod nescit esse irritum.

Siue loquamur de consuetudine contra legem, quam suprà vocaui abrogatoriam legis, ad eam necessarium est, vt populus seu Communitas sciat legem latam esse: sin autem contra legem longo tempore operetur, quia falsò existimat, hunc esse legis intellectum: tunc legem non abrogat; cùm nõ habeat voluntatem agendi contra legem; sed ideo contra eam operetur, quia existimat operationem esse consentaneam legi, cùm non sit: Errantis autem non est voluntas, cit. l. 9. & l. si per errorem 15. ff. de iurisd. omn. Iudicum, ibi, *cùm non consentiant, qui errant*, Ita inter alios docet Bartol. in l. 1. n. 21. C. Quæ sit longa consuetudo, & videri possunt, quæ docui in c. cùm dilectus 8. hoc tit.

Sed obijcitur l. 38. ff. de legibus, vbi habetur: *Quod non ratione introductum est, sed errore primùm, deinde consuetudine obtentum, in alijs similibus non obtinet.* Variæ sunt explicationes, vti videre licet apud Suarez cit. cap. 12. Arbitror, sermonem ibi esse de consuetudine abrogatoria legis, seu bonâ fide contra legem per temporis diuturnitatem præscripta: eam ad alios similes casus extendendam non esse; cùm hæc sit generalis regula, quòd præscriptio non extenditur à casu ad casum. Dicitur autem nõ ratione, id est, non consultò, sed errore primùm inchoatum, & longo deinde vsu obtentum; quia ad omnem vsucapionem, præscriptionémue, quâ ius acquiritur, opus est, vt vsucapientes existiment, se ius agendi habere, cùm non habeant; ideóque in errore aliquo versentur, siue non consultò ius alienum vsurpent. In qua quidem consuetudinis præscriptione, difficile est dicere, quomodo primi legis latæ transgressores eam inchoare potuerint, ob fidei bonæ defectum: Sed posteriores, dum vident ab antecessoribus legem non obseruatam, seu contra eam absq; contradictione actũ, existimare possunt, habuisse illos iustam id agendi causam, seu quia moribus eorum & vtilitati publicæ nõ congrue-

gruebat, seu quia à Legislatore dispensationem, liberationémque acceperunt. Videri possunt, quæ docui lib. 1. Theol. moral. tr. 4. cap. 3. n. 4. & c. vlt. n. 15.

Ex dictis defēdi potest doctrina Iuristarū, quam cit. c. 12. n. 4. refert Suarez; Si error sit facti & quasi materialis, non posse consuetudinem iuris introduci; secùs si error sit iuris, seu circa obligationem, adeóq; quasi formalis. Verum enim est, si populus seu Communitas circa legem erret, existimans latam esse, cùm lata non sit: aut non latam esse, cùm lata sit; ex hoc errore consuetudinem introductam, vires non acquirere: secùs verò est, si populus sciens legem latam, aut nō latam esse, erret autem circa obligationem: siue quia actum aliquem publicè exercet, ac frequentat, non tanquam ex libera voluntate (per eiusmodi enim voluntarios actus nunquam introducitur ius consuetudinis) sed quasi ex obligatione; cùm tamen initio, siue in primordio introductionis, nulla subsit: siue quia contra legem, vigorem suum habentem, operatur bonâ fide existimans, se eâ non obligari, vti suprà explicatum.

CAPITVLVM I. eod. Tit. in 6.

Consuetudinis.

Paraphrasis.

Consuetudo, quantumuis immemorialis asseratur, (vt canonicus in ecclesia sua, vnà cum præbenda canonicali, duas dignitates, aut duos personatus, aut duo officia siue administrationes, vel dignitatem & personatum, dignitatem seu personatum & officium, absque Sedis Apostolicæ dispensatione obtineat) tanquam corrupтela à Bonifac. VIII. Papa reprobatur: cùm sit sacris canonibus inimica, & ab ambitionis radice procedat. Quare, licèt iuramento firmata sit, obseruanda non est; quia iuramentum non est vinculum iniquitatis. Statuítque Pontifex, vt inposterum nulli liceat, ni vnam dignitatem, personatum, aut administrationem vel officium perpetuum (cùm vix vnum dignè quis adimplere possit) vnà cum præbenda, absque Sedis Apostolicæ dispensatione, in eadem ecclesia obtinere, aut obtenta retinere: Quòd si secùs factum fuerit, irritum censeri debet.

Svmmarivm.

1. *Dignitas, personatus, & officium quid sint, & in quo differant.*
2. *Consuetudo à sacris canonibus reprobata vires acquirere nunquam potest, etiamsi iurata sit.*
3. *Talis est, vt vnus in eadem ecclesia dignitates, personatus, aut officia obtineat vnà cum præbenda.*
4. *Potest tamen id fieri per Sedis Apostolicæ dispensationem.*
5. *Inualida est autem dispensatio, si obreptio aliqua ex parte impetrantis interfuerit. Si nulla obreptio interfuit, illicita nihilominus erit, si Pontifex sine iusta ratione necessitatis vel vtilitatis dispenset, peccabítque Pontifex ita dispensando, & is, qui dispensationem petit, eáque vtitur.*
6. *Valida est consuetudo, statutum, aut Episcopi dispensatio, vt vnus in eadem ecclesia cum canonicali præbenda dignitatem, personatum, aut officium obtineat, v. g. idem sit Præpositus & Canonicus.*
7. *Et tali duplices distributiones quotidianæ, duo item suffragia in electione competunt; nisi ecclesiarum consuetudo contrarium teneat, aut dignitati v. g. Archidiacono aut Officiali principali per se non competat suffragium.*

Notandvm 1. Dignitas, personatus, & officium interdum pro diuersis accipiuntur, vti hîc apparet, & explicat Ioan. Andr. hîc, Axor tom. 2. lib. 3. cap. 13. q. 5. Rodriq. tom. 1. reg. qq. q. 23. a. 9. quòd dignitas sit præeminētia in ecclesia cum iurisdictione seu administratione, vt Prælatura, & apud nos Decanatus ecclesiæ Cathedralis. Personatus sit præeminentia in ecclesia absq; iurisdictione 1

dictione, vt apud nos est Præpositura in ecclesijs secularibus, & Definitores regulares, ait Rodriq. censeri possunt personarum habere. Officium (simplex intellige) est administratio aliqua, sine præeminentia, & iurisdictione externi fori, v.g. officium Custodis, Thesaurarij, quippe qui ratione officij alios canonicos non antecedunt. Interdum verò dignitas & personatus pro eisdem accipiuntur, vti videre licet in c. cùm M. 8. de Constit. & c. cùm olim 6. hoc tit. in antiq. Præpositura quoque officium appellatur, (sed non simplex) in c. dudum n. 22. de elect. Archidiaconatus quoque, vti videre est tit. 23. lib. 1. decret. de offic. Archidiaconi. Dixi de hac re in mor. Theol. lib. 4 tr. 2. cap. 4. n. 4. §. Alia verò.

2 NOTANDVM II. Consuetudo, quæ vt ecclesijs damnosa, & morum corruptela, à sacris canonibus reprobata est, vires acquirere nunquam potest, etiamsi iurata sit: quia iuramentum non est vinculum iniquitatis, c. quanto 18. de iureiur. Talis hîc censetur esse consuetudo, vt aliquis in eadem ecclesia, vnà cum præbenda, duas dignitates, personatus, aut officia obtineat: quia id ambitionem & cupiditatem nutrit, præbet occasionem negligendi rerum ecclesiasticarum administrationem, ideóque ecclesijs damnosa est. Talis quoque est consuetudo, vt Episcopus alium episcopatum, vel Prælatus aliam Prælaturam acceptet, aut suo episcopatu vel Prælaturâ relictâ ad aliam propriâ auctoritate se transferat, iuxta c. cùm venerabilis 7. hoc tit. in antiq. Esset enim hæc consuetudo ecclesijs noxia, sacris canonibus, & institutioni muneris episcopalis aut pastoralis, contraria: quandoquidem Prælatus, præsertim Episcopus, veluti spirituale cum ecclesia sua matrimonium contrahit, c. 2. de translat. episcopi.

Obijcitur: Si irrationabile, ecclesiæ damnosum, & sacris canonibus inimicum est, quòd vnus in eadem ecclesia duas dignitates, duos personatus obtineat, tum ne quidē per Sedis Apostolicæ dispensationem id fieri poterit, cuius contrarium dicitur in textu huius c. Similiter si ecclesijs damnosum est, atque institutioni primæ episcopalis seu pastoralis officij repugnans, quòd vnus duos, pluréve episcopatus, aut prælaturas retineat; *cùm valde felix sit ille censendus*, inquit Concil. Trid. sess. 7. c. 2. de reform. *cui vnam ecclesiam bene & fructuosè, & cum animarum salute, regere contigerit*; sequi inde videtur, quòd neque Papa id permittere aut decernere possit. Resp. negando, id esse consequens. Licèt enim statutum, seu introducta consuetudo, vt tale quid ordinariè fiat, aut fieri possit, non possit non esse ecclesijs & saluti animarum noxia, adeóque reprobata; non tamen ita reprobata, aut noxia est Roman. Pontificis dispensatio pro hac, aut alia vice; cùm ea ob peculiares circumstantias cohonestari, & vtilis esse possit. Simili ratione, aiunt DD. apud Rochum in c. vlt. de consuet. n. 190. non valere statutum aut consuetudinem, vt iniusti homicidæ, aut latrones, si pecuniariam aliquam mulctam soluerint, liberi pronuncientur: Esset enim Reipubl. noxia, & delinquendi, iniuriásue inferendi fomitem ministraret. Et tamen Princeps, siue is qui Reipubl. præest, in certo casu vitam Reo condonare, aut mortis supplicium in pecuniariam mulctam commutare non prohibetur. 4

Porrò si Pontifex sine iusta ratione vtilitatis seu necessitatis, super huiusmodi beneficiorum pluralitate, contra sacrorum canonum instituta, dispenset, refert, vtrùm obreptio aliqua ex parte impetrantis acciderit, nécne: Si prius, irrita est dispensationis gratia, Quamobrem Concil. Trident. præcipit sess. 7. cap. 5. de reform. vt *Ordinary locorum quoscunque plura curata, aut alias incompatibilia beneficia ecclesiastica obtinentes, dispensationes suas exhiberi districtè compellant*. Sin posterius, valida quidem est dispensatio, argum. c. 2 de præbend. in 6. peccat tamen Pontifex ita dispensando; sed & is, qui dispensationē petit, eáque vtitur. Neque in conscientia tutus est, beneficiorum pluralitatem retinendo, maximè si eorum fructus abundantes inutiliter consumere, atque in ecclesiæ vtilitatem non multa agere pergat. Sunt enimverò 5

aliqui,

aliqui, imò, (vti sancta Trident. Synodus sess. 24. cap. 17. de reform. ait) *multi*, qui *improbæ cupiditatis affectu se ipsos, non Deum decipientes*, plures diuersarum ecclesiarum personatus, aliáue beneficia, cum fructuum ecclesiasticorum abundantia obtinent, ac retinent; indéque otij, deliciarum, ac luxus, non raro scandali occasionem accipiunt, ecclesiæ autem, saluti animarum, atque pietati & Religioni augendæ parùm inseruiunt, nonnunquam magis incommodant. Hi in conscientia tuti non sunt, sed neque Ecclesiarum Prælati, nisi eiusmodi abusus, cùm se occasio obtulerit, tollere aggrediantur.

6 NOTANDVM III. Valida est ecclesiæ alicuius consuetudo, aut statutum, sicuti & Episcopi dispensatio, vt vnus in eadem ecclesia, cum canonicali præbenda, dignitatem, personatum, aut officium obtineat, v.g. idem sit Præpositus & Canonicus. Ita Gl. hîc ver. nisi vnicum, Anton. de Butrio n. 4. & seqq. Philipp. Francus n. 7. & sumitur ex c. eam te 7. de rescriptis, vbi Archidiaconus erat etiam Canonicus, & ex hoc c. per sensum contrarium: Cùm enim Papa dicat, duas dignitates vel officia à Canonico in eadem ecclesia obtineri non posse, absque Papali dispensatione, satis indicat, vnam dignitatem, vel vnum officium cum canonicali prebenda, absque Papæ dispensatione, haberi posse; videl. vigore consuetudinis, aut statuti, vel dispensationis episcopalis, prout etiam tradidit Gl. in Clem. vlt. in fine, post Innoc. *quòd in duabus canoniis eiusdem ecclesiæ non possit Episcopus dispensare, licet dispensare possit in canonia & personatu, vel officio.*

Hinc regulam tradit cit. Gl. fin. Dominic. & Francus hîc n. 7. Ant. n. 5. quòd in eadem ecclesia, absque Papali dispensatione, nō possit quis esse triplex: sed neque possit esse aliquis duplex in beneficiis vniformibus, v. g. habere duos canonicatus in eadem ecclesia; Et ne quidem per modum connexionis, vti ijdem DD. notant, ex c. literas 9. de præb. Atque ideo canones magis abhorrent à duobus beneficiis vniformibus in eadem ecclesia, quàm à duobus curatis in ecclesiis diuersis. Vti colligitur ex c. super eo 6. de præb. in 6. & docui lib. 4. Th. moral. tr. 2. cap. 8. num. 5.

QVÆSTIO est; Si quis cum canonicali præbenda dignitatem aut personatum obtineat, an ei duplices distributiones quotidianæ debeantur: duo item suffragia in electione competant, videl. quatenus Canonicus est, & Præpositus? Responsio est affirmatiua, ex communiore & probabiliore sententia, Innoc. in c. cùm olim, de sent. & re iudic. ibid. Ioan. Andr. n. 8. Abb. n. 6. Probi hîc n. 7. Quia 7 nihil prohibet, diuersa iura in eadem persona concurrere, sicut colligitur ex l. tutorem 21. ff. de his quæ vt indignis &c. vbi ex Bartolo refertur, *quando plura iura concurrunt in persona vnius, perinde est ac si concurrant in personis diuersorum.* Excipe primò; Nisi ecclesiarum consuetudo contrarium teneat. quæ sanè, inquit Ioan. Andr. æquissima videtur, vt singuli vnam tantùm vocem habeant, sicuti & vnum os, vnúmque caput.

Excipe secundò; Si dignitati v.g. Archidiacono, aut Officiali principali per se non competat suffragium in Capitulo, tum propter adeptionem canonicatûs vnicum, non duo suffragia habiturum esse, satis constat. Et similia dici debent de quotidianis distributionibus.

CAPITVLVM II.

Non putamus.

PARAPHRASIS.

Bonifacius VIII. Papa hîc respondet; Non arbitrari se, consuetudinem, quantocunque tempore de facto fuerit obseruata, rationi consonam esse, vt ab Officiali Episcopi ad eundem Episcopum appelletur, cùm idem sit vtriusque auditorium, ideóque appellatio ab eodem ad eundem interposita videretur.

SVMMARIVM.

1. *Consuetudo, quæ est contra substantiam rei, de iure impossibilis & irrationabilis iudicari debet.*

2. *Vnde repugnat à Vicario Generali ad Episcopum appellari.*
3. *In particulari tamen casu aliquo recusari potest, & ab eo supplicari Episcopo.*
4. *De nullitate sententia latæ à Vicario agi potest coram Episcopo, aut de restitutione in integrum.*
5. *Vicarius Generalis si quid ex commissione officij sui canonicè egit, Episcopus reuocare, aut impugnare non potest.*

1 NOTANDVM Vn. Consuetudo, quæ est contra substantiam rei, de iure impossibilis, atque irrationabilis iudicari debet: Et ideo non valet consuetudo, etiam immemorialis, vt à Vicario Generali ad Episcopum appelletur. Ita sumitur ex textu huius cap. & tradit Gl. recepta hîc in princ. Dominic. & Francus n. 7. Petr. Rauenn. de consuet. n. 107. Etenim ratio, ac veluti substantia appellationis in eo consistit, quòd sit ad alium, eúmque maiorem Iudicem prouocatio, l. 1. §. Si quis, ff. de appellat. c. placuit 75.
2 causa 2. q. 6. Episcopus autem, eúsque generalis Vicarius, seu Officialis principalis vnum idémque consistorium habent, vti hîc dicitur: Ergo repugnat, ab Officiali ad Episcopum appellari.

Simili ratione dixi in cap. vlt. q. 3. hoc tit. non posse Religiosis per consuetudinem acquiri testandi facultatem, quia id esset contra substantiam professionis & status religiosi. Potest verò per consuetudinem introduci, vt ad testamentum sufficiant testes pauciores, quàm septem: quia numerus iste testium, si rectè attendimus, non pertinet ad substantiam testamẽti secundùm se, seu spectatâ eius naturâ, vti constat ex cap. cùm esses 10. de testam. sed prouenit ex iure positiuo, decernente irritum esse testamentum, sine ea solemnitate. quæ proinde per consuetudinem præscriptam tolli potest, prout bene explicat Rochus super cap. vlt. de consuet. n. 232. Videri possunt, quæ dicam in c. seq.

3 Porrò, licet à Vicario generali ad Episcopum appellari nequeat, attamen in particulari aliquo casu, tanquam suspectus parti litiganti, recusari potest, c. si contra 4. de off. deleg. in 6. Deinde, propter grauamen illatum à Vicario generali supplicari potest Episcopo, vti docet Ioan. Andr. in c. Romana col. 1. ibid. Ioan. Monachus n. 3. de appellat. in 6. Nam reiecta appellandi facultate, conceditur saltem querelæ seu supplicationis remedium, prout constat ex l. si quis 5. iun. Gl. & seq. Authent. C. de precibus Imperatori offerendis, vbi habetur, licet à sententia Præfecti Prætorio appellari non potuerit, potuisse tamen intra dies decem supplicari ad Imperatorem. Denique de nullitate sententiæ latæ 4
à Vicario agi potest coram Episcopo, aut de restitutione in integrum, prout videre licet apud Francum hîc n. 10. Marantam in speculo aureo, siue de ordine iudic. p. 6. q. 5. princ. reg. 2. n. 371.

Neque obstat his, quòd censeatur esse substantialiter idem tribunal seu consistorium Episcopi & Vicarij eius: nihilominus enim differt iurisdictio huius à iurisdictione Episcopi accidentaliter, tanquam ab ea dependens; ideóque firmior est in Episcopo, quàm in Vicario, sicuti aqua potentior est in fonte, quàm in riuulo, prout cit. loco Ioan. Monachus annotauit; Vbi admonet, quòd Episcopus prohibere possit Vicario suo, ne iudicet, cùm omnis eius potestas ab ipso dependeat: Veruntamen si Vicarius quippiam ex commissione officij sui canonicè egit, Episcopus 5
reuocare, aut impugnare non potest, prout tradit Rebuffus in praxi beneficij de Vicario Episcopi, n. 40. Azor. tom. 2. lib. 3. cap. 43. quæst. 6.

Notauit verò Gl. hîc ver. Officiali, sermonem duntaxat esse de Officiali, seu Vicario generali; Quia secùs dicendum de Vicario Episcopi in certa parte diœcesis, aut in causa speciali, prout hîc Anton. notauit, & Maranta in speculo aureo, cit. reg. 2. n. 370. Nam ab his appellari potest ad Episcopum; quia non eandem cum ipso, adeóque ordinariam, sed delegatam iurisdictionem habere censetur. In quibusdam tamen apud nos ecclesiis præter Officialem principalem seu generalem Vicarium, est quidam Officialis minùs principalis, cui certa causarum genera in Consistorio episcopali commissa sunt: ita vt ab eo permissum non sit ad Episcopum appellare.

CAPI-

CAPITVLVM III.

Non est.

PARAPHRASIS.

Non debet reprobari consuetudo, si alicubi canonicè præscripta sit, quòd Episcopus in inquirendis, ac puniendis subditorum criminibus Capituli sui consensum requirere non teneatur.

SVMMARIVM.

1. *Etsi Episcopus, aliúe Prælati negotia quædam cum consilio aut consensu Capituli expedire debeant, contrarium tamen per consuetudinem legitimè præscriptam introduci potest; excipitur libera alienatio rerum ecclesiasticarum.*
2. *Vt autem canonicè Episcopus præscribat in tali casu, requiritur præter annos XL. & bonam fidem titulus coloratus, seu præsumptus, vel sine titulo tempus immemoriale.*
3. *Per consuetudinem, si irrationabilis non sit, & legitimè præscripta, tolli potest solemnitas, quæ ex iuris positiui constitutione ad actus alicuius valorem necessarius est.*

1 NOTANDVM I. Tametsi, spectato communi iure, Episcopus in inquirendis ac puniendis subditorum criminibus, Cathedralis Capituli consilium adhibere teneatur, cap. 1. de excessibus Prælatorum, tamen per consuetudinem legitimè præscriptam contrarium introduci potest.

Adde, idem quoque sentiendum de aliis negotiis, quæ secundùm iura cum consilio, aut consensu Capituli expediri debent, quòd consuetudine præscripta Episcopus, aliúsue Prælatus acquirere possit, vt solus expediat, c. ea noscitur, 6. hoc tit.

Excipiendum tamen, quòd Episcopus, aliúsue Prælatus rerum ecclesiasticarum liberam alienationem consuetudine obtinere nequeat, prout docet Gl. recepta in Clem. 2. ver. consentiente, in fine, de rebus eccles. non alien. & dixi de hoc suprà in c. vlt. hoc tit.

Deinde excipiunt aliqui negotia ardua, cuiusmodi est v. g. depositio Abbatis, aut Prępositi subiecti Episcopo: talia existimant, nulla consuetudine obstante, expedienda necessariò esse cum Capituli consilio. Ita Ioan. Monachus hîc, & Anton. n. 7. Sed contrarium magis placet, quod hîc tradunt Ioan. Andr. Probus, & alij. Nam lex siue canon generaliter positus, generaliter accipi debet, si nulla restringendi necessitas adsit, l. de pretio 10. ff. de Public. in rem actione, c. solitæ 6. de maior. & obed. Canon autem iste sine distinctione, adeóque generatim in hoc genere approbat consuetudinem canonicè præscriptam: neque adest restringendi necessitas: cùm fieri possit, vt ob circumstantias locorum, personarum &c. æquè vtile, aut fortè vtilius ecclesiæ esse videatur, si Episcopus cum aliorum sapientium consilio negotia, etiam ardua, solus expediat: quàm si à Capituli requirendo consilio dependens, facilem & expeditum finem imponere non possit.

Obiter hîc notari potest discrimen inter leges, seu canones vniuersales: Aliquæ enim ita Reipubl. Christianæ vtiles, bonisque rationibus constitutæ sunt, vt tamen oppositum earum, ob alias rationes considerationésue, etiam vtile & rationabile videri possit: imò etiam interdum vtilius pro temporum, locorum aut personarum qualitate. Et hæ leges, siue canones per consuetudinem abrogari possunt, vt hîc apparet & in c. vlt. hoc tit. in antiq. Aliæ verò sunt leges, præsertim canonicæ, quæ ita rationabiles & vtiles Ecclesiæ sunt, vt oppositum earum, absolutè loquendo, non nisi damnosum, noxium, adeóque irrationabile censeri possit, vti colligitur ex ijs quæ docui in c. vlt. hoc tit.

QVÆRITVR. Quidnam in casu huius c. requiratur, vt Episcopus contra Capitulum canonicè præscripsisse censendus sit? Respondeo cum Gl. hîc ver. canonicè: Requiri tempus annorum XL. cum bona fide, & titulo 2
colorato, seu præsumpto: sine titulo autem, opus esse tempore immemoriali. Sumitur hæc doctrina ex c. 1. de prescript. in 6. vbi ha-

betur, si ius commune præscribenti resistat, consequêter assistat ei, contra quê præscribitur, præter annos XL. & bonâ fidem, opus esse titulo; vel, si titulus nullus sit, tempus immemoriale, quippe quod instar tituli est, si capacitas sit in vsucapiente: Atqui in isto casu ius commune resistit Episcopo, assistit verò Capitulo, quando prohibet, ne Prælatus negotia ecclesiæ sine Capituli consilio administret: Ergo ad præscribendum contra Capitulum præter bonam fidem XL. anni cum titulo, aut sine titulo tempus immemoriale requiritur.

3 NOTANDVM II. Per consuetudinem, si irrationabilis non sit, & legitimè præscripta, tolli potest solemnitas, quæ ex iuris positiui constitutione, ad actus alicuius valorem necessarius est. Ita sumitur ex hoc c. & indicat Gl. fin. hîc. Nam sacri canones adeò postulant in tractandis negotiis Capituli consilium ab Episcopo aut simili Prælato requiri, vt sine eo acta irrita sint, cap. nouit 4. c. quantò 5. de his quæ fiunt à Prælatis &c. Quia tamen hæc conditio siue solemnitas non est actui, qui geritur, secundùm se siue ex naturâ rei substantialis, (eò quòd solus Episcopus auctoritate suâ actum expediat, v.g. sententiam contra delinquêtem proferat) ideo per contrariam consuetudinem tolli potest; sicuti in præc. cap. dixi de requisito numero testium in vltimis voluntatibus.

Objicitur primò; Vel Episcopus scit, Capituli consilium de iure requirendum esse, vel nescit: Si prius, bonam fidem non habet; ideóque præscribere non potest: Si posterius, itidem præscribere non potest, quia error facti & non iuris in vsucapionibus prodest, l. iuris ignorantia 4. ff. de iuris & facti ignorantia.

Objicitur secundò, Vsucapio, siue præscriptio non potest introduci per actus nullos, siue irritos, sicuti docui in c. quanto 4. hoc tit. in antiq. Sed negotia acta, v.g. latæ sententiæ ab Episcopo, non requisito Capituli consilio, irrita censentur, sicuti suprà dixi: Ergo non potest per eos conualescere consuetudo, tametsi adsit bona fides, &c.

Respondetur ad 1. Eo argumento ostendi, quòd primus Episcopus contra Capitulum præscriptionem inchoare non potuerit, nisi titulum coloratum habuerit, videl. Pontificiam concessionem, cui obreptio, aliúdue vitium ab Episcopo ignoratum inerat. At verò successores Episcopi, videntes ab antecessore vno aut pluribus talem consuetudinem absque contradictione obseruatam fuisse, credere potuerunt, eos iustam causam, titulúmque habuisse, negotia Ecclesiæ ita tractandi, & ita contra Capitulum per tempus immemoriale præscribere potuisse, tametsi nullus titulus coloratus, seu præsumptus allegari posset. Ita docuit Archidiaconus hîc, quem immeritò Ioan. Andr. circa Gl. 3. refutat.

Ad 2. respondetur, Maiorem veram esse, si actus omnimodè irriti sint, prout accidere solet, si desit quippiam pertinens ad essentiam, siue substantiam actus intrinsecam; aut si inhabilitas sit ex parte agentis, quia sine agendi potentia, impossibile est actum validum prodire: Non item veram esse, si actus irritus sit, non omnimodè, sed ciuili tantùm consideratione, non autem naturali. Hoc modo validus est contractus à pupillo vsum rationis habente, institutus sine tutoris auctoritate; Item testamentum absque testium legitimo numero, prout docui lib. 1. Theol. moral. tract. 4. cap. 16. n. 6. Atque hoc posteriore modo irrita censeri debent, quæ à Prælato sine Capituli consilio, aut simili à iure extrinseca seu accidentali requisita conditione acta sunt, prout docui in eod. cap. 16. in fine.

CAPITVLVM VLT.

Cùm in tuæ.

PARAPHRASIS.

Pontifex mandauerat prouideri Titio præbendam proximè vacaturam in ecclesia N. constituto executore Caio. Cùm autem vacaret præbenda, & executor procedere vellet ad conferendum, obiecerunt Canonici, in ea ecclesia consuetudinem esse, vt antiquiores vacantem præbendam optare possint, id est, suâ præ-

bendâ

bendâ relictâ, eam acceptare: quo iure gradatim fruebantur, ita vt si primus eam nollet, ius optandi ad sequentem pertineret, & sic deinceps. Hoc intellecto, respondet Bonif. VIII. Papa, Canonicos, non obstante mandato suo, posse iuxta eam consuetudinem, optare præbendam vacantem: Titio verò, pro quo scriptum erat, conferendam esse præbendam, quæ post Canonicorum optiones remanserit; dummodò ea priori impetranti debita non sit. Excipiuntur tamen ab hac optandi potestate præbendæ eæ, quæ apud Sedem Apostolicam vacant, si de ijs Pontifex prouisionem faciat. Præterea, ne præcepta eius consuetudinis, mandata Sedis Apostolicæ de prouidendo nimiùm differantur, ideo optare volentibus xx. dierum spatium præfigitur; quibus elapsis executor, non obstante dictâ consuetudine, ad executionem mandati procedere debet.

Svmmarivm.

1. *Stante consuetudine optandi, potest Canonicus vacantem præbendam sine vlla collatione optare & accipere.*
2. *Ad hanc autem consuetudinem optandi requiritur, & sufficit tempus decem annorum.*
3. *Recensentur nouæ consuetudines circa præbendas, & vbi locus optioni sit, docetur.*
4. *Optio quando locum habere possit in beneficijs vacantibus causâ permutationis.*
5. *In materia liberæ voluntatis per non vsum facultatis non amittitur facultas; secùs est, si ius agendi alteri oneroſum, vel cum eius præiudicio coniunctum sit; tunc enim per nõ vsum, saltem xxx. annorum ius tale extinguitur.*

   Vnde Canonici longo tempore abstinentes ab optando, optandi occasione oblatâ, per se consuetudinem optandi non amittunt.
6. *Introducta consuetudo optandi præbendas extendi non debet ad eas, quæ in Curia Romana vacant, idem est de beneficijs Pontifici reseruatis.*

Notandvm I. In quibusdam ecclesijs præbendæ canonicales æquales non sunt, sed aliæ alijs maiores seu meliores. Ita notat Gl. hîc ver. meliores, Anton. n. 2. Philipp. Francus n. 2.

Notandvm II. Æquum est, vt clerici antiquiores, seu qui ecclesiæ longiore tempore ministrârunt, maiore honore afficiantur. Ita notauit Gl. hîc ver. antiquiores, allegato c. statuimus 8. d. 61. vbi Gl. ver. noui, ait, *Seniores in ecclesia semper præponendi sunt iunioribus in electione, in responsione, in subscriptione.* Consentit c. dudum 22. de elect.

Notandvm III. Tametsi beneficium ecclesiasticum non possit licitè sine canonica institutione obtineri, reg. 1. in 6. Et nemo præbendam, nullo canonicè conferente, à se ipso accipere possit, c. vlt. de Instit. Stante tamen consuetudiue optandi, potest canonicus vacantem præbendam, sine vlla alia collatione, optare & accipere, prout hîc Ioann. Andr. notat n. 2. Anton. n. 6. Francus n. 6. Rationem dant, quia non mutatur ius spiritualis tituli, siue canonia; adeóque opus non est collatione, aut institutione: sed vigore tituli canonicalis, & ecclesiæ consuetudinis, deseritur pristina præbenda, & capitur noua, consistens in temporalitate, videl. alijs agris, vineis, domo.

Exinde Rota Roman. decis. 5. de conces. præbendæ. Francus hîc n. 6. Rochus tract. de consuet. n. 286. colligunt, quòd existens in excommunicatione præbendam optare possit; quia non acquiritur nouus beneficij titulus. Quam doctrinam (quæ vera est secundùm casum huius c.) oppugnat Addit. 2. ad Rotæ decis. eodémque inclinat Couarr. lib. 3. resol. cap. 16. n. 4. Suar. de cons. disp. 13. sect. 15. n. 16. quòd optio ab excommunicato validè & cum effectu fieri non possit; sed tantùm vt prosit ei quoad declarationem voluntatis. Quemadmodum id accidit in excommunicato, si beneficium ipsi

in absentia ante contractam excommunicationem collatum sit; non enim efficiet acceptatio, vt ius & quasi dominium beneficij illi acquiratur, secundùm c. si tibi absenti, 17. de præbendis in 6. sed solùm declarabit eius voluntatem, quæ si reuocata non sit, sed virtualiter maneat, prodesse poterit, vt post absolutionem ab excommunicatione, eius vigore beneficium acquisitum censeri debeat: Cæterùm si, qui in excommunicatione acceptauit, ante absolutionem moriatur, rectè ait Suarez n. 17. in fine, beneficium non vacaturum per mortem eius; cùm beneficium verè ipsi nunquam acquisitum fuerit. Hæc dicta de acceptatione beneficij vera sunt; quid autem de optione sentiendum, dicetur mox in quæst. prima.

NOTANDVM IV. Papa per rescriptum gratiæ non censetur derogare laudabili consuetudini ecclesiæ, nisi exprimat. Ita sumitur ex textu, & notat Ant. n. 3. & colligitur etiam ex c. 1. de Constit. in 6. & c. constitutus 19. de rescript. vbi id docui.

QVÆSTIO PRIMA. Quantum temporis requiratur ad eiusmodi consuetudinem introducendam? Resp. cum Gl. hîc ver. consuetudine, communiter recepta,
2 Franco n. 5. sufficere decem annorum spatium: Propterea quòd talis optandi consuetudo non sit contra ius, sed præter ius. Quare docuit Gl. citata, etiam per statutum introduci posse, vt vacantibus præbendis, Canonici optandi facultatem habeant; siquidem Episcopus vnà cum Capitulo statuere potest ea, quæ sacris canonibus non aduersantia, vtilitatem & honestatis rationem gerunt.

Est verò hoc in loco diligenter aduertenda doctrina Rotæ Roman. in decis. vlt. hoc tit. in nouis, circa præbendas esse varias ecclesiarum consuetudines; In quibusdam enim neque numerus canonicatuum certus est, nec distinctio aliqua præbendarum: In quibusdam est numerus canonicatuum, sed non distinctio præbendarum, vti videre licet in Gl. c. vlt. ver. distinctio, de conces. præb. in 6. Et in his quidem ecclesijs non est locus optioni; nisi interdum quoad domum canonicalem demortui. In quibusdam porrò ecclesijs tam canonicatuum certus numerus est, quàm præbendarum actualis distinctio; sed id duobus modis accidere potest: Primò, vt præbendæ singulæ consistentes in agris, vineis &c. non sint annexæ certis canonicatibus; & in hoc casu per statutum, vel consuetudinem decennalem optio introduci potest. Secundò, præbendæ singulæ certis canonicatibus annexæ & correspondentes sint; tum verò optio fieri non potest sine mutatione tituli; ideóque ius canonicum eiusmodi optioni resistit, vt non nisi 40. annis cum titulo, vel sine eo, tempore immemoriali præscribi possit. Atque de hac optione rectè senserunt Couarr. & Suarez antea citati, quòd in excommunicatum cadere non possit, quia per eam fit veluti permutatio beneficij, quia optans derelicto suo, aliud accipit; eo ipso quòd aliam præbendam canonicalem assumit; quandoquidem, vt dixi, & latè explicat Rota, canonicatus & præbenda canonicalis connexionem inuicem habent. Veruntamen cùm in hoc c. nulla præscriptionis mentio fiat, verisimile est consuetudinem eam optandi fuisse prioris modi, qui iuri canonico contrarius non est, prout allegata Gl. hîc ver. consuetudine obseruauit. 3

QVÆSTIO SECVNDA. Vtrùm optio locum habere possit in beneficijs vacantibus causà permutationis? Negat hîc Gl. in notandis, aitq; esse communem DD. sententiam, argum. c. vn. de rerum permut. in 6. vbi dicitur, beneficia permutata alijs conferri non posse, quàm permutantibus. Contrarium tuetur hîc Ioann. Andr. n. 2. Anton. n. 7. Resp. & Dico I. Si permutatio fiat ipsorum 4
beneficiorum, siue canonicatuum, aut, quod eôdem recidit, præbendarum, quatenus annexæ sunt certis canonicatibus, optio statuto introduci non potest; sed nec consuetudine, nisi sit temporis immemorialis, aut annorum XL. cum titulo, quia ius canonicum resistit, vti bene tradit Gl.

Dico II. Si permutatio tantùm fiat in temporalitate præbendarum, iusta est consuetudo, aut statutum, vt antiquior Canonicus

nicus quasi iure quodam retractus, permutatam optare possit: ne alioquin accidat, vt iunior meliorem habeat præbendam, quàm nior.

QVÆSTIO TERTIA. Si Canonici longo tempore, videl. decem, aut etiam quadraginta annis, abstinuissent ab optando, num optandi consuetudo amissa fuisset? Respondeo; Inprimis certum est, quòd non amittatur, si optandi occasio nulla se offerat, quia præbenda nulla vacauit, vti bene hîc explicat Ant. n. 4. & constat ex ijs, quæ docui lib. 1. Theol. moral. tr. 4. cap. 23. num. 21. Deinde vera videtur doctrina Ioann. Andr. hic, Anton. cit. n. 4. Franc. col. 3. Felin. in c. 5 cùm accessissent n. 26. 27. de Constit. In materia liberæ voluntatis per actus negatiuos, seu non vsum facultatis, ortæ ex statuto, consuetudine, aut priuilegio, non amitti facultatem; nisi apertè constet, ideo oblatâ occasione, habentes facultatem eâ non vti, quia à consuetudine aut priuilegio recedere, seu iuri suo renunciare velint. Quæ de re dixi in cit. cap. 23. n. 22. Consonat cum his quod docuit Felin in cit. n. 27. Gaill lib. 2. obs. 60. n. 9. Si Imperator nobili priuilegium concesserit, molendinum pro arbitrio suo ædificandi, etsi plurimis annis non ædificârit, non amittere eum facultatem. Cæterùm si aliquis siue ex pacto, siue ex consuetudine præscripta, siue ex Principis absoluta concessione ius agendi alteri oneroſum, seu cum alterius præiudicio iunctum nactus sit, per non vsum saltem xxx. annorum spatio, sicuti omnes aliæ actiones, extinguitur, sicuti ibidem Felin. annotauit, & constat ex ijs quę dixi cit. c. 23. n. 21. & lib. 3. tract. 1. cap. 8. n. 16. dicto 7.

NOTANDVM V. Introducta consue- 6
tudo optandi præbendas, extendi non debet ad eas, quæ in Curia Romana vacant. Ita hîc textus: Et addit Anton. hîc n. 12. Archidiac. & Francus n. 7. idem intelligendum de beneficijs Pontifici reseruatis; quia inferiores sicuti per legem, ita & per consuetudinem introductam iuri Superioris, videl. Papæ præiudicare non possunt, arg. c. inferior 4. d. 21. & c. innotuit 20. de elect. Locum tamen habebit optio in beneficijs ad Papam deuolutis; quia deuolutio eorum fit retentâ eorundem naturâ & qualitate. Et ita docent DD. paulò antè citati.

TITVLVS V.

DE POSTVLATIONE PRÆLATORVM.

HActenus veluti prolegomena quædam proposuit Gregorius IX. Pontifex, tractans, post Fidei Christianæ iacta fundamenta, vniuersim de iure, eóq; duplici, videl. scripto & non scripto. Ordo iam postulat, vt ad partes iuris canonici explicandas aggrediatur: quarum prima & præcipua est de statu ecclesiasticarum personarum; adeóque de officio, potestate, dignitate Ministrorum Ecclesiæ. Similem methodum in ciuili iure obseruatam repe-

ries; vt posteaquam de origine iuris, de iure & iustitia, legibus & Principum constitutionibus actum esset, de hominum statu, eorum præsertim, qui iurisdictione ac potestate præditi sunt, tractaretur, vt videre licet in tit. ff. de statu hominum l. 1. vbi Gaius IC. ait: *Omne ius, quo vtimur, vel ad personas pertinet, vel ad res* earum, *vel ad actiones.* quæ videl. in iudicio proponi solent. Et in l. 2. *Cùm igitur hominum causâ omne ius constitutum sit, primò de personarum statu &c. dicemus.*

Inter

Inter Ministros Ecclesiæ præcipuum locum Prælati tenent: qui ita instituuntur cum iurisdictione ecclesiastica, vt sint Capita Collegiorum, ac veluti sponsi ecclesiarum seu regularium, seu secularium. Ad Prælaturam autem tribus modis, ac veluti vijs peruenitur; postulatione, electione, & translatione, de quibus in hoc & duobus seqq. titulis sermo est.

Postulatio est alicuius personæ ad Prælaturam seu dignitatem ecclesiasticam, erga Superiorem directa petitio, vt eam dispensatiuè admittere velit. Quare postulatio in subsidium electionis introducta est: Quæ enim personæ eligi non possunt, non propter crimen, sed aliam inhabilitatem, eæ postulari possunt. Qua de re Hostiens. in summa, de postulat. Prælatorum.

Corollarium I. Postulatio & electio Prælati in eo conueniunt, quòd vtraque refertur ad Superioris prouisionem, per quem Prælatus iurisdictionem acceperus est: Differunt autem, quia postulatio innititur gratiæ; electio autem innititur iuri, secundùm Gl. receptam in c. vn. ver. eligo, hoc tit. in 6. Sensus est, quod per postulationem aliquis præsentatur Superiori, vt ex gratia illum dispensatiuè admittere, & instituere velit. Per electionem autem canonicam aliquis vocatur ad Prælaturam, ita vt Superior electum confirmare debeat. Hinc itaq; oritur I. Quòd, vt suprà indicaui, electio debeat esse personæ, quæ secundùm iura habilis est ad Prælaturam; postulatio autem personæ, quæ secundùm iura inhabilis; ita vt dispensatione opus sit. Oritur II. Quòd electio à Superiore confirmari dicatur, postulatio autem admitti, c. scriptum 49. de elect. III. Quòd per electionem canonicè factam, cùm ab electo acceptata est, ius aliquod ei conferatur, ita vt sine injuria reijci non possit, si idoneus est. At verò per postulationem nullum ius postulato confertur; imò in eam absolutè, siue absq; conditione relata in Superioris dispensationem, consentire non potest postulatus ad Prælaturam; cùm inhabilis sit. Quâ simili ratione docui lib. 5. Theol. mor. tr. 10. p. 2. cap. 7. n. 4. quòd impediti matrimonium contrahere, v. g. consanguinei aut affines in tertio gradu, sponsalia absoluta contrahere prohibentur; at verò sub conditione Papalis dispensationis consentire inter se, siue contrahere possunt.

Corollarium II. Vt inhabilis ad Prælaturam postulari possit, necesse est, inhabilitatem dispensabilem esse: alioquin inutilis, imò etiam illicita dispensatio erit. Quare aduertendum, quòd aliquæ inhabilitates seu defectus sunt, in quibus non potest dispensari ad Prælaturam consequendam; vt si quis moribus infamis sit, aut omninò illiteratus. Aliquæ verò inhabilitates, in quibus non solet dispensari, vt si quis bigamus sit c. nisi 10. de renunc. aut spurius. Huc spectat, quòd sub censura suspensionis à iure eligendi & postulandi pro vna vice, & à beneficijs eius ecclesiæ per triennium, prohibitum legimus in Extrauag. vn. inter communes, hoc tit. ne ad ecclesiam Cathedralem postuletur, qui XXVII. ætatis annũ nõ attigit, neque Religiosus ex Ordine Mendicantium ad ecclesiam inferiorem Cathedrali. Aliæ denique inhabilitates sunt, in quibus solet dispensari: Cuiusmodi inprimis est vinculum alterius episcopatus: Episcopus, inquã, ad episcopatum alterius ecclesiæ postulari, non eligi potest, c. vlt. hoc tit. Deinde sunt alij defectus dispensabiles, vt natalium c. innotuit 20. de elect. ætatis defectus Extrauag. vn. hoc tit. inter communes. Item fœdi ordinis defectus c. dudum 22. eod. tit. Et debent habilitates istæ Superiori manifestari, alioquin postulatio irrita erit, vti colligitur ex cit. c. innotuit. Videri potest Ioan. Andr. in cit. c. vlt. n. 9. Syl. ver. postulatio q. 3. Angelus q. 1.

Corollarium III. Postulatio fieri debet ab eo Superiore, ad quem pertinet confirmatio Prælati, si electus sit, vti ex communi docet Abb. in cit. c. vlt. n. 10. hoc tit. rationem afferens, quia *admissio postulationis habet vim confirmationis*. Quare Episcopus ad alium episcopatum à solo Papa postulatur: quia cessio, & translatio Episcoporum, sicuti & episcopatuum pluralitas, cùm ex gra-

ex grauioribus causis sint, Rom. Pontifici reseruantur, c. quòd translationem 4. de offic. Legati, c. 3. de Baptismo. Ad alias verò inferiores ecclesias, aut dignitates postulationem Episcopi & similes ecclesiastici Prælati admittere possunt, ad quos confirmatio spectat; dummodò in defectu dispensare queant. Quamobrem si quispiam ad dignitatem, cui cura animarum annexa est, postuletur, qui XXII. ætatis annum non compleuerit, non potest eam postulationem Episcopus admittere; cùm is in ætate iure communi canonico ad ordines vel beneficia requisita dispensare non possit, vti colligitur ex c. vn. de ætate & qualit. in 6. iuncto Trident. Concil. Sess. 24. cap. 12. de reform. Videri potest Ioan. Andr. in cit. c. vlt. n. 11. & seqq. Syl. ver. postulatio q. 5.

CAPITVLVM I.

Ad hæc.

PARAPHRASIS.

Mortuo Sennonensi Archiepiscopo, Canonici, tametsi in primis super electione Archiepiscopi conuenire non possent, & ideo aliqui eorum ad Pontificem appellassent: postea tamen inter se conuenientes, Altisiodorensem Episcopum in Archiepiscopum postulârunt, per Magistrum R. Præcentorem & Abbatem S. Petri petentes ab Innocentio III. vt faciendæ translationi pium præberet assensum. Sed Innocentius antè cognouerat, Episcopum Altisiodorensem interdictum, ob superinductam à Rege Philippo Mariam Morauiæ Regis filiam, in Galliæ regnum promulgatum Anno Christi 1198. non obseruasse: quod neque Procuratorum alter Magister R. negauit; sed excusationem attulit, quòd interdicti sententia nec per Pontificem, nec per Cardinalem Apostolicæ Sedis Legatum, qui interdictum promulgârat, nec per deputati ab eo executoris litteras, aut mandatum, Episcopo intimata fuisset. Quæ tamen excusatio reiicitur à Pontifice, tanquam non sufficiens, nec proficiens: cùm interdictũ à Legato Sedis à latere præsentibus multis solemniter ac publicè promulgatum fuerit; & multi in regno Francorum illud publicè obseruare cœperint: Neque enimuerò necesse est, constitutionem solemniter ac publicè promulgatam singulorum etiam auribus per literas aut mandatum speciale, inculcari: Sed cùm primùm quispiam publicam & solemnem promulgationem constitutionis aut sententiæ cognouerit, ad eius obseruationem obligatus est, prout etiam constat ex c. quod dicitis 14. d. 16. Sed neque id valet ad Episcopum excusandum, quòd Rex in Altisiodorensi diœcesi propriam terram non habeat: Cùm Pontifex mandauerit, totam Regis terram subijci interdicto, idque mandatum interpretatus Legatus, in omnem terram, quæ eo tempore Regi adhærebat, interdictum promulgârit. Sed & inde constat, dictum Episcopum excusari non posse, quia cùm ipse videret ab Ecclesia Metropolitana interdictum recipi & seruari, suam ecclesiam conformare debebat. Quamobrem Innoc. Papa postulationem reiecit, tanquam indignam. Tametsi verò Canonici, eò quòd indignam personam, quippe interdicti ecclesiastici violatorem postularint, concessa sibi facultate abusi fuerint, & ideo non immeritò pro ea vice, priuari potuerint, tamen ex solitâ benignitate Pontifex ipsis concedit, vt per canonicam electionem aut postulationem ecclesiæ suæ personam idoneam prouideant.

SVMMARIVM.

1. *Ob graue & publicum delictum seu Communitatis, seu eius qui Communitati præest, accedente contumaciâ, terra eius generali locali interdicto subijci potest.*
2. *Contra promouendum, ordinãdum, &c. (ne indignus promoueatur, ordinetur, &c.) Superior etiam nullâ præce-*

dente infamiâ aut querelâ, ex officio inquirere debet.

3. *Constitutio aut sententia generalis Papæ quamprimùm publicè & solemniter promulgata est, vim habet obligandi omnes, ad quos fertur, & quidem actualiter sub peccato singulos, qui quomodocunque certam notitiam legis, aut sententiæ promulgatæ acceperint, licèt eis per literas, aut mandatum legislatoris, vel executorum eius intimatum non sit.*

4. *Qui interdictum loci scienter ac temerè violauit, eligi aut postulari non potest ad Prælaturam.*

5. *Qui indignum scienter postulant ad Prælaturam, eâ vice priuati sunt potestate postulandi & eligendi.*

1 NOTANDVM I. Ob graue & publicum delictum seu Communitatis, seu eius qui Communitati præest, accedente contumacia, terra eius generali locali interdicto subiici potest. Ita colligitur ex hoc c. & habetur in c. non est 11. de sponsal. & ex communi docet Syl. ver. interdictum 3. q. 5. Couarr. in c. alma, p. 2. §. 1. n. 4. Suarez de cens. disp. 36. sect. 3. n. 6. & docui lib. 1. Th. moral. tr. 5. p. 4. cap. 4. n. 4.

2 NOTANDVM II. Tametsi contra promouendum, aut promotum inquisitio in ordine ad punitionem institui non possit, nulla præcedente infamia, c. qualiter 24. de accusat. Si tamen ad id tantùm agatur, ne indignus promoueatur, tum Superior, etiam nullo præcedente infamia, aut querela, ex officio inquirere debet, vti colligitur ex hoc c. & c. cùm nobis 19. de elect. & tradit Innoc. hic n. 5. Anton. de Butrio n. 50. Abb. n. 34. Nauarr. in rubr. de iudic. n. 92. Th. Sanchez lib. 3. de matrim. disp. 14. n. 2. Vbi idem eâdem ratione docet de admittendis ad Ordinis Sacramentum; adeò vt ipsi etiam ordinandi, si de indignitate, aut impedimento occulto interrogentur, illud confiteri teneantur, aut à petitione ordinum abstinere, vti colligitur ex c. nisi cùm pridem, 10. iun. Gl. ver. non potuerit, de renunc. Item de coniungendis in matrimonij Sacramento, quòd eius impedimentum fateri teneantur, aut à matrimonio desistere. Et n. 3. defendit idem Sanchez consuetudinem tribunalium, secundùm quam, etiam exacto iuramento, examinantur personæ, quibuscum super matrimonij impedimento dispensandum est, num se carnaliter cognouerint spe impetrandæ faciliùs dispensationis: Tenentur enim contrahere volentes confiteri fornicationem aut incestum, etiam occultum; quia non eò res tendit, vt puniantur, sed ne dispensationis gratia obreptitia & irrita reddatur. Vide etiam, si placet, Nauarr. in consil. 10. de consanguin. edit. 2.

NOTANDVM III. Constitutio, aut sententia generalis Papæ cùm primùm publicè & solemniter promulgata est, vim habet obligandi omnes, ad quos fertur: Et ad obligationem actualem, siue vt ad obseruationem singuli sub peccato astringantur, sufficit quomodocunq; certam notitiam legis aut sententiæ promulgatæ accepisse; tametsi singulis per literas, aut mandatum Legislatoris, vel executorum eius intimatum non sit. Ita habetur hîc in textu, vbi Gl. ver. publicè promulgauerit, & explicat Abb. hîc n. 9. Sanchez allegato hoc c. lib. 9. de matrim. disp. 32. n. 3. & 4. Gail lib. 2. obseru. 48. n. 15. & 16. & videri possunt, quæ dixi lib. 1. Theol. moral. tr. 4. cap. 2. Rectè etiam in hoc c. ad tollendam Episcopi Altisiodorensis excusationem, æstimauit Pontifex Innocentius III. quòd interdictum in regno Franciæ à multis cœperit tum obseruari; & quidem etiam in ecclesia metropolitana, cui Episcopus se conformare debuerat. Alioquin enim excusationem aliquam afferre posset, si Episcopus aliquis siue Prælatus, legem aut sententiam generalem Pontificis Romæ aut alibi promulgatam, ad suam autem diœcesin cum mandato obseruandi specialiter non destinatam, obseruari non curauerit; eò quòd intelligat neque vicinos Episcopos, præsertim Metropolitanum, recepisse, aut seruare. Qua de re videri possunt quæ dixi in cit. tr. 4. cap. 3.

NOTANDVM IV. Sicuti Iudex quilibet orto dubio circa intellectum legis, eam interpretari potest, vt sciat, quomodo sententiam ferre debeat, l. non possunt 11. ff. de legibus;

gibus: Ita etiam Legatus, seu delegatus Principis in dubio interpretatur rescriptum seu mandatum Principis, vt appareat, quomodo illud exequi, seu in commissa sibi causa procedere eum oporteat, vti ex hoc textu colligitur, & ex c. super literis 20. in fine, de rescriptis, & annotauit Innoc. hîc n. 6. Ioan. Andr. n. 28. Abb. n. 18. qui tamen rectè excipit: Nisi dubium difficile & arduum, magnique momenti sit: tum Princeps consulendus erit.

Sed difficultas est, quomodo mandatum Papæ interpretari potuerit Legatus, vt etiam ad diœcesin Altisiodorensem extenderetur? Nam Pontifex mandauerat terram Regis Galliæ subiici interdicto: At verò in diœcesi Altisiodorensi Rex propriam terram non habuit, vt in textu significatur: Ergo non potuit eò extendi. Glossa hîc ver. terram propriam, Innoc. hîc n. 6. Abb. n. 27. Syl. ver. interdictum 2. n. 3. dant duas responsiones: Prima est, quòd Legatus mandatum de terra Regis Franciæ interdicenda, interpretando extenderit ad terras, quæ ipsis fauorem, consilium, aut auxilium præstiterunt. Sed hæc interpretatio iuridica non fuisset, neque à Pontifice approbata. Quia nec pœna, neque mandatum de pœna inferenda, extendi potest vltra terminos suos, nisi extensio ea in iure expressa sit, prout ex communi tradit Suarez de censur. disp. 32. sect. 2. n. 29. vbi ait, quòd aliqui dicunt, si terra Principis delinquentis interdicatur, comprehendi etiam terras communicantium in delicto, apertè falsum esse. Et Abb. hîc n. 29. tradit; In fœdere publico inter Principes inito non inuadendi, aut offendendi terras alterius, non censeri comprehensas regiones adhærentium auxilio, nisi & ipsi exprimantur, vt in c. 2. de sent. & re iudic. in 6. Inde verò sumitur argumentum; si in materia fauorabili, & vbi æquitas talem comprehensionem auxiliantium postulat, extensio ad eos non fit vltra verba in fœdere expressa, multò minùs ea fieri debet in materia odiosa siue pœnali.

Altera & melior est interpretatio: Quòd terra diœcesis Altisiodorensis, quoad dominium proprietatis ad Regem Galliæ non pertinebat, sed tantùm quoad dominium iurisdictionis altæ siue supremæ: Id verò sufficere videbatur Legato, vt in interdicto generali terræ regni Galliæ comprehendi deberet, argum. c. sanè 11. in fine, de officio delegati, vbi dicitur, propter delictum Episcopi terram eius iurisdictioni spirituali subiectam, interdici posse. Eadem verò est ratio de terra subiecta iurisdictioni temporali alicuius domini delinquentis, & in delicto contumaciter perseuerantis.

NOTANDVM V. Qui interdictum loci scienter ac temerè violauit, eligi, aut postulari non potest ad Prælaturam; quia suspensionem contraxit, imò irregularitatem, vti hîc Gl. notat ver. personam, Gl. in c. postulastis 7. ver. celebrare, de cler. excomm. ministr. Sylu. ver. interdictum 5. n. 6. Suarez de cens. disp. 34. sect. 4. n. 14. & sumitur ex c. vlt. de excess. Prælatorum, & docui pluribus allegatis Th. mor. lib. 1. tr. 5. p. 4. cap. 3. pœna secunda. 4

NOTANDVM VI. Qui indignum scienter postulari ad prælaturam, ea vice priuati sunt potestate postulandi, & eligendi. Ita Glossa hîc ver. priuare, quam ibid. sequitur Innocent. & Ioannes Andr. Abb. n. 31. & alij communiter. Ratio dari debet, quia ita de eligentibus scienter indignum statutum est in Concil. generali sub Alexandro III. c. cùm in cunctis 7. de elect. Cùm itaque electio & postulatio in iure æquiparata censeantur, tanquam tendentia ad eundem finem, ideo statutum de vno, etiam in materia pœnali, accipi debet, vt etiam sit statutum de altero, secundùm receptam doctrinam Gl. in c. si postquam, 32. ver. prouisione de elect. in 6. & inter alios docet Nauarr. in c. pœnæ n. 12. d. 1. de pœnit. Idcirco Innoc. III. non tam ius nouum condendo, quàm vetus interpretando, rescripsit hîc, & expressiùs in c. seq. & in c. scriptum 40. in fine, de elect. postulantes scienter indignum, ipso iure pro ea vice priuatos esse. 5

Neque obstat, quòd in textu huius c. dicat Pontifex, quoniam Canonici permissâ sibi licentiâ abusi fuerint, quòd eos *non immeritò priuare posset*. Explicari enim debet,

ex doctrina Ioan. Andr. vt sensus sit, quòd eos priuatos meritò declarare potuerit. Nam iura ita interpretari conuenit, vt cum aliis iuribus consentiant, c. cùm expediat 29. de elect. in 6. Cùm itaque ex c. seq. & cit. c. scriptum, priuationem ipso iure incurri ob postulationem indigni, apertè constet, ideo eodem modo hîc accipere debemus. Accedit in confirmationem, quòd Papa non concederet postulandi aut eligendi facultatem, nisi eam Canonici amisissent.

CAPITVLVM II.

Gratum.

Paraphrasis.

Postquam Papa Innocent. III. Canonicorum Senonens. postulationem factam de Altissiodorensi Episcopo reiecit, vt in c. præc. vidimus, ij literis a postolicis subdolè suppressis, mandante Legato Cardinale ad electionem iterum cõuenerunt: Et plures eorum eundem Altisiodor. Episcopum, quem Papa reiecerat, & suspensum declarauerat, denuò postulârunt; aliis numero paucioribus Episcopum Cameracensem in Archiepiscopum postulantibus. Legatus verò cùm intellexisset, Canonicos qui à Pontifice reprobatam postulationem renouare præsumebant, eligendi priuilegiũ amisisse, quòd concessa sibi ex Apostolicæ Sedis potestate temerè abuterẽtur, ideóq; ad alios sanioris cõsilij, licet numero pauciores, eligendi & postulandi deuolutam esse facultatem, dictum Episcopum Cameracensem ad eorum postulationem, in pastorem ecclesiæ auctoritate Apostolicâ fretus ordinauit. Ideo Pontifex illum à solicitudine ecclesiæ Cameracensis absoluit, & quæ à Legato ex mandato Papæ acta sunt, Apostolica auctoritate confirmat.

Svmmarivm.

1. *Qui postulationem de persona indigna temerè factam, & ob vitium personæ refutatam innouant, aut repetunt, concessa sibi eligendi & postulandi facultate, pro ea vice priuati sunt.*
2. *Si aliqui ex Capitulo priuati sint eligẽdi vel postulandi potestate, tota hæc potestas in aliis, quãuis numero pauciores sint, residet; imò si vnus tantùm adsit è Capitularibus, aliis omnibus mortuis, priuatis, aut suspensis, is solus Prælatum eligere vel postulare potest.*
3. *Licèt in vno iura Collegij residere possint, Collegiũ tamẽ, seu corpus Collegij actu, & secundùm proprietatem non manet.*
4. *Si omnes mortui sunt, iura collegialia, vti sunt tituli beneficiales, actu esse desinunt; realia autem siue localia inhærent loco, & ecclesiæ materiali.*
5. *Licèt ius eligendi penes vnũ residere possit, non potest tamen is seipsum eligere.*
6. *Legatus Sedis Apostolicæ (licèt à latere etiam sit) ex iure tantùm speciali, non communi, potest instituere translationem Episcopi ad aliam sedem.*

Notandvm I. Qui postulationem de persona indigna temerè factam, & ob vitium personæ refutatâ innouant, aut repetũt, concessâ sibi eligendi & postulandi facultate, pro ea vice priuati sunt. Ita Innoc. Ioan. Andr. Anton. Abb. in notandis & est principalis intentio huius c. Ratio dari debet: Quia priuilegium restituens aliquos ad id, quod ex iuris cõmunis dispositione amiserant, non plus tribuit, quàm amissum sit; quia restitutio est iuris amissi recuperatio. Atqui secundùm ius cõmune ita competit Canonicis ius eligendi & postulandi, vt si personam indignam postulent, tali facultate priuati existant, c. cùm in cunctis 7. de elect. c. scriptũ 40. eod. Ergo etiam priuilegium seu indulgentia speciali benignitate datum Canonicis, vt nõ obstante vitiosa ab ipsis facta postulatione aut electione (est enim vtriusq; eadem ratio, vt ex præc. c. constat) ad aliam electionẽ, postulationemue accedere possint, ita intelligi debet, vt si personam indignã postulent, vel, quod idem est, imò deterius, priorẽ personę indignę postulationem renouẽt, denuò priuati existant.

Obiicies: Qui priuilegio sibi concesso abutitur, is meretur quidem, vt eo per iudicis sententiam priuetur, sed non ipso facto, seu ipso iure priuatus censetur, vti colligitur ex regula, ad quam Innocent. III. Papa

Papa hîc alludere videtur, & habetur in c. vbi 7. d. 74. *Priuilegium meretur amittere, qui permissâ sibi abutitur potestate:* Hanc enim amissionem siue priuationem per Iudicis sententiam fieri debere, ex communi ostendit Suarez lib. 8. de legibus cap. 36. Respondeo: Rectè ostendi, quòd non cuiusque priuilegij abusus priuationem ipso facto inducat: sed speciale hoc est in priuilegio seu indulgentia, per quam alicui, vel aliquibus facultas conceditur, aut amissa restituitur, cui propter abusum ex iure communi, & ipso facto priuatio annexa est.

1 NOTANDVM II. Si aliqui è Capitulo priuati sint, seu ad eligendum postulandúmue inhabiles, tota electionis potestas in alijs, quamuis numero pauciores sint, residet. Ita habetur hîc, & in c. bonæ 23. c. cùm wintoniensis n. 25. de elect. Idque adeò verum est, vt si vnus tantùm Capitularium adsit, alijs omnibus mortuis, priuatis, aut suspensis, is solus Prælatum eligere vel postulare possit, sicuti hîc docet Gl. recepta ver. pauciores, Gl. in c. statutum 22. ver. Collegiatas de elect. in 6. argum. l. sicut 7. §. In decurionibus, ff. Quod cuiusque Vniuersitatis &c. vbi Legistæ notant, cùm Gl. ver. Nomen vniuersitatis; Tametsi iura Collegij per vnum acquiri non possint, tamen *si vnus solus remanet, ius & nomen* Collegij seu *Vniuersitatis conseruatur in illo.*

Duo hîc animaduertenda sunt: Primum. Licèt omnibus è Collegio mortuis præter vnum, iura Collegij in eo resideant, Collegium tamen seu corpus Collegij actu, & secundùm proprietatem non manet: *sicuti & grex desinit*, ait Gl. & sequitur Anton. hîc n. 26. *si vnum tantùm animal mansit in grege*, l. si grege legato 22. ff. de legatis 1. Quòd si omnes sint mortui, ne vno quidem remanente, tum sanè iura collegialia seu corporalia, cuiusmodi sunt beneficiales tituli, actu esse desinunt: at verò iura & priuilegia realia siue localia inhærere censentur ecclesiæ materiali, seu loco; quare cùm locus, ecclesia, Monasterium, cui iura inhærent, siue ad quod bona pertinent; domino ac possessore careant, inter bona vacantia numerari debent, prout fusè explicaui in iusta defens. quæst. 1. præamb. fundam. 3, & in refutat. epilogi pag. 444. & in censura astri inextincti loco 1. & p. 2. cens. 7.

Alterum. Tametsi ius eligendi penes vnũ Capitularem residere possit, nõ potest tamen is seipsum eligere; tum quia ambitiosus, & eo ipso indignus censeretur, prout tradit Abb. hîc n. 9. argum. c. per nostras 26. de iure patron. c. scripturis 9. causa 8. q. 1. l. planè 4. ff. Quod cuiusque Vniuersitatis &c. tum quia sicut inter dantem & accipientem, ita inter eligentem & electum distinctio esse debet: quia nemo oritur à seipso.

Obijcitur primò. Vnus non facit Collegium seu Capitulum; sed necesse est plures conuenire vt fratres, c. 1. de elect. Ergo vnus non potest exercere actus Collegij, videl. eligere, postulare. Resp. negando consequentiam, cum Gl. in l. Neratius 85. ff. de verb. signif. & Gl. suprà cit. ver. pauciores in hoc c. Licèt enim ad constituendum Collegium seu Capitulum necesse sit plures cõuenire, tamen omnibus mortuis, aut priuatis, vis, potestas, & iura Collegialia in vno manent, donec alij accesserint: & ideò licèt Collegiũ, siue Capitulum actu & secundùm proprietatem non sit, manet tamen virtute & habitu.

Obijcies secundò: Non est infrequens, vt innocentes puniantur propter nocentes, v. g. liberi ob graue delictum parentum. videl. hæresin, c. statutum 15. de hæret. in 6. aut læsæ maiestatis crimen, l. quisquis §. filij, C. ad L. Iuliam Maiestat. Et magis ad propositum est, quòd ob crimen atrox à maiore parte Communitatis commissum, alij quoq; ex eadem Communitate, qui innocentes sunt, puniuntur amissione libertatis, impositio tributo, aut ciuitatis euersione; dummodò crimen commiserint collegialiter conuenientes, & decernentes iniquè agendum esse, prout tradit Gl. in cit. l. sicut, ver. non debetur. Bartol. in l. aut facta, §. vlt. n. 9. ff. de pœnis, Abb. super hoc c. n. 4. & docui lib. 2. Theol. moral. tract. 3. cap. 12. n. 11. §. Porrò. Resp. ad hæc; Verum esse, quòd innocentes puniri, seu potiùs damnum pati interdum soleant

ex iuris constitutione, si sint veluti portio siue pars nocentium seu delinquentium, vti ostensum est: At verò quòd peculiariter attinet ad Communitatem delinquentem, annotanda est doctrina Bartoli in cit. loco. n. 7. Vel pœna, quæ à lege, aut homine decernitur, talis est, vt in Communitatem cadere possit, non autem in singulos è Communitate, v. g. ciuitatis euersio, Ordinis religiosi extinctio; vel talis pœna est, quæ etiam in singulos cadere potest, v. g. tributi impositio, suspensio. In priore casu non est dubium, traditæ doctrinæ locum esse, quòd ob atrocissimum crimen à maiore parte Communitatis collegialiter commissum, talis pœna inferri possit, vt etiam per accidens pœna, seu potiùs damnum redundet in innocentes: In posteriore autem casu distinguendum, sitnè magna Communitas, quæ deliquit, ita vt innocentes à nocentibus difficilè discernantur, tum omnes impositio v. g. tributo puniri possunt: An verò non sit tam magna Communitas, quæ deliquit; vt in casu huius c. si Capitulares ad electionem Prælati conuenerunt. tunc pœnâ eâ priuationis, quæ non tantùm in Collegium cadit, sed etiam in singulos è Collegio, æquum non est eos affici, qui innocentes sunt, argum. l. 1. ff. de magistrat. conueniendis

6 Notandvm III. circa verb. final. *Quod à te de mandato nostro factum.* Legatus Apostolicæ Sedis ex speciali commissione siue mandato, translationem Episcopi ad aliam Sedem instituere potest; Non item iure communi, tametsi legatus à latere sit, vti constat ex c. nisi 3. & c. seq. de offic. Legati.

CAPITVLVM III.

Bonæ.

Paraphrasis.

Cùm Guil. Archiepiscopus Rauennatis vitâ excessisset, Canonici in nouo substituendo Præsule non consenserunt: Nam alij S. Praxedis Presbyterum Cardinalem, alij verò Imolens. Episcopum postularunt. Innocent. III. Papa auditis, quæ pro vtraque postulatorum parte, seu de iure, seu de facto allegata fuerant, plura insuper allegari curauit. Considerauit autem Pontifex, quòd dicti Cardinalis præsentia & assistentia non solùm Romanæ, sed etiam vniuersali ecclesiæ, consequenter ipsi ecclesiæ Rauennatensi vtilior esset; quamobrem vtilitatem communem particulari, & maiorem minori præferendam ratus, postulationi Cardinalis assensum præbere recusauit. Perpendens insuper, quòd Episcop⁹ Imolensis à minore, quàm tertia Canonicorum parte, postulatus fuerit, etiam eius postulationem reiecit; cùm Sedes Apostolica postulationem a licuius in tam magnâ dissensione & contradictione recipere non soleat: Quinimò tametsi aliquis in concordia, seu vnanimi consensu postuletur, postulationé tamen non ex iustitia debito, sed ex gratia admittere consueuerit. Quamobrem mandat Pontifex, vt ij, quibus suffragij ius competit, denuò ad canonicam electionem, aut postulationem seu nominationem personæ idoneæ conueniant.

Svmmarivm.

1. *Nomine Clericorum comprehenduntur etiam Cathedralis ecclesiæ Canonici; nisi sit materia pœnalis, vel odiosa.*
2. *Si à partibus, earúmque aduocatis aliquid pro causæ suæ defensione omittatur; Iudex supplere potest, & proferre ea, quæ iuris publici consuetudinis receptæ sunt; non item quæ ad factum spectant, nisi in quibusdam tantùm casibus.*
3. *Episcopatus & Cardinalatus incompatibiles sunt; nisi Summus Pontifex ex rationabili causa dispenset.*
4. *Cardinalis presbyter, aut diaconus, non autem episcopus, eligi potest in Episcopum; quamuis vniuersim electio Cardinalis in Episcopum quodammodò postulatio sit, quia sine impetrato Sum-*

mi

mi Pontificis consensu electionem acceptare non potest.

5. *Plura necessaria sunt, vt postulatio à Superiore admittenda sit, quàm vt electio confirmanda.*

6. *Postulatio concors, vel à duabus Capitularium partibus facta, probabilius sine vlla iniuria postulantium & postulati reijci potest, nisi ob necessitatem vel vtilitatem ecclesiæ facta esset; tunc enim ex debito officij à Superiore admittenda est.*

7. *Prælatus Papâ inferior facultate dispensandi super impedimento præditus, postulationem concordem aut à duabus partibus Capituli factam admittere nolens, à Superiore cogi potest.*

1 NOTANDVM I. Nomine Clericorum comprehenduntur etiam Cathedralis ecclesiæ Canonici. Ita colligitur ex inscriptione huius c. Sed excipi debet: Nisi materia pœnalis, vel odiosa sit, prout hîc annotauit Abb. not. 1, argum. c. statutum 22. de elect. in 6. vbi dicitur, quòd in materia pœnali nomine parochialis ecclesiæ non veniat ea parochialis, quæ simul etiam Collegiata est; quia propter specialem, eámque excellentiorem qualitatem, speciali sæpe nomine appellari solet. Sed pari ratione Canonici Cathedrales, & qui in ecclesiastica dignitate constituti sunt; item Religiosi, tam. etsi clerici sint, tamen propter specialem, eámque excellentem qualitatem, proprijs sæpè nominibus compellantur: Et ideo in statuto pœnali, *quod*, vti dicitur in cit. c. statutum, *restringi potiùs conuenit, quàm laxari*, generali Clericorum vocabulo non comprehenduntur; præterquam si ex verbis adiunctis, aut circumstantijs contrarium colligatur: vel si alioquin absurdum sequeretur: Quâ ratione dicitur in c. per exemptionem 9. de priuileg. in 6. Si alicuius ecclesiæ clerici ab Ordinarij iurisdictione per priuilegium eximantur, etiam Canonicos eius ecclesiæ exemptos censeri; licèt alioquin priuilegium exemptionis, quippe iuri episcopali, atq; canonicis statutis derogans, strictam interpretationem mereatur. Ratio verò est, quia exemptio ea ad Canonicos quoq; se extendens ex subiecta materia clarè colligitur: quia absurdum esset, clericos inferiores exemptos esse, non item maiores seu Canonicos.

NOTANDVM II. Quæ partes, earúm. 2
ue Aduocati pro causæ suæ defensione in medium afferre omittunt, Iudex ex officio supplet, quatenus id necessarium esse videtur ad controuersiæ definitionem. Ita ex hoc c. colligit Gl. ver. *curauimus allegare*, & constat ex l. vn. C. Vt quæ desunt aduocatis, iudex suppleat. Id verò intelligi debet, secundùm Gl. ibi, Bartol. Baldum & alios, Iudicem quæ iuris sunt, aut consuetudinis receptæ, in medium proferre posse; non item ea, quæ ad factum spectant. Ratio est: quia Iudex in iudicio ea agere decet, quæ ad publicũ eius officiũ pertinent, cuiusmodi v. g. sunt libellũ seu positione actoris examinare. &, si ineptus seu causæ non conueniens sit, reijcere, l. 1. ff. de offic. Assessorum: Item iuramentum de calumnia deferre, dilationem parti petenti concedere: sed & ad iura publica attendere, vt ea circa causam agitatam in medium proferantur: quia secundùm ea sententiam proferre debet: Non autem Iudex partium contendentium officium vsurpare potest: aut supplere ea, quæ ad proprium ipsarum, ac priuatum commodum principaliter referuntur; cuiusmodi sunt petere, excipere, testes, aliásue probationes producere, vti docet Baldus in cit. l. vn. n. 9. Abbas hîc n. 10.

Quibusdam verò casibus Iudex etiam ea, quæ ad actum spectant, in medium afferre & supplere potest, & plerumque debet. I. est, si quid iudici notum sit ex actis in publicũ iudicium deductis, vti hîc docet Baldus n. 3. Anton. n. 17. prout Gl. hîc ver. curauimus allegare, argum. l. vlt. C. de appellat. Et not. hîc primò. quod dixi, si in publicum iudicium deducantur: Ea enim tantùm Iudici, tanquam publicæ personæ nota esse cẽsentur, quæ ipso pro tribunali sedente producta sunt, non extra tribunal, l. dies 4. §. hoc autem iudicium, vbi id Baldus annotauit, ff. de da-

de damno infecto. Not. secundò, si pars litigans instrumentum aliquod in iudicium proferat, Iudicem ea quæ in instrumento continentur, allegare posse contra ipsum producentem: quia æquum haud esset, si actor vellet instrumento standum esse secundùm vnam eius partem, non item secundùm alteram, prout idem Baldus docet in cit. l. n. 5.

II. Casus: Si Iudex in medium proferat, quod notorium est, nullâque probatione indigens, argum. l. 1. vbi id notauit Gl. ver. in consilio, ff. Qui & aduersus quos &c. Specialiter verò Iudex exceptione repellit actorem, aduocatum, aut productum testem, qui notoriè inhabilis est. v. g. publicè excommunicatus, vti constat ex c. 1. in fine, de except. in 6. & c. exceptionem 12. eod. tit. in antiq. Ratio est: quia ad publici iudicij honestatem tuendam interest, vt personæ de iure inhabiles repellantur. Cæterùm si inhabilitas respiciat duntaxat commodum partis, vt quia est familiaris aduersarij, Iudex nihil opponere debet, prout hîc Abb. notat n. 8. casu 6. & videri possunt, quæ docui lib. 1. Theol. mor. tr. 5. p. 2. c. 2. effectu excomm. 8.

III. Casus: Si animæ periculum vertatur, vti notauit Anton. hîc n. 21. dicens, frequenter id accidere in causis matrimonialibus; Aut si de publico bono agatur, v. g. in electione aut postulatione Prælati, ne indignus promoueatur, aut cum maioris boni detrimento, quàm secuturâ vtilitate, vti hîc apparet, atque annotauit in c. 1. ver. excommunicatus sit, de except. in 6. Abb. hîc n. 9. Vel si agatur causa pupillorum, vel personarum miserabilium, quas iudex ex officio tueri debet, prout hîc ait Anton. n. 20. Abbas cit. n. 9.

IV. Casus. Si quippiam in iudicium accessoriè veniat, seu per consequentiam, tum à Iudice proferri possunt, si iura ita exigant, v. g. vt fructus restituantur, qui post litem contestatam ex re aliena percepti sunt, l. ædiles 38. §. item sciendum, ff. de ædilit. edicto, & notauit Baldus in cit. l. dies, §. Hoc autem iudicium.

V. Casus, secundùm Bartol. in cit. l. 1. Vt quæ desunt Aduocatis, & in Auth. Qui semel, C. Quomodo aut quando Iudex &c. In quo casu Iudex contra contumaciter absentem ad definitiuam sententiam procedere potest, æquum est, vt pro eo etiam suppleat, quæ ad factum pertinent. Eámque doctrinam tanquam æquam & à pluribus receptam sequitur hîc Abb. cit. n. 9. casu 7. & docet Anton. n. 26. tametsi displiceat Baldo in cit. l. 1. eò quòd in iure non satis fundata reperiatur.

NOTANDVM III. Episcopatus aut Cardinalatus incompatibiles sunt, nisi Summus Pontifex, ex rationabili causa dispenset. Ita sumitur ex textu c. & annotauit Abb. hîc not. 3. Nam Cardinalis assistere debet Rom. Pontifici, eúmque consilijs adiuuare: Et sic vtilior est ecclesiæ vniuersæ; quatenus Pontifex & Cardinales pro omnibus ecclesijs curam & solicitudinem gerere debent, vti hîc in textu significatur, iuncta Gl. ver. generali. Sin autem Cardinalis Pontifici Romæ assistat, non potest rectè præesse & inuigilare ecclesiæ Cathedrali, à quâ absens est, vti colligitur ex hoc ipso c. quando Pontifex Innoc. III. postulationi Cardinalis ad ecclesiam Rauennat. noluit assensum dare, quòd oporteret eum à Roman. ecclesia, vbi tamen plus prodesse potest, discedere, & ex Concil. Trident. sess. 23. cap. 1. de reform. & videri possunt, quæ dixi lib. 4. Theol. moral. tr. 2. cap. 6. q. 2. & Ioann. Azor p. 2. Instit. moral. lib. 7. cap. 4. q. 6. vbi rectè excipit eos episcopatus Vrbi vicinos, quos primi sex Cardinales Episcopi obtinent.

QVÆSTIO est; Num S. R. Ecclesiæ Cardinalis in episcopum eligi possit, an verò postulari debeat? Resp. cum Abbate antiquo, Hostiensi, & Ioann. Andr. in c. ecclesia 57. de elect. eligi posse; si sit Cardinalis Presbyter, aut Diaconus; secùs si episcopus. Idque satis constat ex eod. c. ecclesia; tametsi ibi Anton. de Butrio n. 16. & Imola n. 4. contrarium dicant, eligi non posse, sed postulari debere, vti colligi videtur ex hoc c. Dicendum verò, quòd electio Cardinalis in Episcopum quodammodo postulatio sit: quia electionem acceptare non potest, nisi Pon-

Pontificis impetrato consensu: Qua eâdem ratione Abbas in Episcopum eligi potest, sed transire ei concessum non est, deserto Monasterio suo, absque Papæ aut Legati à latere licentia, c. si Abbatem 36. de elect. in 6. Cui doctrinæ consentit Innoc. in c. 1. n. 3. hoc tit. vbi ait: Quotiescunque nominatus in Episcopum, acceptare sine dispensatione non potest, postulatio censeri debet: Sin autem acceptare potest absque dispensatione, censetur electio; non obstante, quòd opus sit licentia Prælati, cuius ecclesiæ obstrictus est, v. g. Monachus: Talis postulari quidem debet, at non postulatione solemni, sed ad id solùm instituta, vt transeundi licentia impetretur, prout explicaui in cit. tract. 2. cap. 19. n. 9. Ita verò etiam se res habet in Cardinali non Episcopo: Nulla enim lex canonica prohibet, quò minùs Cardinalis ad episcopatum assumi possit; sed solùm prohibetur, vt Cardinalis ecclesiam Romanam, cui astrictus est, absque Rom. Pontificis licentia non deserat. Exinde tamen sequitur, quòd hîc etiam Panormit. n. 6. annotauit, per assumptionem Cardinalis ad episcopatum vacaturum Cardinalatum, iuxta c. de multa 28. de præb. Sed id obseruari non solet; propterea quòd Cardinalatus maior censeatur esse dignitas, quàm episcopatus, & Archiepiscopatus: non decet autem aliquem à maiore ad minorem dignitatem abire, ac veluti descendere, argum. c. 1. de translat. Episcopi, & c. seq. hoc tit. vbi id dicam not. penult.

5 NOTANDVM IV. Plura necessaria sunt, vt postulatio à Superiore admittenda sit, quàm vt electio confirmanda. Qua in re ita distinguendum: Vel postulatio concurrit cum alterius electione in discordia, vel non concurrit. Si hoc secundum, satis est, quòd postulatio personæ idoneæ facta sit à maiore parte Capituli, vt eam superior ex gratia speciali admittere possit, vti constat ex c. postulationem 5. hoc tit. Nam ordinariè ad gesta Capituli seu Collegij plus non requiritur, quàm vt maior pars consentiat, prout hîc Abb. annotauit n. 3. Petr. Greg. Tholos. tract. de elect. c. 2. n. 11. & habetur in cap. 1. de his quæ fiunt à maiore parte Capituli, & l. quod maior 19. ff. Ad Municipalem, vbi dicitur, *quòd maior pars Curiæ fecerit, pro ea habetur, ac si omnes egerint.* Sin primum, requiritur, vt duæ partes Capituli in postulatum consenserint, & persona idonea sit: hoc in casu postulatio præfertur electioni, c. scriptum 40. de elect. Quia duæ partes Capituli totum Capitulum repræsentant, c. cùm nobis 19. de elect. secundùm integr. lect. Sin autem in postulationem duæ partes non consenserunt, plerumque præfertur electio, dummodo ea facta fuerit à maiore parte, quàm sit tertia, cit. c. scriptum & tradit Hostiens. tit. de postul. Prælat. §. Vtrum ius, n. 13. Abb. in cit. c. scriptum n. 14. Syl. ver. postulatio q. 7. Cùm enim postulantes sciant, postulationem eam à Superiore admittendam non esse, nisi ex gratia speciali, atque nihilominus eam cum electione à reliquis facta præsentent, eo ipso consentire censentur, vt vel postulatio ipsorum admittatur, vel aliorum electio: quamobrem positum erit in arbitrio confirmatoris, vt, consideratis circumstantiis & qualitatibus personarum, vel postulationem admittat, vel electionem confirmet, vel vtramque reijciat; ideóque nec electo in hoc ius aliquod antè acquiritur, quàm confirmatoris assensus accesserit.

Sed QVÆSTIO est; Si quispiam, ad prælaturam idoneus à duabus Capitularium partibus postulatus fuerit, vtrùm postulantibus, vel ipsi postulato ius aliquod acquiratur, ita vt Superior postulationem admittere debeat? Affirmat Ioan. Andr. in c. cùm Monasterium n. 7. de elect. Sed contrarium est probabilius, prout colligitur ex cap. isto §. attendentes, vbi Gl. ver. attendentes, Hostiens. in summa, hoc tit. §. Vtrum ius; Propriè loquendo nullum ius postulantibus, aut postulato competere; ideóque Superiorem iniuriam non facere postulationem reijciendo, vti apertè colligitur ex hoc c. prope finem, *non tam ex iustitia, quàm ex gratia.* Attamen ex debito officij Superiorem obligari ad postulationem eam admittendam, quæ concorditer, aut à duabus partibus ob necessitatem, aut vtilitatem ecclesiæ, facta est, prout traditur in Gl. hîc ver. gratia, Hostiensi

& Greg. Tholosano locis citatis. Probatur, & explicatur: Omnis dispensatio Superioris super impedimento, aut defectu ex gratia procedit, non ex iustitiæ debito: siquidem hoc ipso, quòd defectus subest, non competit ius exigendi debitum. Atqui in postulato semper est impedimentum seu defectus in ordine ad assequendam prælaturam, in quo Superior dispensare debet: Ergo postulatio Prælati semper ex gratia, & non ex iustitiæ debito admittitur: consequenter iniuria non infertur postulantibus & postulato, si postulatio reiiciatur.

Veruntamen sicuti aliæ dispensationes v. g. circa vota, matrimonij impedimenta, irregularitates, &c. quodammodo debitæ sunt, si causa vrgens, præsertim publicæ necessitatis aut vtilitatis, subsit, ita vt Prælatus eo officio dispensare teneatur, sic etiam se res habet in postulatione. Quare quòd Gl. ait in c. cupientes 16. in fine, ver. gratia, de elect. iniuriam inferri, si postulatio à duabus partibus facta non admittatur, impropriè dictum est. Cùm enim gratia non sit ex debito iustitiæ, eius derogatio non potest esse propriè iniuria.

7 Corollarium. Si Prælatus Papâ inferior, facultate dispensandi super impedimento præditus, postulationem concordem, aut à duabus Capituli partibus ex iusta causa factam admittere nolit, à Superiore cogi potest, vti bene hîc Gl. docet ver. gratia, argum. c. nullus 17. de iure patr. Ideòque postulantes, si eiusmodi ipsorum postulatio reijciatur, Superioris Prælati officium implorare possunt, secundùm doctrinam Gl. receptam hîc ver. gratia, quòd *remedium implorationis officij conceditur, cùm propriè dicta actio deficit*, vti constat ex c. 2. de officio Iudicis.

CAPITVLVM IV.

Bonæ.

PARAPHRASIS.

Cùm Guilielmus Strigonienſis Archiepiscopus vitâ excessisset, Canonici eius ecclesiæ vnanimiter postularunt Episcopum Colocensem: Sed suffraganei Episcopi huic postulationi se opposuerunt, eò quòd ipsis contemptis, quibus vnà cum Capitularibus ius electionis competeret, postulatio attentata esset. Contrà Nuncij à Capitulo ad Pontificem destinati proposuerunt, sæpiùs ab Episcopis illis assensum de nouo Præsule substituendo requisitum fuisse, absque responso: Cùm itaque hæc Nuncij dicerent, & aduersarij alia quoque obijcerent, Innocent. III. Papa tale responsum dedit; Vt si Capitulum postulationem prosequi velit, aduersariis in contradictione perstitentibus, ad Apostolicam Sedem Procuratores idoneos mittat: Sin autè illi à contradictione cessent, nihilominus Capitulum mittat procuratores, à quibus Pontifex informari queat. Postea verò aliqui Canonicorum à postulatione, quam Pontifici præsentârant, temerè resilientes, Episcopum Quinqueecclesiensem postulârunt: Sed Papa postulationem hanc, quippe in discordia factam & contra formam mandati sui reiecit: mandans denuò Capitulo Strigoniensi, vt ad electionem canonicam, vel postulationem concordem deueniant; alioquin ipsum Papam prouisurum esse ecclesiæ illi Pastorem: Verùm Canonici antequam hoc alterum mandatum accepissent, adhærentes priori mandato, in concordiam venerunt cum suffraganeis Episcopis, excepto Quinqueecclesiensi: Cùm autem mandatum illud posterius aduenisset, magis discordes facti sunt: Nam qui primò Colocensem Archiepiscopum postulârunt, adiunctis sibi quibusdam, eandem postulationem renouârunt. Alij verò, qui Quinqueeccles. Episcopum postulârant, conuenientes in vnum ceteros Canonicos ad Capitulum vocarunt, vt postulatio concors vel electio canonica, iuxta Pontificium mandatum, fieret: Cùm autem illi venire recusarent, ipsi qui vocarunt, existimantes penes se solos eligendi potestatem tunc existere, quòd alij ius suum prosequi negligerent, dictum Quinque-

eccles.

eccles. Episcopum denuo postularunt. Ad id verò respondet Innoc. Papa, horum ab aliis dissidentium postulationem æstimãdam non esse: quandoquidem ipsi antea Archiepiscopum Colocensem cum aliis postulauerint, & Papa eam postulationem admittendam censuerit. Etenim posteaquam postulatio postulantium subscriptione munita Pontifici oblata fuit, recedere illi haud possunt; cùm alioquin illuderetur Pontifici, si eius requisitum, datúmque iudicium immutare concessum esset. Considerauit quidem Pontifex, quòd non tantùm eam Episcopi postulationem, sed etiam alteram Archiepiscopi improbare posset, & ipsemet Ecclesiæ Pastorem prouidere; quia ita in posteriore mandato continebatur, vt ad nouam canonicam electionem, vel concordem postulationem accederetur; alioquin Papam prouisurum: Illi autem eo accepto mandato, canonica electione non facta, in postulando magis etiam, quàm priùs, discordes fuerunt: Veruntamen quia plenam de personis in regno Vngariæ notitiam non habebat, alienigenam verò ipsis præficere consultum non arbitrabatur, postulationi ipsorum acquiescendum esse iudicauit. Tametsi verò ex vna parte honestius esset, si suffraganeus ad Metropolim, quàm vt Archiepiscopus promoueretur, ex altera tamen parte consultius videbatur partem potiorem postulantium sequi; adeóq; Archiepiscopum Colocensem (quippe in quem omnes, quorum suffragia requirebantur, licet diuersis temporibus, consenserant) ecclesia Colocensi liberatum, ad Metropolin Strigoniensem transferre; quod vigore præsentium literarum facit, atque promittit, pallium Archiepiscopale pro eius Metropolitanæ ecclesiæ vsu se postea transmissurum.

Svmmarivm.

1. *Qui per diuturnæ consuetudinis præscriptionem acquisiuit ius eligendi Prælatum, censetur etiam acquisiuisse ius postulandi.*
2. *Vt quis præscribat ius eligendi, & consequenter postulandi, requiritur, & sufficit tempus ordinarium, videl 40. annorum, si ius electionis contra Capitulum præscribatur.*
3. *Si existens in possessione iuris eligendi & postulandi non vocetur, agere potest ad postulationem, quæ ipso contempto peracta est, rescindendam.*
4. *Si omnes Capitulares, aut Collegiati ad Capitulum vel Concilium legitimè vocati sint, & aliqui accedere negligant, qui præsentes sunt, statuere sine iis possunt, ita vt acta valeant, modò pars maior præsentium consentiat.*
5. *Contraria est doctrina Legistarum, quæ hîc conciliatur.*
6. *Si vel vnus contemptus fuit, is contemptum prosequi potest, & petere electionis rescissionem.*
7. *Si postulatio Superiori nondum præsentata sit, possunt postulantes recedere; aut etiam nuncium ad Superiorem destinatum reuocare.*
8. *Promouens aliquem ad Prælaturam, debet plenam notitiam habere, quòd idoneus sit.*
9. *Decens est, vt aliquis ex eiusdem ecclesiæ corpore ad Prælaturam assumatur, si idoneus adsit.*
10. *Sicut etiam, vt quis à minori dignitate ad maiorem transeat, & promoueatur.*
11. *Si Archiepiscopus ad aliam ecclesiam Metropolitanam auctoritate Papæ transferatur, aliud nouum pallium petere debet.*
12. *Antiquum pallium secum defert, non vt eo vtatur, sed vt cum eo & nouo sepeliatur.*

NOTANDVM I. Circa ea verba: *Assérentes, quòd eis contemptis, &c.* Qui per 1
diuturnæ consuetudinis præscriptionem acquisiuit ius eligendi Prælatum, censetur etiam acquisiuisse ius postulandi. Ita ex textu isto colligit Abb. hic n. 4. Tametsi enim præscriptio, quippe stricti iuris, non extendatur de casu in casum, argum. c. cùm olim

18. vbi idem Abb. Panorm. num. vlt. de præscript. cùm nō plus aliquis præscribat, quàm possideat; fallit tamen ea doctrina in ijs, quæ necessariò connexa sunt, tanquam tendentia ad vnum finem; cuiusmodi sunt electio & postulatio; adeò vt cuicunque ius eligendi competat, eidem etiam postulatio concessa sit. Quamobrem si aliquis, qui è corpore ecclesiæ seu Capitulo non est, ad eligēdum Prælatum admittatur, non tanquam ex gratia, sed tanquam ei ius competat, v. g. ratione dignitatis suæ, poterit is temporis diuturnitate, cum bona fide, non tantùm acquirere ius eligendi, sed etiam postulandi, prout Abb. hîc annotauit cit. n. 4. argum. c. cùm in tua 30. de decimis: Nam etsi in possessione postulationis non fuerit directè, & secundùm se; eò quòd occasio se non obtulerit postulandi; fuit tamen per accidens, & ex consequente: quia ius eligendi ordinariè secum trahit ius postulandi.

QVÆRES. Quanto tempore opus sit, vt ius eligendi, & consequenter postulandi aliquis præscribat, cui id secundùm ius non cōpetit? Respondeo ex ijs, quæ docui lib. 3. Th. 2 mor. tr. 1. cap. 9. n. 5. & 6. & quæ Abb. hîc tradit n. 20. Requiri, & sufficere tempus ordinarium, vid. 40. annos, si ius electionis contra Capitulum præscribatur, prout etiam Gl. docuit in cap. 3. ver. in trium, de causa possess. & propriet. Idque inde ostenditur, quia huius iuris possessio nō acquiritur, nisi cum scientia & patientia Capitularium: Positâ autem scientiâ & patientiâ, adest præscribendi titulus; consequenter præscriptio, tametsi ius repugnet, aut præsumptio sit contra præscribentem; quia vid. is è corpore ecclesiæ non est (dummodo, vt ponimus, bona fides non desit) 40. annis perficitur, vti constat ex cap. 1. de præscript. in 6. Tametsi fortasse qui præscribit vni tantùm electioni, tanquam ius habens, interfuerit, quia electus Prælatus 40. annis ecclesiam rexit, prout Gl. paulò antè citata notauit.

Adde, quòd ius eligendi, consequenter postulandi, citiùs acquiri possit per tacitum consensum Capitularium, si extraneum absque vlla protestatione sponte admittant, iuxta iuris reg. 43. in 6. *Qui tacet, consentire videtur*, quod verum est in casu, si consentire nolens, contradicere deberet, argum. cap. 2. de confessis in 6. Dummodo Capitulares errore non ducantur, existimantes extraneo illi ius competere, cùm non competat: Error enim tollit consensum; sed non præscriptionis remedium.

NOTANDVM II. Si quispiam existens in possessione iuris eligendi, & postulandi, non vocetur, agere potest ad postulationem, quæ ipso contempto peracta est, rescindendam. Ita hîc in textu, iun. Gl. ver. eis contemptis; & idem de electione quæ mero iure valida est, rescindenda, propter contemptum, habetur in cap. bonæ 36. de elect. Quia, vt suprà dixi, electio & postulatio in iure æquiparantur quoad ius suffragandi: & ideo quod statuitur de vno, statutum etiam censetur de altero.

NOTANDVM III. Si omnes Capitulares, aut Collegiati ad Capitulum vel Concilium legitimè vocati sint, & aliqui accedere negligant, qui præsentes sunt, statuere sine ijs possunt, ita vt acta valeant, etsi non maior pars Capituli seu Collegij præsens sit; dummodo pars maior præsentium consentiat. Ita colligitur ex textu huius cap. ibi, *Intelligentes, penes se tantùm remansisse facultatem liberam eligendi:* Idque docet Gl. in Clem. quod circa, de elect. ver. quæ in facto, Innocent. in cap. 1. de maior. & obed. Ioan. Andr. in c. in causis num. 12. de elect. Abb. in cap. cùm omnes num. 13. de Constit. Tametsi contrarium doceant Legistæ, vti videre licet apud Bartol. in l. omnes populi quæst. 2. de iust. de iure, Iason. in l. Iurisgentium §. Hodie tamen, num. 7. ff. de pactis, vbi aiunt, opus esse, vt duæ totius vniuersitatis seu Collegij partes præsentes sint, & quod maior pars præsentium statuerit, illud ratum esse oportere: dummodo omnes vocati, & nemo contemptus sit: Quia duæ partes ordinis totius Curiæ vicem supplent, ait Gl. in l. nulli ff. Quod cuiusque vniuersitatis &c. idemque colligitur ex l. nominationum 46. ff. de decurionibus lib. 10. vbi id ipsum Bartol. & alij obseruant.

Sed

5 Sed conciliatio fieri debet ex doctrina Innoc, in c. cùm nobis n. 6. de elect. Abb. in c. cùm inter n. 5. & c. in causis n. 9. eod. tit. c. 1. n. 5 de maior. & obed. Vel loquimur de iure conuocandi Capitulum seu Collegium; Vel loquimur, posità legitimâ vocatione, de iure eligendi, aut decernendi. Si primum; vel aliquis est constitutus, qui cum auctoritate vocare possit Capitulares, aut Senatores: tum eo legitimè vocante, qui præsentes sunt, secundùm maioris & sanioris partis suffragia, eligere aut decernere possunt: Nisi alia sit loci consuetudo, vel nisi negotium arduum sit, ad quod expediendum necesse videatur plures expectari; præsertim si ius ipsum longius tempus concedat, v. g. trimestre pro electione facienda post mortem Prælati, c. ne pro defectu 42. de elect. Vel nemo ad hoc constitutus est, tum necessarium esse videtur, vt duæ partes Capitularium vel Collegiatorum conueniant ad eligendum, vel decernendum, ita vt quòd maior præsentium pars statuerit, id ratum sit (saluo iure rescindendi, si qui contempti fuerint) propterea quòd potentia Capitularis, seu Conciliaris veluti tota in duabus partibus resideat, vti colligitur ex cit. c. cùm nobis 19. de elect. & tradit ibi Abb. n. 9. Vbi eâdem ratione ait, vt Capitulum coarctando terminum temporis trimestris alios vocet ad electionem, necesse esse, vt duæ partes Capitularium consentiant; Nisi peculiaris aliqua necessitas vrgeat, vel periculum in mora sit: tum defendi potest doctrina Gl. in cit. c. cùm nobis, ver. reuocare, si maior & sanior pars procedere velit ad electionem, quòd id facere possit, præfixo termino, siue die conueniendi etiam ante trimestre tempus elapsum.

Sin autem de posteriore sermo sit, videl. de iure eligendi, aut decernendi, posteaquã Capitulum conuocatum est, siue à Superiore, siue à Decano, aut Seniore iuxta ecclesiæ consuetudinem ad id constituto, siue à duabus partibus Capituli, aut Collegij, iuxta ea, quæ paulò antè dixi; Tunc, si aliqui non adsint, quia venire nolunt, aut non possunt, nec Procuratorem loco sui constituant, veluti non censentur in numero Capitularium, aut Collegiatorum pro eo actu peragendo; alijque, quamuis pauciores sine illis procedere possunt, vti dixi suprà in not. isto 3. argum. huius c. & tradit Abb. in c. quia propter n. 4. & 12. de elect. Franc. de Pauinis in tract. de potest. Capituli prælud. 54. n. 12. Sin autem plures adesse possint, ac velint, n ō valebit, quod agitur, si pauciores, quàm duæ partes ad eligendum, aut decernendum conuenerint; At verò præsentibus duabus partibus, quod à maiore & saniore parte gestũ, vel statutum est, validum censeri debet, vti suprà cit. Doctores tradunt cum Glossa in cit. l. nulli ff. Quòd cuiusque Vniuersitatis, argum. l. quod maior 19. ff. Ad Municipalem; Quod maior pars præsentis Capituli, vel Collegij decreuerit, pro eo habendum esse, ac si omnes decreuissent; dummodò duæ partes adsint, vt videl. vis Capitularis ad eligendum, aut decernendum non desit.

Loquor autem hîc duntaxat de valore 6
actûs, v. g. electionis: Interim fateri oportet, si vel vnus contemptus fuerit, seu non vocatus, qui vocari potuisset, ac debuisset, quòd contemptum prosequi possit, siue petere, vt electio rescindatur, vti suprà dictum in 2. not. & dicetur infrà in c. quod sicut, 28. de elect.

NOTANDVM IV. Postquam postulatio Superiori præsentata fuit, postulantes recedere seu variare non possunt; sed illius iudicium expectare debent; Ita hîc in textu §. Nec obstabat: Vbi etiam ratio adiungitur; quia *si possent recedere postulantes, nobis frequenter illuderent, & iudicium nostrum ab eorum pendere arbitrio videretur.*

Sed QVÆSTIO est, Si postulatio Superiori nondum præsentata sit, num postulantes recedere possint; aut etiam nuncium ad Superiorem destinatum reuocare? Negat Gl. in c. seq. ver. nullum, & c. vlt. ver. permissione: hoc tit. post publicatum scrutinium à postulatione resilire concessum esse, argum. c. publicato 58. de elect. Sed affirmatiua pars quæst. colligitur ex cit. §. Nec obstabat,

7 ſtabat, per ſenſum contrarium, & docuit Hoſtienſ. in ſumm. huius tit. n. 12. Ioann. Andr. in hoc c. n. 8. Abb. n. 11. Imola & Abb. in cit. c. publicato, Syl. ver. poſtulatio q. 8. & dixi etiam in Theol. mor. lib. 4. tr. 2. cap. 12. n. 10. Neque obſtat cit. c. publicato ſcrutinio, vbi id traditur de electione: Eſt enim diſcrimen, quòd actus electionis procedat ſecundùm ius commune, ex debito officij: conſequenter, ſi legitimè ſuffragia data & publicata ſunt, reſilire deinde non licet, vti dicetur in c. 3. de elect. & cit. c. publicato: At verò actus poſtulâdi tendat ad gratiam & diſpenſationem impetrandam, contra iuris communis tenorem: nemo autem gratiam aut diſpenſationem petere cogitur; & reditus ad iuris communis formam fauorabilis, & plerumque permiſſus eſt.

8 NOTANDVM V. Qui aliquem ad Prælaturam promouet, debet plenam notitiam habere, quòd idoneus ſit; cùm alioquin graue detrimentum eccleſiæ inferri poſſet. Ita ſumitur ex hoc c. §. Quia verò non plenâ. Eapropter etiam Roman. Pontifex teſtimonia recipere ſolet de moribus & ſcientia, qui in Curia promouentur; præſertim ad epiſcopatus. Videri poteſt Bulla Gregor. XIV. Pontificis, cuius initium *Onus Apoſtolicæ*.

9 NOTANDVM VI. Decens & conueniens eſt, vt aliquis ex eiuſdem eccleſiæ corpore ad Prælaturam aſſumatur, ſi idoneus adſit. Ita colligitur ex hoc c. ibi, *Nec vellemus præficere alienum*, vbi id notat Gl. & ex c. nullus inuitis, 13. d. 61. ex quo textu colligitur, eſſe veluti indicium, in eccleſia ſeu corpore Collegij idoneum non eſſe, ſi alienus ſeu extraneus promoueatur. Verùm tamen cùm id principaliter in fauorem Capitularium cedat, ipſi huic iuri ac fauori renunciare poſſunt, & ex alia eccleſia perſonâ idoneam eligere, aut poſtulare; & quidem laudabiliter, ſi id eccleſiæ ſuæ vtile videatur. Quâ de re in c. cùm nolis 19. & c. cùm inter 21. de elect.

10 NOTANDVM VII. Decens eſt, vt aliquis à minore dignitate ad maiorem tranſeat, ſeu promoueatur, v. g. Epiſcopus ad eccleſiam metropolitanam. Ita ſumitur ex hoc c. iun. Gl. recepta ver. honeſtius, l. vt gradatim 11. ff. de munerib. & honoribus, & c. legimus 24. in fine, d. 93. Ob cauſam verò neceſsitatis, aut vtilitatis, concedi poteſt tranſitus ad dignitatem parem, vti hîc apparet, & colligitur ex c. vlt. de translat. Epiſc.

NOTANDVM VLT. Si Archiepiſcopus ad aliam eccleſiam Metropolitanam, auctoritate Papæ transferatur, aliud nouum pallium petere debet. Ita ſumitur ex textu c. in fine, & notat ibi Gl. recepta ver. pallium, rationem dans, quia *pallium datur perſonæ, ſed contemplatione loci.* Ex quo ſequitur, quòd vterque tam translatus, quàm ſucceſſor in eccleſia metropol. ex qua transfertur, nouum pallium petere debet: Nam pallium, cùm perſonæ datum ſit, non tranſit ad ſucceſſorem: Et cùm perſonæ datum ſit cum ordine ad eccleſias certæ prouinciæ, aut diœceſis, ideo Archiepiſcopo ad aliam eccleſiam Metropolitanam translato vſui eſſe non poteſt, vti ex hoc c. conſtat. Interea rectè monent Innoc. in c. 2. ibid. Ioann. Andr. & Abb. n. 7. quòd Archiepiſcopus translatus pallium ſuum deferat; non vt eo vtatur, ſed vt cum eo ſepeliatur. Quare colligit hinc Innoc. cit. loco, talem Archiepiſcopum cum vtroq; pallio ſepeliendum eſſe; ita tamen, vt poſteriùs acceptum alteri ſuppoſitum ſit: vel ſecundùm quoſdam (quod & conuenientius eſſe videtur) vno tantùm induatur, quod poſteriùs accepit; alterum verò ſubijciatur corpori, aut capiti eius.

CAPITVLVM V.

Poſtulationem.

PARAPHRASIS.

Cùm Capitulum Strigonienſe, vt vidimus in præced. cap. Colocenſem Archiepiſc. vnanimiter poſtulâſſet, ſed aliqui ſe apponerent, contemptum allegantes; ſcripſit Innoc. III. Licèt per poſtulationem huiuſmodi nullum ius ſit alicui acquiſitum, ideóque eam ſine vllius præiudicio reijcere poſſet; tamen ex ſpeciali gratia

ita

ita visum sibi fuisse prouidere, vt vtraq; pars Capitularium discordantium conspectui Apostolico per procuratores idoneos, ad omnia sufficienter instructos, se præsentet; eâque præsente, quod iustum fuerit, Papa decernat.

SVMMARIVM.

1. *Per postulationem, etiam vnanimiter factam, nec postulantibus, nec postulato vllum ius aut propriè dicta actio acquiritur.*

1 NOTANDVM Vn. Per postulationem, tametsi vnanimiter facta sit, nec postulantibus nec postulato vllum ius, aut propriè dicta actio acquiritur: Ideóque postulatio absque cuiusquam iniuria seu præiudicio repelli potest. Ita sumitur ex textu c. Nam, vti apparet in princ. cap. præced. Capitulares vnanimiter Archiepiscopum Colocensem postulârunt; quibusdam alijs, quòd ad electionem vocandos se fuisse dicerent, contradicentibus: Quare si vera esset doctrina, quam Abb. hîc tradit n. 2. Postulatione concorditer facta, aut saltem à duabus partibus Capituli, iniuriam irrogari postulantibus, nisi postulatio admittatur; consequens foret, Papam exigente iustitiâ debuisse de controuersia ista cognoscere; cuius tamen contrarium dicitur in textu; quòd sine vllius præiudicio postulationem repellere posset; attamen ex gratia speciali velle se, vt partes veniant &c. Probatur autem consequens ex eo; quia licèt Episcopus Quinque eccl. & alij, qui è Capitulo nō erant, ius electionis sibi competere asserent, & ideo, quia non vocati, postulationi contradicerent; tamen Capitulares hanc eorum prætensionem negarunt, postulationémque suam vnanimiter & legitimè factam dicebant: Itaque si postulatio vnanimiter facta sine iniuria reiici non posset, exigere iustè potuissent à Pontifice, vt eam, præmissa causæ cognitione, admitteret.

Dicet aliquis: Cur ergo Pontifex ait, quòd de speciali gratia Capitularibus consulendum duxerit. Respondeo, Pontificem in casu illo duas causas habuisse, cur postulationem non immeritò reijcere potuisset. Prima est: quia aliqui se opponebant, & contemptum suum allegabant: qua de re priùs cognosci debuit, & controuersia terminari (si illi in contradictione persisterent) atque interea Pastoris prouisio Metropolitanæ ecclesiæ differri: Altera, quia Pontifex non facilè annuit postulationi eiusmodi, vt Archiepiscopus suâ ecclesiâ relictâ ad aliam metropolitanam ecclesiam transeat: quia honestius est, vt transitus fiat ad maiorem dignitatem, quàm ad æqualem, vti dixit idem Innoc. in c. præced. in fine, & iterum in c. vlt. de translat. Episcopi.

CAPITVLVM VLT.

Etsi vnanimiter.

PARAPHRASIS.

Canonici Calaritani in Archiepiscopum ecclesiæ suæ vnanimiter elegerant Episcopum Sutrinensem. Eam verò electionem, tanquam contra sacros canones attentatam, Honorius III. irritauit, seu potiùs irritam esse declarauit: propterea quòd Episcopus eligi non possit, sed postulari: quippe cùm ecclesiæ suæ alligatus, non priùs episcopatum alium acceptare possit, quàm per Apostolicæ Sedis auctoritatem à priore episcopatu liberatus sit.

SVMMARIVM.

1. *Episcopus ad alium Episcopatum vel Archiepiscopatum postulari potest, sed non eligi.*
2. *Quod tamen intelligendum de Episcopo confirmato. Electus enim ante confirmationem electioni renunciare potest, & consequenter ad aliam ecclesiam eligi.*

1 NOTANDVM I. Episcopus ad alium episcopatum aut archiepiscopatum postulari quidem potest, sed non eligi: Quare si po-

si postulandus eligatur, irrita censeri debet electio. Ita hîc: Idémque colligitur ex c. vn. hoc tit. in 6. vbi vniuersim sermo est de nõ eligendo eo, qui postulari dꝺbet.

Corollarium. Si Canonici aliquem, qui de iure inhabilis est, seu dispensatione indiget, ad episcopatum, aliámue Prælaturam promoueri cupiant, nõ debent in suffragijs, aut in libello Pontifici transmisso dicere; *Eligimus*, aut *elegimus*; sed *postulamus*.

NOTANDVM II. Episcopus veluti spirituali matrimonio copulatus est ecclesiæ suæ, prout etiam habetur in c. sicut vir 41. causa 7. q. 1. & c. 2. de transl. episcopi. In cuius signum annulum gerit, qui vinculum cõiugij significare solet, vti colligitur ex cap. vlt. iun. Gl. ver. annulos, de vita & honest. cleric. Quamobrem sicuti qui matrimonio carnali copulatus est, alteri puellæ spondere non potest, ita nec Episcopus ad aliam ecclesiam transire: consequenter, tanquam inhabilis, eligi non potest; postulari tamen, vt per legitimam Roman. Pontificis auctoritatem à vinculo ecclesiæ suæ liberetur, translatióque concedatur.

Verùm secundùm huius temporis consuetudinem, vnà cum postulatione, alia dispensatio impetrari interdum solet, vt videl. plures Cathedrales ecclesias habere liceat, & in digniore seu ampliore residere.

2 Sermo autem est de Episcopo confirmato: At verò electus, tametsi electionem acceptârit, ideóque veluti inchoatum matrimonium spirituale inter ipsum sit & ecclesiam, iuxta c. cùm inter 21. de elect. & tradit Gl. in cap. vn. ver. vera electio hoc tit. in 6. attamen electioni suæ, priusquam Roman. Pontificis confirmatio accesserit, renunciare, & consequenter ad aliam ecclesiam eligi potest, iuxta cap. si electio 26. de elect. in 6.

Simili ratione qui episcopatui legitimè renunciauit, eligi potest, cùm vinculum prioris ecclesiæ solutum sit vti Abb. hîc notauit num. 7. & tradunt DD. in c. post translationem 11. de renunc.

CAPITVLVM Vn. eod. Tit. in 6.

Perpetuò.

PARAPHRASIS.

Bonifacius VIII. prohibet, ne eligentes aut postulantes Prælatum, talibus verborum formis, quas pernicioſa curiositas adinuenit, vtantur: *Eligo postulando*, vel *Postulo eligendo*: Item. *Eligo postulandum*, *Postulo eligendum*. Cùm enim electio & postulatio disparata, & quodammodo aduersantia sint, sequitur, nec veram electionem ijs verbis significari. Sed & hæc verborum forma reijcitur, *Eligo in postulandum*, aut, *Postulo in eligendum*. cùm rem imperfectam significent. Quòd si vna ex talibus formis, electio vel postulatio facta fuerit, ipso iure irrita erit. Idémque constitutum esse vult de hac forma: *Eligo & postulo prout melius de iure valere potest*, quia incertitudinem continet. Excipitur tamen si probabile dubium existat, num quispiam eligendus sit, nẽne: tum enim dictâ formâ vti poterunt Electores; ita tamen, vt qui electus vel postulatus est, viam electionis vel postulationis (ne in incerto vagetur) tempore consensus (quem intra mensem post factam sibi præsentationem præbere debet c quàm sit 6. de elect. in 6.) determinare teneatur, eáque determinatâ, ad alteram viam prosequendam conferre se non possit.

SVMMARIVM.

1. *Electio & postulatio quodammodo sibi opponuntur. in quo?*
2. *Lex irritans aliquem actum, non trahitur ad præterita, si irritatio primùm per legem introducatur.*
3. *Si existente dubio probabili, num aliquis eligendus, an postulandus sit, Electores eligant & postulent, prout melius de iure valere potest, electus determinare debet, num viam electionis, aut postu-*

postulationis prosequi velit, & facta electione, consilium mutare non potest.

4. *Non vitiatur præsentatio, si patronus dicat, Eligo Titium clericum præsentandum.*

5. *Tutius est, vt forma scrutinij, & alia requisita ad electionem canonicam seruentur etiam in postulatione; necessarium tamen esse non videtur.*

1 NOTANDVM I. Electio & postulatio inter se aduersantia, & quodammodo oppositа sunt. Ita hîc, & in c. vlt. eod. tit. in antiquis, iun. Gl. fin. vbi habetur, quòd eligendus postulari non debet; nec postulandus eligi. Consistit autem oppositio potissimùm in eo, quòd eligentes profitentur nullum defectum esse in electo, & ideo per electionem, accedente consensu eius, ius ipsi tribuendum. At verò postulantes profitentur defectum in postulato; atque ideo non posse eum consensum absolutũ, siue non relatum in Superioris dispensationem, præbere, c. innotuit 20. hoc tit. & videri potest Abb. in cit. c. vlt. n. 11. Quasimili ratione, qui impedici sunt matrimonium contrahere v. g. consanguinei in tertio gradu, licèt sponsalia absolutè contrahere non possint, tamen sub conditione Papalis dispensationis, consentire, & spondere non prohibentur, prout docui lib. 5. mor. Th. tract. 10. p. 2. c. 7. n. 4.

2 NOTANDVM II. Lex irritans aliquem actum non trahitur ad præterita; si irritatio primitus per legem introducatur. Hæc doctrina constat ex c. vlt. de Constit. & videri potest Suarez lib. 3. de legibus, c. 14. n. 11. vbi admonet, rarum esse, vt lex de nouo irritans actus, extendatur etiam ad præteritos, qui validi fuerunt: Quare nec id præsumendum, nisi in lege satis expressum sit; dummodò actus per humanam potestatem rescindi possint.

Sumitur autem eadem doctrina ex isto cap. Tametsi enim canon iste Bonifacij VIII. sit aliquo modo declaratorius iuris antiqui, prout hîc DD. communiter tradunt, cum Gl. ver. de cætero, Nauarr. in c. si quando, excep. 21. n. 5. de rescript. quatenus videl. declaratur, eas eligendi & postulandi formas, minùs conuenientes, atque perniciosa curiositate inuentas fuisse; quia tamen antea non extabat lex ecclesiastica, per quam eæ formulæ clarè reprobarentur; atque ideo iuxta multorum Doctorum opinionem, & praxin, in ecclesiis olim vigebant, prout colligitur ex c. post translationem 11. de renunc. Glossa fin. in c. vlt. hoc tit. in antiq. Ideo nequaquam existimandum, electiones ac postulationes iuxta aliquam harum formarum factas, irritas fuisse: Et potest hîc regula tradi cum Gl. ver. de cætero, quam plerique sequuntur, nominatim Francus n. 4. Suarez in cit. c. 14. n. 5. Si actus sit irritus non ex natura rei, sed considerata lege positiua, quæ tamen clara non est: & idcirco communi opinione, aut praxi, pro valido habeatur actus, tùm propter probabilem ignorationem, ipso iure succurri, & sustineri actum; propter multas, quæ alioquin sequi possent, difficultates.

QVAERIT hîc Anton. de Butrio: Cùm in aliis causis cumulatio eorum, quæ oppositionem aliquâ habent, admittatur cum clausula, *prout melius de iure valere potest*; Ex. caus. in vltimis voluntatibus; *Si dispositio non valet iure testamenti, valeat iure codicilli*, l. 1. ff. de iure codicill. Et in eodem libello nullitas, & restitutio in integrum sub alternatione peti potest, iuxta c. constitutus 8. de in integrum restit. Similitérque sententiæ nullitas, aut iniustitia, prout colligitur ex l. si expressim 19. ff. de appellat. Cur Pontifex in casu electionis & postulationis, dictam cumulationem reiecerit? Arbitror respondendum; Ex rei natura non posse certam rationem assignari, sed probabilem, & congruentem rationem, cur Bonifacius VIII. ita declarare, & decernere voluerit: Propterea quòd potestas eligendi, & potestas postulandi sint iura quædam, siue beneficia prouenientia ab Ecclesia, & ideo summo eius Pastori Romano Pontifici plenariè subiecta, qui proinde formam, modúmque eligendi, ac postulandi liberè præscribere potest, ita vt nisi forma ea obseruetur, esto de mente eligentium aut postulantium satis constet, actus corruere debeat.

3 NOTANDVM III. Si existente dubio probabili, num aliquis eligendus an postulãdus sit, Electores eligant & postulent, prout meliùs de iure valere potest, electus determinare debet, num viam electionis, an postulationis prosequi velit: & facta electione, consilium mutare non potest. Ita hîc Bonifac. VIII. Ratio dari debet, quia in eiusce modi negotiis expedit, & congruum est, vt consensus siue acceptatio feratur in rem certam, & non dubitatam. Simile quiddam habetur in c. vt quis duas 26. de elect. in 6. & in l. eum qui, 51. ff. de acquir. vel omitt. hæred. vbi dicitur interprete Bartolo, non posse aliquem adire hæreditatem, si de viribus testamenti dubitet. Et bene admonet Francus hîc n. 2. non rarò accidere, vt, tametsi institutio actus in origine admittatur cum incertitudine, certificari tamen debeat in sui perfectione, & executione.

Pro confirmanda doctrina huius not. adduci potest reg. iuris 21. in 6. *Quod semel placuit, amplius displicere non potest.* Quæ tamen regula, vti ibid. Gl. Dynus, & alij tradunt, minimè vniuersalis est; sed in quibusdam locum habet, in quibusdam non habet; sicuti & ista regula: *Ex duobus incompossibilibus vnum eligens variare deinde potest.* Et multùm ea res pendet ex iurium constitutione, cuius tamen plerumque ratio congruentiæ reddi potest. Exempli causa, qui ad Prælaturam electus semel consensum dedit, ante impetratam confirmationem resilire potest, & dissentire, prout colligitur ex c. 2. de translat. episc. in fine, iun. Gl. ver. perdurante, & tradit Gl. in cit. reg. 21. in 6. Quia per consensum nulli alteri ius acquisitum fuit; ideóque dissensus in nullius præiudicium, sed nec in damnum ecclesiæ cedere videtur. Item in contractibus, si promissus, aut venditus tibi sit equus v. g. quem ex tribus elegeris, & si vnum elegisti, potes tamen recedere ab optione, & alium præferre: si traditione nondum facta, res adhuc integra sit, nullúmque aliud damnum promissori, aut venditori eueniat, iuxta l. eum qui 138. §. cùm purè, ff. de verb. oblig. Contrà verò, qui aduersario, coram Iudice suo, promisit, se in iudicio cum ipso litigaturum, recedere non potest absque contumacia, cap. 1. de iudiciis; quia aduersario ius aliquod acquisitum censetur; ideóque locus est regulæ iuris ff. 76. *Nemo potest mutare consilium suum in alterius iniuriam.* Similiter in hæreditatis aditione, vel repudiatione: posteaquam enim hæres institutus voluntatem suam adeundi, vel repudiandi declarauit, mutare deinde non potest: cùm mutatio fieri non possit sine aliorum præiudicio: Nisi quòd ætate minoribus per restitutionem in integrum succurratur, l. si maior 4. C. de repud. hæreditate. Idem quoque in legatis accidit, prout habetur in l. 5. ff. de legatis 1. *Serui electione legata, semel duntaxat optare possumus.* Et l. apud Aufidium 20. ff. optione & elect. legata, vbi & ratio adiungitur: Quia si legatarius rem vnam ex ijs, quarum optio ipsi facta, eligat, mox eius dominus efficitur; ideóque electio executionem secum trahit.

Restant circa materiam huius c. & vniuersim de postulatione, pauculæ quæstiones: PRIMA. Num vitietur præsentatio, si patronus dicat, *Eligo Titium clericum in præsentandum.* Respondetur negatiuè, cum Ioann. Andr. hîc col. 1. Anton. n. 7. Franco n. 1. & aliis. Cùm enim præsentatio diuersa sit ab electione & postulatione, neque eisdem iuris regulis definiatur, ideo quæ hîc de electione, & postulatione dicta sunt, ad præsentationem transferri non possunt, argum. c. vlt. iun. Gl. ver. ex vi iuris patronatus, de iure patron. Si itaque constet de voluntate patroni præsentare volentis, ea verborum forma sufficiens censeri debet. 4

ALTERA. Quod in hoc c. dicitur de dubio probabili, num accipi duntaxat debeat de dubio facti, an verò etiam de iuris dubio? Priorem partem quæstionis tenet Gl. hîc ver. probabiliter. Sed contrarium puto esse dicendum, cum Franco hîc n. 6. Cùm enim canõ iste indistinctè loquatur, *nisi quando probabiliter dubitatur vtrùm quis sit eligendus, vel potiùs postulãdus*, nostrũ non est restringere ad dubium facti; cùm nulla sit restringendi necessitas: quandoquidem etiam *probabile dubium super iuris intellectu excusat*, existen-

existentibus diuersis doctorum virorum opinionibus, ait Francus cit. loco, ex c. vt debitus 59. de appellat. Idque in eundem finem allegat Ioan. Andr. in fine huius c.

5 TERTIA. Num in postulatione necessariò obseruanda sit forma cap. quia propter 42. de elect. vt videl. præmittatur scrutinium, & alia requisita ad electionem canonicam; An verò sufficiat concordia postulantium, & publicatio postulati, saltem coram populo? Priorem quæstionis partem tenet Abb. in cit. c. quia propter, n. 9. q. 2. post Innoc. in c. in causis n. 1. de elect. Ratio dari potest: Quia electio & postulatio in iure æquiparantur, prout docui suprà in cap. 1. hoc tit. not. 6. Posteriorem verò partem amplexus est Cardin. Hostiens. in summa huius tit. § Verum quod in postulatione, Frâcus hîc n. 3. Syl. ver. postulatio, quæst. 2. cum quibus dicendum; Licèt tutius sit, propter prioris sententiæ probabilitatem, vt forma scrutinij, &c. obseruetur, tamen necessarium id non videri: Quod eo etiam argumento colligit Syluester: quia si in postulatione non minùs, quàm in electione, opus esset formare decretum, & alia agere, tunc postulantes resilire non possent à postulatione, antequam ea Superiori præsentata est, sicuti nec eligentes ab electione: Id tamen falsum esse, dixi in c. bonæ 4. hoc tit. not. 4. Ad rationem pro priore sententia allatam responderi debet: Electionem & postulationem non censeri æquiparatas in ijs, quæ ad essentiale earum discrimen pertinent, vel inde oriuntur: Tale autem hîc cernere licet: siquidem per electionem legitimè factam ius electo, post eius consensum, acquisitum est; ita vt Superior ipsi confirmationem impartiri teneatur; Non item per postulationem, prout ex communi docui in c. 3. & c. vlt. hoc tit. in antiq. Ex quo sequi videtur, quòd, cùm electio maioris efficaciæ sit, seu maioris potestatis actus, maior etiam ad eam solemnitatis forma requiratur: quemadmodum & ad testamentum, tanquam perfectius quid, maior solemnitas in iure requiritur, quàm ad codicillum, aliámue vltimam voluntatem.

TITVLVS VI.

DE ELECTIONE, ET ELECTI POTESTATE.

SVMMARIVM.

1. *Electio tribus modis accipitur.*
2. *Propriè accepta est persónæ idoneæ ad ecclesiæ vacantis pastoralem dignitatem canonica vocatio.*
3. *Electio ita accepta in quo differat à præsentatione.*
4. *In quo à collatione siue prouisione libera beneficij.*
5. *In quo à nominatione.*

POst Prælatorum postulationem agitur hîc de altero, eóque ordinario modo assumendi personas idoneas ad ecclesiasticam Prælaturam; videl. de electione. Electio canonica, siue ecclesiastica tribus modis accipi solet: I. Latissimè, pro quacunque vocatione aut institutione clerici ad ecclesiasticum beneficium: quomodo legimus in c. cùm ecclesia 51. hoc tit. collationem canonicatus *electionem* appellari; cùm potiùs creatio canonici vocanda sit. Sed & pro præsentatione clerici ad beneficium nomen electionis vsurpatum reperitur in c. querelam 24. hoc tit. & c. nosse 12. & seqq. d. 63. quibus in locis ius eligendi, id est, nominandi; postulandi, aut præsentandi populo tribuitur.

II. Lata acceptione beneficium electiuum appellatur omne illud, ad quod alicui ius tribuitur per suffragia, & subsequentem alterius confirmationem, iuxta c. dudum 22. hoc tit.

vbi id annotauit Ioan. Andr. num. 35. Imola n. 4. Quomodo in quibusdam ecclesiis, etiam Cathedralibus, dignitas, v.g. Decanatus, aut Præpositura, electiua est, & confirmatio ad Episcopum spectat.

2 III. Secundùm strictam & propriam significationem, definiri solet electio, *Personæ idoneæ ad ecclesia vacantis pastoralem dignitatem canonica vocatio*, apud Goffr. & Hostiens. tit. de elect. Atq; hæc pastoralis dignitas alio nomine *prælatura* vocatur, in qua aliquis instituitur, vt sit Caput Collegij ecclesiastici, ac veluti sponsus ecclesiæ seu secularis, seu regularis.

3 Electio ita accepta à præsentatione variis modis distinguitur: Primò, Ius præsentandi, seu ius patronatûs, quod itidem spirituale est, ex gratuita Ecclesiæ concessione, ad laicos etiam pertinet, qui patroni sunt, id est, fundatores, constructores, aut dotatores ecclesiarum, aut beneficiorum, cap. piæ mentis 26. causa 16. quæst. 7. & in Trident. Sess. 14. cap. 12. de reform. At verò ius eligendi laicis Ecclesia concedere non solet, prout infrà dicetur, hoc tit. Secundò, per electionem publicatam acquiritur ius electo, saltem remotè: quia eius consensus requirendus est; quem si præstiterit, verè ius aliquod habet, ita vt confirmationem, si idoneus sit, postulare possit. Non ita euenit in præsentatione: Nam si patronus laicus aliquem collatori ordinario præsentauit, non prohibetur alterum quoque præsentare, cap. cùm autem 24. de iure patr. Eritque in arbitrio collatoris, quem eorum instituere malit. Tametsi verò in ecclesiastico patronatu talis optio collatori seu institutori non detur; sed qui primò præsentatur, institui debeat, cit. cap. cùm autem, tamen adhuc differentia est inter præsentationem hanc & electionem: Nam si Capitulum v. g. ius præsentandi habeat, & capitulariter consentiat in præsentationem Titij; re integra, seu præsentatione nondum facta Superiori, siue Collatori, resilire poterit, & alium præsentare: At verò electionis scrutinium, posteaquam in Capitulo publicatum fuit, reuocari amplius non potest, cap. publicato 58. hoc tit. Tertiò, Electio intimanda est electo, priusquàm ea ad Superiorem deferatur; vt vid. appareat, num consentire velit, necne, cap. quam sit 6. hoc titulo in 6. Ad præsentationem autem, quippe quæ per se ac directè ad collatorem seu institutorem dirigitur, nihil interest, vtrùm præsentatus antè consenserit, necne; cùm per consensum ipsius, saltem præsentatione Collatori nondum facta, nullum ei ius acquisitum fuerit, prout paulò antè dictum in 2. discrimine.

4 A libera beneficij collatione, seu prouisione distinguitur electio; quòd per hanc non acquiritur ius in re & quasi dominium beneficij; sed tantùm ius ad rem, posteaquam electio acceptata est ab electo, prout ex communi notauit Anton. de Butrio cap. in nostra, num. 25. 26. de rescript. At verò per collationem, seu prouisionem acquiritur quasi dominium, & ius reale in beneficio, v. g. episcopatu, si à Pontifice propter reseruationem iuxta Extrauag. ad Regimen, de præbend. aut propter deuolutionem iuxta cap. quamquam 18. hoc tit. in 6. alicui liberè collatus fuerit: Etsi fortè possessio nondum acquisita, prout constat ex c. si tibi absenti, 17. de præb. in 6.

Hinc existit I. Si electus ante confirmationem moriatur, quòd Prælatura vacare censeatur per mortem non huius electi, sed prioris Prælati, prout ex communi tradit Ioann. Selua de benef. p. 3. q. 1. n. 6. Sin autem prouisus in beneficio, ante possessionem acquisitam, è viuis excedat, beneficium vacare censebitur per mortem eius; quandoquidem beneficium, quo tempore ipsi collatum, ab eóque acceptatum fuit, de iure vacare desierat, consequenter per mortem eius de nouo vacat, prout tradit Gl. recepta Clement. 1. ver. collato, Vt lite pendente &c. Selua cit. q. 1. n. 13.

Existit II. Quòd electus ante acceptam confirmationem in beneficio, aut Prælatura, liberè, seu non requisito Superioris consensu, renunciare possit, argum. c. ad audientiam

31. de

31.de rescript.& tradit Gl. communiter recepta in c. si electio 26.hoc tit. in 6. Gl.in c. 2. ver.renunciauit,de in integr. restit. Selua cit.q. 1.n.7.Sin autem beneficiarius,præsertim ecclesiæ Prælatus,ius habeat in beneficio per confirmationem, aut quamcunque institutionem,renunciare valide non potest, nisi in manu Superioris,aut ordinarij collatoris,iuxta c.admonet 4.de.renunc.& c. non oportet 19.c. si qui verò 23.causa 17.q.1.

Existit III. Quòd electus,ante acceptâ confirmationem, beneficium aut prælaturâ administrare non possit,iuxta c.qualiter 17. hoc tit. c.auaritiæ 5.eod. in 6. Post confirmationem autem, aliámue collationem, seu verbalem institutionem, non tantùm administrare beneficium potest beneficiarius,sed etiam eius possessionem propriâ auctoritate, dummodò de facto vacet, capere; nisi consuetudo ecclesiæ vigeat,vt per personas ad id deputatas in possessionem introducatur,siue installetur, vti dicetur in c. ad hæc 7.de offic. Archidiaconi.

5 Denique à nominatione differt electio, quòd per hanc, postquam acceptata est, acquiritur ius electo, vt suprà dixi, & constat ex c. cùm inter 21. hoc tit. Non ita verò per nominationem, iuxta c. quod sicut 28. hoc tit. Est autem nominatio duplex: Vna, quæ fit ante electionis scrutinium, si vnus, vel plures in Capitulo proponantur, tanquam viri boni, & idonei ad Prælaturam. Quâ tamen nominatione non obstante,Capitulares alium eligere possunt, cit. c. quod sicut 24. hoc tit. Altera nominatio præsentationi similis est, si duo vel tres Superiori seu collatori proponantur,ex quibus vnum eligere aut admittere debeat. Cuiusmodi nominandi consuetudo in cit.c.quod sicut, reprobatur,si fiat erga laicum, quippe qui iuris electionis incapax est. Quod intellige iure proprio. Verùm ex Summi Pontificis commissione & priuilegio speciali, nihil obstat tale ius Principi laico competere.Sic enim v. g. in regno Granatensi duo Regi nominantur, quorum vnum ipse eligit, & admittit ad Prælaturam, teste Couarr. in 4. decret.p.2 cap.3.§.5.n.9. In Gallia autem Rex, ex Apostolicæ Sedis concessione ius habet viros idoneos nominandi ad ecclesias Cathedrales, & plerasque Prælaturas, per concordata inter Leonem I. & Franciscum I. apud Tamburin.tom.1.q.7.

CAPITVLVM I.

Nullus.

PARAPHRASIS.

In ecclesia, seu Congregatione ecclesiastica Prælatus per congregatorum seu Capitularium electionem præfici debet. Sin verò aliter quis ecclesiam assecutus sit, tanquam qui per cupiditatem, & contra canonicæ regulæ disciplinam ingressus, remouendus est.

SVMMARIVM.

1. *Ad cuiuscunque Congregationis ecclesiasticæ & secularis constitutionem requiruntur minimùm tres personæ,*
2. *Vna ex his si moriatur,aut inde abeat; manet adhuc Collegium, sed quodammodo imperfectum. Vno solo remanente,non manet Collegium actu: iura tamen collegialia in ipso solo persistent, donec alij accesserint.*
3. *Non potest quidem hic vnus seipsum eligere in Prælatum; potest tamen nominare aliam idoneam personam in Prælatum. Consultius tamen faciet, si in alios compromittat, vel etiam in vnum v.g. Episcopum, cui Collegium subiectum est.*
4. *Ad populum constituendum requiruntur personæ minimùm decem; iura tamen populi, seu eius Vniuersitatis etiam in vno conseruantur.*
5. *Si omnes è Collegio seu Vniuersitate mortui sint,ius eligendi & similia iura ac priuilegia corporalia extinguuntur; non item realia, quæ per se directè loco siue rei competunt, hæc enim conseruantur etiam in solo,si ædificium dirutum sit.*

6. *Ad cuiuscunque sacri corporis seu Cõgregationis, videl. Monasterij, Collegij, aut Ecclesiæ Collegiatæ constitutionem requiritur, vt vnum caput habeat.*
7. *Ecclesia particularis potest esse pars ecclesiæ magis vniuersalis, & tunc illius ecclesiæ particularis possunt esse plures pastores, sed inuicem subordinati, ita vt vnus alteri subijciatur.*
8. *Si quis non canonicè sit ad Prælaturam assumptus, eius electio est irrita, & censetur intrusus.*
9. *Per legitimam præscriptam consuetudinem obtineri potest, vt ius eligendi ad alios clericos pertineat, qui è Capitulo aut Corpore ecclesiæ non sunt.*
10. *Possunt Electores ius suum eligendi pro vna vice in alium v. g. Episcopum suum conferre; abdicare autem illud vniuersim & absolutè Capitulares non possunt.*
11. *Possunt ijdem quemlibet Clericum extraneum nullâ censurâ irretitum &c. ex communi consensu secum ad eligendum admittere, saltem pro vna vice.*
12. *In fundatione ecclesiæ statui potest cum consensu Episcopi, & acceptatione, vt electio aut nominatio Prælati pertinere debeat ad alterius ecclesiæ Prælatum, aut Conuentum, vel ad ipsum patronum ecclesiasticum.*
13. *Olim consuetudo erat, vt ad plebem nominatio seu postulatio Episcopi, ad Clerum verò electio spectaret, quæ tamen postea propter multum abusum est sublata.*
14. *Laicis non potest ex pacto, fundatione, aut quâuis concessione ius eligendi competere, excipitur tantùm auctoritas Sedis Apostolicæ.*
15. *Et hoc ius eligendi, multóque magis ius beneficia (etiam manualia) conferendi, neque per immemorialem consuetudinem præscribi potest à laicis.*
16. *Qui ab ipsis beneficia accipiunt, excommunicationi subiacent, & insuper electio, collatio, aut institutio irrita est.*
17. *Idem est de iure destituendi; tam enim destitutio, quàm institutio ecclesiastici iuris & potestatis est, quæ in laicum non cadit.*
18. *Causa, cur Ecclesia ius præsentandi laicis concesserit, non autem eligendi est, quia ius electionis magis spirituale est, quàm præsentationis.*

NOTANDVM I. Interdum clerici deseruiunt ecclesiæ alicui duntaxat vt personæ, seu beneficiarij singulares, diuersis officijs, aut ministerijs destinati, quamuis vni alicui v. g. Parocho subiecti sint. Et hi non efficiunt vnum corpus, collegium, siue congregationem; quare nec commune sigillum habere possunt, c. dilecta 14. de excess. Prælatorum; Neque vnum communem Procuratorem, siue Syndicum constituere, l. 1. §. 1. ff. Quod cuiusque vniuersitatis &c. & tradit Gl. recepta in cit. c. dilecta, ver. nec vnum corpus. Interdum verò clerici sunt in ecclesia vt fratres, seu collegium, congregationem, vnum corpus ecclesiasticum constituentes: quæ dici solet ecclesia collegiata, cuius Caput est Prælatus, qui à Congregatione seu Collegio eligi debet, vti hîc dicitur, & in c. vlt. causa 16. q. 7. & c. Abbatem cuilibet 3. & c. Abbatem in Monasterio 4. causa 18. q. 2.

QVÆSTIO est: Quot personæ requirantur ad Collegium, seu Congregationem ecclesiasticam constituendam? Variè hac de re loquuntur DD. vti videre est in Gl. hîc ver. duo, Baldo n. 3. Abb. n. 5. Respondeo autem & Dico I. Vt Collegium, seu Congregatio quæcunque constituatur, tres minimùm personæ requiruntur. Ita habetur in l. Neratius 85. ff. de verb. signif. & tradit Gl. ibid. Bartol. in l. Prætor, ff. de vi bonorum raptorum. Idémque tradit Vlpianus de familia domus in l. detestatio 40. ff. de verb. signif. quòd *duo non faciunt familiam*; sed minimùm tres requiruntur. Ratio dari debet: Quia ad familiæ constitutionem requiritur, vt patremfamilias habeat, qui sit veluti Caput familiæ: si autem duæ tantùm personæ sint, præter Caput nó erit nisi vnicum membrum, quod absurdum videri

videri debet Eodem autem modo ratiocinari licet de Collegio seu Congregatione ecclesiastica: siquidem, vt ex hoc c. colligitur,& infrà iterum dicam, in ea Caput, seu Prælatus esse debet; & ita præter Caput,nõ erit nisi vnum membrum. Confirmatur: In Collegio seu Congregatione ecclesiastica, in qua ius Prælatum eligendi iuxta hoc c. residet,debet esse Capitulum, vti constat ex tit.Libri 3. decretal. De his quæ fiunt à Prælatis sine consensu Capituli: Vbi autem duæ personæ sunt, quarum vnus Prælatus, non potest esse Capitulum,seu Conuentus Capitularis: Cùm Capitulum personarum collectionem significat; atque, vt ex iam dicto tit.decret. constat, Prælatus à Capitulo distinctus est: Quare etiam Gl.ait in Clem. Vt ij qui, ver. in eisdem, de ætate & qualit. *Prælatus & Capitulum diuersa sunt, & nomine Capituli non comprehenditur Prælatus.*

Et hæc quidem specialiter dicuntur de Collegijs sacris seu Ecclesiasticis, quæ, vt infrà dicam, vnum corpus congregationis non efficiunt, nisi quatenus vnum Caput habent: Sin autem sermo sit de alijs politicis corporibus, congregationibus, seu collegijs,ad quorum statum non requiritur,vt vnum Rectorem seu Caput habeant, nihilominus sentiendum est, ad eiusmodi Collegij constitutionem duas personas non sufficere: Quia si Collegium sine Capite seu Rectore permansurum sit, debet habere in se aliquam vim seu potestatem coërcitionis, saltem modicæ, argum. l.vlt. Cod. de iurisd. omn. Iudicum. Id autem fieri non potest, si tantùm duo in Collegio sint: quia puniens debet esse fortior eo, qui puniendus est: siue, vt alijs verbis dicatur, vnus facilè resistet alteri, & puniri se non patietur: Imò, si alter etiam delinquat, vicissim vnus ab altero puniri debebit: Itaque ad cuiusq; Congregationis constitutionem requiri videtur, vt tres minimùm personæ sint.

2 Dico II. Si Collegium ex personis minimùm tribus constitutum sit, & vnus moriatur, aut à Societate abeat, manet Collegiũ, sed quodammodo imperfectum: Tametsi enim Collegium in duobus inchoari, seu constitui non possit, tamen permanere potest; quia plus plerumque requiritur ad rei alicuius generationem seu primam constitutionem, quàm ad eiusdem conseruationem. Porrò in hoc ipso casu vnus alterum Rectorem eligere non prohibetur, si is consentiat, prout docet Ioan. Andr. in reg. 80. in 6. Sin autem vnus solus remaneat, non erit Collegium actu; quippe cùm Collegium plurium personarum collectionem significet: nihilominus iura omnia collegialia in ipso solo persistent, donec alij accesserint, prout docet Glossa in suprà cit. l. Neratius, & habetur in l. sicut 7. §. In decurionibus, ff. Quod cuiusque Vniuersitatis nomine agetur, ibi; *Cùm ius omnium in vnum reciderit, & extet nomen Vniuersitatis:* id est, *memoria,* inquit ibi Gl. *nec tamen res: quia vnus non est vniuersitas, nec vniuersi, aut vniuersus.* Ex quo sequitur, etsi is vnicus, alijs omnibus mortuis, eligere seipsum nequeat; quòd tamen possit eligere seu potiùs nominare aliam idoneam personam in Prælatum; cùm ius electionis in ipsum reciderit: Consultiùs verò aget, si in alios cõpromittat, vel etiam in vnum, v. g. Episcopum, cui Collegium subiectum est, iuxta c. causam 8. hoc tit. 3

Simili ratione ad populum constituendum, requiruntur personæ minimùm decem, argum. c. vnio 3. causa 10. q. 3. iun. Gl. ver. mancipia, & l. Prætor 4. ff. de vi bonor. raptor. Quòd si aliqui moriantur, vt pauciores decem sint, dummodò aliqui remaneant, nominabitur adhuc populus: Sin autem ad vnicum deueniatur, non erit quidem populus, aut plebs, iura tamen populi, seu vniuersitatis eius in ipso conseruabuntur, iuxta cit. l. sicut, §. In decurionibus. 4

Dico III Si omnes è Collegio, seu Vniuersitate mortui sint, ius eligendi, & similia iura ac priuilegia corporalia seu collegialia extinguuntur. Quæ est receptissima DD. sententia, prout fusè ostendi in Censura Astri inextincti p. 2. cens. 8. & antea docueram in quæst. canonicis de Prælat. eccles. siast. elect. q. 18. Loquor autem de iuribus, 5

quæ

quæ ipsi Corpori seu Congregationibus per se insunt, & *corporalia*, aliàs communiter *personalia* appellari solent; cuiusmodi etiam sunt tituli beneficiales, prout latè explicaui in cit. Censur. p. 2. cens. 5. & cens. 7. Secùs autem dicendum de iuribus ac priuilegijs localibus, adeoque realibus, videl. quæ per se ac directè loco, siue rei competunt, videl. ciuitati, academiæ, monasterio, ecclesiæ; quatenus eæ voces pro materiali structura accipiuntur, prout explicaui in cit. cens. 7. in princ. Hæc enim iura, omnibus membris Vniuersitatis seu Collegij vitâ defunctis, vel abscedentibus, iuríque renunciantibus, conseruantur, atque remanere censentur, etiam in solo, si ædificium dirutum sit, l. æde sacra 73. ff. de contrah. empt. c. hoc diximus 9. iun. Gl. ver. destructa, causa 16. q. 7. tradit Abb. in c. 2. n. 12. de postul. Prælat. & dixi latiùs in suprà cit. p. 2. cens. 6. fol. 71.

Contra doctrinam huius not. obijcitur, quòd in hoc cap. significari videatur, duos Congregationem, aut Collegium efficere posse, *Nullus in ecclesia, vbi vel tres fuerint in Congregatione &c.* Ob hanc causam Gl. hîc & Innocent. distinguunt inter Congregationem, & Collegium, ad illam aiunt sufficere duos; ad Collegium autem constituendum requiri tres. Quæ tamen distinctio nullum iuris, aut rationis fundamentum habet. Abbas verò n. 6. & multi alij Canonistæ putant, spectato iure canonico, duos clericos sufficere ad collegiũ ecclesiasticum, seu collegiatam ecclesiam constituendam; de iure autem ciuili tres personas necessarias esse. Sed non placet hæc distinctio: quia à iure ciuili recedendum non est, nisi à canonico immutatum reperiatur, iuxta ea quæ dixi in c. 1. de constitut. Cùm itaque iure ciuili, & quidem conuenienter rerum naturæ, vti suprà ostendi, vniuersim decretum fuerit, ad Collegij constitutionem tres minimùm personas requiri, idem secundùm ius canonicum dicere conuenit: quandoquidẽ in eo nihil contrarium reperire licet. Respondetur enim ad obiect. ex hoc c. desumptam; Quòd Lucius Papa, huius c. auctor, alludens ad verba Christi Dñi Matth. cap. 18. v. 20. *vbi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum*, Capitulum seu Congregationem indigitare voluerit, cui ius competat viduatæ ecclesiæ per electionem prouidendi. Quòd si mordicus aliquis inhærere velit alternatiuæ, *duo vel tres*, fatemur, etiam in hoc ipso casu ecclesiæ collegiatæ vacantis, non tantùm in tribus, sed etiam in duobus Capitulum conseruari, quod proinde electionem propriè dictam, & canonicam, secundùm viam scrutinij (adhibitis extraneis scrutatoribus, prout in hoc casu concessum est) instituere queat, paulò antè docui in hoc ipso not. 1. dicto 2.

NOTANDVM II. Ad cuiusque sacri corporis seu congregationis, videl. Monasterij, Collegij, aut ecclesiæ collegiatæ constitutionem requiritur, vt vnum Caput habeat. Ita sumitur ex hoc cap. Siquidem per ecclesiam, in qua duo vel tres sunt congregati, intelligitur ecclesia collegiata, vti bene Abbas antiquus annotauit in fine huius c. Per Presbyterum autem eligendum intelligitur Prælatus, prout Innoc. hîc & alij omnes explicant. Cùm itaque intentio Pontificis sit hîc definire, per quem, seu per quos ecclesijs collegiatis Prælatus præficiendus sit, supponit vtique in ijs debere esse Prælatum, seu Caput Collegij. Videri possunt canones in decreto Gratiani causa 18. q. 2.

Eandem doctrinam, quæ certissima est, pluribus in locis tradidi in Censura astri inextincti; Quòd ad omnem ecclesiam, seu Christi fidelium congregationem sacram, requiritur, vt vnum visibile Caput habeat: hoc ipso, quòd similitudinem & analogiam humani corporis gerere debeat, secundùm Apostolum ad Rom. cap. 12. v. 4. Itaque sicut corpus humanum non est sine vno aspectabili Capite: ita nulla ecclesia Christiana sine vno visibili Pastore seu Rectore: aut si eo per mortem aut cessionem destituta sit, orbata & viduata dici debet. Sine *vno* inquam: quia vnius ecclesiæ non possunt esse duo Pastores seu Rectores, inter se non subordinati; sicuti & vnius humani corporis non possunt esse duo Capita, nisi sit monstrum. Quæ est ratiocinatio & doctrina Alexandri

lexandri III. Papæ in Concil. generali Lateran. c. quoniam 14. de offic. Ordinarij, & explicaui in allegato tract. p. 2. cens. 42. Videri etiam de hac re potest Ascanius Tamburinius tom. 1. de iure Abbatum disp. 5. q. 22.

Aduertendum porrò est, quòd vnum corpus morale, videl. ecclesia particularis possit esse pars ac veluti membrum corporis seu Ecclesiæ magis vniuersalis: tum verò particularis eius ecclesiæ plures Pastores, seu Capita erunt; sed inuicem subordinata, ita vt vnum alteri subijciatur. Hoc ipsum manifestè cernitur in Ecclesia vniuersali, ecclesias particulares in se tanquam partes & membra sua complectente. Quamobrem Ecclesiæ Collegiatæ clerici v. g. plures ordinarios Pastores habent, videl. Præpositum siue Decanum, Episcopum, si ecclesia exempta non sit: atque summum Pontificem. Simili quodam modo accidit in Ordinibus seu Religionibus Mendicantium, vt singula Monasteria, aut Collegia proprium immediatum Præpositum, Priorem, Guardianum, vel Rectorem habeant; mediatè verò subsint Prouinciali; ac postea Generali Ordinis. Propter quam subordinationem ac dependentiam ab vno generali Capite, exercente gubernationem, atque iurisdictionem in omnes prouincias, & prouinciarum singula Monasteria, aut sacra Collegia, accidit, vt vnum sit corpus totius Religionis: eáque vnitas tantò maior, ac perfectior est, quantò maior tum dependentia & influxus Pastorum superiorum in inferiores seu subordinatos; tum verò membrorum inter se coniunctio, bonorum, iuriúmque communicabilitas, vti latiùs explicaui in Cens. Astri inextincti p. 1. loco 6.

8 NOTANDVM III. Si quis non canonicè, siue contra canonum præscripta ad prælaturam assumatur, videl. ab ijs, qui ius eligendi non habent, irrita est promotio. Imò talis intrusus censeri debet, qui non per legitimam electionis viam, prælaturam assecutus est. Sed etsi ij, quibus eligendi ius competit, postea per transactionem vel similem modum ratificare velint electionem vitiosam, factam ab ijs, qui ius eligendi nō habuerunt, non possunt tamen id agere, teste Gl. recepta in c. dudum 22. ver. electionis tempore, hoc tit. & sumitur ex reg. 29. ff. *Quod ab initio vitiosum est, non potest tractu temporis conualescere.*

Atque hæc vera sunt spectato communi iure, & primæua ecclesiastica institutione, vt ius eligendi Prælatum ad Capitulum seu Congregationem pertineat; quod ius in Germaniæ nostræ prouinciis adhuc hodie retinetur, propter Concordata inter Nicolaum V. Pontificem, & Fridericum III. Imperatorem.

QVÆSTIO prima. Vtrûm ius eligendi Prælatum etiam aliis clericis, qui è Collegio non sunt, competere possit? Respondeo & 9
Dico I. Per legitimè præscriptam consuetudinem obtineri potest, vt ius eligendi ad alios clericos pertineat, qui è Capitulo aut Corpore ecclesiæ non sunt, vti constat ex c. bonæ 4. de postul. Prælat. cap. quod sicut 28. hoc tit. & c. 2. de in integr. restitut. & dixi suprà in cit. c. bonæ not. 1. Similitérque per priuilegium summi Pontificis id à clericis obtineri posse, certum est, & patebit ex seq. q.

Dico II. Electores ius suum eligendi pro 10
vna vice in alium, v. g. Episcopum suum, conferre non prohibentur, c. causam 8. hoc tit. Sed vniuersim & absolutè ius eligendi Capitulares à se abdicare haud possunt: tum quia talis abdicatio, seu renunciatio ecclesiæ noxia, & præiudicialis est: tum quia sacris canonibus aduersatur, quibus præcipitur, vt electio Prælati penes Conuentum sit: Non possunt autem Capitulares contra ius commune canonum statuere.

Dico III. Electores quemlibet clericum 11
extraneum, nullâ censurâ irretitum &c. secum ad electionem peragendam ex communi consensu admittere possunt, saltem pro vna vice, vti constat ex c. scriptum 40. §. Etsi partes, hoc tit. Num verò

Dico IV. In fundatione ecclesiæ collegia- 12
tę, cùm secularis, tum regularis, cum Episcopi consensu & acceptatione, decerni potest, vt electio aut nominatio Prælati pertinere debeat ad alterius Ecclesiæ Prælatum, aut Conuentum, vel ad ipsum patronum ecclesiasticum, vti colligitur ex c. cùm dilectus 8.

de consuet. & tradit Gl. in c. nobis 25. ver. nisi aliter, de iure patron. Quia sacri canones permittunt eiusmodi conditiones, quæ nec bonis moribus, nec ecclesiæ immunitatibus aduersantur, in ipsa fundatione acceptari, vt eò promptiores fideles sint ad ecclesiarum fundationes, c. præterea 23. de iure patron. c. verum 4. de condit. appositis, & dixi suprà in cit. c. cùm dilectus.

QVÆSTIO secunda. Quale ius laicis competere possit in Prælatorum electione? Respondeo, & Dico I. Olim consuetudo erat in ecclesiis, vt ad electionem Episcopi plebs vniuersa, vnà cum clero, conuocaretur, prout testatur Cælestinus I. Papa in epist. 1. cap. 2. ad Episc. Galliæ, & Leo I. in epist. 87. ad Episcop. Viennens. Non quòd ius eligendi penes laicos fuerit, sed quia testimonium eorum de probitate electi exquirendum esset, iuxta monitum Apostoli ep. 1. ad Timoth. c. 3. v. 7. *Oportet autem illum & testimonium habere bonum.* Quem locum Origenes allegans homil. 6. in Leuiticum ait; *Requiritur in ordinando sacerdote & præsentia populi, vt sciant omnes & certi sint, quia qui præstãtior est, qui sanctior, qui in omni virtute eminentior, ille eligitur ad sacerdotium.* Et Leo I. Papa in Epist. 93. ad Episcopos prouinciæ Viennens. quæ incipit, *Diuinæ. Teneatur subscriptio clericorum, honoratorum testimoniũ, Ordinis consensus & plebis: qui præfuturus est omnibus, ab omnibus eligatur.* Similia leges apud S. Cyprian. lib. 1. epist. 4. Theophil. Alexandrin. can. 6.

Veruntamen alio modo laici cõcurrebant, ac suffragabantur, & alio clerici. Nam laici postulârunt aliquem, eique probitatis, & scientiæ testimonium dederunt: clerus postea elegit, & electioni subscripsit, quam laici improbare deinde non potuerunt, si, quod iustè opponerent, non haberent: quare idem Leo Papa in alia epist. quæ est 95. ad Rusticum scripsit: *Nulla ratio sinit, vt inter Episcopos habeantur, qui nec à clericis sunt electi, nec à plebibus expetiti, nec à prouincialibus Episcopis cum Metropolitani iudicio consecrati.* 13 Vbi videmus, quòd ad plebem nominatio seu postulatio Episcopi, ad clerum verò electio, ad Episcopos consecratio spectabat. Porrò consuetudo ea requirendi populi nominationem ac testimonium, propter multos abusus, temporis progressu sublata est. Videri etiam possunt, quæ Gratianus congessit d. 63.

Dico II. Laicis non potest ex pacto, fundatione, aut quauis donatione seu concessione competere ius eligendi Prælatum ecclesiasticum; Quia laici spiritualia tractare non possunt, c. 2. de iudiciis. Ius autem eligendi Prælatum spirituale est; Ergo non cadit in laicum. Cederet quoque id in detrimentum ecclesiasticæ libertatis, si ecclesiasticorum Prælatorum electio, aut institutio laicorum potestati committeretur: Quare cùm Prælati Papâ inferiores sacris canonibus & immunitati ecclesiasticæ derogare non possint, ideo ipsi laicis talem potestatẽ concedere haud possunt, secundùm Gl. receptam in c. nobis 25. ver. aliter, de iure patr. argum. c. sacrosancta 51. hoc tit. vbi Abb. n. 2. Excipitur itaque tantùm auctoritas Sedis Apostolicæ, per quam tale ius eligendi, aut etiam beneficia ecclesiastica, vti infrà dicam, conferendi laicis personis committi potest: Qua enim ratione facultas nominandi & præsentandi Episcopos Toletano Archiepiscopo Regibus Hispaniarum competit, prout videre licet in Concil. Toletano 12. can. 6. & Tolet. 16. in decreto iudicij. Item Galliæ Regibus in Delphinatu potestas concessa est Episcopos, aliósque Prælatos nominandi, & summo Pontifici præsentandi, vti legere est in Conc. Lateran. sub Leone X. Papa Sess. 11. in epist. eiusdem Leonis, cuius initium *Primitiua.* 14

Obiter hîc moneo, Gratianum can. 22. d. 63. fabulosum commentum ex Sigeberto descripsisse, qui in gratiam Henrici Imperatoris omnium ecclesiarum inuestituras illicitè sibi vsurpantis, nulla antiquioris auctoritate nixus suo arbitratu confinxit, huiusmodi potestatem etiam olim Carolo magno Imperatori cõcessam fuisse. Videri potest Anastasius Bibliothecarius in vita Adriani II. Libri Capitulorum Caroli Magni cap. 94. allegatum à Gratiano in c. sacrorum 34. cit. d. 63. Et Concil. Lateranense II. sub Paschali II.

Papa

Papa celebratum Anno Christi 1112. vbi dicitur, *quòd electus canonicè à clero & populo, à nemine consecretur, nisi priùs à Rege inuestiatur, esse contra Spiritum sanctum, & Catholicam institutionem.* Seuerinus Binius in notis super vita Adriani I. tom. 3. Concil. p. 1. sect. 1. fol. 421. & quæ scripsi in Iusta defensione cap. 4. refut. mem. 20. assert. 2.

Simili imprudentia attulit idem Gratianus d. 63. can. 23. in quo asseritur, in Romana Synodo à Leone VIII. Papa eandem Episcopos inuestiendi potestatem concessam fuisse Ottoni I. Imperatori, quam antea Carolo Regi Adrianus Papa dederat. Quod itidem figmentum ab impostore quodam Luitprando adscriptum esse apertissimis documentis ostendit Seuer. Binius in Conciliabulo Romano, sub Leone VIII. Antipapa, tom. 3. Concil. p. 2. fol. 158. post Cardin. Baronium in Annum Christi 963. Videri etiam potest P. Iacobus Keller in Papatu Catholico art. 12. cap. 3.

Qvæstio tertia; Num laici per consuetudinem immemorialem præscribere, atque acquirere possint ius eligendi Prælatos, aut beneficia ecclesiastica conferendi? Loquor autem de meris laicis, & secularibus personis, Non item de laicis, qui Religionem professi ecclesiasticæ personæ censentur; v. g. Conuersi Regulares; hos enim ius eligendi, imò & conferendi beneficia præscribere posse, rectè affirmatur apud Ioan. de Selua de beneficio p. 2. q. 19.

15 Pro affirmatiua quæst. parte esse videtur; Quia quidquid per priuilegium acquiri potest, idem quoque per consuetudinem immemorialem; quippe quæ habet vim, aut saltem præsumptionem accepti priuilegij, l. 3. §. Ductus aquæ, ff. de aqua quotid. & æstiua. Atqui ius eligendi, aut beneficia conferendi dominis laicis à Rom. Pontifice cõcedi posse, communiter fatentur DD. vti videre licet in Gl. c. Imperium 5. d. 10. Gl. super summa ver. ecclesias causæ 16. q. 7.

Sed contrarium constat ex c. cum terra 13. c. quòd sicut 28. c. quisquis 43. c. sacro sancta 51. hoc tit. vbi dicitur, quòd *ius eligendi in Collegiata Ecclesia non cadit in laicum*, & c. Massana 56. eod. tit. *Non obstante contraria consuetudine, quæ dici debet potiùs corruptela.* Quòd si autem ius eligendi per consuetudinem acquiri non potest à laico, multò minùs ius conferendi, & instituendi: quippe quod maius, & potentius est, magísque spirituale, vti notant DD. in c. si tibi absenti 17. de præb. in 6. & singulariter notat Selua in cit. q. 19. n. 5. Eandémque doctrinam, quòd ius eligendi, multóque magis ius beneficia conferendi à laicis præscribi non potest, tradidit Hostiens. in sum. huius tit. §. Quis possit eligere, Ioan. Andr. in c. 2. prope finem, de præb. in 6. Abb. Panormit. in cit. c. quisquis n. 4. hoc tit. & in c. nouit, n. 22. de iudic. c. 2. de Institut. n. 6. & 7. in c. quod autem n. 12. de iure patron. Felin. in c. dilecto n. 1. de testib. Ioan. Selua in cit. q. 19. n. 5. & seqq. & p. 2. de benefic. q. 23. n. 10. & 22. Ratio demonstrans est: Qui est incapax possessionis, est etiam incapax præscriptionis: Nam, vti habetur in reg. 3. de reg. iuris in 6. *Sine possessione præscriptio non procedit*: Cùm itaque laicus iura spiritualia, cuiusmodi sunt ius eligendi, ius beneficia conferendi, possidere non possit, c. causam 7. de præscript. cit. c. sacro sancta, cit. c. Massana, sequitur, quòd ea iura nullo vnquam tempore præscribere possit.

Ad argum. in contrariam partem respondetur, cum Ioan. Andr. & Felino locis paulò antè citatis, falsam esse eam regulam in ijs, quæ possideri non possunt, absque concessione seu priuilegio: In hoc enim casu potentius est priuilegium, quàm cõsuetudo immemorialis, prout etiam annotauit Abb. in cit. cap. nouit n. 22. & cit. c. quisquis n. 4. Verum quidem est, quòd si vnà cum tempore immemoriali concurrat constans fama accepti priuilegij à Sede Apostolica, laicus, ob difficultatem exhibendi priuilegij, relinquendus sit in exercitio iuris eligendi, aut conferendi, propter præsumptionem, quæ in tali casu pro ipso est: Non ideo tamen fateri debemus ipsũ præscripsisse, aut præscriptione tutum esse. Si enim famam falsam fuisse, nullúmque penitus priuilegium datum fuisse postea comperiatur, iudicandum erit cõtra laicum, ipsíque ius illud auferendum, quippe cuius incapax

est, nisi priuilegium seu concessionem à Romano Pontifice habeat: Ipse etenim solus est, qui ex plenitudine potestatis, eiusmodi ius spirituale laicis committere potest, secundùm Gl. receptam in cit. ver. ecclesias, in fine, Ioann. Andr. in suprà cit. cap. 2. de præb. in 6. ad finem: Et de hac tota theoria videri potest Felin. in c. causam n. 7. de præscript. Selua cit. p. 23. n. 24.

Ex his itaque apparet, si merus laicus ius eligendi, aut beneficia conferendi, beneficiariósue destituendi sibi arroget, sola consuetudine (quæ abusus & corruptela dici debet, cit. cap. sacrosancta, cit. c. Massana,) se defendens; nec Apostolicæ Sedis priuilegium exhibere, nec huiusmodi concessionis famam, aut traditionem demonstrare valens, in conscientia tutum non fore; sed pœnis canonicis subiectum tam ipsum, quàm eos, qui ex eiusmodi inani potestate ecclesias, aut beneficia consequuntur. Idque quàm maximè procedit in dominis laicis Regi, aut Imperatori subiectis: Nam, vt exempli causa dicam, cùm in Germania nostra ne ipse quidem Imperator, aut supremi Imperij Rom. Principes talem beneficia conferendi potestatem ex Apostolicæ Sedis concessione sibi vendicent; quanto minùs credibile est, inferioribus dominis, Comitibus, Baronibus, Nobilibus, talem vnquam factam fuisse concessionem, cuius proindè neque vestigium vllum apparet, vel allegari potest. Videri potest Concil. Tridentin. Sess. 25. cap. 20. de reform. vbi contra eos agitur, qui libertatem, & iura ecclesiarum violant.

16 Si autem, qui ecclesias aut beneficia accipiunt, inprimis excommunicationi subiacent, c. si quis clericus 16. causa 16. q. 7. c. generali 13. de elect. in 6. c. relatum 21. de iure patron. in antiquis, & videri potest Concil. Lateran. sub Leone X. in Bulla Reformat. Curiæ, §. Et cum fructuum, Sess. 10. Insuper electio, collatio, aut institutio facta auctoritate laici, pro irrita haberi debet, prout videre licet in suprà cit. cap. quod autem 5. de iure patron. vbi etiam ratio exprimitur: *Quia pro non dato habetur, quod ab eo datur, qui non potest de iure donare.* Vbi Gl. ver. si consensus, ait, quòd *laicus ecclesiam dare non potest, quia ad eum non pertinet.* Remoueri itaque taliter institutus ab Episcopo debet, tanquam malè intrusus: Deinde si tempus semestre, aut quatuor mensium elapsum sit, intra quod patronus Episcopo, alteriue Ordinario ecclesiastico collatori neminem canonicè instituendum præsentauit, suo iure vti debet Collator, atque liberè instituere cap. 2. de concess. præb. c. 3. c. eam te 22. de iure patron. Quòd si denique ita intrusus in ecclesia siue beneficio persistere voluerit, à ministerio ecclesiastico & ordine deponendus est, vti habetur expressè in cap. præterea 4. de iure patron.

Et quæ hoc in loco dicta sunt, locum habent non tantùm si ecclesiæ aut beneficia à laicis conferantur in perpetuum, sed etiam si vt manualia: quandoquidem etiam ea vera ecclesiastica beneficia sunt, in spirituali iure, quod laici dare haud possunt, consistentia. Deindè locum etiam habent quæ dixi, si laicus ius destituendi, seu amouendi clericos à beneficiis sibi arroget: Est enim hic abusus quidam & corruptela, in graue ecclesiarum, & ecclesiasticæ disciplinæ detrimentum redundans, prout constat ex cit. cap. præterea, vbi decernitur, laicum talia præsumentem anathemate feriendum esse.

Rectè enimuerò in eod. cap. præterea, pari ratione improbatur, si laici *clericos in ecclesiis instituant, aut remoueant:* quia vtraque, tum institutio, tum destitutio, ecclesiastici iuris, ac potestatis est, quæ in laicum non cadit. Imò tametsi per priuilegium speciale institutio siue collatio laico alteriue personæ concessa esset, non deberet tamen ea extendi ad depositionem, seu remotionem, prout docuit Abbas in cap. cùm ex iniuncto, num. 3. & seqq. de hæreticis. 17

QVÆSTIO quarta: Quare Ecclesia personis laicis, videl. patronis, ius præsentandi ad beneficia concesserit, non ita verò ius eligendi. Respondeo, Causam esse, quia ius 18

electio-

electionis magis spirituale,ac potentius est, quàm ius præsentationis: Nam electio proximè dirigitur ad electum, ipsíque ius aliquod tribuit,iuxta c. quàm sit 6. hoc tit. in 6. quamobrem inter eligentes & electum velut spirituale matrimonium inchoari censetur,c. cùm inter 21. hoc tit. At verò præsentatio ad Superiorem dirigitur, à quo præsentatus omne ius spirituale per institutionem ad beneficium, assequitur. Accedit, quòd ius præsentandi seu nominandi ad Prælaturas laicis personis ordinariè concessa non sit: Propterea quòd Prælati in ecclesiastica dignitate constituti, præcipuum in Ecclesia locum obtineant, iurisdictionémque,etiam in ipsos alios clericos, exerceant: Non decet autem,vt Magistratus ecclesiasticus à laicis constituatur, atque clericis obtrudatur.

CAPITVLVM II.

Osius.

Paraphrasis.

Tametsi Episcopus, qui se propriâ temeritate ad alium Episcopatum transtulit,excusationem afferat,quòd à populo postulatus fuisset,eiúsque rei literas exhibeat; minimè tamen audiendum esse,præeunte Osio Cordubensi Episcopo,Concilium Sardicense decreuit: Propterea quòd fieri possit, vt aliqui, etiam pauci, pecuniâ aut præmio corrupti,clamorem in ecclesia edant,aliósque ad postulandum episcopum concitent. Quare persistendum in pœna decreta,vt episcopus se transferens ad aliam ecclesiam, ne laicam quidem in fine vitæ Communionem accipiat; nisi per pœnitentiam errorem suum retractet.

Svmmarivm.

1. *Electio seu potiùs postulatio populi non sufficit ad canonicam Episcopi translationem.*
2. *Nemo Episcoporum, presbyterorum de vna ecclesia ad aliam se transferat: translatus restituendus est ecclesiæ suæ: si non obedierit,Communione priuandus.*

HOc c. sumptum est ex can. 1. & 2. Oecumenici Concilij Sardicensis, quod post Nicænam magnam Synodum, Anno Christi 347. congregatum fuit, præsidente Osio Cordubensi Episcopo,qui in partibus illis Orientis,Apostolicæ legationis munere fungebatur,vti testatur Gelasius Cyzicenus lib. 2.actorum Nicæni Concilij cap. 5. & 12. & apparet ex subscriptionibus vtriusque Concilij, Nicæni & Sardicensis: siquidem Ipse ante alios omnes,etiam Apostolicæ Sedis legatos Presbyteros, subscripsit; Idémque indicat Baronius Ann. Christi 347. n. 5. & 10.

Can. illo 1. Concilij Sardicensis Patres, proponente Osio, seuerè prohibuerunt, ne quisquam Episcoporum de suæ ciuitatis episcopatu, ad alterius ciuitatis episcopatũ transferri se auderet,eò quòd eiusmodi transitus ex ambitione & auaritia prouenire soleat; cùm nemo vnquam repertus fuerit, qui à maiore ciuitate ad minorem transierit: Pœna autem apposita erat, vt talis ne laicam quidem Communionem accipere posset. Veruntamen, quia aliqui se ad huiusmodi transitum per postulationem & clamorem adactos esse dicebant, ideo post dictum can. alter annexus est can. à Gregor. IX. Papa hîc descriptus,in quo etiam ea excusatio reijcitur.

Notandvm Vn. Electio seu potiùs postulatio populi, non sufficit ad canonicã Episcopi translationem; cùm populus interdum non sincerâ fide, & affectu Episcopum sibi deposcat. Ita Gl. recepta hîc ver. populi.

Qvæstio prima. Quænam Communio laica dicta sit? Seuerinus Binius tom. 2.Concil.p.1.in notis Concilij Ilerdensis fol. 628. arbitrabatur, per laicam Communionem intelligi eam, quæ extra cancellos altaris S. Eucharistia laicis data fuit. Clerici enim intra cancellos post Sacerdotis Com-

munionem communicabantur. Quare in Concil. Leodicensi can. 19. legimus, quòd *solis ministerio sacro deditis ad altare ingredi, & communicare ibidem liceat.* Hæc, quamuis secundùm se vera sint, non sufficiunt tamen ad huius can. textum explicandum. Quia non satis intelligitur, quâ ratione Patres in hoc can. sicut & in Eliberino Concil. can. 1. statuerint, vt Episcopi, aut alij Sacerdotes, vel Clerici, in commissi criminis pœnam, ne laicam quidem, id est, eam, quæ extra cancellos in ecclesia dari solita fuit, inter laicos in fine vitæ communionem participarent; cùm eo tempore, quo morti proximi erant, ad ecclesiam accedere haud potuerint. Quare magis placet sententia Roberti Bellarmini lib. 4. de Euchar. c. 24. laicam communionem hîc appellari, quæ quibusdam in locis sub vnâ tantùm panis specie laicis dabatur, plerumque etiam domum deferenda, prout ostendi in mor. Theol. lib. 5. tr. 4. cap. 5. n. 13. Clericalem autem, seu Sacerdotalem Communionem dictam fuisse, quæ clericis intra altaris cancellos sub vtraque specie præberi solita est.

QVÆSTIO secunda; Cur verba ea, *Nisi de eo pœnituerit*, huic cap. adiuncta fuerint, cùm tamen in can. 2. Concilij Sardicensis non habeantur? Resp. Meritò ea à Gregorio IX. Pontifice declarationis causâ adiecta fuisse. Constat enim ex Concil. Nicæno I. can. 13. & Innoc. I. Papa in epist. 3. ad Exuperium, circa ea tempora obtinuisse regulam canonicâ, quæ hactenus etiam semper obseruata fuit, vt nulli criminosorum, qui pœnitentes essent, in fine vitæ sacrum Viaticum negaretur; qua de re dixi in Theol. moral. lib. 5. tr. 5. cap. 7. n. 3. Aduertendum itaque in dicto Concil. Nicæno I. can.
2 15. & 16. decretum fuisse; vt nemo Episcoporum, Presbyterorum, Diaconorum, aliorúmque clericorum de vna ecclesia, aut parochia ad aliam se transferret: si contrà factum fuerit, translatus restituatur ecclesiæ suæ; si non obedierit, Communione priuetur. Hunc Concilij Nicæni canonem, quòd non satis obseruatus fuerit, eo etiam prætextu, quia subinde Episcopi populi clamore se postulatos fuisse dicerent, renouare volentes Sardicensis Concilij PP. duos illos canones statuerunt; Ne autem fateri cogamur, ipsos à Concilij definitione, in re admodum graui recessisse, ideo intelligere etiam istud debemus cum limitatione, quam hîc declarandi causâ Gregor. IX. adiecit, *Nisi de eo pœnituerit.*

CAPITVLVM III.

Postquam.

PARAPHRASIS.

Electio Prælati, si canonicè peracta fuit, à Superiore admitti, & electus confirmari debet: Sed priùs in loco, vbi conuersatus, ideóque notus est, de eius vita & actibus inquiri oportet. Sumptum est ex Greg. I. Papa lib. 8. regist. epist. 18.

SVMMARIVM.

1. *Electio à principio est libera voluntatis: sed confirmatio est necessitatis.*
2. *Post scrutinium publicatum recedere electores non possunt, aliúmue eligere.*
3. *Confirmatio ordinariè ad proximum Superiorem pertinet, cui ecclesia aut dignitas electiua subiecta est.*

   Vnde Abbates & Præpositi non exempti confirmandi sunt ab Episcopo diœcesano; Ordinis verò exempti Generalem Ministrum seu Præpositum habentis electi Prælati à dicto Generali, nisi priuilegio concessum sit, vt cùm primùm canonicè electi in electionem consenserint, plenam iurisdictionem & administrationem sine alia confirmatione consequantur.
4. *Idem ius est circa confirmationem Abbatissarum &c.*
5. *Superior, priusquam electum confirmet, de eius moribus & scientiâ apud eos, quibus notus est, inquirere debet. Qualis hæc inquisitio esse debeat.*
6. *Inquirere etiam debet de forma & serie electionis, num canonicè facta, nihilque*

hilque substantiale prætermissum sit.

7. *Prælatus semel examinatus si ad aliam Prælaturam assumatur, iterum examinandus est.*

8. *Modus obseruandus in examinando Episcopo electo.*

1 NOTANDVM I. Electio à principio est liberæ voluntatis; sed confirmatio est necessitatis. Ita Ioan. Andr. hîc n. 2. Anton. n. 5. Sensus est: Quòd eligentes quem voluerint, idoneum eligere possunt, sed electum Superior ex officio suo confirmare tenetur: alioquin iniuriam inferet non tantùm electo, sed etiam electoribus; adeò vt ipsi quoque electionem prosequi, & confirmationem postulare possint; cùm etiam ipsorum, quin & ecclesiæ interfit, vt electio canonicè facta executioni mandetur, siue electus confirmetur. Quod & Cæsareo iure receptum erat, vt electi, v. g. ciuitatum defensores, à Præfecto prætorio confirmandi essent, Auth. de defensoribus ciuitatum, §. Iusiurandum, iun. Gl. ver. decreta. & Gl. in l. priuatorum, ver. sed pono, C. de iurisd. omn. iudicum.

Excipi tamen debet plenitudo potestatis in Principe, qui ex graui causa publicam vtilitatem concernente, legitimè electum reijcere potest, v. g. vt persona multò magis idonea promoueatur, prout etiam Nicolaus V. indicauit in Bulla Concordatorum Germaniæ, *Ad Sacram*. Deinde improbari non potest consuetudo, quæ in quibusdam ecclesijs viget, vt à Canonicis v. g. Decanus electus, si electioni consentiat, mox omne ius acquirat, nec Superioris confirmatione opus sit; dummodò electio concorditer facta fuerit: alioquin ad Superiorē pertinebit electores ad concordiam compellere, vel deferre ei cui ipsi videbitur, secundùm Baldum in Auth. Habita, n. 44. Cod. Ne filius pro patre: Necesse etiam est ad eiusmodi consuetudinem cohonestandam, vt ecclesiæ damnosa esse nō appareat: Quod damus Abbati hîc n. 3.

2 Dixi autem in notando; Electionem *à principio* esse liberæ voluntatis: quia post scrutinium publicatum recedere non possunt electores, aliúmue eligere c. publicato 58. hoc tit. Quia functi sunt officio suo, vti explicabo.

QVÆSTIO est; Ad quem electi Prælati confirmatio pertineat? Respondeo; 3 Ordinariè loquendo, confirmatio ad proximum Superiorem pertinet, cui ecclesia aut dignitas electiua subiecta est, prout docet Hostiens. in summa hoc tit. n. 6. Eman. Rodriq. tom. 2. regul. qq. q. 53. a. 3. Igitur Abbates & Præpositi non exempti confirmandi sunt ab Episcopo diœcesano; At verò Ordinis exempti generalem Ministrum, seu Præpositum habentis, electi Prælati, videl. Abbas, Prior, Guardianus, Prouincialis à dicto Generali confirmationem accipiunt: nisi priuilegio concessum sit, vt cùm primùm electi fuerunt, omnem potestatem in temporalibus ac spiritualibus exercere possint, adeóque confirmatione non indigeant, qua de re Rodriq. cit. q. 53. a. 6. Ipsi porrò Generales, sicuti & Abbates quidam exempti atque Sedi Apostolicæ immediatè subiecti, à Romano Pontifice, vel Legato eius, si in prouincia sit, confirmari debent, c. si Abbatem 36. de elect. in 6. Ordines verò Mendicantium à Sede Roman. priuilegium obtinent, vt generalis Minister siue Præpositus, cùm primùm canonicè electus in electionem consensit, plenam iurisdictionem, administrationémque, sine alia Pontificis confirmatione, consequatur, apud Rodriq. cit. q. 53. a. 3. Videri etiam possunt, quæ docui in Censura Astri inextincti p. 2. cens. 3.

Denique Episcoporum confirmatio, vbi canonicè eliguntur, hodie ad Summum Pontificem spectat, sicuti & olim spectabat circa tempora Nicolai I. Papæ, vti videre licet in c. 1. d. 22. & Gregorij I. c. quantò 10. d. 63. Quibusdam verò temporibus permittebat ecclesia Romana, vt electi Episcopi à Metropolitano confirmarentur, iuxta c. 2. d. 23. c. cùm dilectus 32. hoc tit. c. si Archiepiscopus 6. de tempor. ordinat. Interim tamen referendum erat ad Roman. Pontificem, quinam Episcopi in prouincijs canonicè electi & confirmati essent, prout videre li-

re licet apud Simplicium Papam in epist. 14. & epist. 17. ad Acatium.

Addidi autem, *Vbi episcopi canonicè eliguntur*; Etenim secundùm sacros canones Episcopi electio ad clerum, seu clericorum, id est, canonicorum, collegium spectat, c. 1. hoc tit. c. vlt. §. sed nec d. 51. c. cleri 26. c. vota 27. c. obeuntibus 35. d. 63. & c. vlt. d. 79. Idq; in Germaniæ diœcesibus obseruatur, vt episcoporum electio Cathedralibus Capitulis competat: electorum autem confirmatio à Roman. Pontifice petenda sit: quam ipse post exhibita instituti examinis testimonia, conferre solet, atque iubere, vt confirmatus consecretur, iuxta Concordata inter Nicolaum V. Pontificem, & Fridericum III. Imperatorem, in Bulla quæ incipit *Ad sacram*. Videri potest August. Barbosa de offic. & potestate Episcopi, p. 2. allegat. 27. n. 27. Azor tom. 2. lib. 3. cap. 29. q. 18.

4 His adde, quæ de electorũ cõfirmatione in hoc not. dicta sunt, eriã ad Abbatissarũ &c. cõfirmationem transferenda esse: Si enim Monasterium Monialium Sedi Apostolicæ immediatè subiectum sit, Abbatissa, Prioriſſa, seu Præpositа electa à Rom. Pontifice confirmationem petere debet, prout ex communi tradit Azor tom. 1. lib. 13. cap. 10. q. 3. Id verò intelligi debet per Procuratorem: Quia Moniales non ipsæmet, causâ electionis prosequendæ, aut oppugnandæ ad Apostolicam Sedem accedere, sed Procuratorem mittere debent, c. indemnitatibus 43. §. Porrò, hoc tit. in 6. Sin autem Monasterium religioso virorum Ordini subsit, tum ad Prælatum eiusdem Ordinis confirmatio spectat: Sin autem Episcopo subiectum sit, Episcopus confirmationem conferet.

5 NOTANDVM II. Superior, priusquam electum confirmet, de eius moribus & scientiâ apud eos, quibus notus est, inquirere debet. Ita hîc, & in c. 2. d. 23. c. nobis 19. c. nihil 44. hoc tit.

QVÆSTIO prima. De quibus qualitatibus inquisitio siue examen instituì debeat? Glossa in c. si fortè 11. hoc tit. in 6. scientia, distinguit: Quòd quædam sunt qualitates intrinsecæ, ac veluti innatæ, vt quod homo sit verax, pacificus, castus, sobrius; & has aliquis habere præsumitur, argum. l. cùm quidam, 24. ff. de legatis 2. c. vn. de scrutinio in ordine faciendo, & c. vlt. de præsumpt. Aliæ verò sunt qualitates ascititiæ, & extrinsecæ, v. g. scientia, ætas: & eiusmodi qualitas non præsumitur, sed probari debet; & ideo examen instituitur.

Operæ pretium est hanc doctrinam discutere, & ideo Dico I. Examen nõ tantùm de scientia, ætate &c. promouendi ad Prælaturam instituì debet, sed etiam de moribus & virtutibus eius. Ita colligitur ex hoc c. & c. cùm in cunctis 7. hoc tit. & habetur expresè in c. 2. d. 23. *Qui episcopus ordinandus est, ante omnia examinetur, si naturâ sit prudens, si docibilis, si moribus temperatus, si vitâ castus, si sobrius, si semper suis negotijs cauens, si humilis, si affabilis, si misericors.* Has verò qualitates Gl. numerat inter intrinsecas, ac veluti innatas; & tamen de his examen instituì debet. Ratio dari debet ex altera doctrina eiusdem Gl. ver. scientia; Tametsi, si nihil negotij cum aliquo sit, non oporteat in eius vitam inquirere, sed potiùs pro bono & integro eum virũ habere, dum contrarium non apparet: Si tamen filia in matrimonium illi collocanda sit, quemadmodum Prælatus electus ecclesiæ veluti sponsus per confirmationem tradendus est, meritò inquiritur in vitam, & mores eius; an videlicet præditus sit ijs dotibus siue virtutibus, quæ ad Prælaturæ munus necessariæ sunt.

Dico II. Non satisfit intentioni Ecclesiæ, nec auertitur periculum indignos assumendi Prælatos, si testes examinati de virtutibus, seu qualitatibus, quas intrinsecas vocat Gl. ex præsumptione respondeant esse humilem, sobrium, misericordem, benignũ &c. eò quòd contrarium nõ viderint, vel intellexerint, & ideo in dubio bonũ esse, existimare debeant. Idq; probatur his rationibus: I. Quia post lapsum humani generis in peccatum, & naturæ inclinationem ad malum, virtutes eiusmodi non sine labore & assuetudine acquiruntur: ergo & ipsæ aliquo modo ascititiæ sunt; vt si positiuè se non prodant, seu indi-

indiciis positiuis non deprehendantur; non posse oriri præsumptio, seu probabile iudicium, eas homini inesse.

II. Sunt quædam virtutes, seu bonæ mētis qualitates in Prælato necessariæ, quarum actus seu effectus nisi videam, seu positiuis ac sensibilibus indicijs deprehendam, non possum affirmatiuè, absque errandi periculo, iudicare homini inesse: sed, nisi contrarium deprehendero, aut indicijs cognouero, dubitare debeo, num insint, nēcne: Tales sunt, prudentem esse, vigilantem, benignum, misericordem, affabilem, mansuetum, orationi deditum, &c. Quamdiu autem in vtramque partem dubius sum, non possum, saltem sine errandi periculo iudicare, aut testificari pro hominis probitate, aut bona qualitate, vti cum S. Thoma tradidit Caiet. 2.2. q. 60. a. 4. Lud. Molina tr. 4. de iust. disp. 17.

Neque obstat his doctrina S. Th. eod. art. 4. in corp. *Vbi non apparent manifesta indicia de malo alicuius, debemus eum bonum habere, in meliorem partem interpretando, quod dubium est.* Nam ipsemet S. Th. in resp. ad 1. fatetur, in eiusmodi interpretatione siue iudicio frequenter nos falli: sed errorem hunc non imputari ad culpam, quia in nullius iniuriam cedit: Accedit, quòd (vt Caietanus ibi doctè explicat) error huiusmodi intellectûs speculatiui, cùm circa singularia versetur, non censetur notabilis defectus, aut malum operantis. Quamobrem, ex hypothesi, si quis existente dubio de probitate & improbitate hominis, iudicare velit, præstat, vt in meliorem partem intellectum inclinet; quia tametsi fallatur, error tamen nec perniciosus erit, nec moralis, prout etiam explicaui in mor. Theol. lib. 3. tract. 3. p. 2. cap. 2. n. 7. Hæc ipsa autem doctrina & rationes eius duntaxat locum habent in iudicijs priuatis: Exinde autem colligi potest, quòd in publicis dandis testimonijs, præsertim in ordine ad prælaturam assequendam, contrarium prorsus sentiendum sit: videl. existente dubio, ita vt indicia maiora non habeantur pro probitate, seu bona qualitate, quàm in oppositum: non fore legitimum testimonium, seu informationem factam pro idoneitate; propterea, quòd iudicium istud errori expositum sit, vt suprà ex S. Thom. & Caiet. cognouimus, atque insuper error practicus sit perniciosus, & Ecclesiæ noxius, c. nihil 44. de elect. Quam ipsam ob causam etiam in hoc c. exigitur, iun. Gl. ver. conuersatus, vt inquisitio de electo apud eos fiat, quibus notus est.

III. Testis, vt legitimus censeatur, de eo testari debet, quod sensu aliquo, aut, si materia circa quam testatur, non patitur, saltem indiciis & coniecturis deprehendit, ita se habere: In examine autem instituto super præficiendis, testimonia postulantur de virtutibus, seu qualitatibus necessarijs ad prælaturam: Ergo nisi habeantur saltem indicia & coniecturæ positiuè ostendentes, ac persuadentes, non erunt legitima testimonia. Quæ ipsa est doctrina Anton. de Butrio in suprà cit. c. vn. de scrutinio n. 10. & 12. vbi etiá respondet ad obiectionem ex eod. c. vn. (idémque responderi debet ad suprà cit. cap. vlt. de præsumpt.) adfuisse indicium, seu coniecturam de probitate; quia ordinandus tanquam idoneus per literas præsentatus, & commendatus fuit: quare cùm maior certitudo plerumque haberi non possit, sufficit huiusmodi probabilitas, sicuti in eod. c. vn. significatur, ibi; *Quantùm humana fragilitas nosse sinit, & scit, & testificatur, illum ad huiusmodi onus officij esse dignum.* Vbi videri potest Gl. ver. & scit, & Anton. n. 10.

His duo addenda sunt: Primum, quòd Superior ante confirmationem inquirere etiam debet de forma & serie electionis, num canonicè facta, & nihil substantiale prætermissum sit, c. nihil 44. hoc tit. Ad quam rem inseruiet decretum electionis, in quo totus electionis processus authenticè descriptus est. Qua de re Innoc. & Gl. in c. innotuit ver. decreto, ibid. Anton. n. 15. Abb. n. 14. de elect. Syl. ver. electio 1. q. 18. 6

Alterum. Si Prælatus, qui semel examinatus fuit, ad aliam prælaturam eligatur, iterum examinandus est, argum. c. scriptum 40. in fine, hoc tit. Cùm fieri possit, vt interea nouum impedimentum aut inhabilitatem contraxerit: Idque maximè locum habet, si ad maiorem dignitatem aliquis assu- 7

mendus sit, iuxta Gl. in cit. c. scriptum, ver. præsumptione.

QVAESTIO secunda. Quis modus obseruari debeat in examinando Episcopo electo?
8 Respondetur, Eum à Gregorio XIV. Pontifice præscriptum esse in Bulla, quæ incipit *Onus Apostolicæ*, apud Quarantam in summa ver. electio fol. 309. Secundùm quem modum in Germania nostra ita proceditur, vt electus viciniori alicui Episcopo examinandum se tradat, super certis articulis per testes idoneos & iuratos adstruendis: Eiúsque examinis processus Romam mittitur ad confirmationem electo ritè examinato & probato impetrandam. Articuli autem examinis sunt hi: I. An promouendus ex legitimo matrimonio, & à parentibus Catholicis natus sit, c. cùm in cunctis 7. hoc tit. c. 2. §. hæretici, de hæreticis in 6. II. An trigesimum ætatis annum compleuerit, cit. c. cùm in cunctis: nisi postulatus fuerit. tunc enim sufficiunt anni XXVII. cœpti, extrauag. vn. de postulat. Prælator. inter communes. III. An saltem sex mensibus in sacro ordine constitutus fuerit, iuxta Concil. Trident. Sess. 22. c. 2. de reform. IV. An in Theologia, vel Iure canonico Doctor, vel Licentiatus sit; aut saltem publico alicuius Academiæ, vel aliorum probatorum & expertorum testimonio, ad alios docendos idoneus iudicatus, Trident. Concil. cit. cap. 2. de reform. V. An bonæ famæ sit, vitæ integræ; num in ecclesiasticis functionibus versatus, prudens, ac rebus gerendis idoneus, cap. 2. d. 23. c. Qui in aliquo, quod est vlt. d. 51. Et obligantur conscientiæ eorum, à quibus instructio seu testificatio sumenda est, vt ea fideliter & gratis referant.

CAPITVLVM IV.

Significasti.

PARAPHRASIS.

Paschalis Papa per Apocrisiarios, seu Referentes suos pallium misit Archiepiscopo Panormitano, tali conditione, vt in verba sibi præscripta iuramentum Apostolicæ Sedi præstaret. Quod Reges, & regni Proceres mirati sunt, quasi fieri non oporteret: Primò, quia traditio potestatis spiritualis (quæ per pallium archiepiscopale significatur, iuxta c. ad honorem 4. de auctor. & vsu pallij) purè fieri debet, non sub conditione, siue grauamine impositio. Secundò, quia Christus Dominus Matth. cap. 5. v. 34. præcepit, *non iurare omnino*. Tertiò, quia neque ab Apostolis, neque in Conciliis tale iuramentum præceptum esse, reperitur. Ad 1. respondet Pontifex; Sicuti Christus B. Petrum Ecclesiæ Pastorem constituturus, ab ipso conditionem, promissionémque exegit dilectionis; ita Sedes Apostolica ab ijs, quos in partem pastoralis officij adscribit, conditionem ac promissionem fidelitatis, vnitatis, & obedientiæ exigere solet. Ad 2. Christus eo in loco significare voluit, iuramentum originem habere ex malo, siue peccato: quamobrem si homines fidem & obedientiam seruarent, iuramento nullo opus esset: Cùm itaque in Episcopis non semper fides, sinceritas, & obedientia constiterit; quin imò aliqui reperti sint, qui etiam post præstitum iuramentum defecerunt; ideo cogitur Pontifex iuramentum pro fide, vnitate & obedientia exigere. Ad 3. Quòd Concilia Romanæ ecclesiæ legem non præfigant; cùm omnia per Romanæ Ecclesiæ auctoritatem facta sint, robúrque acceperint; Et ideo in eorūdem statutis Romani Pontificis auctoritas semper excepta intelligatur: Quare concludit Pontifex; Quandoquidem Archiepiscopus à Rom. Apostolica Sede pallium, tanquam insignia dignitatis petat, accipiátque, quæ à B. Petri corpore desumuntur, ideo æquum esse, vt Archiepiscopus vicissim debitæ subiectionis signa, præstito iuramento, exhibeat, quibus declaretur, quòd sit membrum in corpore Ecclesiæ, cum alijs membris, & ipso Capite Christo, eiúsque in terris Vicario cohærens, vnitatémque conseruans. Ita explicat Hostiensis, & Ioan. Andr. hîc n. 12. & 13.

SVM-

SVMMARIVM.

1. *Expressio conditionis secundùm eum modum, quo suapte naturâ, siue ex necessitate inest, nihil operatur. vnde dispositionem non reddit conditionalem, sed absolutam relinquit.*
2. *Summus Pontifex est supra Concilium Generale, quod proinde legem ei imponere non potest in condendis statutis morum, quò minùs ob iustam causam ea mutare, aut tollere, vel in ijs dispensare queat.*
3. *Episcopi & Archiepiscopi tanquam membra cum membris inter se iuncta sunt; cum Rom. Pontifice tanquam totius Ecclesiæ capite, à quo omnis ecclesiastica potestas deriuari debeat.*

1 NOTANDVM I. Expressio conditionis secundùm eum modum, quo suapte naturâ, siue ex necessitate inest, nihil operatur: quare nec facit dispositionem conditionalem, sed absolutam relinquit. Ita sumitur ex hoc cap. iun. Gl. communiter recepta ver. conditione, & habetur in l. 3. vbi Bart. & alij, ff. de legatis 1. & l. conditiones 99. ff. de condit. & demòstrat. Exem. causa. Si Episcopus alicui beneficium curatum conferat, expressa conditione, vt priùs habitam ecclesiam parochialem resignet, non est illicita pactio, seu obligatio: cùm ea iam antè ex iuris necessitate imposita fuerit, c. de multa 28. de præb. Dixi autem, *si conditio exprimatur secundùm eum modum, &c.* Secùs verò est, si nouus obligationis modus imponatur: Exemplum. Is cui beneficium ecclesiasticum confertur, ex gratitudine obligatus est ad præstanda obsequia, deferendum honorem collatori, & promotori suo: quare de hac ipsa obligatione, sicuti naturaliter & necessariò inest, commonefieri potest promotus, absque simoniæ vitio. At verò non potest in pactum & obligationem deduci, vt talia obsequia præstet, quasi ex iustitia teneatur, & ad ea compelli possit; quia ista obligatio suapte naturâ non inest, sed noua eáque simoniaca pactione inducitur. Videri possunt, quæ hìc tradit Abb. n. 6. & quæ docui lib. moral. Theol. 3. tract. 4. cap. 16. n. 4. §. Sed quæstio est.

NOTANDVM II. Iuramentum non est illicitum, sed virtutis Religionis actus, si comites habeat veritatem, iudicij discretionem, atque iustitiam. De hac re dixi in lib. 4. tr. 3. cap. 3.

NOTANDVM III. Sicuti in humano 2
corpore caput est supra reliqua membra, ita summus Pontifex est supra Concilium, etiam generale: si id sumatur tanquam distinctum à Pontifice: Sin autem generale Concilium accipiatur, quatenus etiam Pontificem tanquam partem præcipuam includit, non rectè dicitur, Papam esse supra Concilium; cùm pars non sit excellentior suo toto. Hinc infertur; quòd Concilium generale in condendis statutis morum, legem Rom. Pontifici imponere non possit, quò minùs ob iustam causam ea mutare, aut tollere: vel in ijs dispensare queat. Siue enim spectentur statuta Concilij abstrahendo ab auctoritate ex confirmatione Papæ; tum inferior est potestas, quæ superiori obligationem afferre haud potest, c. inferior 4. d. 21. Siue spectentur, quatenus Papalem auctoritatem approbationémque acceperunt, non potuit vel Papa sibi, vel successoribus suis legem imponere; quia par in parem non habet imperium, c. innotuit 21. hoc tit. Adde, quòd secundùm rationabiliter præsumptam Rom. Pontificis voluntatem, graui & vrgente de causa, si ad ipsum Pontificem accessus non sit, etiam Episcopus dispensare possit, iuxta ea quæ docui lib. 1. Theol. moral. tract. 4. cap. 22, n. 4. & tradit inter alios Abb. Panorm. in c. cùm dilectus n. 10. de elect.

Locutus sum autem de statutis morum, prout etiam declaratum reperitur in Trident. Concil. Sess. 25. cap. 21. de reform. *Sancta Synodus omnia & singula sub quibuscunque clausulis & verbis, quæ de morum reformatione, atque ecclesiasticæ disciplinæ in hoc sacro Concilio statuta sunt, declarat, ita decreta fuisse, vt in his salua semper auctoritas Sedis Apostolicæ & sit, & esse intelligatur.* At verò fidei decreta diuini iuris atque infallibilia sunt; vt nulla humana potestate mutari

queant, quippe à Spiritu sancto, qui nec falli, nec fallere potest, Ecclesiæ in Sanctis œcumenicis Conciliis inspirata. Videri potest Abb. hîc n. 3. & quæ docui in Theol. mor. lib. 2. tract. 1. cap. 2. n. 4.

3 NOTANDVM IV. Episcopi, & Archiepiscopi tanquam membra cum membris inter se vniti sunt, atque cum Romano Pontifice tanquam totius Ecclesiæ Capite, à quo omnis ecclesiastica potestas, secundùm Christi commissionem & dispositionem, deriuari debeat. Qua de re dixi lib. 1. mor. Theol. tract. 4. cap. 7. §. 2. Sumitur autem hæc doctrina ex §. fin. huius c. vbi dicitur, quòd insignia dignitatis, siue pallium archiepiscopale, quo veluti particula potestatis ecclesiasticæ significatur, de corpore B. Petri, vbi plenitudo potestatis est, desumatur, prout hîc Ioan. Andr. explicat, & dicam iterum in c. 3. de auctoritate & vsu pallij.

CAPITVLVM V.

Quia.

PARAPHRASIS.

Quidàm abiurato schismate, quod contra Alexandrum III. Papam ab Octauiano excitatum erat Anno Christi 1160. ad Ecclesiæ vnitatem rediit: Postea electus est in Episcopum suffraganeum Ecclesiæ Aquilciensis. Hoc in casu Legatus à latere quæsiuit, num electionem istam confirmare deberet: Respondit Pontifex Alexander, Se dispensatiuè id permittere, dummodò electus ille à schismatico Episcopo nullum ordinem acceperit, & aliàs idoneus sit: Quare mandat Legato Cardinali, vt eum ab Episcopis suffraganeis Aquileiensis Ecclesiæ consecrari curet: saluo interim iure Ecclesiæ Metropolitanæ, si relicto schismate ad vnitatem Catholicam redierit.

SVMMARIVM.

1. *Schismatici ad vnitatem Catholicam reuersi schisma abiurare debent, vti Hæretici hæresin.*
2. *Schismaticus ad Ecclesiæ vnitatem reuersus ad episcopalem dignitatem promoueri non debet.*
3. *Qui ab Episcopo schismatico (postquam denominatus est) Ordines suscepit, suspensus est, seu potiùs irregularis.*
4. *Si Archiepiscopus in schisma vel hæresin lapsus sit, amittit ius consecrandi Episcopos prouinciæ; & alij Coepiscopi seu Suffraganei Episcopi supplent defectum eius.*
5. *Si Episcopus vnà cum Capitulo in schisma lapsus sit, perdit iura ecclesiæ suæ, secundùm exercitium tamen, non autem secundùm habitum.*

NOTANDVM I. Schismatici ad vnitatem Catholicam reuersi, Schisma abiurare debent, vti etiam habetur in c. quoties 9. causa 1. quæst. 7. ex Gregor. I. Papa lib. 10. Registri epist. 31. Idémque in hæreticis ad Ecclesiam Catholicam reuersis obseruandum, vt hæresin abiurare cogantur: siquidem omnes hæretici etiam schismatici sunt. 1

NOTANDVM II. Qui ex schismate ad Ecclesiæ vnitatem reuersus est, ad episcopalem dignitatem prouehi non debet, vti etiam habetur in cap. nos consuetudinem 8. d. 12. quod est Gregorij I. Papæ lib. 1. epist. 75. ad Episcopos Numidiæ. Pontifex tamen cum talibus dispensare solet, vti hîc apparet, & annotauit Glossa in cit. cap. ver. prohibemus. Quare non videtur hæc fuisse propriè dicta electio, sed potiùs postulatio personæ alioquin inhabilis, nisi Pontificis dispensatio accederet. Verùm in iure, præsertim antiquo, promiscuè vsurpantur interdum vocabula electionis & postulationis. 2

NOTANDVM III. Qui ab Episcopo schismatico (posteaquam denunciatus est, considerato iure nouo extrauag. Ad euitanda) Ordines suscepit, suspensus est, seu potiùs irregularis, iuxta cap. 1. & cap. 2. de schis- 3

de schismaticis: Quare talis eligi non potest, aut promoueri. Sed Pontifex Romanus etiam cum his, qui à schismatico Episcopo ordinati sunt, dispensare potest, & interdum solet, vti constat ex cit. c. 2. & videre licet in tom. 3. Concil. Seuer. Binij in notis Concilij Lateran. sub Alexandro III. Papa, fol. 561. col. 2. Legi etiam possunt, quæ docui in Theol. moral. lib. 3. tract. 9. cap. 10. suspens. 2.

NOTANDVM IV. Si Archiepiscopus in schisma vel hæresin lapsus sit, amittit ius consecrandi Episcopos prouinciæ: & alij Coëpiscopi seu Suffraganei Episcopi supplent defectum eius, vti ex hoc c. apparet, & notat Ioann. Andr. hîc n. 7. Abb. n. 5. Et videri potest generalior doctrina, quomodo Suffraganei vicini Episcopi defectum Metropolitani suppleant in Gl. c. 1. ver. Episcoporum, d. 100.

NOTANDVM V. Si Episcopus, vnà cum Capitulo in schisma lapsus sit, perdit iura ecclesiæ suæ: Attamen secundùm exercitium duntaxat, & non secundùm habitũ, quia plenè recuperat, posteaquam ad Ecclesiæ redierit vnitatem, vti hîc apparet, in fine huius c. Veruntamen si priuatio iuriũ vel bonorum per sententiam, aut canonem siue legẽ illata sit, tum necessaria est Principis restitutio, vti colligitur ex c. vergentis 10. de hæreticis, & l. vlt. Cod. de sententiam passis & restitutis: Etenim quòd Vniuersitas si tota delinquat, iura sua perdat, docent Legistæ cum Gl. fin. in l. iubemus C. de SS. Ecclesijs, Glossa supra reg. 76. in 6. ver. delictum circa finem.

CAPITVLVM VI.

Licet.

PARAPHRASIS.

Alexander III. Papa in Concilio Lateranensi can. 1. decreuit, vt electus à duabus partibus Cardinalium eo ipso verus ac indubitatus Pontifex, absque vlla exceptione, existat; tametsi reliqui consentire nolint, vel in alium suffragia sua dirigant. Sin autem à tertia seu reliqua parte electus siue nominatus nomen Roman. Pontificis assumpserit, tam ipse, quàm omnes ij, qui eum receperint, excommunicationem & suspensionẽ ab ordine ipso facto incurrant; quin & sacrâ Communione, præterquàm si in extremis constituti sint, priuati existant. Præterea constituit sub eisdem pœnis, vt electus à paucioribus quàm duabus Cardinalium partibus, Papalem dignitatem non assumat; nisi aliorum etiam vota, ita vt duæ partes compleantur, accesserint. Id verò speciale esse debet in Roman. Pontificis electione; pristino iure vigorem suum retinente circa alias electiones; vt videl. sufficiat, si pars maior & sanior eligentium consentiat: Nam si in his aliquod dubium postea emerserit; Superioris iudicio definiri poterit: quod non ita in Roman. Põtificis electione, cùm in terris Superiorem nullum habeat, fieri potest.

SVMMARIVM.

1. *Electio Summi Pontificis ad Cardinales spectat.*
2. *Et si ea facta fuerit à duabus partibus Cardinalium, omnimodè ea rata haberi debet, ita vt nec vlla exceptione Excommunicationis, vel alterius censuræ oppugnari possit.*
3. *Recensentur tamen aliqui casus, in quibus electio Summi Pontificis ipso iure irrita est, & vt talis declarari potest.*
4. *Eligi debet ex Cardinalibus, si idoneus adsit; quòd si tamen alium seu clericum seu laicum eligerent, valida foret electio.*
5. *Casu, quo à Concilio Generali Papa à Cardinalibus non canonicè electus declaretur, & reijciatur; electio alterius Papæ non ad Concilium (nisi in casu necessitatis) pertineret, sed adhuc penes R. E. Cardinales permaneret.*
6. *Electio Papæ, quæ ab initio propter defectum numeri eligentium inualida fuit, conualescit per suffragia, quæ postea accedunt. In alijs Prælatorum e-*

lectionibus alia electio inchoari debet.

7. *Factâ electione canonicâ Summi Pontificis, omnis ei potestas super Ecclesiam à Christo Domino confertur, ita vt aliâ confirmatione non indigeat.*

1 NOTANDVM I. Electio Summi Pontificis ad Roman. Ecclesiæ Cardinales spectat. Ita sumitur ex hoc c. & c. 3. eod. in 6. Et est id conforme primæ ecclesiarum institutioni: Nam electio Prælati ad Clerum, seu clericorum Collegium spectat, c. 1. hoc tit. Cardinales autem pars præcipua sunt cleri Romani, ipsiq; Ecclesiæ Romanæ Capitulum repræsentant: Ergo ad Cardinales electio spectat Romani Pontificis; qui & ipse S. Petri Principis Apostolorum successor est, teste S. Cypriano lib. 1. epist. 3. ad Cornelium Papam, S. Hieronymo in epist. ad Damasum, & Concil Chalcedon. act. 3. in relatione ad Leonem I. Papam.

Olim verò etiam populi testimonium, ac postulatio seu nominatio requirebatur, vti suprà dixi in c. 1. & docet Azor tom. 2. lib. 4. c. 2. q. 2. Atque habetur in Concil. Romano sub Ioann. IX. tom. 3. Concil. §, Quia sancta. Quare mirum videri non debet, etiam Imperatoris Legatos electioni interfuisse; non tantùm vt cum reliquo populo boni Pontificis electionem à clero Romano impetrarent, sed etiam vt violentias, ac turbationes, quæ oriri possent, auctoritate suâ impedirent, sicuti in eodem Concilio legi potest. Id verò ius à Iustiniano, Mauritio, alijsque Imperatoribus quibusdam malè vsurpatum fuit, vt electum Roman. Pontificem inthronizare non liceret, nisi priùs approbatio & confirmatio Imperatoria accessisset. Quæ ipsa res interdum schismatis occasionem præbuit: Quamobrem Nicolaus IV. Adrianus II. & alij Pontifices, etiam consentientibus Imperatoribus, abusum illum sustulerunt, & Roman. Pontificis electionem clero liberam fecerunt, vti videre licet in c. cùm Adrianus 29. & pluribus seqq. d. 63. Quandoquidem etiam olim ante Iustiniani Imperatoris tempora, liberam clericis Romanum Pontificem eligendi potestatem feciſſe; neque Imperatores, aut Reges auctoritatem suam interposuisse, eruditè ostendit Roman. Ecclesiæ defensor contra Henrici IV. Imperatoris Aduocatum, in Concilio congregato in Osborio Germaniæ loco contra Cadaloum Pseudopapam, tom. 3. Concil. p. 2. Seuer. Binij fol. 238.

NOTANDVM II. Speciale id est in Ro- 2
mani Pontificis electione, quòd, si ea facta fuerit à duabus Cardinalium ad electionem conuenientium partibus, omnimodè rata censeri debeat; ita vt neque per obiectionem excommunicationis, alteriúsue censuræ, quantumuis apparentis in ipso electo, oppugnari possit, vti hîc notat Gl. ver. exceptione: Sed neque per exceptionem excommunicationis, alteriúsue censuræ cuiuscunq; in Electoribus apparentis, vti decretum est in Clem. Ne Romani, §. Cæterùm, hoc tit. & videri potest Azor tom. 2. lib. 4. cap. 5. q. 7. Suarez de censur. disp. 14. sect. 2. n. 19. vbi ait; validam fore electionem Papæ, tametsi ponamus tam electum, quàm Cardinales eligentes in excomunicatione existere.

Sunt verò aliqui casus, in quibus Roman. Pontificis electio ipso iure irrita est; atque vt talis declarari potest. Primus. Si electus 3
in notoria hæresi existat, vti docet Gl. recepta cit. ver. exceptione, Abb. hîc n. 10. & 11. Azor cit. q. 7. §. Ergo quæstionis; & colligitur ex Bulla Iulij II. cuius initium *Cum tam diuino*, in Concil. Lateran. sess. 5. Si enim accidat, Papam hæreticum manifestum fieri, coram Concilio accusari poterit, vt deponatur, iuxta c. si Papa 6. d. 40 (quamuis id Deum nunquam permissurum esse, piè creditur) Ergo multò magis si accidat, manifestum hæreticum eligi, talis electio oppugnari, & irrita declarari potest. Quia secundùm ius diuinum, hæreticus non est Ecclesiæ membrum; consequenter nec Caput Ecclesiæ esse potest. Videri possunt quæ docui lib. 2. Theol. moral. tr. 1. cap. 7. assert. 2.

Secundus. Si electus in Pontificem, ob 4
alium defectum, spectato iure diuino, aut naturali, inhabilis sit; videl. si sit infans, amens, mulier: quia talia impedimenta iure

cano.

canonico tolli, aut suppleri non possunt, prout bene hîc declarat Abb. cit. n. 11.

Tertius. Si Pontifex simoniacè electus sit, oppugnari & reijci potest electio, tanquã ipso iure irrita, vti habetur in cit. Bulla Iulij II. & colligitur ex c. si quis pecunia 9. d. 79. & tradit Azor cit. lib. 4. cap. 5. §. Deinde quæres.

Quartus. Si electio Pontificis facta sit per metum grauem & iniustum, irrita censeri debet, vti constat ex Concil. Constantiensi sess. 39. & docet Azor cit. lib. 4. cap. 2. q. 6. & cap. 5. q. 7. §. Si demum, vbi rectè ex Baldo admonet, talem metum interueniisse, ostendi debere: Neque licet Cardinalibus, vt in suprà dicta sess. habetur, ad aliam electionem procedere, nisi priùs conuocato Concilio generali de nullitate electionis cognoscatur: præterquam si electus ipsemet electioni suæ renunciet. Quod quidem in hoc casu facere tenetur, si sciat electionem per metum grauem & iniustum, à quacunque persona illatum, peractam fuisse: quandoquidem ea ipso iure irrita est: alioquin enim ab Ecclesia rescindi nunquam posset.

Necesse autem est, ad electionem ex hac causa impugnandam, vt metus iniustè incussus sit ad certam personam eligendam, sicuti hîc Abb. tradit n. 12. & c. cùm terra n. 3. hoc tit. & colligitur ex c. 3. §. Cæterùm, eod. tit. in 6. vbi etiam ratio insinuatur: quia si vnus certus eligi debeat, vitiatur substantia electionis, in eo consistens, vt electio ex pluribus fiat, eligentium arbitrio. Sin autem Electores Cardinales iniustè cogantur ad eligendum vnum ex pluribus determinatis personis, aut certo personarum genere, substantia electionis, absolutè loquendo, consistit: nec iure canonico talis electio infirmata reperitur; consequenter valida censeri debet.

Quintus. Si obijciatur, quòd eligentes ius eligendi non habuerint, quia non sunt S. R. E. Cardinales: Tunc enim destruitur fundamentum electionis; si ostendatur eam prouenisse ab ijs, qui tali potestate carebant; dummodò defectus, qui obijcitur, occultus non sit. Atque ita docet Azor cit. c. 5. q. 7. §. Quæres insuper, post Abb. hîc n. 10. & 11. vbi allegat doctrinam Gl. notabilem in Clem. vn. ver. non obstante, de sequestr. possess. & fructuum: Etsi per constitutionem inhibeatur, ne contra latam sententiam nullitas obijci possit; nihilominus obijci posse defectum iurisdictionis, seu sententiam à non iudice prolatam esse: Quia constitutio prohibens exceptionem contra sententiam, supponit sententiam esse: non est autem sententia, quæ ab eo lata est, qui iurisdictione caret. Ita etiam sacri canones ad formam & substantiam electionis Pontificiæ requirunt, vt à Cardinalibus, & tanto eorum numero peracta sit: Locus itaque est exceptioni, per quam substantia hæc & fundamentum euertitur.

Ex dictis colligitur; Tametsi Cardinales vnum ex Corpore seu Collegio suo eligere 4
debeant, si idoneus adsit, vti constat ex c. 1. d. 23. c. 3. & 4. d. 79. si tamen alium, seu clericum seu laicum, eligerent, valida censeri electio deberet: Propterea quòd ea ob nullam inhabilitatem ex iure positiuo prouenientem infirmetur; nisi infirmatio in iure canonico expressa sit. Atque ita ex communi docet Azor cit. cap. 5. §. Cæterùm.

Obijcitur autem I. Summus Pontifex nõ ligatur ecclesiasticis legibus, quatenus pœnales, aut irritantes sunt; Ergo non potuit in Concilijs constitui, vt electio Romani Pontificis facta v. g. per simoniam aut metum grauem & iniustum, irrita esset. Respõdetur, neg. conseq. Quia licèt Pontifices, aut Concilia generalia non possint eiusmodi leges imponere Pontificibus successoribus, si verè & legitimè electi sint; cùm par in parem non habeat imperium, cap. innotuit 20. hoc tit. possunt tamen electionis formam substantialem præscribere, siue conditiones, sine quibus verus & legitimus Pontifex eligi, & constitui non possit.

Obijcitur II. Si electio Pontificis ob defectum aliquem vitiari, & corruere potest, sequi videtur, non esse certum, an Ecclesia verum Pontificem ac Pastorem habeat. Respondeo: Vel defectus eiusmodi coram Ecclesia manifestus est; vel non manifestus, sed occul-

occultus: Si primum, nullum subesse potest periculum: quia Ecclesia talem Pontificem non acceptabit, sed palàm reclamabit. Si secundum, quia ponimus v. g. hæreticum occultum ad Pontificatum assumi, licèt is verè Caput Ecclesiæ non sit, tamen propter publicam ignorationem, Deus (qui in necessarijs non deest) supplebit defectum, vt omnia eius acta & decreta perinde valeant, & obligatoria sint, ac si verus Pontifex esset, argumento eorum, quæ docent DD. ex l. Barbarius 3. ff. Offic. Prætorum. Neque permittet Deus, vt hæresin suam Ecclesiæ ex Cathedra proponat, qua de re latiùs egi in Theol. mor. lib. 2. tr. 1. cap. 7. assert. 3. Accedit, quòd valde probabile sit, diuinâ prouidentiâ impediri, ne vnquam hæreticus, aut simili substantiali occulto defectu laborans, in Pontificem eligatur.

QVÆSTIO est: Si accidat, vt congregato Concilio generali, Papa à Cardinalibus non canonicè electus declaretur, ac reijciatur, vtrùm ad Concilium tunc pertineat alium Pastorem Ecclesiæ prouidere? 5 Resp. cum Azor cit. tom. 2. lib. 4. cap. 2. q. 14. Etiam in hoc casu electionem penes R. E. Cardinales permanere: Cùm enim ea eligendi potestas à Summis Pontificibus, approbantibus etiam generalibus Concilijs, collata & confirmata sit, non potest ea absque iure expresso, & absque necessitatis causa, eisdem auferri. Necessitas autem pro ea vice auferendi Cardinalibus eligendi facultatem, esse posset, si v. g. ad schisma tollendum, cui plerique Cardinales fauerent, expediens esset, electionem à Concilio generali fieri, secundùm Azor cit. loco.

6 NOTANDVM III. Speciale id quoque est in Roman. Pontificis electione, quòd quæ ab initio propter defectum numeri eligentium inualida fuit, conualescit per suffragia, quæ postea accedunt. At verò in alijs Prælatorum electionibus necessarium est, aliam electionem inchoari, vti colligitur ex c. auditis 29. hoc tit.

Sciendum verò insuper est, quòd Gregorius XV. Pontifex nouam Constitutionem de forma Roman. Pontificem eligendi edidit; in cuius obseruationem Cardinales XL iurâsse, testatur Ioann. Malderus 1. 2. q. 95. a. 1. non longè à fine.

NOTANDVM IV. Factâ electione ca- 7
nonicâ Romani & vniuersalis Episcopi, omnis ei potestas super Ecclesiam à Christo Domino confertur, vt proinde aliâ confirmatione non indigeat, prout etiam indicatur in c. 1. n. 23. & c. nouit 13. vbi Innocentius III. dixit: *Potestas nostra non est ex homine, sed ex Deo*, & explicaui hanc rem in Theol. moral. lib. 1. tr. 4. cap. 6. n. 6. Nihilominus consuetudo obtinet, vt Romanus Pontifex post electionem consecretur & coronetur: Et antequam id peractum est, in Bullis non se absolutè Episcopum appellat, sed electum Episcopum: Neque id tempus, quod ante coronationem est, Apostolatûs sui vocat, sed *susceptiApostolatûs officij*, vti videre licet in Gl. in reg. iuris super *data*, ver. Pontificatus.

CAPITVLVM VII.

Cùm in cunctis.

PARAPHRASIS.

Cùm in omnibus promouendis ad sacros Ordines, & ministeria ecclesiastica de his tribus inquirendum sit, ætate, morum grauitate, & literarum scientia, multò magis huiusmodi inquisitio fieri debet in Episcopo; quippe qui ad aliorum curam positus, in se ipso ostendere debeat, qualiter alios in Domo Dei oporteat conuersari. Ideo, ne quod ob temporum necessitatem, secùs interdum actum fuit, in exemplum à posteris trahatur, Alexander III in Concilio Lateranensi cap. 3. decernit, vt nullus in Episcopum eligatur, nisi qui xxx. ætatis annum exegerit, & de legitimo matrimonio natus sit, qui etiam vitâ & scientiâ commendabilis demonstretur.

SVMMARIVM.

1, *Circa promouendos ad sacra ministeria, præsertim Episcopos, tria inquiri debent,*

debent, ætatis maturitas, morum probitas, & scientia requisita.

2. *Plurimum interest Ecclesiæ, eiúsque boni statûs, vt Episcopi aliíq; ecclesiastici Prælati tam seculares quàm regulares honestate morum, & scientiâ clari sint.*

3. *Communiter loquendo, morum & disciplinæ integritas in sacris Congregationibus, præsertim vnà cohabitantium v. g. Religiosorum, pendet ex Prælato, & earum præfectis, ita vt si ea collapsa fuerit, plerumq; huius radix & origo sit, negligentia, imperitia, aut imprudentia eorum, qui præsunt, vel qui proximè præfuerunt.*

4. *Quæ propter temporum necessitatem interdum dispensatiuè facta sunt, non debent trahi ad exemplum, vt etiam secluſa necessitate fieri permittantur.*

5. *Ad Episcopatum eiúsque administrationem plerumq; non satis idoneus est, nisi instructus SS. Theologiæ & Canonum peritiâ.*

6. *Vnde si fieri possit, ad Episcopatum, Vicariatus, & similes Prælaturas & dignitates quærendi sunt, qui in vtroque hoc studio exercitati sint. Si autem contingat, eos haberi non posse, præferri haud dubiè debet purè Theologus purè Canonistæ.*

1 NOTANDVM I. In promouendis ad sacra ministeria, præsertim in Episcopis, tria inquiri debent, ætatis maturitas, morum probitas, & scientia requisita. Et debent, maximè in Episcoporum, aliorúmque Prælatorum promotione, accipi testimonia, siue informationes ab ijs, qui personam, eiúsque qualitates cognitas habent, vti colligitur ex verbis huius c. *commendabilis demonstretur*, & dixi de hoc fusiùs in c. 3. not. 2. q. 1.

2 NOTANDVM II. Plurimùm interest Ecclesiæ, boníque eius status, & disciplinæ ecclesiasticæ conseruandæ, si Episcopi, alijque Prælati cùm seculares, tum regulares honestate morum, atque scientiâ clari sint: Propterea quòd ij aliis, quorum curam gerunt, positi sint ad exemplum, ac proinde in seipsis opere ostendere debeant, quam morum honestatem, & scientiæ eruditionem in aliis exigunt. Hoc ipsum Christus Dominus significare voluit apud S. Matth. cap. 5 quando discipulis suis dixit v. 15. *Vos estis lux mundi*, Et v. 17. *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum qui in cælis est.* Et v. 20. *Qui autem fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum.* Non sufficit itaque, si Episcopi, alijque Ecclesiarum Præpositi ac Rectores populum, aut clerum sibi subiectum bene doceant, salubria decreta, & ordinationes condant, visitationes frequentes instituant, nisi exemplo præeant, & quæ in aliis postulant, & necessaria esse contendunt, in seipsis exhibeant atque ostendant.

§ Si loqui velimus de sacris Congregationibus, præsertim vnà cohabitantium, v. g. Religiosorum, tametsi negari non possit, reperiri subinde aliquos duræ ceruicis, qui nec verbo, nec exemplo facilè ad morum, & disciplinæ integritatem adduci se sinunt; attamen, communiter loquendo, in eam sententiam ire possumus; totum pænè eiusce Congregationis statum, & disciplinam pendere ex Prælato, iísque qui reliquis præfecti sunt. Adeò, vt si disciplina alicubi labatur, siue inordinatè viuatur, si originem indagare quis velit, plerumq; reperturus sit negligentiam, imperitiam, aut imprudẽtiam in ijs qui præsunt; aut qui proximè præfuerunt: quamobrem dicitur in c. nihil 44. hoc tit. *Nihil esse, quod Ecclesiæ Dei magis officiat, quàm quòd indigni* (videl. indocti, imprudentes, aut moribus non probati) *assumuntur Prælati ad regimen animarum.*

4 NOTANDVM III. Quæ propter temporum necessitatem interdum dispensatiuè facta sunt, non debent trahi ad exemplum, vt etiam secluſa necessitate fieri permittantur. Talia sunt v. g. quòd iuuenes, aut adolescentes, vel qui sacris ordinibus initiati non sunt, nec initiari volunt, Episcopi aut Prælati ecclesiarum constituantur. Hæc si quandoque facta sunt postulante necessitate, commendari debent; sin autem necessitas non sit, aut non

tanta, vt in re admodum graui, & ex qua ecclesiis plurimum detrimenti afferri solet, indulgentia siue dispensatio fieri debeat, nulla apud Deum excusatio esse potest. Ita annotauit etiam Abb. hîc n. 1, not. 4.

QVÆSTIO hîc tractari potest; Si quispiam ad episcopatum, aut episcopatûs administrationem promouendus sit, Theologúne, an Canonista, si cætera paria sint, præferri debeat? Pro Theologo stant Theologi, vti videre licet apud Domin. Sotum lib. 3. de iust. q. 6. a. 2. Azor tom. 2. lib. 3. cap. 28. q. 10. Sed Canonistæ, saltem in quibusdam casibus, fauent Canonici iuris Doctores, Hostiensis in c. 1. ibid. Abb. n. 9. de consang. August. Barbosa de offic. & potest. Episcopi p. 2. allegat. 1. n. 30. Respondeo ad quæst. & Dico I. cum Eman. Rodriq. tom. 1. qq. regul. q. 11.
5 a. 4. Ad Episcopatum, vel administrationem episcopatus plerumque non satis idoneus cêseri potest, nisi qui vtrâque cùm sacræ Theologiæ, tum sacrorum canonum peritiâ instructus est, vt manifestè colligitur ex c. 1. & c. nulli 4. & seqq. d. 38. quibus in locis habetur, quòd Episcopus Euangelium, & omnem Scripturam sacram atque sacros canones scire debeat, vt populum vniuersum curæ suæ commissum edocere queat: Priùs enim discere oportet, quàm vt dignè quis alios instruere possit, cap. sic viue 26. causa 16. q. 1. Non requiritur tamen in Episcopo scientia eminens, c. nisi 10. de renunc. sufficit, si tanta adsit, adiuncta prudentia & rerum experientia, vt erroribus ac deceptionibus obnoxius non sit; sed inter bonum ac malum, aptum & ineptum, à suis adiutoribus seu officialibus suggestum consilium, discernere queat, argum. c. nullus 16. ead. d. 38. vbi dicitur, quòd Episcopum etiam à minimis eruditis, si quid fortè est vtilitatis, aut salutis, inquirere oporteat.

Declaratur ampliùs quæ dixi: Præter doctrinam veritatis Christianæ, qua populum sibi subiectum Episcopus pascere debet, atque ab hostibus defendere; multa quotidie ex sacris canonibus responsa dare cogitur circa Ministrorum ordinationes, officia, beneficia; circa Prælatorum sibi subiectorum electiones, confirmationes, institutiones: circa iura patronatus, decimarum, ecclesiasticorum prouentuum, immunitatum; circa vota, iuramenta, dispensationes, censuras, irregularitates, matrimonij impedimenta, rerum ecclesiasticarum alienationes, pias fundationes, vltimas voluntates, &c. Et eò quidem magis, quò amplior episcopalis diœcesis est, & plures ecclesias subiectas sibi habet. Quare hoc ipsum Theologiæ Studiosi perpendere debent, quantò maiorem in Ecclesia Christi fructum facturi, & Episcopis adiumentum allaturi sint, si cùm sacrę Scripturæ, & Scholasticæ Theologiæ laudatissimo studio, sacrorum etiam canonum cognitionem coniungant.

Dico II. Si accidat, vt ex duobus, tanquam § præaliis omnibus idoneis, ad ecclesiam Cathedralem, vel aliam prælaturam promouendus sit; quorum vnus purè Theologus, iuris canonici peritiam vix vllam, siue exiguam habens; alter sit purè Canonista, in Theologia vix quidquam versatus; præferri haud dubiè debet Theologus. Quia cognitio veritatis Fidei magis necessaria est, quippe fundamentum ecclesiasticæ gubernationis, ac disciplinæ. Sed, vti dixi, si fieri possit, quærendi ac promouendi sunt tales ad Prælaturas, Vicariatus, & similes dignitates, qui in vtroque studio versati, & exercitati sint.

§. Cùm verò electus.

PARAPHRASIS.

Posteaquam in Episcopum electus confirmationem accepit, bonorúmque ecclesiasticorum administrationem; tempúsque à sacris canonibus accipiêdæ consecrationi elapsum est, vacant omnia eius beneficia, quę habebat: ita vt liberè conferri possint ab eo, cui de ijs disponendi ius competit.

SVMMARIVM.

1. *Post plenam Episcopatûs assecutionem omnia beneficia, quæ priùs habuit promotus, ipso iure vacant.*

2. Qui-

2. *Quibus quasi gradibus plenitudo episcopalis acquiratur.*
3. *Consecratio Episcopi post confirmationem intra tres menses fieri debet, nisi ineuitabile impedimentum interueniat.*
4. *Si citiùs consecrationem accipiat Episcopus, statim eius beneficia vacant.*
5. *Vacabunt etiam, si ex dispensatione Papa, elapso trimestri, Episcopus non tenetur consecrationem accipere.*
6. *A quo Episcopo, & quo modo, loco, & tempore fieri debeat consecratio.*

1 NOTANDVM I. Post plenam episcopatus assecutionem, omnia beneficia, quæ priùs habebat promotus, ipso iure vacant. Et hodie quidem eiusmodi beneficia, quæ per promotionem vacare dicuntur, Rom. Pontifici reseruata sunt, extrauag. Ex debito, de elect. & Extrauag. Ad regimen, de præbendis, inter communes. De beneficiis autem vacantibus per promotionem ad Abbatias & Prioratus videri potest Flaminius de resign. benef. lib. 3. q. 1. n. 95.

2 NOTANDVM II. Plenitudo potestatis episcopalis, etiam ad eum effectum, vt beneficia promoti vacare censeantur, his veluti gradibus acquiritur: I. Est electio canonica, cui postulatio æquiparatur. II. Est confirmatio, per quam datur ius administrandi, possessionémque capiendi. III. Adeptio possessionis pacificæ tam in spiritualibus, quàm in temporalibus, saltem quoad maiorem bonorum partem, argum. c. 1. §. illum autem, de restit. spoliator. in 6. & tradit. Abb. hîc n. 4. Anton. n. 8. Gl. in c. si tibi 26. ver. vacare, de præb. in 6, Videri etiam potest Gl. in c. commissa 35. ver. pacificam, hoc tit. in 6. IV. Est consecratio, per quam etiam ea acquiruntur, quæ ad ordinis episcopalis exercitium spectant, c. transmissam 15. iun. Gl. ver. de talibus, & c. quod sicut 28. §. Super eo, hoc tit.

3 Porrò consecratio Episcopi intra tres mẽses post acceptam confirmationem fieri debet, nisi ineuitabile impedimentum interueniat, c. 2. d. 75. & cap. 1. d. 100. & in Trident. Sess. 23. cap. 2. de reform. vbi statuitur, vt Ecclesiis Cathedralibus præfecti, si munus consecrationis intra tres menses non susceperint, ad fructuum perceptorum restitutionem teneantur: si intra totidem menses postea id facere neglexerint, ecclesiis ipso iure sint priuati.

QVÆSTIO prima. Si Episcopus priùs, quàm trimestre spatium elapsum est, consecrationem accipiat, vacántne statim eius beneficia? Negat Hostiens. hîc, propter textum huius §. in quo ad beneficiorum vacationem inducendam requiritur, vt tempus de consecrandis Episcopis à sacris canonibus definitum elapsum fuerit. Sed Gl. ver. ad quem spectat, quam Innoc. hîc n. 4. & alij interpretes communiter sequuntur, affirmat. partem amplectitur: quia tunc plenè quis assecutus est episcopatum, vti colligitur ex c. super his 16. de accusat. Ideóque adest ratio & fundamentum, cur alia eius beneficia vacare debeant. Ad argum. Hostiensis ex textu huius §. respondetur: Nihil aliud ibi significari, ni, quòd non tantùm consecratio Episcopi, post pacificam adeptam possessionem, faciat priora eius beneficia vacare: sed etiam, si promotus in culpabili mora consecrationem accipiendi existat: cùm non deceat eum ex negligentia & culpa suum commodum ferre. 4

QVÆSTIO secunda; Si Episcopus indultum, seu dispensationem Papæ accipiat, quò minùs post elapsos tres menses consecrationem accipere teneatur, num interea beneficia eius vacent, nécne? Ioan. Andr. & alij apud Anton. de Butrio hîc n. 13. aiunt, vacare, si dispensatio facta est ad instantiam; eò quòd odiosa censeatur, & strictæ interpretationis; ac proinde non debeat duo operari, videlicet relaxare legem accipiendæ consecrationis, & beneficiorum vacationis: secùs, si motu proprio Papa eiusmodi indulgentiam concessit, argum. c. si motu 22. de præb. in 6. Sed à priore dicto recessit Anton. loco cit. & Abb. n. 8. argum. huius §. in quo secundùm communem intellectum, beneficia promoti in Episcopum vacare dicuntur in duobus casibus: si consecratio accepta est, aut tempus trium mensium, concurrente negligentia, elapsum: Cùm itaque in casu acceptæ dispensationis, etiam ad instantiam promoti, 5

neutrum horum adsit, non videntur vacare beneficia: Et contra fundamentum Ioannis Andr. affert aliam regulam Abb. hîc num. 8. & post eum alij, quos citat & sequitur P. Sanchez lib. 8. de matrim. disp. 1. n. 24. Quòd dispensatio, tametsi alioquin stricti iuris sit, & non extendenda, comprehendere tamen debet ea, quæ sunt accessoria, siue necessariò consecutiua, secundùm Gl. receptam in cap. quia 6. ver. plures, de præb. & sumitur ex c. accepimus 13. de ætate & qualitate. Ex eo autem, quòd consecrationis accipiendæ obligatio sublata est, necessariò sequi videtur, vt & beneficiorum vocatio sublata censeatur, argum. huius textus.

Respondeo tamen & Dico I. Has theorias parum prodesse, cùm testetur Abb. hîc n. 3. & alij apud Azor tom. 2. lib. 7. cap. 16. q. 12. §. præterea, Romanæ Curiæ consuetudinem esse, vt beneficia promoti statim post confirmationem vacare censeantur, aliisque conferantur: quæ praxis reprehendi non potest, dummodò promoti securi sint de consequenda possessione: Sin autem possessionem episcopatus consecuturi non putentur, v. g. Suffraganei titulares, non video, quomodo eorũ beneficia vacare possint, ita vt statim ad Pontificis collationem deuoluantur.

Dico II. Abstrahendo etiam à praxi illa, puto ad propositam quæstionem indistinctè responderi posse affirmatiuè. Nam secundùm sacros canones duo decreta sunt; vnum per se ac principaliter, vt promoti ad episcopatum beneficia vacent; propterea quòd non deceat in altiore dignitate constitutos inferioribus officiis aut ministerijs deseruire, argum. cap. ad aures 8. ff. de rescript. Alterum autem accidentariè, seu accessoriè, vt talis vacatio incipiat à tempore consecrationis, vel elapso tempore, quod cõsecrationi accipiendæ est præscriptum: Tametsi itaque hoc accidentale, seu accessorium per dispẽsationem tollatur, non ideo tamen tollitur, quod est per se, ac principale: cùm principale non pendeat ab accessorio, prout in simili dixi in Theol. morali lib. 5. tract. 4. cap. 5. num. 8. Ex quo patet, regulam ex Abbate Panorm. allatam, veram quidem esse, sed non rectè ad propositum applicari: cùm vacatio beneficiorum non ex sola consecratione, aut eius accipiendæ negligentia consequens sit, sed ex ipsa quoque promotione, cum possessionis pacificæ assecutione, si ponamus consecrationem non esse subsecuturam. Accedit denique, non esse conueniens, vt deterior sit conditio Episcoporum, qui ecclesiasticæ traditioni, & rectè constitutis canonibus obtemperantes, consecrationem accipiunt, quàm eorum, qui quocunque prætextu, postulata dispensatione, subterfugiunt.

Qvæstio tertia. A quonam Episcopo consecratio fieri debeat, & quo modo? Respondeo, & Dico I. Episcopus à tribus Episcopis consecrari debet, vti habetur in Concil. Carthagin. 4. can. 2. in cap. vlt. d. 51. cap. porrò d. 66. cap. Ne Episcopi 7. de tempor. ordinat. Quòd si in prouincia vnus tantùm Episcopus adsit, is conuocabit alios ex prouincia vicina, cum quibus comprouincialem Episcopum consecret, prout tradidit Robertus Bellarmin. lib. 4. de notis ecclesiæ cap. 8. Henriq. lib. 10. cap. 7. n. 3. & cap. 24. Est autem valde probabile, ex summi Pontificis dispensatione etiam vnum Episcopum consecrationem peragere posse: Quamobrem testatur Augustinus Barbosa super Trident. Sess. 23. c. 2. de reformat. Pium V. concessisse, vt in locum duorum Episcoporum, assistentium, vbi ij haberi aut accersiri non possunt, duo Abbates, vel alij in dignitate constituti Presbyteri subrogari queant.

Dico II. Modus consecrandi Episcopum est per impositionẽ manuum Episcoporum, vti colligitur ex Apostolo 1. ad Timoth. c. 4. v. 14. 2. ad Timoth. c. 1. v. 6. Forma autem, *Accipe Spiritum sanctum*, &c.

Qvæstio quarta. Quo in loco, & quo tempore Episcopus consecrandus sit? Respondeo, & Dico I. Etsi decens sit, Episcopi consecrationẽ, si extra Vrbem fiat, in ecclesia Cathedrali, ad quam promotus est, peragi; nõ tamen id necessarium est, sed in alia quoque ecclesia, præsertim intra prouinciam, aut diœcesin, institui potest, vti colligitur ex suprà cit. cap. vlt. d. 51. & cit. Sess. Trident. 23. cap. 2. de reformat.

Dico

Dico II. Episcopi & Archiepiscopi die Dominico consecrari debent, ex antiquissimo, & vt Leo I. Pontifex ait, relatus in cap. quòd die 5. d. 75. Apostolicâ traditione. Attamen Roman. Pontifex dispensatiuè licentiam dare potest, vt consecratio Episcopi alio die fiat.

§. Inferiora.

PARAPHRASIS.

Decanatum, Archidiaconatum, & alia beneficia curata, etiam parochiales ecclesias nemo suscipere potest, nisi 25. ætatis annum attigerit, & scientiâ ac moribus cõmendatus existat. Et debet promotus ad huiusmodi beneficium intra tempus à iure definitum, ordinem sacrum requisitum accipere; alioquin, si post admonitionem non paruerint, remoto omni appellationis refugio, remouendi sunt, & officia alijs conferenda, qui ea & velint & possint conuenienter implere. Idque accipiendum non tantùm de promouendis, sed etiam de iam promotis, dummodò canones eorum ordinationi non obsistant.

SVMMARIVM.

1. *Ad beneficium curatum qualecunque infra episcopatum requiritur ætas 25. annorum cœptorum. Ad dignitates & personatus sine cura animarum anni 22. completi requiruntur. Irrita est prouisio, si fiat alijs, quàm hanc ætatem habentibus.*
2. *Quædam ecclesiastica beneficia sunt, quibus annexa est obligatio suscipiendi sacri Ordinis; quibusdam autem non est, nisi extraordinariè.*
3. *Sufficit tamen si quis sacrum Ordinem accipiat, intra annum post diem promotionis suæ ad beneficium, cui sacri Ordinis obligatio est annexa, numerandum.*
4. *Vniuersim loquendo satis non est, promouendum ad beneficium, cui sacer Ordo annexus est, eam ætatem habere, vt intra annum Ordines suscipere possit, si ad tale beneficium in canonico iure certa ætas per se ac directè requiratur, v. g. ad curatum quodlibet beneficium requiruntur 24. anni completi.*
5. *Secùs est, si certa ætas tantùm per accidens & consecutiuè requiratur, vti fit in Canonicatibus Cathedralis Ecclesiæ; tunc sufficit, promouendum in ea ætate esse, vt intra annum sacrum Ordinem accipere possit.*
6. *Omnes Cathedralis ecclesiæ Canonici cùm instituuntur, saltem eam ætatem habere debent, vt intra annum subdiaconi fieri possint, videl. 22. ann.*

Hæc tamen Constitutio non obseruatur omnimodè in pleriſque Germaniæ Cathedralibus Ecclesiis, dum passim pueri in Canonicos assumuntur, non sine paruo Ecclesiæ detrimento.

7. *Si in literis fundationis expressè sit, vt Capellania sacerdotalis sit, siue vt Capellanus per se sacrificia celebrare debeat; poterit nihilominus illa conferri non Sacerdoti, modò habeat eam ætatem, vt intra annum Sacerdotium accipere possit.*
8. *Ex causa graui & necessaria Episcopus dispensare potest in ætate promouendi, quando ea per accidens ratione annexi Ordinis requiritur.*
9. *Qui ad dignitates ecclesiasticas & curata beneficia assumuntur, scientiâ & moribus, commendati esse debent.*
10. *Electio, præsentatio, aut prouisio beneficij irrita est, si fiat omnino illiterato, qui literas latinas ne legere quidẽ scit.*
11. *Si quis legere & scribere sciat, licèt non intelligat, eius præsentatio aut beneficij collatio ipso iure quidem valida esse videtur, rescindi tamen debet: imò si beneficium curatum sit, aut ecclesia Cathedralis, ipso iure irrita est promotio.*
12. *Si electio aut prouisio beneficij facta sit notato iuris infamiâ, omni iure irrita est.*
13. *Si facta sit homini criminoso, seu infamiâ facti laboranti, irrita est in ordine ad forum externum.*

14. *Hic tamen in ordine ad forum internum, si nemo se ipsi opponat, & speret se breui defectum, videl. per publicam vitæ emendationem tollere posse, tutus esse potest, ita vt tituli reualidatione aut dispensatione non indigeat. Eadem ratio est de alijs quibusdam defectibus.*

15. *Fundatur prædicta doctrina in hoc generali principio: si in electione aut prouisione beneficij, alienatione rei ecclesiasticæ, vel simili actu desit solemnitas, vel aliquid requisitum (iure positiuo) substantiale, seruata tamen sint omnia de iure naturali necessaria, nec iniuria interuenerit, in Conscientia tutus est electus, prouisus, aut contrahens, donec Iudicis auctoritate talis actus rescindatur.*

16. *Excipe, nisi ab initio Magistratus actũ ita infirmet (sicuti potest, & nonnunquam solet) vt ne in Conscientiæ quidem foro vllus inde effectus sequatur.*

17. *Afferuntur casus, in quibus electio, aut prouisio beneficij adeò infirmata est, vt electus aut prouisus nullum omnino ius in beneficio acquirat, ita vt in Conscientiæ foro resignare obligatus sit, nisi dispensationem, titulique reualidationem impetrauerit.*

Si ante obtentam dispensationem in propria persona beneficium administret, vitium intrusionis incurrit, ob quod de nouo inhabilis redditur ad illud assequendum.

18. *Ordinariè loquendo, irregularis, vel aliter inhabilis ad Prælaturam aliúd ue beneficium ecclesiasticum, non potest illud petere, vel acceptare, nisi priùs dispensationem super defectu, si dispensabilis sit, obtineat.*

19. *Accidere tamen potest casus, in quo vtrumque liceat absq; dispensatione antè impetratâ.*

20. *Constitutio hæc Alexandri III. trahitur etiam ad præterita.*

21. *Qui beneficium certum, Ordinem sacrũ requirens, canonicè assecutus fuit, si sine culpâ suâ eum accipere non posset, non debet beneficio inuitus priuari.*

NOTANDVM I. Ad beneficium curatum qualecunque infra episcopatum requiritur ætas XXV. annorum cœptorum, vti etiam habetur in c. licèt canon 14. hoc tit. in 6. & in Concil. Tridentino sess. 24. cap. 12. de reform. In quo eodem cap. ad dignitates & personatus, quibus animarum cura non incumbit, anni XXII. completi requiruntur. Quòd si alijs, quàm dictam ætatem habentibus prouisio fiat, irrita censeri debet, cit. c. licèt, & Trident. sess. 22. cap. 4. de reform. in fine.

NOTANDVM II. Quædam ecclesiastica beneficia sunt ex propria institutione sacrum Ordinem requirentia; Et horum alia Sacerdotalia, vt Decanatus, Præpositura, Abbatia &c. Alia Diaconalia, vt Archidiaconatus, de quo infrà hoc libro tit. 23. Alia Subdiaconalia, v. g. Canonicatus ecclesiarũ Cathedralium iuxta Trident. Concil. sess. 24. c. 12. de reform. vbi salubriter decretum, vt *in omnibus ecclesijs Cathedralibus omnes canonicatus & portiones habeant annexum Ordinem Presbyterij, Diaconatûs, vel Subdiaconatûs: Episcopus autem, cum consilio Capituli, designet, ac distribuat, prout viderit expedire, quibus quisque Ordo ex sacris annexus in posterum esse debeat: Ita tamen, vt dimidia saltem pars Presbyteri sint, cæteri verò Diaconi; aut Subdiaconi: vbi verò consuetudo laudabilior habet, vt plures vel omnes sint Presbyteri, omninò obseruetur.*

Alia autem beneficia sunt, quibus sacri Ordinis susciendi obligatio annexa non est; præterquam extraordinariè, si ob ecclesiæ necessitatem, siue Ministrorum penuriam, Superioris præceptum vrgeat; iuxta c. quæris 6. de ætate & qualit. Talia, spectato communi iure, sunt canonicatus ecclesiarum Collegiatarum: Sed hi Canonici, dum in sacro Ordine constituti non sunt, vocem in Capitulo habere non possunt, Clement. 2. de ætat. & qualitate, Concil. Trident. sess. 22. c. 4. de reform. *Quicunque in Cathedrali, seu Collegiata seculari, vel regulari ecclesia diui-*

nis

nis mancipatus officijs, in Subdiaconatûs ordine saltem constitutus non sit, vocem in huiusmodi ecclesijs in Capitulo non habeat; etiamsi hoc sibi ab alijs liberè fuerit concessum. Videri potest bona Gl. in Clem. 2. ver. ex tunc, de ætat. & qualitate &c.

Dixi autem *spectato communi iure*: Laudabiles enim ac retinendæ sunt quarundam secularium ecclesiarum Collegiatarum consuetudines, aut statuta, vt omnes Canonici Presbyteri sint, aut saltem in sacro ordine constituti.

3 Porrò necessarium non est, vt assecutus beneficium, cui sacri ordinis obligatio annexa est, actu eum habeat: sed sufficit, si intra annum post diem promotionis suæ numerandum, eum accipiat, iuxta cit. Clem. 2. & Concil. Trident. sess. 24. de reform. §. Neminem: Alioquin, nisi impedimentum legitimum ostendatur, iuris pœnas incurret, qui se intra id tempus ordinari non curauit. Quòd si post admonitionem contumacia accesserit, etiam priuari poterit, & beneficium alteri conferri, qui officio satisfacere velit, argum. huius §. & tradidit Gl. in cit. c. licèt canon, ver. priuatus. Id verò in curatis beneficijs speciale est, quòd ipso iure amittantur, si promoti intra annum, cessante legitimo impedimento, Sacerdotium non accipiant, etiamsi nulla monitio antecesserit, cit. c. licèt canon, & c. commissa 35. eod. in 6. vbi etiam explicatur, annum numerandum esse à tempore, quo possessio beneficij curati pacifica habita, vel per promotum stetit, quò minùs eam haberet.

Eapropter notant DD. hîc apud Abb. n. 10. Azor tom. 2. lib. 6. cap. 8. quæst. 11. & 12. Quædam esse beneficia sacerdotalia, diaconalia &c, *secundum aptitudinem*: quia sufficit, quòd ad ea promoti intra annum ordinem sacrum requisitum accipere possint: Alia verò esse *secundùm actum*; si videlicet statuto diœcesano, aut in fundatione requiratur, vt v. g. canonicatus, aut capellaniæ nõ nisi Sacerdotibus, aut saltem in sacro ordine constitutis conferantur. Nisi autem id clarè decretum sit, statuti aut fundationis verba intelligi debent iuxta iuris communis dispositionem.

Exinde Abb. in cit. hîc n. 1. Azor cit. cap. 8. q. 14. explicant & resoluunt casum c. ei cui, 29. iun. Gl. in casu, de præb. in 6. Si Papa Titio, qui Sacerdos non est, sed intra annum Sacerdos fieri potest, mandet conferri beneficium sacerdotale, accidat autem vacare sacerdotale secundùm aptitudinem, conferendum esse Titio: Non item, si sit sacerdotale secundùm actum. Nisi Pontifex clausulam adijciat, ex qua satis constet, quòd statuto, aut consuetudini ecclesiæ derogare voluerit. Cæterùm generalis adiecta clausula *Nõ obstantibus quibuscunque statutis, aut consuetudinibus* non debet videri sufficiens ad derogandum, si conditio Sacerdotis actualis ex fundatione, præsertim à laico facta, requiratur: Partim quia literæ omnes ad beneficia strictam interpretationem merentur c. quamuis 4. de præb. in 6. Clem. 2. iun. Gl. ver. expressè eod. tit. & videri possunt, quæ dixi in c. constitutus 19. de rescriptis, partim quia Roman. Pontifex non facilè solet fundatorum voluntates immutare, ne alioquin homines à pijs eiusmodi dispositionibus abstrahantur.

Qvæstio prima. Num vniuersim loquendo, satis sit, quòd promouendus ad beneficium, cui sacer ordo annexus est, eam tunc ætatem habeat, vt intra annum, ordiné suscipere possit? Respondeo; Ad beneficia 4 huiusmodi, interdum in canonico iure certa ætas per se ac directè requiritur; v. g. ad consequendum episcopatum anni xxx. & ad quodlibet beneficium curatum anni xxiv. completi; tum non sufficit tanta ætas, vt promotus intra annum Sacerdos fieri possit: Irrita itaque est collatio parochiæ facta v. g. Diacono, qui annum xxiv. non exegit non quia Sacerdotium non habet, sed quia legitimam ætatem assecutus non est, vti constat ex hoc §.

Neque verò Episcopo in hoc casu dispensandi facultas concessa est, secundùm Gloss. communiter receptam in c. cùm dilectus 32. ididem Abb. n. 9. hoc tit. & aliam Gl. in

suprà

suprà cit. c. licèt canon. ver. carere, ibidem Francum n. 4. Ioannem Monachum n. 5. Capellam decis. Tholosana q. 319. Ioannem Azor tom. 2. lib. 6. cap. 5. q. 9. vbi aiunt, quòd Episcopus non dispenset in ætate secundùm canones requisita ad beneficium; nisi dispensatio ipsi specialiter concessa sit, argum. c. vn. iun. Gl. ver. permittimus, de æt. & qualitate in 6.

5 Interdum verò certa ætas ad beneficia requiritur per accidens & consecutiuè, quatenus sacer ordo beneficijs annexus est, v. g. canonicatibus ecclesiæ Cathedralis: Tunc sufficit, promouendum in ea ætate esse, vt ordinem sacrum intra anni spatium accipere possit, prout rectè docuit Abb. in c. dudum 22. n. 12. hoc tit. Azor tom. 2. lib. 6. cap. 5. q. 5. in fine, vbi ait, secundùm Trident. Constit. cit. sess. 24. c. 12. de reform. omnes

6 Cathedralis Ecclesiæ Canonicos, cùm instituuntur, saltem eam ætatem habere necessarium esse (videl. XXII. annos inchoatos) vt intra anni spatium Subdiaconi fieri possint. Hæc verò constitutio in plerisque Germaniæ Cathedralibus ecclesijs non omnimodè obseruatur; quando passim in Canonicos (vocem tamen in Capitulo non habentes) assumuntur pueri, qui ætatis annum XIV. attigerunt: interdum etiam, qui nec XII. aut XIII. annos habent; tametsi plerumque Romæ dispensatio impetretur, aut saltem collationis factæ reualidatio, vt perinde valeat, ac si à principio canonica fuisset. Ex qua ipsa tamen re ecclesijs non paruum detrimentum prouenire solet: propterea vel maximè, quòd in ea ætate plerumque non appareat, an qui promouentur, idonei futuri sint, & ecclesiæ vtiles: Præstaret haud dubiè, ex ecclesiæ Cathedralis prouentibus portiones, non beneficiales decidi, pro pueris, etiam nobilibus, sustentandis in literarum studio; vt ex ijs, posteaquam ad ætatem legitimam deuenissent, eligi possent, qui bonis moribus pariter & doctrinâ ornati ad seruitium Dei idonei viderentur. Vide tamen quæ infrà dicam in hoc §. q. 3.

De pueris non facilè ad beneficia ecclesiastica instituendis videri etiã potest Henric. Gaudauensis quodlib. 9. q. 30. Ioann. Maior in 4. sent. d. 24. q. 5. Caiet in summa, ver. beneficia ecclesiastica, cap. 2. vbi ait, *Conferre pueris ecclesiastica beneficia, existentibus alijs adultis idoneis, non solùm inexcusabile, sed etiam intolerabile videtur.* Neque obstare debet, quòd, spectato antiquo iure, impuberes, post exactum ætatis septennium, beneficiorum simpliciũ capaces censebantur, secundùm Gl. receptam in c. super inordinata 35. ver. pueri, ibid. Abb. n. 8. de præbendis, & colligitur ex c. ex eo 32. in princ. hoc tit. in 6. vbi legimus, ecclesiæ Cathedralis Canonicum in ætate pupillari constitutum fuisse. Nam circa ea tempora rectâ intentione & solius diuini seruitij causâ, à piis parentibus pueri offerebantur ecclesijs, vt in sacro aliquo Collegio ad omnẽ pietatem, & ecclesiasticos ritus instituerentur: Nunc autem liberè vagari, & non rarò malis moribus assuescere permittuntur, donec ad eam ætatem veniant, vt sacrum ordinem accipere, & Capitulares fieri possint.

Baldus in c. cùm adeò n. 10. de rescript. eúmque secutus Felin. in c. si quando n. 4. eod. tit. aiunt, si Papa scienter scribat pro infante, seu minore septem annis, vt ei beneficium ecclesiasticum conferatur, non esse obediendum, nec literas executioni mandandas. Sed non rectè sentiunt; cùm Pontifex in ecclesiasticis beneficijs plenitudinem potestatis obtineat c. 2. de præb. in 6. c. proposuit 4. de conces. præbendæ; & annotauit Azor cit. cap. 5. q. 8. §. Sed quærat aliquis; Qui tamen bene addit; *Dubitandum non esse, has iuris relaxationes ecclesijs multum obesse, & ex eis maximum animæ periculum creari, tum in ipsis infantibus, tum in ijs qui eas impetrandas curant.*

Qvæstio secunda. Si in literis fundationis expressum sit, vt Capellania sacerdotalis sit, siue, vt Capellanus per se sacrificia celebrare debeat, num ea conferri possit non sacerdoti; si eam is ætatem habeat, vt intra annum Sacerdotium accipere possit? Respondendum est affirmatiuè: Quia huiusmodi fundationes, non minùs quàm statuta, 7

tuta, ita explicare conuenit, vt cum iure communi congruant. Debet itaque prouisus interea dum Sacerdos ordinatus non est, per substitutum Sacerdotem beneficio suo satisfacere.

8 QVAESTIO tertia. Vtrùm Episcopus dispensare possit in ætate promouendi, quando ea non per se ac directè requiritur, sed per accidens ratione annexi ordinis, sicuti suprà dixi de Cathedralis ecclesiæ Canonicis? Non improbabiliter affirmat Anton. de Butrio in c. præterea n. 7. de ætat. & qualitat. dispensari posse ex causa graui, & necessaria: cuiusmodi est studiorum, argum. c. cùm ex eo 34. hoc tit. in 6. Cùm enim ex ea causa permittatur Episcopo, vt in non accipiendis ordinibus dispensare queat; consequenter etiam, vt in ætate, si ea solùm per accidens, siue propter ordinis sacri susceptionem requiratur. Additur quidem in cit. cap. cùm ex eo, quod Curatus dispensatus propter studia, vt sacerdotium intra septennium recipere nõ teneatur, saltem Subdiaconus fieri debeat, id tamẽ duntaxat de beneficiis curam animarum habentibus decretum est. Atque iuxta hanc theoriam defendi potest, quod suprà dixi, in Cathedralibus ecclesiis Germaniæ Canonicos, videl. dispensatiuè, institui studiorum prosequendorum causa, qui intra septem circiter annos sacrum ordinem, ob ætatis defectum, accipere non possunt. Interim tamẽ verum censeo, quod ibidem addidi, huiusmodi dispensationes seu potiùs consuetudines ecclesiis vtiles non esse.

Plura de ætate requisitâ in beneficiariis videri possunt in Theol. moral. lib. 4. tract. 2. cap. 14. n. 1.

9 NOTANDVM II. Qui ad dignitates ecclesiasticas, & curata beneficia assumuntur, scientiâ & moribus commendati esse debent. Ita hîc, & in Concil. Trident. Sess. 24. cap. 12. de reform. Idem quoque vniuersim de promouendis ad beneficia habetur in cap. graue 29. de præb. & Clem. 1. de æt. & qualit.

10 QVAESTIO prima; Num electio aut prouisio beneficij irrita sit, si fiat illiterato? Respondeo & Dico I. Si quis omnino illiteratus sit, vt literas latinas ne legere quidem possit, eius electio, præsentatio, aut prouisio ipso iure irrita est, arg. c. vlt. de tempor. ordinationum in 6. Quia, vti dicitur in c. illiteratos d. 36. *literis carens sacris non potest esse aptus officiis.*

Dico II. Si quis legere & scribere sciat, licet non intelligat, eius præsentatio, aut beneficij collatio ipso iure valida esse videtur, teste Nauarro in c. si quando, except. 12. de rescript. n. 8. Rescindi tamen debet, vti colligitur ex Concil. Trident. Sess. 7. cap. 3. de reform. & sess. 24. c. 12. de reform. Imò, si beneficium curatum sit, aut Ecclesia Cathedralis, ad quam ita illiteratus promouetur, ipso iure irrita est promotio, vti colligitur ex hoc §. & c. vlt. de æt. & qualit. An verò ita indignus in conscientia semper obligatus sit ad resignandum, dicam postea q. 3. 11

QVÆSTIO secunda; An electio, aut prouisio beneficij irrita sit, si fiat moribus improbo, aut infami? Respondeo & Dico I. Si electio seu prouisio facta sit notato iuris infamiâ, seu per sententiam Iudicis inflicta, irrita est omni iure. Quæ est certa doctrina: Cùm enim isthæc infamia ipso iure priuet dignitatibus acquisitis, l. vn. c. de infamibus lib. 10. & docet Couarr. in pract. qq. c. 19. n. 5. multò magis repellit ab acquirendis: Videri possunt quæ dixi in Theol. morali lib. 1. tract. 5. p. 5. cap. 5. 12

Dico II. Si electio, vel prouisio beneficij fiat homini criminoso, seu infamiâ facti laboranti, irrita censeri debet in ordine ad forum externum: quia Iudex seu ex officio, seu parte se opponente atque petente, electionem, collationem, seu quamlibet institutionem, & omnia quæ eius prætextu facta sunt, perinde rescindere debet, ac si ab initio irrita, videlicet non canonicè peracta sint. Idque, quod attinet ad dignitates, vtroque iure satis expressum est, hoc ipso c. post princ. iuncto c. innotuit 20. hoc tit. c. inter dilectos 13. de excess. Prælatorum ibi; *cùm personis vilibus & indignis portæ dignitatum patere non debeant, iuxta legitimas sanctiones*; Videl. l. vn. C. de infamibus lib. 10. & l. 2. C. de dignitat. lib. 12. *Neque famosis, & notatis, & quos scelus & vitæ turpitudo inquinat, & quos infa-* 13

mia ab honestorum hominum cœtu segregat, dignitatis portæ patebunt. De aliis quoque beneficijs id colligitur ex hoc §. & suprà cit. c. graue, & Clem. 1. de ætate & qualitate.

14 Dico III. In ordine ad conscientiam electi, seu prouisi, laborantis infamiâ facti, siue commissi criminis, si nemo se ipsi opponat, & speret breui pòst tempore se defectum, videlicet per vitæ publicam emendationem, tollere posse, tutus ipse esse potest, ita vt tituli reualidatione, aut dispensatione non indigeat: Eadémque ratio est de alijs quibusdam defectibus: videlicet si electus, aut prouisus tempore electionis, aut prouisionis, irregularis fuit, suspensus, minore excommunicatione affectus, aut ætatem legitimam vel scientiam requisitam nondum consecutus, si enim breui pòst tempore speret se absolutionem v.g. à suspensione, dispensationem super irregularitate habiturum, scientiam acquisiturum sufficientem, &c. in foro conscientiæ acquiescere potest, secundùm doctrinam Innocent. in c. quod sicut n. 8. hoc tit. & c. cum nostris n. 1. de concess. præbendæ, Ioan. Andr. in c. Capitulum n. 54. de rescriptis, Felini in c. inquisitionis 21. n. 6. de accusat. Abb. in c. 1. n. 19. de in integrum restitut. ad finem, & in c. quia plerique n. 31. de Immunit. eccles.

Quæ ipsa doctrina ex generali ore, principio seu regula desumitur, quam ijdem DD. tradunt, Nauarrus quoque de alienat. rerum eccles. n. 17. & de spoliis clericorum §. 2. n. 6. Sanchez lib. 8. de matrim. disp. 7. n. 12. Syluester ver. alienatio q. 13. Sa ver. contractus n.

15 1. Si in electione, aut prouisione beneficij, alienatione rei ecclesiasticæ, vel simili actu, desit solemnitas, aliúdue requisitum, licet id secundùm ius positiuum censeatur esse substantiale, si tamen obseruata sint ea, quæ spectato iure naturali necessaria sunt, tum electus, prouisus, aut contrahens (dummodò nulla iniuria interuenerit) tutus est in conscientia, donec electio, collatio, alienatio, aut similis actus, ab eo qui potestatem habet, rescindatur. Quod ipsum iura canonica non rarò significant, quando v.g. electionem, quæ ipso iure infirma est, dicunt à Iudice irritandam siue rescindendam esse; ideóque Iudicis sententiâ, saltem declaratoriâ, opus esse, vt electus, vel prouisus abscedere cogatur, c. cùm dilectus 8. de consuet. c. 1. de postul. Prælatorum, c. scriptum 40. hoc tit. prope finem, & c. vlt. de cleric. excomm. ministrante.

Porrò hæc ipsa doctrina non ita accipi 16
debet, quasi vniuersalis sit, siue quòd Magistratui cùm ecclesiastico, tum seculari, desit potestas, lata lege, ob publicam vtilitatem, contractum aliquem, electionem, collationem, aliúmue actum, qui iure naturali præcisè spectato subsisteret, ita penitus ab initio infirmandi, vt ne in conscientiæ quidem foro aliquis ex eo effectus sequatur: Sed ita doctrina ea accipi debet, quòd in dubio, & nisi lex exprimat, vel ex natura contractus, alteriúsue actus necessariò sequatur, præsumendum non sit, talem esse humanarum constitutionum rigorem, prout etiam docui Theol. moral. lib. 1. tract. 4. cap. 16. n. 6. & 9. Hic verò 17
exempla, siue casus aliquos afferre placet, in quibus electio aut prouisio beneficij per ecclesiasticam legem adeò infirmata est, vt electus, aut prouisus nullum omnino ius in beneficio acquirat; ideóque retinere illud non possit, sed in conscientiæ etiam foro resignare obligatus sit; nisi dispensationem, tituliq; reualidationem impetrauerit: Quòd si autem ita inualidè electus, aut prouisus in propria persona administret, vitium intrusionis incurret, ob quod de nouo inhabilis redditur ad idem beneficium assequendum, iuxta ea quæ dixi in Theol. mor. lib. 4. tract. 1. cap. 15. n. 3.

Primus. Si quis in maiore excommunicatione constitutus sit, eius electio, præsentatio, aut prouisio omnimodè irrita est, vt nullum ipsi ius acquiratur, & beneficium, donec cum eo dispensatum sit, retinere non possit, c. postulastis 7. de cler. excomm. ministr. cap. 1. de rescript. in 6. & videri potest Suarez de censur. disp. 13. tota s. 1. Et locum id habet, tametsi excommunicatio occulta, aut probabiliter ignorata sit ab excommunicato, prout tradit Gl. in cap. apostolicæ ver. probabilis cit. tit. Abb. cit. cap. postulastis n. 3. & 4. Suarez cit. sect. 1. num. 3. contra Felin. eod. cap. apostolicæ col. 2. Nauarr. in cap.

Fratres

Fratres n. 45. d. 5. de pœnit. vbi aiunt, si quis excommunicationem, inhabilitatémque ignorans beneficium accepit, validam esse prouisionem.

Secundus. Si electores, aut collatores beneficiorum excommunicati sint, aut ab officio suspensi; denunciati tamen, seu non tolerati. Veruntamen hæc electionis aut prouisionis nullitas prouenit potiùs ex natura rei: Cùm enim per eiusmodi censuram auferatur, seu impediatur potestas eligendi, aut prouidendi, sequitur nullius momenti aut efficaciæ posse esse electionem seu prouisionem.

Tertius. Electio, postulatio, confirmatio, prouisio beneficij, quæ interueniente simoniaca labe facta, viribus omnino caret, iuxta Extrauag. 2. de Simon. inter communes. Ideóque nullum ius acquiritur prouiso, sed in conscientia obligatur beneficium vnà cum fructibus restituere.

Quartus est, quem suprà indicaui, quòd electio aut prouisio facta infami iuris infamia, omni iure irrita sit. Aduertendum autem hìc discrimen inter infamiam iuris, & infamiam facti (quæ aliud non est, quàm publica notitia, aut opinio commissi criminis, per quam hominis existimatio, spectata qualitate & statu personæ, apud viros prudentes grauiter læditur) quòd ad tollendam iuris infamiam Principis dispensatione, ac restitutione opus sit; qui Princeps in ordine ad beneficia ecclesiastica consequenda, haud dubiè est solus Papa. At verò infamia facti, tametsi orta sit ex crimine graui, & digno depositione, penitus aboletur per factum contrarium, id est, publicam & constantem vitæ emendationem. Ratio dicti discriminis sumitur ex iuris regulis, *Cessante causa, cessat effectus*, c. cùm cessante 60. de appellat. Et, *per quas causas aliquid nascitur, per easdem dissoluitur*, c. 1. de regulis iuris. Quòd si verò commisso crimine pœna suspensionis, depositionis &c. ipso iure annexa sit, tum absolutione, aut dispensatione opus esse, nemo dubitat: Tale est, exem. caus. Sodomiæ crimen frequentatum: cùm enim deijciat hominem iure beneficij acquisiti, propter Pij V. constitutionem Bulla eius 70. quæ incipit *Horrendum*, multò magis impedit, ne promoueatur: Si tamen crimen occultum & ad forum contentiosum deductum non sit, Episcopus absoluere, aut dispensare potest, per Trident. Concil. concessionem Sess. 24. cap. 6. de reformat.

Qvæstio tertia. Vtrùm electus ad prælaturam, aut quodlibet beneficium promouendus, occultum suum defectum, aut inhabilitatem manifestare debeat? Respondeo & Dico I. Ordinariè loquendo, qui est irregularis v. g. aut aliter inhabilis ad prælaturam, aliúdue beneficium ecclesiasticum, non potest illud petere, aut acceptare, nisi priùs dispensationem super defectu, si dispensabilis sit, obtineat. Sumitur ex cap. innotuit 20. in princ. hoc tit. c. nisi 10. §. Personæ verò, de renunc. cap. vlt. ver. scienter de cler. excomm. ministr. Qua eadem ratione docent DD. communiter apud Sanchez lib. 3. de matrim. disp. 14. quòd irregularis vel abstinere debeat à successione ordinis, vel defectum suum, etiam occultum, manifestare, dispensationémque impetrare. Neque enim verò in tali casu homini imposita est necessitas seipsum infamandi: cùm possit ab ordine accipiendo abstinere; item prælaturam, aut beneficium ecclesiasticum non petere, aut non acceptare. 18

Dico II. Accidere potest casus, vt prælatura, aliúdue ecclesiasticum beneficium alicui deferatur, quod non facilè recusare queat, neque occultam irregularitatem, aliámue inhabilitatem, absque sui infamatione, manifestare, prout bene docuit P. Franc. Suarez de censur. disp. 40. sect. 2. n. 31. & 34. Ratio est: Quia electio, collatio, aut prouisio beneficij facta personæ irregulari, naturaliter & quasi fundamentaliter consistit, vti suprà explicaui: tametsi verò iure ecclesiastico prohibita sit, imò etiam in ordine ad exter. num forum irrita, tamen lex ista positiua, vnde obligatio inhabilitatem suam explicandi, aut abscedendi promanat, non obligat in casu necessitatis. Cui doctrinæ consentit Innocent. in cit. c. innotuit num. 2. vbi vacet: Si irregularis tacuit defectum suum, & postea 19

impetrauit dispensationem super irregularitate, electionem aut collationem antea factam eo ipso validam censeri: Id verò falsum esset, si electio aut collatio secundùm fundamentum & substantiam, ante omnem Iudicis sententiam irrita esset: Quia *quod ab initio vitiosum est, non potest tractu temporis conualescere*, reg. 29. ff.

Adde his, tametsi prouisio beneficij omni iure penitus irrita sit, videlicet in casibus suprà enumeratis, posse tamen contingere casum, vt aliquis, quantum in se est, sibi oblatum licitè acceptet, propter grauem necessitatem: v. g. Si Titius sciens simoniacam pactionem interuenisse, vel conscius occultæ suæ excommunicationis, quam prodere non potest, nec absolutionem impetrare, à patre suo, grauibus intentatis minis, cogatur beneficium ecclesiasticum statim acceptare; postea reualidationem tituli consecuturus, aut beneficio renunciaturus.

20 NOTANDVM III. Constitutio ipsa Alexandri III. Papæ trahitur etiam ad præterita, vti significatur in verbis vlt. huius §. *Hoc sanè*. Quia, vt Gl. hîc ait, non est noua constitutio, sed potiùs declaratoria seu potiùs confirmatoria iurium antiquorum, quibus eadem de ætate & ordine præficiendorum ad beneficia, statuta erant. Imò verò vsitatum olim fuit, vt nemo Presbyter ordinaretur ante annos ætatis xxx. exactos, vti videre licet in d. 78. c. 1. & seqq.

NOTANDVM IV. Circa ea verba, *si canones non obsistant*. Qui beneficium certum ordinè sacrum requirens canonicè assecutus fuit, si sine culpa sua eum accipere non possit, nō debet beneficio inuitus priuari. Ita Gl. recepta super hoc §. ver. si canones, Ant. de Butrio hîc circa versum *hoc sanè* n. 4. & alia Gl. in c. licet canon 14. ver. priuatus, post mediū, hoc tit. in 6. argum. c. ex parte 5. de clerico ægrot. ibi; *Nec afflicto afflictio addēda, imò potiùs ipsius miserendum*. Secùs dicendum, si suâ culpa inhabilitatem ad ordinem suscipiēdum contraxit: tum enim, nisi ecclesiæ valdè vtilis esse censeatur, remouendus erit, iuxta c. quæris 6. iun. Gl. ver. fatentur, de ætate & qualitate præficiendorum.

§. Clerici sanè.

PARAPHRASIS.

Si Clerici, siue canonici personam indignam, videl. legitima ætate, scientiâ, aut morum honestate carentem, in Episcopum elegerint, priuati sunt pro ea vice eligendi potestate; insuper suspensi per triennium à beneficiis: quia dignum est, vt quos Dei timor à malo non reuocat, ecclesiasticæ seueritas disciplinæ coërceat. Episcopi autem, si contra formam præscriptam in hoc c. §. *Inferiora* indignum promouerint, aut promoueri consenserint, eorundem officiorum ac beneficiorum conferendorum potestatem pro ea vice amittant; Et per Capitulum, vel, si id concordare nequeat, per Metropolitanum ordinentur.

SVMMARIVM.

1. *Clerici siue Canonici indignum eligentes in Episcopum, vel postulantes, priuati sunt pro ea vice eligendi potestate, & suspensi per triennium à beneficijs.*
2. *Suspensionem autem tantùm incurrunt, qui ad Cathedralem ecclesiam indignum eligunt.*
3. *Probabilius est, pœnam priuationis pro vna vice latam contra electores personæ indignæ, etiam in inferioribus dignitatibus ac Prælaturis locum habere.*
4. *Hoc certum est, quòd Capitulum Collegiatæ vel regularis ecclesiæ eligens indignum, Superior v. g. Episcopus electores pro ea vice priuare, & ipse iure deuolutionis prouisionem facere possit.*
5. *Eadem pœna afficit eos, qui confirmationem, collationem, & institutionem dant indigno.*
6. *Et hi cum electoribus in conscientia rei sunt, præsertim si indignum ad Prælaturas & beneficia curata promoueant.*
7. *Episcopus conferens (iure proprio, non deuolutionis) indigno dignitatem aut beneficium curatum, priuatur pro ea vice iure conferendi, idq; ad Capitulū deuoluitur. Si autem in Capitulo sit defectus*

fectus, sit deuolutio ad Metropolitanũ.

1. *Et hæc pœna afficit etiam electores alios non Episcopos, Confirmatores & institutores indignæ personæ in dignitate, vel beneficio curato.*

9. *Neque tamen afficit electores &c. indignæ personæ ad beneficium simplex.*

1 NOTANDVM I. Electores Episcopi indigni pro ea vice priuati sunt, ipso iure, eligendi potestate; atque à beneficijs suis per triennium suspensi; Id verò limitari debet, ac restringi ad beneficia, quæ in ea ecclesia, in qua electio fit, obtinent, c. si compromissarius 37. in 6. Idémque pari modo intelligendum de postulantibus Episcopum indignum, iuxta c. 1. vbi id docui not. 6. de postul. Prælatorum.

QVÆSTIO prima. Si Electores ex alia causa, præter defectum ætatis, scientiæ, aut morum, indignum ad ecclesiam Cathedralem elegerint, aut postulârint. v. g. qui sacrum ordinem non susceperit, iuxta c. dudum 22. hoc tit. vtrùm pœnas hîc decretas incurrant? Videri esse affirmandum, argum. c. bonæ 23. vbi id docet Gl. ver. licentiam, Imola n. 4. & c. dudum 22. iun. Gl. ver. in ordinibus, hoc tit. & cit. c. si compromissarius, vbi dicta pœna indistinctè statuitur eligentibus indignum.

Contrà verò obijci potest cùm Ioanne Andrea in cit. c. bonæ n. 11. & in reg. iuris 15. in 6. Quòd hæc generalis Concilij Constitutio, alijs postea canonibus innouata, aut confirmata, pœnalis sit, & ideo extendi non debeat vltra tres eos casus in principio huius c. expressos. Respondetur; Quòd etiam in materia pœnali, seu odiosa extensio ad alios casus, aut personas, quæ in lege expressæ non sunt, fieri debeat, si vel ex alijs iuribus, aut Principis interpretationibus seu responsis, appareat, speciales casus, aut personas exempli tantùm causâ nominatas fuisse, dispositionem autem generaliter, aut in alijs quoque similibus, aut iure æquiparatis intelligendam. Et ita colligitur ex c. si postquam 33. iun. Gl. ver. prouisione, hoc tit. in §. & c. nihil 44. hoc tit.

QVÆSTIO secunda, Num eandem quoque pœnam incurrant Electores, si indignũ non ad Cathedralem, sed inferiorem ecclesiam seu Prælaturam eligant? Respondeo & 2
Dico I. Suspensionem à beneficijs per triennium duntaxat incurrunt, qui ad Cathedralem ecclesiam eligunt indignum. Ita habetur expressè in cit. cap. cùm compromissarius.

Dico II. Probabilius est, pœnam priua- 3
tionis pro vna vice, latam contra electores personæ indignæ, etiam in inferioribus dignitatibus ac Prælaturis locum habere. Ita enim colligitur ex alijs iuribus, vid. c. dudum 22. hoc tit. c. perpetuæ 7. & c. quamquam 18. iun. Gl. ver. secùs, & ex c. si compromissarius 37. per sensum contrarium, eod. tit. in 6. & tradit Gl. in cit. c. dudum ver. in ordinibus ibid. Abb. n. 11. contra Ioan. Andr. in suprà cit. regul. 15. in 6. eo argumento motum, quòd in cap. seu Constitut. Concilij Lateranensis, solùm mentio fit de electoribus personæ indignæ ad ecclesiam Cathedralem, prout idem Ioann. Andr. obseruauit super hoc cap. ver. in Episcopum. Cui respondendum, Ex alijs posterioribus iuribus haberi hanc interpretationem, quòd eadem pœna etiam in inferioribus Prælaturis locum habere debeat.

Addo verò, saltem id certum esse debere, 4
quòd si Capitulum v. g. Collegiatæ secularis, aut regularis ecclesiæ indignum eligant, Superior v. g. Episcopus, electores pro ea vice priuare, atque ipsemet iure deuolutionis prouisionem facere possit, vti constat ex suprà cit. c. dudum, & cit. c. quamquam, in fine. Ratio reddi debet; quia spectatâ rei naturâ omnibus electoribus personæ indignæ ad Prælaturam, suprà dicta priuationis pœna congruit, ac veluti debita est: partim vt in eo puniantur, in quo deliquerunt: partim, quia saltem pro ea vice, propter præsentem affectionem aut animorũ dispositionem, non satis dispositi censentur ad bonam ecclesiæque vtilem faciendam electionem.

QVÆSTIO tertia. Num eadem pœna af- 5
ficiat quoque illos, qui personæ indignæ in dignitate, aut prælatura confirmationem

dant, collationem, aut institutionem? Affirmari debet, argum. c. nihil 44. iun. Gl. ver. canonicam, hoc tit. & docet Innoc. hîc n. 8. Abb. n. 4. & in cit. c. dudum, n. 11. Azor tom. 2. lib. 6. cap. 26. q. 13. Gl. hîc ver. conferendis.

NOTANDVM II. ibi, *Dignum est enim,*
6 *vt quos &c.* Electores etiam in conscientia, siue apud Deum rei fiunt, si personam indignam eligant, præsertim ad prælaturas & beneficia curata, cùm ea res in graue Ecclesiæ detrimentum cedat. Eapropter tum electores, tũ collatores aut institutores examen diligens de moribus, scientia, ætate &c. præmittere tenentur: cùm non excusetur ignorantia facti alieni, si quis ex officio inquirere, & cognoscere debeat, c. quamuis de reg. iuris, & dixi de hoc in c. 2. de Constitut.

7 NOTANDVM III. Si Episcopus personæ indignæ dignitatem, aut beneficium, cui animarum cura annexa est, conferat, priuatur pro ea vice iure conferendi, idque ad Capitulum deuoluitur; Sin autem etiam in Capitulo defectus, aut impedimentum sit, deuolutio fit ad Metropolitanum. Consentit c. 2. de concess. præbendæ. Ratio prioris dicti dari debet, quia magna inter Episcopum & Capitulum communio est, sicuti inter caput & reliqua eiusdem corporis membra; vt proinde meritò vnius defectus ab altero suppleatur.

Notant autem Innocent. hîc n. 7. Abb. n. 5. Imola n. 2. & alij plerique contra Francum in cap. quamquam, eod tit. in 6. traditæ doctrinæ locum duntaxat esse, si collatio, aut confirmatio ad Episcopum pertineat iure proprio, quatenus eius ecclesiæ pastor est, quo iure etiam Capitulum propter communionem, quæ est corporis cum Capite, participare censetur. Secùs autem dicendum, si collatio, confirmatio, aut institutio ad Episcopum pertineat iure deuoluto, propter negligentiam, aut delictum Prælati inferioris. Exempli causâ, si Abbas regularis beneficia ad suam collationem spectantia, intra sex menses à die vacationis numerandos, conferre negligat, collatio ad Episcopum diœcesanum deuoluitur, Clem. vn. de suppl. negl. Prælatorum. Sin autem etiam Episcopus negligat, vel indignum instituat, potestas ea vice instituendi, non ad Capitulum Cathedrale, sed ad Superiorem Episcopi, videl. Metropolitanum deuoluitur, argum. c. Ne pro defectu 41. hoc tit. & c. licet 3. de supplenda negl. Prælatorum: Propterea quòd in hoc casu potestas conferendi, aut instituendi non competat Episcopo ratione ecclesiæ suæ; sed veluti per accidens, quatenus superior est collatoris ordinarij; vt proinde non immeritò, si & ipse negligat, aut indignum eligendo delinquat, ad Superiorem ipsius Metropolitanum, aut Papam collatio deuolui debeat. Quâ eâdem ratione dicendum, quòd Prælatus, videl. Episcopus, vel Archiepiscopus in ijs, quæ agit iure ac potestate ad se deuolutâ, non teneatur habere consensum Capituli; Imò nec consilium eius requirere ex necessitate, sed tantùm ex honestate aut quadam æquitate, secundùm Gl. in c. Ne pro defectu 41. ver. consilio, ibid. Abb. n. 6. hoc tit.

QVÆSTIO prima; Vtrùm pœna hîc decreta Episcopis, etiam alijs Prælatis, aut personis ecclesiasticis inferatur, si personæ indignæ confirmationem, aut institutionem in dignitate, aut beneficio curato, impertiant? Affirmandum cum Suarez de censur. disp. 31. sect. 2. n. 10. Quia, vt hîc etiam Gl. indicauit ver. fecerit, Episcopo pœna ea decreta fuit, quia ad ipsum ordinario iure beneficiorum collatio pertinet: Quòd si verò iure speciali ad alium pertineat, non est vlla ratio, cur non & ipse pœnâ istâ afficiatur, si personæ indignæ conferat.

QVÆSTIO secunda; Vtrùm eadem
9 pœna priuationis pro vna vice locum etiam habeat in collatoribus, aut prouisionibus beneficiorum simplicium? Videtur posse affirmari; quia non pauci Doctores vniuersim, & indistinctè dicere solent, propter collationem aut institutionem indigni ad beneficia, priuationem incurri, & deuolutionem ad alium fieri, propter delictum, Gl. hîc ver. conferendis, Abb. n. 4. & 5. Azor cit. cap. 26. q. 12. & 13. Sed non audeo id dicere; cùm nullus extet canon, quo id significetur; sed

sed tantùm de prælaturis, dignitatibus & beneficijs curatis : Neque licet extensionem facere, præsertim in hac materia pœnali ; eò quòd maius delictum sit, ideóque grauiùs puniendum, si ad maiora beneficia indigni promoueantur. Quamobrem hoc in casu subueniendũ per c. 2. de concess. præbendæ: Posito enim, quòd collatio beneficij ita facta sit indigno, vt etiam irrita censeatur, saltem secundùm externum forum (prout suprà explicaui,) post elapsos sex menses prouisio fieri poterit ex causa deuolutionis propter negligentiam : Cùm perinde esse censeatur, collationem beneficij ecclesiastici omnino non factam fuisse, & non canonicè atque inaniter factam.

CAPITVLVM VIII.

Causam.

PARAPHRASIS.

Mortuâ Abbatissâ Monasterij S. Margarethæ, Moniales potestatem eligendi in Episcopum per compromissum contulerunt. Episcopus ipsis nominauit N. eiusdẽ Monasterij professam : sed Moniales eam postea recipere recusârunt. Quâ re intellectâ, mandat Alexander III. Papa Ratiennatensi Archiepiscopo, vt Moniales cogat ad N. nominatam, dummodò idonea sit, accipiendam in Abbatissam.

SVMMARIVM.

1. *Ius eligendi habentes possunt compromittere in alios, imò vnicum virum, clericum tamen, qui Prælatum ipsis nominet, vel eligat.*
2. *Capitulum ecclesiæ Collegiatæ seculares aut regularis ius eligendi ex communi consensu ac compromissione committere potest Episcopo, cui subiectum est, & ad quem Prælati confirmatio spectat.*
3. *Necesse tamen est, vt Episcopus electionem prius peragat, electum Capitulo proponat, citationes publicas & peremptorias eorum, quorum interest, faciat, quàm à se electum confirmet.*
4. *Is, cui commissa est potestas eligendi Prælatum, aut Capitaneum belli, aliúmque Officialem constituendi, intelligi debet de persona idonea, & aliam mandans recipere non tenetur.*

NOTANDVM I. Ij quibus ius eligendi Prælatum competit, compromittere possunt in alios, imò etiam vnicum virum, qui Prælatum ipsis nominet, siue eligat, vt hîc habetur, & in c. quia propter 42. hoc tit. Consentit l. Item eorum 6. §. Si Decuriones, additur : *Parui enim refert, an ipse ordo* (Decurionum) *elegerit, an is cui ordo negotium dedit.* Debent autem esse clerici, quibus electio per compromissum committitur, vti ex communi Abb. hîc n. 5. tradit, argum. c. contingit 8. de arbitris, vbi id Gl. marginalis annotauit : Quia laici negotia ecclesiastica tractare non debent, c. 2. de iudicijs ; Et iura huiusmodi spiritualia non cadunt in laicos, c sacrosancta 51. hoc tit. Exceptâ plenitudine potestatis Pontificiæ, per quem talis commissio laicis fieri potest. 1

NOTANDVM II. Capitulum ecclesiæ Collegiatæ secularis, aut regularis ius eligendi, ex communi consensu ac compromissione, committere potest Episcopo, cui subiectum est ; & ad quem Prælati confirmatio spectat. Credibile enim est Monasterium istud Monialium subiectum fuisse Episcopo, in quem Moniales electionem Abbatissæ contulerunt. 2

Notant autem hîc Ioann. Andr. n. 4. Butrio n. 9. Abb. n. 6. Innoc. & Gl. in c. cùm inter 21. ver. confirmauit, hoc tit. in casu isto, necessarium esse, vt Episcopus electionem prius peragat, electum Capitulo proponat, citationes publicas & peremptorias eorum, quorum interest, faciat, iuxta cap. vlt. hoc tit. in 6. quàm à se electum confirmet, iuxta doctrinam Innoc. & Gl. in cit. c. cùm inter, Abb. in c. Ne pro defectu n. 4. eod. tit. Si actus suâpte naturâ diuersi, tendentes tamen ad eundem finem seu effectum, in vna persona concurrant, distingendum esse, 3

num

num in eodem iure seu potestate fundati sint, an in diuersis iuribus seu potestatibus? In priore casu simul eodem actu, virtualiter duplici, expediri possunt: Vt si propter negligentiam inferiorum electorum, eligendi potestas ad superiorem deuoluta sit; tum prouisio seu institutio cùm electionis, tum confirmationis vim habebit: Idémque est, si ob negligentiam patroni, Episcopus, post sex mensium spatium, alicui liberè conferat, c. licet 3. de transl. Episc. c. 2. de concess. præb. collatio ista vicem præsentationis, & institutionis supplet. Sin autem actus suâpte naturâ diuersi in distinctis iuribus seu potestatibus fundati sint (vt in casu proposito, quando electio fit nomine aliorum, iuxta cit. §. Si Decuriones, vbi dicitur, electionem ab ijs fieri censeri, qui eligendi auctoritatem alteri commiserunt) tunc simul eodem actu expediri haud possunt, vti colligitur ex suprà cit. c. cùm inter, iun. Gl. ver. confirmauit, & c. cùm inter 18. vbi id dicam not. 3. hoc tit.

4 NOTANDVM III. Si alicui commissa sit potestas eligendi Prælatum; similitérq; si commissa potestas Capitaneum belli, aliúmque Officialem constituendi; intelligi id debet de persona idonea: Et aliam recipere non tenetur, qui mandauit. Ita Gl. hîc communiter recepta, Abb. n. 4. Butrio n. 9. & sumitur ex l. Si procurator 6. ff. de condict. indebiti, c. si compromissarius 37. hoc tit. in 6. Ratio est, quia mandans aliquid fieri, censetur velle, vt id rectè, & vtiliter fiat.

CAPITVLVM IX.

Nôsti.

PARAPHRASIS.

Notum est, quòd Episcopus electus, priusquàm à Romano Pontifice confirmationem accepit, res ecclesiæ administrare, beneficia & honores ecclesiasticos conferre non debeat. Quamobrem Alexander III. mandat alicui à se delegato Episcopo, vt Linconiensi electo Apostolicâ auctoritate iubeat, si quam eiusmodi concessionem, aut collationem fecit, reuocare studeat.

SVMMARIVM.

1. *Electus Episcopus ante confirmationem beneficia conferre, vel aliter administrare non debet.*
2. *Episcopus per electionem acceptatam iurisdictionem episcopalem non acquirit (seclusâ speciali concessione) sed tantùm ius petendi eam à Superiore, aut illam conferat.*
3. *Communiter docetur, si Papa viua vocis oraculo aliquem pronunciet Episcopum, erit is Episcopus etiam nondum formatis literis: oppositum tamen videtur decretum à Bonifacio VIII. in Extrauag. I. inter communes, cuius initium* Iniunctæ *de Electione.*
4. *Prælatus post acceptam confirmationem, alius beneficiarius post verbalem institutionem, collationem, seu inuestituram statim possessionem vacantem capere, administrare, & iura prælaturæ, aut beneficio suo competentia exercere potest.*
5. *Si specialis consuetudo sit alicuius ecclesiæ, aut statutum vigeat, ne verbaliter institutus, prouisus, aut confirmatus possessionem, quamuis vacantem, ipsemet capiat, sed solemniter & corporaliter in eam introducatur, debet id obseruari, ita vt priusquàm solemnitas peracta sit, possessio acquisita non censeatur.*

NOTANDVM Vn. Episcopus electus | administrationi rerum & iurium ecclesiæ, ad quam electus est, ingerere se non debet, priusquàm à Papa confirmationem accepit. Ita etiam habetur in c. qualiter 17. hoc tit. & videri potest c. nihil 44. eod. vbi limitatio aliqua continetur.

QVÆSTIO prima; Num Episcopus per electionem, antequam confirmatio accesserit, iurisdictionem episcopalem habeat? Gl. in c. quantò 19. ver. relatio. vers. si quæ-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

rat, d. 63. quam hîc sequitur Abb. num. 2. ad 2 quæst. hanc respondet; Quòd electo *per electionem acquiritur ius prælaturæ, sed non exercitium prelaturæ vel administrationis: per confirmationem autem nihil iuris noui acquiritur, sed tantùm exercitium.* Hæc doctrina mihi non placet; quia spiritualis & ecclesiastica iurisdictio in Episcopos non peruenit nisi per summi Pontificis auctoritatem, & concessionem; vt videlicet debitus ordo ecclesiasticę à Christo institutæ hierarchiæ obseruetur, prout colligitur ex c. qualiter 17. hoc tit. & egi de hac re lib. 1. Th. moral. tr. 4. cap. 7. §. 2. Quare præstat, vt dicamus, per electionem ab electo acceptatam, ipsi iurisdictionem prælaturæ non acquiri (secluſa speciali concessione aut priuilegio Apostolicæ Sedis) sed tantùm ius petendi iurisdictionem, à Superiore conferendam.

Qvæstio secunda; An cùm primùm Episcopus, seu Prælatus à Rom. Pontifice, electionem eius approbante, aut aliter ipsi prouidente, pronuntiatus est, etiam ante literas expeditas, iurisdictionem & administrationem consequatur? Ad quæstionem hanc respondet Baldus in l. Humanum n. 6. C. de legibus, quem hîc Abb. sequitur n. 4. Tamburinius tom. 1. de iure Abbatum disp. 16. q. 3 1. & alij communiter. Si Papa viuæ vocis oraculo quem pronuntiet Episcopum, mox, etiam nondum formatis literis, Episcopus erit: quia literæ non requiruntur ad essentiam, sed ad probationem, c. institutionis 7. causa 25. q. 2. vbi vniuersim dicitur de Apostolicæ Sedis decretis, siue in scripto facta sint, siue absque scripto, sine aliqua refragatione, esse obseruanda; vbi Gl. ait ver. præsentia; *Sic ergo sententia Principis ius facit, licet non redigatur in scriptis.* Atque ideo admonet Baldus in fine cit. l. Humanum; *Si Papa interim moreretur, antequam literæ fierent, non expiraret ius quæsitum; sed deberent literæ postea fieri tempore successoris, faciendo mentionem de dispositione prædecessoris.*

Veruntamen in Extrau. 1. inter communes, cuius initium *Iniuncta*, de elect. à Bonifacio VIII. Pontifice decretum fuit, vt Episcopi, aliique Prælati, qui apud Sedem Apostolicam promouentur, aut confirmantur, &c. absque dictæ Sedis literis de eorum prouisione, aut confirmatione testantibus, administrationem accipere non præsumant; nullique eos, absque dictarum literarum ostensione recipere, ijsque parere possint: idque sub pœnis ibi contentis, quæ tam Prælatis regimina siue administrationes exercentibus, quàm aliis qui illos recipiunt, aut parent, ipso iure inferuntur. Explicat hanc extrauag. Abb. hîc n. 4. & in cit. c. qualiter not. 1. Suar. de censur. disp. 31. sect. 5. n. 23.

Qvæstio tertia; An eo solo, quòd Prælatus à Superiore confirmationem accepit (expeditâ etiam scripturâ, si ea necessaria sit) actus iurisdictionis exercere, & bona ecclesiæ administrare possit; an verò necesse sit, eum priùs in possessionem solemniter introduci? Respondeo, & Dico 1. Spectato iure 4. communi, & ordinario, Prælatus post acceptam confirmationem, aliúsue beneficiarius post acceptam verbalem institutionem, collationem seu inuestituram, statim possessionem capere, administrare, & iura prælaturæ aut beneficio suo competentia exercere potest: Quandoquidem per ipsam collationem seu verbalem institutionem, canonicè factam, aliquis titulum beneficij consequitur; adeóque ius, siue facultatem, possessionem vacantem capiendi, iura competentia exercendi, bona administrandi. Ita Glossa hîc argum. huius c. ver. confirmata, & colligitur ex c. transmissam 15. hoc tit. vbi Gl. ver. de talibus, ibidem Innoc. n. 1. Ioan. Andr. n. 6. tradit Gl. penult. in l. Priuatorum 3. C. de iurisdict. omn. Iudicum, Bartol. in l. cùm solus n. 4. ff. de vsucapion. Iacobus Menochius de adipisc. possess. remedio 4. n. 182.

Dixi autem *vacantem* possessionem accipi posse: Sin autem alius quispiam in possessione prælaturæ, aut beneficij existat, tum non licet propria auctoritate possessionem, administrationémque capere: Esset enim hæc vitiosè acquisita possessio, in qua ita possidens defendendus non foret, sect. vlt. C. si per vim: Imò censeretur spoliasse priorem, quamuis malæ fidei, possessorem, argum. l. si lex stipulatione 5. ff. de acq. possess. & c. gra-

uis 11. de restit. spoliatorũ, & tradit ex communi Abb. in c. cùm super n. 15. de causa possess. Quòd si propriè dicta violentia illata esset à prouiso, siue titulum consecuto, mereretur is priuationem iuris sui, iuxta c. eum qui 18. de præb. in 6. & c. 2. causa 16. q. 6. & docet Abb. cit. n. 15. Petr. Rebuffus in praxi beneficiaria, de miss. in possessionem, n. 3.

Dico II. Si specialis alicuius ecclesiæ consuetudo, aut statutum vigeat, quòd verbaliter institutus, prouisus, aut confirmatus, possessionem, quamuis vacantem, ipsemet capere non debeat; sed solemniter & corporaliter introduci in possessionem; id obseruari debet; Adeò, vt priùs, quàm ea solemnitas peracta sit, possessio acquisita non censeatur, prout tradit Abb. in cit. cap. cùm super n. 17. Atque vocari ea solet *installatio*; quæ olim per Archidiaconum fieri solita est, c. adhæc 7. ver. In quadam, de offic. Archidiaconi, & c. cùm Bertholdus 18. in princ. de sent. & re iudicata.

Sed, quid ad rem facit inuestitura, quæ fieri solet per bireti, anuli, aut pannorum traditionem; de qua multa Dynus in reg. 1. in 6. Respondeo ex doctrina Ioan. Andr. in c. transmissam n. 13. hoc tit. Abb. in c auctoritate n. 9. de institut, & in c. ex literis n. 10. de consuetud. Inuestituram interdum fieri vnà cum verbali institutione, seu tituli traditione: Interdum verò post tituli collationem, seu institutionem, quæ verbo, aut scripturâ fit. In priore casu inuestitura continet, seu significat translationem iuris ac tituli: vnde deinde nascitur facultas accipiendi possessionem rei vacantis; aut eam petendi, si ab alio corporaliter introducendus sit inuestitus. In posteriore autem casu solemnitas ea inuestituræ parùm, aut nihil plerumque operatur; quia titulus iam antè collatus, & ius acquisitum est; possessio autem per inuestituram, ordinari è loquendo, non transfertur, prout colligitur ex l. prædia 48. de acq. poss. c. per tuas 5. iun. Gl. ver. in possessione, de donat. tradit Innoc. in cit. c. transmissam n. 1. in fine. & docui in Theol. moral. lib. 3. tract. 1. c. 7. Quemadmodum enim in quibusdam ecclesiis consuetudo viget, vt electus, cum primùm electioni consensit, inthronizetur, vel in altari collocetur; quæ mera solemnitas est ad significandum ius illi ad prælaturam inchoatiuè acquisitum; Ita inuestitura, quæ post confirmationem, aut tituli collationem adhibetur, plerumque tantùm significatiua est iuris antea accepti, nec non facultatis possessionem vacantem intrandi, & acquirendi.

Adieci autem voculam *plerumq;*: Potest enim interdum fieri, vt per inuestituram tradatur possessio rei; Si videl. vel ipse possessor antiquus, vel is qui ecclesiæ v. g. vacantis custodiam cum auctoritate habuit, in conspectu rei, per suprà dictam inuestituram transferat possessionem. quod fieri posse colligitur ex l. Quod meo, 18. §. si venditorem, ff. de acquir. possess. & l. clauibus 74. ff. de contrah. empt. Et inseruit huc doctrina Gl. in c. cùm vos 4. ver. œconomos de offic. ordinarij, quòd *Episcopus, vel alius Prælatus, ad quem pertinet institutio, debet habere custodiam illius ecclesiæ vacantis.*

QVÆSTIO quarta: Cur Pontifex in fine huius c. mandârit Episcopo necdum confirmato, vt concessiones seu collationes beneficiorum à se factas reuocaret; Cùm tamen ordinariè non sit concessum, contra proprium factum venire; Et electus sicuti potestatem dandi beneficia, propter defectum iurisdictionis non habuit, ita nec cum auctoritate auferre potuerit? Multa de hoc Gl. fin. hîc, Abb. num. 5. & seqq. Anton. n. vlt. Sed respondeo breuiter; Non aliud Alexandrum III. hîc significare voluisse, nisi vt ex mandato suo diceretur Episcopo, curandum ipsi esse, vt collationes à se malè factæ rescindantur: Quòd fieri potest, si intimetur prouisis, eorum prouisiones ipso iure manifestè irritas esse: Quod si recedere nollent, tum cogi deberent non quidem ab Episcopo ante acceptam confirmationem, sed à Capitulo, penes quod episcopalis iurisdictio interim residet.

* * *

CAPI-

CAPITVLVM X.

Considerauimus.

PARAPHRASIS.

Cùm ecclesiæ cuiusdam Canonici in Prælati electione versarentur, quidam alij ex Canonicis se opposuerunt, appellantes ad Sedem Apostolicam, eò quòd electio non rectè instituereturt: Verùm Canonici illi; posthabita appellatione, nihilominus processerunt, & Ioannem Frontinum elegerunt. Alij verò seorsim conuenientes, nondum cassata illa priore electione, in alium suffragia sua contulerunt. His intellectis, Alexander III. iudicauit, neutram earum electionum consistere debere: Prior enim illa rescindi debet, quia post appellationem interpositam, & contra tenorem priuilegiorum ecclesiæ illius peracta. Posterior autem infirma censetur, quia & post interpositam appellationem, & priore illa electione nondum cassatâ, instituta fuit. Quare Pontifex Canonicis liberam potestatem facit iterum conueniendi ad personæ idoneæ faciendam electionem; ita vt priùs electorum fama illæsa permaneat; imò, vt de nouo, secundùm aliam formam, & obseruatis ecclesiæ illius priuilegiis, vnus eorum eligi queat.

SVMMARIVM.

1. *Quæ post appellationem extraiudicialem gesta sunt, non sunt ipso iure irrita, sed veluti suspensa.*
2. *Si electio priùs peracta ipso iure valuit, tametsi ob defectum aliquem, vel omissam solemnitatem rescindi debeat; posterior electio, quæ ante cassationem prioris celebrata fuit, ipso iure irrita est.*
3. *Electores non ob quodlibet vitium aut defectum in electione admissum iure electionis pro ea vice priuati sunt, sed tantùm si indignum scienter eligant. aliàs ad aliam electionem progredi possunt.*
4. *Si electio alicuius cassata sit non ob vitium personæ, sed ob non seruatam formam, aliámue causam; electus iterum eligi, aut promoueri potest siue in alia ecclesia, siue in eâdem.*
5. *Potest ex iusta causa, v. g. publici scandali vitandi prohiberi, ne certa persona eligatur, etsi ea absolutè loquendo capax & digna foret.*

NOTANDVM I. Quæ post interpositam appellationem extraiudicialem (v. g. ne in electione Prælati procedatur, quia canonica nõ sit) gesta sunt, non sunt ipso iure irrita: sed veluti suspensa: quia à Superiore, si appellationem legitimam esse pronuntiauit, irritari debent. Ita sumitur ex hoc c. iun. Gl. ver. appellationem, Abb. hîc n. 1. vbi monet, aduertendum esse, num appellatio fiat à parte, vt hîc; an verò à iudice, licèt extra iudicium: hæc enim appellatio parit effectum suspensiuum, Qua de re dicetur in c. cùm nobis 19. hoc tit. 1

NOTANDVM II. Si electio priùs peracta ipso iure valuit; tametsi ob defectum aliquem, vel omissam solemnitatem (quia v. g. contra statutum, aut accepti priuilegij formam peracta fuit) rescindi debeat; posterior electio, quæ ante cassationem prioris celebrata fuit, ipso iure irrita est. Ita Gl. recepta, ver. appellationem. 2

NOTANDVM III. Electores non ob quodlibet vitium, aut defectum in electione admissum, iure electionis pro ea vice priuati sunt; sed tantùm si indignum scienter eligant: Aliquin verò permittitur illis, vt, si electio ob aliquam causam irrita fit, vel rescissa, ad aliam electionem accedant, vti constat ex c. si electio 26. hoc tit. in 6. Sed alia ratio est in electoribus compromissariis: hi enim cùm eligendi potestatem in seipsis iure proprio radicatam non habeant, sed concessam ab aliis pro vnâ vicè, postquam semel electionẽ fecerunt, siue bene siue malè, functi sunt officio suo, ait Gl. in c. causam 8. ver. recipi, hoc tit. & habetur in c. cùm compromissarius 37. eod. tit. in 6 Videri potest Abb. in cit. c. causam n. 10. 3

4 NOTANDVM IV. Si electio alicuius cassata sit non ob vitium personæ, sed ob non seruatam formam, aliámue causam, electus iterum eligi, aut promoueri potest, siue in alia ecclesia, siue in eâdem, cap. super eo 12. hoc tit. Papa tamen, ad amouendam dissidij causam, noluit permittere, vt vnus ex his in discordia electis ea vice promoueretur, sicuti notauit Gl. fin. ver. *præter istam eccle-*
5 *siæ ordinationem*. Quare Abb. hîc circa eandem Gl. inquit aduertendum, posse esse iustam, v.g. publici scandali vitandi, causam, ob quam prohibeat Superior, ne certa persona, etsi ea absolutè loquendo capax & digna sit, eligatur.

CAPITVLVM XI.

Suffraganeis.

PARAPHRASIS.

Episcopi suffraganei, ad mandatum Metropolitani sui, postquam is confirmatus est, tametsi pallium à Sede Apostolica nondum acceperit, Coëpiscopum consecrare non prohibentur.

SVMMARIVM.

1. *Archiepiscopus post confirmationem, etsi nondum pallium acceperit (sed nec consecratus sit) exercere potest ea, quæ iurisdictionis sunt, adeóq; potest committere facultatem ordinandi, & consecrandi Coëpiscopum suis suffraganeis.*
2. *Si Metropolitanus vltra tres menses post confirmationem & consecrationem pallium non petat, præmissis canonicis monitionibus, dignitate priuandus est, & consecrationes Episcoporum à Suffraganeis, cum consilio Rom. Pontificis, peragendæ.*

NOTANDVM I. Archiepiscopus, qui est veluti Dux, seu Princeps inter Coëpiscopos prouinciæ suæ, alio nomine *Metropolitanus* appellatur; siue à μέτρον, id est, mẽsurâ aut numero: Nam sicuti prouincia decem, aut vndecim ciuitates continet, ita Archiepiscopus decem aut vndecim Suffraganeis seu Coëpiscopis præesse debet, secundùm antiquam distributionem, c. 2. causa 6. q. 3. Siue, quod magis placet, à μήτηρ: quia Archiepiscopus in ciuitate metropoli, id est, præcipua ac veluti matre aliarũ in prouincia, l. vn. C. de Metropoli Beryto lib. 11. ecclesiæ suæ sedem habet. Et hanc deriuationem sequitur Petr. Gregor. Tholosanus lib. 15. syntagm. cap. 11. n. 4. Ioan. Passeratius ver. μητρόπολις, ex Budæo, & Thucydide.

NOTANDVM II. Archiepiscopus post confirmationem electionis suæ, etsi nondum pallium acceperit, (sed nec consecratus sit) exercere potest ea, quæ sunt iurisdictionis; adeóque ordinandi, & consecrandi Coëpiscopos facultatem committere Suffraganeis suis. Ita textus huius c. prout eum DD. communiter intelligunt. Simili ratione Episcopus confirmatus, etsi sacerdos non sit, absoluendi tamen à peccatis potestatem alteri sacerdoti committere potest: quia eiusmodi cõmissio seu delegatio non ordinis, sed iurisdictionis actus est. Et Sede Episcopali vacante, Capitulum Cathedrale licentiam ordinandi clericos diœcesis alteri Episcopo committere potest, spectato iure antiquo c. cùm nullus, de tempor. ordinat. in 6. vbi de hoc dicam.

Huic verò doctrinæ aduersari videtur reg. 72. in 6. *Qui facit per alium, perinde est, ac si faciat per seipsum*. Eximde alia regula colligitur apud Ioan. Andr. hîc. *Quod aliquis per se facere non potest, id nec per alium potest*. Deinde, quod in cap. 1. d. 100. habeatur, impediri ac differri Suffraganeorum ordinationem, si Metropolitanus pallium à Sede Apostolica non accipiat. Hæ obiectiones adeò magni momenti quibusdam Canonistis videbantur, vt hanc decretalem reijcerent, vti videre est in Gl. in c. 1. de translat. Episc. ver. confirmasse. Sed non rectè. Facilè enim respondetur ad allegatas regulas cum Abb. hîc n. 1. & in c. 1. num. 6. & 10. de transl. episc. Azor tom. 2. lib. 3. cap. 29. quæst. 7. Eas locum habere, si commissarius, seu is cui commissio fit, agat iure & auctoritate committentis: Tum verum est, quòd demandari aliquid non possit, nisi mandans ius habeat per se faciendi; quia nemo dat, quod non habet;

Et reg.

Et reg. 79. in 6. *Nemo potest plus iuris in alium transferre, quàm sibi competere dignoscatur.* At verò sacros ordines Episcopus suffraganeus confert vi & potestatis ordinis & consecrationis suæ; tametsi ad legitimum ordinationis exercitiun iurisdictio necessaria sit, quam ipsi Episcopus, vel Archiepiscopus, cùm primùm confirmatus est, delegare potest. sed suprà cit. c. 1. d. 100. omissis alijs responsionibus, quæ videri possunt in Gl. c. 1. ver. confirmâsse, de translat. Episcopi, Abb. hîc n. 1. dicendum arbitror; Licèt Metropolitanus, ante acceptũ pallium, potestatem consecrandi Episcopum suffraganeis suis delegare possit, vt ex hoc c. constat; accidit tamen non raro, vt is malit consecrationes differri, donec accepto à Sede Apostolica pallio, ipsemet eam peragere possit. Cui rei subuentum est in eo c. atque statu-
2 tum, si Metropolitanus vltra tres menses post confirmationem, consecrationémque suam, pallium à Sede Apostolica petere intermittat, eum, præmissis canonicis monitionibus, dignitate priuandum, atque consecrationes Episcoporum à Suffraganeis, cum Romani Pontificis consilio, peragendas esse.

CAPITVLVM XII.

Super eo.

PARAPHRASIS.

Quæsitum fuit ex Pontifice Clemente III. Si alicuius electio cassata sit, is autem postea ad aliam ecclesiam eligatur, num confirmatio ipsi dari debeat? Respondet Papa; Si prior electio cassata fuerat non vitio personæ, sed ob formam electionis non seruatam, nihil impedire, quò minùs ad aliam, imò verò etiam eandem eccle. siam promoueatur; præterquam si simoniacæ prauitatis aliquid interuenerit.

SVMMARIVM.

1. *Is cuius electio cassata fuit non vitio personæ, sed ex alia causa, iterum eligi potest, etiam ad eandem ecclesiam, præterquam si labes simoniaca interceſſit.*
2. *Electio irrita ob vitium corporis, eo sublato vel curato, qui semel repulsus est, iterum eligi potest; si autem sit irrita ob vitium animi, seu crimen, quod commissum est circa ipsam electionem, vel eius effectum, tunc aliquis ineligibilis redditur, donec cum eo dispensetur. Idem communiter asserunt DD. de alijs etiam criminibus.*
3. *Si crimen Simoniæ in electione aut promotione ad Prælaturam interuenit, etiam ignorante electo, aut prouiso, adeóque sine eius culpa, sit ineligibilis & incapax beneficij.*

NOTANDVM I. Si electio irrita, vel 1
cassata sit non ob vitium personæ, sed ob aliam quamcunque causam, non debet id obesse electo, quò minùs iterum promoueri possit; etiam ad eandem ecclesiam: præterquam si labes simoniaca interceſsit. Ita in textu c.

Hinc verò Gl. hîc in fine casus, per sensum contrarium aliam regulam colligit; Si electio ob vitium personæ cassata sit, ita electum denuò eligi aut promoueri non posse ad Prælaturam. Quæ tamen illatio difficultatem habet. Nam Pontifex in hoc c. regulam vniuersalem tradidisse censetur; Si alicuius electio cassata sit non ob vitium personæ, ille iterum eligi potest: Ex quo non rectè infertur, quotiescunque electio cassata est ob vitium personæ, eum iterum eligi non posse: Cùm ad verificationem doctrinæ huius cap. satis sit, si ob vitium personæ cassata sit electio, frequenter accidere, vt ea inhabilis sit, quò minùs iterum eligatur.

Itaque ita distinguamus: Vel electio irri- 2
ta aut cassata fuit ob vitium corporis: vel ob vitium animi, siue crimen electi. In priore casu, sublato seu curato corporis vitio, qui semel repulsus est, iterum eligi aut promoueri potest, vti colligitur ex c. cùm inter 21. hoc tit. & tradit ibi Innoc. n. 1. Abb. n. 7. contra Gl. ibid. ver. recusatus: Eadémque ratio est, si propter statis defectum electio

cassata fuit: quia cessante causa cessare debet effectus, c. cùm cessante 60. de appellat. Veruntamen si certum sit, aliquem morbo epileptico, vel simili suâpte naturâ durabili siue non facilè curabili laborâsse, præsumptio debet esse contra illum, vt priusquam ostendatur, Medicorum v. g. testimonijs, eum perfectè siue constanter curatum esse, eligi aut promoueri non debeat. Quæ est sententia Ioann Andr. in cit. cap. cùm inter, ibid. Anton. de Butrio n. 23. 24. Imola n. 7. Rodriq. tom. 2. regul. qq. q. 54. a. 5. Et videri possunt, quæ dixi lib. 1. Theol. moral. tr. 5. p. 5. cap. 7. n. 2. & 3. de ordinatione huiusmodi morbo laborantibus non impertienda.

In posteriore autem casu iterum distingui potest: Vel enim crimen commissum est circa ipsam electionem aut effectum eius, tunc videtur aliquis ineligibilis fieri, donec cum eo dispensetur, argum. c. quisquis 43. hoc tit. vbi ineligibilis esse pronunciatur, qui per abusum secularis potestatis se eligi passus est. Eadémque ratione, si alicuius electio cassata sit, quia ante acceptam confirmationem, administrationi prælaturæ se intrusit, iuxta c. qualiter 17. hoc tit. Gl. in c. nôsti 9. ver. concedendi, hoc tit. eligi deinde non posse, tradit Abb. in eod. c. qualiter n. vlt. vbi addit, in petitione confirmationis seu promotionis faciendam esse mentionem huiusce intrusionis; ne impetratio subreptitia fiat. Vel est aliud crimen, ob quod electio alicuius rescissa fuit, tunc si ponamus, crimen plenè emendatum ac sublatum esse, non habemus iuris textum expressum, quo talis denuò eligi aut promoueri vetetur; quia tamen DD. communiter ita docent, argum. huius textûs, vbi id docet Ant. n. 14. 15. Innoc. in cit. c. cùm inter n. 1. Abb. n. 7. idem Abb. hîc n. 4. extendens etiam ad præsentationem, & collationem, Hostiensis in sum̃a, hoc tit. §. si quis eligendus n. 10. Ideo in praxi retinenda est ea doctrina; quòd repulsus ob crimen iterum eligendus, aut promouendus non sit; nisi Superioris dispensatio, præmissâ cognitione de præsente habilitate personæ, accedat. Idque confirmatur ex c. post translationem 11. de renunc. vbi habetur, si quis propter criminis conscientiam prælaturæ renunciauit, aut renunciare coactus, vel depositus fuit, iterum eligi non posse: Cuius rei ratio reddi debet, quia negari non potest, per eiusmodi, ob crimen commissum, factam repulsam, renunciationem, depositionem, existimationem personæ non parùm grauari; vt noua electio aut promotio non ita facilè permittenda sit.

NOTANDVM II. Id speciale est, quòd in detestationem criminis simoniæ decretum, vt si ea in electione aut promotione ad prælaturam, aliúdue ecclesiasticum beneficium interuenerit, etiam ignorante electo, aut prouiso, ideóque sine culpa eius, ineligibilis is fiat, siue incapax beneficij; præterquam si dispensatio accedat, c. 1. causa 1. q. 5. c. penult. hoc tit. cap. nobis 27. de simon. & videri possunt quæ dixi in Theol. moral. lib. 4. tr. 10. cap. vlt. §. 7. n. 73.

CAPITVLVM XIII.

Cùm Monasterium.

PARAPHRASIS.

Episcopus quidam significârat Cœlestino III. Papæ; Cùm Monasterium de Pellicia, in suo Episcopatu situm, ad eam dissolutionem venisset, vt fratres eius domûs Religionis obseruantiam, ordinémque abiecerint; Ipsos in quendam, qui cum fratribus suis in eremo laudabiliter conuersatus fuit, boni testimonij virum, vnanimiter consentientes, Abbatem eum sibi postulâsse: Hanc verò postulationem se Episcopum admisisse; & ideo petere ordinationem illam à Sede Apostolica confirmari. Huic petitioni annuens Cœlestinus Papa, ordinationem illam, sicuti canonicè est facta, se confirmare ait.

SVMMARIVM.

1. *Ad Episcopum iure communi spectat electos Abbates & Præpositos generales confirmare, & postulatos, quatenus id se-*

id secundùm canones permissum est, admittere.

HOc c. variè ab interpretibus intelligitur, quia nescitur, quisnam ille fuerit ex eremo postulatus. Multi arbitrantur, non fuisse Religiosum, sed Eremitam votis religiosis non astrictum. Mihi verò contrarium videtur; cùm in textu dicatur, fuisse cum Fratribus suis in eremo laudabiliter conuersatum, quo loquendi modo cœnobitica Religiosorum vita significari solet. Arbitror itaque fuisse alterius Ordinis professum; & ideo postulatum: quia etiam eo tempore dubitatum erat, num ex alio Ordine Abbatem eligere licitum esset. Neque id facilè attentabatur, nisi Superioris accedente consensu; & ideo per postulationem potiùs, quàm electionem constituebantur. Hanc verò dubitationem sustulit postea Clemens V. Pontifex in Clement. 1. hoc tit. prohibens; *Ne Religiosus aliquis in Abbatem, vel Prælatum alterius Religionis vel habitus decætero eligatur.* vbi Glossa ver. eligatur, admonet; *Non prohibet postulari ex causa; sed quòd à Papa* postulatio fieri debet. Sed Cælestini III. tempore Episcopus proprius talem postulationem admittere poterat: Quam obrem Pontifex admisionem illam, institutionémque Abbatis, cùm non appareat contra canones factam esse, confirmauit seu approbauit.

NOTANDVM Vn. Ad Episcopum, iure communi canonico, spectat electos Abbates, & Præpositos regulares confirmare; & postulatos, quatenus id secundùm canones permissum est, admittere. Ita colligitur ex hoc c. & habetur in c. 1. causa 18. q. 2. iun. Gl. ver. instituere.

CAPITVLVM XIV.

Cùm terra.

PARAPHRASIS.

Intellexit Cælestinus III. in terra Hierosolymitana prauam consuetudinem irrepsisse, vt, cùm Prælati electio celebranda esset, Conuentus, ad quem electio pertinebat, duas personas Patriarchæ vel Principis auribus insinuaret; ex quibus ille vnam deligere, vel, si mallet, totam electionem reijcere posset. Hanc consuetudinem, quippe redundantem in grauamen & perniciem ecclesiasticæ libertatis, penitus abolendam esse, Pontifex ait; Atq; decernit, vt in omnibus Conuentualibus ecclesijs forma canonica electionis obseruetur, videl. vt electores in vnum locum, vbi electio Prælati celebranda est, conueniant, & inuocatâ Spiritûs sancti gratiâ personam nominent. Quòd si in persona vel in modo electionis peccatum sit, tamdiu diligentiam inquisitionis adhibeant, donec vacanti ecclesiæ personam idoneam prouideant. Eo autem peracto, non est prohibitum Regis, aut Patriarchæ assensum super electione requirere; dummodò eam, (supple si canonicè facta sit) non impediant.

SVMMARIVM.

1. *Consuetudo, quæ contra ecclesiasticam libertatem tendit, damnata est, & abolenda.*
2. *Per consuetudinem bonâ fide præscriptam potest ius eligendi penitus auferri, & alteri ecclesiasticæ personæ, seu dignitati aut Collegio acquiri; vel ita restringi, vt ex certo genere personarum, etiamsi tantùm duæ forent (idoneæ tamen) vna eligenda sit.*

Non tamen per consuetudinem introduci potest, vt remanente iure eligendi penes Conuentum aliquem, eorum electio ita pendeat ab arbitrio alterius, vt qui electus est, ab eo admitti, vel reijci; aut si duo electi & propositi sint, vterque reijci possit.

3. *Valebit electio, si electores per metum iniustum & cadentem in virum constantem adigantur ad eligendum vnum ex pluribus, aut certo personarum genere. secùs, contingit in matrimonio & professione religiosa.*

4. Con-

4. *Consuetudine introduci potest, vt Prælati electio intimari debeat Principi, aut patrono ecclesiarum, etiam laico; imò quandoque, vt hoc fiat, consultum est.*

5. *Ipsi tractatui autem electionis laici, quamuis patroni sint, non permittuntur sese immiscere.*

6. *Consuetudine vel fundatione constitui potest, vt Princeps aut Patronus laicus ad electionem Prælati vocandus sit, non vt electioni se immisceat, sed vt suâ præsentiâ & auctoritate liberam & canonicam defendat.*

7. *Sic etiam per consuetudinem, priuilegium, & fundationem statui potest, vt mors Prælati nunciari debeat Principi aut Prælato laico, vt eius consensus seu magis patrocinium ad nouam electionem petatur.*

NOTANDVM 1. Consuetudo, quæ contra ecclesiasticam libertatem tendit, damnata est, & abolenda. Ita docent Canonistæ hîc, & in c. 1. de consuet. Legistæ in Auth. Cassa de SS. ecclesijs. Videri possunt, quæ docui in cit. c. 1. & in c. Quæ in ecclesiarũ 7. & c. ecclesia 10. de Constit. & in Theol. moral. lib. 4. tr. 9. cap. 10. Talis fuerat consuetudo, vt Prælatorum ecclesiasticorum electio à Regis seu Principis secularis arbitrio, & assensu penderet: Quod licèt per Apostolicæ Sedis priuilegium constitui possit, non tamen per consuetudinem introduci, prout etiam constat ex c. quod sicut 28. hoc tit. Sed difficultas non parua est; Num per consuetudinem immemorialem introduci possit, vt electio Prælati suprà dicto modo pendeat ab arbitrio Episcopi aut Patriarchæ? Pro parte affirmante est cap. cùm dilectus 8. de consuet. & c. Abbate 25. de verborum signif. quibus in locis habetur, libertatem electionis ita per consuetudinem restringi posse, vt ex alterius ecclesiæ corpore aliquem eligere necesse sit: Imò etiam, vt electio nõ ad Collegium, siue Conuentũ, sed aliam personam, v. g. Episcopum pertineat, vti colligitur ex c. 2. de in integr. restit. Sed pro parte negante stare videtur hoc c. quando tam de Patriarcha, quàm de Rege negatur, electionem Prælati ab eorum arbitrio, vigore consuetudinis, pendere posse.

Respondeo cum Ioann Andr. hîc num. 3. Abb. n. 2. Couar. in 4. decretal. p. 2. cap. 3. §. 5. n. 8. Per consuetudinem bonâ fide præscriptam posse ius eligendi (prout ex allegatis iuribus constat) penitus auferri, & alteri ecclesiasticæ personæ seu dignitati, aut Collegio acquiri: Posse etiam ius eligendi per consuetudinem limitari, seu restringi; ita videl. vt ex certo personarum genere, etsi contingat tantùm duas esse, dummodò idonea reperiatur, vna eligenda sit: Quia substantia electionis nihilominus consistit, argum. l. serui 5. ff. de legatis 1. At verò per consuetudinem introduci non potest, vt remanente iure eligendi penes Conuentum aliquem, eorum electio ita pendeat ab arbitrio alterius, vt qui electus est, ab eo admitti, vel reijci, aut si duo electi, & propositi sint, vterque reijci possit, vti in hoc cap. dicitur: Id enim est contra substantiam electionis; ideóque dum Patriarcha, aliúsue ecclesiasticus fatetur Capitulo aut Conuentui competere ius eligendi, non potest per consuetudinem cum bona fide acquirere, vt electio dicto modo ab arbitrio suo dependeat, arg. c. 2. de consuet. in 6.

Id verò non male admonet loco cit. Couarr. quòd potuisset Patriarcha per consuetudinem præscriptam acquirere, vt Conuentus duos eligere deberet, quorum vnus ab ipso approbaretur. Vel enim electionis substantia non euertitur, sed restringitur dumtaxat: vel, si contendas nõ esse propriè dictam electionem, sed potiùs præsentationem seu nominationem duorum; etiam id fieri potest per consuetudinem, vt ablatâ Conuentui facultate propriè dictæ electionis, alios præsentare teneatur Ecclesiastico Superiori, ex quibus vnus sit instituendus; Non item Regi, aut seculari Principi; Cùm enim id ius ecclesiasticum & spirituale sit, per consuetudinem à laico acquiri non potest; licèt per priuilegium Sedis Apostolicæ possit.

Ex suprà tradita doctrina colligit Abbas

in c. licet n. 12. hoc tit. & super hoc c. n. 3. & alij apud Sanchez lib. 4. de matrim. disp. 12. n. 20. & dixi etiam suprà in cit. c. licet, not. 2.

3 casu 4. mero iure valituram electionem, si electores per metum iniustum, & cadentem in virum constantem adigantur ad eligendum vnum ex pluribus, aut certo personarum genere: quia substantia electionis consistit, nec extat aliquis canon, quo talis electio infirmata sit. Poterit tamen, & plerumque debebit in criminis detestationem, & quia electio minùs canonicè, vid. non cum plena libertate facta est, à Superiore rescindi. Bene autem admonent Couarr. & Sanchez cit. locis, matrimonium ipso iure irritum fore, si contrahatur per talem metum grauem & injustè extortum, quo aliquis adigitur ad ducendam vnam ex pluribus determinatis, v. g. vnam ex filiabus Titij, aut ex certa familia. Quia ad matrimonium plena libertas requiritur, c. cùm locum 14. de sponsal, & c. 2. de eo qui duxit, &c. Accedit, quòd matrimoniũ, cùm suapte naturâ perpetuum atque indissolubile sit, nisi ob talem coactionem, & plenæ libertatis imminutionem, ipso iure irritum esset, postea nunquam rescindi posset; & ita infelices exitus facilè sequerentur, cit. c. cùm locum. Quare idem quoque ob eandem rationem dicendum est de Religionis professione, eam irritam fore, si quis graui & injusto metu cogatur ad profitendum non tantùm in vna certa; sed etiam si cogatur indeterminatè ad profitendum in aliqua quacunque Religione: quandoquidem professio in Religione non minùs, quàm carnale matrimonium, libertatem exigit, & coactionem non admittit, c. 1. de ijs quæ, c. cùm virum 12. de Regul. cap. vlt. Qui clerici, vel vouentes.

NOTANDVM III. Si ecclesia Pastore orbata sit, Conuentuales seu Capitulares in vnum locum conuenire debent; &, post inuocatam S. Spiritus gratiam, curam inquisitionis adhibere, donec personam idoneam secundùm formam canonicam elegerint. Videri potest Gl. hîc ver. diligentiam.

NOTANDVM IV. Consuetudine introduci potest, vt Prælati electio intimari debeat Principi, aut Patrono ecclesiarum, etiã laico, vti hîc dicitur, & in c. cùm inter 18. c. quod sicut 28. hoc tit. Imò consultum quandoque est, eam significari, vt appareat, num eam oppugnare velit, tanquam institutam contra formam canonicam, aut de persona inhabili seu indigna, c. nobis 25. de iure patron. & notauit Abb. hîc n. 2. Sin autem ritè peracta sit electio, non potest eam impedire, vti hîc dicitur in fine c. & tradit inter alios Hostiensis in summa, tit. de electione, §. Quis possit eligere.

Sed QVÆSTIO est; Num Princeps, aut Patronus laicus ad ipsam electionem Prælati vocari, vel admitti debeat? Respondeo, & Dico I. Tametsi olim consuetudo fuerit, vt, cùm electio Prælati peragenda esset, vocatorum etiam laicorum mens & consilium exquireretur, prout S. Cyprianus testatur lib. 1. epist. 4. & dixi suprà in c. 1. hoc tit. tamen mos iste postea desiit, atque hodie non per- 5
mittitur, vt laici, quamuis patroni sint, vnà cum clericis, tractatui electionis se immisceant, argum. c. 1. d. 63. c. sicut 28. c. sacrosancta 51. hoc tit. vbi id Gl. tradit, ver. in laicum.

Dico II. Consuetudine, vel fundatione 6
constitui potest, vt Princeps, aut Patronus laicus ad electionem Prælati vocandus sit, non vt electionis tractatui se interponat, sed vt suâ præsentiâ & auctoritate Clericorum liberam & canonicam electionem defendat, prout annotauit Hostiensis in summa, hoc tit. §. Quis possit eligere. Qua etiam ratione olim Imperatores Christiani Conciliis Episcoporum intererant; vt tamen nullo se verbo interponerent, sed liberum omnino Sacerdotibus arbitrium relinquerent, vti videre licet apud S. Ambrosium lib. 5. epist. 32. Ad Valentinianum; & apud Theodosium & Valentinianum Imperatores in epist. ad Synodum Ephesinam Oecumenicam, tom. 1. cap. 32.

Et sic defendi etiam potest, quod Innoc. 7
docet in suprà cit. c. quòd sicut num. 2. per consuetudinem, & priuilegium (adde & fundationis literas) statui posse, vt mors Prælati nunciari debeat Principi, aut Patrono laico, vt consensus eius, seu magis patrocinium ac

defensio petatur ad nouam electionem, iuxta canones, celebrandam. Videri etiam potest Petr. Greg. Tholosanus tract. de elect. cap. 19. num. 15.

CAPITVLVM XV.

Transmissam.

PARAPHRASIS.

Clerici cuiusdam diœcesis illicita perpetrantes, cùm propter excessus suos ab Episcopo electo & confirmato, suspensionis, interdicti, aut excommunicationis sententiâ constringerentur, eâ contemptâ, dimiserunt ecclesias suas, & liberè, clericali dimisso habitu, vagantes, & laicorum negotiationibus se immiscentes, obiecerunt, Episcopum, ante consecrationem acceptam, sine speciali Sedis Apostolicæ indulto, correctionem exercere non posse. Hoc intellecto, rescripsit Cælestinus III. Papa ad Episcopum, quòd post acceptam electionis suæ confirmationem, de talibus, quæ proposita fuerunt, & similibus liberam statuendi, quod iustum est, & ecclesiasticæ vtilitati congruit, habeat facultatem.

SVMMARIVM.

1. *Episcopus electus aut postulatus post confirmationem acquirit potestatem exercendi ea omnia, quæ sunt iurisdictionis episcopalis.*
2. *Episcopus non consecratus etiam causas criminales clericorum per se, & tantùm incidenter propositas cognoscere, & iudicare potest; exceptis iis, quæ ad realem siue solemnem degradationem spectant.*

1 NOTANDVM Vn. Episcopus electus aut postulatus, post confirmationem per literas authenticas acceptam, licèt consecratus non sit, aut nondum Sacerdos, exercere ea omnia potest, quæ ad iurisdictionem pertinent, vti sunt iudicare, punire, censuras ferre, ab eisdem absoluere, iurisdictionem in externo & interno foro delegare, gratias & priuilegia concedere, à vasallis fidelitatis iuramentum accipere, beneficia ecclesiastica conferre, inuestire, præsentatos instituere, electos confirmare. Ita docet Gl. recepta hic ver. talibus, Innoc. ibid. Sanchez in lib. 7. moralium cap. 32. n. 67. Suarez lib. 4. de legibus cap. 4. n. 9. vbi cum S. Thom. in 4. d. 20. q. vn. a. 4. quæstiun. 2. addit, quòd & indulgentias concedere possit; *cùm tamen indulgentiarum concessio videatur actus maximè spiritualis inter omnes, qui iurisdictionis sunt.*

QVAESTIO autem est; Cur, & quo sensu Pontifex, posteaquam respondit, de talibus & similibus, videl. ad potestatem iurisdictionis pertinentibus, Episcopum confirmatum, nondum autem consecratum, liberam statuendi habere facultatem, exceptionem adiecerit; *Præter ea quæ maioris discussionis inquisitionem exigunt, & ministerium consecrationis desiderant?* Quidam apud Abb. in c. 1. n. 5. de translat. Episcopi, Ioan. Andr. hic n. 11. Felin. in c. eam te n. 5. de rescriptis, inde collegerunt, quòd Episcopus non consecratus causas clericorum criminales, per se & non tantùm incidenter propositas, cognoscere & iudicare non possit. Sed hoc dictum meritò reijcitur ab Innoc. hîc, in fine; Primò, quia Episcopus eiusmodi cognitionem criminalem delegare alicui potest, qui episcopalem consecrationem non habet; Secundò, quia Episcopus per confirmationem accipit merum Imperium, cùm possit excommunicare, &c. Ergo etiam de causis criminalibus cognoscere potest. Dicendum itaque cum Innoc. cit. loco; Pontificem excipere voluisse eas duntaxat maioris inquisitionis discussiones, quæ ad realem siue solemnem clericorum degradationem spectant; hæc enim consecrationis episcopalis ministerium requirunt, c. 2. de pœnis in 6. & explicaui latè lib. 1. Theol. moral. tr. 5. p. 3. cap. 5. n. 4. Nisi quis dicere malit, quando iuxta veteris ecclesiæ morem, Episcopus causas criminales Sacerdotum & Diaconorum cognoscere solus non potuit, sed tantùm in Coëpiscoporum conuocato concilio c. si autem 5. & c. vlt. causa

15. q.

15.q.7. pro maiore tunc conseruanda auctoritate, oportuisse Episcopos, qui conuenirent, esse consecratos, prout Abb. antiquus, & Innoc. hic indicare videntur, ver. inquisitionis: sed ista iam in desuetudinem venerunt.

CAPITVLVM XVI.

Cùm inter.

PARAPHRASIS.

Romanus senior Schafhusianus Monachus in Abbatem eius Monasterij electus fuit: sed Romanus iunior, & alij quidam se electioni opposuerunt. Controuersia hæc à Sede Apostolica varijs iudicibus commissa, sed decisa non fuit. Cùm autem Romanus senior pro ferenda sententia apud Sedem Apostolicam instaret, Cælestinus III. Papa eum inuitum coëgit, vt in compositionem consentiret, atque renuncians Abbatiæ de manu Pontificis Prioratum & Custodiam (seu Custodis officium) reciperet, ita vt ea dum viueret, possidere posset. Postea verò, cùm idem Romanus domum reuersus fuisset, ab Aduersariis suis Monachis, compositionem obseruare nolentibus, ad Prioratum & Custodiam admissus non est; sed malè tractatus, iniectis in eum manibus violentis: horum manus cùm euasisset, appellauit ad Sedem Apostolicam, volens impedire, ne ad nouam electionem Abbatis procedere possent. Erat tum quoque in ijs Germaniæ partibus Legatus à latere, qui Monachos, ob hunc & alios eorum excessus, suspensioni, & Monasterium interdicto subiecerat. Sed illi nec interpositæ appellationis, neque suspensionis suæ rationem habentes, ad electionem nihilominus conuenerunt, atque Romanum iuniorem in Abbatem elegisse referebantur. Hæc causa cùm Innocentio III. Papæ relata esset, inprimis respondit, Electionem Romani iunioris ex eo capite infirmari non posse, quia post appellationem celebrata sit: Cùm enim Romanus senior Abbatiæ corâ Pontifice renuntiârit, eius propriè nihil intererat, nouam electionem instituì. Quòd verò ad alterum caput attinet, non poterat Pontifex satis tum cognoscere, num electio à suspensis celebrata fuerit. Tametsi enim id colligebatur ex literis Præpositi & Capituli Cathedralis Constantiensis, in quibus de interdicto Legati à latere mentio facta; huic tamen relationi repugnabat factum Episcopi Constantiensis, qui vt Diœcesanus dicto Romano iuniori in Abbatem electo benedictionis munus impendit: Quamobrem licèt obiectum fuerit, non tamen probatum, electionem ab interdictis celebratam fuisse, eam Pontifex irritare non potuit: Visum itaque eidem fuit, vt causam duobus, in ijs partibus, Abbatibus committeret, hac forma, vt, si eis constiterit, electionem à suspensis celebratam fuisse, ea penitus cassata, Monasterio, post suspensionis & interdicti sententiam, præmissa satisfactione condigna, relaxatam, personam idoneam prouideri curent.

SVMMARIVM.

1. *Papa in causis, maximè beneficialibus, potest partes cogere ad compositionem pacis statuendæ, & discordiæ ac scandali amouendi causa.*
2. *Non licet alicui appellare, si eius nihil interest: licet tamen non tantùm si alicuius interest proprio nomine, sed etiam si alieno, v. g. si alicuius procurator constitutus sit, vel ratione necessitudinis, vt pater pro filio, clericus in causa ecclesiæ, monachus in causa monasterij.*
3. *Abbas electus & confirmatus benedicitur, vt ea, quæ ordinis sunt, ritè exercere possit, v. g. populo benedicere, sacra vasa (si id ex priuilegio Sedis Apostolicæ concessum sit) consecrare &c.*
4. *Cur instituta sit Abbatum & Præpositorum regularium benedictio, & inter hanc & consecrationem Episcopi quod discrimen.*
5. *Abbates vt tantùm Dominicis diebus benedici debeant, nullo iure præscribi-*

tur ; obseruari tamen solet, vt illa fiat Dominico siue alio festo die.

6. *Abbas semel benedictus, si assumatur ad alterius monasterij prælaturam, non debet iterum benedici.*

7. *Abbatissæ si intra annum à confirmationis suæ tempore benedictionem non accipiant sine rationabili causa, à iure suo excidunt, & noua prouisio fieri debet.*

8. *Si electio Prælati celebrata sit à suspensis, vel excommunicatis, vel personaliter interdictis, ipso iure irrita est.*

1 NOTANDVM I. Rom. Pontifex in causis maximè beneficialibus cogere potest partes contendentes ad compositionem, pacis statuendæ, & discordiæ ac scandali amouendi causa. Ita Ioan. Andr. & Anton. num. 4. Abb. num. 1. cum Gl. marginali, Felinus in cap. 7. Quæ in ecclesiarum n. 45. de Constitut. Ratio dari potest, quia in ecclesiasticis beneficijs supremam administrationem, & plenissimam dispositionem obtinet, cap. 2. de præbend. in 6. Alioquin verò, seu ordinariè, potest quidem iudex, imò sæpe debet partes contendentes ad concordiam & compositionem hortari, iuxta cap. 1. & c. studendum 7. d. 90. non autem compellere inuitos: quin potiùs petentibus ius dicere cogitur, secundùm Gl. receptam in l. 1. §. Et post, ff. de noui operis nunciat. Nisi causa valde dubia & intricata sit, & partes longo tempore, magnis sumptibus, litigârint, vti hîc tradit Anton. num. 26. Abb. num. 9. & docui lib. 1. Theol. moral. tract. 1. cap. 5. num. 16. §. Quæres. *Pertinet* enim *ad Iudicis officium lites diminuere*, l. quidam 21. ff. si certum petetur. Et maximè quidem in litibus beneficialibus, si decidi facilè non possint, Episcopi & similes Prælati partibus diu litigantibus compositionem imperare possunt, argum. cap. placuit 9. d. 90. & cap. quæsitum 5. de rerum permut. Videtur enim ex eo textu colligi, quòd Episcopus ex causa vtilitatis etiam inuitos beneficiarios de loco ad locum institutâ beneficiorum permutatione, transferre possit.

NOTANDVM II. Licèt prioratus, & alia officia seu beneficia claustralia, non sint perpetua, sed manualia, quæ secundùm Abbatis voluntatem auferri possunt, cap. cum ad Monasterium 6. §. Tales autem, de statu Monachorum: Sed neque à Sede Apostolica indulta prodire soleant, in quibus Religiosis Prioritates & similes administrationes seu officia ad vitam eorum confirmantur, cap. ad nostram 5. & c. seq. de confirmat. vtili; Excipi tamen debet, Nisi summus Pontifex alicui ex certa scientia regulare & claustrale eiusmodi beneficium siue administrationem in perpetuum, & vt irreuocabile ab inferioribus Prælatis, conferat. Quod hîc Cælestinus III. egit, propter bonum pacis, & concordiæ. Et ita annotauit Innocent. hîc in princ. Anton. num. 8. & 27. Abb. n. 2. & 10.

NOTANDVM III. Non licet alicui appellare, si eius nihil interfit, vti hîc dicitur, verf. *Nos attendentes*, in cap. quod sicut 28. hoc tit. & in l. 1. ff. de appellat. Veruntamen, licitum est appellare non tantùm si alicuius interfit proprio nomine, sed etiam si alieno; puta, si alicuius procurator constitutus sis, vel alienum negotium geras, & dominus mox ratum habiturus sit: Item affectionis, ac necessitudinis causa, pater, aut mater pro filio, si causa eius deserta sit, appellare non prohibetur, prout hæc habentur in cit. l. 1. Quamobrem eâdem ratione clericus in causa ecclesiæ suæ, & Monachus in causa Monasterij sui, opponere se potest, si quid non rectè seu non canonicè agatur, & appellare; quia eius quodammodo interest, cùm sit membrum ecclesiæ seu congregationis: Et ideo R. senior, tametsi ab appellatione repulsus fuerit, quatenus contra electionem se opposuit proprium interesse prætendens, postquam is electioni suæ renunciârat; auditus tamen fuit, quatenus idem contra electionem appellauit, allegans eam à suspensis factam fuisse. Et ita Innocent. hîc annotauit num. 2.

Objicit Gl. hîc ver. ex consensu: Si pars vna transactionem seruare nolit, etiam altera resilire potest, l. si diuersa 14. C. de transact. Respondeo, cum Abb. hîc n. 13. in solut.

3. Abb.

3. Abb. antiquo in fine huius cap. Quòd transigenti, si ex sua parte impleuerit, & altera pars implere nolit, resilire licet: atque, nisi malit compellere ad implendum, transactionem rescindere: prout hoc ipsum etiã in contractibus innominatis contingit, l. 1. ff. de rerum permutat. & docui lib. 3. Theol. moral. tr. 4. cap. 3. n. 3. At verò in casu nostro compositio à Pontifice proposita, omni ex parte impleta, & perfecta fuit: Cùm & R. senior electioni simpliciter & purè renunciârit; vicissim verò Prioratûs & Custodiæ collatio eidem per manus Pontificis facta fuerit: Quare cùm postea Monachi, mutatâ voluntate, eum recipere nollent, non poterat renunciationem suam reuocare; sed ius sibi in Custodia & Prioratu acquisitum, coram Sede Apostolica, aut Legato eius, ad obtinendam, aut retinendam possessionem, prosequi debebat.

3 NOTANDVM IV. Sicuti Episcopus post electionem & confirmationem consecratur, ita Abbas electus & confirmatus benedicitur, vt ea quæ ordinis sunt, ritè exercere possit. videl. populo benedicere, sacra vasa (si id ex priuilegio Sedis Apostolicæ concessum sit) consecrare, primam tonsuram & Ordines minores Regularibus suis subditis conferre, iuxta c. 1. d. 69. & Concil. Trid. sess. 23. cap. 10. de reform.

4 QVÆSTIO prima. Quare instituta sit hæc Abbatum & Præpositorum regularium benedictio? Respondeo: Institutam esse à sacris canonibus secundùm similitudinem & proportionem consecrationis Episcopalis: vt quia Abbates isti Episcopis proximi sunt secundùm honores, & quandam ordinis episcopalis participationem, ita etiam benedictionem aliquam participent. Sunt tamen non pauca discrimina inter consecrationem Episcopi, & Abbatis alteriúsue Prælati benedictionem. Primum. Episcopi consecratio per Sacri Chrismatis vnctionem fit, non item Abbatis benedictio.

Secundum. Consecratio Episcopi Sacramentum est, characterem imprimens: sed benedictio Abbatis est simplex & deprecatoria manûs impositio, c. 1. d. 69. iun. c. manus 74. causa 1. q. 1. Quamobrem consecratio Episcopi non nisi ab Episcopis fieri potest: sed benedictio Abbatis interdum ab Episcopo assistentibus duobus Abbatibus (vt similitudinem aliquam episcopalis consecrationis habeat) fieri solet.

Tertium. Episcopus, post confirmationem suam, antequam consecratus sit, absolutè Episcopus, aut Pontifex appellari non deberet, secundùm Gl. in Clem. 2. in not. de celebr. missarum: sed Abbati, post confirmationem, tametsi nondum benedictus sit, nomen Abbatis absolutè competit, prout docet Abb. in c. quanto n. 3. de offic. Ordinarij. Felin. in c. eam te n. 7. de rescript. Cardin. Tuschus ver. Abb. concl. 8. n. 3. argum. c. 1. de suppl. neglig. Prælatorum, c. indemnitatibus 43. §. sane, hoc tit. in 6. & apparebit ratio ex seq. discrimine.

Quartum. Consecratio Episcopi simpliciter necessaria, ac veluti substantialis est, ad hoc vt actus ordini episcopali proprios exerceat, cuiusmodi est sacerdotes ordinare &c. sed neque alios actus ordinis episcopalis, qui non ita proprij sunt, quò minùs Sacerdotibus simplicibus, seu non episcopis, à Sede Apostolica committi queant, videl. ordines minores conferre, vasa sacra consecrare, & similia Episcopus confirmatus, tametsi Sacerdos sit, ante consecrationem exercere potest: cùm enim sacramentalia ista ordini episcopali per se ac directè ab ecclesia annexa sint, ideo non vult ea nisi ab ordinatis episcopis exerceri. At verò benedictio Abbatis respectu exercitij ordinis non censetur esse substantialis, sed potiùs solemnitas quædam accidentaria, arg. cit. c. 1. de suppl. neglig. Prælatorum: Et constat ex eo, quia quibusdam in locis consuetudo viget, vt Abbates non benedicantur; & nihilominus omnia Abbatum, etiam quæ ordinis sunt, officia exerceant, si Sacerdotes ordinati sint, teste Angelo ver. Abbas n. 3. Tuschus eod. verbo concl. 8. n. 3. Rodriq. tom. 1. regul. qq. q. 18. a. 2. & colligitur ex c. alienationes 37. causa 12. q. 2.

Cæterùm, si consuetudo vigeat, vt Abbates vel Præpositi post confirmationem ac-

ceptam benedicantur, tum seruanda est regula proportionalis; Quòd sicuti Episcopus post confirmationem electionis suæ exercere potest ea, quæ ad iurisdictionem spectant, non item ea quæ ad Ordinis potestatem, c. transmissam 15. vbi bene Abbas antiquus, hoc tit. Ita etiam Abbati electo per confirmationem confertur omnis potestas iurisdictionis, non item ordinis potestas: Eam enim per benedictionem assequi censetur, iuxta c. cùm contingat 11. de ætat. & qualitat. & docet Abb. in suprà cit. n. 3. Syl. ver. Abbas n. 4. Adde his, quòd quibusdam in locis Episcopi non aliter confirmant Abbates & Præpositos, quàm vt ipsis canonicè electis benedictionem solemnem impendant. Quo in casu benedictio loco confirmationis est: Et hoc casu intelligendus videtur Innocentius in cit. c. 1. n. 1. de suppl. negl. Prælatorum, vbi significat, quòd Abbas ante acceptam ab Episcopo benedictionem, administrare non debeat; præterquam si is in mora, aut negligentia conferendi existat, iuxta cit. c. 1.

Qvæstio secunda. Quonam die Abbatis benedictio peragi debeat? Aliqui existimant, Dominico tantùm die benedictionem dandam, vt Abb. Panorm. in c. cùm sis, de consecrat. eccles. vel altaris; Hostiensis quoque, teste Gl. in Clem. 2. ver. benedici, tutius id esse, arbitratus est; propterea quòd Episcopus Dominico die consecrari debeat, c. quòd die 5. iun. Glossa ver. Sacerdotum. d. 75. Sed respondetur cum Gl. recepta in cit. Clem. Tuscho in cit. concl. 8. n. 10. Barbosa de offic. Episcopi p. 2. alleg. 27. n. 51. De
5 hac re nihil statutum in iure reperiri; & ideò necessitatem non imponendam, vt Abbates Dominicis tantùm diebus benedicantur: Obseruari tantùm solet, iuxta communem doctrinā apud Syl. ver. Abbas n. 4. Angelum n. 3. vt Abbatis benedictio siue dominico die, siue alio festo die celebretur; sicuti & ordines minores festis quibuslibet diebus conferri solent, c. 3. de tempor. ordinat. At verò Abbatissæ benedictionem quolibet die fieri posse, monet Gl. recepta in cit. Clem. ver. benedixi; quia longè *minus habet benedictio Abbatissæ, quàm Abbatis*, prout ibid. Gl. explanat.

Qvæstio tertia: Si Abbas, postquam semel benedictus est, ad alterius Monasterij prælaturam transferatur, debétne iterum benedici? Respondendum est negatiuè ex com. 6 muni doctrina apud Azor tom. 1. lib. 12. cap. 20. q. 4. Barbos. de offic. & potestat. Episcopi p. 2. allegat. 27. n. 51. Quemadmodum nec coniuges denuò benedici solent, si in prioribus nuptijs benedictionem acceperunt, c. 1. & 3. de sec. nuptijs. Accedit, quòd benedictio Abbatis fiat ad similitudinem cōsecrationis episcopalis, quæ iterari non potest. At verò Abbatissæ benedictionem iterari solitam esse, testatur cit. loco Azor, & Nau. in consil. 2. ad 1. q. de statu Monach. edit. 2.

His adde, quòd in suprà cit. Clem. 2. §. 7 statuimus, pœna decreta est, si Abbatissæ in Monasterijs, in quibus benedici solitæ sunt, intra annum à confirmationis suæ tempore, benedictionem accipere, absque rationabili causa intermittant, à iure suo penitus excidant; ita vt noua prouisio fieri debeat.

Notandvm V. Si concurrant probationes seu præsumptiones in vtramque partem contrariæ, se inuicem infringunt, ac diminuunt, vt Iudex ijs stare non debeat, sed maiorem inquisitionem facere. Ita sumitur ex textu ibi, *vnde vel scriptura*, & notauit Imola n. 9. ex c. 3. iun. Gl. ver. & testibus, Qui filij sint legitimi.

Notandvm VI. Si Papa causam coram se, ob defectum probationum, sufficienter cognoscere & iudicare non possit, tum solet eam in partibus siue in loco, vbi testes audiri & examinari possunt, delegare, vti hîc apparet, vers. fin. *Idéque mandamus*, & notauit Abb. hîc n. 14. Interdum verò demandatur tantùm per literas Compulsoriales, vt testes audiantur, instrumenta edantur, eáque Romam, pro causæ informatione, mittantur.

Notandvm VII. Si electio Prælati 9 celebrata sit à suspensis, vel excōmunicatis, vel personaliter interdictis, ipso iure irrita est. Ita hîc dicitur in fine c. iun. Gloss. ver. cassa-

cassata; vbi admonet,cassandam dici electionem, id est, cassam & irritam esse declarandam; quia suspensi eligere non possunt. Intelligi verò id, spectato hodierno iure,debet,si denunciati sint; vel si per exceptionem oppositam repellantur, prout docui in c. cùm dilectus 8. de consuet.not.5.

QVÆSTIO est; Si in censura suspensionis & interdicti R. iuniorem elegerunt, ad quem prouisio Prælati spectare tunc debebat;ad ipsos,an ad alios? Gl. fin.hîc,quam sequitur ibi Abb. Panormit. & Anton. n. 22. ait; Quòd à Capitulo seu Conuentu noua electio fieri debeat: idque colligit ex textu: quia cùm Papa mandet, nouam prouisionem fieri,non autem explicet, à quibus, satis significare videtur,ad Capitulares pertinere, posteaquam ij à censura, post satisfactionem congruam absoluti fuerint.

Hæc doctrina vera est,cum tribus tamen limitationibus: I. est, Si Capitulares in hoc casu Rom. iuniorem elegissent suspensum, aut personaliter interdictum,idque scienter & illicitè, tum priuati fuissent pro ea vice iure electionis, idque ad proximum Superiorem deuolutum fuisset,c. quamquam 18. in 6. Et fortasse in hoc ipso casu,cùm Pontifex nesciret, quomodo electio prior peracta esset; maluit terminis generalibus vti, & mandare, vt de persona idonea consulatur.

II. Si Capitulares,posteaquam ob censuram omnes denunciati fuerunt, vel contra eos exceptum,electionē irritam peregerint; atque vltra tres menses absolutionem petere, nouámque canonicam electionem facere culpabiliter intermittant,ius eligendi pro ea vice ad Superiorem deuoluetur,iuxta cit. c.quamquam,& c. vn. Ne Sede vacante, §. Cùm verò.

III. Si non omnes Capitulares suspensi, vel interdicti sint,tum ijs priuatis (siue ipso iure, si denunciati existant, vel ope exceptionis) ius eligendi pro ea vice ad alios censurâ non irretitos deuoluitur,iuxta c.2. de postulat. Prælatorum. vbi id docui not. 2. & c. Cùm Vintonienſis 25. hoc tit.

CAPITVLVM XVII.

Qualiter.

PARAPHRASIS.

Vacante ecclesiâ Pennensi, Canonici Primicerium ecclesiæ suæ, in Episcopum elegerunt. Is nondum acceptâ à Sede Apostolica confirmatione, administrationi Episcopatûs se immiscuit,recipiendo cùm à clericis, tum à laicis iuramenta; cùm tamen scire debuerit, quòd nemo secundùm Apostolum ad Hebr. 5. cap. sibi sumit honorem,sed qui à Deo vocatur: Ideò Innocentius III. Papa tum ob hanc causam; tum etiam quia Primicerius episcopali muneri conuenientem scientiam non habebat, ipsius electionem irritandam iudicauit; omnia quæ vigore eius facta sunt, irrita esse pronuncians.

SVMMARIVM.

1. *Episcopus electus ante confirmationem administrare non debet; aliàs ipso iure priuatus existit,nec per nouam electionem eligi potest.*
2. *Debet habere Episcopus scientiam competentem muneri episcopali, vti & alij Prælati & curati clerici conueni. entem suis officijs.*
3. *Electione cassatâ,omnia rescindi debent, quæ ratione officij,aut iurisdictionis vsurpata gesta sunt: secùs est, si ob vitium aliquod occultum Episcopi,vel alterius Prælati,institutio vel confirmatio inualida sit.*

NOTANDVM I. Episcopus electus ante confirmationem administrare non debet. Ita hîc, & in c.nôsti 9. vbi id docui not. vn. hoc tit. Alioquin eius electio in pœnam cassari debet: Imò ipso iure priuatus existit,ex quo tempore administrationi se malè ingessit,iuxta c. si auaritiæ 5. hoc tit. in 6. Tametsi aliqui aliter sentiant, quam quæstionem ibi examinabo. 1

Addit Abb. Panorm. hîc n. vlt. ex Archidia-

diacono in suprà cit. c. auaritiæ, quòd ita priuatus, aut repulsus per nouam electionem eligi non posit; quia electio prior cassata fuit vitio personæ, iuxta c. super eo 11. hoc tit. Sed neq; à Pontifice electionis suæ validationem promotionémue consequi posset, nisi vitium intrusionis suæ explicaret; Eadémque ratio est, si quis per abusum secularis potestatis factam electionem acceptârit, c. quisquis 43. hoc tit. Consentiunt, quæ docui lib. 4. Theol. moral. tr. 1. cap. 15. n. 3.

2 NOTANDVM II. Episcopus habere debet scientiam competentem muneri episcopali: Et ita de alijs quoque Prælatis, aut Curatis clericis dicendum; requiri in eis scientiam maiorem, aut minorem; prout ratio officij, & cura, administratióque, quæ ipsis incumbit, exigere videtur. Ita sumitur ex hoc c. ibi, *Nec donum scientiæ Pontificis conueniens*, & latè explicat Abb. in c. cùm in cunctis n. 4. hoc tit.

3 NOTANDVM III. Si cuius electio cassata sit, omnia reuocari & rescindi debent, quæ ratione officij, aut iurisdictionis vsurpatæ gesta sunt: Quare si v. g. Episcopus electus ante confirmationem beneficia contulit, collationes, tanquam irritæ, reuocari debent. Sed alia ratio est, si Episcopo vel alteri Prælato confirmationis, aut institutionis titulus, ob vitium aliquod occultum, inualidus, collatus fuit: tunc enim quæ ab eo ratione officij gesta sunt, valida iudicari debent, argum. l. Barbarius ff. de Offic. Prætoris.

CAPITVLVM XVIII.

Cùm inter vniuersas.

PARAPHRASIS.

Archiepiscopus Capuanus Panormi vitâ defunctus fuit, præsentibus Decano & alijs ecclesiæ Capuanæ Canonicis: Ij scripserunt ad Capitulum Capuanum, vt ad electionem Archiepiscopi non procederent, donec ipsi aduenissent. Eo intellecto, Capitulum terminum illis XII. dierum præfixit, intra quos, post literarum receptionem, reditum instituere deberent. Hæc res cùm Innoc. III. Pontifici relata fuisset, scripsit is ad Capuanum Capitulum; quòd ecclesiarum consuetudo non exigat, vt Canonici ad electionem Præsulis è loco tam remoto vocentur, præsertim cùm Decanus & alij Canonici mortem Archiepiscopi, quippe ei tunc præsentes, non ignorârint, & ideo aliqui eorũ ad ecclesiâ Capuanâ reuersi fuerint. Quare cùm mora longior in Prælatie lectione suspecta, & sæpe damnosa ecclesiæ sit, mandat Papa Capitulo, vt ad Archiepiscopi electionem conueniat, & inuocatâ S. Spiritûs gratiâ, personam per canonicam electionem concorditer assumant; postea verò nuncios idoneos transmittant, per quos à Pontifice vice Regiâ assensum, & Apostolicæ confirmationis gratiam postulent.

SVMMARIVM.

1. *Mortuo Prælato Capitulum, siue ij, qui in loco ecclesiæ præsentes sunt, terminum præfigere possunt, intra quem Prælati electio instituenda sit.*
2. *Capitulares intellectâ morte Prælati, etsi maior eorum pars existat extra locum ecclesiæ, vel Capituli, eò se ad electionem conferre debent; neque necesse est (secluso speciali consuetudine) absentes vocari.*
3. *Aliàs minor Capituli pars, etiam vnus ad eligendum procedere potest, illis aliis non expectatis, si modò hi absentes intra trimestre, aut semestre à SS. Canonibus definitum aduenire possint, & non aduenient; ante quem terminum non expedit, vt absentibus dies præstituatur, nisi duæ adsint Capitularium partes, vel consuetudo aliud obtineat.*
4. *Si duæ agendi facultates tendentes ad eundem finem seu effectum in eâdem personâ concurrant, quæ in diuersis potestatibus fundatæ sint, simul eodem actu expediri non possunt.*

NOTA Ne

1 NOTANDVM I. Mortuo Prælato Capitulum siue ij qui in loco ecclesiæ præsentes sunt, terminum præfigere, aut diem nominare possunt, intra quem, vel in qua Prælati electio instituenda sit. Ita colligi potest ex hoc c. Pendet autem hæc res ex ecclesiarum consuetudine: Quibusdam enim in ecclesiis Decanus; aut, si absens sit, Senior diem electioni constituit: Plerisque verò in locis conuenire solent, qui præsentes, aut non longè distantes sunt Capitulares, & diem electionis capitulariter decernunt, atque absentibus per nuncium, vel literas intimant. Qua de re Greg. Tholos. in tract. de elect. cap. 14. & videri possunt, quæ suprà dixi in cap. bonæ 4. de postul. Prælator. not. 3.

2 NOTANDVM II. Capitulares (quamuis maior eorum pars sit extra locum ecclesiæ suæ, siue Capituli) intellecta morte Prælati, eò se conferre debent ad electionem instituendam: Alioquin possunt alij, tametsi pauci, ad eligendum procedere, si terminus à iure præfixus appropinquet. Ita sumitur ex hoc cap. & tradit Innoc. hîc n. 6. Adde, quòd secluſa speciali consuetudine, necesse non sit absentes in hoc casu vocari, prout etiam in hoc cap. indicatur: quia dies statuta pro homine interpellat, l. magnam 12. C. de contrah. empt. Et, *eum qui certus est, certiorari vlterius non oportet.* reg. 31. in 6.

NOTANDVM III. Si Canonici à loco, vbi electio instituenda, multùm distantes sint, ita vt commodè vocari aut accersiri nequeant; absque ijs electionem alij, quamuis numero pauciores, peragere possunt. Ita habetur hîc & in c. quia propter 42. hoc tit. Ex hoc autem c. colligitur, in hac re attendendam etiam esse ecclesiarum consuetudinem; prout hîc notauit Gl. ver. remoti, ex c. In Genesi 55. hoc tit. Et verò pluribus in ecclesiis consuetudo viget, vt omnes qui in regno sunt, destinato ad eos nuncio, vel literis vocentur: dummodò speciale periculum in mora non sit; ob quod electionem accelerari oporteat: dummodò etiam intra tempus trimestre, aut semestre, à sacris canonibus definitum cap. ne pro defectu 41. hoc tit. qui absentes sunt, aduenire possint. Interdum tamen, si aliqui accedere intra illud tempus iustè impediti sint, v.g. ob violentię periculum, electio vltra terminum à iure statutum prorogari æquum est, donec omnes conuenire possint, argum. cit. c. Ne pro defectu, ver. *Iusto impedimento cessante.* Videri etiam potest Ioan. Andr. hîc n. 15. Innoc. in c. cùm nobis n. 6. ibid. Abb. n. 9. & 10. hoc tit. vbi aiunt, si instet terminus electionis faciendæ, iuxta iuris præscriptum, atq; aliqui aduenire negligant, quòd etiam minor Capitularium pars, imò 3 vnicus ad electionem procedere possit: quia ius vniuersitatis in eo residet, l. sicut 7. in fine, ff. Quod cuiusque Vniuersitatis, &c. cap. vlt. d. 65. iun. Gl. ver. superstes. Sed ante iuris definitum terminum nõ expedit absentibus, vt aduenient, diem præstituere; nisi duæ adsint Capitularium partes, vel consuetudo ecclesiæ obtineat, vt v.g. Decanus, aut Senior diem statuere, & absentes vocare debeat. Qua de re Innoc. cit. loco, & dixi de hoc in cit. c. bonæ 4. de postul. Prælat. Videri etiam possunt quæ dicam in c. seq.

QVÆSTIO est; Si Capitulares in casu, quo absentes multùm remotos vocare non tenentur, eos nihilominus vocent, præfixo termino, intra quem accedere, vel adesse debeant; vtrùm postea, mutata voluntate, electionem absque illis peragere possint? Affirmat Innoc. in fine c. Abb. n. 11. Sed contrariũ docet Gl. hîc ver. assumatis, quòd expectare debuissent vocatos, nisi Papæ mandatum superueniſſet. Arbitror respondendum; Si Capitulares nihil contra canones, aut in damnum ecclesię egerunt absentes ex loco remotiore vocando; quia ante trimestre, vel semestre à iure definitum spatium aduenire possunt; & periculum in mora non est; expectãdos esse, qui vocati sunt: Ratio est, quia in hoc casu iuri suo, quod valde remotos vocare non teneantur, sine publici iuris violatione, renunciarunt. Videri potest Anton. hîc n. 19.

NOTANDVM III. Si duæ agendi facultates tendẽtes ad eundem finem seu effectum in eadem persona concurrant, quæ in diuersis potestatibus fundatæ sint, simul eodem actu expediri non possunt. Exempli causa; Si Canonici ecclesiæ Cathedralis compro- 4

mittant in Archiepiscopum seu Metropolitanum, qui ex Sedis Apostolicæ priuilegio potestatem habeat confirmandi suffraganeos suos; priùs eligere seu nominare debet Episcopum, secundùm formam compromissi; deinde autem confirmare, vti Gl. & Innoc. docent in c. cùm inter 21. ver. confirmauit, Abb. in c. Ne pro defectu 41. n. 4. hoc tit. & docui suprà in cap. causam 8. not. 2. eod. tit. Quamobrem etiam in casu huius c. distincti actus, siue consensus Romani Pontificis requirebantur, prout Gl. fin. hîc notauit. Nam electionem Archiepiscopi approbare debuit Papa potestate Regia; quia terra Capuana, ipsumque totum Siciliæ regnum, Pontifici feudatarium, ab ipso administrabatur, priusquam Friderico II. inuestituram dederat: Eandemque electionem confirmare debuit Papa auctoritate Apostolica. Videri potest Abb. hîc n. 7.

CAPITVLVM XIX.

Cùm nobis.

Paraphrasis.

Ecclesiæ Capuanæ Canonici, acceptis literis Apostolicis, quarum in præcedente c. mentio facta est, conuenerunt ad eligendum Archiepiscopum: Cumque ea de re tractarent, Archidiaconus appellauit, ne fieret electio, nisi canonica; & mox vnà cum quibusdam alijs, è Capitulo egressus est. Cùm autem reuocati redire nollent, cæteri considerantes, etiam sine illis ius electionis sibi competere, Ecclesiæ Romanæ Subdiaconum elegerunt. Quam ipsam electionem refutari non posse, Innocent. III. hîc respondit: Non enim ea ratione reijci potest; quia post interpositam appellationem celebrata sit: Nam appellatum censeri debet, non vt nulla electio fieret, sed vt canonica fieret: si itaque canonicè electio facta, nihil contra appellationem, sed potiùs secundùm eam processum est. Sed neque absentia Archidiaconi, & sociorum obesse potest electioni; cùm enim solicitè reuocati ad electionem faciendam redire nollent, alienos se fecisse videntur. Nec demum electio eiusdem Subdiaconi oppugnari poterat; quòd ex aliena ecclesia electus fuisset: Licet enim sacri canones significent (c. nullus inuitis 13. d. 61.) alioquin è gremio ecclesiæ eiusdem eligendum esse, si idoneus adsit; id tamen præcipuè in fauorem Capitularium constitutum est, cui ipsimet renunciare possunt. Accedit, quòd Romana ecclesia omnium ecclesiarum caput existat; quare si de eius gremio quispiam in alicuius ecclesiæ Prælatum eligitur, non potest censeri de aliena ecclesia assumptus; cùm membra à capite suo aliena non sint.

Cæterùm, tametsi contra personam electam nihil propositum, aut obiectum fuerit, tamen iuxta præceptum Apostoli 1. ad Timoth. cap. 5. v. 22. *Manus cuiquemini imposueris*, Pontifici ex officio incumbit, examinare, num qualitates requisitas habeat, videl. ætatem legitimam, morum honestatem, & scientiam sufficientem. Et verò de morum honestate ipsemet Pontifex testimonium electo perhibet: De scientia, tametsi eminens non sit, tamen sufficientem esse, ex alijs intellexisse se, ait: De ætate autem, cùm indagasset, à nemine audiuit, annum xxx. attigisse. Quamobrem Papa tam personæ quàm ecclesiæ prouidere volens, canonesque obseruare, dictum Subdiaconum, propter vrgentem vtilitatem, necessitatem Ecclesiæ Capuanæ Procuratorem constituit, liberam ei tam in temporalibus, quàm in spiritualibus administrationem committens.

Svmmarivm.

1. *Si electus ad Prælaturam inhabilem se sciat, defectum suum, cùm de eo inquisitio fit, manifestare tenetur, aut ab acceptanda electione abstinere.*
2. *Si contra electionem Prælati appelletur, ne ea fiat, videlicet canonicè, postea autem canonicè instituatur, nihil agitur contra appellationem.*

3. *Si*

3. *Si congruo tempore, & loco institutâ electione Prælati, aliqui adesse nolint, qui ius eligendi habent, habentur quasi non essent de Capitulo, & tota eligendi potestas in aliis residet Capitularibus.*
4. *Si cœpto electionis tractatu, aliqui electores egrediantur, maneant autem duæ partes, vel pars maior comparatione exeuntium, possunt hi prosequi electionem.*
5. *Si maior pars Capitularium egrediatur ex conuentu, reliqui procedere non possunt, nisi 1. instet terminus à iure ad electionem faciendam, aut 2. periculum sit in mora, aut 3. consuetudo vel statutum ecclesiæ aliud obtineat; tunc enim in prædictis casibus pauciores numero, imo vnicus ad electionem procedere potest.*
6. *Ad officium Confirmatoris pertinet, inquirere in personam electam, num qualitates requisitas habeat, etiam nemine opponente.*
7. *In Prælato, etiam Episcopo, non requiritur scientia eminens, modò adsit sufficiens, seu conueniens.*
8. *Pontifex interdum ecclesiæ Cathedrali vacanti Procuratorem seu Administratorem constituit cum libera tam in spiritualibus quàm temporalibus administrandi facultate.*

1 NOTANDVM I. Si electus ad prælaturam inhabilem se sciat, defectum suũ, cùm de eo inquisitio fit, manifestare tenetur, aut ab acceptanda electione abstinere. Ita sumitur ex hoc c. in princ. & docui in c. 1. not. 2. de postul. Prælat.

2 NOTANDVM II. Si contra electionem Prælati appelletur, ne ea fiat, videl. non canonicè, postea autem rectè & canonicè instituatur, nihil agitur contra appellationem. Ita sumitur ex hoc c. in princ. Ratio dari debet, quia extraiudicialis appellatio non tendit eò, vt suspensiuum effectum pariat: sed eò tantùm, vt grauamen non inferatur, aut ab eo cessetur. Quamobrem ij, à quibus ita appellatum, non prohibentur procedere in negotio v.g. electionis: sed effectus eius pendebit à futuro euentu; ita vt si Superior contra appellantem postea iudicauerit, consistere debeat electio, tametsi post appellationem facta sit, vti colligitur ex hoc c. & tradit Innocentius in c. cùm inter 21. hoc tit. n. 4. ibid. Imola n. 16. Abb. n. 11. Syl. ver. appellatio q. 2. vbi addunt; tametsi appellans extraiudicialiter offerat se ad probationes defectûs, v.g. electionem non canonicè fieri, in continenti afferendas, nihilominus procedi posse ab appellatis, donec Superior contra eos decreuerit, argum. c. 1. iun. Gl. ver. ostensum, de his quæ fiunt à maiore parte Capituli. Sin autem appellatio iudicialis sit, qualis etiam ea censeri debet, quæ fit à Prælato (quamuis extra iudicium) cuius est de electione iudicare, eámque confirmare: tum locum habet regula, quòd post appellationem interpositam, nisi ea vt manifestè friuola reijciatur, vlteriùs procedi non potest: & quòd attentata post appellationem in irritum reuocãda sint, c. super eo 10. iun. Gl. ver. appellationem fieri, de appellat.

Obijci potest contra priorem huius doctrinæ partem c. considerauimus 10. hoc tit. vbi Papa reprehendit electionem, & cassandam iudicauit, eò quòd post appellationem ad Sedem Apostolicam peracta fuerit. Respondeo, Electionem ibi fuisse improbatam, & rescissam, non præcisè quia facta fuit post appellationem; sed quia non obstante appellatione, contra formam priuilegiorum eius ecclesiæ, in electione processum. Quare ex eo cap. id solùm colligitur, quòd Capitulares malè agant, & reprehensione digni sint, si post appellationem interpositam ex causa legitima, quia v.g. electus indignus est, aut electio secundùm formam canonicam non instituitur, de ea re inquisitionem instituere intermittant, aut temerè in cœpto negotio progrediantur. Quemadmodum & collator beneficij, si quispiam collationi, ne fieret, se opponeret, quòd persona indigna esset, malè ageret, & puniri posset, si nulla facta inquisitione, temerè procederet, sicuti Abb. cit. loco annotauit.

NOTANDVM III. Si congruo tempo- 3

re, & loco instituta electione Prælati, aliqui adesse nolint, qui ius eligendi habent, quasi non censentur in numero electorum: totáque eligendi capitularis potestas in aliis residet. Ita sumitur ex c. quod sicut 28. hoc tit. & c. bonæ 4. de postulat. Prælatorum, & ex hoc c. iun. Gl. ver. alienos, vbi Canonici, qui ex tractatu electionis discesserunt, & ad electionem peragendam accedere noluerunt, alienos se fecisse censentur.

Pro doctrina huius not. videri potest Gl. in Clem. Quod circa 6. iuxta finem, hoc tit. vbi tria genera Electorum æquiparat; I. eorum, qui ad electionem venire non possunt, nec procuratorem mittere: vt quia nimis remoti sunt, ideóque vocari non debent, iuxta c. præc. II. eorum, qui cùm possent, adesse seu accedere nolunt, argum. huius c. III. eorum, qui expressè electionis iuri renuntiant: Aitque Glossa, & sequitur Nauarr. in consil. 7. de elect. edit. 2. hos omnes non computari in numero Capitularium. Ex qua ipsa doctrina cit. loco Nauarr. & Rodriq. tom. 2. regul. qq. q. 52. art. 13. inferunt, si aliquis Conuentualium schedam vacuam, seu in qua nihil scriptum, in vrnam mittat, eius nullam habendam esse rationem; quia censeri debet iuri electionis renunciasse.

QVÆSTIO autem est: Num tradita ex c. isto doctrina; Si electores aliqui cœpto electionis tractatu egrediantur, & redire nolint, quòd alij sine ipsis procedere possint; vniuersim vera sit, seu multi, seu pauci comparatione eorum, qui exeunt, in Capitulo re-
4 maneant. Respondeo & Dico I. Supposito, quòd Capitulum legitimè cõgregatum fuerit ad electionem faciendam, non tantùm si duæ partes comparatione exeuntium remaneant, sed etiam, si pars maior, electionem prosequi possunt, absque ijs qui sine necessitate discesserunt. Ita docet Abb. hic n. 10. & sumitur ex doctrina Gl. in c. cùm inter 21. ver. Capituli, hoc tit. Nam posteaquam Collegium seu Capitulum legitimè congregatum fuit, stari debet iudicio partis maioris, ac sanioris, iuxta c. 1. de his quæ fiunt à maiore parte Capituli.

Adde, tametsi qui sponte recesserunt, in casu huius c. maioris certitudinis causa, reuocati fuerint, tamen id necessarium non fuisse: quia paris contumaciæ est, legitimè vocatum non venire, & post aduentum discedere, c. certum 43. causa 11. q. 3. & cap. 1. de iudiciis.

Dico II. Si maior pars Capitularium e- 5
grediatur ex Conuentu, reliqui procedere non possunt: Quia censentur velle dissoluere Capitularem Conuentum, quibus alij minores numero obtemperare tenentur. Ita Abb. cit. n. 10. Anton. n. 33. prope finem, & sumitur ex doctrina Gl. in cit. c. cùm inter, ver. Capituli, *Si dissensio sit inter Canonicos, ibi est Capitulum, vbi est maior pars* suprà legitimè congregandorum. Sed limitari debet primò: nisi instet terminus præfixus à iure ad electionem faciendam. Secundò, nisi periculum in mora sit: Tertiò, nisi consuetudo, aut statutum ecclesiæ sit, vt vnus v.g. Decanus, aut Senior, ius habeat decernendi electionis diem, aliósque vocandi; In his casibus, si qui venire negligunt, aut si venerunt, temerè & sine causa recedunt, alij quamuis numero pauciores, imò vnicus procedere potest, secundùm Innocent. hic num. 6.

NOTANDVM IV. Superior ad quem 6
pertinet confirmare electum, ex officio tenetur inquirere circa personam electam, num qualitates requisitas habeat; tametsi nihil contra eam opponatur. Ita hîc §. His igitur, & in c. nihil 44. hoc tit. & dixi suprà.

NOTANDVM V. In Prælato, etiam Epi- 7
scopo, non requiritur scientia eminens; modò adsit sufficiens, seu conueniens. Ita habetur hîc vers. Illius quoque, & in c. qualiter 17. iun. Gl. ver. conueniens, hoc tit. Imò aliquando magis idoneus est ad prælaturam, qui scientiam non eminentem, attamen sufficientem habet, cum prudentia & charitate iunctam: Nam *scientia inflat, charitas verò ædificat*, 1. ad Corinth. 8. v. 1. *Et ideo imperfectum scientiæ potest supplere perfectio charitatis*, c. Nisi cùm pridem 10. vers. Pro defectu, de renunc.

NOTANDVM VI. Pontifex ecclesiæ cathe- 8
drali vacanti, ob eius necessitatem seu vtilitatem,

tatem,interdum Procuratorem seu Administratorem constituit, cum libera tam in spiritualibus,quàm temporalibus administrandi facultate. Qua de re in c. is cui 42. hoc tit. in 6.

CAPITVLVM XX.

Innotuit.

PARAPHRASIS.

Vacante Sede Vigorienſi, Prior & Conuentus eius ecclesiæ in Episcopum eius ecclesiæ elegerunt Archidiaconum Eboracensem. Eius confirmationem, quia absens fuerat,distulit Archiepiscopus Cantuariensis. Postea verò accedens Archidiaconus humiliter confessus est,se ex solutis personis natum esse : ideóque absque Sedis Apostolicæ dispensatione promoueri non posse. Hac re per Coëpiscoporum relationem cognitâ, Innocentius III. Papa, respondit : Tametsi in Concilio Lateranensi sub Alexandro III. c. cùm in cunctis 7. hoc tit. decretum fuerit,electionem eius, qui ex legitimo matrimonio natus non est, irritam & nullam esse ; tamen hoc non ita statutum esse, vt successori Pontifici adempta sit dispensandi potestas ; cùm par in parem imperium non habeat. Et verò in hoc casu multa erant, quæ dispensationem fieri suadebant ; videl. scientia literarum, morum honestas, virtus & bona fama electi : Accedebant & alia, vt concors Capituli electio,Principis assensus, Archiepiscopi & Coëpiscoporum eius suffragatio,humilis confessio electi. Veruntamen, post diligentem rei discussionem, Pontifex iudicauit dispensationem dandam non esse ; eò quòd Capitulum dictũ Archidiaconum non humiliter postulârit,sed improuidè elegerit. Quare dictus Innocentius III. dictam electionem, auctoritate suprà allegati canonis, irritam & inanem esse pronunciat ; Ex gratia tamen remittit pœnam Capitularibus, quam vigore eius canonis incurrere videbantur : non adigens illos ad probandam ignorantiam,quam allegabant. Tametsi verò Pontifici, post electionis cassationem, humiliter fuerit supplicatum, vt cum Archidiacono illo dispensare dignaretur ; quia tamen supplicatio ea nomine Capituli facta non est ; sed Capitulares ad Sedem Apostolicam nuncios pro confirmatione petenda destinarunt,ideo supplicationem admittendam tunc non esse duxit ; decernens omnia esse irrita, quæ Canonici, ante receptionem literarum Papalium, super ordinatione Episcopatûs attentarunt : Quòd si tamen Capitulum Vigorienſe eundem Archidiaconum, ob merita eius, postulandum esse existimet,postulationem eam apud Sedem Apostolicam præsentare poterunt.

SVMMARIVM.

1. *Ecclesia regularis habens Priorem & Conuentum,potest esse Cathedralis,ita vt Conuentus Regularium ius habeat vacante ecclesiâ Episcopum eligendi.*
2. *Illegitimus dispensatus ad beneficium, etiam curatum,aut ad dignitatem,non ideo dispensatus est ad dignitatem episcopalem,aut Cardinalitiam.*
3. *Si Capitulares indignum in Episcopũ eligant, electio est nulla.*
4. *Princeps suis decretis non potest obligare successorem,quò minùs ab ijs recedere, aut dispensare ex iusta causâ possit.*
5. *Merita personæ,populi petitio &c. iustam causam dispensationis concedendæ præbere possunt.*
6. *Si electores illegitimè natum, vel alio defectu laborantem, siue indignum eligant,præsumptio est contra illos,quòd id scienter egerint, ideóque contrarij probatio ipsis incumbit. Idem est cum Confirmatoribus & Institutoribus personæ indignæ.*
7. *Non valet electio,si postulandus eligatur.*
8. *Eligentes indignum, v. g. Natalium*

defectu laborantem, ignoranter, mox errorem suum corrigere possunt, eundem postulando.

9. *Sublato per dispensationem electi aut prouisi defectu ab eo, qui dispensandi potestatem habet, ius electi aut prouisi conualescit.*

1 NOTANDVM I. Ecclesia regularis, habens Priorem & Conuentum, potest esse Cathedralis; & ita quidem, vt Conuentus, seu Capitulum Regularium ius habeat, vacante ecclesiâ, Episcopum eligendi. Ita sumitur ex hoc c. & annotauit Ioann. Andr. hîc, Em. Rodriq. tom. 1. regul. qq. q. 1. a. 3. Poterant tamen Episcopum sibi deligere secularem: Erâtque is confirmandus ab Archiepiscopo, cui & ecclesia subiecta erat; quemadmodum idipsum videre est in ecclesia Chiemensi, quæ regularis & Cathedralis est, subiecta Archiepiscopo Salisburgensi.

2 NOTANDVM II. Tametsi illegitimus dispensatus sit ad beneficium, etiam curatum, aut dignitatem, vt in casu huius c. ad Archidiaconatum; qualem dispensationem Papa conferre potest. c. 1. de filijs Præsbyt. in 6. non ideo etiam dispensatus censetur ad dignitatem episcopalem, vel Cardinalitiam. Ita sumitur ex hoc c. & c. cùm Vintonienſis 25. hoc tit. tradit Abb. hîc n. 4. argum. l. relegatorum 7. §. fin. ff. de interdictis & relegatis. Docui lib. 5. Theol. moral. tr. 10. p. 3. cap. 5. n. 18.

3 NOTANDVM III. Si Capitulares personam indignam eligant in Episcopum, electio ipso iure irrita est. Ita dicitur in hoc c. quod est declaratorium c. cùm in cunctis 7. hoc tit. Ibi autem expressè hoc non dicitur; sed colligi potest ex §. Clerici: Dum enim ibi continetur, si Capitulares contra formam eius decreti, videl. personam indignam eligant, pro ea vice priuatos esse eligendi potestate; satis innuitur, electionem irritam esse, ideóque ad alios deuolui. Videri possunt, quæ dicam in cit. c. cùm Vintonienſis, & c. quamquam 18. eod. tit. in 6. & quæ dixi suprà in cit. c. cùm in cunctis.

4 NOTANDVM IV. Princeps suis decretis non potest obligare successorem, quò minùs ab ijs recedere, aut dispensare ex iusta causa possit. Ita hîc, & significatur etiam in c. vlt. de rescript. in 6. & c. significasti 4. vers. *Aiunt in Concilijs*, hoc tit. & in l. ille à quo, 13. §. Tempestiuum, vbi id Gl. & DD. annotant, ff. ad S. C. Trebellianum; Quòd *maior minorem cogere potest, non vice versa: sed nec par in parem imperium exercere potest.* Abb. Panorm. hîc n. 5. ponit exemplum de duobus fratribus castrum aut ciuitatem pro indiuiso possidentibus; quòd neuter in alterum iurisdictionem exerceat. Ratio huius rei etiam ex philosophia reddi potest: Naturæ enim congruum est, vt quod debilius est, patiatur ab agente fortiore; simile autè nõ agat in simile, nec remissius, aut debilius in id, quod fortius magisue intensum est. Quam theoriam ad alia applicatam videre licet apud Vdal. Zasium in l. possessio §. Veteres ff. de acquir. possess. Si duæ sententiæ contrariæ sint paris roboris, quòd vna alteri non præiudicat: Item si probationes pares sint inter actorem & reum, quòd neutræ præualere possint in vim probationis: sed locus tunc debet esse regulæ, quòd actore non probante, absoluitur reus.

5 NOTANDVM V. Merita personæ, populi petitio, & cætera quæ in hoc c. §. *Multa etiam*, enumerantur, iustam causam dispensationis concedendæ præbere possunt. Inseruire huic potest, quod in Concil. Trident. sess. 25 cap. 18. ibi *certo personarum, rerúmque delectu* significatur, duas occurrere posse causas, ob quas legem, dispensando, soluere liceat; videl. peculiaris constitutio rerum, & peculiaris constitutio personæ. Videri de hac re potest Suarez lib 6. de legibus cap. 18. n. 25, Abb. Panormit. hîc n. 5. Anton. n. 28. qui ex verbis huius cap. annotant, quòd *ad obtinendam confirmationem prouisionémque Prælaturæ multùm prodest electorum concordia, petitiones populi, Principis assensus, & aliorum vota.*

6 NOTANDVM VI. Si electores illegitimè natum, vel alio defectu laborantem sue in-

ue indignum eligant, præsumptio est contra illos, quòd id scienter egerint; ideóque contrarij probatio ipsis incumbit. Ita sumitur ex textu huius c. iun. Gl. ver. ignorantiam. Neque obstat reg. iuris 47. in 6. *Ignorantia* videl. facti alieni *præsumitur, vbi scientia non probatur*: Excipi enim debet; nisi de eo inquirere, & notitiam capere alicui ex officio incumbat, vti hîc patet, & sumitur ex c. quamuis, de regulis iuris, c. vlt. de clandestina dispensat §. Si quis verò, l. regula 5. §. Sed facti, ff. de iuris & facti ignorantia, & videri potest Abb. hîc n. 21. Sanchez lib. 3. de matrim. disp. 42. n. 1. & lib. 1. moral. Theol. cap. 20. n. 7. Et quæ hîc dicuntur de electoribus, idem eâdem ratione sentiendum de confirmatore, aut institutore personæ indignæ. Atque addi debet; tametsi pœna priuationis pro ea vice non incurratur, nisi quis indignum scienter eligat, aut promoueat, vti ex hoc c. colligitur, & cit. c. Cùm Vintonienſis, & c. quamquâ 18. hoc tit. in 6. attamen ignorantiam directè voluntariam, siue affectatam, si videl. de industriâ intermittatur inquisitio, ne defectus appareat, æquiparari scientiæ, prout colligitur ex cit. c. vlt. §. Si quis verò, ibi; *cùm taliter contrahendo, non experies scientiæ, vel saltem affectatores ignorantiæ videantur*: Idque annotauit Gl. hîc ver. ignorantiam. Anton. n. 24. & docui in suprà cit. cap. 20. n. 2.

7 NOTANDVM VII. Si quis propter defectum, eúmque dispensabilem, eligatur ad Prælaturam, cùm tamen postulari debeat, non valet electio. Ita sumitur ex hoc c. §. Et quamuis, & inter alios notauit Anton n. 32. Et hæc ipsa causa est, cur Pontifex Innoc. III. noluerit, dispensando in natalium defectu, confirmare aut promouere Archidiaconum; cùm nec electio, supple canonica, præcesserit, nec postulatio: Electionem quidem facere attentarunt, sed sine effectu: Postulationem autem nullam proposuerunt: quia licèt alij apud Pontificem supplicârint, non tamen id nomine aut mandato Capituli egerunt.

Quamobrem non rectè ex hoc textu colligit hîc Abb. n. 10. quòd ad impetrandam dispensationem pro altero, requiritur eius mandatum; id enim falsum est; cùm sufficiat, gratiam dispensationis, sicuti & aliud quodlibet donum, vel beneficium pro alio absente & ignorante impetratum, postea ab eo acceptari. Idque ex hoc ipso c. colligitur; quia si Capitulum, quamuis ignorante aut saltem non mandante Archidiacono, dispensationem in natalium defectu postulasset, eam Pontifex misericorditer concessisset, prout ex textu colligitur. Vide quæ dixi in c. nonnulli 28. §. Sunt & alij, de rescriptis.

Denique & hoc colligitur ex textu in fine; Quod qui personam indignam, v. g. 8
natalium defectu laborantem ignoranter elegerunt, mox errorem suum corrigere possint, eundè postulando. Dico, si *ignoranter*: Nam si scienter elegissent, essent pro ea vice priuati, vt nec postulare possent.

QVÆRET aliquis? Nónne Pontifex hoc in casu potuisset dispensando supplere omnem defectum, & Archidiacono Episcopatũ prouidere? Cur itaque id non egit, cùm personæ merita, & multa alia dispensationem propè exigerent? Respondeo & Dico I. 9
Dubium non esse, quin Papa cum Archidiacono dispensare, eíque prouidere potuisset: cùm etiam de alio inferiore Ordinario, v. g. Episcopo id tradat hîc Innoc. n. 2. Abbas n. 11. Si quis ob defectum nulliter electus aut prouisus sit, sublato per dispensationem defectu, ab eo qui dispensandi potestatem habet, ius electi aut prouisi conualescere. Cuius rei ratio dari debet; quia si defectus ex iure positiuo dispensabilis sit, electio aut prouisio quodammodo, videlicet fundamentaliter & iure naturali spectato, subsistit; & ideo sublato defectu per legẽ positiuam introducto, etiam ciuiliter, seu in ordine ad externum forum, perfici potest. Dummodò res in nullius præiudicium cedat, prout notabiliter limitat Abbas cit. loco Si enim Capitulares v. g. indignum ignoranter elegissent, penes ipsos maneret ius aliam electionem peragendi: itaque absque eorum consensu defectus in ordine ad ius electionis

nis eius stabiliendum ab Ordinario tolli nõ posset : secùs, si scienter : tum enim eorum, proprium delictum allegantium, contradictioni locus non esset, vti constat ex c. nulli 8. hoc tit. in 6. & c. diuersis 5. de cler. coniugatis. Deinde si prouisus ob crimen priuationem ipso iure incurrisset, & prouisio ad alium spectaret, non posset Ordinarius in crimine dispensando, titulum eius validare, cum præiudicio collatoris non consentientis, argum. c. quamuis, 8. de rescript. in 6. vbi Gl. fin. ex eodem fundamento resoluit ; Si Episcopus in beneficiariũ depositionis sententiam tulerit, non posse deinde eum restituere absque patroni consensu, cui nouæ præsentationis faciendæ ius acquisitum est. Videri potest Francus ibid. n. 7.

Dico II. Cur Pontifex Innoc. III. dispensandum non esse existimârit, causa est, quòd cùm fuerit sacrorum canonum, & ecclesiasticæ disciplinæ obseruantissimus custos ; noluerit videri factum Capitularium, aut vota eorum approbare ; qui Archidiaconum illegitimè natum, sine postulatione interposita, promouere tentârunt : Namque vt ex omnibus dicti Pontificis responsis apparet, id maximè ipsi curæ fuit, vt omnes, præsertim ecclesiastici viri, canones sacros &c. scirent, & obseruarent.

CAPITVLVM XXI.

Cùm inter.

Paraphrasis.

Super electione Episcopi in ecclesia Saonensi controuersia orta fuit ; eáque ad Sedem Apostolicam delata : Ex parte Capitulariũ proposuit Procurator, quòd Canonici in loco Capituli conuenientes, cõmuni consensu, excepto S. Subdiacono, elegerunt Hastensis ecclesiæ Præpositum, electióque in publicum scriptum redacta sit. Ex aduerso dictus S. proposuit, quòd ipse, cùm Hastensis ille Præpositus nominatus esset, se appellando opposuerit, quia morbo epileptico laboraret, cuius rei causâ etiam antehac tanquam inhabilis, fuisset repulsus : Sed neque oportere ex alia ecclesia quempiam eligi, si idoneus in Saonensi ecclesia reperiatur. Præterea relatum fuit coram Pontifice, quòd post eam appellationem, dictus S. Archipresbyter Soanensis in Archiepisc. Mediolanensem compromiserunt, qui G. Modicensem Canonicum ipsis dedit & confirmauit. His ita relatis, Innoc. III. Pontifex mandat à se delegatis Episcopis, vt electionem Præpositi à maiore & saniore Capituli parte factam, publicatam & subscriptam, si accedente etiam consensu electi veluti spirituale matrimonium contractum fuit, Apostolicâ auctoritate confirment ; nisi sufficienter ostensum fuerit, eum morbo epileptico (cuius causâ appellatum fuit) laborare : Non obstante appellatione, si quæ ex alijs recensitis causis, quippe quas friuolas Papa iudicat, interposita fuerat : Non obstante etiam confirmatione ab Archiepiscopo, si in eum, vti proponebatur, compromissum fuit, Modicensi Canonico impartita : cùm electores à priore illa electione resilire haud potuerint : Quòd si autem compromissum non fuit ; tum, etiamsi Præpositus electioni suî necdum consensit, eo tamen consentire volente (dummodò à morbo immunis sit) electionem ipsius confirment.

Svmmarivm.

1. *Secundùm Canones electio intra ambitum ecclesiæ Cathedralis celebranda est, si extra illum celebretur, per sententiam rescindi potest.*
2. *Electus ob vitium vel morbum à Prælatura repulsus iterum eligi potest.*
3. *Valida est electio extranei, si fiat à maiore parte.*
4. *Electores potuerunt olim, iam non possunt recedere ab electione publicata, etiamsi electus consensum nondum dederit.*

NOTANDVM I. Electio Prælati quibusdam in ecclesijs in loco Capituli celebra- 1

lebratur, vt hîc: Quibusdam verò in choro ecclesiæ, vt videre est in c. cùm nobis 19. hoc tit. Quare cuiusque ecclesiæ consuetudo hac in re seruanda est. At verò ex c. quod sicut 28. hoc tit. constat, secundùm canonicas sanctiones, electionem Episcopi intra ambitum ecclesiæ Cathedralis celebrandam esse; siue fiat in choro, siue in Capitulo, siue in alio honesto conclaui, vti Abb. docet in cit. c. quod sicut n. 2. Et arbitratur Gl. in c. 1. d. 23. ver. fieri in vrbe (loquens de omni electione) irritam fore, si absque rationabili causa extra ecclesiæ ambitum fiat: quod & Abbas loco cit. tradit & Anton. in eod. c. quod sicut n. 6. Veruntamen cùm hæc nullitas in iure expressa non reperiatur, dicerem potiùs, electionem, tanquam contra canonum præscriptum factam, rescindi posse per sententiam, argum. c. quamquam 18. ibi, *vel per sententiam*, hoc tit. in 6. Videri possunt quæ dicam in c. bonæ 23. hoc tit.

Notandvm II. Si electus ad prælaturam ob morbum siue corporis vitium repulsam tulit, iterum eligi potest, si existimetur plenè curatus esse. Ita contra Gl. ver. recusatus Innoc. hîc n. 1. Anton. n. 10. Abb. n. 7. & colligitur ex textu c. Cùm enim obiectum fuisset, Præpositum etiam antehac ob morbum epilepticum, repulsum fuisse, non mandauit Papa de hac repulsa fieri inquisitionem, sed solùm, num eo tempore, quo promouendus est, huiusmodi morbo laboraret. Interim negari non debet, si constaret, ob huiusmodi morbum aliquem repulsam tulisse, præsumptionem contra illum fore, prout docui in c. super eo 12. hoc tit. Quia verò ea repulsa coram Pontifice relata tantùm, non etiam ostensa fuit, ideo simpliciter is respondit, probationem impedimenti, videl. morbi epileptici, Subdiacono opponenti incumbere.

Notandvm III. Licèt honestius esse videatur, si Canonici Prælatum ex propria ecclesia eligant, dummodò aliquis idoneus adsit, tamen id necessarium non est: cùm iuri 3 suo in hoc renunciare possint: Ideóque valida erit electio extranei, si fiat à maiore parte, vti contra Gl. hic ver. aliam, Imolam n. 4. tradit Anton. n. 25. Abb. n. 8. & sumitur ex c. à nobis 19. hoc tit. & ex hoc textu; quando Pontifex omnes contra electum factas obiectiones, præter eam de morbo epileptico, tanquam friuolas reiecit. Idem quoque docui suprà in c. bonæ 4. de postulat. Prælatorum, not. 6.

Notandvm IV. Circa §. fin. *Quòd si electores*: Videtur ex eo §. colligi, secundùm ea tempora, Electores potuisse recedere ab electione, etiam publicata, si electus consensum necdum dedit; quia videri poterat adhuc res integra, & ius nondum acquisitum: Sed contrarium postea definitum est à Gregorio IX. Papa in c. publicato n. 58. hoc tit. Idque annotauit Innocent. in fine c. Anton. hîc n. 34. dicens, quòd *in veritate ita sonat litera*. Glossa verò, quam Abb. & alij sequuntur, ver. non compromiserint, impropriè & abusiuè textum interpretatur. Alias interpretationes legere licet apud Innoc. & Anton. cit. locis. 4

CAPITVLVM XXII.

Dudum.

Paraphrasis.

Orta discordia circa electionem Præpositi Colonienſis ecclesiæ; quia alij Præpositum S. Georgij, alij autem Præpositum SS. Apostolorum Petri & Pauli elegerant, Pontifex Innocent. III. causam quibusdam iudicibus commisit, ita, vt si partes consentirent, ad definitiuam sententiam procederent: sin minùs ad Apostolicam Sedem, causam instructam remitterent. Iudices delegati vocatis ad se partibus, testes receperunt, eligentium conscientias examinarunt, & allegationes partis vtriusque audierunt. Sed quia S. Georgij Præpositus Iudicum sententiæ subijcere se noluit, causam ipsi ad Sedem Apostolicam destinarunt: præfixo termino, intra quem partes contendentes per se, vel per Procuratorem idoneum, Romæ se sistere deberent. Et Præpositus quidem Apostolorum constituto tempore aduenit: sed al-

ter Præpositus nec ipsemet venit, nec alium loco suo misit. Pontifex autem, inspectis ijs, quæ à Iudicibus acta fuerunt, reperit, quòd pro Præposito Apostolorum faceret eligentium maior auctoritas, pro Præposito S. Georgij maior electorum numerus. Ille enim electus fuit à quatuordecim, qui dignitate, ætate, ac tempore alios antecedant. Hic verò à viginti quatuor electus fuit. Obiectum quidem erat Præposito S. Georgij, quòd nec scientiam, nec ætatem requisitam haberet, neque sacro ordine insignitus esset; sed quid dictus Præpositus contrà allegârit, vel ad obiecta responderit, non poterat Pontifex ex transmissis actis cognoscere, quòd causa non sufficienter instructa missa fuerat. Quamobrem ad definitiuam sententiam procedendum sibi non esse existimauit, sed causæ decisionem Iudicibus delegauit sub hac forma; vt, si notorium fuerit, vel demonstratum, Præpositum S. Georgij electionis tempore defectum in scientia, ætate, aut sacro ordine habuisse, quò minùs secundùm sacros canones ad Præposituram eligi potuerit, ei (non obstante quòd absens sit) silentium imponant, atque SS. Apostolorum Præposito dictam præposituram adiudicent: Sin autem defectus ostensus non sit, tum ipsius Præpositi S. Georgij electionem confirment: quandoquidem nõ tantùm pars maior, sed pænè duæ partes electorum in eum consenserint; & ita appareat, bono zelo (dummodò impedimenta siue defectus cessent) electionem peractam fuisse.

Svmmarivm.

1. *Beneficia electiua propriè sunt prælaturæ, ad quas aliquis per suffragium vocatur.*
2. *Iudex delegatus causam remittens ad delegantem potest terminum litigantibus præfigere, intra quem coram Superiore delegante comparere debeant.*
3. *Suffragia æstimantur ex auctoritate, & numero. Illa consistit in dignitate, ætate, & tempore possessi officij, siue iuris Collegialis. Dignitas autem ipsa personæ accipitur ex prærogatiua beneficij aut officij, generis nobilitate (quæ tamen in Religiosis minùs attenditur) & scientiâ literarum.*

   Numerus ita attendi debet, vt maior pars præsumenda sit esse sanior, donec contrarium ostendatur.
4. *Si Capitulares in discordia duas electiones peragant & promulgent, quarum vna est de indigno, altera de digno: valida est electio, licèt à minore Capitularium numero facta sit.*
5. *Iudex si de causa sufficienter instructus non sit, ad definitiuam sententiam procedere non potest, etiam contra contumacem; alias sententia erit irrita.*

NOTANDVM I. Beneficium electiuum interdum latè accipitur pro omni eo, ad quod alicui ius tribuitur per suffragia, & alterius confirmationem: Talis erat dignitas huius Præposituræ, quæ, vt ex integra huius c. lectione colligitur, curata non fuerat. Interdum verò accipitur strictè pro prælatura, ad quam aliquis per suffragia vocatur, vt sit sponsus ecclesiæ, iuxta c. quia propter 42. hoc tit. Videri possunt quæ docui lib. 4. Th. mor. tract. 2. cap. 12. n. 1.

NOTANDVM II. Si iudex delegatus causam remittat ad delegantem, quia ipsemet iuxta formam commissionis eam definire nequit, partibus contendentibus terminum præfigere potest, intra quem coram Superiore delegante fistere se debeant. Ita annotauit Anton. hîc n. 5. Abb. n. 1. Innoc. in c. vlt. de accusat. in princ. ibid. Ioan. Andr. n. 8.

NOTANDVM III. Suffragia æstimantur tum ex auctoritate, tum ex numero eligentium: Et auctoritas quidem in tribus cõsistit; In dignitate, ætate, & tempore possessi officij, siue iuris collegialis. Ipsa autem dignitas personæ ex tribus accipitur, beneficij aut officij prærogatiua, generis nobilitate (quæ tamen in religiosis minùs attenditur, secundùm Abb. hîc n. 2.) & scientiâ literarum. Numerus autem eligentium ita attendi debet, vt si sit maior pars præsentium, atq; ius eligendi ha-

di habentium, præsumptio esse debeat, donec contrarium ostendatur, quòd sit etiam pars sanior, siue quòd zelo bono moueatur ad eligendum: idque tantò magis, quò numerus auctior, siue magis vltra medietatem excesserit, vti hîc apparet, & de hac re infrà dicendum in c. ecclesia 57. hoc tit.

4 NOTANDVM IV. Si Capitulares in discordia duas electiones peragant, & promulgent, quarum vna est de persona indigna, altera electio de digno, censeri debet valida, tametsi à minore Capitularium numero facta sit. Ita habetur in hoc c. & notat Gl. recepta ver. in ordinibus: Ratio est, quia dum alij Capitulares indignum scienter eligunt, priuantur prò ea vice eligendi facultate, & mox omnis potestas deuoluitur ad alios, quamuis pauciores numero, vt ij vel eodem tempore, vel post, tanquam penes quos vis Capitularis residet, electionem suo iure peragere possint. Et habent hæc etiam locum in electionibus ad alias dignitates aut prælaturas præter episcopalem, sicuti suprà docui in c. cùm in cunctis not. 1. q. 2. dicto 2. & clarè apparet ex hoc c.

5 NOTANDVM V. Iudex si de causa sufficienter instructus non sit, ad definitiuam sententiam procedere non potest, etiam contra contumacem. Ita sumitur ex hoc c. §. Cùm autem allegationes, & notauit Innoc. n. 4. Anton. n. 11. rationem dantes; quia Iudicis delegati culpâ accidit, vt causa instructa ad delegantem non peruenerit: Insinuant itaque, secùs faciendum esse, si per partis cõtumacis culpam, (quia allegationes, probationes, ac defensiones suas non produxit) causa instructa non sit, argum. c. cùm Bertholdus 18. de sent. & re iudic. l. properandum 11. §. sin autem, C. de iudiciis: Et hæc doctrina vera est, si Iudex ex actis, seu productis pro parte non contumace animum suum circa iustitiam causæ satis informare, atque pro parte altera, quamuis absente, Deum præ oculis habens, supplere possit ac velit; Alioquin verò si Iudex non satis instructus in controuersia mota sententiam ferret, ipso iure irrita censeri deberet, argum. c. Tum ex literis 5. de in integrum restit. & tradit Abb. hîc n. 5. Vide quæ dixi in c. 3. not. 2. casu 5. de postul. Prælat.

CAPITVLVM XXIII.

Bonæ memoriæ.

PARAPHRASIS.

Defuncto Conrado Moguntinæ Sedis Archiepiscopo, cùm Sifridus Præpositus S. Petri & alij pauci Canonici Moguntiam, propter potentiam Philippi Sueuorum Ducis Moguntiæ tum commorantis, accedere non auderent, reliquis Canonicis inhibuerunt, alioquin ad Sedem Apostolicam appellantes, ne sine ipsis ad electionem procederent. Sed Canonici, posthabita ea inhibitione & appellatione, Lutpoldum Wormatiensem Episcopum postulârunt; imò etiam à sede sua auocatum, introduxerunt, & tam in spiritualibus, quàm temporalibus administrare fecerunt; freti potentiâ Philippi Ducis, cuius conatibus contra Ottonem Saxoniæ Ducis filium Episcopus fauebat. Eo intellecto, alij pauci Canonici Bingæ conuenerunt, & suprà dictum Sifridum in Archiepiscopum elegerunt, postea causam totam ad Innoc. III. Pontificem perscripserunt. Is Prænestino Episcopo Sedis Apostolicæ Legato in mandatis dedit, si constaret, Lutpoldum, relicta Sede sua, se transtulisse, & administratorij Episcopatus se immiscuisse, vt postulationem eius irritam pronunciaret; Interim ex speciali indulgentia relinquens ei Wormatiensem episcopatum; licet, spectato iure canonico propter transitum propria auctoritate temerè attentatum, vtroque episcopatu priuari posset, c. quanto 3. de translat. Episcopi. Insuper inquirat Legatus, num Sifridus Præpositus & socij eius iustam causam, videl. metus, habuerint, aliis interposita appellatione inhibendi, ne absq; ipsis in electione procederent: Et, si ita esse cognouerit, dicti Præpositi electionem confirmet; Non obstante, quòd ea

peracta fuerit, postea quam appellatio ad sedem Apostolicam interposita erat: quâdoquidem absentes isti pauci Canonici non absolutè inhibuerunt appellantes, ne Archiepiscopi electio fieret, sed ne absque ipsis fieret, qui propter metum violentiæ accedere tunc prohibebantur. Cùm itaque alij Canonici Moguntiæ cõtra appellationem istam indebitè conuenientes, Episcopum Wormatiensem postulârint, eandémque absque Sedis Apostolicæ licentia transeuntem receperint; inprimis obijcere non possunt, seu excipere de interposita appellatione; cùm ipsi priùs in eo genere deliquerint: frustra autem legis auxilium implorat, qui committit contra legem: Deinde scire debent, quòd ob delicta sua iuris eligendi priuationem contraxerint, & ideo ad alios, quamuis paucos tota vis eligendi deuoluta esset. Porrò tametsi notoria essent, quæ Episcopo Wormatiensi & fautoribus eius Canonicis obiecta fuerant, tamen Legatus ad maiorem cautelam testes recepit, &, cognita causa, postulationẽ dicti Episcopi irritam iudicauit, Præpositi verò electionem auctoritate Apostolica confirmauit, eundémque priùs à se Presbyterum ordinatum consecrauit. Objciebatur quidem contra Legati processum, quòd non citato Episcopo & fautoribus eius processisset: sed respondet ad hoc Innocentius Papa, citatione opus non esse, si excessus Rei notorius sit: Atque pro Iudice præsumptionem esse oportere, quòd omnia ab eo ritè peracta fuerint: Præterquàm quòd nec hoc ipsum, videl. Episcopum & socios citatos non esse, facilè ostendi queat, quia propositionem facti negatiuam directè demonstrari, naturaliter impossibile est: Præterquàm, quòd si singuli asseuerarent citatos se non esse, testimonia eorum singularia, & non contestantia forent. Accedit quoque, quòd Episcopus & fautores huiusce rei non fuerint ignari, cùm ipsi ad Legatum nuncium destinauerint; & ideo etiam procuratorem, si voluissent, securè mittere potuissent. Tametsi verò, vti dictum, Pontifex propter iudiciariam auctoritatem, pro gestis à Legato præsumptionem facere possit, magis tamen innititur suprà dictis tribus causis, ex quibus apparet, electionem dicti Episcopi iure optimo reiectam, electionem autem Prepositi Sifridi ritè confirmatam fuisse. Denique ponamus, paucos eos Canonicos deliquisse, quòd post appellationem interpositam, electionem instituerint, tum dicendum foret, propter omnium Capitularium delictum, prouisionem Archiepiscopi Moguntini ad Rom. Pontificem deuolutam fuisse; qui proinde, sine vllius iniuria, eundem Sifridum preficere potest. Ob has itaque causas, Papa Innoc. cassationem postulationis factam à Legato ratam habet, electionem verò Præpositi Sifridi confirmat.

Svmmarivm.

1. *Si Capitulares à loco ecclesiæ absentes ob iustum violentiæ metum accedere nequeant, inhibere possunt aliis in loco electionis existentibus, ne eligant absq; ipsis, nisi sit periculum in mora.*
   Si autem non inhibeant, electio sine illis facta rata esse videtur.
2. *Si in loco ecclesiæ electio institui non possit, v.g. propter pestem, aut periculum violentiæ, in alio tuto loco haberi poterit.*
3. *De hoc impedimento, siue iustâ causâ instituendi extra locum ecclesiæ electionem, duæ partes Capitularium iudicare debent, si congregari possint: si non possint sufficiet maior pars Capituli, imo & pars minor, si impedimentum manifestum sit, & instet tempus à iure definitum, vel periculum in mora sit.*
4. *Capitulares abutentes suo iure eligendi & postulandi, eâ vice priuati sunt eo iure, & illud ad alios non consentientes, licèt pauciores, deuoluitur. Quòd si omnes deliquerint, deuoluitur ad Superiorem, siue eum, cuius est electum vel postulatum confirmare.*

5. Reci-

5. *Recipientes postulatum ad administrationem ante admissionem postulationis à Superiore factam, pro ea vice iure eligendi & postulandi priuati sunt; non item recipientes antè confirmationem obtentam.*
6. *Si vna pars alteri parti offerat pacti alicuius conditionem, hæc autem non acceptet; vel si acceptauit, postea ita violet, vt illa, quæ obtulit, aut pacta fuit, libera censeri debeat; tum contra eam locus non est querelæ de promissione, aut pacto violato.*
7. *Si causa (v.g. delictum rei) & quòd nulla ipsi defensio competat, notoria sit, non est opus citatione, aut probatione, aliue processu, sed mox ad sententiam definitiuam procedi potest.*
8. *Pro iudice præsumptio est, quòd omnia legitimè egerit.*
9. *Factum negatiuum id est, quòd aliquid actum non fuerit, non potest directè per testes vel instrumenta probari; potest indirectè & per accidens.*
10. *Negatiua ab allegante probari debet, si super eam quis fundet intentionem suam.*
11. *Testes singulares nō probant sufficiēter, sed debent esse contestes, vt sufficiat ad condemnationē rei crimen non confessi.*

NOTANDVM I. Si Capitulares aliqui à loco ecclesiæ absentes ob iustum violentiæ timorem accedere nequeant, tum alijs in loco electionis faciendæ morantibus inhibere possunt, ne absque ipsis ad electionē accedant; nisi periculum in mora sit. Ita Gl. hîc ver. metuebant, & sumitur ex c. quanto 10. d. 63. Si tamen absentes in tali casu non inhibeant electionem fieri, videtur rata esse illis, argum. c. quod sicut 28. hoc tit.

Aduerte autem quod dixi, *ob iustum violentiæ timorem*: Licèt enim ponamus, quòd electioni nulla violentia illata esset, si tamen periculum probabile fuerat, ita vt meritò timeretur violentia, seu liberæ electionis violatio, iusta erit causa electionem interim inhibendi, argum. l. habitatores, 30. §. Iterū, ff. locati. Et locus est huic doctrinæ, tametsi immineat tempus, quod electioni à iure definitum est: quia id non obligat, si iustum impedimentum adsit, argum. c. quia diuersitatem 5. de concess. præbendæ, & c. ne pro defectu 41. hoc tit.

NOTANDVM II. Si Capitulares in loco ecclesiæ conuenire non possint ad Prælati electionem, v.g. propter pestem, aut violentiæ infererēdæ probabile periculum, tum in alio loco tuto electionē instituere nō prohibentur. Ita sumitur ex hoc c. & cit. c. quod sicut, tradit Gl. hîc ver. metuebant, Gl. in c. 5. d. 23. ver. fieri in Vrbe. Cui cōsentit doctrina Bart. in l. omnes populi n. 16. de iust. & iure, Baldi in l. cunctos populos n. 11. C. de summa Trinit. Quòd vniuersitas expulsa è loco proprio, alibi congregari, ac statuere possit. 2

Pro declaratione autem, quæ in his duobus notandis dicta sunt, distingui debet cum Abb. hîc n. 10. inter impedimentum personale, & reale. Si enim impedimentum, quò minùs Capitulares aliqui ad locum ecclesiæ, in quo electio instituenda est, venire non possint, personale sit, v.g. ob insidias, quas personarum suarum respectu ab inimicis timent, tum procuratorem mittere debent, iuxta c. quia propter 42. §. Illud, hoc tit. & tradit hîc Innocentius n. 2. Sin autem non mittant, vel ob quamcunque causam mittere non possint, tum ipsorum ratio habenda non est: sed alij sine ipsis procedere possunt, saltem si tempus à iure definitum immineat, iuxta c. cùm inter 18. vbi id docui, & in c. cùm nobis 19. not. 1. hoc tit. Sin autem impedimentum reale sit, siue ipsam electionem in loco ecclesiæ faciendam concernens; vt si violentia electioni timeatur, iuxta casum huius cap. vel ob pestilentiam in loco grassantem, exeundùm esse videatur, tum locus erit suprà traditis doctrinis.

QVÆSTIO autem est, num in hoc ipso casu sufficiat, si maior pars Capitularium conueniat & decernat de huiusmodi impedimento, siue iustam adesse causam extra locum ecclesiæ electionem instituendi; ita vt alij quoque eò se conferre teneantur; aut,

si nolint, absque ijs electio peragi possit? Affirmat Gl. hîc ver. metuebant, & Innoc. n. 2. Abb. verò hîc n. 10. arbitrabatur, necessarium esse, vt duæ Capitularium partes conueniant ad id decernendum. Sed arbitror, 3 conciliari posse: Si enim Capitularium duæ partes aduocari, seu congregari possint, vera est doctrina Abbatis, iuxta ea quæ docui in c. bonæ 4. de postulat. Prælatorum. Sin autem congregari nõ possint ad deliberandum seu decernendum de loco; tum maior pars Capituli si conueniant, & decernant extra ecclesiam, ob iustam causam, seu necessitatẽ electionem fieri debere, alij quoque eò se conferre debebunt; aut, si nolint, vel non possint, absque ijs electio peragetur, sicuti etiam docuit Ioann. Andr. in c. cùm inter 18. n. 29. hoc tit. Propterea quòd ibi censeri debeat esse Capitulum, siue Collegium, vbi legitimè congregati sunt Capitulares. Imò arbitror, si impedimentum electionis in loco ecclesiæ instituendæ manifestum, seu indubitatum sit, & instet tempus à iure definitum, vel periculum in mora existat, quòd etiam pars minor Capitularium (præsertim si inter eos ille sit, qui ex consuetudine aut statuto ecclesiæ, alios aduocare solet) diem & locum electionis constituere, & alijs intimari possit; si videl. ij id agere impediti sint, aut culpabiliter negligant: eò quòd in huiusmodi casu vis capitularis seu collegialis etiam in paucis consistere possit.

4 NOTANDVM III. Si Capitulares abutantur iure eligendi aut postulandi, ea vice priuati censentur, & potestas tota ad alios non consentientes, quamuis numero paciores, deuoluitur: Sin autem omnes deliquerint, ad Superiorem, siue eum, cuius est electum, vel postulatum confirmare. Ita colligitur ex hoc c. & tradit Gl. ver. licentiam, Anton. in principio huius c. Abb. n. 2. Imola n. 4. qui duo rectè hinc colligunt, quòd pœnæ c. cùm in cunctis 7. §. Clerici, non tantùm incurrantur in casibus inibi expressis, sed etiam in alijs similibus; si circa electionem aut postulationem delinquant, ita vt priuationem mereri videantur, argum. huius cap.

Aduertit autem Innocent. hîc n. 4. quem 5 Abbas cit. n. 2. & alij sequuntur; Tametsi Capitulares, si inhabilem siue postulandum, sine Superioris licentiâ ac dispensatione ad administrationem recipiant, adeò delinquere censeantur, vt pro ea vice postulandi, eligendíue facultate priuati censeantur, vt in hoc c. dicitur; non tamen id similiter locum habere, si Electores electum à se, ante obtentam confirmationem ad administrationem prælaturæ recipiant: Tametsi enim electus ita se malè ingerens, iure electionis ipso facto priuatus existat, cap. auaritiæ 5. hoc tit. in 6. Electores tamen ipsum recipientes, priuati non sunt; & ideo, nisi per sententiã tanquam minùs idonei priuentur, ad aliam electionẽ accedere possunt: Propterea quòd hæc pœna priuationis de casu isto expressa non sit; neque ob rationis paritatem ad eum transferri possit; eò quòd longè grauiùs delinquant Capitulares, si postulandum, siue inhabilem, & cui nihil omnino iuris acquisitum est, sine Superioris licentia recipiant, quàm si legitimè electum, ante confirmationem obtentam.

NOTANDVM IV. Si vna pars alteri parti 6 offerat pacti alicuius conditionem: hæc autem non acceptet: aut si acceptauit, postea ita violet, vt illa, quæ obtulit, aut pacta fuit, libera censeri debeat, tum contra eam locus non est querelæ de promissione, aut pacto violato. Ita docet Baldus in l. semel mora, ff. solut. matrim. exemplum afferens: si duo pacem firmârunt de non offendendo; vnus autem fœdus seu pacem violârit, conqueri non potest de altero, si & ipse postea pacem non seruet, ideo ab altero obseruandum non est. Qua de re videri etiam potest Bartol. in l. cùm pater, §. libertis, ff. de legatis 2. Simile quid accidit in proposito casu: Inhibitionem cum interposita appellatione, vna pars canonicorum fecerat alteri parti, ne ad electionem Prælati absque illis accederent: Hæc autem inhibitionem, vel ab initio non acceptauit; vel, si acceptauit, postea violauit; & ita quidem, vt se prorsus indignos & inhabiles redderent, constituti, ac veluti pacti, vt vna pars sine altera ad Prælati electionem

cti onem procedere non deberet: Itaque conqueri hi non possunt de alijs Capitularibus, quòd à constitutione atque interposita appellatione recesserint: Partim, quia vt in textu dicitur, *frustrà legis* (aut cuiuscunq; constituti) *auxilium implorat, qui delinquit in legem*, l. auxiliũ 37. ff. de minorib. xxv. annis, & c. quia frustrà 14. de vsuris: Partim quia res non in eodem statu permansit, sed ita immutata, vt vna parte Canonicorum priuationem incurrente, altera pars absque illis ad electionem accedere iure potuerit.

7 Notandvm V. Si causa (v.g. delictum Rei) & quòd nulla ipsi defensio cõpetat, notoria sit, non est opus citatione, aut probatione, alióue processu, sed mox ad sententiam definitiuam procedi potest. Ita Gl. hîc ver. notorius, Innoc. in cap. quanto, de translat. episc. Gl. in l. Si verò 5. §. Qui pro rei ver. euidentissimè ff. Qui satisdare cogantur, Abb. hîc n. 5. & sumitur ex c. de manifesta 17. causa 2. q. 1. c. venerabilem 34. hoc tit. & clarè ex hoc c. ibi, *excessus notorius examinatione non indiget.*

Veruntamen ad cautelam, seu securitatis gratiâ, Iudex etiam in causa notoria Reum citare, & reliquum iuris ordinem obseruare potest, vti hîc apparet & annotauit Gl. ver. testes recepit. Hoc ipso tamen, quia non ex necessitate, sed ex abundante iuris ordo obseruatur, ideo si accidat defectum aliquem interuenire, non ideo totus processus, ipsâque definitiua sententia corruere, debet, prout hîc Abb. annotauit n. 8.

8 Notandvm VI. Pro iudice, ob iudiciariam auctoritatem habente præsumptio esse debet, quòd omnia ritè & legitimè egerit. Ita hîc, & in c. in præsentia 6. de renunc. vbi de hac re dicendum erit, & in c. quoniam 6. de probat.

9 Notandvm VII. Factum negatiuum, id est, quod aliquid actum non fuerit, non potest directè per testes, vel instrumenta probari. Ita hîc, & sumpta sunt verba huius c. ex l. actor 23. C. de probat. *cùm per rerum naturam* (id est, secundùm naturæ cursum loquendo) *factum negantis probatio nulla sit*; siue nulla neganti probatio suppetere queat. Ratio est, quia testis (eadémque ratio est de Notario instrumentum conficiente) testari debet de visu, alióue sensu, v. g. vidisse se Titium cædentem, audiuisse blasphemantem: Quòd si hoc testimonium verum sit, spectato naturæ cursu, per se ac necessariò sequitur, Titium verberâsse, blasphemâsse; Non ita verò, si testis deponat, se non vidisse Titium cædentem, non audiîsse blasphemantem, spectato rerum naturæ cursu, per se ac necessariò consequens est, eum nõ verberâsse, aut non blasphemâsse.

Aduertendum autem, quod dicitur, negatiuam assertionem, seu depositionem *directè* ac per se probari non posse: At verò indirectè & per accidens potest; idque duobus modis, vti videre licet apud Ant. hîc n. 55. Abb. n. 13. Ioann. Petr. de Ferrarijs in practica, in forma opponendi contra testes, ver. Et periuri, de negatiua mera; Primò, Si negatio per modum entis priuatiui non minùs, quàm negatiua in sensum cadat; vt si testis deponat Titium non fuisse palliatum, ense accinctum: Huiusmodi enim negationes seu priuationes per accidens, siue per remotionem entis, percipi possunt. Secundò, Si testis deponat de affirmatiuo, quod sensu percepit, exinde autem necessariò consequens sit negatiua: Idque accidere solet, si assertum negatiuum certo loco, tempore, aut personis determinatum sit, v. g. si Titius dicatur esse auctor homicidij commissi Augustæ, Kalendis Iunij, testis iuratus autem deponat, se eo die eundem Titium vidisse Constantiæ, prout constat ex l. optimam 14. C. de contrah. stipul. c. ex tenore 35. de testibus.

Adde his I. quòd negatiua probari potest per præsumptiones; ita vt onus contrarij probandi in partem aduersariam reijciatur, iuxta c. tertio loco 5. de probat. & notauit Gl. hîc ver. per rerum naturam, Anton. in cit. n. 55. Adde II. Quòd negatiua ab allegante probari debet, si super eam fundent intentionem suam; cùm regula generalis sit, astringi aliquem ad probandum id, quod est fundamentum intentionis suæ, prout hîc Abbas notauit num. 14. & 10

Matth.

Matth. de Afflictis decis. Neapolitan. 377. num. 7.

11 NOTANDVM VIII. Testes singulares, tametsi plures sint, non tamen probant sufficienter, & plenè; sed necessarium est ad probationem, vt sint contestes. Ita etiam habetur in c. licèt causam 19. de probat. & c. cùm dilectus 32. hoc tit. Dicuntur autem contestes, qui de vno & eodem facto testantur: Testes autem singulares, qui diuersa, nō autem contraria, testantur. Et potest esse hæc diuersitas secundùm omnia prædicamenta, vti Baldus declarat in l. de quibus 32. ff. de legibus: In prædicamento substantiæ habemus exemplum hîc: Si vnus canonicorum testetur, citationem ad se non peruenisse; & alius itidem testetur, citationem peruenisse ad se; non sunt contestes, cùm de diuersis subiectis testimonia proferant. In prædicamento *vbi*, & *quando*; Si testis, vel denunciator deponat, de Caia visa in conuentu dæmonum, qui fuerat prope Lauingam, anno tali, mense tali; alius autem de visa eadem Caia in conuentu Dæmonum alio anno, aut mense, aliòue in loco, prout latiùs explicaui in Theol. moral. lib. 3. tr. 6. de iustit. cap. 5. §. vn. qui est in sagis, in 3. edit. Atque ita hanc rem explicat Baldus cit. loco, Prosper Farinacius in praxi crim. q. 64. Ioann. Crottus in tract. de testibus, n. 217. vbi ait requiri, *vt testes deponant super vno & eodem facto; aliàs propter separationem factorum non probant*; intelligè plenè, vt sufficiat ad condemnationem Rei crimen non confessi.

CAPITVLVM XXIV.

Querelam.

PARAPHRASIS.

Cardinalis tituli S. Vitalis per Oeconomum seu Syndicum Ecclesiæ S. Agathæ, quam ipse habebat in commendam, controuersiam mouit Presbytero Ecclesiæ Saluatoris. Petebat autem Oeconomus, Presbyterum ab ecclesia Saluatoris remoueri, eò quòd sine Cardinalis auctoritate instituus esset: Ecclesiam enim illam pleno iure incorporatam & subiectam esse ecclesiæ S. Agathæ, quæ iure commendæ ad dictum Cardinalem S. Susannæ pertineret: Insuper petebat pensionem sexdecim denariorum Papiensium, quæ ab ecclesia Saluatoris annuatim debita sit ecclesiæ S. Agathæ; modò autem negata, adeóque subtracta. Ad hoc respondit Presbyter ecclesiæ Saluatoris, se Cardinali iniuriam nullam intulisse, neque ecclesiam suam in præiudicium ecclesiæ S. Agathæ, quippe ad quam nullo iure pertineret, recessisse, sed præsentatum fuisse à populo, ad quem hoc ius ex antiqua consuetudine pertineret; Institutum autem canonicè fuisse ab eodem Cardinali tituli S. Susannæ; cui dicta Saluatoris ecclesia tanquam suo titulo in spiritualibus subiecta esset. His vtrinque auditis, Innocentius III. Papa, successor Cælestini III. coram quo causa hæc cœpta, non finita fuerat, Presbyterum ab impetitione Oeconomi absoluit, quòd constaret, populum in possessione præsentandi tunc fuisse, & ecclesiam Saluatoris ad titulum S. Susannæ pleno iure pertinuisse; saluâ interim quæstione super iure patronatûs, num id ad populum ecclesiæ Saluatoris, an verò ad ecclesiam S. Agathæ spectare debeat. Ad præstandam porrò pensionem denariorum condemnat Presbyterum ecclesiæ Saluatoris; quia plenè ostensum fuerat, eam per multos annos persolutam fuisse ecclesiæ S. Agathæ, saluâ tamen quæstione iuris proprietatis inter vtramque ecclesiam.

SVMMARIVM.

1. *Habens ecclesiam vnam in titulum interdum aliam ecclesiam accipit in commendam, quæ si perpetua sit, vim & effectum tituli habere censetur, & veluti dispensationem quandam super pluralitate, aut aliâ inhabilitate continet.*

Commendata beneficia semper manent in prouisione Papæ.

2. Car-

2. *Cardinalis ordinariam, & quasi episcopalem iurisdictionem obtinet in ecclesia sui tituli, aliisq; capellis pleno iure ei subiectis seu incorporatis.*
3. *Præsentatio facta ab eo, qui est bona fide in possessione iuris præsentandi, licèt postea appareat ius illud de iure ad alium pertinere, modò ante factam præsentationem lis coram iudice contestata non fuerit.*
Idem etiam de electione intelligi debet.
4. *Ius præsentandi à laico præscribi potest.*
5. *Si quis non per seipsum, sed per procuratorem in iudicio agat, sententia contra procuratorem ferri potest; & si agatur ciuiliter, etiam debet, exceptis quibusdam casibus, quod tamen in foro canonico minùs attenditur, & in eo rata est sententia, siue ea in procuratorem, siue in principalem feratur.*
6. *Pensionarius seu colonus pensionem soluere recusans, si ea antè tanquam debita soluta sint, cogendus est spoliatum restituere ante suo, & negatam pensionem soluere; qui tamen deinde potest super iure soluendæ pensionis litem mouere.*

1 NOTANDVM I. Qui habet ecclesiam vnam in titulum, interdum aliam ecclesiam accipit in commendam, seu administrationem, gubernationémque, vti hic apparet. Quòd si commenda perpetua sit, vim & effectum tituli habere censetur; & veluti dispensationem quandam super pluralitate, aut alia inhabilitate continet; quãobrem non nisi à summo Pontifice concedi solet, prout latiùs docui in lib. 4. Th. moral. tract. 2. cap. 5. q. 8. Porrò tametsi commenda perpetua effectum & vtilitatem tituli in plerisque tribuat commendatario, vt ea agere possit, quæ intitulatus, re ipsa tamen non censetur tituli collatio facta: quãobrem commendata beneficia semper manent in manu, seu prouisione Papæ commendantis; adeò, vt post mortem commendatarij ipsi reseruata maneant, atque ab alio conferri non possint, prout ex communi notauit Azor tom. 2. lib. 6. cap. 31. q. 7.

NOTANDVM II. S. R. E. Cardinalis 2
ordinariam & quasi episcopalem iurisdictionem obtinet in ecclesia sui tituli, aliisque capellis pleno iure ei subiectis seu incorporatis. Ita sumitur ex hoc c. & c. his quæ 11. de maior. & obed. & notat hìc Abb. n. 3. Suarez allegato hoc c. lib. 4. de legibus cap. 5. n. 4. & docui in Theol. morali lib. 1. tr. 4. cap. 7. n. 27.

NOTANDVM III. Præsentatio (quæ 3
hìc electionis nomine, latè sumpto vocabulo isto, significatur) facta ab eo, qui bona fide est in possessione iuris præsentandi, valida censeri debet, tametsi postea appareat, ius præsentandi de iure ad alium pertinere; dummodò ante factam præsentationem lis coram iudice contestata non fuerit. Ita colligitur ex hoc c. & tradit hìc Gl. ver. super iure, & habetur etiam in c. consultationibus 19. de iure patron. iun. Gl. in c. ex literis 7. ver. vel antequam eod. tit. Ratio dari solet: Quia præsentare est quasi fructus quidam iuris patronatûs seu iuris præsentandi; sicuti & eligere fructus iuris canonicalis, aut iuris eligendi. At verò bonæ fidei possessor fructus interim percipere non prohibetur, donec ipsi lis super proprietate mota sit, l. bonæ fidei 48. ff. de acquir. dominio, & docui Theol. mor. lib. 4. tract. 2. cap. 13. n. 19. Accedit benigna iuris canonici dispositio, facta tum in fauorem possessoris bonæ fidei, tum in commodum ecclesiæ, vt ministri eius citiùs & certiùs instituantur: Et quæ hìc dicuntur de præsentatione, pari ratione intelligi debent de electione, quippe quæ in plerisque æquiparata sunt.

Porrò exinde colligit Abb. hìc n. 9. quem sequitur Syl. ver. præscriptio 2. q. 5. Si laicus tempore diuturno præsentauerit clericos ad beneficium, tametsi inde præsumptio oriatur, vis præsentandi ad ipsum spectare; præscriptionem tamen perficere nunquam posse: propterea quòd ius præsentandi, quippe spirituale, possidere non possit laicus, nisi ex Ecclesiæ concessione: Ecclesia autem laicis ijs tantùm ius præsentandi clericos ad beneficia concedit, qui fundatores, constructores, aut dotatores sunt ecclesiarum, ac beneficiorum: Ergo si huiusmodi causa siue titulus

verè non subsit, laicus capax non est possessionis iuris præsentandi, consequenter nec præscriptionis. Sed, si rectè attendimus, contrarium ex hoc c. satis apertè colligitur; cùm dicat Pontifex, *constitisse* sibi, *quòd populus in quasi possessione præsentandi clericum existebat*; cùm tamen de iure patronatûs, seu iure præsentandi, num ad populum pertineret, quæstio indecisa permaneret. Quamobrem pro sententia Io. Andr. Henr. Boich super hoc c. n. 11. & seqq. & aliorum multorum, quam communem hîc fatetur
4 Abb. Panorm. quòd ius præsentandi à laico præscribi possit, ita argumentari licet; Cùm laicus, etiam sine vero titulo, aut facta cessione, ius præsentandi possidere possit, sequitur inde, quod per temporis legitimi decursum, etiam vsucapere possit; cùm nihil desit eorum, quæ iuxta canones ad præscriptionem requiruntur. Quam tamen quæstionem alibi plenius examinabo.

5 NOTANDVM IV. Si quis non per ipsum, sed per procuratorem in iudicio agat, sententia contra procuratorem ferri potest, vti hîc apparet, vers. nos igitur, iun. Gl. ver. œconomi, & in c. olim 20. de censibus. Imò secundùm ius ciuile l. 1. C. de sent. & interloc. omn. Iudicum, si agatur ciuiliter per procuratorem, sententia ferenda est contra procuratorem, ita vt aliter lata non subsistat, si cum ipso lis contestata fuerat: Cuius rei ratio est, quia tunc quasi contractum cum procuratore censetur: quare sicuti in cõtractibus actiones & obligationes procurator sibi acquirere censetur, quas deinde mandanti seu principali cedere debet, l. multùm interest, 6. iun. Gl. ver. potes, & seq. C. si quis alteri vel sibi; (dummodò sit verus procurator, & non tantùm nuncius, qui habeat se vt merum instrumentum mittentis, cit. l. multùm) ita etiam se res habet in quasi contractu per iudicialem litis cõtestationem. Declarationes, siue limitationes traditæ doctrinæ sunt hæ: Prima, In causa matrimoniali, & beneficiali, aut simili spirituali, sententia ferri non potest erga procuratorem; sed necessariò ad principalem referri debet, prout hîc Anton. admonet n. 45. Abb. n. 10. Ex causa, Vt Maritus vxori cohabitet, coniugij debitum reddat; Vt clericus beneficium resignet.

Altera. Si de crimine agatur per procuratorem criminaliter, in dominum, siue eum qui procuratorem ad sui defensionem misit, sententia ferenda est, l. vlt. C. de iniuriis.

Tertia. Si agatur iudicio non ordinario, sed simpliciter & de plano, principalis condemnari potest etiam in causa ciuili, & in foro ciuili, teste Gl. margin. in suprà cit. l. 1.

Quarta. Si Syndicus seu procurator, aut administrator generalis nomine ecclesiæ alterius siue Communitatis in iudicio agat, aut si tutor, vel curator nomine pupilli, siue natu minoris, sententia etiam in ciuili foro ferri potest contra Communitatem, aut pupillum, vti notauit Bartol. in ead. l. n. 13. Quia enim pupillus, & ecclesia aliáue communitas necessariò agere debet per alium, vid. procuratorem, Syndicum, aut tutorem, ideo meritò statutum, vt actiones & obligationes ad ipsos quoque transeant, quorum nomine agitur, l. eum qui 5. §. Item si mihi, vers. si actori ff. de constit. pecunia.

Quinta. Si Dominus, siue principalis in principio litis præsens fuerat, eámque ipsemet contestatus, poterit deinde in eà causa ferri sententia aduersus ipsum, etsi loco sui constituto procuratore discesserit, vti Gl. notat in suprà cit. l. 1. ver. non fuit, argum. l. furti 6. §. si quis alieno, ff. de his qui notantur infamiâ, licèt contrarium teneat Bartol. suprà cit. loco.

Sexta. In foro canonico minùs attenditur ad has à iureconsultis ethnicis inuentas subtilitates, sed siue in procuratorem, siue in principalem sententia concipiatur in ciuilibus causis, rata censeri debet, secundùm Gl. fin. in c. licèt 9. de probat. Gl. in c. suscitata 6. ver. monasterium, de in integr. restitut. Capellam Tholos. q. 102. Nam re vera ipse dominus per procuratorem principaliter contrahens est in negotiis; & in iudicio litem cum aduersario contestans, sicuti bene docuit P. Ludou. Molina tom. 2. de iustit. disp. 551. n. 4. & sumitur ex reg. 72. in 6. *Qui per alium facit, perinde est, acsi faceret per seipsum.* Quamobrem etiam executio sententiæ,

tiæ, v. g. solutionis debitæ exactio fieri solet in bonis domini mandantis: Atque vice versa, si in iudicio vincat Procurator, ipsi mandanti seu principali, non procuratori, solutio fieri debet; præterquàm, si etiam ad recipiendam solutionem mandatum habeat, l. hoc iure, 86. ff. de solut.

Denique testatur Andr. Gaill lib. 1. obseruat. 111. In camera Spirensi, in qua lites omnes per procuratores agitantur, sententiam semper ferri erga principalem siue dominum, tametsi is nunquam in iudicio præsens fuerit.

6 NOTANDVM V. Si pensionarius aut colonus pensionem soluere recuset, quasi ad eam obligatus non sit, censetur dominum spoliare possessione iuris, in qua hactenus fuit, pensionem capiendi. Quamobrem, si ostensum fuerit, pensionem antea solutam fuisse, tanquam debita esset; deinde verò denegatam, ac veluti subtractam, ante omnia cogendus est pensionarius restituere spoliatum iure suo, ipsique pensionem negatam soluere; deinde autem, si velit, super iure soluendæ pensionis litem mouere non prohibetur: cùm sit canonica regula, quòd spoliatus priùs restitui debet, quàm de iure proprietatis contendere teneatur, c. vlt. de ordine cognit. c. cùm olim 7. de causa poss. & propriet. & tradit Gl. hîc ver. statum, Innoc. n. 3. & 4.

Contra hanc tamen doctrinam insurgunt Legistę, Cynus, & alij ab ipso citati in l. si certis annis, q. vlt. C. de pactis; dicúntque, contra hoc c. querelam, opus esse querelâ; quandoquidem fieri non posse videtur, vt possessio habeatur præstationis, aut debiti merè personalis; cùm persona libera, aut quod ipsi inhæret, possideri non possit. Quamobrem Bartol. in l. vlt. ff. Quorum bonorum, Abb. in c. peruenit n. 3. de censibus, & super hoc c. n. 13. ea ratione defendunt huius c. decisionem, quòd pensio fuerit realis, videl. debita causa alicuius rei, siue fundi obligati ecclesiæ S. Agathæ ad pensionem annuam: huiusmodi enim census siue seruitutes reales possideri posse, dubium non est.

Verùm, vt rectè hîc animaduertit Anton. n. 27. id non colligitur ex c. ísto, sed potiùs contrarium; cùm absolutè dicatur, ab Ecclesia S. Saluatoris annuatim per multa tempora solutam fuisse pensionem, postea autem vel vnica vice per denegationę, subtractam. Quamobrem Anton. cit. loco, Innoc. hîc n. 3. & 4. Felinus in c. conquestus n. 4. de foro compet. Capella Tholos. q. 56. doctrinam huius c. defendunt etiam in personalibus præstationibus, siue pensionibus; ita vt si tanquam personaliter obligatus ad præstationem annuã aliquamdiu solueris Titio, postea verò soluere cesses; Titius tanquam spoliatus interdictum possessorium saltem vtile intentare possit, vt restituatur, iuxta hoc c. Idémque tradunt Angelus in suprà cit. l. si certis annis, & Ioann. Faber Instit. de interdictis, in princ. vbi testatur, hanc sententiam consuetudine omnium curiarum tam spiritualium, quàm secularium receptam esse; eandémque per vniuersam Galliam seruari, testis est Rebuffus apud Iacob. Menochium. remed. 1. recuper. possess. n. 87.

Ostendi autem potest tradita doctrina ex eo, quòd certum sit, in persona fundari posse obligationem præstationis, aut pensionis annuæ, ratione alicuius causæ præcedentis, v. g. pacti, seu contractus, vltimæ voluntatis, fundationis; Et apparet quoque in decimis, & tributis personalibus; in annuis debitis alimentis, iuxta l. 1. C. de fideicommissis; Censibus item personalibus, de quibus dixi in Theol. morali lib. 3. tr. 4. de iust. cap. 18. n. 7. Cùm itaque obligationi personæ, ex altera parte, videl. creditoris, respondeat ius petendi siue exigendi, idque vsum siue exercitium habere possit, vt nimirum creditor semel, aut sæpius pensionem annuam, tanquam ex aliqua suprà dicta causa debitã exegerit, & sine contradictione receperit; negari non potest, per hunc vsum acquirere illum possessionem, aut quasi possessionem, seu malis dicere statum quendam obligationis erga se, siue iuris sui; in qua proinde quasi possessione defendendus sit; aut, si spoliatus, ante omnia restituendus, vti docent DD. in l. cùm de in rem verso 6. argum. eius textus, ff. de vsuris.

Adde cum Anton. hîc cit. n. 27. Tametsi

possessio aut quasi possessio eiusmodi annui debiti, absque causa & titulo, saltem colorato, nasci non possit; posse tamen continuari, etiamsi causa & titulus nesciatur: adeò, vt si allegata temporis diuturnitate, in quo annuatim pensio, tanquam debita soluta fuerit, etiamsi causa siue origo debiti ostendi iam non possit, in possessione aut quasi possessione defendendus; vel, si pensio subtracta fuit, tuendus sit actor, secundùm huius c. decisionem.

Neque obstat, si quis obijciat, quòd temporis decursus non sit modus aptus inducendæ obligationis, aut debiti, vt videre licet apud Bartol. in cit. l. cùm de in rem verso, num. 2. ff. de vsuris. Respondetur enim, non ex temporis decursu oriri obligationem siue debitum, eiúsue possessionem; sed ex tempore diuturno vniformiter factæ præstationis oriri præsumptionem antecedentis causæ siue tituli, vnde obligatio, seu debitum, aut saltem possessio vel quasi possessio eius, cum bona fide, ortum duxerat, prout ex iam cit. l. constat.

Ad argumentum contra doctrinam huius c. allatum respondetur; Personam liberam possideri non posse absolutè loquendo, aut quatenus libera est: sed quatenus persona obligata est ad aliquid dandum, vel faciendum, siue annuatim, siue quoties causa aut occasio aliqua iusta ita exigit, eatenus libera non est; consequenter ex altera parte dari potest quasi possessio iuris, vti apparet etiam in operis obsequialibus, quas nõ tantùm liberti, sed liberæ quoque personæ Principibus, aut dominis suis debent; & personæ ecclesiasticæ submissionem, obedientiámque Prælatis, v. g. Episcopis suis; huiúsque submissionis quasi possessionem haberi, aut pro eius, si subtracta sit, recuperatione, interdictum possessorium concedi, ex Ecclesiæ praxi notissimum est: Quamobrem Innoc. hìc n. 4. indistinctè ait, quòd

in rebus incorporalibus, siue iuribus, spoliatio contingere possit.

* * *

CAPITVLVM XXV.

Cùm Vintonienſis.

PARAPHRASIS.

Vacante ecclesiâ Vintonienſi, discordia erat inter Canonicos circa Episcopi electionem: & Archidiaconus quidem cum alijs quibusdam Decanum Salubrienſem elegit: Cæteri autem considerantes, electionem hanc irritam esse, quòd Decanus illegitimè natus esset, ad aliam electionem Præcentoris Linconienſis processerunt, vltrò ad eligendum secum admittentes Archidiaconum & fautores ipsius; quamuis propter electionem personæ indignæ à se factam priuati fuerint. Cæterùm etiam altera hæc electio à Pontifice cassata fuit, eò quòd per impressionem, seu violentiam laicorum peracta esset. Postea denuò conuenientes Canonici, cùm in eligendo Præsule consentire non possent, quosdam ad Innoc. Papam destinarunt, per quos coram Pontifice controuersia dirimeretur, & electio perageretur: Atque illi quidem qui Præcentorem elegerant, obiecerunt alijs, quòd illegitimè natum scienter eligendo, pro ea vice priuati essent electionis iure, & per triennium à beneficijs suspensi. Ad hoc verò ipsi respondebant; Licèt illegitimè natus esset Decanus ille, tamen à Sede Apostolica dispensationis gratiam accepisse; idque se legitimè probaturos, asserebant. At verò Innoc. III. duas alias rationes affert, ob quas Archidiaconus & socij ad nouam electionem coram ipso celebrandam, non minùs quàm alij, admitti debeant: Prima est, quia Canonici Archidiaconum & socios spontè ad alteram faciendam electionem admiserant. Secunda, quòd Lateran. Concilium temerè eligentibus personã indignam tantùm pro vna vice priuationem decernat; & idcircò, cùm electio quæ coram Pontifice per procuratores peragenda erat, nõ secunda, siue proxima sit post eam, in qua indi-

indignus electus fuerat, sed tertia, ideo ab ista excludi non possint.

SVMMARIVM.

1. *Electio, quæ per impressionem seu violentiam laicorum celebrata est per sententiam cassari potest: si electores consentiant, vt laici electioni se immiscean: canonicis pœnis subijciuntur.*
2. *Capitulares, ad quos propter delictum aliorum indignum eligentium tota potestas eligendi deuoluta est, possunt, si velint, admittere priuatos ad nouam Prælati electionem.*
3. *Vnus tamen solus Capitularium se opponere potest, quò minùs siue extraneus siue priuatus admittatur, aut ius eligendi per compromissum in alios transferatur.*
4. *Eligentes scienter indignum priuati sunt potestate eligendi in electione tantùm vnâ, quæ proximè occurrit.*
5. *Si electio indigni promulgata fuit secundùm maiorem partem suffragij ius habentium, inter quos alij scienter, alij verò ignoranter id egerunt, ij, qui digno suffragia dederunt, electionem suam promulgabunt validè, si quidem numero superent eos, qui indignum ignoranter elegerunt.*
6. *Si notorium sit aliquos esse priuatos, ij q; post admonitionem, vt ab electione discedant, parere nolint, etiam vi adhibita repelli poterunt, per se loquendo, & secluſis extrinsecis incommodis.*
7. *Eadem vis adhiberi potest notorio clerici percussori, aliue excommunicato, non tolerato, si Missæ sacrificio assistat, & monitus discedere nolit.*

1 NOTANDVM I. Electio, quæ per impressionem seu violentiam laicorum celebrata est, per sententiam cassari potest. Ita sumitur ex hoc c. secundùm integram eius electionem. Sin autem electores consentiant, vt electio per abusum laicorum se immiscentium celebretur, canonicis pœnis subijciuntur, & electio ipso iure irrita est, cap. quisquis 43. hoc tit. vbi ita docet & distinguit Anton. n. 8.

2 NOTANDVM II. Capitulares, ad quos propter delictum aliorum personam indignam eligentium, tota eligendi potestas deuoluta est, possunt, si velint, admittere priuatos ad nouam Prælati electionem. Ita colligitur ex hoc c. & tradit Gl. ver. admittendus, Innoc. n. 4. Abb. n. 8. Ratio est: Quia eligentes indignum non incurrunt suspensionem aliquam ab officio, sed tantùm pro vna vice priuantur iure eligendi, idque ad alios Capitulares non delinquentes deuoluitur, ita vt tota potestas electionis, etiamsi vnicus tantùm sit, illuc deuoluatur, c. 2. de postul. Prælator. vbi id docui. Quare sicuti hi non priuati quoslibet extraneos clericos secum ad electionem peragendam admittere possunt, c. bonæ 4. de postul. Prælat. c. scriptum 40. hoc tit. & tradit Gl. in c. 3. ver. vocémque de causa possess. & propriet. ita etiam priuatos Capitulares admittere non prohibentur, prout Abb. hîc n. 3. argumentatur.

3 Rectè tamen admonet ibi idem Panorm. & in cit. c. scriptum n. 3. quòd vnus solus Capitularium opponere se possit, quò minùs siue extraneus aliquis, siue priuatus admittatur; aut ius eligendi per compromissum in alios transferatur, prout idem Panorm. declarat c. in causis n. 3 hoc tit. Tametsi enim ad ea, quæ ex necessitate, aut secundùm vtilitatem ecclesiæ disponenda sunt, sufficiat, si maior pars præsentis & legitimè congregati Capituli consentiat, iuxtà c. 1. de his quæ fiunt à maiore parte Capituli, & l. 19. ff. ad municipal. *Quod maior pars Curiæ effecit, pro eo est, ac si omnes egerint*, non tamen id locum habet, si absque necessitate, aut publicâ vtilitate, Capitulares, siue Collegia statuere velint, cum derogatione aut imminutione aliqua iuris singulorum: tunc vnus etiam se opponere, siue impedire potest, iuxta iuris reg. 29. in 6. *Quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari:* Et reg. 56. *In re communi melior est conditio prohibentis*, ex l. Sabinus 28. ff. communi

diuidundo. Minuitur autem ius singulorũ eligentium, vt eorum vota plerumque minùs efficacia sint, si etiam aliorum suffragia recipiantur : secùs autem esset, si duntaxat vt consultores, propter ecclesiæ vtilitatem vocarentur, iuxta c. obeuntibus 35. d. 63. Ad hanc enim vocationem & admissionem sufficiet consensus maioris partis Capituli, prout Abbas Panorm. hîc n. 4. annotauit.

His addendum ; Si Capitulares eos, qui vocati fuerant, ad electionem faciendam vocârunt, & admiserunt, licèt ea ob discordiam, aliâmue causam impedita, aut rescissa fuerit, nihilominus priuatos recuperasse ius suum per Capitularium condonationem, à qua semel facta recedere non possunt, iuxta reg. 33. in 6. *Mutare consilium quis non potest in alterius detrimentum*, & tradit Gl. hîc ver. admiserant, argum. eius textûs, Ioann. Andr. n. 13. Abb. n. 9. & videri possunt quæ docui in c. vn. not. 3. de postul. Prælatorum in 6.

4 NOTANDVM III. Eligentes scienter personam indignam non secundùm totam Prælaturæ vacationem priuati sunt, sed tantùm in ordine ad vnam proximam electionem, quæ tamen si effectum consecuta non fuerit, vt quia electus non acceptauit, aut renunciauit, aut mortuus est ; vel quia electio ob occultum vitium electi, vel quia administrationi ante confirmationem se ingessit ; vel similem ob causam, à Superiore rescissa fuit, priuati & semel puniti recuperant ius eligendi, ita vt ad sequentem, quam hîc tertiam electionem Pontifex vocat, procedere non prohibeantur. Ita docet Gl. hîc communiter recepta ver. tertia, & alia Gl. in c. si electio 26. ver. integrum, eod. tit. & videri potest Abb. Panorm. hîc n. 12. Cæterùm, si altera pars Capitularium, quæ in prima electione, personam indignam eligendo, aut laicos ad eligendum secum admittendo, priuationem quoque incurrat, tunc, quia tota Capitularis facultas penes ipsos resedit, electio ad Superiorem deuoluitur, iuxta c. bonæ 23. in fine, hoc tit. & videri potest Ioann. Andr. hîc n. 16. Abb. n. 12, Henr. Boich n. 1. & 12.

Exinde pro praxi hæc colligi possunt : Primum, Si post publicatum scrutinium appareat, quòd maior pars Capitularium indignum elegerit, alij numero pauciores vtiliter rem agent, si patiantur illos ad publicæ electionis decretum procedere : Tum verò ijs priuatis & exclusis pro ea vice, iure eligendi vt proprio, siue ad ipsos solos deuoluto, vtentur. Constat enim ex c. perpetuæ 7. hoc tit. in 6. Eligentes indignum priuationem antè non incurrere, quàm publicæ siue communis electionis decretum formatum sit : Nam pœna intelligi debet cum effectu, c. relatum 4. de cler. non resident. Atqui electio non censetur facta, nisi post promulgatum scrutinium, capitulare decretum formatum sit : Ergo &c.

Alterum. Post promulgatum decretum de persona indigna, probabile est, quòd pauciores, qui indignum non elegerunt, si circa aliam personam consentientes sint, statim ac veluti eodem electionis contextu, non inchoato nouo scrutinio, electionis suæ decretum formare possint, prout Abb. docuit in c. congregato 53. hoc tit. argum. eius textûs, iun. Gl. ver. postmodum, ibidem Ioann Andr. addens, quòd *poterant etiam ex interuallo id facere, repetito tamen inter eos scrutinio & tractatu.*

Tertium. Posteaquam Capitulares, qui priuati non sunt, electionem suam, siue eodem tractationis contextu, siue nouo scrutinio & tractatu instituto, promulgarunt, licèt ea, vt suprà dixi, ex aliquo accidente effectum consecuta non sit, cessat priuatio eligentium indignum, atque recuperant ij ius electionis suæ.

QVÆSTIO prima : Si electio indigni promulgata fuit secundùm maiorem partem suffragij ius habentium, inter quos alij scienter, alij verò ignoranter id egerunt, potéstne pars minor, qui personæ dignæ suffragia dederunt, promulgare electionem suam ? Respondeo esse distinguendum : Vel enim hi, qui digno suffragia dederunt, superant numero eos, qui indignum ignoranter elegerunt, tũ validè promulgabunt electionem digni, iuxta c. scriptum 40. hoc tit. & tradit Ioann. Andr. in cit. c. congregato, in fine

fine; Vel non superant numero; tum electionem suam de digno promulgare haud possunt: quia non est facta à maiore parte Capituli, quandoquidem ij, qui indignum ignoranter, siue ignari defectûs, elegerunt, priuationem pro ea vice non contraxerunt: necessarium itaque est, vt cum his non priuatis nouum scrutinium inchoent. Exempli causâ: Si triginta canonici sint, quorum viginti suffragati fuerint Caio indigno, & electionis decretum formarint; alij decem, si suffragiis consentiant in Titium dignum, electionem valide promulgabũt, posito, quòd ex electoribus indigni nouem duntaxat ignorantiâ laborârunt; secùs si decem, aut plures ignorantes fuerunt.

QVÆSTIO secunda. Si Capitulares priuati velint se ingerere proximæ electioni,
6 num per vim expelli possint? Respondeo, cum Abb. hîc n. 14. Vel notorium est, illos in pœnam priuationis pro ea vice incidisse, vel non est notorium: Hoc posteriore casu, non possunt per vim expelli: quia nemo in causa non notoria ius suum contra aduersarium exequi potest: Quare à Superiore petere debent Capitulares, vt illi qui deliquerunt, causa cognita, priuati declarentur, iuxta c. scriptum 40. hoc tit. c. cùm secundùm 19. §. Confiscationis de hæret. in 6. Aut si electio statim facienda sit, contra illos protestari possunt reliqui Capitulares, quòd suffragia priuatorum pro ea vice æstimari non debeant, c. Cumana 50. hoc tit. & tradit hîc Innocent. n. 6. In priore autem casu, si videl. notorium sit aliquos esse priuatos, ijque post admonitionem vt ab electione discedant, parere nolint, etiam adhibita vi, repelli poterunt. Nam vim vi repellere omni iure licitum est, c. significasti 18. de homic. & c. 3. de sent. excomm. Priuati autem dum electioni se ingerunt, ac moniti abstinere recusant, veluti vim inferunt: Cùm enim eorum priuatio, vti pono, atque inhabilitas nota sit, perinde censentur, vt extranei: Ergo repelli
7 possunt, per se loquendo, & seclusis extrinsecis incommodis. Quâ simili ratione docent DD. in Clement. Grauis de sent. excomm. Si notorius clerici percussor, aliusue excommunicatus, non toleratus, missæ sacrificio assistat, atque monitus discedere nolit, per vim expelli posse. Et Bartolus in l. 1. §. hoc interdicto n. 4. ff. de itinere, actúque priuato ita loquitur: *Si Vniuersitas vel Capitulum coadunatum esset ad faciendum aliquid, & ibi esset aliquis, qui non est de corpore Capituli, & vellet omnino ibi esse, posset licitè per Vniuersitatem expelli; quia turbat Vniuersitatem vel Capitulum in quasi possessione iuris, in qua est.* Consentiunt his quæ dixi lib. 3. Theol. moral. tr. 1. cap. 7. n. 8. §. præterea.

CAPITVLVM XXVI.

Per inquisitionem.

PARAPHRASIS.

Cùm ad Innocentium III. Papam relatum fuisset, electionem R. in episcopum Tholosanum, præcedente illicitâ & simoniacâ cum Canonicis pactione peractam fuisse, quosdam destinauit, qui ex Apostolico mandato de Episcopo, & statu episcopatûs inquisitionem iustituerent. In ea inquisitione Mascaron Cancellarius, vnus ex electoribus, iuratus asseruit, sciuisse se, quòd R. & amici eius quosdam Canonicos precibus solicitârint, vt suffragia sua in ipsum R. dirigerent: Sciuisse etiam, quòd idem R. cæteris Canonicis, qui primæ ipsius electioni se opposuerant, iuramentum præstiterit; pro certo habens, iuramentum illud illicitam & simoniacam pactionem continere. Insuper confessus fuit, quòd post cassatam dicti R. Episcopi electionem, domum episcopalem ipse detinuerit, & episcopales reditus nomine ac voluntate R. receperit, in eiusdem vsus expendens: Nihilominus Mascaron post hos excessus suos in Tholosanæ ecclesiæ Præpositum institutus fuit. Sed Papa Innocentius III. mandat hîc delegatis suis, vt dictum Mascaron à Præpositura amoueant; eò quòd indignum ad episcopatum scienter eligendo beneficijs ad triennium suspensus esse debeat, ideóque ad dignitatem Præpo-

posituræ promoueri haud potuerit, iuxta Concil. Lateran. in c. cùm in cunctis, §. Clerici, hoc tit.

SVMMARIVM.

1. *Si inquisitio instituatur contra Prælatum propter delictum eius, plerumq; etiam ea fit de statu ecclesiæ eius, & clericorum cum eo habitantium.*
2. *Eligens scienter indignum ad Prælaturam, in qua adipiscenda simoniam commisit, est suspensus per triennium à beneficijs, quæ in eâ ecclesiâ obtinet.*
3. *Confessio facta ab aliquo in vno iudicio, adduci potest tanquam probatio ad conuincendum illum in alio iudicio. Secùs est in testimonijs & instrumentis productis.*

1 NOTANDVM I. Si instituatur inquisitio contra Prælatum, propter delicta eius, plerumque etiam inquisitio fit de statu ecclesiæ eius, & clericorum cum eo habitantium, vti sumitur ex hoc c. & notauit Gl. ver. episcopatus, & ex c. qualiter 17. de accusat. Quia plerumque reperiuntur aliqui participes, consentientes aut fauentes crimini. Ob quam causam, ait Abb. hic n. 2, statutum fuisse in c. vlt. §. Si autem dilapidator, de statu Monachorum; Si Prælatus regularis propter bonorum ecclesiasticorũ dilapidationem deponatur, administrationem rerum, interim dum alius substituitur, non Conuentui, quippe tunc suspecto, relinquendam, sed administratorem alium Monasterio deputandum esse; Idque etiam in secularibus ecclesijs, ob eandem rationem, in tali casu fieri posse.

2 NOTANDVM II. Qui aliquem ad Prælaturam, in qua adipiscenda simoniam commisit, scienter eligit, per triennium suspensus est à beneficijs, quæ in ea ecclesia obtinet. Constat ex textu huius c. & ex c. cùm in cunctis 7. §. Clerici, hoc tit. c. compromissarius 37. eod. in 6. vbi hæc pœna decreta est eligentibus personam indignam, siue inhabilem: Atqui simoniacum inhabilem reddi ad Prælaturam, aliúdue beneficium, in quo simoniam commisit, consequendum, constat ex c. penult. hoc tit. & c. nobis 27. de simon. Quibus in locis additur, id locum habere, tametsi ignorante eo, qui electus aut prouisus est, simonia commissa fuerit. Videri possunt quæ docui lib. 4. Theol. moral. tr. 10. cap. vlt. n. 72.

Veruntamen ob alias quoq; causas Mascaron iste à Præpositura illa amoueri debuit, tanquam non canonicè, atque inualidè institutus. Primò, quia R. in episcopum elegit, postquam is rerum episcopalium administrationi malè se immiscuerat: Ex textu enim c. colligi videtur, duas dicti R. electiones celebratas fuisse; vnam in discordia, quæ statim cassata fuit; sed nihilominus eius nomine ac voluntate Mascaron bona ecclesiastica vsurpauit; Alteram verò in concordia, cuius ratione Mascaron suspensionem incurrisse dicitur. Secundò, quia propter huiusmodi excessus facti infamiam incurrerat, atque ideo portæ dignitatum ipsi patere non debebant, iuxta c. 87. in 6. & annotauit hîc Innoc. n. 1.

QVÆRIT Glossa hîc ver. se indignum, vers. *Sed quare*, Cur sententia hîc lata fuerit contra Mascaron ex testimonio, seu confessione, quam in examine contra R. electũ instituto antea fecerat; cùm tamen quæ inter alias personas, aut & in alio iudicio acta sunt, obesse alicui non debeant, c. inter dilectos 7. de fide instrum. c. penult. de re iudic. Respondeo cum Gl. cit. & Imola hîc n. 9. Henr. Boich n. 4. Canonicum Mascaron non præcisè vt testem in causa Episcopi electi examinatum fuisse; sed etiam per inquisitionem generalem in omnia membra ecclesiæ institutam; ac proinde confessionem eius, tanquam in propria causa factam, ipsi præiudicasse. Neque enim negari potest, ex ea ipsa inquisitione, super quâ Pontifex decisionem suam fundat, cognitum fuisse, dictum Mascaron suspensionem à beneficijs incurrisse; adeóque institutionem eius in Præpositura irritam fuisse, iuxta ea quæ docui in c. cùm dilectus 8. de consuet. & consequenter amouendum. Addit verò

Innoc.

Innoc. hic num. 2. quem sequitur Abb. n. 12. Guido Papa in decis. Gratianopol. 254. quòd confessio facta ab aliquo in vno iudicio, adduci possit tanquam probatio ad conuincendum illum in alio iudicio; licèt secùs se res habeat in testimoniis, atque instrumentis productis: quia propria confessio omnem probationem superat, nullúmque reo subterfugium relinquit, arg. c. per tuas 10. de probat.

CAPITVLVM XXVII.

Cùm causam.

PARAPHRASIS.

Vacante Prioratu ecclesiæ S. Petri Lunacensis, Canonici regulares eiusdem ecclesiæ elegerunt bonum Presbyterum non professum: Huic electioni opposuit se Brunus canonicus, & alius quidam, sed reliqui electionem suam defendebant allegatione consuetudinis, quòd continuè per multa tempora Prior eius ecclesiæ fuisset regulam non professus. Hac controuersiâ ad Innoc. III. Papam delatâ, respondit is, scriptum esse Deuteron. cap. 22. num. 10. *Non arabis in boue simul & asino*, id est, (vt in Concil. Hispalensi explicatur, relato in c. in noua 22. causa 16. q. 7.) homines diuersæ professionis non sociabis: *Neque debet quisquam vestem induere de lana linóq; contextam*, id est, homines diuersi habitus sociari nō debent. Ideo mandat irritam, siue irritam declarari Presbyteri electionem, insuper compelli ipsum, aliósque, qui in Monasterio professionem non ediderunt, vt vel S. Augustini regulam profiteantur & seruent, vel ab ecclesia S. Petri discedant.

SVMMARIVM.

1. *Non valet consuetudo, vt non professus, vel alterius Ordinis, aut habitûs professus in Prælatum regularem eligatur, & est electio irrita.*
   Rectè tamen eligetur ad ecclesiam regularem, si Cathedralis sit, clericus secularis, aut Ordinis nouitius.
2. *Non valet etiam consuetudo, vt non professi, vel alium Ordinem professi in regulari aliqua ecclesia collegialiter viuant.*

NOTANDVM I. Non valet consuetudo, vt non professus, vel alterius Ordinis aut habitûs professus in Prælatum regularem eligatur: Et est ipso iure irrita electio iuxta c. nullus 28. hoc tit. in 6. & Clement. 1. eod. tit. Ratio dari debet, quia huiusmodi consuetudo ecclesiis noxia censetur: nam *cohærere & bene coniungi non possunt, quibus studia & vota diuersa sunt*, cit. c. in noua. Id tamen peculiare est, quòd ad ecclesiam regularem, si Cathedralis sit, clericus secularis, aut Ordinis Nouitius rectè eligatur, cit. c. nullus, & c. innotuit 20. hoc tit. Idque propter excellentiam dignitatis episcopalis, quæ regularis professionis defectum supplet, vti Gl. indicat in c. quod Dei timorem 5. ver. regimen, de statu Monachorum. 1

NOTANDVM II. Non valet etiam consuetudo, vt non professi, vel alium Ordinem professi in regulari aliqua ecclesia collegialiter viuant: ob eandem rationem, quia consuetudo huiusmodi ecclesiis damnosa, & irrationabilis censetur, prout habetur in suprà cit. Clem. 1. *Rationi non congruit, vt homines disparis professionis, vel habitûs simul in eisdem monasteriis socientur.* Nihil tamen obstat, quin in eodem Monasterio, siue ecclesia regulari diuisi Conuentus sint, vnus v. g. clericorum secularium, & alter regularium, sub diuersis Præpositis constituti, vti Gl. in cit. Clem. ver. Monasteriis, annotauit. 2

CAPITVLVM XXVIII.

Quod sicut.

PARAPHRASIS.

Post electum, confirmatum, & consecratum Archiepiscopum Armachanum, sex ei obiecta; Innocentio III. Papæ proposita fuerunt, ad depositionem eius obtinendam; Tria contra electionem, & alia tria contra

personam illius. Aduersus electionem quidem, quòd ea, post aliarum trium personarum nominationem facta esset; Et interpositam à Rege appellationem; Et non præsentibus Episcopo Miridinensi, atque Abbate Mellifontis, quibus etiam ius suffragij competebat. Contra personam autem Archiepiscopi obiectum fuit, quòd ante confirmationem eos Archiepiscopatus administrauerit, quòd in ipsa consecrationis suæ die, antequam missarum solemnia finirentur, acolythum ordinârit; denique quòd tabulam argenteam, absque causa necessaria, & cum ecclesiæ detrimento, vendiderit. Ad hæc singula respondit Pontifex in hoc c. secundùm integram eius lectionem: Ad 1. obiectum aduersus electionem; Per nominationem illam, (seu propositionem trium, tanquam qui digni electione sint) nullum ius nominatis acquiri: quare ea non obstante, ad canonicam electionem dicti Archiepiscopi perueniri potuisse: Accedit, quòd nominatio extra ecclesiam Cathedralem facta fuerit. quod signum est, eam propriè electionem non fuisse, quippe quæ, si fieri potest, in ecclesia Cathedrali peragenda est, secundùm canonicas sanctiones. Ad 2. Regis appellatio inanis censeri debet; cùm electio in eius præiudicium non cesserit: quandoquidem non simplex nominatio, sed solemnis electio debet Principi præsentari, vt assensum præbeat: licèt per abusum, siue vsurpationem interdum aliter à quibusdam fiat. Ad 3. Si Episcopus ille & Abbas, qui interesse electioni debebant, non contempti, sed vocati fuerunt, dummodò sine periculo vocari potuerint, non debet eorum absentia, siue quòd venire noluerint, siue quòd non potuerint, electionem impedire: Sin autem constiterit, vocatos non fuisse, sed contemptos, infirmanda erit electio sine ipsis celebrata, nisi ipsi, propter bonum pacis, postea consentire velint.

Ad primum porrò obiectum contra personam, respondet Innoc. III. Papa, Si Legatus Sedis Apostolicæ in prouinciis Hiberniæ tunc non fuerat, cùm electio peracta est, dissimulari id posse: quandoquidem Rom. Sedes patitur, vt Metropolitani regionum ab Vrbe remotarum, si concorditer electi sint, administrare incipiant, priusquam confirmationem & pallium archiepiscopale acceperint. Ad 2. Ratione eius excessus puniendum esse Archiepiscopum: quia solus Rom. Pontifex, (vtpote qui ante hymnum Angelicum consecratur, & consecratus ipsemet deinde missarum solemnia perficit) in die consecrationis suæ ordines conferre potest: Alij verò, qui inter epistolam & Euangelium consecrantur, missarum solemnia non celebrant, sed celebranti, ne mysterium vnitatis diuidatur, concelebrant, non debent tunc ordines conferre: Accedit, quòd Archiepiscopo sine pallio à Sede Apostolica accepto, non liceat cõcilium cogere, chrisma conficere, ecclesias dedicare; & ita nec clericos ordinare, aut episcopos consecrare; cùm talia non tanquam simplex episcopus, sed tanquam Archiepiscopus facere videatur. Ad 3. Cùm alienationi illi populi & cleri consensus accesserit, dissimulari potest; dummodò ecclesiæ, si quod damnum illatum sit, Archiepiscopus refarciat. Hæc scripsit Innocentius ad 1. tit. S. Stephani in Cælio monte Presbytero Cardinali, Apostolicæ Sedis Legato.

Svmmarivm.

1. *Per nominationem non acquiritur ius aliquod nominato, vti per electionem electo.*
2. *Electio Prælati intra ecclesiæ ambitum fieri debet si quidem id fieri possit.*
3. *Honesta est consuetudo, vt electio à clericis peracta Principi insinuetur; abusus tamen, & prana ecclesiastica potestatis vsurpatio est, si Principi proponantur aliqui, ex quibus vnum eligere possit.*
4. *Ritè vocati Capitulares, si non veniant, sine ipsis electio peragi potest.*

5. Si

5. *Si vocandus contemnitur, eo prosequente contemptum, electio inualidatur.*
6. *Non tamen vno, vel pluribus contemptis, ipso iure electio irrita est.*
7. *Contempto mortuo, eius successor in beneficio aduersus electionem agere potest, si ius suffragij contempto debebatur vt talis ecclesiæ Prælato, & expressè, vel tacitè non remisit.*
8. *Si ius suum electionem oppugnandi contemptus remisit, iudex ex officio electionem rescindere non potest.*
9. *Electio, etiam confirmata, rescinditur, si contemptus petat.*
10. *Episcopus eo die, quo consecratur, Ordines conferre non debet.*
11. *Episcopi & Sacerdotes in Missa, in qua consecrantur, non celebrant, sed Episcopo celebranti concelebrant.*
12. *Prælatus malè alienans damnum ecclesiæ illatum ex propriis resarcire debet, etsi adfuisset Capituli consensus, propter quem tamen culpa & pœna à canonibus decreta remittitur.*

1 NOTANDVM I. Per nominationem non acquiritur ius aliquod nominato, sicuti per electionem electo. Ita hîc in princ.c.& dixi de hac re in rubr. huius tit. circa finem.

2 NOTANDVM II. Electio Prælati intra ecclesiæ ambitum fieri debet, vti hîc dicitur, & in c.qua fronte 53. de appellat. & dixi de hac re in c.cùm inter 21.not.1. suprà hoc tit. Declaratur autem hoc in loco, *si id fieri potest*: alioquin, si impedimentum, seu moralis impossibilitas incidat, etiam extra ecclesiam aut ciuitatem episcopalem electionem peragi, nihil obstat. Qua de re dictum est in c. bonæ 23.not.2.

3 NOTANDVM III. Tametsi honesta sit consuetudo, vt electio Prælati à clericis peracta Principi insinuetur, abusus tamen, & ecclesiasticæ potestatis praua vsurpatio censeri debet, si Principi seu potestati laicæ aliqui proponantur, seu nominentur, ex quibus vnum eligere aut admittere possit. Ita etiam habetur in c.cùm terra 14.hoc tit. vbi id docui not.4.& in c.1.not.3.q.3.eod.hoc tit. Attamen per Sedis Apostolicæ priuilegium laico tale ius concedi potest, prout docui in rubr. huius tit. ad finem, & in cit.q.3.

NOTANDVM IV. Si Capitulares ad electionem Prælati congruo tempore aut loco celebrandam vocati non veniant, siue quia non possunt, siue quia venire nolunt, sine ipsis electio peragi potest. Ita hîc, & in c. cùm nobis 19. vbi id docui, hoc tit. Quare hoc in casu, absentes quasi non censentur in numero Capitularium, prout dixi in cit. c. cùm nobis, & in c.bonæ 4.not.3. de postul. Prælatorum. 4

NOTANDVM V. Contemptus à Capitularibus, si velit, contemptum suum prosequi potest, id est, petere vt electio sine ipso celebrata, in irritum reuocetur. Dicitur autè contemptus, qui ius electionis habens, cùm vocari potuerit, ac debuerit, vocatus non fuit ad electionem, aut non tempestiuè vocatus, ita vt cōmodè accedere possit. Colligūtur hæc omnia ex isto c.vers. Si autem. Dixi autem *si velit* petere &c. Potest enim etiam, ob pacis bonum, consentire electioni, siue eam non oppugnare, sed ratam habere velle: Sed non decet eum hoc in casu consentire, si electionem ecclesiæ vtilem non esse arbitretur, sicuti Syl. annotauit ver. electio 1.q.5. dicto 5. 5

QVÆSTIO prima. Num electio vno, aut pluribus contemptis peracta, ipso iure irrita sit? Responsio est negatiua: Quia si electio irrita esset, contemptus eam suo consensu cōfirmare non posset, vti colligitur ex c. seq. Dicendum itaque, validam esse electionem, ita vt si contempti dissimulent, siue se non opponant, omni iure consistat. Requiritur tamen, vt vis Capitularis non desit, prout annotauit Abb. in c.bonæ 36.n.4.hoc tit.& docui in suprà cit.c.cùm nobis, necessarium esse, vt duæ partes Capitularium eorum, qui possent & vellent electioni interesse, congregati sint: sin autem pauciores sint, quia plures quàm tertia pars contempta est, non erit rata electio, cùm desit causa efficiens, quæ, vt dixi, residet in duabus saltem partibus ad electionis, aliúmue Capitularem, aut collegialem tractatum instituendum, vti tradit idem Abb. in c.1.n.14.& 15. de his quę fiunt 6

à maiore parte Capituli, & in c. quia propter n. 4. & 5. vbi bene admonet, eos qui venire nolunt, aut non possunt, non computari in numero. Idémque sentiendum de ijs, qui nimis remoti sunt, ideóque vocari non debent, c. cùm inter 18. & cit. c. quia propter 42. hoc tit. Videri potest Franc. de Pauinis in tr. de potest. Capituli prælud. 5. n. 12.

QVÆSTIO secunda; Si qui contemptus fuerat, mortuus sit, num successor in beneficio eius aduersus electionem agere possit?
7 Respondet Gl. recepta hîc ver. consentire, vers. Item pone; Vel ius suffragij alicui competit vt talis ecclesiæ Prælato, tum eo mortuo, si contemptus expressè, vel tacitè non remisit, agere potest de contemptu: quia iura Prælati adhærent dignitati, quæ nõ extinguitur, sed ad successorem transit, c. si gratiosè 5. de rescript. in 6. Vel ius suffragij alicui competit, tanquam canonico, seu Capitulari, tum successor in beneficio agere non potest de contemptu: quia canonico mortuo aut resignante, iura eius ad Capitulum transeunt, c. relatum 12. de testam. Ideóquè propriè loquendo successorem ipse non habet. Ex quo sequi videtur, quòd in hoc casu Capitulares conqueri possent; nisi electionem ipsimet fecissent, ideóque contemptum prosequendo proprium factum condemnarent. quod permittendum non est. Quæ est doctrina Innocentij hîc n. 5.

QVÆSTIO tertia; Posteaquam contemptus seu expressè seu tacitè ius suum electionem oppugnandi remisit, an nihilominus Iudex ex officio electionem rescinde-
8 re possit? Responsio est negatiua, cum Abb. Panormit. in c. In Genesi 55. circa Gl. ibid. ver. nec præmissi num. 10. hoc tit. ob regulam receptam in l. dies 4. §. hoc autem ff. de damno infecto. Si agatur de fauore non publico, sed priuato; & ille cuius interest, remittat, Iudicem non posse officium impartiri: In hoc autem casu non agi de fauore publico, sed priuato, inde constat, quia iuri introducto in fauorem publicum aliquis renunciare non potest, c. si diligenti 12. de foro compet. Huic autem iuri contemptum suum prosequendi renunciare is potest, qui contemptus fuit, vti ex hoc c. constat: Ergo &c.

NOTANDVM V. Contemptus petere potest, vt electio sine ipso facta rescindatur, non obstante, quòd confirmata fuerit. 9
Ita colligitur ex hoc c. & tradit Innocent. hîc num. 4. Ioann. Andr. num. 17. & sumitur ex c. cùm dilectus 32. hoc tit. Ratio est: quia confirmatio innititur electioni, tanquam canonicè, & legitimè peractæ: si itaque electio ob aliquem defectum rescindenda sit, cadet etiam confirmatio exinde secuta, argum. c. qualiter 17. hoc tit. Verùntamen si ij, qui contempti fuerant, quando publico edicto ante confirmationem moniti sunt, iuxta c. vlt. hoc tit. in 6. se non opposuerunt, censeri debent iuri suo renunciasse, vt postea audiendi non sint.

NOTANDVM VI. Episcopus eo die, 10
quo consecratur, ordines conferre non debet. Arbitratur tamen Gl. hîc ver. diuidatur, prope finem, vers. *Sed finita missa*; nihil obstare, si necessitas postulet, quò minùs post eam missam, in qua consecratus est Episcopus, aliam missam celebrans, ordines conferat. Sed quia Episcopus in die dominico consecratus, in quo alij sacri ordines conferri non debent, ideo Hostiensis & alij communiter hanc Gl. reprobant: sed Abb. hîc n. 13. defendit quoad ordines minores, qui quolibet die dominico aut festo conferri possunt, iuxta c. 3. de tempor. ordinat. Neque occurrit, quod contradici possit, nisi fortè satis decens non esse, vt cõsecratus mox eodem die episcopalia exerceat, cùm non desint functi alij Episcopi, qui id munus obire possint.

NOTANDVM VII. Episcopi & Sacer- 11
dotes in missa, in qua consecrantur, non celebrant, sed Episcopo celebranti concelebrant. Ratio insinuatur in textu huius c. *ne diuidatur mysterium vnitatis*: Si enim Sacerdos vel Episcopus assistens Episcopo sacrificanti celebraret, siue hostiam & calicem cõsecraret, accidere posset, vt principalis celebrans nõ consecraret, quod est cõtra mysterij vnitatẽ. Qua de re dixi in Th. mor. lib. 1. tr. 5.

p. 5.

p.5.c.3.n.5. Qualem autem intentionem habere debeant Sacerdotes, qui cum celebrante Episcopo verba consecrationis proferentes celebrant, hîc disputat Innocent. n. 12. Abb.n. 13. Sed egi de hoc lib. 5. Theol. moral.tr.2. c.7.n.5.& 6.

NOTANDVM VIII. Tametsi ad alienationem rerum ecclesiæ immobilium, aut mobilium pretiosarum, præter tractatum,& Capituli consensum, requiratur etiam causa vtilitatis, iuxta c. sine exceptione 52. causa 12. q. 2. & c. 1. de rebus eccles. non alienandis in 6. facilius tamen culpa & pœna à sacris canonibus decreta, propter adhibitum Capituli consensum, Prælato alienanti remittitur: damnum tamen ecclesiæ illatum 12 ex proprijs resarcire debet. Ita colligitur ex textu c. in fine,& notauit hîc Imola n. 8. Hodie tamen aggrauatur delictum, propter iuramentum, quod Episcopi edunt res ecclesiasticas non alienandi, inconsulto Pontifice.

CAPITVLVM XXIX.

Auditis.

PARAPHRASIS.

Canonici ecclesiæ Baiocensis discordes inter se, duas electiones fecerunt: Cùm enim in Capitulo conuenientes de electione Episcopi tractarent, Decanus cum paucioribus (astutè, vti videtur) proposuit seu nominauit R. Subdiaconum; Cantor autem cum pluribus Guil. Archidiaconum; quamuis solus Cantor à proposito hoc suo recedens, postea Magistrum R. nominârit: Decanus, primam vocem habens, ad electionem ipsam pergere volebat; sed contrà appellatum fuit ad Sedem Apostolicam, ne absque consensu totius Capituli, aut maioris & sanioris partis ad electionem procederet. Sed Decanus cum paucioribus, seu non habens maioris partis consensum, sed longè minoris, subitò in electionem prorupit, (de Guil. Archidiacono, vti Glossa, Ioan. Andr. & plerique alij testantur) appellans, ne quis contra eam electionẽ quidquam attentaret: In eiúsque electionis defensionem attulit, quòd postea alij plures Canonici assensum suum adiecissent. Sed Innoc. III. Papa respondet; cùm electio ab initio ipso iure irrita fuerit, non potuisse per subsequentem aliorum consensum conualescere; præsertim pendente adhuc appellatione. Porrò abscedentibus Decano & socijs eius, Cantor & reliqui in Capitulo remanentes, post priorem illam nondum cassatam electionem, pendente ad Sedem Apostolicam interpositâ appellatione, à nominatione dicti Archidiaconi recesserunt, & R. Subdiaconum de nouo elegerunt. His auditis & intellectis Pontifex vtramque electionem irritandam esse decreuit.

SVMMARIVM.

1. *Electio ipso iure nulla non potest conualescere.*
2. *Accessio votorum post promulgatum decretum electionis omni iure irrita est, ideóque non potest ex post facto conualescere.*
3. *Vocula* maximè *propriè accepta non est restrictiua dicti antecedentis, sed confirmatiua.*

NOANDVM I. Si electio ipso iure nulla sit, non potest postea conualescere, accedente v. g. plurium Canonicorum consensu. Ita hîc dicitur,& constat ex reg. 29. ff. *Quod ab initio vitiosum est, non potest tractu temporis conualescere.* Sed distinguere hoc in loco oportet: siquidem duobus modis accidere potest, vt electio vel alia dispositio irrita sit ipso iure, seu ex iuris dispositione: Primò, vt nullo modo subsistat, & ne quidem naturalis alicuius obligationis effectum habeat: Tum vera est regula, eiúsque exemplum hîc habemus: Cùm enim vis Capitularis in eligendo, seu electione valida formanda, non consistat in minore parte, imò nec in mediâ parte præsentis ac suffragantis Capituli, consequens est, quòd

electio à paucioribus seu minore Capituli parte peracta, nullius omnino roboris sit, quippe destituta causâ efficiente. Secundò, electio, aliàue dispositio dicitur ipso iure (videl. positiuo) irrita, quæ licèt spectato naturali iure subsistat, tamen non subsistit in ordine ad forum externum, in quo seu ex Iudicis officio, seu petente parte, actus perinde irritari potest, acsi ab initio nihil omnino virium habuisset. Tali modo quæ ob metum grauem & iniustum peracta sunt, licèt spectato iure naturali subsistant, cùm consensus absolutè non desit, tamen secundùm Prætoriam æquitatem rescindi debent, vti docui lib. 3. Theol. moral. tr. 4. de iustit. cap. 6. n. 2.

Alienatio quoque rerum ecclesiasticarũ immobilium aut mobilium pretiosarum, quę asseruari possunt, si fiat à Prælato sine tractatu & consensu Capituli, ipso iure, videl. ecclesiastico, irrita censetur, c. si quis presbyterorum 6. iun. Gl. ver. ab initio nullas, de rebus eccles. non alienandis; non ita tamen, quòd nullam etiam naturalem obligationem pariat, si Prælato alienanti administratio tũ competebat; sed quòd talis alienatio ita rescindi possit, & plerumque debeat, ac si ab initio nullius omnino roboris fuisset: Ex quo fit, quòd eiusmodi alienatio, si ei aliud non desit, per Capituli consensum postea accedentem, omni iure conualescere, aut ratificari possit, iuxta c. 3. de ijs quæ fiunt à maiore parte Capituli: Deinde, licèt Capituli consensus non sequatur, si tamen alienatio, spectato iure naturali, iniusta non sit, & nemo ei se opponat, aut rescissionem eius petat, in conscientia tutus est is, cui alienatio, siue emptio facta est, vti præter alios docet Abb. Panorm. in c. 1. n. 19. de restit. in integrum, Nauarr. in tract. de alienat. rerum ecclesiasticarum n. 17. & dixi lib. 1. Theol. moral. tr. 4. cap. 16. in fine.

Simili ratione tradit hoc ipsum Abbas cit. n. 19. Felinus, pluribus allegatis, in c. 2. n. 4. de rescript. de actu electionis, si peracta sit secundùm ius gentium, & naturale, licèt iuris positiui conditio aliqua aut solemnitas desit, electum tutum esse in conscientia, donec electio rescindatur; quando, vt ponimus, subiectum absolutè incapax non est, & adfuit consensus eorum, qui spectato iure naturali, actum exercere possunt. Qua de re plura dixi in c. cùm in cunctis 7. §. inferiora q. 2. hoc tit. Et ibid. q. 3. ex eodem fundamento defendi Innocentij doctrinam, quòd electio, quæ ob inhabilitatem ex iuris positiui constitutione irrita censetur, v. g. propter electi irregularitatem, eâ sublatâ conualescat.

QVÆRES: Cùm electioni de Archidiacono facta à Decano & socijs eius, alij deinde plures electores accesserint, adfuit maioris partis Capituli in eandem personam consensus: Cur ergo electio eius rata censeri non potuit? Responsio indicatur in textu, accessionem votorum factam esse post promulgatum electionis decretum, quod cùm omni iure irritum fuerit, non potuit *ex post facto* (vt in textu huius c. dicitur) conualescere. Num autem electio valere possit, si post publicatum scrutinium, decreto necdum formato, eiusmodi acceptio fiat, dicam in c. quia propter 22. requis. 6. c. publicato 58. hoc tit.

NOTANDVM II. Vocula *maximè* si proprie accipiatur, non est restrictiua dicti antecedentis, sed confirmatiua. Ita sumitur ex textu huius c. iun. Gl. ver. maximè, & notauit Gl. in c. vlt. §. Porrò, vers. Si verò aliter, ver. maximè, vt lite non contestatâ, Restrictiua esset, si quis ita diceret, Contractus cum pupillo institutus valet, maximè si tutoris accedat auctoritas: Nam vt veritas huius propositionis defendatur, *tò maximè* accipi debet, vt idem sit quod dummodò. Verùm acceptio hæc rara est, & impropria, & ideo non tenenda, nisi necessitas cogat, quia alioquin iurium contradictio, vel aliud absurdum sequeretur. Confirmatiua autem est, si dicam: Valet testamentum ad pias causas cum duobus testibus, maximè si etiam publicus Tabellio adhibitus fuit: Sensus enim est, quòd cum Tabellione indubitatiùs valeat, tametsi etiam sine eo validum esset. Sic etiam in textu vsurpatum fuit; Electio celebrata à minore Capi-

tuli

tuli parte omni iure irrita fuit, ideóq; conualescere non potuit; maximè post appellationem interpositam.

NOTANDVM III. Electio, quæ omni iure statim ab initio penitus irrita fuit, dicitur interdum irritari, siue cassari, id est, irrita & cassa declarari. Ita apertè colligitur ex hoc c. in fine, ver. irritandam, & ex c. bonæ 36. & duobus seqq. hoc tit. Eodémque modo Gl. in c. cùm inter 16. hoc tit. ver. *cassata*; eam vocem interpretatur, id est, *cassa nunciata*.

QVÆRITVR. Quid sentiendum de posteriore electione facta à Cantore & socijs eius, num etiam ea ipso iure irrita fuerit? Affirmandum est; eiúsque rei duæ causæ afferri solent, quarum vtraque bona est. Prima, quia etiam posterior electio celebrata fuit à minore Capituli parte, posteaquam Decanus cum fautoribus suis, ijsq; qui postea ad eorundem vota accesserunt, in domos suas abierunt. Imò, tamesi pars maior fuisset, sed non duæ Capituli partes, non potuissent, præsertim pendente appellatione, absque alijs ad electionem procedere, prout Abb. hic annotauit n. 8.

Dicet aliquis: Priores illi, Decanus videl. & socij eius, minùs canonicè eligentes priuati fuerunt; consequenter tota eligendi facultas ad alios, quamuis numero paucióres, deuoluta fuit. Respondeo, non fuisse priuatos, cùm non elegerint personam inhabilem, seu indignam: quamuis priuari potuerint, quòd contra formam canonicam elegissent, vti constat ex c. quia propter 42. hoc tit. nam Gl. ver. priuentur, & c. quamquam 18. eod. tit. in 6.

Altera causa: Quia Cantor & socij eius Subdiaconum eligere præsumpserunt, quem potius postulare debuerant; cùm nondum emanârit Innoc. III. Papæ constitutio c. à multis 9. de ætat. & qualit. quòd licet Subdiaconum in episcopum eligere. Ita hic ex Hostiensi testatur Ioann. Andr. n. 32. c. illud ex dicto Innocentio publicatum fuisse anno octauo Pontificatûs, at verò c. à multis, anno decimo. Quod etiam annotauit Abb. antiquus hic col. 2. & 3.

CAPITVLVM XXX.

In causis.

PARAPHRASIS.

Vacante ecclesiâ Tholosanâ, Canonici conuenientes duos ex ipsis elegerunt, qui compromitterent in quinque Capitulares, per quos, post præstitum iuramentũ Episcopus eligeretur: ita, vt si concorditer vel eorum tres in personam, quæ idonea esset, consentirent, pro Episcopo absque contradictione reciperetur: Cùm autem quinque ij compromissarij à reliquis in locum proprium secessissent, & concordes esse non possent, tres eorum Episcopum Conuennarum postulandum decreuerunt, & Capitulo proposuerunt: Sed alij duo tertia abhinc die adiunctis sibi quibusdam paucis Capitularibus, Agenensem Archidiaconum elegerunt. His ita Innocentio Papæ relatis ex vna parte, ex altera videlicet Archidiaconi parte, missi nuncij responderunt; Compromissarios, quia concordes inter se non erant, sed contentiosè clamauerint, adeóque Capitulo suspecti essent, per duos Canonicos eò destinatos, Apostolicâ auctoritate à Capitulo inhibitos fuisse, ne procederent, sed ad Capitulum se conferrent, & cum alijs Fratribus siue Canonicis electionem peragerent: Huic reuocationi duo ex Compromissarijs obtemperantes ad Capitulum reuersos fuisse, alijs tribus non contradicentibus: qui licèt & ipsi ad fores Capituli peruenerint, postea tamen recessisse. Cùm autem Capitulares toto eo die aduentum ipsorum expectâssent, sequente die campanam, sicut moris est, ad congregandum Capitulum pulsari curâsse; tribus autem illis cum paucis complicibus, se absentantibus, à Priore, cum maiore & sanione Capituli parte, suprà dictum Archidiaconum electum fuisse. In hac controuersia iudicauit Pontifex, cùm postulatio Episcopi per eos facta fuerat, in quos totum Capitulũ eligendi potestatem transtulerat, non potuisse

tuisse Capitulum, quando res integra nõ fuit, sed in tractatu iam processum ab electoribus, compromissum reuocare: Et ideo subsecutam Archidiaconi electionẽ irritandam censet Pontifex; Mandat verò Abbatibus quibusdam, vt, si Conuenarum Episcopus vtilem, & necessarium esse ad regimen ecclesiæ Tholosanæ cognoscerent; & tam scientiâ, quàm exemplo bono instructum, idoneumque ad hæreses, quæ in Tholosana ecclesia per antecedentium Præsulum negligentiam miserabiliter & damnabiliter pullulârunt, extirpandas, ad dictam Tholosanam ecclesiam, propter vtilitatem & vrgentem necessitatem, transeundi licentiam tribuant.

SVMMARIVM.

1. *Capitulares compromittere possunt, non tantùm in personas certas, sed etiam incertas, ita vt vnus pluréue deliganter, per quos compromissarij nominari debeant.*
2. *Fermè vsitatum est, vt compromissum fiat in personas impares numero potest tamen etiam in pares.*
3. *Ad valorem compromissi requiritur, vt omnes Capitulares consentiant.*
4. *Concorditer fieri non inusitatè dicitur, quod fit ex maioris partis Capituli, vel alterius Collegij consensu.*
5. *Compromissarij constituti ad eligendũ, possunt etiam postulare.*
6. *Electio Prælati de die, non nocte instituí debet, nisi eiusdem necessitas cogat.*
7. *Compromissum reuocari non potest, si res integra non sit.*
8. *Neque reuocari, re adhuc integrâ, potest ab vno, vel minore parte Capitularium, alijs pluribus repugnantibus.*
9. *Scientia & rerum peritia requiritur non eadem ad quamlibet regendam ecclesiam, sed pro qualitate huius maior, minórue. Maior, vbi hæretici grassantur.*

NOTANDVM I. Capitulares compromittere possunt non tantùm in personas certas, sed etiam incertas; ita vt vnus, pluréue deliganter, per quos compromissarij nominari debeant. Ita sumitur ex hoc c. in princ. Quâ ratione etiam docent DD. in c. innotuit 12. de arbitris, quòd partes litigantes non tantùm per se ipsos arbitrũ, vel arbitros constituere possint, sed etiam eligere aliquem, per quem arbitri ipsis designentur.

NOTANDVM II. Fermè vsitatum est, vt compromissum fiat in personas impares numero; quòd id expeditius sit ad suffragiorum maioritatem, sicuti hîc apparet, & in c. cùm dilectus 32. c. cùm in iure 33. hoc tit. Compromitti tamen etiam potest in numerum parem, sicuti apparet in c. cùm in veteri 52. eod. tit. vbi in sex personas compromissum est. Habentur hæc l. Item si, 19. §. Principaliter, ff. de arbitris.

NOTANDVM III. Ad vim & valorem compromissi requiritur, vt omnes Capitulares consentiant, vti ex hoc c. colligitur, ver. singulis; & docui suprà in cap. cùm Vintonienſis not. 2. quòd quilibet contradicere possit, ne fiat compromissum; Sed quid si vnus, vel pauci expressè non consentiant, nec contradicant, cùm possent contradicere, num taciturnitas pro consensu reputabitur? Negat Abb. hic num. 3. quòd res sit magni præiudicij: Sed non satis intelligo magnitudinem præiudicij, si pars maior, potior, & sanior, nemine contradicente, iudicet vtile fore, si in aliquos compromittatur; Et ideo contrarium censeo probabile. Videri possunt quæ docui lib. 1. Theol. moral. tr. 2. cap. 3. n. 3.

NOTANDVM IV. Propriè & strictè loquendo, concorditer fieri dicitur, in quo omnes consentiunt, prout hîc apparet, in princ. c. & annotauit Gl. in c. cupientes 16. ver. concordem hoc tit. in 6. Latiùs tamen & non inusitatè concorditer fieri etiam dicitur, quod fit ex maioris partis Capituli, alteriúsue Collegij consensu, si pars minor iustam contradicendi causam non habeat, vti constat ex cap. 1. iun. Gloss. in notandis.

dis, de ijs quæ fiunt à maiore parte Capituli, & admonet Gl. in c. vbi periculum 3. hoc tit. in 6. Et hæc acceptio plerumque præferenda, nisi ex adiunctis aliud colligi debeat, vt si requiratur *plena concordia*, secundùm Gl. margin. in cit. c. vbi periculum.

5 NOTANDVM V. Si constituantur compromissarij ad eligendum, possunt ij etiam postulare. Ita hîc habetur, & tradit Gl. recepta ver. postulatio, & habetur in c. quod trâslationem 11. iun Gl. ver. liberam, de renunc. Nam electio & postulatio, tanquam ad vnum finem tendentia, in iure æquiparantur.

6 NOTANDVM VI. Electio Prælati non de nocte, sed de die instituì debet. Ita colligitur ex hoc c. quando dicitur, Capitulares cùm totadie expectassent, electionẽ in diem sequentem distulisse. Idque ex communi docet Gl. in c. vn. ver. occulta, vt ecclesiastica beneficia sine diminut. conferantur, ibid. Abb. n. 8. Nauar. in consil. 8. hoc tit. Rodriq. tom. 2. regul. qq. q. 52. a. 15. imò Gl. cit. quam multi sequuntur, existimant electionem instituendam secundùm formam c. quia propter, irritam fore, si de nocte celebrata sit: Verùm cùm hæc pœna nullibi expressa legatur, arbitror rescindi posse, tanquam non canonicè factam. Sed excipi debet cum Rodriq. cit. loco, nisi euidens necessitas cogat, electionem de nocte celebrari: nam necessitas legi non subiacet, c. 2. de obseru. ieiunij: Tum verò luminaria adhiberi debent, vt fraudis suspicio absit: Idémque pari ratione sentiendum de actibus iudiciarijs, & aliis publicis: suspecta enim sunt, si fiunt de nocte, seu in tenebris, vti docent DD. cum suprà cit. Gl. in ver. occulta. Adde his, cum Ioanne Andr. in c. quod sicut n. 8. hoc tit. si electio de die cœpta in vesperam protrahatur, & cum solis luce absolui non possit, proximè sequente die peragendam esse, dummodò graue periculum in mora non sit.

7 NOTANDVM VII. Compromissum reuocari non potest, si res integra non sit; secùs, si res adhuc integra est. Hæc est præcipuè intenta huius c. responsio. Prior autem eius pars ostenditur in textu, quia per compromissum, totum Capitulum, nemine contradicente, vti suprà explicatum, eligendi facultatem pro ea vice in alios transtulit; ergo permittendum non est, saltem cùm res integra non est, sed potestas commissa quasi radicata in compromissarijs. Videri hîc potest Innocent. n. 4. & n. 6. vbi etiam explicat, quando res non integra dicatur, si videl. Compromissarij ad substantialia seu per se ad electionem pertinentia processerint, tractantes inter se, siue nominantes aliquem tanquam idoneum ad prælaturam: Sin autem solemnitas præparatoria duntaxat, v g. Missa de Spiritu sancto antecesserit; vel, etsi Capitulum, aliúdue conclaue electionis causa ingressi fuerint compromissarij, sed nondum tractare cœperint, res adhuc integra censetur.

Posterior autem pars traditi notandi colligitur ex hoc c. per sensum contrarium, & ratio assignari potest; quia antequam commissarij commissa, ac veluti delegata sibi potestate vti incipiant, non censetur ea in illos efficaciter transiisse, aut in ipsis esse fundata, argum. c. quamuis 6. de offic. delegati in 6. vbi hoc idem dicitur de subdelegato, cui potestas iudicandi in totum commissa fuit.

Verùm distinguere hîc oportet cum Gl. ver. cùm res non esset, Innocent. cit. n. 4. Ioan. Andr. n. 38. Anton. n. 34. Abb. n. 11. Vel enim compromissum ita fit, vt habeat rationem commissionis, delegationis, & cuiusdam mãdati, eligendi nomine totius Capituli, in publicam ecclesiæ vtilitatem; tum vera est tradita doctrina: cùm id sit proprium commissioni, seu mandato, vt re integra reuocari possit, §. rectè, Instit. de mandato. Vel compromissum fit in gratiam ipsorum compromissariorũ, in quos Capitulares pro ea vice ius eligendi liberaliter transferre voluerunt; tùm reuocari non potest, etiamsi res integra sit: quia habet rationem alicuius donationis, quæ postquam acceptata fuit, perfecta & irreuocabilis censetur, l. siue 17. C. de donat. Monent verò Ioan. Andr. & Anton. cit. locis, quòd in dubio existimandum magis sit, compromissum priore modo, non posteriore fa-

ctum fuisse, videl. ob ecclesiæ vtilitatem, non præcipuè ob compromissariorum commodum, vel honorem.

Adde, ex Innoc. hîc cit. n. 6. si electio effectum consecuta non est, quia electus acceptare noluit; aut si Compromissarij tractatum de aliqua persona instituissent, sed re infecta discesserunt: cùm enim in his casibus ad nouam electionem accedendum sit, res integra adhuc censeri debet: Quin imò, cùm electionem, postulationem promulgando, compromissarij functi sint officio suo, ideo ad alium electionis tractatum procedere non possunt, sine noua commissione. In quo differunt electores compromissarij, quippe qui non proprio iure eligunt, ab electoribus ordinariis: hi enim cùm facultatem eligendi stabilem, & veluti habituatam habeant, etsi electionem peregerint, quæ caduca sit, aut fiat, dummodo priuationem non contraxerint, ad aliam electionem procedere possunt, ac debent, vti constat ex c. officij 38. hoc tit. Simile discrimen est inter Iudicem ordinarium, & delegatum, quòd illesi malè pronunciauit, siue sententiam dixit, quæ ipso iure irrita est, v. g. die feriato, eam corrigere possit, aliter pronunciando; non item delegatus. Is enim cùm iurisdictionem quasi momentaneam habeat, postquam semel pronunciauit, siue bene, siue malè, functus est officio suo; & vlterius non potest pronunciare, l. si vt proponis 4. vbi DD. communiter, C. Quomodo & quando &c. latè Felinus in c. ex literis n. 1. de offic. Iudicis delegati.

8 Qvæstio est: Num etiam vnus, vel minor pars Capitularium, aliis pluribus repugnantibus, siue non consentientibus compromissum reuocare possint, si res integra sit? Ita affirmat Innoc. hîc n. 5. Ioan. Andr. n. 37. Quia sicuti vno solo repugnante compromissum fieri non potest, sicuti suprà dixi not. 3. ex hoc c. ver. *singulis*, & ver. *vnanimiter de consensu totius Capituli*, ita nec executioni mandari vno contradicente, si res integra sit, seu negotium necdum cœptum. Sed contrarium placet, quod docuit hic Abb. n. 16. quòd compromissum, posteaquam legitimè decretum est, mutari aut reuocari non possit, nisi ex maioris partis Capituli consensu: Quia *mutare consilium quis non potest in alterius detrimentum*, reg. 33. in 6. Cederet autem in detrimentum Capituli, si quod ab eis vnanimi consensu constitutum fuit, aliquis postea contra aliorum voluntatem retractare vellet, præterquam si ostendat compromissum ecclesiæ noxium esse, vt id meritò propter publicâ auctoritatem retractari debeat. Alioquin verò etiam publicè interest, vt quod à maiore parte Capituli decretum fuit, ratum maneat, c. 1. de his quæ fiunt à maiore parte Capituli.

Notandvm VIII. Non eadem scientia, rerúmque peritia &c. ad quamlibet regendam ecclesiam requiritur, sed maior, vbi hæretici grassantur, seu ob alias causas & circumstantias, oportet Prælatum esse eximiè doctum, industrium, aut vitæ probitate conspicuum. Ita sumitur ex hoc c. in fine, & c. scriptum 40. prope finem, ver. tanto præsulato, & c. ecclesia 57. hoc tit. vbi id annotauit Abb. n. 4. vbi ait, quòd *scientia requiritur in Prælato secundùm qualitatem ecclesiæ.* 9

CAPITVLVM XXXI.

Cùm Ecclesia.

Paraphrasis.

Cùm ecclesia Vulterana, decrescente Canonicorum numero, debito destitueretur seruitio, Episcopus quosdam de nouo elegit, atque instituit: sed eos Canonici recipere noluerunt, quòd talis electio in ipsorum præiudicium tenderet. Eapropter Episcopus querelam detulit ad Innocent. III. qui causam istam Episcopo Florentino commisit: coram quo comparens idem Episcopus Vulteranus, duos articulos proposuit: Vnus erat, vt ab iniuria sibi à Canonicis illata defenderetur: Alter, vt ius electionis sibi liberum adiudicaretur. De his articulis postea consultus Papa Innocentius, respondit; Quoad primum articulum, Canonicos absoluendos esse ab impetitione Episcopi: quia nemo

nemo iniuriam facere censetur, qui iure suo vtitur : atqui Canonici per testes melius ostenderunt, ipsos ante Episcopum in possessione iuris eligendi fuisse : ergo sine iniuria Canonicos ab Episcopo creatos recipere recusârunt. Circa alterum quoque articulum Canonicos à petitione Episcopi esse absoluendos, præsertim, si notorium sit, in Tuscia generalem esse eam consuetudinem, vt in Cathedralibus ecclesiis Canonicorum electio ad solum Capitulum, irrequisito Episcopo, spectet.

SVMMARIVM.

1. *Si numerus Canonicorum, aliorúmue Conuentualium notabiliter minuatur, ecclesia debito obsequio, seu seruitio destitui censetur: & ideo alij de nouo, iuxta antiquam consuetudinem, consideratis etiam ecclesiæ facultatibus creari debent.*
2. *In eodem libello cumulari potest iudicium possessorium, ac petitorium.*
3. *Qui electum vel prouisum ab eo, qui in possessione eligendi vel prouidendi est, admittere nolunt, turbant eius possessionem.*
4. *In iudicio possessionis, vel quasi possessionis retinendæ is possidere debet, qui antiquiorem possessionem probat, si pro noua possessione titulus iustificari non possit.*
5. *De iure etiam communi creatio Canonicorum, vti & aliorum beneficiariorum institutio ad Episcopum spectare videtur, adhibito tamen consilio & consensu Capituli.*

Nisi præbendæ canonicales ex communibus ecclesiæ bonis institutæ sint; tunc enim creatio Canonicorum ad Episcopum & Capitulum pertinet.

1 NOTANDVM I. Si numerus Canonicorum, aliorúmue Conuentualium notabiliter minuatur, ecclesia debito obsequio, seu seruitio destitui censetur; & ideo alij de nouo, iuxta antiquam consuetudinem, consideratis etiam ecclesiæ facultatibus, creari debent, vti ex hoc c. colligitur, & c. cùm M. 8. vbi id docui, de constit. c. ex parte 10. iun. Gl. fin. de concess. præb. Tametsi verò, vt in eod. c. ex parte, habetur, præbendæ vacare non censeantur, si ecclesia non numerata, siue Canonicorum aut Conuentualium numerus determinatus non sit, & ideo prouidendi potestas, propter negligentiam non prouidendi tempore semestri, ad Superiorem ipso iure non deuoluatur; potest tamen Superior tempus definire, intra quod Canonici, aliiue ministri, aut Conuentuales instituti debeant; atque negligentibus ijs, ad quos pertinet, ipsemet prouidere, argum. c. irrefragabili l. 3. §. excessus, de offic. Ordinarij, & ex Hostiensi annotauit Abb. hic n. 7. Anton. n. 18.

NOTANDVM II. Nomen electionis interdum accipitur impropriè, vt idem sit quod creatio Canonici, seu collatio canonicatûs. Nisi malis dicere cum Anton. hîc n. 5. Quòd Capitulum habuerit ius eligendi Canonicos, postea ab Episcopo confirmandos: Episcopus autem negabat Canonicis hoc ius, asserens electionem istam, & consequenter institutionem ad se pertinere.

NOTANDVM III. In eodem libello cumulari potest iudicium possessorium, ac petitorium. Ita sumitur ex hoc c. & notant Anton. Abb. Baldus circa Gl. fin. hic, & habetur in c. 2. & 3. iunctis Glossis in notandis, de causa possess. & propriet. Questus inprimis Episcopus fuit, se in possessione creandi Canonicos à Capitulo molestari, dum à se electos admittere recusabat, petens se ab hac iniuria defendi: Proposuit itaque interdictum possessionis, seu quasi possessionis retinendæ. Deinde verò egit iudicio petitorio, seu confessoria actione, vt ipsi aduersus Capitulum ius creandi Canonicos adiudicaretur, prout cit. locis Anton. Abb. & alij annotârunt. 2

NOTANDVM IV. Qui electum, aut prouisum ab eo, qui in possessione eligendi, aut prouidendi est, admittere nolunt, negantes ius competere electori &c. turbant possessionem eius. Ita sumitur ex textu huius c. & notauit hîc Anton. in fine, Turbari enim 3

consetur possessor, si in fructuum perceptione impediatur: At verò electio, vel collatio beneficij veluti fructus est potestatis, aut officij alicuius: Ergo si in eo vsu, exercitio, & quasi vsu potestatis quispiam impediatur, quasi possessio eius turbari dicitur. Addit Anton. eodem in loco; Etiam tunc turbationem fieri, si electus minis terreatur, ne electioni consentiat: cùm & in hoc casu impediatur, ne electio effectum suum consequatur. Cæterùm (vt in eod. c. rem istam examinando respondit Innoc. Papa) hæc intelligi debent de bonæ fidei possessore, siue cuius possessio colorari, vel iustificari possit: Sin autem possessio vitiosa, & malè vsurpata videatur, tum non attenditur huiusmodi turbatio, nec pro possessore nouo, agente interdicto possessionis retinendæ, pronunciari debet, sicuti mox dicam in seq. not.

4 NOTANDVM V. In iudicio possessionis, aut quasi possessionis retinendæ, is obtinere debet, qui antiquiorem possessionem probat, si pro noua possessione titulus iustificari non possit, sed maiores & liquidiores probationes pro parte aduersaria (etiamsi ea in possessione tunc non sit) existant. Ita sumitur ex textu c. & similis habetur decisio in c. licèt causam 9. de probat. vbi DD. communiter. Ratio dari debet, quia in hoc casu possessio noua præsumitur vitiosa, iuxta l. vlt. C. de acquir. possess. & l. siue 16. C. de probat. Et ideo per interdictum. *Vti possidetis, ita possideatis*, stabiliri & confirmari non debet cit. c. licèt causam.

Pro praxi, colligitur decisio casus; Capitulum ecclesiæ Collegiatæ per annos plurimos fuit in quieta & colorata possessione creandi Canonicos: postea autem Episcopus vsurpauit collationem canonicatus: Canonici tum contrà protestati sunt; aut ob errorem, vel metum contradicere intermiserunt; saltem voluntariè non consenserunt; Hoc in casu, qualis qualis possessio noua Episcopi proficere non debet, vt sequente etiam vice, si nouus Canonicus ab Episcopo instituatur, Capitulum eum recipere, atque adeò possessionem Episcopi stabilire teneatur. Quod vel maximè locum habet in causa ista beneficiaria, propter vitandum intrusionis periculum, quod instituendi contraherent, quando Episcopi possessio colorata non est, siue Episcopus bonæ fidei possessor non existit; ideóque ab ipso facta institutio, seu collatio valida non est, prout docet Glossa & DD. in c. consultationibus 19. de iure patron. Anton. hîc num. 24. dicens, quòd *possessio recens, vbi constat de antiquiore possessione, non dat validum actum electionis.* Videri possunt quæ dixi in c. querelam 24. not. 2. hoc tit.

QVÆRITVR hîc cum Gl. ver. postulauit, ad quem spectato communi iure, creatio Canonici in ecclesia Cathedrali pertinere debeat, ad Episcopum ne, an Capitulum, vel vtrumq; simul. Dico spectato communi iure, quia iure speciali consuetudinis aut statuti constat electionem siue creationem Canonicorum, pertinere posse ad solum Capitulum, irrequisito Episcopo, vti in hoc c. apparet. Vel vice versa, ad solum Episcopum, vel ad Episcopum & Capitulum simul, iuxta c. 9n. Ne Sede vacante, in 6. Respondeo; Spectato communi iure, creatio Canonicorum, sicuti & aliorum beneficiariorum institutio ad Episcopum spectare videtur, iuxta c. cùm ex iniuncto 12. in fine, de hæret. & c. 1. de capellis Monachorum. Nam cura ecclesiarum & ecclesiasticorum beneficiorum Episcopo demandata est, c. 2. de præb. in 6. c. regenda 4. causa 10. q. 1. c. omnes basilicę 10. c. nullus 11. causa 16. q. 7. adhibito tamen consilio Capituli, imò pleriq; & nō improbabiliter existimant, in hoc casu opus esse consensu Capituli; cùm ipsius etiam propriè interfit, quales Canonici & Fratres associentur.

Excipi debet; Si præbendæ canonicales ex communibus ecclesiæ bonis institutę sint, tum æquum est, & iuri etiam communi consentaneum, vt creatio Canonicorum simul ad Episcopum, & Capitulum pertineat, prout hîc Anton. annotauit n. 21. Imola n. 5. Abb. n. 8. qui addit, in dubio præsumendū esse, præbendas, si patronum non habeant, ex communibus bonis institutas esse: Sin autem præbendæ patronatæ sint, tum ad præsentationē patroni, instituere ad Episcopum pertinet.

No-

NOTANDVM VI. Tametsi generalis prouinciæ consuetudo aduersus ius commune præscripta extendi non debeat ad ecclesiam aut locum, in quo ea non viget, quia præscriptio, cùm sit iuris derogatoria, extendi non debet; si tamen de iure speciali probationes seu documenta aliæ adsint, confirmationem ea accipiunt ex aliarum ecclesiarum prouinciæ consuetudine. Ita sumitur ex hoc c. in fine: Cùm enim Capitulum alias probationes de iure suo Canonicos, irrequisito Episcopo, creandi attulisset, in cõfirmationem, maiorémque præsumptionem æstimat Pontifex, quòd eadem in Tuscia generalis consuetudo seruetur. Videri possunt quæ dicentur in c. super eo 22. de censibus.

CAPITVLVM XXXII.

Cùm dilectus.

PARAPHRASIS.

Vacante ecclesiâ Morinensi, ex vna parte propositum fuit Innoc. III. Papæ, quòd Capitulares ex vnanimi consensu in tres eiusdem ecclesiæ Canonicos compromiserunt, tali formâ, vt, exquisitis voluntatibus singulorum Capitularium, aliquem ex gremio ecclesiæ suæ eligerent: Quam formam Compromissarij secuti, Archidiaconum elegerunt: De cuius persona non minùs, quàm de forma electionis, Metropolitanus, inquisitione factâ, speciatim, num ætatem sufficientem haberet (de eo enim dubitatum fuerat) electionem solemniter confirmauit. Verùm ex aduerso oppositum se B. Canonicus, quòd Compromissarij formam compromissi non seruârint; Fuisse enim constitutum, vt Capitulum eum recipere deberet, quẽ ab omnibus, aut à maiore & saniore parte nominatum, Compromissarij elegissent: Sed dictos Compromissarios Archidiaconum, quem pauci duntaxat ex Capitulo nominârant, eligere præsumpsisse. His coram Pontifice propositis, mandat is Iudicibus delegatis, vt à contradictoribus istis exacto iuramento, quod dici solet *de malitia*, id est, non malitiosè litem Episcopo moueri; tribus verò Compromissarijs iniuncto iuramento *de veritate dicenda*, quotnam ex Canonicis dictum Archidiaconum, Episcopum ab ipsis electum, nominârint; si omnes tres, aut saltem duo eorum iurati dixerint, maiorem Canonicorum partem in Archidiaconum consensisse, contradictoribus illis silentium imponant; eò quòd ipsorum testimonia, quippe singularia, ad probationem non sufficiant. Sin autem ex eorundem Compromissariorum depositionibus constiterit, Archidiaconum à paucioribus nominatum fuisse, tunc, si Canonici intentum suum sufficienter ostenderint, videl. formam compromissi fuisse eam, vt is eligatur, in quem maior & sanior pars conuenerit, electio Archidiaconi cassetur (id est, nulla pronuncietur, interprete Glossa) Alioquin verò, si id ostensum non fuerit, dicta electio rata habeatur, & contradictores per ecclesiasticam censuram compescantur: B. autem præbendâ Morinensis ecclesiæ priuetur: quandoquidem ad hanc pœnam se obligauit, si in probatione deficeret. Nihil autem obstare debet, quod de ætatis defectu obiectum fuit: cùm idem B. contradictor huic obiectioni, non multùm institerit; & super hoc à Metropolitano iudicatum fuerit; cuius proinde sententia in rem iudicatam transijt, cùm intra decem dies ab eâ appellatum non fuerit.

SVMMARIVM.

1. *Potestas eligendi per compromissum interdum committitur absolutè, interdum limitatè, & cum restrictione, v. g. vt vnus ex Capitularibus eligatur.*
2. *Etiam in causâ beneficiaria sententia transit in rem iudicatam, si ab eâ intra decem dies appellatum non fuerit.*
3. *Si actor vel accusator se obligauit ad certam pœnam, nisi probauerit, ad eam euitandam requiritur sufficiens probatio; imperfecta & semiplena non ex-*

cusat, licèt excuset à pœna legali.

4. *Testes cæteroquin inidonei aut suspecti admittuntur interdum propter necessitatem, quia alij haberi non possunt.*

1 NOTANDVM I. Potestas eligendi per compromissum interdum committitur absolutè: Tum verò omnis eligendi potestas à Capitularibus in Compromissarios translata censetur; ita vt quamcunque personam idoneam, etiamsi ex gremio ecclesiæ non sit, eligere suo arbitratu possint, vti hîc docet Gl. ver. gremio, Anton. n. 12. & alij ex c. in causis 30. hoc tit. Interdum verò committitur limitatè, siue cum restrictione v. g. vt vnus ex Capitularibus eligatur, vt hîc, & in c. seq. Aut vt aliquis eligatur, qui non sit ex Compromissarijs; vel vt is eligatur, in quem secretò exquisitis voluntatibus singulorum, maior & sanior eorum pars consenserit, vt hîc, & in c. si qui, 23. eod. tit. in 6. Cæterùm in hoc posteriore casu adeò restricta est Commissariorum potestas, vt censeri debeant electores ministeriales, quippe pendentes à voluntate & determinatione Capitularium, prout hîc Abb. notauit n. 3. & videri possunt, quæ dixi in c. cùm terra 14. not. 2. hoc tit.

2 NOTANDVM II. Etiam in causa beneficiaria, si à sententia intra decem dies appellatum non sit, transit ea in rem iudicatam, vt postea opponere se volens, audiendus nō sit, c. quod ad consultationē 15. de re iudic. Id verò intelligi debet, vt excludatur contradictor, in proprium præiudicium; Non item in præiudicium ecclesiæ; aut in præiudicium animæ, si peccati periculum immineat, argum. c. lator 7. de sent. & re iudicata. Itaque nihilominus poterit quispiam Iudici denunciare, aut querelam proponere, ad impediendum peccatum, & ecclesiæ damnum, propter intrusionem malè promoti, iuxta c. constitutis 46. de appellat. & tradit Innoc. in c. ad aures n. 8. de rescript. Anton hîc n. 20. Sed & iudex ex officio in tali casu, videlicet post appellationem desertam, procedere potest contra non canonicè electum, aut institutum, vt in beneficio, aut prælatura non permaneat, c. constitutus 45. de appellat. & ex communi notauit Abb. hîc n. 5. Videri possunt quæ docui lib. 3. Theol. moral. tr. 6. cap. 6. n. 4.

NOTANDVM III. Si actor, seu accusator obligauit se ad certam pœnam, nisi probauerit, ad eam euitandam requiritur probatio sufficiens; imperfecta autem, siue semiplena probatio, aut quælibet coniectura, qualem hîc B. habuit per testes singulares, non excusat, prout colligitur ex hoc c. prope finem, & annotauit Abb. n. 8. Sed ad pœnam legalem euitandam sufficit, si accusator imperfectè, aut per bonas coniecturas rem ostenderit, iuxta c. 1. §. vlt. hoc tit. in 6. 3

NOTANDVM IV. Testes, qui alioquin tanquam minùs idonei, aut suspecti, repelli deberent, admittuntur interdum propter necessitatem, quia alij haberi non possunt, argum. l. consensu 8. C. de re iudijs, & notauit Gl. hîc ver. etsi tres, Th. Sanchez allegato hoc c. lib. 1. de matrim. disp. 71. n. 12. Nam cùm in casu huius c. Compromissarij arguerentur, quòd contra formam compromissi, non habito maioris partis Capituli consensu, elegissent, ijdem quasi in propria causa admittuntur, vt iurati dicant, quosnam ex Capitularibus Archidiaconum nominarint; quandoquidem alij non aderant, cùm exquisitio voluntatum in secreto facta fuerit.

CAPITVLVM XXXIII.

Cùm in iure.

PARAPHRASIS.

Cuiusdam ecclesiæ Capitulum compromisit in septem ex suis Canonicis hac formâ, vt quem omnes, vel maior pars Compromissariorum, siue vnū ex seipsis, siue alium ex gremio ecclesiæ elegerint in Decanum, Capitulum recipere teneatur. Accidit autem, vt tres Compromissarij nominarent Titium, qui & ipse ex septem vnus erat: alij verò tres nominarent alium Canonicum, non ex numero Compromissariorum: hoc in casu quæsitum fuit,

fuit, vter horum assumi debeat in Decanum. Respondet Innoc. III. Papa, Titium, si electioni de se factæ consentiat, & canonicum non obstet impedimentum, Decanum esse oportere.

SVMMARIVM.

1. *Fieri potest in compromisso, vt vnus Compromissariorum alijs ante ipsum eligentibus, à quibus nominatus est, consentiendo numerum augeat; & ita electionem de se corroboret.*
2. *Idem fieri potest etiam in alijs electionibus, in quibus forma scrutinij non obseruatur.*
3. *Etsi in compromisso non exprimatur, vt Compromissarijs liceat vnum ex seipsis eligere, idipsum tamen illis licebit.*

1 NOTANDVM Vn. Fieri potest in compromisso, vt vnus Compromissariorũ alijs, à quibus nominatus est, consentiendo numerum augeat, & ita electionem de se corroboret. Ita sumitur ex hoc c. & l. plane 4. vbi id tradit Gl. ver. potest, ff. Quod cuiusque vniuersitatis &c. docet Innoc. hîc n. 1. Ioann. Andr. n. 8. Anton. n. 34. Abb. n. 5. Imola n. 2. Ioann. Calderinus n. 12. contra Gl. hîc ver. consentiat. Tametsi enim is, qui seipsum eligit, ambitiosus censeatur, ideoq; indignus, c. scripturis 9. causa 8. q. 1. tamẽ qui electioni de se ab alijs factæ consentit, ambitiosus iudicari non debet; quare si is quoque ius eligendi habeat, consentiendo eligere seipsum, siue potiùs coëligere non prohibetur. Etenim in hoc casu electio ortũ non habet ab ipsomet, qui eligitur (nemo enim oritur à seipso) sed ab alijs: quare electus principaliter se non eligit, sed tantùm accessoriè, &, vt dixi, coëligit, prout hîc Imola n. 6. & alij supra cit. notarunt.

Quædam tamen hoc in loco aduertenda sunt: Primum Huic electioni, seu coëlectioni duntaxat locum esse, si alij ante ipsum coëlectorem elegerunt. Sin autem aliquis nondum auditis aliorum electorum suffragijs seipsum nominaret, tanquam ambitiosus adeóque indignus, repellendus foret, Cæterùm Gl. hîc ver. consentiat, Abb. n. 4. circa finem non malè admonent, si Titius alium elegerat, & subsequentes in ipsum consentiant, quòd reuocare possit suffragium suum, atque electioni de se factæ consentire. Semper tamen necessarium est ad hanc coëlectionem, vt accedente suffragio coëlectoris, maior eligentium numerus pro ipso sit. Ponamus, exempli causâ, esse sex electores, atque duos eorum eligere Titium, qui & ipse ex electoribus est, tres alios verò vota sua in Caium dirigere, tum Titius se ipsum eligere non potest. Sin autem septem electores sint, tum tribus eligentibus Titium, is consentire, & electionem stabilire, seu ratam facere potest. Similiter, si tres tãtùm electores sint, & vnus nominet Titium electorem, is consentiẽdo præualebit Caio, quem tertius elector nominauit. Multò verò magis, si duo tantùm sint electores, & vnus alterum nominet, is consentiendo electionem ratam efficiet. Quòd si denique in vnicum compromissum fuerit, quamuis plenissimo modo, vt quemcunque idoneum, aut qui maximè idoneus videatur, Compromissarius eligat, ipsemet tamen exceptus videri debet, sicuti Gl. recepta hîc ver. ex se annotauit; cùm absurdum sit, vt aliquis seipsum directè eligat: cùm inter dantem & accipientem debeat esse distinctio personarum, c. vlt. de Institut. c. per nostras 26. de iure patron. Videri potest Azor tom. 2. Institut. lib. 4. cap. 5. quæst. 8.

Alterum. Tradita hîc doctrina non tantùm in compromisso locum habere potest, sed etiam in alijs electionibus, in quibus forma scrutinij tradita in c. quia propter 42. hoc tit. non obseruatur, prout iterum dicam in seq. c. & ex communi docet Mol. tr. 2. de institut. disp. 592. n. 13. At verò secundùm formam scrutinij, cùm suffragia secretò dari, & nomina suffragantium publicari nunquam debeant, non videtur electus à medietate Capituli suam electionem per consensum corroborare posse, prout hîc notat Gl. in ver. consentiat, Abb. n. 5. Imola 2

n. 5.

n. 5. Gl. item in c. Cumana 50. ver. ad maiorem partem hoc tit.

3 Qvæstio est, Si in compromisso nō exprimatur (prout hîc expressum fuit) vt Compromissarijs vnum ex se ipsis eligere liceat, vtrùm nihilominus id ipsum concessum sit? Negat hîc Gl. ver. ex se, Syl. ver. electio 2. n. 21. Sed Innoc. hîc n. 1. Abb. n. 4. Imola n. 3. rectè contrarium docent. Quia nemini officium suum damnosum esse debet. Esset autem damnosum Compromissarijs, & sæpe etiam ipsi ecclesiæ, si iure electionis passiuæ per compromissum priuarentur. Neque ratio Gl. quidquam vrget, *quia à se ipso videtur electus*: Non enim Compromissarius à se, sed à socio, aut socijs eligitur, licèt ipse consentiat, vt suprà explicatum.

Exinde colligunt DD apud Abb. cit. n. 4. Rodriq. tom. 2. regul. qq. q. 70. a. 4. Si testator iusserit pecuniam pauperi dari, & duos executores posuerit, quòd eorum vnus nominare possit alterum, si is verè pauper sit, & legatum accipere velit. Nam hoc in casu executor iste pauper non censetur in propria causa auctoritatem præstare (quod iure prohibitum est) sed alteri præstanti consentire. Quâ ratione Vlpianus in l. pupillus 4. ff. de auctor. tutorum, respondit, Pupillum obligari non posse tutori, ipso auctore; sed si plures sint tutores, vno auctoritatem præstante, pupillum alteri posse obligari.

Sed ponamus, vnicum executorem nominatum esse à testatore, qui pecuniam v. g. pauperibus dare debeat, potéstne se ipsum eligere, si verè pauper sit? Affirmat Sanchez lib. 6. moral. cap. 11. n. 53. Sed alij plerique negant, Baldus hîc n. 6. Abb. Rodriq cit. locis, Syl. ver. testamentum 2. q. 2. dicto 5. Respondendum videtur, id pendere ex voluntate testatoris, rationabiliter præsumpta. Si enim iusserit vnum aliquem pauperem ab executore eligi, cui pecuniæ certa summa, aut annua pensio, alimentorum loco tribuatur, non potest executor seipsum eligere; eùm talis electio manifestè repugnet intentioni testatoris. Sin autem executori iusserit, vt certam pecuniæ summam inter pauperes, pro cuiusque conditione ac necessitate, distribuat, tum, si ipsi executori specialiter nihil relictum sit, partem aliquam legati, tanquam pauper, eodem iure quo alij, accipere non prohibetur: ne officium illi suum damnosum sit. Quâ eâdem omnino ratione de eleëmosynario respondit S. Thomas in 2. 2. q. 33. a. 9. ad 3.

CAPITVLVM XXXIV.

Venerabilem.

Paraphrasis.

Cùm discordia esset in Germania circa Imperatoris electionem, quia alij Ottonem Saxoniæ Ducem, alij Philippum Sueuiæ Ducem, alij denique, quamuis pauci, Fridericum Siciliæ Regem, dicti Philippi ex fratre Henrico nepotem elegerant; Innocentius III. Papa Prænestinum Episcopum in Germaniam misit, qui improbatâ Philippi electione, imperium Ottoni stabiliret: Tunc Principes, qui Philippo adhæserunt, in hunc modum questi sunt: Vel Legatus Sedis Apostolicæ electoris personam gessit, vel cognitoris seu iudicis: Si electoris, tum falcem mittens in messem alienam, ius electionis sibi vsurpauit, quod Imperij Principibus competit. Si cognitoris, tum non rectè processit, quando parte alterâ non citatâ, sententiam tulit. Ad hæc respondet Innocentius, agnoscere se, ius eligendi Regem Rom. in Imperatorem postea promouendum, ad Germaniæ Principes de iure, & antiqua consuetudine pertinere, & quidem ex Sedis Apostolicæ benignitate, quæ Imperium Romanum in persona Caroli à Græcis transtulit in Germanos; Vicissim verò etiam Principes Germaniæ agnoscere, quòd ad Roman. Pontificem pertineat ius & auctoritas examinandi personam electam, ad Imperium promouendam; cùm etiam eam inungat, consecret & coronet: Notum enim est ad eundem pertinere examinationem perso-

næ, ad

næ, ad quem & manûs impositio. Quid enim? si Principes sacrilegum aliquem, excommunicatum, fatuum, hæreticum, aut paganum eligerent, num Pontifex eum consecrare, aut coronare deberet? Quare ad obiectionem Principum ait: Legatum nec electoris, nec cognitoris personam; sed denunciatoris officium gessisse, quia Philippum Sueuiæ Ducem denunciauit ac declarauit indignum; Ottonem autē Regem idoneum ad Imperium obtinendum. Quamuis præter hanc indignitatis causam, etiam aliæ non desint rationes, cur contra Philippum pro Ottone declaratum sit: siquidem plures ex ijs, quibus de iure ac consuetudine ius eligēdi competit, in Ottonem consenserunt: At verò Philippi Ducis fautores, alijs absentibus & contemptis eligere præsumpserunt: electioni autem vel vnius contemptus plùs obstat, quàm contradictio multorum: & ideo Pontifex iustitia exigente, *non* Philippum Ducem, sed Ottonem *reputat* ac nominat Romanorum regem. Accedit quoque, quòd Rom. Pontifex in electorum discordia, si post admonitionem, tempore competente expectauerit, alteri parti fauere possit, eiúsque electionem approbare; præsertim cùm etiam vnctio, consecratio, & coronatio à Rom. Pontifice peti soleant: idque tum iure patet, tum exemplo. Si enim Principes admoniti & expectati vel nolint, vel non possint inter se consentire, num ideo Sedes Apostolica aduocato & defensore carebit? Notum etiam est, cùm Lotharius & Conradus in discordia electi fuissent, Lotharium à Rom. Pontifice coronatum fuisse, Imperiúmque obtinuisse. Porrò impedimenta, ob quæ Philippus Imperio indignus declaratus fuerit, plura & notoria sunt. Primum, quòd in excommunicatione electus fuerit, quam Cælestinus III. ob inuasionem patrimonij S. Petri ipsi infixit, eámque censuram ipsemet postea agnouit, quando per destinatum nuncium absolutionem petijt. Alterum, quia periurij crimine obstrictus erat: Iurauerat enim Henrico fratri de filio eius Friderico ad Imperium promouendo: sed eo non obstante, Imperium ipsemet vsurpare, per ambitionem, præsumpsit. Neque verò excusationem prætendere potest, iuramentum illud de eligendo Friderico illicitum fuisse, ideóque non obseruandum; quia de hac ipsa quæstione priùs Sedem Apostolicam consulere debuisset, quàm contra iuramentum temerè ageret. Tertium, quia Philippus, eiúsque maiores & agnati ecclesiá Romanam persecuti sunt, ac proinde ingratos se, & indignos nouo beneficio præbuerunt. Denique, si Philippus Imperium obtineret, videri is posset iure successionis obtinuisse, & sublata Principibus eligendi libertate, ceteris Imperium consequendi spes ac fiducia imposterum præcisa esset: Etenim Fridericus Ænobarbus Conrado Patri ex familia de Staphen Sueuiæ Duci in Imperio successit. Friderico autem Henricus filius; Quòd si iam Philippus eiusdem Henrici frater, eóque defuncto, fortasse nepos eius ex Henrico Fridericus iunior sufficeretur, videri posset, non sine præiudicio Principum, de familia Ducum Sueuiæ quasi necessariò aliquis ad Imperium assumendus. Quare mandat Innocentius Thuringiæ Duci (ad quem hæ literæ scriptæ sunt) vt à Philippo recedat, & Ottoni Regi adhæreat, non obstante fidelitatis iuramento, si quod illi præstitit: Cùm enim Dux Philippus ab imperio obtinendo repulsus sit, consequenter cessare debet obseruatio iuramenti, quod ei vt futuro Imperatori factum fuit.

Svmmarivm.

1. *Imperium Occidentale à Græcis ad Romanos in persona Caroli Magni translatum est.*
2. *Ius eligendi Romanorum Regem, in Imperatorem postea promouendum, Germaniæ Principibus competit ex Sedis Apostolicæ concessione.*
3. *Septem Principes Electores non institu-*

ti fuerunt ante tempora Innocentij IV.

4. *Quo ordine Electores Principes sua vota edicere debeant.*
5. *Habent hi ius non tantùm eligendi Regem Romanorum, sed etiam Imperatorem.*
6. *Intra quod temporis spatium, si corona Imperij vacet, electio Imperatoris perfici debeat.*
7. *Ex qua natione, & in quo dignitatis gradu constitutus eligi debeat in Imperatorem.*
8. *Missus, vt latam iam sententiam denunciet, iudicis personam sustinere non potest, sed meram executionem exhibet.*
9. *Ad summum Pontificem pertinet de qualitatibus Imperatoris electi inquirere; eundem, si dignus & idoneus sit, confirmare, seu electionem eius approbare, eundem vngere, consecrare, & coronare.*
10. *Electores Principes indignum eligentes pro ea vice priuati iure eligendi non sunt, sed ad aliam electionem transire debent. quòd si nolint, vel diu cunctentur, electio ad Rom. Pontificem deuoluitur.*
11. *Si eligant eorum etiam plures indignum, electio personæ dignæ, quamuis ea fiat à paucioribus, præualere debet, & approbari.*
12. *Electio excommunicati in Imperatorem ipso iure irrita est.*
13. *Si Electores secundùm maiora suffragia non conueniant, post admonitionem & competentis temporis interpositi expectationem Papa potest electo, cui vult, gratificari, eumque confirmare.*
14. *Si duo in discordia electi sint Imperatores, ambo imperium administrare non debent, spectato iure communi, ipsius q. aureæ Bullæ constitutionibus.*
15. *Vacante Imperio Rom. ad quem eius administratio pertineat?*
16. *Institutio Imperatoris ad eum finem propriè refertur, vt sit patronus ac defensor Catholicæ fidei, & Ecclesiæ Christi, ac Sedis Apostolicæ Romanæ.*
17. *Petens absolutionem ab excommunicatione, vel aliâ censurâ, eò ipso se eâ ligatum fuisse fatetur, nisi petita sit ad cautelam tantùm, & maioris securitatis causa.*
18. *Examen & decisio quæstionis de iuramenti valore & obligatione ad Prælatos ecclesiasticos, maximè Rom. Pontificem spectat.*
19. *Non expedit, vt in libera electione Regis, aut Imperatoris ex eâdem familiâ longissimo tempore aliquis eligatur. Potest tamen interdum esse iusta, & vtilis Reipublicæ causâ perpetuanda electionis.*
20. *Iuramentum alicui præstitum tacitas in se conditiones habet, v. g. saluo iure & auctoritate Superioris, si res in eodem statu permanent.*

NOTANDVM 1. Imperium occidentale à Græcis ad Germanos in personâ Caroli Magni translatum est, videl. à Leone III. Pontifice Anno Christi exeunte DCCC. in die Natalis Domini, vti inter alios testatur Paulus Diaconus lib. 23. rerum Romanarum, Rhegino Vrspergensis Abbas, Sigebertus in Chronico Anno 801, Kranzius lib. 2. hist. Saxon. cap. 18.

Dicitur autem in textu huius c. Imperium dum in Carolum magnum translatum fuit, in Germanos fuisse translatum, non ideò quia Carolus natione Germanus fuit: quandoquidem & in Germania natus sit, prope Moguntiam, teste Kranzio lib. 2. Saxoniæ cap. 8. Rhenano lib. 2. rerũ Germanic. Panuinio lib. 2. Rom. Imperator. Anno 744. & ex patre Pipino genitus origine & sanguine orientalis Francus. Nam Franci Orientales Rheno traiecto Gallias occuparunt, vti videre licet apud Baron. Anno Christi 456. Surium in Actis S. Genouefæ Virginis; & postea Regem sibi statuerunt Clodoueum, siue Ludouicum I. Francum, qui & Christi fidem suscepit Anno Christi 499. vti videre licet apud Sigebertum in Chronico, Anno 499. Baronium in eundem Annum, Surium in vita S. Remigij Episcopi die 13. Ianuarij. Ab eóque tempore

pore semper ex orientalium Francorum gente reges creabantur, secundùm vniuersi populi suffragia & postulationem: Iique Reges cùm Galliæ, tum Germaniæ imperabant, vsque ad Ludouicum Arnolphi filium, qui ex Carolinorum Regum Franciæ sanguine, vltimus Rex fuit, teste Vrspergensi in Chronico Anno 914. Nauclero in Chronico volum. 3. generat. 31. Rhenano lib. 2. vbi de regno Germaniæ, Rob. Bellarm. lib. 2. de translat. Imperij cap. 1. & 2. Id verò considerantes Franci Orientales & Saxones, atque indecorum arbitrantes, quòd in Gallijs deficiente Carolina stirpe, Regi alicuius Gallorum non ex Carolina familia, aut ex Francorum orientalium, siue Germanorum gente subesse deberent, Anno Christi 912. Regem Germaniæ creârunt Conradum Franciæ Ducem, eóque mortuo, cùm Henricum filium Ottonis Saxoniæ Ducis filium ad Imperium prouehere vellent, is contentus Regis titulo, Imperatoris nomen ac honorem assumere recusauit; donec eo mortuo, filius eius Otto magnus Germaniæ Rex, demum etiam Imperator à Saxonibus & Francis constitutus fuit, primus inter Saxones Romanorum Imperator: Quamquam & ipsi Saxoniæ Duces à Carolinis secundùm muliebrem stirpem descenderint. Videri potest Abbas Vrspergensis in Chronico Anno Christi 920. Abb. Kranzius lib. 3. histor. c. 2.

Quæstio secunda. Quænam causa fuit, Imperium occidentale à Græcis transferendi ad Germanos? Respond. Quia Græci Imperatores Ecclesiam Romanam in Occidente à Longobardis, eorúmq; Rege Desiderio, aliisque hostibus, partim non potuerunt, partim verò, quia hæretici Iconomachi erant, defendere noluerunt. Atque eo ipso tempore in Oriente regnabat Irene mulier, quæ filium Constantinum Imperatorem in captiuitatem redactum excæcauerat, vti videre licet in annal. Francorum Fuldensibus Anno 797. Itaque vt ecclesia in Occidente idoneum defensorem ac patronum haberet, ius, ac dignitas Imperialis in Carolum Francum, adeóque Germanum translata est, prout hîc indicatur, & clariùs à Pio II. Pontifice in epist. ad Mahumetem Turcorum Regem. Accedebant præclara merita eiusdem Caroli Regis, qui iam antè Longobardos Italiâ expulit, & quæ ab ipsis Rom. ecclesiæ erepta erant, cumulatè restituit; aliisque multis aduersus Catholicę Fidei hostes obtentis victoriis præclarus extitit. Quæ videri possunt apud dictum Kranzium lib. 3. histor. Saxon. c. 83. Blondum decade 2. lib. 1. Bellarm. lib. 1. de translat Imperij cap. 13.

Quæstio tertia. Quidnam eâ Imperij Occidentalis translatione Carolo Francorum Regi à Leone III. Pontifice datum fuerit? Respondeo verbis Card. Rob. Bellarmini lib. 1. de translat. Imperij cap. 13. vers. Decimosexto. *Id Imperij translatio effecit, vt Carolus illa ipsa quæ habebat, non tantùm vt Rex, aut Patricius, sed vt verus Imperator, & Augustus retineret; neque ius haberet; ad alias item prouincias, quas Occidentalis Imperij fuisse, atque iniuriâ ab aliis occupatas esse, constaret; vt denique nominibus, titulis, honoribus omnibus veterum Cæsarum vteretur, atque eo nomine omnes alios Reges ac Principes tum ipse, tum successores eius, ac posteri ante irent.*

Notandum II. Ius, siue potestas eligendi Romanorum Regem, in Imperatorem postea promouendum, Germaniæ Principibus competit, ex Sedis Apostolicæ concessione. Ita hîc dicitur, & in Clem. Romani, de iureiur. Hæc res ita se habet: Otto I. ex Saxonum gente ad Imperium prouectus est summi Pontificis Benedicti XII. approbatione, & coronatione facta Anno Christi 963. prout testatur Sigebertus in Chronico, & alij apud Bellarm. lib. 2. de translat. Imperij cap. 3. Ab Ottone I. ex Apostolicæ Sedis concessione, dignitas Regia & Imperialis quasi hæreditaria fuit, quippe concessa Ottoni & successoribus ipsius, cum potestate successorem eligendi, prout videre licet in decreto Leonis VIII. Papæ ad Ottonem I. Quamobrem ab Ottone I. ad Ottonem II. ab hoc ad Ottonem III. Imperium Romanum deuenit. Sed cùm Otto III. filiis orbus esset, nouam constituendi Rom. Imperatoris formam proposuit, à Gregorio V.

Papa approbandam; videl. per Principum Imperij cùm ecclesiasticorum, tum laicorum electionem, vti videre licet apud Cæsar. Baronium Anno Christi 996.

QVÆSTIO prima. Quonam tempore septem Imperij electores Principes constituti fuerunt? Respondeo, & Dico I. Apertè falsum est, quod Ioannes Auentinus lib. 5. annal. Boiorum, eúmque secutus Panuinius in Comment. de Comitijs Imperator. scripserunt, ante mortem Friderici II. Imperatoris Electores septem institutos non fuisse. Nam (vt alia taceam, quæ Cardinal. Bellarminus congerit lib. 3. de translat. Imperij c. 1.) Hostiensis in summa tit. de elect. §. 10. dum queritur de tyrannide Friderici II. Imperatoris, numerat quoq; septem Principes electores Imperij: Ergo viuente Friderico II. Imperatore septem Electores instituti erant.

3 Dico II. Electores septem Imperij ante tempora Innocentij IV. adeóque ducentis & ampliùs annis post mortem Ottonis III. constitutos non fuisse, credibile est. Quæ est sententia Cæs. Baronij Anno Christi 996. n. 54. & seqq. Id verò certum esse debet, ante ea Innocentij IV. tempora, consuetudinem fuisse, vt non septem tantùm, sed Principes Imperij vniuersim, aliíque præcipui Imperij Ordines Regem Romanorum eligerent, prout ostendit Baron. cit. loco, & inclinat Azor tom. 2. lib. 10. quæst. 6. Nam id omnes, qui vsque ad tempora Innoc. IV. scripserunt Historici testantur apud Onuph. Panuinium, Bellarmin. Baron. Azor citatis locis; de Principibus septemuiris nullam omnino facientes mentionem: quod signum est, illorum tempore institutos non fuisse. Atque sub Innocent. III. Papa in discordia, hinc Ottonem Saxoniæ Ducem, illinc Philippum Sueuiæ Ducem à pluribus, quàm septem, Principibus electum fuisse, satis clarè ex hoc ipso c. *Venerabilem* colligitur, & ex Authenticis instrumentis, cum singulorum Electorum subscriptione, demonstrat Baronius.

Dico III. Persuasio Auctoris de Regimine Principum inter opera S. Thomæ, de quo videri potest Bellarmin. de scriptor. ecclesiasticis, & aliorum posteriorum apud eundem Bellarminum cit. lib. 3. cap. 3. Azor cit. quæst. 6. vt septem Electorum institutionem ad tempora Ottonis III. & Gregor. V. Papæ referrent, ex malè intellectis verbis Martini Poloni Historici in Ottone III. hausta est: *Licèt tres Ottones*, inquit, *per successionem generis regnauerunt, tamen postea fuit institutum, vt per Officiales Imperij Imperator eligeretur, qui sunt septem, videlicet primi tres Cancellarij, &c.* Ecce, quod non dicat Martinus, Ottonis tempore septem Principes Electores institutos fuisse, sed *postea*, videlicet circa sua tempora: Fuit enim Pœnitentiarius Innocentij IV. Papæ, vti refert Bellarmin. lib. 3. de translat. Imperij cap. 1. ex Onuphrio Panuinio in addit. ad Platinam. Hanc Cæsaris Baronij sententiam, quam ipse *puram, & luce meridiana perspicuam sententiam* vocat, ideò etiam libentiùs amplector, quia, vt suprà dixi, textus huius c. consonat, maximè secundùm integram eius lectionem apud Christophorum Geboldum de septem Imperij Electoribus, ex qua apparet, electionem Imperatoris apud Imperij Principes vniuersim, adeóque etiam penes Philippum Sueuię Ducem fuisse.

QVÆSTIO secunda. Quo ordine Electores Principes suffragia sua edicere debent? Respondeo. Eo ordine, qui à Carolo IV. Imperatore in Bulla aurea præscriptus legitur tit. 4. *Omnibus, seu his qui potuerunt & voluerunt interesse, inuicem congregatis, Archiepiscopus Moguntinus, & non alius, Electorum vota singulariter habet inquirere: Primò quidem interrogabit à Treuirense Episcopo, cui primam vocem competere declaramus, secuti comperimus hactenus competiisse: Secundò à Colonienſe Episcopo. Tertiò à Rege Bohemiæ, qui inter Electores laicos, ex regiæ dignitatis fastigio, iure & merito obtinet primariam; Quartò, à Comite Palatino Rheni; Quintò à Duce Saxoniæ; Sextò, à Marchione Brandeburgenſi.* Et paulò post: *Quo facto, dein-*

Prin-

Principes consortes ipsum (Moguntinum Archiepiscopum) *vicè versa requirent, vt & ipse intentionem suam exprimat, & ipsis aperiat votum suum.*

Verùm, quod ad Regem Bohemiæ attinet, ab initio institutum fuit, vt ipse non eligeret, sed vt arbiter seu diremptor adesset, si sex Electores Curiæ Principes paribus votis dissentirent, quod non obscurè indicat Abbas Stadensis Albertus, qui ante mortem Friderici II. in Chronico ita scripsit apud Cæs. Baronium Anno Christi 996. *Ex prætaxatione Principum & consensu eligunt Imperatorem Treuirensis, Moguntinus, & Colonienſis: Palatinus eligit, quia Dapifer est: Dux Saxoniæ, quia Marischalcus. Et Margrauius de Brandeburga, quia Camerarius. Rex Bohemiæ, qui Pincerna est, non eligit, quia Teutonicus non est:* Imò nec Princeps Imperij, aut Curiæ Princeps, cùm Bohemiæ regnum Imperio Romano subiectum non sit; qua de re legi potest Arumæus Saxonicus Iureconsult. in tractatu de Comitijs Imper. ad sex Curiæ Principes. Temporis autè progressu introductum fuit, vt etiam Bohemiæ Rex eligeret, & quidem ante alios Electores seculares, vti ex verbis cit. Bullæ aureæ apparet, & annotauit Azor tom. 2. lib. 10. cap. 3. q. 4. ex Ioan. Capistrano in tractatu de Papæ & Ecclesiæ auctoritate, p. 2. Potest tamen etiam secundùm Bullæ aureæ constitutionem accidere, vt Rex Bohemiæ, si videat se à sex electoribus Principibus Curiæ in discordia, siue vtrimque paribus suffragijs electum esse, aut, vt plenius dicam, si tria pro se vota habeat, suo adiecto suffragio, electionem de se confirmare, iuxta ea quæ suprà dicta sunt in c. cùm in iure 3. 1. hoc tit.

5 Qvæstio secunda. Num Imperij Electores ius habeant duntaxat eligendi Regem Romanorum, an verò etiam Imperatorem? Priorem partem quæstionis sequitur Azor tom. 2. lib. 10. cap. 4. q. 1. Chokier tract. de precib. primarijs Imperatoris sect. 1. ver. electo; quia in hoc. c, & suprà cit. Clem. Romani, significatur, Principibus cõpetere potestatem eligendi Regem Romanorum, postea promouendum in Imperatorem. Sed in contrariam partem habemus textum expressum in c. 2. de sent. & re iudic. in 6. *Illi autem ad quos in eodem Imperio Imperatoris spectat electio, eligant liberè successorem*; Eapropter Paulus V. Pontifex in Bulla Indulti precum primariarum, Inuictiss. Imperatorem nostrum Ferdinandum II. vocauit *Romanorum Regem illustrem, in Imperatorem electum*. Quare dicendum est, quòd septem Electores cùm Regem Romanorum, tum Imperatorem eligunt, sed diuersimodè: Nam Rex Romanorum absolutè appellari potest post legitimam electionem; non item Imperator, sed cum addito *electus*: Ex quo patet responsio ad argum. ex hoc c. & suprà cit. Clem. desumptum: Etenim electus per vnctionem, consecrationem, & coronationem à Pontifice promouetur, vt ex eo tempore absolutè Imperator dici possit, vti rectè annotauit Rescaurus Castaldus q. 45. & significatur in Bulla aurea tit. 2. prope finem. Sic etiam nec Roman. Pontifex ante coronationem suam annos *Pontificatûs* numerare solet.

Qvæstio tertia. Intra quod tempo- 6
ris spatium, si corona Imperij vacet, electio Imperatoris perfici debeat? Respondeo, de hoc ita statutum est in Bulla aurea; *Statuimus, & ordinamus, vt Archiepiscopus Moguntinensis, qui fuerit pro tempore, singulis Principibus coelectoribus suis, ecclesiasticis & secularibus, electionem per suos Nuncios patentibus debeat literis intimare. In quibus literis talis dies & terminus exprimatur, infra quem eadem literæ ad singulos eosdem Principes verisimiliter possint peruenire. Huiusmodi autem literæ continebunt, vt à die in literis ipsis expressa, intra tres menses continuos, omnes & singuli Principes Electores Francofurtum ad Mœnum se conferant, vel suos Legatos ad eundem terminum atque locum mittant, cum plena & omnimoda potestate &c.*

Qvæstio quarta; Ex qua natione, & 7
in quo dignitatis gradu constitutus eligi debeat in Imperatorem? Respondeo & Dico 1. Necesse est, vt ex Germanorum gente sit,

qui in Imperatorem eligitur, prout ex communi docet Castaldus q. 7. n. 7. Azor cit. lib. 10. cap. 3. q. 3. Abb. hîc n. 17. argum. huius textûs & c. in die 15. d. 5. de consecrat. vbi Gregor. VII. ait, quòd *Teutonicis concessum est regimen nostræ ecclesiæ.* Aduertendum tamen est, hac in re non tam considerari, num in Germania natus sit, qui eligitur, sed potiùs, num ex Germanorum familia ac gente ortus; Tametsi aliqui, inter quos Castaldus & Azor cit. locis, sufficere existiment, si materno sanguine à Germanis originem trahat: quod tamen extra dubitationem esse non videtur.

Dico II. Nihil siue in iure, siue in Bulla aurea expressum reperitur, in quo dignitatis gradu constitutus esse debeat eligendus Rex Romanorum, vel Imperator, num videl. esse debeat Dux, Marchio aut Comes: Requiritur tamen tantà præditum esse potentiâ, corporis & animi habitudine, alijsq; qualitatibus, vt absolutè idoneus existat ad Imperium administrandum, Ecclesiam & Christi Fidem Catholicam contra inimicos eius defendendum, &c. Et ita ex communi Azor cit. lib. 10. cap. 4. q. 7. Castaldus q. 9.

8 NOTANDVM III. Qui mittitur, vt latam iam sententiam denunciet, cognitoris siue iudicis personam sustinere non potest, sed merum ministerium, seu executionem exhibet. Ita colligitur ex textu, vers. *Obiectioni*: Idque maximè procedit, si principalis, seu mittens, sententiam antè tulit in causa notoria; adeò vt nullâ etiam citatione opus esset, prout de casu huius c. annotauit Abb. hîc n. 10.

9 NOTANDVM IV. Ad Roman. Pontificem pertinet, de qualitatibus Imperatoris electi inquirere, eundem, si dignus & idoneus sit, confirmare, seu electionem eius approbare; eundem vngere, consecrare, coronare. Ita hîc, & in Clem. Romani, de iureiur. ante medium, *De ipsius* (Henrici) *fide, probitate, & alijs, quæ in persona Imperatoris sunt meritò requirenda, cùm pluribus Prælatis, & alijs magnæ auctoritatis viris, qui eiusdem Henrici mores, conditionem & statum plenius nouerant, inquisito, eiúsque personа (cuius etiam nos & Fratres nostri aliqualem priùs notitiam habebamus, propter quod facilius transiuimus in examinatione huiusmodi) idonea indicata, ipsum nominauimus, denunciauimus, & declarauimus Regem Romanorum, ipsius approbantes personam, eúmque sufficientem & habilem declarantes ad suscipiendam Imperialis celsitudinis dignitatem; ac decernentes vnctionem, consecrationem, Imperij q; Romani coronam sibi per manus nostras debere concedi.*

Circa quæ posteriora verba sciendum, Imperatorem ex antiquo more à Romano Pontifice sacro oleo inungi, non in capite, sed in brachio, vti constat ex c. vn. de sacra vnctione, §. Vnde; atque per manûs impositionem deprecatoriam consecrari, sicuti hîc indicatur, & videre licet in Pontificali Romano. Insuper Imperator consecratus coronam auream ab eodem Pontifice accipit, vti habetur in eod. Pontificali, tit. de triplici Imperatoris corona, & in Gl. cit. Clem. Romani ver. vestigijs. Quòd si verò accidat Pontificem Româ abesse, tum ab alio Cardinale Episcopo in Vrbe inungi, consecrari, & coronari potest ex Pontificia commissione; vel extra Vrbem ab ipsomet Pontifice. Quo modo Carolus V. Imperator à Clemente VII. Bononiæ coronatus fuit Anno Christi M.D.XXX. die 24. Februarij. Sed post hunc Imperatorem nemo alius inunctus & coronatus fuit. Videri potest Castaldus q. 18. & seqq. & q. 33. Azor cit. lib. 10. cap. 5.

QVÆSTIO prima, si in examinatione, 10
seu inquisitione de electo reperiatur, Electores indignum aut incapacem scienter elegisse, vtrùm pro ea vice priuati censeri debeant; ita vt electio ad Roman. Pontificem deuoluatur? Aliqui affirmant, inter quos Abb. hîc n. 20. Azor cit. lib. 10. cap. 4. q. 5. Sed oppositum verisimilius est, quo etiam Castaldus inclinat q. 15. Propterea quòd hæc priuationis pœna in casu electionis Imperatoriæ, nullibi expressa sit; sed tantùm de electionibus ecclesiasticorum, c. cùm in cunctis 7. hoc tit. & alijs iuribus:

exinde

exinde autem in materia pœnali extensio fieri non debet ad alios casus & personas. Quamobrem præstat, vt dicamus, si Electores personam indignam elegerint, iubendos esse aliam, quæ idonea sit, eligere; quod si nolint, aut per negligentiam diu cunctentur, cum demùm ad Roman. Pontificem pertinebit Imperio supremum Principem Ecclesiæ defensorem ac patronum prouidere, argum. huius c. §. Numquid enim.

11 Cæterùm id fateri debemus, si Electorum aliqui, quamuis numero plures, personam indignam eligant, v.g. hæreticum, quòd aliorum suffragia præualere debent, eorúmque electio de persona digna approbari, sicuti bene docet Azor cit. cap. 4. q. 5. §. Si quæras, & colligitur ex hoc ipso c. quando Pontifex plures causas enumerans §. Obiectioni, cur Ottonis electionem approbandam esse duxerit, inprimis affert *merita electorum*, quia persona Philippi erat indigna, persona autem Ottonis idonea. Ratio dari debet: Nam si aliqui personam indignam scienter ac sponte eligant, perinde censeri debet, ac si eligere nolint; cum paria sint actum non exercere & inualidum exercere: Constat autē, si aliquis, cui eligendi ius competit, eligere nolit, potestatem omnem apud alios residere, vti docui etiam suprà.

12 Qvæstio secunda, Si in Imperatorem eligatur excommunicatus, num electio ipso iure irrita sit? Negat P. Suarez de censur. disp. 16. sect. 2. electionem excommunicati in Imperatorem, aut Iudicem secularē ipso iure irritam esse; sed à Superiore, videl. in casu nostro à Pontifice, irritandam ait. Quia licet iura canonica electionem excommunicati ad dignitatem, officium, aut beneficium ecclesiasticum, irritam pronuncient, vti apparet ex c. postulastis 7. de cler. excom. ministrante; non tamen inde extensiua argumentatio fieri debet ad dignitates & officia secularia: Partim, quia excommunicatus potiore iure prohibetur à spiritualibus officijs & functionibus, partim quia Pontifex & ecclesiastici Prælati plus iuris habent erga dignitates & officia ecclesiastica, vt ab ijs excommunicatos prohibeant, quàm erga seculária. Sed Gl. hic ver. electus communiter recepta, contrarium rectiùs docere videtur; cùm sit regula canonica, ex cap. vlt. de cler. excommun. ministr. quòd nemo assumi potest ad officium, cuius exercitium ipso iure ipsi prohibitum est: Excommunicato autem prohibitum est omne exercitium iurisdictionis, etiam in foro externo seculari, iuxta ea quæ docui lib. 1. Theol. moral. tr. 5. p. 2. cap. 2. n. 13. Ergo &c. Est tamen hæc doctrina intelligenda iuxta ea, quæ suprà docui in c. cùm in cunctis 7. hoc tit. irritam esse eiusmodi electionem in ordine ad forum externum, ita vt reprobari ac rescindi possit, perinde ac si ab initio penitus irrita fuisset.

Notandvm V. In discordia, id est, si Imperij Electores, secundùm maiora suffragia, in eandem personam non conueniant, post admonitionem, atque competentis interpositi temporis expectationem, Rom. Pontifex litem dirimere, & alteri electo gratificari, eúmque confirmare potest. Ita expressè Innoc. III. huius c. auctor, rationem assignans, quia Sedes Apostolica aduocato & defensore diu carere non debet: idque tradunt Gl. & DD. ibi ver. fauere, Azor cit. lib. 10. cap. 4. q. 10. Qui bene etiam admonet q. 2. & sumitur ex hoc c. vers. *Quamuis plures ex illis*, & habetur expressè in Aurea Bulla tit. 1. §. 1. & tit. 3. §. Postquam autem. sufficere in electione Imperatoris eam concordiam, quòd plures Electores, videl. saltem quatuor, si omnes septem per se vel per Legatos, in eandem personam idoneam consentiant: Quia quod maior pars Collegij decernit, id veluti à toto Collegio procedere videtur, l. quod maior, 19. ff. Ad Municipalem. 13

Qvæstio prima, Si duo in discordia electi sint Imperatores, vtrùm vterque, dum lis composita sit, Imperium administrare possit? Inprimis suppono in hac quæstione, communem esse Canonistarum sententiam, prout testatur Imola hic n. 6. Abb. n. 26. Castaldus de Imperat. q. 46. n. 6. Martinus de Corazijs tract. de Principibus. q. 25. Ioann. Selua de benef. p. 2. q. 15. n. 17. Azor tom. 2. lib. 10. 14

lib. 10. cap. 6. q. 2. Quòd Roman. Imperator, cùm primùm à maiore parte electus est, iura imperij administrare possit; quod & Bulla aurea confirmat, tit. 2. §. Et quia, vbi Carolus IV. Imperator *de antiqua*, vt ipse ait, *approbata, & laudabili consuetudine decernit, vt qui in Regem Romanorum electus est, peracta statim electione priusquam in causis aliis, siue negotijs virtute sacri Imperij administret, vniuersis & singulis Principibus Electoribus, ecclesiasticis & secularibus, qui propinquiora Sacri Imperij membra esse noscuntur, omnia ipsorum priuilegia, literas, iura, libertates, concessiones &c. absque dilatione, confirmare & approbare debeat.* Additur verò, id sub nomine *Regis* faciendum, postea, cùm coronatus fuerit, eadem *sub titulo Imperiali innouaturus*, iuxta ea quæ suprà dixi in hoc c. not. 2. q. 2. in fine.

Hoc suppositò, ad propositã suprà quæst. plerique affirmatiuè respondent, apud Castaldum q. 70. Azor cit. lib. 10. cap. 6. q. 2. §. Insuper, post Gl. in cit. Clem. Romani, §. Porrò, ver. Reges. Et ait Azor cit. loco, id accidere posse, si tantùm sex Electores sint; (quia vnus nec per se, nec per nuncios accessit, aut iterum recessit) atque duos paribus suffragijs eligant; hoc in casu vtrumque Imperium administrare posse. Verùm existimo, rectè quidem dici, de facto ita nonnunquam accidisse, vt duo in discordia electi administrarent, tolerante Romano Pontifice, & Proceribus Imperij, cùm impedire statim non possent; Attamen spectato communi iure, ipsisq; aureæ Bullæ constitutionibus, id fieri non debet; cùm eo modo electis in discordia ius nullum competat. De iure communi constat, quòd ad electionem legitimam maior pars Curiæ, siue Collegij requiri soleat; In aurea autem Bulla ita legimus tit. 1. *Præstito per Electores, seu Nuncios iuramento* (de idonea persona, absque illicita pactione eligenda) *ad electionem procedent, nec ex tunc de ciuitate Francofurt separentur, nisi prius maior pars ipsorum temporale Caput mundo elegerit, seu populo Christiano, Regem videl. Romanorum in Cæsarem promouendum. Quod si facere distulerint intra* xxx. *dies à die præstiti iuramenti numerandos, ex tunc transactis eisdem triginta diebus, amodò panem mandu-* 14 *cent, & aquam bibant, & nullatenus ciuitate exeant antedicta, nisi prius per ipsos, vel maiorem partem ipsorum, Rector seu temporale Caput fidelium, electum fuerit.*

Qvæstio secunda, priori annexa. Ad quem Imperio Roman. vacante, administratio eius pertineat? Respondeo, In aurea Bulla ita decretum esse; Quòd vacante Imperio, Illustr. Comes Palatinus Rheni, loco Romanorum Regis, *in partibus Rheni, & Sueuiæ, & in iure Franconico, ratione Principatûs, seu Comitatûs Palatini, priuilegij, esse debet prouisor Imperij, cum potestate iudicia exercendi, ad beneficia ecclesiastica præsentandi, recolligendi reditus, inuestiendi de feudis, iuramenta fidelitatis nomine Sacri Imperij, recipiendi, quæ tamen per Regem Romanorum postea electum suo tempore omnia innouari, & de nouo iuramenta præstari debebunt: Feudis Principum duntaxat exceptis, & illis, quæ Fahrlehen vulgariter appellantur, quorum inuestituram & collationem soli Imperatori, vel Regi Romanorum specialiter reseruamus. Ipse tamen Comes Palatinus omne genus alienationis seu obligationis rerum Imperialium, expressè sibi nouerit interdictum. Et eodem iure prouisionis Illustrem Ducem Saxoniæ, S. R. I. Archimarscallum frui volumus in ijs locis, vbi Saxonica iura seruantur, sub omnibus modis & conditionibus, sicut prius est expressum.*

Notandvm V. Imperatoris Romani 16
institutio ad eum finem propriè refertur, vt sit patronus ac defensor veræ Catholicæ Fidei, & Ecclesiæ Christi, ac Sedis Apostolicæ Romanæ, ad hæreticos, aliosque impios hostes domandos, & alia præstanda, quæ ad iustum patrocinium ac defensionem spectare possunt. Ad quam ipsam defensionem, armis & potentiâ suâ, quatenus potest, exhibendam, Romanus Rex seu Imperator in electione sui, Electoribus septem iuramentum edere solet, vt proinde ex officio obligatus existat. Et hæc ipsa est summa dignitas

tas, & prærogatiua Imperatoris Romani, quòd sit Ecclesiæ vniuersalis constitutus Aduocatus, & patronus. Hac enim de causa dixit Gregor. VII. Papa, relatus in c. in die 15. d. 5. de consecr. quòd Teuthonicis concessum sit Romanæ Ecclesiæ regimen, videlicet quoad ius supremæ aduocatiæ. Plura de hoc legi possunt in libro Compositi. Pacis q. 83. §. 1. edit. 2. Videri etiam potest P. Lud. Molina tract. 2. de iust. disp. 24.

17 NOTANDVM VI. Si quis ab excommunicatione, vel alia censura absolutionem petit, eo ipso se eâ ligatum fuisse fatetur. Ita Innoc. Papa III. in hoc c. ibi, *quod postmodum recognouit*. Excipe, nisi aliquis exprimat, vel ex coniecturis colligi possit, absolutionem petitam fuisse duntaxat ad cautelam, siue securitatis maioris causa; quia, vt dici solet, abundans cautela non nocet, l. testamentum 17. jun. Gl. ver. cautela, C. de testam.

18 NOTANDVM VII. Si quæstio oriatur de iuramenti valore, atque obligatione, eius examinatio atque decisio ad Prælatos ecclesiasticos, maximè Rom. Pontificem spectat. Ita colligitur ex textu huius c. & indicat Gl. hìc ver. venire, tradit Anton. n. 25. Abb. n. 24. & idem Abb. in c. cùm contingat n. 15. de iureiur. atque docui in Th. morali lib. 4. tract 9. c. 2. n. 9. §. De crimine. Poterat autem in casu huius c. dubium esse de obligatione iuramenti; Cùm enim electio Imperatoris non esset posita in arbitrio Philippi, sed ex Principum Imperij libera voluntate penderet, non poterat ille iuramento se obligare ad promouendum Fridericum, filium Henrici: Præterea, iuramêtum istud illicitum videbatur ex parte exigentis Henrici Imperatoris: Cùm enim nullum ius successionis filio vendicare potuerit, non rectè eligendi libertatem restrinxit: Vt proinde dubitari non immeritò potuerit, num per iuramentum libertas Philippi, quam & ipse in eligendo habuit, imminuta censeri debuerit. Cæterùm hęc non ostendunt, Philippum ex iuramento obligationem nullam contraxisse: sed quòd eius relaxationem faciliùs impetrasset. Nam inprimis nihil obstat, quò minùs id, quod ex alieno arbitrio pendet, alteri per iuramentum promittatur: tum verò sensus est, quod iurans, quantum in ipso est, operam dare velit, vt id fiat quod promittitur; videl. vt Henrici filius ad Imperium promoueatur; dummodo idoneus sit, & sine publico aliquo damno, alteriúsue præiudicio, promoueri possit. Deinde, nihil obstat, iuramentum ex parte exigentis illicitum esse: nam nihilominus seruari id debet, si absque spiritualis salutis dispendio, hoc est, absque peccato seruari possit, c. 1. c. debitores 6. c. si verò 8. c. cùm contingat 28. de iureiur. Idque Innoc. huius c. auctor exemplo Israelitarum ostendit, dum Iosue Gabaonitis iuramentum præstitum, quamuis non sine dolo eorum extortum, ob diuini Numinis reuerentiam seruauit. Videri hìc potest Innoc. Commentator n. 5. Imola n. 19. & quæ docui Theol. moral. lib. 4. tr. 3. cap. 7. Denique Philippus, vi iuramenti sui, obligatus fuisse videtur, vt suffragium electionis Friderico daret, si non ex vi pacti, siue ex iustitia, quòd talia pacta ambitioni inseruientia reprobata sint; saltem ex virtute Religionis; posito, quòd Fridericus idoneus esset, & eius electio Imperio Romano vtilis. Ex his autem cognoscitur, rem ita comparatâ fuisse, vt rectè dixerit Innoc. priùs Sedem Apostolicam cõsulendam fuisse, quàm vt Philippus propria temeritate contra iuramentum suum ageret, quando Imperium Rom. ambitionis vitio ipsemet vsurpare præsumpsit.

NOTANDVM VIII. Non expedit, vt 19
in libera electione Regis aut Imperatoris, ex eadem familia longissimo tempore aliquis eligatur; Quia *videretur* regnum *non ex electione, sed ex concessione pendere*; Et *id in præiudicium aliorum Principum redundaret*, ait hoc in loco Innoc. III. Papa. Verùm interdum iusta & Reipubl. vtilis causa esse potest, perpetuandæ huiusmodi electionis, si videlicet alicuius familiæ merita ita exigant, aut si alij non reperiantur ita potentes, Imperio siue regno defendendo idonei: Incommoda autem ea, quæ obijciuntur, tolli possunt per protestationem, quam facere debet electus, quòd filijs & agnatis suis nullum vnquam

ius ad exigendum Imperium, aut dignitatem regiam acquisitum esse, prætendere velit, aut possit.

20 NOTANDVM IX. Iuramentum alicui præstitum tacitas in se conditiones continet; quarum vna est, *saluo iure & auctoritate Superioris*; Item, *si res in eodem statu permaneat*; prout docui in Theol. morali lib. 4. tract. 3. cap. 9. & sumitur ex hoc c. in fine, iun. Gl. & DD. ver. obseruari, vbi Imola n. 14. Sanchez lib. 3. moral. cap. 13. n. 9. Cùm enim à Thuringiæ Duce, aliisque quibusdam Principibus, Philippo, tanquam Imperatori electo, fidelitatis iuramentum præstitum fuerit, consequens est, vt, si eius electio à Romano Pontifice legitimè reprobata & cassata sit, iuramenti eius obligatio per se cesset; eò quòd corruerit fundamentum, seu ratio fundandi obligationem iuramenti.

CAPITVLVM XXXV.

Coram.

PARAPHRASIS.

Cùm in quadam ecclesia duæ celebratæ essent electiones in discordia, mandauit Pontifex Innoc. III. Cardinali tit. S. Pudentianæ, vt de earum valore cognosceret, &, si vtramque cassandam esse iudicauerit, Canonicis omnibus, qui in prouincia sunt, conuocatis aliam fieri electionem curaret; eámque, si à maiore & saniore eorum parte fuerit celebrata, per censuram ecclesiasticam firmiter obseruari faceret.

SVMMARIVM.

1. *Ad electionem omnes, qui ius suffragij habent, vocari debent per literas, aut nuncium, & quidem de iure communi, non habita ratione, num in prouincia, vel extra eam sint; sed solùm an locorum distantiâ, aliis circumstantiis consideratis, commodè venire possint.*
2. *In dubio, an quis commodè vocari potuisset & debuisset, iudex est Superior, cuius est electionem confirmare.*
3. *In qua ipsa re maximè, vti & in vocatione ad alios tractatus, v. g. rei ecclesiasticæ alienationem cuiusque ecclesiæ consuetudo spectanda, & sequenda est.*

NOTANDVM Vn. Ad electionem omnes qui ius suffragij habent, vocari debent per literas, aut nuncium, prout declaraui suprà.

Porrò ex eo, quòd in textu dicitur, omnes *qui in prouincia fuerint, conuocandos esse*, collegerunt aliqui, omnes Canonicos, seu ius suffragij habentes, qui in eadem prouincia (siue Archiepiscopatu, vti explicat Capella Tholos. q. 42.) existunt, vocandos esse ad electionem; eos autem qui extra prouinciam sunt, non esse vocandos, arg. huius textus: Cuius rei ratio afferri potest; quia in prouincia existentes quodammodo pro præsentibus habetur, qui autem extra prouinciam, pró absentibus, l. vlt. C. de præscript. longi tempor. Sed respondeo cum Gl. hic ver. in prouincia, Innoc. Ioan. Andr. Anton. & Abbate, & dico I. Spectato communi iure, omnes absentes ad electionem vocandi sunt, nó habita ratione, num in prouincia, vel extra prouinciam existant; sed solùm, an locorum distantiâ, aliisque consideratis circumstantiis, secundùm boni viri arbitrium commodè vocari possint, iuxta c. cùm inter 18. vbi id docui, c. quod sicut 28. c. bonæ 36. c. quia propter 42. hoc tit. Atque ad eum Superiorem, cuius est electionem confirmare, pertinebit postea iudicare, num aliquis absentium, qui vocatus non fuit, commodè vocari potuisset, ac debuisset, si is de contemptu suo agat, vti colligitur ex c. vlt. hoc tit. in 6. & tradit hîc Abb. n. 3.

Dico II. In hac ipsa re quàm maximè spectanda est cuiusque ecclesiæ consuetudo, eáque sequenda; Idque siue consuetudo sit, vt nemo vocetur ex ijs, qui absentes sunt à loco, vbi electio fieri debet, argum. c. cùm in ecclesiis, 33. vbi id Gl. annotauit, ver. si commodè, de præb. in 6. Quia notum est, quòd per consuetudinem ius eligendi sicuti acquiri potest, iuxta c. 3. de causa possess. & propriet. ita etiam restringi, vel omnino amitti;

mitti: quemadmodum etiam dici solet, quòd consuetudo iurisdictionem dat & aufert, DD. in c. cùm contingat, 13. de foro comp. siue consuetudo sit, vt omnes, vbicunque sint, absentes vocari debeant: Ea tamen intelligenda, dummodò sine graui ecclesiæ detrimento aduocari possint, nam alioquin, vt damnosa ecclesiæ consuetudo aboleri deberet: Deinde vt ij ad diem electionis rationabiliter definitum, aduenire possint; quia alioquin frustra vocarentur. Et quæ hìc dicuntur de vocandis Capitularibus ad electionem, locum etiam habent, si consuetudo alicubi sit, vt omnes vocentur ad alios tractatus, v. g. rei ecclesiasticæ alienationem. Verùm secluſa consuetudine, necesse non est absentes vocari ad tractatum, & consensum præstandum alienationi, secundùm Gl. communiter receptam in cit. c. cùm in ecclesiis, ex Auth. hocius porrectum, iun. Gl. ver. maiore, C. de SS. Ecclesiis; quemadmodum nec ad alias res tractandas, nisi magni admodum momenti sint.

Adargum. ex hoc c. desumptum respondetur, Esse responsionem hìc à Pontifice datam ex causa aliqua speciali; siue propter particularem eius ecclesiæ consuetudinem; siue propter circumstantiam aliquam, ob quam visum fuit Pontifici, omnes Canonicos, qui in prouincia erant, vocandos esse: Et fortasse nulli fuerunt tunc absentes extra prouinciam. Ad cit. l. vlt. dici debet: Esse illud peculiariter decretum in ordine ad vsucapionem rerum immobilium perficiendam, vt habentes domicilium in eadem prouincia, siue sub vno eodémque regimine sunt, prout docui lib. 3. Theol. moralis, tract. 1. de iust. cap. 8. n. 13. Ideóque ad casum nostrum transferri non posse.

CAPITVLVM XXXVI.

Bonæ.

Paraphrasis.

Cùm S. Cremonensis Episcopus, in ægritudine constitutus morti vicinus esset, Capitulum H. Canonicum, eo tempore Regij studiis vacantem ad noui Episcopi electionem vocauit, constituto termino Vigiliæ Pentecostes: Deinde mortuo Episcopo S. in Feria secunda Pentecostes, antequam corpus sepulturæ traditum esset, Archipresbyterum eius ecclesiæ per compromissum in Episcopum elegerunt. At verò H. postea aduenies, quòd existimaret electionem eam, ad quam ipse vocatus non fuerat, sed contemptus, nullius momenti esse, atque eligendi facultatem ad se solum deuolutam esse, Archidiaconum elegit. Controuersiâ istâ ad Innoc. III. Papam delatâ, censuit inprimis, electionem ab H. factam, priusquam prior electio Apostolicæ Sedis auctoritate cassata esset, nullius esse momenti, & in pœnam temerè præsumptæ electionis ipsi iniunxit, vt si Capitulum denuò conueniens electionem priorem de Archipresbytero renouet, contradictionis vocem emittere non posset. Enimuerò hanc ipsam quoque à Capitulo factam electionem, iustitia exigente Pontifex cassauit, partim quia corpore Episcopi defuncti nondum sepulturæ mandato, de electione tractatum instituerunt contra canonicas sanctiones; partim quia H. Canonicus, contemptus fuit: in huiusmodi autem casu plus vnius contemptus, quàm multorum contradictio obesse solet. Neque excusationem affert, quòd idem H. citatus fuerit; quia citatio ea legitima non fuit, sed temeraria, quippe facta ante mortem Episcopi; & ideo obligare non potuit citatum.

Svmmarivm.

1. *Viuente Prælato ecclesiæ, etiam si eius vita desperata sit, illicitus & inualidus est tractatus de electione successoris.*
2. *Citatio ad nouam electionem ante mortem Prælati, ipso iure irrita est.*
3. *Per tractatum intelligitur ille, qui collegialiter sit. extra illum prohibitum non est, incidenter ac veluti per accidens mentionem facere de recta persona sub-*

stituenda post mortem Prælati senis aut infirmi.

De qua tamen non licet quidquam mutuò promittere aut pacisci.

4. *Non prohibetur ipse Prælatus ante mortem quidpiam cum Capitularibus in collegiali conuentu de forma & modo electionis statuere, & de successore consultare.*

5. *Nulla electione vel conuentione constitui potest Prælato Coadiutor cum potestate succedendi, nisi auctoritas summi Pontificis interueniat.*

6. *Corpus Prælati prius sepeliri debet, quàm de electione successoris tractetur. Absolutè tamen id necessarium non est.*

7. *Electio, quæ aliquo contempto celebrata est, non est ipso iure irrita, sed ad petitionem contempti irritanda à Superiore. quod tamen in aliis actibus collegialiter peractis locum non habet.*

8. *Propter contemptum alicuius electores non iuuantur iure eligendi pro ea vice, neq; denoluitur ad alios non delinquentes seu contemptos.*

Potest tamen Pontifex in pœnam delicti electores pro ea vice facultate eligendi priuare.

1 NOTANDVM I. Quamdiu viuit Prælatus ecclesiæ, tametsi eius vita desperata sit, non tantùm illicitus, sed etiam inualidus est tractatus de electione successoris. Ita hic habetur, & in c. nullus 7. d. 79. Ratio est: Quia electio pro inconueniente habet, eligi Prælatum, aut de eius electione tractari, antequam Sedes vacat. Quare non obstat regula, sumpta ex c. vxore 7. de sepult. Quòd *dispositio facta tempore inhabili, subsistere potest, si conferatur in tempus habile.* Nam regulæ huic locus non est, si tempore inhabili alicui ablata sit potestas disponendi. Qua simili ratione, coniugi, durante coniugio, concessum non est pacisci de nouo matrimonio cõtrahendo post mortem coniugis, quia tale pactum contra bonos mores, ideóque non obligatorium iudicatur, argum. c. sicut, 39. causa 7. quæst. 1. & dictum est Theol. moral. lib. 5. tr. 10. p. 4. c. 10. n. 7. Quin & occasionem mortis machinandæ eiusce tractatus præbere posset, vti colligitur ex c. 2. de concess. præbendæ.

Exinde sequitur, quod etiam in textu huius c. habetur, quòd citatio ad faciendam nouam electionem, si emissa sit ante mortem Prælati, ipso iure irrita sit; & ideo non constringat citatum: quia prodiit à non habentibus citandi potestatem. Quare perinde est, ac si nondum constitutus Iudex aliquem citet ad diem, in quo iurisdictione præditus erit, inualida est citatio; quia facta à non habente potestatem: Itaque in talibus initium spectare oportet: *quod* enim *initio vitiosum est, non potest tractu temporis conualescere*, reg. 29. ff. 2

Porrò per tractatum electionis, quem ante mortem Prælati reprobatum esse dixi, oportet intelligere eum, qui collegialiter fit, quasi ordinando, aut statuẽdo, siue circa personam certam eligendam, siue circa tempus aut locum, ad quem Electores in proxima electione venire debeant: Talia enim decerni non possunt, sede nondum vacante. At verò prohibitum nõ est extra Capitulum seu collegialem Conuentum, vel etiam in ipso Conuentu Capitulari, sed incidenter tantùm ac veluti per accidens, mentionẽ facere de certa persona substituenda post mortem Prælati admodum senis, aut infirmi; cùm talis mentio non fiat in ordine ad decretum definitiuum, ac ordinatiuum, ideóq; non habeat rationem tractatûs Capitularis. Cauendum tamen est, ne mutua promissio, aut pactum intercedat de certa eligẽda persona: tales enim pactiones reprobantur. Quare cassari potest electio postea facta, si ex eiusmodi pactione originem cepisse appareat. Sumpta hæc sunt ex Innocentio hic n. 3. & seqq. Ioan. Andrea n. 17. Anton. n. 15. Abb. n. 12.

Præterea ipsemet Prælatus non vetatur 4 cum Capitularibus quippiam statuere circa formam, tempus, locum electionis; cùm ipse statuendi potestate præditus sit: Quin etiam ante mortem suam Electores conuocare potest, eósque ad concordiam hortari, & de certo idoneo successore consultare, eísque aliquem proponere, vti docet

Innoc.

Innoc.cit.n.3. argum c. si transitus 10 iun. Gl. ver. non possit d.79. Sed quia talis cõsultatio non est electio, (quandoquidem ea fieri non potest Sede non vacante) ideo Capitulares non prohibentur ab eo,quod in consultatione visum fuit, recedere, & aliam personam eligere, cùm iure cautum sit c.3. & c. Episcopo 4. causa 8. q. 1. ne Episcopus ante vitæ finem successorem sibi constituat.

5 Corollarium : Nullâ electione, aut conuentione Prælato constitui potest Coadiutor cum potestate succedendi, nisi Summi Pontificis auctoritas,ob ecclesię alicuius necessitatem, interueniat, iuxta Concil. Trid. sess.25.cap.7.de reform.& docet Azor tom. 2.lib.3.cap.2.q.2.

6 Notandvm II. Corpus Prælati defuncti priùs sepulturæ tradi debet,quàm de eligendo successore tractetur. Ita hîc & in c.nullus 7. d. 79. vbi statuitur,vt electio Episcopi ante tertium depositionis diem non fiat. *Absolutè* tamen necessarium id non esse videtur,secundùm Gl. hîc ver. tractatum, Innoc. Ioann. Andr. Imol. & alios : quia statim post mortem Prælati ecclesia vacat, atque soluta est. Quare valida est electio & prouisio alterius. Imò interdum,propter occurrentes circumstantias,etiam licita : vt si, ob iustam causam, sepultura differenda sit. Profectò tempus trimestre, aut semestre, quod iura canonica electionibus faciendis definiunt,à die mortis prioris Prælati,dummodò ea Electoribus cognita sit,numerandum esse, tradit Gl. communiter recepta in c.postquam 11. d.40.& colligitur hæc doctrina ex c.Episcopo 4. causa 8.q. 1.

7 Notandvm III. Electio, quæ aliquo contempto,id est, non legitimè vocato, cùm posset ac deberet vocari,celebrata fuit, non est ipso iure irrita ; sed ad petitionem contempti, irritari debet à Superiore. Ita hic, & sumitur etiam ex c. quod sicut 28. in not. 5. hoc tit. Hoc autem in loco aduerti potest doctrina Pontificis Innoc. III. quam etiam in c. venerabilem 34. hoc tit. attulit,quòd vnius absentis contemptus plus valet ad rescindendam electionem, quàm multorum præsentium contradictio. Si enim maior & sanior pars Capitularium in vnam personam idoneam cõsentiant,alij iure contradicere non possunt,siue contradicendo nihil efficiunt. Et tamen vnicus solus,qui contemptus est,agere potest ad electionem rescindendam.

Addit verò hic Abb.n.10. Alios quoque actus, qui collegialiter peracti sunt aliquo contempto, seu non vocato,cùm vocari debuisset,& potuisset,eo postulante,rescindendos non esse,tanquam non legitimè factos.

Notandvm IV. Si electio peracta 8
fuit aliquo contempto, non ideo electores priuantur pro ea vice eligendi potestate ; neque ob eorum delictum ius totum electionis ad alios non delinquentes, siue contemptos deuoluitur ; cùm hæc pœna priuationis,aut deuolutionis in iure expressa nõ reperiatur. Quare, si ob alicuius contemptum electio cassata sit,Electores vnà cum contempto ad aliam canonicam electionem procedere,&,si velint,priùs electum iterum eligere possunt. Ita colligitur ex textu huius c. iun. Gl. ver. expectare,& tradit Ioann. Andr.n.15.Abb.n.9.Imola n.8. Sed bene admonet Gl. iam cit. quòd Papa in pœnam delicti possit Electores, propter contemptum, priuare pro ea vice eligendi facultate.

CAPITVLVM XXXVII.

Cùm ad nostram.

Paraphrasis.

Cùm Innocentius III. intellexisset,quòd H. qui se pro Abbate gerebat,antequam eligeretur,Ordinem professus non fuisset, electionem eius censuit irritandam esse, (id est,irritam declarandam.) Quia ecclesiasticę traditioni repugnat,eò quòd Monachus fieri debeat sine spe,aut promissione Abbatiæ, alteriúsue obtinendæ Prælaturæ,aut dignitatis.

Svmmarivm.

1. *Malè promotus seu intrusus ad benefi-*

cium aut dignitatem, non debet appellari v.g. Parochus, Abbas, &c. sed qui pro Parocho, Abbate, &c. se gerit.

2. *Non professus non potest in Abbatem seu Prælatum regularem assumi.*

1 NOTANDVM I. Malè promotus, siue intrusus ad beneficium, aut dignitatem, non debet appellari v. g. Parochus, Præpositus, Abbas (ne quis in eum consentire, aut promotionem eius approbare videatur) sed qui pro Parocho, Præposito, Abbate se gerit, vti hîc dicitur.

2 NOTANDVM II. Non potest aliquis simul professionem in Ordine facere, atque in Abbatem, seu Præpositum regularem eligi, aut assumi: sed qui eligitur, iam antè professus esse debet. Ita hîc iuncto c. cùm in Magistrum 49. hoc tit. Ratio affertur in textu huius c. Quia religiosum statum purè ob Dei honorem, seu diuini obsequij causâ, amplecti oportet; non spe Prælaturæ, aut dignitatis. Quod si id in pactum deducatur, *Profiteor religionem, vt in Abbatem eligar*, simonia committitur; ideóque irrita est talis electio, c. vlt. de pactis.

CAPITVLVM XXXVIII.

Officii.

PARAPHRASIS.

In Monasterio quodam Conuentuales non poterant Ordinis sui personam idoneam, pro loci eius conditione, reperire ad prælaturam: quare viro cuidam nobili persuaserunt, vt filium suum prudentiâ insignem ad Religionem suscipiendam induceret, nullâ tamen spe factâ patri de eligendo filio in Abbatem. Paruit pater, filiumque induxit ad Religionem, qui paulò pòst à Monachis in Abbatem electus fuit; eiúsque electio ab Apostolicæ Sedis Legato confirmata. Sed dubitatum postea fuit, num id rectè à Legato actum fuerit, an verò cassanda sit electio, non obstante, quòd electus canonico iuramẽto purgare se paratus esset, nullâ se ambitione ad professionem faciendam inductum fuisse; &, si cassanda electio sit, vtrùm denuò eligi possit? Respondet Innocentius Papa; Electionem illius, qui paulò antè habitum religiosum assumpserat, irritam esse; cùm non deceat alium quem magistrum fieri, priusquam discipulus fuisset: sed posteaquam in regula Ordinis sufficienter instructus fuerit, tum si necessitas, vel euidens Monasterij vtilitas postulet, purgatione canonicâ ab ipso receptâ, in Abbatem assumi posse.

SVMMARIVM.

1. *Professionem in Religione edens spe assequendæ Prælaturæ, si eligatur in Prælatum, electio reprobari potest.*
2. *Non eligendus, nisi instructus in regula & disciplina Ordinis.*
3. *Damnabiles sunt Religionum Prælati, qui Ordinis sui regularum, statutorum, ac probatarum consuetudinum notitiam acquirere, & in prompta memoria tenere in postremis habent; temporalium curæ se totos pane immergentes.*
4. *Nullum iure canonico, per se loquendo, inter professionem & Professi electionem ad Prælaturam regularem definitum temporis spatium est; per accidens tamen improbari potest electio eius, qui nouiter professus fuit.*
5. *Legatus Summi Pontificis iure antiquo potuit, non autem nouo potest dispensare, vt qui professionem regulæ, eámque expressam, post annum probationis continuum exactum non edidit, in Abbatem eligatur.*

1 NOTANDVM I. Qui professionem in Religione edit ob spem assequendæ Prælaturæ, eo ipso indignum se ostendit, vt proinde eligi non debeat, & electio reprobari possit. Ita sumitur ex textu c. quando Pontifex purgationem exigit, quòd *nullâ ambitione inductus fuerit*; & tradit Abb. hîc n. 2. argum. c. in scripturis 9. causa 8. q. 1.

q. 1. cuius rubrica, seu summa c. sic se habet: *Locus regiminis sicut desiderantibus est negandus ita fugientibus est offerendus.*

2 NOTANDVM II. Priùs aliquis in regula & disciplina Ordinis instructus esse debet, quàm in Prælatum eligatur. Non enim expedit, nec decet aliquem magistrum fieri, qui vix discipulus esse cœpit, iuxta monitum S. Hieronymi in epist. 4. ad Rusticũ. relatum in causa 16. q. 1. c. 26. 27. *Multo tempore disce; quæ postmodum doceas*: Et iterum, *Ne miles, antequam tyro, ne priùs magister sis quàm discipulus.* Consentit c. miserum 4. d. 61. & c. cùm in magistrum 49. hoc tit.

3 Damnabiles itaq; sunt Religionum Prælati illi, qui Ordinis sui regularum, statutorum, ac probatarum consuetudinum notitiam acquirere, & in prompta memoria tenere in postremis habent; temporalium rerũ curæ, atque administrationi se pænè totos immergentes: Cùm tamen in his, videl. temporalibus, non salus Monasterij, Collegij, aut domûs regularis consistat; sed in regularum, seu disciplinæ regularis observatione: quæ si vigeat, temporalia, secundum Dei prouidentiam, atque promissionem factam fidelibus suis, ijs maximè, qui diuino eius obsequio penitus se mancipârunt, nunquam deesse poterunt, Matth. cap. 6. vers. 24. & sequentibus.

QVÆSTIO est, Quantum temporis intercedere debeat, vt aliquis post editam professionem, Abbas aut Præpositus regularis eligi possit? Inprimis obseruari debet discrimen inter ius antiquum, & quo hodie vtimur, post Concil. Trident. sess. 25. cap. 15. de Regular. Nam iure antiquo prohibitum quidem erat, ne ante exactum probationis annum facilè aliquis ad professionem admitteretur, c. ad Apostolicam 16. de Regular. tamen professio valebat, vti etiam ex hoc c. colligitur: Iure autem nouo professio irrita est. Nunc respondeo ad quæst.

4 Nullum iure canonico, per se loquendo, inter professionem & Professi electionem temporis spatium definiri, teste Innoc. hic n. 2. vbi ait, quosdam dicere, *quòd in eadem die, quâ fit monachus, potest eligi in Abbatem*; per accidens tamen, quia plerumque paruo temporis spatio necessaria rerum notitia, ac virtutis perfectio, quæ ad Ordinis Prælatum requiritur, obtineri non solet, improbari potest electio eius, qui nouiter professus fuit: sed cum dicto discrimine; si enim, spectato iure antiquo, aliquis non anno integro, sed paruo tempore, verbi gratiâ, vno mense, in Religione versatus, in Abbatem electus fuerat, irrita censeri debuit electio, ob præsumptionem, quòd ob imperitiam, seu defectum notitiæ eorum, quæ ad regulam Ordinis spectant, idoneus non esset. At verò iure nouo, cùm annus probationis exactus esse debuit, valebit electio, argument. etiam huius capit. quando Pontifex facultatem concedit, eundem, qui malè electus fuerat, vacante eâdem Prælaturâ, adeóque intra trium mensium spatium, ob ecclesiæ necessitatem (si interea ritè instructus fuerit) denuò eligendi. Ad Superiorem tamen, priusquam electionem confirmet, examinare pertinebit, num persona idonea, & in Constitutionibus Ordinis instructa sit; &, si defectum reperiat, electionem cassare.

Exinde solui potest altera QVÆSTIO, quam hîc mouent Interpretes, num Apostolicæ Sedis Legatus in hoc casu dispensare possit? Videtur enim negandum argum. huius cap. eámque partem videtur secutus Imola hîc n. 6. Sed Respondeo & Dico I. Spectato iure antiquo, adeóque in casu huius c. Legatus ex rationabili causa permittere potuit, vt Religionem ingressus, ante exactum anni spatium non tantùm profiteretur, sed etiam in Abbatem eligeretur; dummodò competenter in regula Ordinis instructus videretur: Ita sumitur ex hoc ipso c. & cit. c. ad Apostolicam, ver. *non passim*, & ver. quoslibet indiscretè. At verò, vt regulam nondum professus Abbas crearetur, nõ videtur alius, præter Pontificem, etiam olim, saltem post editam Clem. 1. hoc tit. permittere potuisse, sicuti cum Gl. hîc ver. incõtinenti. vers. Sed quare non potuit, docuit Abb. n. 4. Imola cit. n. 6. Gl. suprà cit. Clem. 1. ver.

5

ver. eligatur, contra Compostell. quem refert & non improbat Baldus hîc n. 2. Sed neque permittere poterat Legatus, vt statim post ingressum Religionis, interiecto paruo tempore, in quo experimenta & notitiam rerum necessariam capere aliquis non potuit, etiam emissâ professione eligeretur: cùm neque ipse Pontifex, quamuis vrgente necessitate, id concedendum esse duxerit.

Dico II. Spectato iure nouo, dispensare non potest Legatus, aliúsue Papâ inferior, vt qui professionem regulæ, eámque expressam, post annum probationis continuum exactum, non edidit, in Abbatem eligatur, iuxta Trid. Concil. sess. 25. cap. 21. de Regular. At verò mox post professionem, nõ opus videtur esse dispensatione, sed interdum causæ cognitione, & approbatione, ne electio, tanquam facta de persona minùs experta & idonea, oppugnari queat.

CAPITVLVM XXXIX.

Illa.

Paraphrasis.

Innoc. III. Papa confirmat quandam electionem tanquam canonicam, nõ obstante, quòd quidam Electores, excommunicatione simplici, siue minore, videl. eâ, quæ ob communicationem cum excommunicato contrahitur, affecti fuerint: Addit verò ad cautelam, si aliquis exinde defectus in electione interuenisset, se eum ex plenitudine potestatis supplere.

Summarium.

1. *Excommunicatio minor non priuat aliquem iure electionis.*
2. *Priuat autem excommunicatio maior, & quidem non tantùm passiua, sed etiam actiua.*
3. *Electoribus absque necessitate & protestatione admittentibus excommunicatum non toleratum ad electionem, electio ex communi DD. sententia irrita est.*
4. *Si in electione, aut alio actu siue contractu defectus aliquis ex positiui iuris constitutione pendens interueniat, Princeps, qui in spiritualibus est Rom. Pontifex, ex plenitudine potestatis eum supplere potest, quâ tamen vti non est censendus cum praiudicio tertij.*

NOTANDVM I. Excommunicatio minor non priuat aliquem iure electionis. Ita colligitur ex hoc c. & docent DD. communiter, cum Gl. in not. Ratio est: Quia minor excommunicatio, quæ & simplex appellatur, non priuat hominem communicatione fidelium, sed tantùm participatione Sacramentorum, c. vlt. de cler. excomm. ministrante: Vbi tamen additur, quòd talis eligi non debet, adeò, vt si scienter electus fuerit (id est, sciens suam excommunicationem, sicuti explicaui Theol. moral. lib. 1. tr. 5. p. 2. c. 3. n. 5.) eius electio irritanda sit.

De maiore autem excommunicatione, quòd repellat hominem ab electione, non tantùm passiua, sed etiam actiua, colligitur ex c. cùm dilectus 8. vbi id docui not. 4. & 5. de consuet. & c. cùm inter 16. vbi id docui not. 7. hoc tit. & tradunt Doctores in c. vlt. Ne Sede vacante in 6. per eum textum.

Hic autem, & in supra cit. c. vlt. & in c. vlt. de Procurator. disputant, num electio irrita sit, si Electores absque necessitate, & protestatione, secum ad eligendum admittant excommunicatum non toleratum? Et plerique affirmant, vti videre licet apud Innoc. hîc n. 3. Abb. n. 7. Suarez de censur. disp. 14. sect. 2. n. 13. & seqq. qui denique propter auctoritatem DD. & textum cit. c. vlt. eandem sententiam sequendam esse existimat. Veruntamen cùm hæc electionis nullitas nuspiam expressa sit, ideo contrarium defendit P. Ægidius Coninck tom. 2. de Sacram. disp. 14. dub. 10. n. 93. ita tamen, vt Superior in pœnam, eiusmodi electionem rescindere possit. Sed agam de hac quæst. ex instituto in cit. c. vlt. Ex hoc autem c. pro communi sententia arbitror coniecturam capi posse; Cùm enim Pontifex quodammodo in dubium reuocet, num electio exinde de-

defectum patiatur, quòd electores quidam minore excommunicatione affecti fuerint, pro certo habere videtur, si in maiore excommunicatione fuissent, electionem irritam futuram fuisse.

NOTANDVM II. Si in electione, aut alio actu siue contractu, defectus aliquis ex positiui iuris constitutione pendens, interueniat, Princeps, qui in spiritualibus est Romanus Pontifex, ex plenitudine potestatis, eum supplere potest; id est, efficere, vt ratus & validus existat, perinde ac si ab initio legitimè fuisset institutus. Sic colligitur ex c. isto, & tradit hîc Anton. n. 3. Abb. n. 3. Card. Zabarella in Clem. Pastoralis, §. Cæterùm not. 3. de sent. & re iudic. Quare dicere interdum solent Canonistæ; quòd *Papa facere potest ex non ente ens*, quando videl. ex certa scientia seu de plenitudine potestatis, actum inualidum confirmat, seu potiùs innouat, & validum reddit: Verùm tali potestate vti censendus non est cum præiudicio tertij, iuxta ea quæ dixi in c. quæ in ecclesiam 7. de Constitut.

CAPITVLVM XL.

Scriptum.

PARAPHRASIS.

Cùm in discordia ad ecclesiam Constantinopolitanam ex vna parte Archiepiscopus Eradiensis postulatus fuisset, ex altera verò parte S. Plebanus S. Pauli de Venetiis electus; vtraque pars tam postulantium, quàm eligentium, ad Sedem Apostolicam missis Procuratoribus, causam suam defenderunt. Sed quia Pontifex Innocent. III. ex transmissis & relatis coram se plenam controuersiæ cognitionem assequi non potuit, eam proximo Notario suo commisit, mandans eidem, vt diligentissimè inquirat: Venetijs quidem de moribus postulati & electi; quia ibi nati & educati fuerunt; Constantinopoli verò, vbi postulatio & electio peractæ, de studijs postulantium, atque eligentium, déque eęteris rebus, quæ ad causę instructionem pertinere poterant. Tum verò, si partes in eum vt Iudicem consentiant, procedat hoc modo: Si constiterit, rem ita se habere, sicuti Pontifici relatum fuerat, quòd Canonici consenserint, vt septem Præpositi, per se, vel per alios, ad electionem admitterentur, duo item Procuratores pro cæteris Conuentualium ecclesiarum Prælatis; tunc si tot eo tempore Prælati fuerunt, vt eorum voces, vnà cum suffragiis septem Præpositorum, & nouem Canonicorum, (quos constat in postulatione Archiepiscopi consensisse) duplo maiorem numerum facerent, quàm erat numerus Electorum Plebani, videl. sedecim; dictam postulationem, dummodò postulatus dignus sit, Apostolica auctoritate admittat. Sin autem ad faciendum numerum duplo maiorem postulantium vota simul iuncta non ascendunt, tum electionem Plebani confirmet, si indignus non sit. Quòd si verò duplo maior numerus postulantium repertus fuerit, sed qui postulatus est, indignus; tum vtramque, postulationem videl. & electionem, reprobet; præterquam si omnes, aut maior pars postulantium deliquerint postulando indignum; hoc in casu electionem confirmet, si electus idoneus est; quippe cùm illis priuatis ius eligendi ad alios deuolutum sit.

SVMMARIVM.

1. *Electores electionem, vel postulationem suam coram Superiore prosequi possunt, petentes, vt ea si canonica sit, admittatur, vel confirmetur.*
2. *Præpositus ecclesiæ Cathedralis, si non sit etiam Canonicus, non habet vocem in Capitulo, nisi aliud obtineat consuetudo.*
3. *Ad electionem Prælati potest quispiam mittere non tantùm vnum, sed plures; & hi possunt à pluribus constitui, quorum nomine ac loco plura suffragia habeant.*
4. *Si postulatio cum electione concurrit, vt illa admittenda sit, debent duæ partes*

Capitularium consensisse in postulandum.

5. *Si plures Vniuersitates congregentur ad expediendum actum, habentes vocem seu ius suffragij, non vt diuersa Corpora seu Vniuersitates, sed vt earum personæ omnes vnum pro præsente actu Corpus aut Collegium efficiunt, tum attendi debet ad numerum suffragantium secundùm capita, & non secundùm corpora.*

6. *Promotus ad prælaturam, si ad aliam eligatur, aut postuletur, iterum præmisso examine approbari debet.*

1 NOTANDVM I. Electores, electionem, postulationémue suam coram Superiore prosequi possunt, petentes, vt ea, si canonica sit, admittatur, vel confirmetur. Ita hîc, & in c. bonæ 36. vbi id Abb. notauit n. 3. hoc titulo.

2 NOTANDVM II. Præpositus ecclesiæ Cathedralis, si non sit etiam Canonicus, non habet vocem in Capitulo, nisi aliud obtineat consuetudo. Ita colligi videtur ex hoc c. & notauit Abb. hîc n. 4. Idque in Germaniæ Ecclesiis Cathedralibus etiam inde constat; quia in ijs Præpositura est prima dignitas post episcopalem; & tamen Capituli Caput Decanus est, iurisdictionem aliquam in Canonicos exercens.

3 NOTANDVM III. Ad electionem Prælati potest quispiam mittere non tantùm vnum, sed etiam plures; Et possunt hi siue plures, siue vnus, à pluribus constitui, quorum nomine ac loco plura suffragia habeant: Ita sumitur ex textu huius c. quando dicitur, duos Procuratores tot habuisse voces, quot eo tempore Ecclesiæ Conuentuales habebant Prælatos, quorum nomine illi aderant. Videri potest c. si quis iusto 46. hoc tit. in 6. Idcirco autem, interprete Gl. hîc ver. temporis, Pontifex ait, numerandos esse Prælatos, qui tunc viuebant: Quia si ecclesia aliqua vacabat, Capitulo siue Conuentui non competebat ius electionis: Etenim Capitulum vacante Sede non succedit in ijs, quæ Prælato iure speciali competunt rationè dignitatis, vti docent DD. in c. verum 7. de foro compet. Abb. hîc n. 13. Anton. n. 25. Hoc autem ius eligendi Patriarcham Constantinopolitanum Prælatis ecclesiarum Cõuentualium iure speciali consuetudinis, aut priuilegij, competebat ratione dignitatis eorum. Ergo, &c.

4 NOTANDVM IV. Si postulatio & electio in discordia concurrant, vt illa admittenda sit, necesse est duas partes Capitularium consensisse in postulandum. Ita habetur hîc expressè, & docui in c. 3. de postulat. Prælatorum not. 4. Quamobrem cùm electionis de Plebano fuerint vota sedecim, Præpositorum autem septem, & Canonicorum nouem postulantium Archiepiscopum vota itidem sedecim, inquiri iubet Pontifex, quonam fuerint Prælati; quorum omnium & singulorum nomine Procuratores missi in eundem Archiepiscopum consenserunt. Necesse enim erat, minimùm etiam sedecim fuisse, vt postulatio in ea discordia admitti posset. Quòd si tantus Prælatorum numerus non fuisset, sed solùm quindecim v. g. ideóque vota pro Archiepiscopo vniuersim triginta & vnum, hoc in casu voluit Papa Plebani electionem, si is dignus sit, confirmari; quia facta esset à pluſquam tertia suffragantium parte, quo in casu plerumque electionem confirmari, docui in cit. c. 3. not. 4.

5 NOTANDVM V. Si plures Vniuersitates congregentur ad expediendum actum, habentes vocem seu ius suffragij, non vt diuersa Corpora, seu Vniuersitates, sed vt earum personæ omnes vnum pro præsente actu Corpus, aut Collegium efficiunt: tum attendi debet ad numerum suffragantium secundùm capita, & non secundùm corpora. Ita colligitur ex c. Cumana 50. hoc tit. & in hoc etiam c. apparet: Cùm enim esset Capitulum, seu Corpus Canonicorum, & Vniuersitas Prælatorum Conuentualium habentium ius suffragij, quatenus erant personæ singulares, prout additio Gl. hîc annotauit ver. duo, & septem Præpositi; iussus est Legatus computare numerum personarum seu capitum omnium suffragantium: Secùs autem est, si diuersa Corpora seu Congregationes conueniant ad quippiam decernendum,

tanquam

tanquam corpora: hoc enim in casu non attenditur ad numerum personarum seu capitum; sed fieri potest, vt quod paucioribus secundùm Capita visum fuit, id ex plurium Corporum sententia decretum censeatur, sicuti hic explicat Abb. n. 6. & declarauí in c. pastoralis 14. not. 3. de rescript.

NOTANDVM VI. Si in discordia duo decreta postulationis, aut electionis formata sint, vnum de persona digna, alterum de indigna, fieri potest, vt valeat decretum de digno, etiamsi sit à minore, v.g. tertia parte Electorum; si ponamus omnes eos, aut saltem tum multos scienter elegisse, vel postulasse indignum, vt ijs priuatis, eligentes dignum maiorem Capituli partem efficiant. Ita sumitur ex textu c. huius in fine, & explicat Abb. n. 14. in casu 4. docui idem in c. cùm Vintonienſis 25. not. 3. q. 1. & dicetur iterum in c. congregato 53. eod. hoc tit.

6 NOTANDVM VII. Promotus ad prælaturam, siadaliam eligatur, aut postuletur, iterum prærnisso examine, approbari debet; cùm fieri possit, vt impedimentum, aut indignitatem postea cõtraxerit; maximè si ad aliorem dignitatem promouendus sit, vt in casu huius c. ad Patriarchatum, prout Gl. hîc notauit ver. præsumitur.

CAPITVLVM XLI.

Ne pro defectu.

PARAPHRASIS.

Ne Ecclesiæ, si Pastoribus diu destitutæ sint, à lupis, (id est, animarum raptoribus) inuadantur, & damnum spirituale patiantur, aut in temporalibus facultatibus detrimentum incurrant, in generali Concilio Lateranensi sub Innocentio III. Pontifice, cap. 23. statutum est, vt non vltra tres menses Cathedrales & regulares ecclesiæ vacent: Intra quod temporis spatium, si electio Prælati (iusto cessante impedimento) celebrata non fuerit, Electores, seu ad quos eligendi potestas pertinet, ea vice priuati existant, & ius eligendi ad proximum Superiorem deuoluatur: Qui & ipse intra tres menses (ad die deuolutionis numerãdos) cum consilio Capituli sui & aliorum prudẽtium virorum, Deum præ oculis habens, ecclesiæ viduatæ personam idoneam prouidere teneatur, & quidem ex eadem ecclesia, si idoneus reperiatur; alioquin ex alia: nisi ipse quoque vltioni canonicæ pœnæ subiectus esse velit.

SVMMARIVM.

1. *Ecclesiæ Cathedrales & regulares vltra tres menses vacare non debent. Alias autem prælaturas, dignitates & beneficia sufficit intra semestre tempus conferri, & prouideri.*
2. *Prælaturas ecclesiarum collegiatarum probabiliter etiam intra trimestre tempus prouideri debent, quarum Prælato ordinariam ac generalem iurisdictionem in clericos suæ ecclesiæ, iure speciali, exercent.*
3. *Tempus istud trimestre, extra casum necessitatis solus Papa restringere potest.*
4. *Computari debet à die vacationis cognitæ.*
5. *Tempus hoc à iure definitum non currit iustè impedito, si agatur de pœna ob moram seu negligentiam.*
6. *Deuolutio potestatis eligendi propter negligentiam electorum sit ad proximum Superiorem, cuius est confirmare electum.*
7. *Prælatus in iis, quæ iure ac potestate ad se deuoluta expedit, non tenetur requirere consensum Capituli sui, nisi ex quadam æquitate.*
8. *Superior, ad quem deuolutio facta est, debet aliquem eligere ex eiusdem ecclesiæ gremio siue corpore, modo idoneus adsit: aliàs potest ex alia ecclesia personam idoneam assumere.*

NOTANDVM I. Ecclesiæ Cathedrales, & regulares vltra trium mensium spatium vacare, seu Pastore carere non debent, vti hîc statuitur. Sedalias Prælaturas, digni-

tates, ac beneficia sufficit intra semestre tempus conferri, aut prouideri, c. 2. de concess. præb. Ratio discriminis est: Quia alij beneficiarij, etiam collegiatarum ecclesiarum Prælati, spectato iure communi, non exercent iuris iurisdictionem in clericos; sed ea Episcopo competit: At verò regulares Prælati, tametsi exempti non sint, iurisdictionem ordinariam ac generalem exercent in Religiosos suos, saltem in causis spectantibus ad vota religiosa, obseruationem regulæ, & domesticam disciplinam, vti constat ex c. ad aures 5. de tempor. ordinat. & docui in Th. moral. lib. 1. tract. 4. cap. 7. §. 8. Maiorem verò, ampliorémq; iurisdictionem in clericos, aliósque fideles Episcopi obtinent, quare de eorum electione non vltra tres menses protrahenda etiam in antiquis canonibus cautum est c. obeuntibus 35. d. 63.

2 QVAESTIO prima; Vtrùm eadem constitutio extendi debeat ad ecclesiarum collegiatarum Prælatos illos, qui & ipsi ordinariam ac generalem iurisdictionem in clericos suæ ecclesiæ, iure speciali, exercent? Probabiliter affirmatur, cum Gl. in c. seq. ver. ecclesiis viduatis, Abb. hîc n. 5. Imola n. 2. Idque propter identitatem rationis, considerata intentione Legislatoris, quæ fuit in hoc c. vt ecclesiis viduatis, seu Pastore ac veluti sponso, à quo regantur, carentibus tempestiuè prouideatur, ne detrimẽtum aliquod patiatur. Quæ ratio locum etiam habet in dictarum ecclesiarum Prælatis; qui & ipsi sponsi dici possunt, si in ijs ecclesiis, quas regunt, iurisdictionem generalem erga suos exercentes, principales sint, siue Capita earundem ecclesiarum, argum. c. sicut in vnaquaque 4. causa 21. q. 2. Idque indubitatius est, si ecclesiæ ab Episcopo exemptæ sint; ita, vt Prælati earum quasi episcopalem iurisdictionem obtineant. Confirmatur ex eo, quòd principalis intentio constitutionis huius sit, *prouidere ecclesiis viduatis, ne damnum patiantur*; ideóque fauorabilis censeri debeat; vt eius extensio vltra vim verborum, spectata intentione legislatoris, iuridica videri possit, iuxta ea, quæ docui in Theol. morali lib. 1. tract. 4. c. 18. n. 9.

QVAESTIO secunda. Num tempus istud a Capitularibus à iure concessum restringi possit, vt intra breuius tempus eligere teneantur? Respondetur; In casu necessitatis, si videl. Capitulares, ob periculum moræ, electionem accelerare deberent, à Superiore, v. g. à Legato Apostolico, aut Episcopo, si ecclesia viduata ipsi subiecta sit, cogi possunt: Sed extra talem casum, adeóque ordinariè loquendo, solus Papa, ex plenitudine potestatis suæ, temporis spatium, iure communi indultum, restringere potest: Non item alius, tametsi Legatus à latere sit: quia priuilegium à Superiore concessum inferior tollere non potest, secundùm Gl. in c. pro illorum 22. ver. auctoritate propria, de præb. Abb. in c. cùm in veteri n. 1. hoc tit. & constat ex reg. 17. in 6. *Indultum à iure beneficium non est alicui auferendum.*

QVAESTIO tertia; Quomodo tempus 4 trium mensium computari debeat? Respondetur, ex c. Quia diuersitatem 5. de concessione præb. computandum esse non absolutè à die vacationis, sed die vacationis cognitæ; siue, vt ibi dicitur, *à die notitiæ ipsius vacationis*: Nam qui nescit, agendi potestatem non habet, l. annus 6. ff. de Calumniator. l. cùm sex menses 55. ff. de ædilit. edicto, & patebit magis ex not. seq.

NOTANDVM II. Tempus à iure defi- 5 nitum non currit iustè impedito, si agatur de pœna ob moram seu negligentiam inferenda. Ita hîc, & in cit. c. Quia diuersitatem. Quamobrem Gl. margin. in c. bene nouit 18. d. 61. ait, quòd *tempus deputatum ad electionem celebrandam, est vtile, non continuum; nam non currit iusto impedimento detento, neque ignorantibus.* Et Gl. in cit. c. quia, ver. suspensionis, quòd *tempus, in quo quis eligere non potest, non currit.*

NOTANDVM III. Deuolutio potesta- 6 tis eligendi, propter negligentiam electorum, fit ad proximum Superiorem, etiam in ecclesia Cathedrali; ita, vt si Canonici Cathedrales per tres menses Episcopum eligere negligant, ius eligendi pro ea vice ad Archiepiscopum deuoluatur, iuxta hoc c. quod est editum post c. dilectus 12. de cõcess. præb.

in quo

in quò contrarium ab eodem Innoc. responsum fuerat. At verò in altero casu priuationis, videl. si Electores siue Canonici Ecclesiæ Cathedralis indignum eligant, deuolutio statim fit ad Papam, vti declaratum est in c. quamquam 18. hoc tit. in 6. & videri debet Gl. ibi ver. deuoluetur. At verò in ecclesijs inferioribus deuolutio semper fit ad proximum Superiorem, cit. c. quamprimum,

Cæterùm, quod dictum est, propter negligentiam Electorum in ecclesia Cathedrali, deuolutionem ad Archiepiscopum fieri, id declarandum videtur, locum tantùm habere, si ad Archiepiscopum, seu Metropolitanum pertineat confirmatio Episcopi electi, iuxta receptam doctrinam, Gloss. in Clem. vn. ver. dispositionem, iun. Gl. margin. ibid. Abb. in c. 1. n. 10. hoc tit. Rebuffi in praxi benefic. tit. de deuolut. n. 18. quòd propter negligentiam electorum ius eligendi deuoluatur ad Superiorem, cuius est cõfirmare electum; similitérque propter negligentiam præsentantium ius prouidendi deuoluatur ad eum Superiorem, cuius est instituere præsentatum, siue is Episcopus, siue alius Prælatus sit. Porrò, iure antiquo spectato, infrequens non erat, vt confirmatio Episcoporum Metropolitano relinqueretur, vti annotauit Abb. Panormit. in c. nihil, n. 3. hoc tit. & colligitur ex c. 2. d. 23. c. cùm dilectus 32. hoc. tit. c. si Archiepiscopus 6. de tempor. ordinat. c. vn. de scrutinio in ord. faciendo. At verò secundùm iura nouiora, præsertim Extrauag. ad Regimen, de præb. posteaquam Episcoporum promotio Rom. Pontifici reseruata est, plerumque deuolutioni ad Archiepiscopum in casu isto negligentiæ Canonicorum Cathedralium locus non est, ne quidem in Germania nostra; multò minùs in ijs regnis, in quibus ius Episcopum eligendi Cathedralibus Capitulis allatum est. Dixi autem *plerumque*, quia etiam in Germania reperiuntur adhuc Episcopatus aliqui, v. g. in Salisburgensi prouincia, Metropolitanæ Ecclesiæ ita subiectæ, vt earum Episcopi à Metropolitano confirmationem accipere debeant. In hoc itaque casu locus est huic decretali *Ne pro defectu*, & cit. decretali *Quamquam*.

NOTANDVM IV. Prælatus, videl. Episcopus aut Archiepiscopus, in ijs quæ iure ac potestate ad se deuoluta expedit, non tenetur requirere consensum Capituli sui. Ita colligitur ex textu huius c. iuncta Gl. ver. consilio, in fine: Rationem huius rei reddidi in cap. cùm in cunctis 7. §. Clerici sanè, hoc tit. Addit verò Gl. quam sequitur Abb. n. 6. & alij apud Innoc. prope finem huius c. quòd nec consilium Capituli adhibere teneatur ex necessitate, sed tantùm ex quadam æquitate. Cùm enim etiam talia non sine consilio virorum prudentium expedire debeat Episcopus, æquum est, vt, si tales in Capitulo seu corpore ecclesiæ suæ habeat Episcopus, eorum operâ præ alijs vtatur. 7

NOTANDVM V. Superior, ad quem potestas eligendi ob negligentiam deuoluitur, debet aliquem eligere, ex eiusdem ecclesiæ gremio, siue corpore; dummodò idoneus adsit; alioquin ex alia ecclesia personam idoneam assumere non prohibetur. Ita habetur in hoc c. Idem sumitur ex c. 13. d. 61. *Nullus inuitis detur Episcopus*, vbi Gl. *Tunc de aliena ecclesia eligantur, quando in propria nullus inuenitur idoneus; & si clerici viderint se in hoc prægrauari, sit eis facultas appellandi & contradicendi.* Et Eman. Rodriq. tom. 2. regul. qq. q. 53. a. 9. Iniuriam fieri fratribus, si inter eos reperiatur dignus prælaturâ, & alius præficiatur. 8

Obijcitur: Deuolutio fit eodem iure ac potestate, quam ij habuerunt, à quibus fit: subrogatum enim imitatur naturam eius, cui subrogatur. l. eum qui 10. §. Qui iniuriam, iun. Gl. ver. danda, ff. Si quis cautionibus, c. ecclesia 3. Vt lite non pendente, iun. Gl. ver. successerunt, Capella Tholos. q. 70. Nauarr. consil. 22. de celebr. missarum, Euerardus in loco à vi subrogationis: Atqui Capitularibus liberum est vel ex ecclesiæ suæ corpore, vel alium eligere, vti constat ex c. cùm nobis 19. & c. cùm inter 21. hoc tit. Ergo eadem quoque facultas competet ei, ad quem eligendi potestas deuoluta est. Quæ ipsa etiam causa est, cur Superior, ad quem deuolutio facta, tres menses aut sex menses

habeat ad prouidendum, ſicuti ij, à quibus deuolutio facta, vti ex hoc ipſo c. colligitur: Fit enim deuolutio cum eiſdem conditionibus & qualitatibus; adeò vt ſi ex certa gente, aut familia quiſpiam eligendus, præſentandus, aut promouendus erat, talem etiam Superior, ad quem ob negligentiam aut delictum, deuolutio facta, inſtituere debeat, prout videre licet apud Petr. Rebuffũ tract. de nominat. q. 8. & in praxi benefic. tit. de deuolut. n. 30. Reſpondeo ad obiectionem; Secundùm ſacros canones, & Eccleſiæ praxin, non eſſe in Collegio aut Cõgregatione inſtituendum Prælatum, qui ex corpore non ſit, niſi ipſi Capitulares conſentiant, ac veluti iuri ſuo renuncient, ſicuti docui in c. cùm inter 21. not. 3. hoc tit. Hæc autem conditio æquè obſeruatur in deuolutione; vt videl. Superior aliquem è gremio eccleſiæ, à qua deuolutio facta, eligere aut inſtituere debeat, niſi Capitulares in alium ſponte conſentiant. Quòd verò ius iſtud renunciationis ſeu voluntarij conſenſûs, dum perſonale ſit, ad Superiorem non deuoluatur, per ſe liquet.

CAPITVLVM XLII.

Quia propter.

Paraphrasis.

Innocentius III. Papa in eodem Lateran. Concilio cap. 24. tres formas canonicæ electionis propoſuit, quarum vna, reiectis alijs, quas quidam perperàm & non ſine eccleſiarum detrimento introducere conati fuerunt, vſurpari debeat. Prima eſt per ſcrutinium, ſiue ſecretam ſuffragiorum collationem. Si in loco, vbi electio celebranda eſt, præſentibus omnibus, qui debent, & volunt, & poſſunt cõmodè intereſſe, aſſumantur tres è Collegio, fide digni, qui ſecretè & ſigillatim vota eunctorum diligenter exquirant, & in ſcriptis redacta mox publicent, in communi, nullo appellationis interiecto obſtaculo; vt is, collatione habitâ, eligatur, in quem omnes, vel maior & ſanior pars Capituli conſentit. Altera forma eſt per compromiſſum; ſi eligendi poteſtas aliquibus viris idoneis ab Electoribus committatur, qui vice omnium eccleſiæ viduatæ prouideant de Paſtore. Tertia eſt quaſi per inſpirationem Spiritûs ſancti, ſi omnes Electores veluti vno corde & ore in eandem perſonã abſque vitio conſentiant. Præter has formas, ſiue aliter quàm hîc præſcriptum, electio facta irrita eſt: Electores autẽ, ſi contradictas formas eligere attentauerint, pro ea vice eligendi facultate priuati exiſtunt.

Svmmarivm.

1. *Accidentales ſolemnitates recenſentur, quæ ante electionem premitti ſolent, & ſi per conſuetudinem receptæ ſunt, omitti non debent; omiſſa tamen electionem non vitiant.*
2. *Recẽſentur ſubſtãtialia, ſeu perſe requiſita ad electionem, quæ ſit per ſcrutinium. Primum eſt, vt omnes ius ſuffragij habentes congregati eſſe debeant, ſi velint, & cõmodè poſſint. Et hoc quidẽ requiſitum commune eſt etiam omni alij electioni.*
3. *Secundum requiſitum: Tres ſcrutatores eligi debent à Capitulo, qui & ipſi Capitulo ſunt, de huius tamen communi conſenſu vel partis maioris, poſſunt etiam alij viri idonei aſſumi. Si Capitulares aliqui ſcrutinium facere aggrediantur, ad hoc non conſtituti vel electi, alijs videntibus & non contradicentibus, actus erit validus.*
4. *Tertium requiſitum: Scrutatores electores omnes ſecretè & ſigillatim ſcrutari debent ſeu ſuffragia eorũ exquirere.*
5. *Poſſunt præter ſcrutatores & Notarium duo vel tres teſtes adhiberi; conformius tamen huic conſtitutioni erit, ſi teſtes non adhibeantur.*
6. *Modus ſcrutinij faciendi in quo cõſiſtat.*
7. *Quartum requiſitum: Poſt omnium collecta ſuffragia, eorum omnium publicatio mox coram omnibus fieri debet, ſuppreſſis nominibus eligentium.*
8. *Quintum requiſitum: Poſt publicatum ſcru-*

scrutinium statim sequi debet collatio numeri adnumerum, zeli ad zelum, meriti ad meritum.

9. *Sextum requisitum: Post factam collationem, si in vnum, eúmque dignam ac habilem, maiorem & saniorem partem Capituli consensisse appareat, decretũ electionis formari, idq; ab vno, qui præest Capitulo, seu qui primus scrutatoribus suffragium suum declarauit, aut ab alio à Capitulo ad hoc deputato publicè promulgari debet.*

Forma huius decreti electionis.

10. *Electio capitularis si non à maiore Capituli parte facta, adeóque ipso iure irrita est, per aliorum accedentem consensum confirmari potest ante, non autem post promulgationem electionis.*

11. *Hæc forma scrutinij in electionibus eorum tantùm Prælatorum seruanda est, qui ordinariam & generalem spiritualem iurisdictionem in subditos exercent, vt sunt Episcopi, Prælati regulares & Collegiatæ ecclesiæ Præpositi, qui ob exceptionem generalem iurisdictionem in clericos exercent.*

12. *In his omnibus electionibus seruari debet hæc forma scrutinij, nisi priuilegium Apostolicum, vel immemorialis alterius eligendi modi cum bona fide obseruantia, vel denique paucitas electorum aliam eligendi formam permittat.*

13. *Electio Prælati in ecclesia viduata si fiat formâ scrutinij non obseruatâ, ipso iure irrita est, ita vt à Superiore per sententiã declaratoriam rescindi possit.*

14. *Et Capitulares non quidem ipso iure pro ea vice priuatos esse sed à Superiore per sententiam priuandos.*

15. *Capitulares post electionis, in qua forma scrutinij seruata non est, promulgationem, sed nondum electo insinuatam, aut ab ipso non acceptatam, aliam electionem inchoare possunt, si velint, excepto casu, quo indignum elegissent.*

16. *Ad formam compromissi requisita, ad formam scrutinij necessariò obseruanda non sunt.*

17. *Si compromissum sit in plures, v.g. tres & duo indignum eligant; eligendi potestas non ad vnum, vel minorem partem deuoluitur, sed ad Capitulum.*

18. *Ad electionem quasi per inspirationem Spiritûs S. requiritur tantum, vt nullâ præcedente disputatione de certâ eligendi personâ omnes vnanimiter in eandem personam absque fraude, vitio simoniæ &c. consentiant.*

ADuertendum, quòd quædam sunt accidentales solemnitates ante electionem præmitti solitæ: huiusmodi fermè sunt: I. In die electionis Missa de S. Spiritu celebratur, & Electores sacrificant, aut S. Eucharistiam accipiunt. II. Ante tractatum electionis hymnus *Veni sancte Spiritus* ab omnibus clarâ voce recitatur. III. Aliquis nomine totius Capituli protestatur, nolle se quempiam ad electionem admittere, aut suffragium eius valere, qui de iure ad eligendum inhabilis est, iuxta ea quæ dixi in c. Illa 39. hoc tit. & dicetur in c. vlt. de Procurator. IV. Si quis adsit tali potestate præditus, absoluit omnes ab excommunicatione, alijsq; censuris, in ordine ad canonicæ electionis effectum. V. Interdum tractatus præmittitur, in quo personæ aliquæ palàm nominantur, & proponuntur in Capitulo, quæ ad prælaturam idoneæ videantur, iuxta c. quod sicut 28. hoc tit. Hæc electioni omni accidentalia sunt, ob quorum omissionem non vitiatur: attamen, si per consuetudinem recepta sunt, omitti non debent. 1

Substantialia, seu per se requisita ad electionem Prælati ecclesiæ viduatæ, si per scrutinium fiant, multa à Doctoribus recensentur, quæ ex textu huius c. colliguntur. Primum. Omnes ius suffragij habentes congregati esse debent, si velint, & commodè interesse possint. Cuius requisiti duæ partes sunt; Prior, quòd Electores collegialiter conuenire debent ad electionem celebrandam; sicut & ad alium omnem tractatũ collegialẽ, siue Capitularẽ: Quia nõ dicitur Vniuersitatis aut Collegij consensus, aut commune decretum, nisi vnà conuenientes tractarint, & con- 2

sen-

senserint; secùs, si sensim aut separatim, c. in Genesi 56. hoc tit. & docet Gl. in l. sicuti 7. ver. non debeat, ff. Quod cuiusque Vniuersitatis nomine gestum. Posterior, quòd omnes Electores siue ius suffragij habentes qui volunt, & commodè interesse possunt, vocandi sunt; quod intelligitur, dummodò absentes nesciant, electionem eo die futuram: Qui autem certus est, certiorari vlterius non debet, reg. 31. in 6. Cæterùm pro ea vice ius suffragij non habent, vt quia ob delictum priuati sunt, suspensi, personaliter interdicti, vel excommunicati; & qui interesse electioni nolunt; aut commodè adesse, seu aduocari non possunt, ij connumerari non debent inter Electores; adeóque tota virtus & potestas penes alios remanet, sicuti suprà aliquoties dictum. Atque hoc primum acquisitum commune est omni electioni Collegiali: Cætera autem, quæ sequuntur, propria electioni, quæ per scrutinium fit.

3 Alterum requisitum. Tres scrutatores à Capitulo eligi debent, qui & ipsi è Capitulo sunt. Ita habetur hîc expressè, ver. *tres è Collegio*. Arbitratur tamen Gl. hîc ver. viris, non esse de substantia electionis, vt tres sint scrutatores, iique ex Collegio siue Capitulo congregato, cùm possint etiam alij assumi, viri digni fide, de quibus nulla fraudis suspicio esse possit. Sed contraria sententia est communis apud Innoc. hîc n. 1. Imolam num. 1, Anton. n. 6. Baldum n. 9. Quia verba huius c. sunt clara, à quibus proinde recedendum non est. Cæterùm ea Glossæ doctrina occasionem dedit introducendæ consuetudini, quæ in plerisque Germaniæ Ecclesiis viget, quòd Capitulum ex communi consensu, seu partis maioris suffragiis, alios viros idoneos ad scrutinium faciendum assumere possit.

Debent autem scrutatores esse *viri fide digni*, vt in textu c. dicitur, qui singulorum vota fideliter exquirant, atque secretum seruare nôrint: Admonent etiam DD. hîc post Hostiensem, quòd scrutatores esse non debeant inhumani aut vultu terribiles, sed tales, coram quibus liberè, & securè sententiam suam quisque suffragantium dicere possit; alioquin, adiectâ causâ, appellari posse, vt videre licet in Gl. marginali hîc ver. de Collegio.

Qvæstio est. Si Capitulares aliqui scrutinium facere aggrediantur, alijs videntibus & non contradicentibus, cùm tamen ad id constituti siue electi non fuerint, num valere debeat quod agitur? Affirmandum est cum Speculat. lib. 4. partic. 1. tit. de elect. §. 1. n. 20. Abbate hîc n. 13. auctoritate Gl. in c. sicut cùm 21. ver. per vnum hoc tit. in 6. quæ hoc ipsum docet in casu, si per vnum è Capitulo, alijs videntibus & permittentibus, communis electio pronuncietur. Quia taciturnitas in re appetibili siue fauorabili, consensum aut mandatum continere censetur, secundùm Gl. receptam in reg. 43. in 6. Hîc autem versamur in re appetibili ac fauorabili, vt videl. ecclesiæ Prælatus prouideatur. Accedit, quòd si Capitulares non consentirent, ex officio suo contradicere deberent; consequenter taciturnitas eorum, dummodò si vellent contradicere, facilè possent, reputabitur consensus: Atque adeò, cùm expressi & taciti eadem vis sit, ad scrutinium assumi censentur, eo ipso quòd non repelluntur.

His adde ex Eman. Rodriq. tom. 2. regul. qq. q. 52. a. 3. consultum esse, & in multis ecclesijs consuetum, vt scrutatores iuramentū edant in manibus eius, qui Capitulo præest, aut à Capitulo mandatum habet, quòd fideliter agere, & quæ secreta esse debent, propalare nolint.

Tertium. Scrutatores Electores omnes 4
secretè & sigillatim scrutari debent, seu suffragia eorum exquirere. Ita habetur in textu huius c. Ratio autem constitutionis est, vt omnes sua vota liberiùs exprimere possint.

Qvæstio autem est; Vtrùm alij quidam, tanquam testes, adhiberi possint? Affirmat Innoc. hîc n. 1. & sequitur Abb. n. 14. præter scrutatores, duos vel tres testes adhiberi posse: Cùm enim dicitur, scrutinium secretè & sigillatim fieri debere, solùm significari videtur, non esse faciendum coram Capitulo, seu alijs Electoribus audientibus; sed

sed singulos seorsim, v. g. in angulo conclauis, audiendos. Conformius tamen erit constitutioni huic, si testes nulli adsint, cùm neque eorum præsentia opus sit, si tres, iique fide digni scrutatores constituantur: Notarius tamen, siue Tabellio publicus adhiberi potest, qui singulorum responsa & suffragia in scriptum redigat, secundùm Gl. hìc ver. redacta, ibid. Abb. n. 9. & 10. Petr. Gregor. Tholos. tr. de elect. c. 16. n. 8.

6 Scrutinij faciendi modus in his consistit: I. Electores singuli coram scrutatoribus se sistentes, examinantur, & quidem iuramento, vel saltem secundùm conscientiam adstricti, quam personam, tanquam maximè idoneam, & qua ratione, ac zelo eligant. II. Scrutatores scrutinium incipiunt abeo, qui Collegio præest, siue præcipuus est; deinde verò, si ex electoribus sint, ante alios, suffragia à se ipsis mutuò exquirunt, videl. duo ab vno: Idque propterea, qui si ipsi, post aliorum omnia sibi agnita suffragia, suffragarétur, vota sua ex illis instruere, & interdum arbitratu suo, alicuius electionem impedire, vel promouere possent. III. Scrutatores, vel vnus eorum ad id deputatus, vel Tabellio, si adhibeatur, vel loco eius duo iurati testes vota singulorum in scriptum redigunt, vti suprà etiam dictum.

Veruntamen dicta scrutandi forma non in omnibus ecclesiis exactè obseruari solet. Nam in quibusdam, etiam Cathedralibus, satis factum esse existimatur, si Capitulares, post præstitum iuramentum de idoneo secundùm conscientiam & existimationem suam eligendo, aliquem scrutatoribus nominent; neque exquiri solet, quibus rationibus, seu quo zelo mouéantur: In ecclesiis verò multis regularibus consuetum, vt Electores singuli nomen eius, quem eligere volunt, in charta scribant, eámque clausam, vel obsignatam in vrnam scrutatorum conijciant, prout videre licet apud P. Eman. Rodriq. cit. q. 52. art. 8. & in Constitut. Societ. Iesu p. 8. cap. 6.

7 Quartum. Post omnium collecta suffragia, eorũ omnium publicatio mox coram omnibus fieri debet, vt appareat, quisnam, aut quinam singulatim electi fuerint: nomina autem eligentium euulganda non sunt. Quamobrem licèt nihil obstet, imò consultum sit, cùm electio per scriptas schedulas peragitur, vt electores nomina sua adscribant, quò appareat scrutatoribus, suffragia vnica à singulis Electoribus, nemine prætermisso, accepta fuisse, tamen nomina eligentium supprimi debent, non minùs, quàm si iuxta formam huius c. singulorum suffragia, & rationes siue motiua suffragandi à scrutatoribus, etiam cum nominibus suffragantium, in scriptum redacta sint, prout etiam Trid. Concil. tradidit sess. 25. cap. 6. de Regular. Adde, quibusdam in ecclesiis consuetum esse, vt post peractam electionem schedulæ in conspectu omnium comburantur.

Ideo autem statutũ fuit, vt suffragia, postquam in scriptum redacta sunt, suppressis nominibus suffragantium, *mox*, siue incontinenti, id est, nullo actu alio interposito, publicentur; quia ante publicationem Electores ab electione sua recedere possunt, non item post publicationem, c. publicato 58. hoc tit. Quapropter si scrutinij publicatio differatur, is qui electum se arbitratur, aut alius quilibet è Capitulo petere potest, vt scrutinium publicetur, argum. cit. c. publicato.

Quintum. Post publicatum scrutinium, 8
statim sequi debet collatio, quam scrutatores, aut alij è Capitulo ad id deputati facere debent numeri ad numerum, zeli ad zelum, meriti ad meritum, c. In Genesi 55. hoc tit. Collatio numeri ad numerum facienda est, vt appareat, quot suffragia quilibet habeat, & an aliquis à maiore Capituli parte electus sit. Zeli ad zelum collatio fieri, seu ipsorum eligentium expositæ intentiones ac motiua expendi debent, vt appareat, quis à saniore Capituli parte electus fuerit: Etenim vt rata fiat electio, requiritur, si non omnes, saltem vt copulatiuè maior ac sanior pars præsentis ac legitimè congregati Capituli in eundem consenserit; prout ex hoc c. constat. Denique meriti ad meritum collatio ad ipsum electum refertur, vt appareat, num idoneus sit; vel vter ex duobus electus magis idoneus.

Veruntamen in multis Ecclesiis, præser-

tim Ordinum regularium non alia collatio fieri solet, nisi numeri ad numerum; quia ob perspectam probitatem Electorum, eorúmque iuramentum, de quo suprà, dubitare non liceat, eum qui à maiore parte electus fuit, verè idoneum esse. Atque tales eligendi formæ, in quibus non omnes huius c. conditiones obseruantur, priuilegiis interdum Apostolicæ Sedis munitæ sunt, vti videre licet in Clement. Exiui §. Demum, de verbor. signif. Interdum verò consuetudine immemoriali.

Pro maiore declaratione huius requisiti, aduertendum est ex doctrina Innocentij in c. In Genesi n. 2. & 3. hoc tit. quòd post publicatum scrutinium, exactior collatio siue discussio facienda sit, si quæstio seu dubium moueatur, quàm si non moueatur. Nam hoc posteriore casu sufficit, fieri collationem generalem, videl. Titius habet decem suffragia; Caius nouem. Titij Electores habuerunt zelum, quia sunt Capitulares digniores, antiquiores, prudentes; Et elegerunt virum boni exempli, qui vtilis ecclesiæ futurus sit, ob scientiam & rerum agendarum peritiam. Quare in hoc casu, si ponamus vniuersim nouendecim fuisse Electores, promulgabitur electio Titij.

Sin autem post promulgatum scrutinium quæstio moueatur, ea varia esse potest: Prima, Vtrùm omnes præsentes fuerint, qui vocari debebant, & adesse voluerunt, ac potuerunt. Id enim refert scire, vt intelligatur, an saltem duæ partes Capitularium conuenerint. Item, an electio oppugnari postea possit ab aliquo, contemptum suum prosequente: Quæ doctrina sumitur ex cit. c. In Genesi.

Altera. Num alicuius suffragium inualidum sit. Hæc enim quæstio discuti debet, vt intelligatur, num Titius electus à decem, quorum vnus dubium suffragium tulit, à maiore Capituli parte electus fuerit; ideóq; electio promulganda sit, nécne. Talis quæstio est, si post promulgatum scrutinium moueatur, (expediret autem ab initio discuti) num aliqui Canonici sint excommunicati, vel suspensi, vel personaliter interdicti: horum enim suffragia reijci possunt; imò debent, si denunciati, aut tolerati non sint, iuxta ea quæ docui Theol. mor. lib. 1. tr. 5. p. 2. c. 2. n. 13.

Tertia. Vtrùm electus vitio laboret, siue inhabilis sit; quia in Capitulo contra eum opponitur defectus scientiæ, morum, natalium, sacri ordinis, censúra excommunicationis, suspensionis, aut personalis interdicti. De hoc, antequam communis electio sequatur, exacta discussio fieri debet; non per modum iudicij; neque vt sententia feratur; sed solùm ad veritatem cognoscendam pro præsentis negotij expeditione. Quin imò generalis hùc regula tradi potest ex doctrina Abb. in c. In Genesi n. 2. hoc tit. Si in Capitulo inter Capitulares controuersia oriatur, eam à Capitulo definiri non posse; tametsi ponamus Capitulum iure speciali, v. g. præscriptæ consuetudinis, iurisdictionem in singulos exercere: Præterquam si causa, v. g. alicuius Capitularis iniuria, admodum notoria sit: Alioquin enim Capitulum in causa propria iudex esse non potest, l. vn. C. Ne quis in sua causa iudicet.

Sextvm. Post factam collationem, si in vnum eúmque dignum ac habilem, maiorem & saniorem Capituli partem consensisse appareat, decretum electionis formari, idque ab vno, qui præest Capitulo, seu qui primus scrutatoribus suffragium suum declarauit, aut ab alia à Capitulo ad hoc deputata persona, publicè promulgari debet. *Ego N. nomine meo, & aliorum eligentium mihi, consentientium, inuocata S. Spiritus gratia, in Episcopum* (aut in Abbatem &c.) *huius ecclesiæ N. eligo, & electum pronuncio, & coram vobis publico, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Amen.*

Corollarium. Cùm electio Capitularis 10 per decreti promulgationem, non antè, quàtenus est ex parte Capituli eligentis, perfecta sit, hinc sequitur, si electio non à maiore Capituli parte facta, ideóque ipso iure irrita reperiatur, quòd postea per aliorum accedentem consensum, confirmari non possit, iuxta c. auditis 29. vbi id docui, hoc tit. Sed antequam electio promulgata est, si v. g. in collatione numeri ad numerum appareat, quòd nemo in scrutinio nominatorum sufficientem

sientem suffragiorum numerum habeat, tum non prohibentur Canonici, mutatâ sententiâ, accedere ad numerum eius, qui plura suffragia, aut si duo æqualia suffragia habuerunt, vni eorum suffragari, eúmque eligibilem facere, prout docuit Abb. in c. publicato 58. n. 7. hoc tit. Syl. ver. electio 2. q. 7. Propterea quòd ex scrutinij publicatione nullum ius cuiquam acquisitum sit; & nisi Electores varient, seu suffragia mutent, nunquâ electio secutura sit, cùm ea fieri debeat secundùm maiorem Capituli partem. Arbitror tamen si electio per formam scrutinij, in quo vota singulorum publicanda non sunt, eam varietatem, accessionémque ad eum, eósue cui plures suffragati, fieri debere inchoato novo scrutinio, prout infrà iterum dicetur.

QVÆSTIO prima; Vtrùm forma scrutinij, quæ hîc traditur (extra compromissum & modum eligẽdi per inspirationem S. Spiritus) in omnibus electionibus Capitularibus obseruari debeat? Respondeo, cum Gl. recepta hic ver. viduatæ; In electionibus eorum tantùm Prælatorum necessariò seruandam esse, qui ordinariam & generalem spiritualem iurisdictionem in subditos exercent; cuiusmodi sunt Episcopi, & Prælati regulares, & Collegiatæ ecclesiæ Præpositi ij seculares, qui vel ob exemptionem ab Episcopo, vel speciali aliquo iure generalem iurisdictionem in clericos exercent. Nam Concilium Lateranense formam hîc præscribit eligendi Prælatum in ecclesiis viduatis: Ecclesiæ autem viduatæ sunt, quæ Pastorem, veluti sponsum suum, amiserunt; Tametsi verò, propriè ac strictè, Episcopi duntaxat cum ecclesiis suis quasi vinculo spiritualis matrimonij coniuncti censentur, c. sicut 59. iun. Gl. causa 7. q. 1. c. 2. de translat. Episcopi; latiùs tamen accipiendo, etiam alij ecclesiarum seu sacrorum Collegiorum Prælati, non tantùm regulares, sed etiam seculares, si ordinariam & generalem iurisdictionem habeant, veluti sponsi dici possunt, & ecclesię eorum morte naturali, aut iuridica, v. g. depositionis, viduari, prout etiam docui in c. Ne pro defectu 41. hoc tit. Neque obstare debet, quòd Prælatus ecclesiæ siue regularis, siue secularis, ita iurisdictione generali præditus sit, vt tamen ab eo ad Episcopum appellari possit; & causæ grauiores eidem reseruatæ sint: Aut si vnà cum Prælato in iurisdictione concurrat Episcopus, detúrque locus præuentioni: Quemadmodum id ipsum accidit in Prælatis Ordinum mendicãtium, qui à Generali suo, & Prouinciali dicto modo dependent; & tamen cit. c. Ne pro defectu, nomine Pastoris, cuius morte viduatur ecclesia, comprehendi censentur.

At verò in alijs electionibus ad beneficia, aut dignitates, quæ tales prælaturæ non sunt, quales descripsi, sufficit quomodocunq; expressum esse consensum maioris partis Electorum in communi congregatorum, secundùm Gl. receptam in c. sicut 21. ver. formam, hoc tit. in 6. Syl. ver. electio 2. q. 1. Angelus eod. ver. n. 29. & alij communiter.

QVÆSTIO secunda; An in omnibus dictorum Prælatorum electionibus ea quæ hîc descripta est, scrutinij forma seruanda sit? Responsio est affirmatiua ex communi sententia. Sed limitari debet. I. Nisi priuilegium Apostolicum habeatur de alia forma electionis tenenda, aut vna vel pluribus scrutinij conditionibus omittendis. II. Si à tempore immemoriali, cum bona fide, aliter in electione Prælati obseruatum, quàm in hoc c. Quia propter, præscriptum est, & DD. communiter ad formam scrutinij requirere solent. III. Si valde pauci sunt Electores, vid. tres tantùm, (aut etiam quatuor secundùm Innoc. hîc n. 4.) non tenentur seruare, cùm nec possint, hanc formam scrutinij: Ita DD. plerique, inter quos Bald. hîc n. 20. dans rationem; quia *statutum cessat, si verba statuti seruari non possint.* Arbitratur quidem Host. hic compromissi formam assumẽdam, etiamsi aliquis Capitularium cõtradicat; sed Abb. super hoc c. §. vel saltem, Rodriq. tom. 2. Regular. qq. q. 52. a. 2. contrarium rectè docent; quia nemo cogi potest, vt abiecta electionis libertate, ex alieno arbitrio pendeat. Itaque, nisi consuetudo permittat, vt scrutatores adhibeantur, qui ex Capitulo non sunt, poterit vnus Capitularium cum Notario scrutator constitui; vel possunt, sine forma scrutinij,

hîc præscripta sua suffragia voce aut scripto exprimere, iuxta morem antiquum; præsertim, si duo tantùm sint, sufficiet eorum consensus quomodocunque declaratus. Sin denique vnus tantùm, potest is coram testibus suffragium suum exprimere; nisi malit in alium, vel alios ius electionis transferre: tum enim ipsemet si idoneus sit, prælaturam consequi poterit.

13 QVÆSTIO tertia. Estné ipso iure irrita electio Prælati in ecclesia viduata, si fiat formâ scrutinij non obseruatâ? Affirmant DD. communiter, propter verba clara huius c. *Aliter electio non valeat.* Sed intelligi inprimis debet iuxta ea, quæ in c. cùm in cunctis 7. hoc tit. & aliàs docui, electionem ipso iure irritam esse, ita vt à Superiore per sententiam declaratoriam rescindi possit, perinde acsi ab initio penitus, nullóque iure subsistitisset. Alioquin verò, si non rescindatur, quia nemo est, qui eam oppugnat, neque Superior ex officio mouetur, electus tutus manet in conscientia, cùm naturalis obligatio, atque ius ortum ex eligentium consensu subsistat. Quare electus defendere se potest regula 33. Cancellariæ de triennali possessore; videl. quòd post elapsum triennium à die possessionis acquisitæ numerandum, molestari amplius non debeat. Deinde pars ea requisiti, secundo loco recensiti, quòd omnes ius suffragij habentes, qui possunt ac volunt interesse, vocari debent: nõ semper ita se habet, vt eius omissio electionem ipso iure irritam faciat, sed interdum irritabilem: videl. si vnus aut plures contempti sint; duæ tamen partes Capitularium, quippe in quibus ius Capitularis ad tractatum instituendum consistere censetur, conuenerint, iuxta ea quæ dixi in c. quod sicut 28. hoc tit.

14 QVÆSTIO tertia; Vtrùm Capitulares, si non seruatâ formâ scrutinij, electionem faciant, ipso iure pro ea vice priuati existant? Dicendum cùm Gl. hîc ver. priuentur, Anton. n. 52. Abb. in vers. nisi n. 3. non esse priuatos, sed à Superiore per sententiam priuandos; quia id verba c. §. Qui verò, significant, *eligendi ea vice potestate priuentur.* Consentit c. quamquam 18. hoc tit. in 6. Post sententiam autem, deuolutio electionis pro ea vice fit ad proximum Superiorem, in Cathedralibus verò ecclesiis ad Papam, iuxta cit. c. quamquam. Id verò intelligendum, si omnes eligendo deliquerunt; sin autem non omnes, quia aliqui absentes fuerunt, aut se opposuerunt & appellarunt, ne tali modo electio fieret, deuolutio fit ad ipsos, secundùm Gl. receptam in cit. c. quamquam, ver. deuoluetur.

QVÆSTIO quarta; Quid sentiendum, si Capitulares post electionis, in qua forma Concilij seruata non est, promulgatum decretum, sed nondum electo insinuatum, aut ab ipso non acceptatum, aliam electionem inchoare velint; sed Canonici aliqui, qui non interfuerunt, se opponant, appellantes ad Superiorem, vt propter formam scrutinij non seruatam, transgressores priuentur, & tota potestas ad ipsos recidat? Discrepantes hac de re sunt Interpretum sententiæ: Hostiensis & post eum Anton. hîc n. 52. existimat, contractioni locum esse, vt electio noua fieri possit. Sed contrarium melius docere videtur Innoc. hîc n. 9. fusè hanc rem examinans, & post eum Abb. hîc ver. nisi, n. 5. Ratio est, quia ante latam priuationis pœnam Electores sunt in possessione iuris eligendi; & ideo valere debet electio. Sed alia ratio est in casu, quo Capitulares indignum elegerunt: tunc enim ipso iure priuati existunt, & tota electionis potestas penes alios nõ priuatos manet, iuxta c. 2. de postulat. Prælatorum. Videri etiam potest Ioan. Andr. hîc n. 42. 43. 69.

Atque hæc de forma scrutinij dicta sufficiant. De altera quæ est compromissi, superiùs pluribus in locis egi; hîc autem iterum annotare libet, argum. huius textus, ver. *Vel saltem*, ad formam compromissi, quippe quę 16 vt diuersa, & distincta à forma scrutinij proponitur, conditiones & requisita eius necessariò obseruanda non esse; cùm nec verba præscriptæ formæ ei aptari satis possint; vt *assumantur tres de collegio, qui vota cunctorum exquirant, &c.*

Id in QVÆSTIONE est, Si compromissum sit in plures, v. g. tres, atque eorum duo personam indignam eligant, ideóque pro ea vice priua-

priuati sint; num eligendi potestas ad Capitulum deuoluatur, an verò tota maneat penes alios, videl. in proposito casu penes vnicum, qui in indigni electionem non consentit? Posteriorem quæst. partem amplexus est Abbas in c. cùm in iure, in fine hoc
17 tit. Sed contrarium magis placet, quod cum Archidiacono docet Syl. ver. electio 2. q. 19. Nam potestas compromissi non se extendit vltra intentionem compromittentium: Hi autem nolunt electionem pendere ab vno, aut parte minore compromissariorum; sed vel exprimunt, vel intelligunt, eam personam se recepturos, in quam omnes, vel pars maior illorum consenserit, dummodò idonea sit. Videri possunt quæ dicam in c. si compromissarius 37. hoc tit. in 6.

18 Denique, quod attinet ad electionem quasi per inspirationem S. Spiritûs, Ad eam alia forma, aut solemnitas non requiritur; sed solùm, vt nullà præcedente disputatione de certa eligenda persona, omnes vnanimiter *in* eandem personam, absque fraude, vitio *simoniæ* &c. consentiant. Quia omnem ordinem, aut eligendi formam sanctus Spiritus, qui ad eiusmodi electionem animos mouisse censetur, abundè supplet, vt dicitur in Constitut. Societ. Iesu p. 8. cap. 6. num. 5.

§. Illud autem.

Paraphrasis.

Prohibetur in eodem Concil. Lateranensi sub Innoc. III. ne Capitularis loco suo procuratorem constituat, nisi absens sit, & legitimè impeditus accedere ad electionem; de quo, si opus esse videatur, iuramento fidem facere teneatur: Tunc, si voluerit, vicem suam, iúsque suffragij, cõmittere potest, qui tamen è Collegio sit.

Svmmarivm.

1. *In negotio electionis non potest quis regulariter procuratorem constituere; eum tamen Capitulares, si velint, etiam à non impedito accedere, possunt accipere, neque tantùm vnum ex Collegio, sed etiam extraneum.*
2. *Existens in ciuitate, in qua electio peragitur, si ob infirmitatem accedere nequeat, potest procuratorem constituere, qui cum speciali mandato iuramentũ, si exigatur, præstare tenebitur, quod is accedere impeditus sit.*

Si infirmus ipse malit dare suum suffragium, scrutatores ad eum accedere, & illud ab eo accipere debent.

Nemo Capitularium ordinariè cogi potest, vt per se, vel per alium ad electionis tractatum veniat, nisi interesse ecclesiæ omnium præsentiam, vel statutum aut consuetudo requirat.

PRo declaratione, seu limitatione huius §. aliqua aduerti debêt. Primum, ex Abb. hîc n. 1. Syl. ver. electio 1. q. 3. Quòd Capitulares, si velint, etiam à non impedito accedere, procuratorem accipere possint; Et non tantùm vnum ex Collegio, sed etiam extraneum aliquem, argum. c. scriptum 40. hoc tit. §. Etsi partes consenserint. Quia constitutio huius §. potissimùm in fauorem Capitularium emanauit; qui proinde fauori suo renunciare possunt. 1

Alterum. Si aliquis in ciuitate, in qua electio peragitur, infirmitate detentus sit, quò minùs ipsemet accedere possit, procuratorem constituere non prohibetur; qui tamẽ, perinde acsi ab absente mitteretur, iurare tenebitur in animam domini, siue principalis, cum speciali mandato, quòd is accedere impeditus sit, si tale iuramentum exigatur, de quo Innoc. super hoc c. n. 11. Sin autem ipsemet infirmus suffragium suum dare malit, tunc scrutatores, si commodè fieri possit, ad ipsum accedere, & suffragium eius recipere debent, prout hîc Innoc. docet, n. 2. Syl. ver. electio 1. q. 5. argum. l. 1. iun. l. 5. ff. de Procurator. Cæterùm nemo Capitularium, ordinariè loquendo, compelli potest, vt per se, vel per alium ad electionis tractatum veniat; præterquam si ob aliquas circumstantias, Ecclesiæ interesse videatur, vt omnes adsint; Vel nisi ecclesiæ alicuius statu- 2

tum, aut consuetudo omnium præsentiam exigat. Qua de re DD. in c. 1. de his quæ fiunt à maiore parte Capituli, Abb. super hoc c. n. 4. Syl. loco suprà cit. dicto 3.

CAPITVLVM XLIII.

Quisquis.

PARAPHRASIS.

Si quis per abusum potestatis secularis contra ecclesiasticam libertatem electus, consensum dare præsumpserit, eius electio ipso iure irrita est; & electus ineligibilis redditur; ita vt ad nullam dignitatem ecclesiasticam absque dispensatione eligi possit. Qui autem talem electionem celebrare præsumpserint, ab officiis & beneficijs penitus suspendi debent per triennium; insuper eligendi pro ea vice facultate priuati existunt. Ita Innoc. III. statuit in Concil. generali Lateranensi, cap. 25.

SVMMARIVM.

1. *Electio facta per abusum secularis potestatis est contra ecclesiasticam libertatem, ipsoque iure irrita.*
2. *Tunc autem contingit talis abusus, quãdo laicus cum auctoritate se immiscet electioni, ita vt libertatem clericorum, ad quos propriè spectat electio, impediat.*
3. *Et locus est huic constitutioni, licèt laicus id agat vi consuetudinis immemorialis, modo ea non habeat formam annexam accepti priuilegij Apostolici.*
4. *Consentiens electioni de se factæ per abusum laicæ potestatis, caret commodo electionis, & efficitur ineligibilis ad dignitatem.*
5. *Et hæc pœna inhabilitatis est latæ sententiæ.*
6. *Dispensabilis tamen est hæc inhabilitas non tantùm à Papa, sed etiam ab Episcopo, aut simili potestate prædito.*
7. *Acceptans electionem in casu huius c, non fit inhabilis ad beneficia curata, & alia beneficia, quæ dignitates non sunt.*
8. *Pœnam hanc inhabilitatis incurrunt, qui ecclesiasticam dignitatem eâ collatione personæ laicæ acceperunt, ita vt promoueri deinde ad eandem vel aliam absque dispensatione non possint.*
9. *Præsumentes eligere cum abusu secularis potestatis, eligendi tunc priuati sunt potestate, & ab officijs & beneficijs per triennium suspendi debent.*
10. *Si Capitulares ob metum grauem consentiant, vt per abusum secularis potestatis celebretur, pœnam huius c. non incurrunt.*
11. *Talis tamen electio ipso iure irrita est.*
12. *Et Capitulares, si temerè electioni tali consentiant, ipso iure etiam pro ea vice priuati sunt eligendi potestate.*

NOTANDVM I. Electio quæ fit per abusum secularis potestatis, ecclesiasticæ libertati repugnat, ipsóque iure irrita est. Ita hîc, & videri potest Concil. Trident. sess. 25. cap. 20. de reform. vbi contra eos agitur, qui ecclesiasticam libertatem lædunt.

QVÆSTIO prima, Quid sit electionem fieri per abusum potestatis secularis? De hoc videri potest Gl. hîc ver. abusum, Innoc. prope finem, Abb. n. 4. Anton. n. 10. Suarez de censur. disp. 31. sect. 3. suspens. 10. Respondeo autem; Tunc contingere eum abusum, si laicus cum auctoritate se immisceat electioni, ita vt libertatem clericorum, ad quos propriè electio spectat, quomodocunque impediat, iuxta c. cùm terra 14. c. sacrosancta 5. c. Massana 56. hoc tit.

QVÆSTIO secunda, Quid si laica potestas id agat vi consuetudinis immemorialis, habetne locum huius c. constitutio? Affirmat rectè Abbas hîc n. 4. Quia mera consuetudo, quantocunque tempore durat, non potest laicos habilitare ad spiritualia, prout docet Ioann. Andr. in c. 2. de præb. in 6. & sumitur ex cit. c. Massana, ex quo etiam constat, talem non posse dici consuetudinem, sed potiùs abusum & corruptelam. Dixi autem de mera consuetudine; quia si consuetudo immemorialis etiam habeat famam

nam accepti priuilegij Apostolici, licèt id ob temporis diuturnitatem exhiberi nequeat, non potest quidem causam præscribendi dare, ob incapacitatem subiecti, potest tamen efficere bonam fidem, vt in tali casu pœnali huic constitutioni locus nõ esse videatur: Nam quod ex titulo aliquaterius colorato, & cum bona fide agitur, non potest dici abusus.

4 NOTANDVM II. Si quispiam electioni de se factæ per abusum laicæ potestatis consentire præsumpserit, caret commodo electionis, & ineligibilis fit, nec absque dispensatione ad aliquam dignitatem eligi potest. Sensus est, quòd consensus in electionem nihil ei prosit; &, si noua electio instituatur, ipse electionis incapax sit; sed nec ad alium quamcunque dignitatem, sine dispensatione, assumi possit.

QVÆSTIO prima; Num hæc inhabilitatis pœna sit latæ sententiæ, an ferendæ? Videri potelt hoc posterius esse dicendum, propter verbum *ineligibilis fiat*, videl. in 5 futurum. Sed contrarium rectè docuit Gl. hic communiter recepta, ver. fiat; ipso facto incurri inhabilitatem. Ad rationem dubitandi respondetur cum ead. Gl. & Anton. hic n. 12. vbi ait, doctrinam illam, quòd verba significantia in futurum inducant pœnam sententiæ ferendæ, limitari debet, nisi alia verba præcedant, aut sequantur, ex quibus contrarium colligi possit; prout hic immediate sequitur, *nec absque dispensatione &c.* Sensus itaque verborum esse debet, si quis electioni de se contra libertatem ecclesiasticam factæ, consentire præsumpserit, ipso facto ineligibilis fiat. Et ita docuit Baldus hic n. 3.

QVÆSTIO secunda. Quisnam in hoc casu super inhabilitate dispensare possit? 6 Respondeo, quòd non tantùm Papa, sed etiam Episcopus, aut simili potestate præditus dispensare siue habilitare possit. Ita docet Gl. hic ver. fiat, Innocent. n. 1. Imola n. 4. Abb. n. 8. Felin. in c. at si clerici, §. De adulterijs, n. 2. de iudicijs; etsi contrarium videatur sentire Anton. hic n. 13. propterea quòd constitutio hæc sit Concilij generalis, in qua Episcopus non dispensat. Sed probatur id, quod dixi argum. c. nuper 29. de sent. excomm. & ex doctrina Gl. in c. In quibusdam 12. ver. dispensatum, de pœnis; Si in canone permittente dispensationem, non exprimatur, quis dispensare possit, ad Episcopum pertinere: Alioquin enim frustra adijcerentur ea verba; cùm constet, Pontificem dispensare posse. Ad hunc tamen discursum respondent aliqui apud Anton. cit. loco, verba huiusmodi, *nisi dispensetur*, non frustra adijci, tametsi dicamus solum Papam dispensare posse; quia is faciliùs dispensabit; nec opus erit tunc literis adijci clausulam, *Non obstante Concilio generali.* Et hæc sententia probabilis quidem est, sed prior communior & probabilior: Si enim mens canonis esset dispensationem Pontificiam excipere velle, eam ita expressisset: *Nec absque dispensatione Apostolicæ Sedis &c.*

QVÆSTIO tertia; Num acceptans electionem in casu huius c. inhabilis etiam fiat ad beneficia curata, & alia beneficia, quæ dignitates non sunt? Responsio debet esse negatiua; Quia legem pœnalem extendere non oportet vltra verba, quæ in ea expressa sunt: Canon autem iste clarè exprimit, vt ita electus *ad dignitatem eligi* non possit. Quamuis contrarium docuerit Abbas antiquus hîc in fine c. Licèt talis ad canonicatum promoueri possit; quia canonicatus etiam ecclesiæ Cathedralis inter dignitates non numeratur; non tamen posse promoueri ad curam animarum, seu ecclesiam parochialem; quia ea dignitati æquiparatur, c. dudum 54. infrà hoc tit. Sed respondetur; Licèt beneficium curatum æquiparetur dignitati aut personatui quoad pluralitatem, vt ibi, & in c. de multa 28. de præb. non tamen in alijs. 7

QVÆSTIO quarta. Vtrùm pœna hæc inhabilitatis incurratur etiam ab ijs, qui ecclesiasticam dignitatem ex collatione personæ laicæ acceperunt? Ita affirmat Gl. hîc in c. si quis deinceps 12. ver. interdicimus in fine; causa 16. q. 7. Capella Tholosana q. 484. Abb. hîc n. 2. Felin. in c. postulasti n. 15. de rescriptis, Azor tom. 2. lib. 3. cap. 50. q. 5. 8

q. 5. Contrarium docet P. Suarez cit. sect. 3. n. 13. Quia textus c. specialiter loquitur de acceptante electionem per abusum secularis potestatis factam. Ergo non debet extendi ad alios casus in materia pœnali. Veruntamen arbitrari licet, ante hanc constitutionem sacris canonibus & ecclesiasticâ praxi receptum fuisse, vt qui prælaturam aut dignitatem ecclesiasticam de manu laici acciperet, in pœnam criminis, tum eius quam accepit, tum alterius incapax esset, præterquam si cum eo dispensaretur : alioquin Concilium non tam confidenter id statuisset de acceptante electionem; nisi idem locum haberet in acceptante collationem. Et habemus huius rei indicium in cit. c. si quis deinceps, & in c. si episcopus 14. c. si quis Clericus 16. ead. q. 7. Accedit, quòd plures casus sunt, in quibus etiam in materia pœnali ob identitatem vel maioritatem rationis extensio fieri debet, videl. si alioquin absurditas sequatur ; aut si duo spectato eodem fine & effectu in iure æquiparata sint ; aut inter se subordinata, tanquam perfectum & imperfectum, prout docui in lib. 1. Theol. moral. tr. 4. cap. 18. n. 10. eáque ad hunc casum non incongruè applicari possunt. Respondeo itaque & Dico ad quæstionem ;

8 Eum qui à manu potestatis laicæ ecclesiasticam dignitatem recipit, inhabilem reddi, vt promoueri deinde ad eandem vel aliam non possit absque dispensatione, argum. huius c. accedente communi DD. sententiâ.

Exinde sequitur, quòd si talis, qui per abusum laicæ potestatis electionem acceptauit, non præcedente dispensatione à Superiore confirmationem accipiat, titulum non consequatur ; quia electio, quæ non subsistit, non confirmatur, prout tradit Felinus in c. postulasti n. 15. de rescript. Deinde si per laicæ potestatis abusum quispiam prælaturam, aut dignitatem assecutus est ; postea verò à Superiore ecclesiastico eandem obtinere velit, quòd debeat inhabilitatem, quam contraxit, explicare ; vitium quoque intrusionis, si administrationi se ingesserat, prout Abb. hîc tradit n. 2. Felin. cit. n. 15. Capella cit. q. 484.

9 NOTANDVM III. Qui electionem cum abusu secularis potestatis celebrare præsumunt, (cùm electio irrita sit) eligendi tunc facultate priuati sunt ; insuper ab officijs & beneficijs per triennium suspendi debent.

10 QVÆSTIO prima ; Si Capitulares ob metum grauem consentiant, vt electio per abusum secularis potestatis, siue personis laicis auctoritatem sibi in actu electionis vsurpantibus, celebretur, pœnam huius can. incurrant ? Responsio est negatiua, secundùm Baldum hîc n. 2. & 3. Suarez cit. sect. 3. n. 14. alios communiter. Nam *verbum* præsumptionis positum in textu huius c. temeritatem significat, quam iustus seu probabilis metus tollit : Similitérque, si Electores probabili persuasione ducantur, rati, tale ius laico per priuilegium competere, licèt reuerà non competat.

11 QVÆSTIO secunda, Vtrùm electio, quæ per abusum potestatis secularis celebratur, Electoribus non ex temeritate, sed graui metu consentientibus, nihilominus irrita sit ipso iure ? Affirmari debet ; quia vniuersim & indistinctè prohibetur in textu, ne electioni per abusum secularis potestatis de se factæ aliquis consentiat ; alioquin pœnas incurrat : Sin autem electio valida esset, non prohiberetur electus, antequam ea rescinderetur, acceptare. Ratio dari debet ; Quia electio huiusmodi potiùs in odium laicorum se immiscentium, quàm Electorũ consentientium, hoc in can. infirmata est. Videri debent quæ dicam in c. Massana 56. hoc tit.

12 QVÆSTIO tertia. Num Capitulares qui electioni temerè in hoc casu cõsentiunt, ipso iure priuati sint pro ea vice ? Arbitror esse affirmandum, cum Gl. in prima respons. in qua tamen ipsa non persistit ; sed sequitur Abbas antiquus hîc in fine c. & Suarez cit. sect. 3. n. 12. in fine, ait esse indubitatum. Probatur autem hæc sententia primò ex c. cùm in cunctis 7. §. Clerici hoc tit. vbi idẽ loquendi modus habetur, *eligendi tunc potestate priuatos* ; quæ vocula *tunc* abominabus explicatur, vt idem sit, quod *pro ea vice*, imò

imò ab ipso Pontifice Innoc. III. in c. cùm Vintonienſis 25. hoc tit. qui & illius & huius c. Auctor est. Secundò probatur ex verbis huius c. in quo veluti ratio redditur, cur Capitulares pro ea vice electionem aliam celebrare non possint, quippe ipso iure priuati: quia prior illa, quæ per abusum potestatis secularis facta, irrita est.

Contrarium tamen docet Gl. cit. in altera respons. quam sequitur Abb. hîc in fine c. esse hanc pœnam sententiæ ferendæ. Cùm enim dictum est, Electores per triennium suspendendos esse ab officiis & beneficiis, consequenter debent esse *tunc*, id est, pro eo triennij tempore priuati. Alioquin argumentatur Gl. si tantùm pro vna vice priuati essent, reliquo suspensionis suæ tempore eligere possent, quod absurdum est. Respondeo ad obiect. absurdum istud non sequi. Quia duplicem pœnam Concilium his transgressoribus inferre voluit; vnam, vt ipso iure priuati essent eligendi potestate pro ea vice: Alteram, vt etiam postea per sententiam suspendantur ab officijs & beneficijs. Ex sententia autem Gl. sequeretur, quòd Capitulares, qui consentiendo in abusum electionis per impressionem potestatis laicæ peccarunt, priusquàm per sententiam Iudicis priuati essent, aliam electionem canonicam instituere possent: Id verò minùs conueniens, & alienum à mente Concilij videtur: quia decens est, vt in eo puniantur, in quo peccauerunt.

CAPITVLVM XLIV.

Nihil.

PARAPHRASIS.

Cùm nihil sit, quòd Ecclesię Dei magis officiat, quàm si indigni Prælati ad regimen animarum assumantur, ideo in Concilio Lateran. sub Innoc. III. Papa c. 26. decretum est, vt, si quis ad regimen animarum electus fuerit, is, ad quem confirmatio spectat, cùm electionis processum, tum personam electam diligenter examinet. Sin secùs fuerit incaute præsumptum, nõ solùm deijciendus est ita promotus, sed etiam promouens puniẽdus; ita quidem, vt, si de negligentia eius constiterit, maximè si hominem insufficientis scientiæ, inhonestæ vitæ, aut non legitimæ ætatis approbârit, proximam confirmationem impendendi potestate careat: & à proprij beneficij perceptione suspendatur, quamdiu Superiori (qui suspensionem intulit) visum fuerit. Sin autem per malitiam, seu dolum conuictus fuerit indignum confirmasse, grauiùs puniendus est, (Superioris arbitrio, quia hîc pœna nõ determinatur) sed & Episcopi ad sacros ordines & ecclesiasticas dignitates promouere debent huiusmodi personas, quæ commissum sibi officium dignè possint adimplere; ne & ipsi canonicæ subsint vltioni. Porrò Prælati, qui Rom. Pontifici immediatè subiecti sunt, ij personaliter (si commodè fieri possit) conspectui eius se præsentent ad confirmationem accipiendam; aut personas idoneas mittant, per quas Pontifex de electione & persona electa edoceri possit. Veruntamen his, qui ab Vrbe valde remoti sunt, videl. vltra Italiam constituti, si in concordia electi sint, dispensatiuè, propter necessitates & vtilitates ecclesiarum, permittitur interim administratio in spiritualibus & temporalibus; ita tamen vt de rebus ecclesiasticis nihil penitus alienent: Munus autem benedictionis seu consecrationis accipiant, sicuti antea consueuerunt.

SVMMARIVM.

1. *Superior electum ad prælaturam antequam confirmet, examinare debet formam seu processum electionis, & personam electam, præcipuè circa scientiam eius, mores, & ætatem.*
2. *Confirmans per negligentiam indignum ad prælaturam electum, ipso iure perdit potestatem confirmandi primum successorem, & à beneficio est suspendendus. Confirmans autem per malitiam, grauiùs puniri debet.*

3. *Qui extra Italiam versantur ac degunt, censeri debent valde remoti ab Vrbe.*

4. *Prælati Rom. Pontifici immediatè subiecti, in concordia electi, valde ab Vrbe remoti, videl. extra Italiam constituti, interim dum confirmentur, tam in spiritualibus quàm temporalibus administrare possunt, ita tamen, vt nihil alienent.*

5. *Intelliguntur autem hîc Prælati Rom. Pontifici immediatè subiecti, omnes ij, qui ratione ecclesiæ ad Rom. Pontificem immediatè pertinent, & ab eo confirmationem accipiunt.*

Si Legatus à latere in prouincia sit, possunt hi ab eo etiam confirmari.

6. *Intelligitur quoque hîc loci electio in cõcordia facta, quæ vel est omnium electorum, vel saltem maioris aut sanioris partis, ita vt reliqui siue pauciores, nulla probabili ratione sè opponere possint, sed consentire & approbare debeant.*

7. *Prælato in casu huius c. administratio competit extra casum necessitatis, vel periculi, ne ecclesiæ damnum inferatur.*

8. *Hæc tamen indulgentia administrationis Prælatis tantùm electis extra Italiam concessa est, non autem postulatis.*

9. *Non improbabiliter tamen prædicta indulgentia locum habet etiam in aliis Prælatis electis, qui Episcopo vel Archiepiscopo subiecti sunt.*

10. *Electo in casu huius c. ante acceptam cõfirmationem administrante, si contingat post electionem ob defectum rescindi ea, quæ ab electo acta sunt, pro validis haberi debent, si electio non ipso iure, sed per sententiam irritabilis est.*

11. *Electus, qui auctoritate huius can. ante acceptam confirmationem administrat, est in quasi possessione prælaturæ.*

12. *Videtur licentia huius c. in ecclesiis Germaniæ, propter earum necessitates, & vtilitates in praxin deduci posse.*

1 NOTANDVM I. Antequam Superior electum ad prælaturam confirmet, examen diligens præmittere debet de forma electionis, & persona electa, præcipuè circa scientiam eius, mores, & ætatem requisitam. Consentit c. 3. & c. cùm nobis 19. hoc tit. c. vlt. eod. in 6.

2 NOTANDVM II. Qui indignum ad prælaturam electum approbat seu cõfirmat, maximè si defectu scientiæ, morum, aut ætatis laboret, ipso iure priuatus est proxima confirmationem impendendi potestate; & à beneficio suspendendus; si per negligentiam id actum: Sin verò per malitiam vel dolum egisse conuictus fuerit, grauiùs puniri debet.

Hîc duo obiter admonendi sumus. I. Tametsi tres præcipuè sint defectus, vid. scientiæ, morum, & ætatis legitimæ, ob quos electio reprobatur, & pœnæ electoribus, & confirmatori decernuntur, vti constat ex c. cùm in cunctis 7. hoc tit sunt tamen plures etiam alij defectus seu inhabilitates, prout docui in cit. c. cùm in cunctis, & sumitur ex hoc c. verbum *maximè*, quod secundùm propriam significationẽ est inclusiuum aliorum. II. Dolo, siue per malitiam aliquid factum esse non præsumitur, sed ostendi debet, vti hîc patet ver. si verò conuictus, & in l. Quotiens 18. ff. de probat. *Qui dolo dicit factum aliquid, dolum admissum docere debet*, & annotauit Gl. in c. sedes 15. ver. dolus, de rescript. Cæterùm ex verisimilibus coniecturis præsumptio fieri potest de commisso dolo, iuxta c. 1. iun. Glossa ver. coniecturas, de renunc. in 6. l. dolum 6. C. de dolo; saltem si quis id agat, quod omnes communiter sciunt prohibitum esse, aut id non agat, quod scit sibi agendum esse, secundùm Gl. in cit. l. dolum, ex c. 1. de præsumpt.

3 NOTANDVM III. Qui extra Italiam versantur, ac degunt, censeri debent valde remoti ab Vrbe. Ita hîc dicitur expressè. Et potest hoc dictum inseruire primò in alijs casibus, quibus ob nimiam distantiam, difficultas adeundi Pontificem excusare censetur. Secundò inseruire potest, vt quotiescunque ecclesia aliqua tam longè distet à Curia Romana (vbicunque ea sit) quanta est distantia Vrbis Romæ à finibus Italiæ, censeri debeat valde remota à Curia, prout post Hostiensem bene hîc docet Anton. n. 24. & Abb. n. 7. 8.

7. 8. Quia principalis intentio Pontificis spectanda est, quæ est prouidere ecclesiis, ne ob moram expectandæ confirmationis, detrimentum in spiritualibus & temporalibus patiantur, vti patet ex verbis ijs, *dispensatiuè propter necessitates ecclesiarum, & vtilitates.* Quòd verò adiectum est, *videlicet vltra Italiam*, id potiùs exempli causa factum est, quando de facto Curiâ Romæ existente, vltramontani, seu vltra Italiam degentes, nimis à Curia distare censeri debent: Quod autem exempli loco, siue vt certa species pro declaratione affertur, id regulam, siue legem ex vniuersali ratione traditam non restringit, vti notant DD. cum Gl. ver. pauca in c. 1. Ne Clerici vel Monachi, & in l. non possunt 11. ff. de legibus: Quapropter si Curia Pontificis in Galliam, vel Germaniam transferretur, qui Romæ v. g. degerent, valde remoti à Curia essent, ideóque priuilegijs seu dispensationibus, quæ valde distantibus à Curia concessa sunt, gaudere censerentur. Neque dici potest, hanc esse extensionem vltra verba c. quippe quod solùm loquitur de Prælatis existentibus vltra Italiam, seu valde remotis ab Vrbe Roma. Nam verba legis debent adaptari menti siue intentioni auctoris, quæ ex ratione, præsertim si ea in lege expressa sit, colligitur, vti docui in Theol. mor. lib. 1. tr. 4. c. 18. n. 3. ver. Secundò.

4 NOTANDVM IV. Prælati Rom. Pontifici immediatè subiecti, si ab Vrbe valde remoti, videl. extra Italiam constituti, atque in concordia electi sint, interim dum confirmationem à Sede Apostolica accipiant, eam in spiritualibus, quàm temporalibus administrare possunt, ita tamen, vt de rebus ecclesiasticis nihil omnino alienent. Ita textus huius c.

5 QVÆSTIO prima. Quinam Prælati Rom. Pontifici immediatè subiecti hoc in loco intelligantur? Resp. cum Gl. hìc ver. ad Romanum, Omnes intelligi, qui ratione ecclesiæ ad Rom. Pontificem immediatè pertinent, ab eóque confirmationem accipere solent; siue sint Abbates, Præpositi, siue Episcopi, vel Archiepiscopi. Sed excipi debet, iuxta c. si Abbatem 36. §. Huiusmodi, hoc tit. in 6. Si Legatus à latere in prouincia sit, à quo Prælati eiusmodi confirmationem accipere possint. Idque notauit Abb. hìc n. 3.

QVÆSTIO secunda. Quænam hìc censeri 6 debeat electio facta in concordia? Abb. Panorm. hìc n. 4. ait Eam tantùm intelligi, quæ *fit nemine discrepante.* Sed id nõ placet: Quia hac ratione non satisfieret intentioni Concilij Lateranensis, volentis prouidere ecclesiis valde distantibus, ne ob moram longiorem, detrimentum patiantur; cùm rarissimum sit, vt electio fiat de aliquo, in quem omnes, nemine discrepante, suffragia direxerint. Dicendum itaque iuxta ea quæ docui c. in causis 30. not. 4. hoc tit. satis vsitata acceptione (quæ & præferri debet, præsertim in materia fauorabili ecclesiis) concordem electionem dici, quę vel omnium est Electorum, vel saltem maioris ac sanioris partis, ita vt reliqui, siue pauciores nulla probabili ratione se opponere possint, sed consentire & approbare debeant.

QVÆSTIO tertia. Num Prælatus in casu 7 huius c. administrationem duntaxat habeat, quatenus necessitas postulat, siue periculum est, ne ecclesiæ damnum inferatur? Ita enim docuit Abb. antiquus in fine huius c. & Imola n. 7. vbi aiunt, quòd non possit Prælatus obedientiam à subditis, aut fidelitatem à vasallis ante confirmationem recipere quia talia dilationem patiuntur & periculum est, ne postea, si aut in forma electionis, aut circa personam electam defectus reperiatur, confirmatio & titulus prælaturæ penitus negetur. Sed contrarium videtur probabilius, quod docuit Gl. hìc ver. administrent, Archidiaconus in c. Indemnitatibus §. si verò, hoc tit. in 6. Innoc. hìc n. 2. ad finem, dicens, quòd *sic administrare possunt, ac si essent Prælati confirmati.* Probatur tum ex hoc c. quando sine vllà limitatione administratio permittitur; præterquàm vt nihil penitus alienetur: quæ exceptio confirmat concessam administrandi potestatem in alijs omnibus, quæ excepta non sunt. Tum ex cit. §. Si verò, vbi in simili casu libera administratio ante acceptam confirmationem conceditur; excepta alienandi facultate.

8 QVÆSTIO quarta. Num hæc indulgentia concessa Prælatis electis vltra Italiam, cõpetat etiam postulatis, vt & ipsi administrare possint, priusquàm postulatio à Sede Apostolica admittatur? Videri alicui posset, esse affirmandum, quia electio & postulatio æquiparari solent, eisdémque regulis definiri. Sed contrarium responderi debet cum Innoc. hîc, post princ. & Abb. n. 7. Nam electio & postulatio etsi in quibusdam æquiparentur, tamen in alijs quibusdam diuersa sunt, & quodammodo contraria, vti habetur in c. vn. de postul. Prelatorum: Notum autem est, quòd à diuersis, aut repugnantibus nõ fit bona illatio. Talis enim diuersitas hîc cernitur: Quia per canonicam electionem electo ius acquiritur ad prælaturã, saltem vt eam petere possit, eique ex iustitia debeatur, si idoneus sit. At verò per postulationem, quantumuis cõcordem, nullum ius postulato acquiritur; quare nec petitio seu actio ei competit; cùm actio definiatur ius petendi eius rei, quæ ipsi ex iustitia debetur, vti doceri solet Institut. de actionibus in princip. Sed rogare tantùm, siue officium Superioris implorare potest postulatus, vt ex gratia, & secundùm æquitatem canonicam admittatur, si Capitulares vel omnes, vel saltem duæ partes eorum consenserunt, c. scriptum 40. hoc tit.

QVÆSTIO quinta. Vtrùm eadem indulgentia locum habeat in Prælatis electis, qui Episcopo aut Archiepiscopo subiecti sunt, si accidat, vt propter itineris distantiam, aliúdue impedimentum confirmatio breui tempore obtineri non possit? Negat Gl. ver. administrent, quam hîc sequitur Anton. n. 26. Quia Constitutio hæc exorbitans est à iure communi, & dispensatio quędam; ac proinde
9 stricti iuris, & non extendenda. Sed contrarium nõ improbabiliter docet hîc Abb. n. 10. propterea quòd, vti suprà dictum, principalis intentio Concilij fuerit prouidere ecclesiis, ne, si Prælati electi longo tempore administrare non possint, detrimẽtum aliquod patiantur: Quæ ratio perinde locum habet in ecclesiis subiectis Episcopo, aut Archiepiscopo. Quòd verò harum mentio facta non fuerit, sed tantùm earum, quæ Rom. Pontifici immediatè subijciuntur, causa ita promptu est, quia in his frequentiùs huiusmodi casus, ob itineris distantiam, occurrit. Addit idem Abb. Panorm. n. 9. Tametsi Prælatus non valde remotus sit, si tamen propter viarum impedimenta & pericula, v. g. belli tempore, non possit ad Superiorem accessus esse pro confirmatione petenda, & ideo diù expectandum, locum esse huic constitutioni: quia *licèt verba deficiant, non tamen ratio & mens eius.* Ad rationem Gl. respondetur: Etsi hæc constitutio, quatenus à communi iure, quo electus ante acceptam confirmationem administrare prohibetur, exorbitans est, odiosa & strictæ interpretationis censeri possit; alia tamen principaliore ratione, quatenus in fauorem & vtilitatem ecclesiarum lata est, potiùs fauorabilis iudicatur; Ideóque propter identitatem rationis, præsertim quæ in ipsa constitutione, & quidem insertã iuris communis corpori, expressa est, extensionem meretur, secundùm doctrinam Gl. in c. sciant 12. ver. alios, hoc tit. in 6. quam sequitur Ioan. Andr. in c. vlt. col. 2. eod. in 6. Abb. cit. n. 9.

QVÆSTIO sexta. Si electus in casu hu-10 ius c. ante acceptam confirmationem administrârit; postea verò accidat, electionem, ob aliquem deprehensum defectum, rescindi, aut irritam declarari, vtrùm ea, quæ de electo acta sunt, pro validis haberi debeant, nécne? Hanc quæstionem tractat hîc Gl. ver. administrent, fusè Innoc. n. 3. & seqq. Anton. n. 27. & seqq. Abb. n. 11. & seqq. Breuiter puto, distinguendum: Vel electio ob defectum ipso iure irrita fuit; vel non ipso iure, sed per sententiam irritari potest. Si hoc posterius, valent omnia acta; exempli causã, si aliquis fuerat contemptus, qui postea impetret, vt electio rescindatur. Sin prius, refert, num defectus publicè notus fuerit, tum nõ valent acta: Sin autem publicè ignotus, valere debent omnia acta. Atque in hoc casu rectè ait Glossa cit. *Circa spiritualia valet quidquid fecit; etiam in temporalibus bene administrando, emendo, recipiendo, non dando,* siue donando. Rationem dare debemus; quia in casu isto concurrit

currit licentia siue auctoritas Superioris, ex hoc can. & publica eáq; probabilis ignorantia defectûs, pendentis ex iure positiuo, qui proinde supplebilis est, argum. l. Barbarius, ff. de offic. Prælatorum. Idémque dicendum, si stabiliter electus confirmationem accepisset, quæ postea detecto vitio & errore, cassaretur, quæ antea gesta sunt à confirmato, existente publicâ ignorantiâ defectûs, rata censeri debent, vti hic notat Ant. n. 39.

11 QVÆSTIO septima. Num electus, qui auctoritate huius can. ante acceptam confirmationem administrat, sit in possessione Prælaturæ? Pro parte affirmatiua quæst. esse potest, quòd facultas administrandi sequitur possessionem, tanquam quidam fructus siue effectus eius, quare dicit Abb. hic n. 11. quòd antequam possessionem prelaturæ quis acceperit, administrare nō debeat. Sed contrà est; quòd possessor quilibet rem teneat iure suo, siue vt suam; & specialiter quidem in beneficialibus, possessio supponit titulum, siue canonicam institutionem, argum. reg. 1. in 6. At verò per electionem non acquiritur beneficij titulus, aut quasi dominium eius, sed per sequentem confirmationem Superioris, quæ præcedente electione canonicâ, institutioni comparatur, prout etiam docui in Theol. morali lib. 4. tr. 2. cap. 12. q. 1. Ad hanc difficultatem rectè respondet Gl. ver. administrent, quòd Prælatus *sit in quasi possessione*. Quia prælaturam quasi suam, seu quasi ius in ea habens tenet; Idque non tantùm propter canonicam electionem, ex qua ipsa actio nata est, vt confirmetur; qui autem actionem habet, quasi rem ipsam habere videtur, reg. 15. ff. iun. Gl. sed etiam can. huius assistentiam, tribuentis illi plenam administrationē, perinde acsi confirmatus Prælatus esset, excepto quòd nihil penitus alienare possit. Qua simili ratione marit⁹ res dotales, tanquam suas tenet; propter plenam quæ ipsi à lege tributa est administratio, l. si prædium 23. C. de iure dotium. Est tamen hæc possessio mariti veluti prouisionalis, & durans interim, dum matrimonium constitit; similitérque ista possessio Prælati necdum confirmati durat *interim*, donec de electione instituto examine sententia feratur: nam si confirmetur electus, corroborabitur possessio; sin cassetur, auferetur malè electo.

Porrò quod in textu dicitur, Prælatum nihil penitus de rebus ecclesiasticis alienare posse, id eò referri existimo, vt nihil det aut expendat, quo bona prælaturæ minuantur, adeóque nihil donet, nisi ob causam, aut quandam necessitatem: quod commune est omni administratori, qua de re dicam in c. 2. cum Gl. ver. liberam, de suppl. negl. Prælatorum in 6.

QVÆSTIO Vltima; Num huius c. li- 12
centia in ecclesijs Germaniæ, etiam Archiepiscopatibus, & Episcopatibus, in praxin deduci possit, vt videl. in concordia electus, interim donec à Sede Apostolica confirmationem accipiat, in spiritualibus & temporalibus administret? Respondeo; Nihil mihi occurrere, cur id fieri non possit, vigore huius can. & propter necessitates & vtilitates ecclesiarum: Præsertim, si alicubi appareat, & experientiâ cognitum sit, malè rem administrari, & prelaturæ vacanti detrimentum inferri, si Capitulum administrationem gerat; v. g. si consuetudo in aliqua ecclesia vigeat, vt Capitulares per vices, alternis diebus aut septimanis, administrent: quę res occasionem præbere solet prodigalitatis, & dilapidationis; quamobrem si tale quid fiat, ad restitutionem illati damni omni iure Capitulum obligatur, argum. etiam huius c. partim, quatenus in eo indicatur, quòd ipsemet quoque electus, cùm potiùs administratorio nomine res prælaturæ teneat, nihil penitus alienare, aut sine vtilitate absumere debeat; partim quatenus Capitularibus omnis facultas bona à præcessore relicta occupandi, vsurpandi, absumendi adempta est.

CAPITVLVM XLV.

Vt præteritæ.

PARAPHRASIS.

Honorius III. Papa decreuit, vt expensæ necessariæ, quas Capitulum Constantinopolitanum, vel eius Nuncij, Sede vacante pro electionis negotio fecerunt, ex

bonis Patriarchatûs accipiantur, dum ipsi Capitulares bona Patriarchæ præcedentis non occupent, aut vsurpent.

SVMMARIVM.

1. *Expensæ necessariæ, quæ fiunt pro electione Prælati noui, de bonis prælaturæ debent fieri, vel, si Capitulum aliquid de suo expendit, ei ex ijsdem reddi.*
2. *Canonicus absens à loco ecclesiæ, in quo electio peragenda est, sumptus profectionis suæ ipsemet facere cogitur; nisi propter ecclesiæ vel prælaturæ bonum inde discessisset.*
3. *In causa prosequendæ, vel oppugnandæ electionis expensæ sumentur à prælatura, si Capitulum bona fide causam electionis prosequatur, & id faciat in concordia, saltem ea, vt maior pars in electionem consenserit, alijs se non opponentibus, nec appellantibus.*

   Idem est, si id faciat in discordia, & maior pars Capituli habeat præsumptionem pro se, quòd bonâ fide & vtiliter negotium ecclesiæ gerat.
4. *Contemptus electionem oppugnans ipsemet expensas præstare cogitur; nō item oppugnans electionem factam de persona indigna, aut Canonicus accusans vel denuncians Prælatum malum & ecclesiæ noxium, vt deponatur vel corrigatur, si in iudicio obtineant.*
5. *Regulari aduersus Prælatum suum agenti Monasterium expensas facere cogitur.*
6. *Si electus electionis suæ causam prosequitur & obtinet, expensas accipiet aut repetet ex reditibus prælaturæ suæ; non item, si succumbat.*
7. *Expensæ ordinariæ & moderatæ, quæ fiunt in funere defuncti Episcopi, vel similis Prælati, debent fieri ex mensa seu reditibus prælaturæ, quæ si non sufficiant, ex mensa capitulari subsidium afferendum.*
8. *Expensæ verò extraordinariæ, vt apparatus funerum in vestibus consanguineorum & amicorum, non fieri debent à prælatura vacante, nec à Capitulo.*
9. *Prælatus non potest legatum immoderatum ex reditibus prælaturæ pro sepultura sua relinquere; pro huius tamen structura centesimam partem census ad ecclesiam aliquam conferre potest.*
10. *Non licet Capitularibus bona mobilia relicta à Prælato occupare, aut sibi vsurpare.*

NOTANDVM I. Expensæ necessariæ quæ fiunt Sede vacante in negotio electionis noui Prælati, de bonis prælaturæ accipi debent: Aut si Capitulum aliquid de suo expendere debuit, ex ijsdem bonis ipsi restituendum. Ita habetur in textu huius c. Ratio est: Quia electio principaliter tendit in bonum prælaturæ vacantis; eiúsque negotium vtiliter geritur: Ergo ex ea, siue reditibus prælaturæ accipi debent expensæ necessariæ, seu moderatæ, quæ fiunt v. g. in nuncijs destinandis, Tabellione & Iureconsultis adhibendis, confirmatione petendâ &c. Et habent hæc locum non tantùm in electione Archiepiscoporum, & Episcoporum, sed etiam aliorum Prælatorum; cùm omnium eadem sit ratio; prout docet Gl. recepta hîc ver. expensæ, & consentit c. cupientes 16. §. Ad hæc hoc tit. in 6.

Loquitur autem Pontifex de expensis necessarijs, quæ aliàs dici solent moderatę c. finem 5. c. cùm dilecti 6. de dolo & contumacia: Quibus opponuntur expensæ superfluæ, id est, quæ, & quatenus non necessariæ, aut vtiles sunt. Has enim si faciat Sede vacante Capitulum, præstare ipsummet, nec ex prælaturæ reditibus accipere, aut repetere potest: cùm negotium vacantis ecclesiæ vtiliter gestum non sit.

Corollarium. Si Canonicus absens sit à loco ecclesiæ, in quo electio peragenda est, sumptus reditûs siue profectionis suæ ipsemet facere cogitur: nam hæc est gratia, siue priuilegium, quòd à loco ecclesiæ abesse potuerit. Excipi debet; nisi propter ecclesiæ, aut prælaturæ vtilitatem discedere debuerit;

buerit; tunc enim officium damnosum ei esse non debet.

Obijciet aliquis: Capitulo ex officio incumbit, vt vacante Sede Prælatum eligat. Ergo suis id expensis agere debet. Resp. cum Ioann. Andrea hîc; negandam esse consequent. Quia sæpe accidit, vt aliquis ratione officij teneatur ad præstandum quippiam, attamen non suis expensis, sed eius, in cuius, gratiam laboratur; vti patet in visitatore ecclesiarum, in Episcopo proficiscente ad consecrandas ecclesias &c.

QVÆSTIO est prima, de expensis, à quo fieri debeant in causa prosequendę, vel oppugnandæ electionis? Respondeo ex doctrina 3 Gl. fin. in cit. cap. cupientes, Innoc. hîc. n. 1. Abb. n. 7. Cardin. Tuscho in concl. pract. ver. expensæ, concl. 644. Vel Capitulum prosequitur causam electionis, vel electus ipse. Si Capitulum, vel id facit in concordia, saltem ea, cùm pars maior consensit, alijs se non opponentibus, nec appellantibus; hoc in casu accipiet expensas à prælatura, tametsi causam non obtineat; dummodò bonâ fide, & sine dolo causam prosequatur, arg. l. Prætor 9. ff. Quod ait Prætor, ff. de bonis auctor. Iudicis possidendis, & l. sed an vltro 11. §. Is autem, ff. de negot. gestis. Vel id facit in discordia, tunc distinguendum inter maiorem Capituli partem, & partem minorem: Nam maior pars Capituli habet præsumptionem pro se, quòd bonâ fide & vtiliter negotium ecclesiæ gerat: quare repetet expensas, tametsi causa cadat, argum. cit. §. Si autem. At verò minor pars expensas non repetit ab ecclesia, nisi obtineat: alioquin enim non vtiliter egisse præsumitur; sed satius & consultius fuisse maiori parti consentire, aut se non opponere, quàm litigare.

4 Simili quadam ratione, si contemptus electionem oppugnet, ipsemet expensas præstare cogitur: tametsi causam obtineat, & electio ad eius petitionem rescindatur; non tantùm, quia propriam causam egisse censetur; sed etiam, quia profuisset magis ecclesiæ, si electionem de persona idonea factam ratam habuisset. Secùs verò est, si quispiam electionem oppugnet, quia facta sit de indigno, atque in iudicio obtineat; tum expensas ab ecclesia recipere debet; quippe cuius causam principaliter egisse existimatur. Quemadmodum & Canonicus accusans & denuncians Prælatum malum, & ecclesiæ noxium, vt deponatur, aut corrigatur, si obtinet, recuperat expensas ab ecclesia; tametsi id non egerit ex Capituli mandato, secundùm Gl. in c. cùm pro causa 6. ver. de mandato, de Procurat. Imò verò, si Regularis quispiam 5 aduersus Prælatum suum agat, Monasterium expensas facere cogitur, c. ex parte 11. & c. penult. de accusat. Cùm enim Religiosus proprium non habeat, interdum periret ius ecclesiæ, nisi generatim prouisum esset, vt Monacho, cùm ius agendi habet, expensæ præstarentur.

Venio nunc ad alteram partem primæ distinctionis: Si electus electionis suæ cau- 6 sam prosequitur & obtinet, expensas accipiet, aut repetet ex reditibus prælaturæ suæ. Sin autem succumbit, non est consuetudo, vt expensas ab ecclesia accipiat; quia suum potiùs negotium egisse censetur. Et enim in hac expensarum materia præcipuè attendendum est, cuius negotium principaliter agatur, vt is ad expensas teneatur, l. vlt. C. de statuis & imaginibus.

QVÆSTIO altera, hîc tractari solita de sumptibus funeris, qui fiunt defuncto Episcopo, vel simili Prælato, num ecclesiæ seu prælaturæ vacanti incumbant; an potiùs ex bonis patrimonialibus faciendæ sint ab hęredibus defuncti? Resp. ex doctrina Abbat. hîc n. 7. Petr. de Vbaldis in tract. de canonica episcopali & parochiali cap. 13. & Dico I. 7 Ordinarij & moderati sumptus funeris ecclesiæ incumbunt, faciendi ex mensa seu reditibus prælaturæ: Quòd si ij non sufficiant, ex mensa Capitulari subsidium afferendum. Ratio dari debet; quia ad honorem ecclesiæ spectat, vt Prælatus eius honestè sepeliatur, argum. l. quòd si nulla 28. ff. de religios. & sumptibus funeris: Redundat quoque id in Capitulum: quippe quod præcipua membra ac veluti corpus ecclesiæ repræsentat; ideóq; eius quoque interesse censetur, vt Caput eorum, siue Prælatus decenter sepulturæ tradatur.

Dico

8 Dico II. Sumptus extraordinarios funeris, ecclesia, siue prælatura vacans præstare non tenetur, multò minùs Capitulum. Tales expensæ sunt v. g. quæ in vestes consanguineorum, vel amicorum expenduntur; cùm eæ principaliter fieri censeantur ob familiæ honorem, aut specialem amicitiam. Sed alia ratio est de vestibus famulorum, & officialium, quos Prælatus conuenienter pro statu suo aluit.

9 His adde, quòd Prælatus non possit legatum immoderatum ex prouentibus prælaturæ pro sepultura relinquere: Attamen, dũ viuit, ad sepulturæ suæ constructionem, centesimam partem census ad ecclesiam aliquã conferre non prohibetur, c. penult. de donat. vbi videri potest Ioann. Andr. n. 2.

10 NOTANDVM II. Capitulares bona, vidol. mobilia, quæ Prælatus defunctus reliquit, occupare, aut vsurpare sibi non debent. Idem habetur in c. quia sæpe 40. hoc tit. in 6. & Clem. statutum 7. eod. tit. Sin autem bona vacantis prælaturæ sibi iniquè vsurpent, aut occupent, debitores fiunt, cùm ad acceptorum restitutionem obligentur; & ideo rectè eis negatur expensarum in negotio ad prælaturam spectante repetitio, donec ipsi, qui malè acceperunt, restituant. Aliæ explicationes videri possunt in Gl. fin. Abb. n. 6. Imola in fine c.

CAPITVLVM XLVI.

Cùm post petitam.

PARAPHRASIS.

Postquam Archiepiscopus Lugdunensis cessionem, quam diu instanter à Pontifice petiuerat, tandem obtinuit, Canonici concorditer eiusdem ecclesiæ Præpositum elegerunt. Cùm autem electio Honorio III. Pontifici præsentata esset, reperit is ex actis, quòd post publicationem suffragiorum & collationis tractatum, aliqua protractio facta fuisset; & assensus electi priùs petitus, quàm electio formata. Quamobrem dictus Papa Honorius electione eam, iustitiâ ita exigente, cassauit.

SVMMARIVM.

1. *Episcopus episcopatui renunciare non potest sine Roman. Pontificis licentiâ.*
2. *Ad formam electionis spectat, vt post scrutinium publicatum, & factam collationem numeri ad numerum, &c. mox electionis decretum formetur, ac promulgetur.*

NOTANDVM I. Episcopus episcopatui renunciare non potest sine Roman. Pontificis licentiâ, quam ipse etiam facile non concedit. Ita hîc, & in c. ad supplicationem, 9, & in c. nisi cùm pridem 10. de renunc.

NOTANDVM II. Ad formam, ac velu ti substantiam processus electionis spectat, vt post scrutinium publicatum, & factam collationem numeri ad numerum &c. mox, siue in continenti electionis decretum formetur ac promulgetur. Alioquin electio cassa & irrita iudicari debet. Dixi de hoc in c. quia propter 42. hoc tit. requis. 4. Quamobrem ait Gl. hîc ver. protractam, quod *vno contextu totum fieri debet, & electio fieri, antequam ad alia se diuertant electores.* Id vero ita intelligendum, sicuti de factione testamenti habetur in l. hæredes palàm 21. ff. de testam. & l. cùm antiquitas 28. C. eod. Vt vno actionum contextu negotium peragatur, siue, nullus alienus actus, nisi postulante necessitate interponatur. Sin autem aliquid pertinens ad ipsum electionis expediendum negotium intercedat, non vitiabitur electionis actus. Videlicet, si publicato scrutinio, & factâ collatione, electores ab eligendo, vel postulando exquirant, (etiam missis nuncijs ad absentem, si non longè distans sit) num consentire velit, nécne: Interdum enim ita expedire videtur, ne si post formatum electionis decretum, qui electus est, consentire recuset, vilipendatur dignitas, & ab altero difficiliùs acceptetur, prout Abb. hîc n. 5. annotauit.

QVÆRES. Quæ itaque causa fuit, cur electio hæc à Pontifice cassata, seu cassa declarata fuerit? Resp. Duas causas esse potuisse;

tuisse: Prima, quæ satis in textu c. exprimitur, Quia electio protracta, siue negotium electionis interruptum. Nam post publicatum scrutinium, & factam collationem, credibile est Electores dissoluisse Conuentum, & ad alia diuertisse. Ita Ioan. Andr. hic.

Altera causa reddi potest, Quia Præpositi consensus absolutè requisitus fuit, quasi electio ex parte eligentium peracta fuisset: Quamobrem peccatum fuit circa ordinem processus, adeóque in forma electionis; cùm priùs electionis decretum formàdum & publicandum sit, quàm electus electioni, tanquam de se factæ consentiat. Ita docet Anton. hic n. 2. & Innoc. in fine, his verbis: *Antequam esset electio in Capitulo publicata, consensit electioni, ac si facta esset: & sic non fuit seruata forma.* Non item contra processum electionis peccatum fuisset, si Præpositus consensisset electioni vt faciendæ, seu potiùs rogatus, aperuisset mentem suam, si eligeretur canonicè, quod repugnare non vellet, vti suprà dixi, & tradit idem Innoc. licèt dubitet Abb. antiq. hic. Videri possunt quæ dicam in c. quàm sit 6. hoc tit. in 6.

CAPITVLVM XLVII.

Constitutis.

Paraphrasis.

Duorum Monasteriorum Abbates, missis Procuratoribus ad Sedem Apostolicam, petiuerunt rescindi electionem Abbatis Monasterij Fiscanensis; eò quòd, ipsis contemptis, seu non vocatis, peracta esset. Cùm autem Procuratores causam exprimere iussi essent, ob quam ius suffragij in eo Monasterio dictis Abbatibus competeret, ea allegata fuit, quòd olim, cùm ex eo Monasterio assumpti essent ad Monasteriorum suorum abbatias, Abbas & Conuentus Monasterij Fiscanensis specialiter illis concesserint, vt in Capitulo eiusdem Monasterij vocem, seu ius suffragij haberent. Hanc rationem friuolam reputans Honorius III. super hoc duobus Abbatibus illis perpetuum silentium imponit.

Svmmarivm.

1. *Si petitioni actoris ius commune resistat, cogitur is exponere causam petitionis suæ.*
2. *Professus vnius monasterij si transferatur ad aliud, vel in alterius Monasterij Abbatem assumatur, ipso facto amittit vocem seu ius suffragij in prioris monasterij Capitulo.*
3. *Religiosus, qui professionem edidit cum stabilitate loci, de iure communi & ordinario non potest cogi ad transitum ad aliud monasterium.*
4. *Si vnum Monasterium siue Prioratus ab altero monasterio dependeat, eiq; subiectum sit, ita vt vnum illorum proprium ac stabilem Conuentum non habeat, sed dependenter ab altero; Monachi & Prior Conuentualis illius locum habebunt in Capitulo principalis monasterij, & ad electionem Prælati vocandi sunt. Secùs est, si vtrumq; distinctum Corpus seu Conuentum efficiant.*
5. *Regulari professo neque gratuita concessione potest reseruari ius suffragij in duobus monasteriis.*

Notandvm I. Si petitioni Actoris ius commune resistat, cogitur is exponere causam petitionis suæ, vti hìc apparet, & in c. 1. de officio Vicarij. Quare si vel nullam causam exprimere possit, vel ineptam exprimat, vt hìc, reijcitur eius petitio, siue libellus. Etenim in proposito casu, cùm ius electionis ad Collegium seu Capitulum spectet, iuxta c. 1. hoc tit. Ideo nullus qui è Collegio seu Capitulo non est, ius suffragij seu electionis vendicare sibi potest, nisi ex causa aliqua, siue titulo speciali. Consentit c. Cumana 50. hoc tit. 1

Notandvm II. Professus vnius Monasterij, si transferatur ad aliud Monasterium, vel in alterius Monasterij Abbatem assumatur, ipso facto amittit vocem seu ius suffragij in prioris Monasterij Capitulo. Ita hìc docent omnes DD. & admonet Ioan. Andr. ad marg. huius c. relatus, id diligenter; 2

quia experientiâ constat, sæpissimè Monachos vocatos ad alia Monasteria, hac de re dubitare. Sed dubium nullum esse debet, cùm habeamus expressam iuris decisionem, & cõmunem DD. consensum. Ratio est: quia per eam translationem ad aliud Monasterium efficitur, vt *nullam communionem habeat cum priore Monasterio*, ait Abb. hic not. 2. & sumitur ex c. vlt. de relig. domibus, vbi Concil. generale Lateran. sub Innoc. III. ait: *Prohibemus, ne quis in diuersis Monasteriis locum Monachi habere præsumat.*

3 Corollarium. Religiosus, qui professionem edidit cum stabilitate loci, siue in ordine ad certum Monasterium, non potest cogi ad transitum in aliud Monasterium, spectato communi & ordinario iure, prout inter alios docuit Nauarr. comment. 4. de Regul. n. 22. vers. *Ex prædictis desumitur ratio.* Nam per professionem specialiter factus est proprius eius Monasterij filius, eique tanquam pars, siue membrum incorporatum: ergo inde imperio Abbatis auelli non potest; auelleretur enim ab obedientia, quam vouit, seu professione, quam edidit. Ethæc quidem in not. 2. tradita doctrina extra controuersiam est, si Monasteria sint gubernata per se, siue sub diuersis, & inter se non subordinatis Superioribus, seu Prælatis constituta.

4 Sed QVÆSTIO est; Quid si vnum Monasterium, siue Prioratus ab altero Monasterio dependeat, eique subiectum sit, iuxta c. 1. de priuileg. in 6. potéstne Monachus, siue Professus vtriusque iura participare? Respondeo, cum Gl. in cit. c. 1. ver. dependere, cum sua addit. Ioan. Monacho ibid. Ioan. Andr. in suprà cit. c. vlt. de religios. domibus; Inprimis in hac re attendendum esse ad consuetudinem cuiusque loci: Sin autem de communi iure quæstio mota sit; tum inspici debet, atque distingui, quanta sit subiectio vnius Monasterij erga alterum. Si enim Abbas superior, seu principalis arbitratu suo collocet ibi, ac reuocet Monachos seu Regulares ex Monasterio seu Prioratu sibi subiecto, tum signum est, quòd Prioratus iste seu Monasterium inferius non habeat proprium ac stabilem Conuentum; quia inferius Monasterium pleno iure incorporatum sit Superiori; quod eo etiam signo cognoscetur, si Prioratus aut inferius Monasterium administrationem bonorum exerceat cum dependentia à Monasterio maiore; His positis circumstantiis, tam Monachi, quàm Prior Conuentualis locum habebunt in Capitulo Monasterij principalis, vt etiam ad Abbatis electionem vocari debeant. Sin autem inferius Monasterium siue Prioratus habeat bona omnino discreta, & proprium Conuentum, à quo Prælatus eligatur, licèt fortè confirmandus à Prælato superiore, iuxta c. cùm dilectus 8. de consuet. tunc Monachi inferioris Monasterij non concurrent ad actus Capitulares Monasterij superioris. Imò fieri etiam potest, vt superius Monasterium ex speciali institutione seu fundatione, constituat Prælatum Monasterio inferiori, iuxta cit. c. cùm dilectus, & tamen Monachi eius non concurrant ad electionem Abbatis superioris; si videl. nihilominus distinctum ipsi corpus seu Conuentum efficiant.

NOTANDVM III. Adeò id iure cautum est, vt Monachus seu regularis Professus in duobus Monasterijs locum, aut ius suffragij non habeat, vt neque gratuita concessione id ei reseruari possit. Ita hîc in textu huius c.

Sed difficultas est, cur hoc ius suffragij Monachis ad aliud monasterium translatis, vel assumptis in prælaturam, reseruari non possit; cùm etiam cuilibet extraneæ personæ liberaliter concedi queat, vti constat ex c. scriptum 40. hoc tit. & aliis iuribus. Ad hanc quæst. si in terminis generalibus proponatur, num ius suffragij electiui personis extraneis, siue ijs qui è Collegio non sunt, liberaliter concedi possit, respondeo, esse distinguendum, ex doctrina Anton. hîc n. 11. Abb. n. 2. Imolæ n. 3. Vel ius istud eligendi ex speciali gratia conceditur dignitati, vel personæ. Si dignitati, valet concessio; dummodò Superioris consensus & alia requisita interueniant; cùm sit species quædam alienationis. Sin personæ; iterum distinguitur, vtrùm id fiat Sede vacante, pro vna vice; & valet concessio, iuxta cit. c. scriptum. An verò non vacante Sede, & non valet concessio, quia præsefert.

fert tractatum futuræ electionis, quæ ante mortem Prælati reprobatur, argum. c. bonæ 36. hoc tit. & c. constitutis 11. de concess. præbendæ. Denique si concessio fiat personæ, non tantùm pro vna vice, sed absolutè & in perpetuum, seu ad vitam eius, tum consistere fortasse poterit, si Superioris consensus atque aliæ solemnitates adhibeantur; dummodò fiat modo possibili, & à sacris canonibus non reprobato. Cuiusmodi concessio hęc fuerat, vt Monachus in duobus monasteriis intitulatus, seu Capitularis existeret; quod sacris canonibus, & ecclesiasticæ traditioni repugnat.

Cæterùm decisioni huius c. obstare videtur c. cùm ecclesia, quòd est 3. de causa possessionis & propriet; in quo cuiusdam Episcopi electio, ad quam alterius ecclesiæ clerici vocati non fuerunt, rescinditur, & clerici in pristinam quasi possessionem reducũtur, postquam ostenderunt, ipsos trium immediatè antecedentium Episcoporum electioni interfuisse, & vocem habuisse, tunc verò non vocatos, sed contemptos fuisse: ergo idem in hoc casu responderi debuit. Respondeo ex doctrina Gl. hic ver. quo iure, Anton. n. 6. Abb. n. 2. Casus vtriusque c. esse valde diuersos; Primò, quia in cit. c. 3. cumulabatur actio petitoria, cum possessorio: hic autem nulla fit mentio possessionis, aut spoliationis; credibile enim est, hanc fuisse primam electionem, post transitum Abbatum duorum ad aliud Monasterium; sed agebatur hic actione confessoria; vt declararetur ipsis ius suffragij competere, & ideo contemptos esse, atque electionem rescindendam.

Secundò. Tametsi ponamus, Abbates illos fuisse in possessione electionis, quia aliquandò vnà cum aliis fratribus Abbatem elegerant, tanquam ius habentes; tum verò vocatos non fuisse; tamen pro ipsis non ita pronunciari potuisset, sicuti in casu cit. c. 3. pro clericis. Quia quando ius commune resistit possessioni, ea prodesse non debet possessori, nisi sit colorata, aut habeat præsumptionem pro se, prout videre licet apud Abb. in cit. c. 3. n. 52. Idque maximè locum habet in beneficialibus; aut si agatur ad hoc, vt aliquis electus, aut promotus amoueatur, seu electio rescindatur. Hìc autem nullus fuit color, causa, siue titulus cohonestans possessionem: nam ea ipsa causa quæ allegabatur, fuit contraria iuri, atque impossibilis; ideóque euertens penitus intentionem actoris. Imò etiam euertens commoda possessionis: quandoquidem notorius aut sponte confessus defectus proprietatis elidit possessionem. At verò in casu cap. 3. possessio colorem, ac præsumptionis iuris ac tituli pro se habebat ex longissimi temporis decursu.

Tertiò, Quòd electio, quæ peracta est non vocato eo, qui erat in possessione iuris eligendi, rescindi debeat, id de bonæ fidei possessore intelligendum, non item de possessore malæ fidei, sicuti docent DD. in c. 3. vbi idem Abb. n. 53. Atqui clerici illi in casu eiusdem c. erant in possessione bonæ fidei, vti satis ex textu colligitur: Hi autem Abbates, si possessionem suffragij habuerunt, mala fide, & contra sanctorum canonum decreta eam nacti fuerant, vti ex suprà dictis constat.

CAPITVLVM XLVIII.

Ecclesia.

PARAPHRASIS.

Vacante ecclesia Rothomagensi, conuenientes Canonici ad electionem, in diuersas sententias & suffragia diuisi sunt: Nam quidam eorum in Thomam consenserunt, alij quidam in Cancellarium, cæteri singuli in certas alias personas vota sua direxerunt. Cùm autem controuersia hæc, seu discordia ad Honorium III. Pontificem delata esset, & multa coram eo proposita, repertum est inprimis, quòd non maior pars Capitularium absolutè loquẽdo, sed solùm comparatione partium minorum, sua vota in Thomam contulerint. Deinde compertum, quòd post suffragiorum publicationem, & electionis tractatum, ad electionem processum non fuerit: Tametsi enim solemnitas deportationis

ad sellam Episcopalem, siue inthronizatio, & quidem post appellationem interpositam, secuta sit, tamen ea pro electione reputari haud debet: Ea propter Pontifex id, quod circa Thomam factum est, cassauit, sed neque petitionem eorum, qui in Cancellarium consenserunt, admisit.

SVMMARIVM.

1. *Ad electionem requiritur, vt fiat à maiore & saniore parte Capituli præsentis.*
   Idem requiritur in aliis omnibus Capitularibus seu Collegialibus actibus.
2. *Vbi est votorum pluralitas, præsumitur etiam, quòd sint vota saniora, donec contrarium probetur.*
3. *In Ordine Minorum Prouincialis electus à maiore parte Capituli, secundùm numerum, non obstante exceptione & contradictione quacunque alterius partis à Generali Ordinis Ministro confirmandus est.*
4. *In electionibus, in quibus obseruari debet forma* c. quia propter, *requiritur solemnis electionis promulgatio verbis concepta; in aliis sufficit facto communem Capituli eligentis consensum declarari.*

NOTANDVM I. Ad electionem canonicam requiritur, vt sit facta à maiore & saniore parte Capituli. Ita Gl. hîc in not. Innocent. & alij communiter, & habetur etiam in c. quia propter 42. c. Cumana 50. & c. in Genesi 55. hoc tit. Et colligitur aperte ex textu, quòd non sufficiat electum esse aliquē à parte saniore, nisi etiam sit pars maior Capituli præsentis. Quod verbum *præsentis* ideo addo, quia maioritas suffragiorum considerari debet in ordine ad Capitulares, seu Electores præsentes, dummodò tantus eorum numerus sit, videl. saltem duæ partes ius suffragij habentium, qui volunt ac possunt interesse secundùm Gl. in l. quod maior 19. ff. ad Municip. & constat ex l. 3. ff. Quod cuiusque Vniuersitatis, &c. vt ius Capitularis ad eligendum non desit. Si itaque in Capitulo congregato fuerunt viginti Electores, necesse erat vndecim in Thomam consensisse, vt eius electio valere posset: Neque satis fuisset, si decem, quamuis ij ætate, prudentiâ, & zelo reliquos superarent, consensissent: quia doquidem Pontifex in casu huius c. nulla facta examinatione, num suffragia collata in Thomam maioris seu eligentium, seu electi meritis ponderis esse deberent, electionem cassandam duxit; ideo quia *ad maiorem partem Capituli non peruenerunt.* Consentit c. Cumana 50. hoc tit.

His adde, quòd non tantùm in electionis actu, sed etiam alijs omnibus Capitularibus seu collegialibus actibus, vt firmitatē obtineant, necesse sit maiorem partē præsentium in Capitulo, legitimè, aut saltem validè congregato, consentire, argum. c. 1. & toto tit. De his quæ fiunt à maiore parte Capituli, & cit. l. quod maior. Et bene notat Gl. in cit. c. 1 ver. rationabiliter, quòd vbi est votorum pluralitas, præsumitur etiam quòd sint vota saniora, donec cōtrarium ostendatur, argum. cit. c. 1. & c. dudum 22. hoc tit.

Loquor autem de actibus Capitularibus, seu collegialibus: Aduertenda enim est doctrina Bartoli communiter recepta in l. si vni 36. aliàs incipit *Pomponius*, q. 3. ff. de reiudic. Quòd interdum actus, v. g. præsentationis ad beneficium, pertinet ad plures vt singulos, siue vt singulares personas: tunc præualet consensus partis maioris comparatione partium aliarum, iuxta c. 3. de iure patr. Interdum pertinet actus, v. g. electionis, aut tractatus de alienatione facienda, ad plures vt vniuersos, siue vt corpus Collegij, aut Capituli constituentis; tunc requiritur maior pars Collegij præsentis, & ius decernendi habentis. Cùm enim difficile, & sæpe impossibile sit, vt omnes cōsentiant, quia variæ sunt hominum persuasiones ac sententiæ; ideo *quod maior pars Curiæ* (præsentis) *effecit, pro eo habetur, ac si omnes egerint*, cit. l. quod maior, iun. Gl. ver. Curiæ.

A tradita verò doctrina excipit Abb. hîc n. 6. cum Gl. in Clem. 1. §. Demum, vers. Tertiò vota, de verborum signif. Si in Ordine Minorum Prouincialis eligatur, valere electionem factam à maiore parte Capituli, etsi

non

non sit absolutè maior, sed comparatione partium aliarum. Veruntamen hoc non dicitur in §. eius Clement. sed longè aliud decernitur, videlicet nulla habita zeli ad zelum collatione, aut consideratione, eum, qui à maiore parte Capituli, secundùm numerum eligitur, non obstante exceptione & contradictione quacunq; alteri9 parte, à generali Ordinis Ministro confirmandũ esse. Idque speciale est in electionibus regularium Prælatorum, quia in alijs electionibus, quæ per formam scrutinij, excipi potest contra partem maiorem Capituli, quòd non sit sanior, iuxta c. quia propter 42. hoc tit. Exceptio tamen hæc, seu oppositio ostendi debet; cùm præsumptio pro maioritate stet, vti suprà dictum.

4 NOTANDVM III. In iis electionibus, quibus obseruari debet forma cit. c. quia propter, non sufficit communem Capituli eligentis consensum facto aliquo declarari, v. g. deportatione ad sedem Prælati, aut collocatione super altari: sed requiritur solemnis electionis promulgatio, verbis concepta, prout dictum est in cit. c. quia propter, & traditur in hoc c. Ratio est, quia si verba sint de substantia actus, factum non æquiualet verbis, iuxta c. 1. de Baptismo. At verò in alijs electionibus, in quibus non obseruanda est solemnitas c. quia propter, necessaria non sunt verba; sed quomodocunque, seu verbis seu facto aliquo, consensus eligentiũ personam aliquam sufficienter declarata sit, censeri debet rata electio; quia spectato jure naturali aliud non requiritur. Ita annotauit Abb. hic n. 3. & Imola n. 3. vbi ait: *Electio debet verbaliter exponi, nec sufficit, si facto fiat. Et sic nota, quòd vbi verba sunt de substantia, plus operantur verba, quàm factum: Regulariter autem sufficit, voluntatem apparere, vel facta.* Potest tamen vel statuto, vel consuetudine receptum esse, vt etiam ad alias electiones verba adhibenda sint.

* * *

CAPITVLVM XLIX.

Cum in magistrum.

PARAPHRASIS.

Intellexerat Gregorius IX. Pontifex, quòd in quibusdam Monasterijs, jure diœcesano Episcopo subiectis, in Abbates assumerentur, qui ordinem regularem nondum professi essent: Hos, siue Monachi, siue Canonici regulares sint, amouendos esse respondens; rationem afferens, Quia *in Magistrum assumi non debeat, qui formam discipuli non assumpsit; nec sit præficiendus, qui subesse non nouit.*

SVMMARIVM.

1. *Non professus in Prælatum regularem eligi non potest.*
2. *Neque eidem non professo Prioratus, aut administratio qualibet in ordine committi potest.*

NOTANDVM Vn. Qui ordinem professus non est, ad prelaturam regularem promoueri non potest. Ratio datur in textu, quia talis nouitius & inexpertus esse censetur; & ideo non decet eum fieri Magistrum, siue Abbatem, aut Præpositum Magistrum: Consentit c. cùm ad nostram 37. hoc tit. Nam qui in Rectorem, siue Magistrum Monasterij assumitur, in regula expertus & peritus esse debet, c. officij 38. hoc tit. Qui autem ordinè nondum professus est, in regula expertus non censetur, vti dictum in c. cùm ad nostram 37. hoc tit. Hodierno autem jure c. nullus 28. eod. tit. in 6. requiritur, vt professionem expressam aliquis fecerit: Eáque irrita est, si fiat ante explotum probationis annum, juxta Concil. Trident. sess. 25. cap. 15. de Regular. Ideóque his decretis obuiatum fuit abusui, qui olim inualuerat, teste Nauarr. consil. 62. de Regularibus, edit. 2. vt post breuissimum tempus, vid. vnius aut alterius hebdomadæ, aliqui professionem in Religione ederent, tantùm, vt in Abbates, siue Præpositos regulares assumi

possent. Addendum, quòd in Clement. Ne in agro, quæ est 1. de statu Monachorum, §. Cæterùm, vers. Sanè, decretum est, ut Prioratus, aut administratio quælibet in Ordine alicui committi non possit, nisi expressam professionem fecisset.

CAPITVLVM L.

Cumana.

PARAPHRASIS.

Ecclesia Cumana vacante, atque congregatis Canonicis, qui tum præsentes erant, & tribus Abbatibus, quibus jus suffragij indubitatè competebat, die ad celebrandam electionem constituta; cùm etiam Capellani & clerici ciuitatis electioni se debere interesse dicerent, sub hac protestatione admissi fuerunt, vt suffragia illorum qui nec de jure, nec de consuetudine interesse deberent, non valerent. Facto deinde, iuxta formam Concilij generalis sub Alexandro III. scrutinio, septem Canonici, vnus Abbas, vndecim Capellani, & nouem Clerici ciuitatis in Archipresbyterum consenserunt; Nouem autem Canonici, vnus Abbas, & vndecim Clerici Archidiacono eius Ecclesię suffragati sunt. Hoc intellecto processu, Gregorius IX. Pontifex respondit; Quòd neutra electio ad maiorem partem totius Capituli peruenerit. Fuerunt enim vniuersim viginti & vnus Electores, quibus ius suffragij competere noscebatur; quorum octo in Archipresbyterum, decem in Archidiaconum, tres reliqui in alium, vel alios vota sua direxerunt. De Capellanis autem & Clericis ciuitatis probatum non fuerat, quòd ad electionē admitti deberent, aut seu de iure seu de cōsuetudine antehac admissi essent. Tametsi enim Capellani duabus præcedentibus Episcoporum electionibus interfuerint, & cum alijs scrutatores elegerint, non tamen ostensum fuit, eorum vota requisita fuisse, aut cum alijs elegisse: sed etsi ponamus, vota eorundem fuisse petita, aut ipsos cum alijs elegisse, non tamen inde constat, id eis de iure competere, aut ex consuetudine præscripta: Accedit deinde, quòd suprà dictæ electiones factæ sint contra formam dicti Cōcilij generalis; quia collatio in cōmuni, quæ post scrutinij publicationem fieri debet, omissa fuerat: quamobrem Pontifex vtramque illam electionem sententialiter irritandam, ex Fratrum suorum siue Cardinalium consilio censuit; priuans Electores pro ea vice eligendi facultate.

SVMMARIVM.

1. *Capitulares ex maioris partis consensu possunt electioni faciendæ diem decernere, sed infra trimestre à die vacationis cognitæ.*
2. *Capellani, aliiq; beneficiarij non Canonici, aut Conuentuales, non habent vocem in Capitulo, nec faciunt vnum Corpus seu Collegium, nec possunt habere sigillum in communi.*
3. *Ad cautelam fieri potest, & in quibusdam ecclesiis solet, protestatio generalis in electionibus, non esse intentionem Capituli, vt vllius suffragium valere debeat, nisi quatenus de iure valere potest.*
4. *In materia acquisitæ facultatis, seu iuris aut obligationis nomine consuetudinis intelligenda est legitimè præscripta.*
5. *Qui est in possessione vnius iuris, non ideo est etiam in alterius non connexi.*
6. *Qui iterum aut tertiò elegerunt Prælatum, non tamen ideo de iure suo, aut consuetudine præscripta probasse censendi sunt.*
7. *Si clericus volens cum Capitularibus eligere, non est in possessione iuris eligendi, expelli potest, etiam vi adhibita, nec opus est protestatione. Si autem Capitulares expellere eum nolint, vel non possint, protestatio ad hoc proderit, ne consensisse videantur.*
8. *Si clericus volens cum Capitularibus eligere, est in possessione cum mala fide, Capitulares eum propria auctoritate expel-*

expellere non possunt, suffragium tamen eius non valet, & ipso etiam contradicente vtiliter fiet protestatio, vt eius suffragium non valeat, nisi quatenus de iure valere debet.

9. *Eadem protestatio proderit, si dubium sit, an clericus cum aliis eligere volens sit in possessione bonæ fidei.*

10. *Si constet clericum esse in possessione iuris eligendi sine mala fide, valere debet suffragium eius.*

11. *Protestatio, quæ fit ad conseruandum ius protestantis sine præiudicio alterius, contra quem fit, non requirit eius consensum.*

Si autem fiat protestatio cum præiudicio, aut diminutione iuris aduersarij, non prodest protestanti, nisi sit acceptata.

12. *Electio facta non valet, omissa collatione, & electores pro ea vice priuari possunt.*

1 NOTANDVM I. Capitulares ex maioris partis assensu diem decernere possunt electioni faciendæ; quod intellige intra tres menses, à die vacationis ipsis cognitæ: vlteriùs enim, secluso legitimo impedimento in ecclesiis cathedralibus & regularibus ecclesijs, differre non licet, c. ne pro defectu 41. hoc tit.

2 NOTANDVM II. Capellani, alijque, beneficiarij, qui Canonici non sunt, aut Conuentuales, vocem non habent in Capitulo ecclesiæ: Imò nec per se faciunt vnum corpus seu collegium; sed ministrant ecclesiæ duntaxat vt personæ singulares, sicuti annotauit Gl. recepta in c. penult c. ver. assistos, de Cler. non resident. & constat ex c. dilecta 14. iun. Gl. ver. nec sint vnum corpus, de excess. Prælator. vbi habetur, quòd eiusmodi clerici seruientes ecclesiæ non possint habere sigillum in communi.

3 NOTANDVM III. Si celebrãda sit electio Prælati, & clerici aliqui interesse, & eligere, velint, de quorum iure non constat, admitti interdum poterunt, cum protestatione, vt eorum suffragia non valeant, nisi vel de iure, vel consuetudine interesse, & eligere debeant. Ita sumitur ex hoc c. Imò verò in quibusdam ecclesijs consuetudo est, vt semper ad cautelam fiat protestatio generalis, non esse intentionem Capituli, vt vllius suffragantium suffragium valere debeat, nisi quatenus de iure valere potest.

Porro ex hoc eodem textu colligunt Ioan. Andr. & Abb. hîc n. 4. Anton. n. 9. Imola n. 7. nomen consuetudinis absolutè pronunciatæ intelligi debere de præscripta. Sed arbitror, hoc dictum non esse vniuersaliter verum; sed ita dicendum: Si versemur circa 4
materiam acquisitæ facultatis, seu iuris, aut natæ obligationis, nomine consuetudinis intelligendâ esse legitimè præscriptam: quia per eam solam ius nascitur, aut obligatio alteri imponitur. Videri de hac re potest P. Franc. Suarez lib. 7. de legibus cap. 8. num. 17. 18.

NOTANDVM IV. Qui est in possessione vnius iuris, non ideo est in possessione alterius iuris non connexi: consequenter nec præscribere potest alterum ius diuersum, quia sine possessione præscriptio non procedit, reg. 3. in 6. Signum autem est, iura eorúmque possessionem esse separabilia, si actus, quibus acquiruntur, separari possunt, ac solent; vt in casu huius c. ex speciali cõcessione, aut consuetudine competere potest clericis, qui è Capitulo non sunt, vt electioni Prælati interfint, & cum alijs scrutatores eligant; non item, vt suffragia electionis dent: præsertim cùm iure huiusmodi speciali, & à communi iure exorbitantia, videl. vt qui è Capitulo non est, ius suffragij habeat, non præsumantur, sed certam probationem requirant, vti etiam dixi in c. constitutis 47. hoc tit. 5

NOTANDVM V. Etiamsi aliqui, qui è Capitulo non sunt, ostendant, se vnà cum Capitularibus, semel, iterum, aut tertiò elegisse Prælatum, adeoque esse in possessione iuris eligendi, non tamen ideo de iure suo, aut consuetudine præscripta probasse censendi sunt. Ita habetur hîc, iun. Gl. ver. iam præscripta; *Sic patet*, inquit, *quòd sola possessio non dat, nec creat ius, nisi sit præscripta*: Et clariùs habetur in c. 3. vbi Gl. ver. breuitatem temporis, de causa possess. & propriet. 6

Nam

Nam præter possessionem requiritur etiam bona fides, temporis legitimi decursus &c.

QVÆSTIO est, quam Glossa hîc mouet ver. protestatione, & tractant Interpretes, Innoc n. 4. Abb. Antiq. ver. quod vox, Anton. n. 15. Imola n. 7. fusè Abb. n. 5. & seqq.

Ad quidnam vtilis sit protestatio, cuius mentio fit in hoc c. & num consensum siue acceptationem requirat eius, contra quem
7 protestatio fit? Respondeo secundùm varietatem casuum, & Dico I. Si clericus, qui non est membrum Collegij seu Capituli, electioni Prælati se immiscere volens, non est in possessione iuris eligendi, tum opus non est protestatione; quia expelli potest, etiam vi adhibita; sin autem Capitulares nolint, aut non possint conatui facto ipso obsistere, tum protestatio ad hoc proderit, ne consensisse & possessionem stabiliuisse videantur.

8 Dico II. Si clericus volens cum Capitularibus eligere, est in possessione cum mala fide; quia clanculum, v. g. aut per vim ad eligendum cum alijs se intrusit, tunc propria auctoritate expellere eum non possunt, iuxta c. in literis 5. de restitut. spoliatorum, suffragium tamen eius non valet: quia malæ fidei possessor nullum ex possessione sua commodum seu fructum percipere debet, l. mala fide, C. de condictione ex lege. Quâobrem etiam ipso contradicente vtiliter fiet protestatio, quòd eius suffragium valere nolint, nisi de iure, vel consuetudine præscripta valere debeat, vti hîc Innoc. tradit n. 4. ver. protestatione.

9 Dico III. Si dubium est, num clericus, qui cum alijs eligere vult, in bonæ fidei possessione existat, tum ne turbatio fiat, atque interim possessio clerico non confirmetur, proderit protestatio, vt eius suffragium non valeat, nisi quatenus de iure valere debet: Nam Superior, qui electionem confirmaturus est, causam examinare debebit; vt si repererit, fuisse illum in possessione iuris eligendi, & quidem bona fide, suffragium eius valeat; sin autem in possessione cum bona fide non fuit, non valeat. Idque tradidit idem Innoc. cit. loc. Anton. n. 16. Neque potest in hoc casu is, cõtra quem protestatio fit, cõtradicere, cùm eius iuri, aut possessioni, si habet, nihil præiudicetur; sed solùm eò tendat, vt protestantibus ius suum conseruetur.

Dico IV. Si constet, clericum esse in pos- 10
sessione iuris eligendi, neque appareat mala fides in possessore, tunc valere debet suffragium eius, & computari in numero ad electionem perficiendam, prout constat ex c. querelam 24. c. in Genesi 55. hoc tit. & clariùs ex c. 3. de causa possess. & proprietat. c. cùm olim 7. iun. Gl. ver. duobus, eod. tit. de causa possess. c. consultationibus 19. de iure patronatus. Quamobrem in casu protestatio nihil obesset possessori, saltem si eam non acceptet, siue in eam consentiat, prout rectè hîc tradit Gl. ver. protestatione. Tametsi verò in tali casu vtile sit contrà protestari, tamen id necessarium non est; quia taciturnitas non reputatur consensus, si agatur de inferendo alicui præiudicio, aut minuendo iure eius, prout docet Gl. & DD. in reg. 43. in 6. Regula itaque generalis tradi potest, cum cit. Gl. Anton. Abb. & alijs suprà cit. Felinus in c. cum M. n. 77. de Constitut. quòd protestatio, quæ fit ad conseruandum ius protestantis sine præiudicio alterius, contra quem fit, non requirit eius consensum, argum. l. Nesennius 36. ff. de negot. gestis. Sin autem protestatio fiat cum præiudicio, aut diminutione iuris aduersarij, non prodest protestatio, nisi sit acceptata; quia non potest aliquis alteri inquam conditionem afferre, nisi consentiat. 11

Veruntamen in casu huius c. nequaquam existimandum est, de Capellanorum & clericorum ciuitatis possessione, constitisse, sed planè contrarium; cùm Pontifex expressè dicat, non fuisse ostensum, illos in præcedentibus Episcopum elegisse, consequenter non erant in possessione iuris eligendi: Alioquin, si in possessione fuissent, & quidem cum bona fide, (ea enim præsumitur in possessore, donec contrarium demonstretur) protestatio illa Capituli, vt suffragia eorum non valeant, nisi de iure &c. valere debeant, ipsis nihil obfuisset, etiam acceptata; propterea

pterea quòd, vt suprà dictum, suffragium eius, qui in possessione bonæ fidei est, de iure valere debeat. Itaque clara & indubitata est hæc Gregorij IX. decisio, quòd suffragia Capellanorum & Clericorum numerari non debeant; quia de possessione eorum in præcedentibus electionibus ipsis acquisita nihil obstensum; quò minùs autem in vltima electione possessionem acquirerent, obstabat protestatio, quia aliter admissi non sunt, nisi vt suffragia eorum non valeant, si de iure aut consuetudine præscripta valere debeant. Addit verò Pontifex ex abundante; Posito etiam, (quod tamen verum nō erat, aut saltem de eo non constabat) illos in præcedentibus Episcoporum electionibus suffragia electionis dedisse, non tamen necessariò sequitur, eorum iam, siue in vltima electione suffragia, tanquam valida de iure, aut consuetudine præscripta admitti debere. Potuit enim fieri, vt in prioribus electionibus admissi fuissent, non tanquam ex debito, sed precariò, & ex gratia, sine acquisitione iuris, aut possessionis; poterat etiam fieri, vt, cùm dubia & controuersa videretur possessio, admissi essent cum protestatione, de qua paulò antè hîc dicto 3. Sed hæc dicuntur tantùm ex hypothesi, atque vberioris doctrinæ causa; non quòd necessaria sint, ad defensionem decisionis Pontificiæ, cùm clarè in ea expressum sit de electione Capellanorum & clericorum, quòd ea antecesserit, adeóque ex ea possessio aliqua acquisita videri possit, nihil fuisse probatum.

12 NOTANDVM. Si collatio, quæ post suffragiorum publicationem, ante electionis decretum fieri debet, omissa sit, electio irrita est, tanquam facta contra formam Concilij generalis; atque electores pro ea vice priuari possunt eligendi potestate. Videri possunt quæ dixi in c. quia propter 42. hoc tit. in quinto requisito.

CAPITVLVM LI.

Sacrosancta.

PARAPHRASIS.

Comes de Varenna patronus Monasterij S. Pancratij, pertinentis ad ecclesiam Cluniacensem, compositionem cum Abbate Cluniacensi, cum consensu Capituli eius, iuri contrariam, & ecclesiæ damnosam iniit, videl. vt defuncto Priore S. Pancratij, Abbas Cluniacensis duos ex ordine Cluniacensi, quos aptissimos iudicaret (excepto Priore Cluniacensi & Priore de Charitate) nominare debeat, ex quibus duobus optio relinquatur Comiti, vt vnum ad Monasterij eius Prioratum assumat. Hanc compositionem alius Abbas Cluniacensis, prioris successor, oppugnare volens, causam hanc Gregorio IX. Pontifici proposuit, qui ita pronunciauit; Cùm ius eligendi in ecclesia Collegiata non cadat in laicum, dictam compositionem exemplo pernicioſam esse, & ecclesiasticæ libertati repugnantem: Ideóq; vult, vt non obstante ea compositione, Prioratum S. Pancratij, sicut alios sibi subditos Prioratus, liberè ordinare, siue Priorem in eo instituere possit; patrono autem factam ordinationem denunciet, vt, si velit, honestum impartiatur assensum.

SVMMARIVM.

1. *Non valet pactum aut transactio, quæ ecclesiis damnosa, & libertati ecclesiasticæ contraria est.*
2. *Secundùm hodiernæ ecclesiæ praxin permittendum non videtur, vt laicus, etiam patronus, tractatui electionis vnà cum clericis intersit.*
3. *Institutio siue prouisio Prælati in monasterio alteri monasterio subiecto pertinet ad Abbatem monasterij superioris, si huius arbitrio sit communio fratrum, vt ex vno monasterio in alterum transferantur.*

NOTANDVM I. Non tantùm ecclesia Cathedralis, & Prælatus eius, vid. Episcopus, denominari solet à loco, siue ciuitate v. g. Ecclesia Augustana, Episcopus Augustanæ Ecclesiæ; non expresso nomine Sancti eiusdem ecclesiæ; sed etiam hoc ipsum fieri solet in alijs ecclesiis principalibus, Sedi Apostolicæ immediatè subiectis, quorum Præ-

lati quasi episcopalem iurisdictionem obtinent, prout hìc apparet in textu, & notauit Abb. n. 1. Adde Glossam in c. quamuis 4. ver. non extendit, & quæ ibidem volente Deo dicam, de præb. in 6.

1 NOTANDVM II. Non valet pactum, aut transactio, quæ ecclesiis damnosa, & libertati ecclesiasticæ contraria est: Idque maximè procedit in casu huius c. quando ius eligendi, aut assumendi aliquem ad prælaturam committitur laico: Cùm tamen laicus eiusmodi iuris, quippe spiritualis, incapax sit, vti dixi in c. 1. & c. cùm terra 13. hoc tit. & sumitur ex c. Massana 56. eod. vbi eadem ratione reprobatur consuetudo, qua laici electionis ius sibi vendicare præsumunt.

Obstare tamen videtur c. nobis 25. de iure patron. in quo quærebatur, vtrùm patronus ad electionem Plebani esset cum clericis admittendus, an verò repellendus, tametsi de longa consuetudine allegauerit se interesse debere: Ad id respondit Clemens III. Papa; *In Conuentuali ecclesia non electioni Prælati faciendæ, sed iam factæ honestius patroni postulatur assensus; nisi aliter de sua iurisdictione obtineat, vt partes suas interponere debeat electioni tractandæ.* Duæ sunt probabiles responsiones; Vna Glossæ ibidem, ver. nisi aliter, sermonem esse de patrono ecclesiastico, non laico. Altera Innoc. in c. quod sicut n. 2. hoc tit. Ioann. Andr. in cit. c. nobis num. 12. Licèt consuetudine, aut pacto constitui non possit, vt laicus electioni se immisceat, tanquam ius eligendi, aut assumendi Prælatum habens, vti dictum est in not. isto; posse tamen introduci, aut constitui, vt consilium laici patroni ante electionem requirendum sit; aut vt laicus vnà cum clericis tractatui de electione ritè instituenda interesse debeat; saltem defensionis causa, vt omnia tranquillè & ordinatè peragantur. quod verbis suprà ex c. illo *nobis* allegatis colligi videtur; ita tamen, vt ipsis clericis libera eligendi facultas non adimatur; idque confirmatur ex c. quia igitur 9. & seqq. d. 63. & videri potest Gratianus post c. cùm longè 25. ead. d. 63.

2 At verò secundùm hodiernæ ecclesiæ praxin, permittendum non videtur, vt laicus, etiam patronus tractatui electionis vnà cum clericis intersit. Quòd si huiusmodi consuetudo olim tolerata fuerat, tamen postea correctam fuisse, dicere oportet cum Gl. hic, ver. In laicũ, vers. *sic enim corrigitur*, & colligitur ex c. cũ terra 14. hoc tit. c. quod sicut 28. eod.

Contra hanc tamen doctrinam videri potest scripsisse P. Lud. Molina tr. 2. de iust. disp. 75. n. 8. vbi ait; Electionem Prælati in ecclesiis Collegialibus non pertinere ad patronum, sed ad Capitulum; *nisi patronus qui ecclesiam fundauit, aut dotauit, id in pactum deduxisset, fuissetq; illi concessum.* Et postea exinde infert, ius eligendi seu nominandi Prælatum in ecclesiis Collegialibus posse à patrono per temporis immemorialis decursum præscribi. Veruntamen P. Molina ibi electionis nomen latè & impropriè accepit pro præsentatione: Quod vel inde colligitur, quia pro confirmatione sententiæ suæ allegat Concil. Trident. sess. 25. cap. 9. de reform. quod expressè loquitur de iure præsentationis; Item Couarr. in reg. possessor p. 2. §. 10. n. 3. qui rectè ibi docet, nulla consuetudine aut præscriptione posse patronum laicum ius eligendi Rectorem ad collegialem ecclesiam acquirere, secundùm Gl. ab omnibus receptam in suprà cit. c. nobis, cùm sit necessarium priuilegium Rom. Pontificis, vt hoc ius laicis possit competere. Postea subiungit: *Ius autem præsentandi Prælatum ad ecclesiam collegiatam patronus laicus habere potest, si tempore constructionis ecclesiæ aut dotationis id ius ex consensu Episcopi exceperit, secundùm Cardin. in Clem. plures, §. vlt. de iure patron.* Ex quo deinde colligit, hoc ius præsentandi Prælatis in ecclesiis collegialibus, etiam Cathedralibus, per immemorialis temporis præscriptionem acquiri. Doctrina itaque Molinæ consentit cum his, quæ à Couarruuia dicuntur; imò inde, mutatis aliquantulum terminis, accepta fuit. Cur autem ius electionis minùs in laicum cadere possit, quàm ius præsentationis, dixi in rubr. cit. Anton. in eod. c. quod sicut, num. 6. Verùm cùm id nullo iure expressum sit, existimarem, electionem rescindi posse contra canones factam.

No-

NOTANDVM III. Si Monasterium, siue Prioratus alteri Monasterio subiectum siue subordinatum sit, institutio siue prouisio Prælati in monasterio subiecto pertinet ad Abbatẽ monasterij superioris. Ita colligitur ex textu hui⁹ c. & notauit Gl. in casu c. 1. eod. tit. in 6. vbi ait, quòd *plures abbatiæ habent Prioratus conuentuales sub se, quos conferunt Abbates iure suo, & nõ eligunt monachi illius Prioratus cõuentualis.* Id verò arbitror intelligendum esse, si inter monasterium superius & inferius tanta sit communio Fratrum, vt ex vno monasterio in alterum transferantur arbitrio Prælati superioris: Sin autem ea communio non sit, sed inferius monasterium Conuentum separatum & proprium habeat, tunc, spectato communi iure, electio Prælati in Monasterio inferiore spectat ad Conuentum eiusdem Monasterij; confirmatio verò ad Prælatum superioris, cui subiectum est; at verò iure speciali sine consuetudine etiam tunc electio seu prouisio Prælati seu Prioris conuentualis ad superiorem Prælatum spectare potest. Ita habetur in c. cùm dilectus 8. de consuet. Videri possunt quæ dicuntur in causa 18. q. 2. c. 1. & seqq.

CAPITVLVM LII.

Cùm in veteri.

PARAPHRASIS.

Vacante ecclesia Bisuntina, Papa mandauit Capitulo, vt intra 40. dies post literarum suarum receptionem, idoneum Pastorem eligerent, cum consilio Abbatis S. Benigni, & Abbatis S. Moribundi, & Fr. Guilielmi Ordinis Prædicatorum: Alioquin hi tres Archiepiscopum ecclesiæ Bisuntinæ prouiderent. Canonici, post hoc acceptum mandatum, diem electionis decreuerunt, & in sex Canonicos compromiserunt, quorum eligendi potestas durare deberet, vsque ad absumptionem candelæ ipsis accensæ. Compromissarij habito tractatu de Archiepiscopi electione, conuenerunt in Abbatem S. Benigni; & super hoc consilium duorum sociorum eius exquisiuerunt, quorum vnus respondit, post deliberationem inter ipsos habitam se responsuros: Cùm autem responsum dare differrent, & candela deficeret, non expectato responso, elegerunt dictum Abbatem in Archiepiscopum Bisuntinum. Negotium istud ad Papam Gregor. IX. relatum fuit; sed ipse Archiepiscopo Viennensi, & Abbati de Firmitate delegauit, mandans eis; vt, si post habitam inquisitionem intelligant, quòd Compromissarij in tractatu de electione dictorum virorum consilium requisiuissent, electionem Abbatis S. Benigni, si persona idonea sit, confirment. Sin autem in electionis tractatu consilium eorundem requisitum non fuisset, etsi fortè postea fuerit requisitum; vel si responsum non fuisset expectatum; aut denique, si persona idonea non esset, electionem eius irritam iudicarent. Postea verò cùm delegati inquisitionis suæ tenorem ad Pontificem misissent, respondit ipse, Cùm compertum fuerit, quòd Compromissarij non competente tempore cõsilium dictorum virorum requisierint circa personam Abbatis S. Benigni eligendam, &, postquam requisitum fuit respõsum, non nisi modico tempore expectârint; electionem de dicto Abbate, non ob vitium personæ, sed electionis, rescindant; cùm aliis imputari, aut obesse non debeat, quòd electores ad tam modicum tempus ardentis candelæ se astrinxerint.

SVMMARIVM.

1. *Iudex & mandatarius, qui iudicare, vel negotium exequi debet, audito aliorum sapientum consilio, non prohibentur causam vel negotium alteri delegare, sed delegatus sapientes etiam consulere debet, sicut delegans.*
2. *Compromissariis compromittentes statuere tempus possunt, intra quod illi eligere debent.*
3. *Si consilium requirendum sit ab aliquo, dandum est ei tempus, quod competenti deliberationi sufficiat.*

4. *Si lege, statuto, aut in commissione alicui facta ad actum aliquem v. g. electionem, testamentum &c. expediendum, adhibendum sit consilium aliquorum, potest talis actus etiam erga eam personam exerceri, cuius aliàs consilium petendum fuisset.*
5. *Si statuto cautum sit, vt mulier ex bonis suis nihil alienet, nisi cum consilio vel consensu duorum consanguineorum, potest mulier vendere rem vni consanguineo cum consilio aut consensu alterius consanguinei.*
6. *Si consilium alicuius petendum sit, debet id fieri, dum res integra est, aliàs si quid neglectum fuerit, culpæ non tempestiuè consilium petentis imputabitur.*
7. *Si iussus consilium alicuius in negotio expediendo exquirere, consulere eum non possit, vel consultus responsum tempore competente dare nolit, absque eo procedi potest, casu quo mandans absens sit, & negotium expeditionem postulet.*
8. *Actus ordinariè non valet absque consensu alterius, si is ad eum requisitus sit.*
9. *Qui ex mandato negotium expedire debet cum consilio alterius, exquirere illud & audire tenetur, non tamen sequi, nisi pleno intellectu careat, aut officij seu administrationis particeps sit, qui in consilium adhibendus est.*
10. *Vnius negligentia alteri obesse non debet.*

1 NOTANDVM I. Si cui mandatur, vt causam seu negotium aliquod expediat cum consilio aliquorum, potest is, eo non obstante, causam alteri committere, siue delegare; ea tamen conditio, vt is cui committitur, earundem personarum consiliũ adhibere debeat: Nam is qui alteri in potestate succedit, eodem, quo ille, iure aut obligatione tenetur, argum. reg. 46. in 6. Quare inquit Abb. hîc n. 3. Si iudex ex forma statuti, aut hominis, iudicare debeat audito consilio sapientum, non prohibetur causas alteri delegare: sed delegatus sapientes etiam consulere debet, sicut delegans.

2 NOTANDVM II. Compromissariis tempus constituere possunt compromittentes, intra quod illi eligere debeant; alioquin eorum potestas expiret. Ita notauit Innoc. hîc n. 4. Imola n. 6. Anton. n. 3.

NOTANDVM III. Si consilium aliquorum requirendum sit, debet ita requiri, vt habeant tempus sufficiens ad deliberãdum, priusquam respondeant; adeò, vt vnus solus impedire possit, quò minùs responsum detur ante tempus, quod competenti deliberationi sufficiat. Nam, vt dicitur in c. ponderet 14. d. 50. *Tempore indigemus, vt aliquid maturius agamus: Nec præcipitemus consilia & opera nostra.*

NOTANDVM IV. Si lege, statuto, aut in commissione alicui facta, ad actum aliquem, v. g. electionem, testamentum, aut cõtractum expediendum, adhibendum sit consilium aliquorum, nihil obstat, quò minùs eiusmodi actus etiam erga eam personam exerceatur, cuius alioquin consilium petendum fuisset. Ita colligitur ex hoc c. Nam Pontifex mandauerat, vt electio fieret cum consilio trium, inter quos vnus erat Abbas S. Benigni: postea verò, cùm Compromissarij eundem Abbatem eligere vellent, eius cõsilium super hoc non exquisiuerunt, sed tantùm duorum aliorum. Ita annotauit hîc Gl. ver. duorum, & sequitur Anton. hîc num. 17. Contrarium tenet Ioan. Andr. n. 17. Abb. n. 10. quia forma mandati exactè seruari debet: Cùm itaque mandatum sit, vt trium consilium requiratur, etiam eius, quem Commissarij eligere cupiunt, saltem in genere, petere debent. Veruntamen textus huius c. stat pro Gl. Ad rationem in contrarium respondetur, in mandato quoque potiùs attendendum esse ad mentem, quàm verba mandantis; Et in commissione aut mandato excipiendum esse casum specialem, quem ipsemet mandans rationabiliter excluſum seu non comprehensum voluit: Talis autem est petitio consilij ab eo, quem Electores aut Compromissarij eligere decernunt, præsertim si id fiat cum consilio aliorum, qui super hoc audiri debebant.

Corollarium. Si statuto cautum sit, vt 5
mulier ex bonis suis nihil alienet, nisi cum
consi-

consilio vel consensu duorum consanguineorum, nihil obstabit, quò minùs mulier vendat rem vni consanguineo, cum consilio, aut consensu alterius consanguinei, argum. l. pupillus 5. ff. de autorit. tutorum.

6 NOTANDVM V. Si consilium alicuius petendum sit, debet id fieri, dum res integra est; & vt tantum temporis spatium supersit, quo ille deliberatum responsum dare queat; alioquin, si quid neglectum fuerit, culpę eius imputabitur, qui non tempestiuè consilium petijt. Quamobrem generatim hîc docent DD. Ioan. Andr. n. 25. Imola n. 8. cum Gl. ver. requisitum; quòd non possit aliquis allegare impedimentum, cuius ipse causam præbuit, nimis tardè negotium aggrediens, videl. in casu huius c. consilium non maturè exquirens, argum. l. 2. §. Si quis tamen, ff. si quis cautionibus, &c.

7 QVÆSTIO est; Si iussus consilium alicuius in negotio expediendo exquirere, consulere eum non possit, vel consultus responsum tempore competente dare nolit, vtrùm absque eo procedi possit? Respondeo cum Abb. antiquo hîc, vers. Quid si isti consiliarij, affirmandum esse; si talis sit casus, qualis in hoc c. proponitur, quòd mandans absens sit, & negotium expeditionem postulet; idque sumitur ex hoc c. ijs verbis, *si constaret consilium requisitum*; & ex c. vn. §. vlt: Ne Sede vacante in 6. Videri potest Abb. Panormit. hic n. 13. vbi antiqui Abb. doctrinam examinat.

8 SIN autem non consilium tantùm, sed etiam consensus alterius ad actum expediendum postuletur, tum ordinariè loquendo, non valet, quod absque consensu gestum est: Quamobrem, si ille consentire nolit, à Superiore suo cogi ad id poterit; si rationabilem contradicendi causam non habeat; vel sine eius consensu licentiam agendi Superior dare poterit, argum. l. si cùm dotem §. Eo autem tempore, ff. soluto matrimonio &c. Interdũ etiam, considerata qualitate facti, sine præstito consensu, quem alter iniustè, siue irrationabiliter negat, procedi poterit, ratione officij, alteriúsue debiti: Vt si Capitulum, vel ecclesiæ patronus consentire nolit vnioni faciendæ, quam magna & euidens necessitas seu vtilitas ecclesiæ postulet, etiam eo nolente quandoque vnionem Episcopus instituere poterit, prout docui in Th. morali lib. 4. tr. 2. c. 9. in fine.

NOTANDVM VI. Si alicui mandatum 9
sit, vt cum alterius consilio negotium agat, exquirere illud & audire tenetur, non tamen sequi. Ita sumitur ex hoc c. iun. Gl. communiter recepta ver. expectatum, & c. cùm olim 7. de arbitris, Nam hæc, generatim loquendo, libertas esse debet consilium petentis, vt examinare apud se possit, num consilium expediat, nécne, prout Gl. annotauit in reg. 62. in 6. *Nullus ex consilio, dummodò fraudulentum non sit, obligatur*: Quam regulam, in confirmationem huius not. adduxit Anton. hîc n. 20.

Sed excipiendum est primò, cum Bartolo in l. 1. §. si plures n. 6. de exercitat. actione; Si alicui, qui plenum intellectum non habet, præceptum imponatur requirendi consilium alterius, v. g. natu minori, tum existimari debet, mentem mandantis esse, vt sine illius consensu & approbatione nihil agatur; quia alioquin negotio non satis prospectum esset; idque sumitur ex l. Impuberibus 7. ff. de. suspectis tutoribus.

Excipiendum secundò, Si alicui præceptum fuerit, vt requirat consilium alterius, qui officij seu administrationis particeps est, tum etiam consensus eius postulari videtur, argum. c. venerabili, 37. iun. Gl. ver. consilio, de offic. Iudic. delegati, & l. Titium 48. ff. de auctor. & peric. tutorum. Idémque dicendum, si eius, cuius consilium requirendum dicitur, alia ratione interest, v. g. Capituli, aut patroni, ne iura ecclesiæ diminuantur, tum etiam consensus expectandus est, per se & ordinariè loquendo.

NOTANDVM VII. Vnius negligentia 10
alteri obesse non debet. Ita sumitur ex fine huius c. & consentit reg. 22. in 6. sumpta ex l. si quis 33. C. de inofficioso testam.

Non debet aliquis alterius odio prægrauari.

CAPITVLVM LIII.

Congregato.

PARAPHRASIS.

Cùm Capitulum ecclesiæ Niuernensis congregatum ad electionem Episcopi suffragia dedissent, publicato scrutinio, apparuit tredecim in Decanum, & octodecim in Cantorem consensisse: qui proinde, tanquam maiorem partem Capituli facientes, electionem eius promulgarunt. Sed alij qui pro Decano suffragati erant, existimantes, electionem eam Cantoris, quippe sufficientem scientiam non habentis, irritam esse; & electores illos, grauiter delinquentes, iuxta Concilium Lateranense c. cùm in cunctis 7. hoc tit. pro hac vice eligendi protestate priuatos, omnéq; ius electionis ad ipsos deuolutum esse; Decanum in Episcopum elegerunt, contra priorem de Cantore factam electionem, ad Sedem Apostolicam appellantes: Sed alij Canonici è diuerso petiuerunt à Pontifice Gregor. IX. vt eam Decani electionem irritam declararet; cùm à paucioribus facta fuerit; & quidem prior ea Cantoris electio cassata fuisset. Ad hæc respondet Pontifex, & mandat cuidam Episcopo; Si Cantor defectum in literatura non patiatur, & aliàs idoneus sit, vt eius electionem Apostolica auctoritate, priore electione infirmata, confirmet: Alioquin verò, si Cantor defectum patiatur, eius electione irritâ declaratâ, Decanum, si nullum canonicum ei obsistat impedimentum, dictæ Ecclesiæ Niuernensi, eadem Apostolica auctoritate præficiat.

SVMMARIVM.

1. *Si vna pars Capituli scienter eligit indignum, pars altera, quamuis minor numero, statim non inchoato nouo scrutinio, electionem de altero digno promulgare potest.*
2. *Electio aut similis actus ipso iure irritus, interdum irritandus dicitur, hoc est, irritus denunciandus.*

NOTANDVM I. Si pars vna Capituli deliquit eligendo indignum, pars altera, quamuis minor numero, statim non inchoato nouo scrutinio, electionem de altero digno promulgare potest. Ita hîc secundùm communem intellectum, & consentit c. cùm Vintonienſis 25. hoc tit. vbi id docui not. 3. & c. scriptum 40. vbi id docui not. 5. eod. tit. Ratio indicatur in textu huius c. quia cùm alij delinquentes ipso iure priuati existant pro ea vice, veluti nō reputantur inter Capitulares: Quare cùm alij, qui non deliquerunt, totum Capitulum repræsentent, formare possunt electionem secundùm suffragia, quæ in scrutinio dederunt pro persona digna.

Pro pleniore intellectu quædam ex communi doctrina aduerti debent. I. Quòd loquimur de casu, in quo eligentes personam indignam deliquerunt, vid. scienter ita eligendo, iuxta c. cùm in cunctis 7. hoc tit. Id verò in casu huius c. si videl. eligatur scientiæ, bonæ vitæ, aut simili defectu laborans, fermè præsumitur, prout etiam ex hoc c. apparet; atque tradidit Gl. in reg. 47. in 6. *Præsumitur ignorantia, vbi scientia non probatur*, dicens quòd *hæc regula vera est in his, quæ quis scire, aut indagare non tenetur: In his autē, quæ quis scire aut indagare tenetur, non habet locum, sicut in eligendo Prælato*, iuxta c. 2. d. 61.

II. Nomine electionis factæ de persona indigna accipere debemus eam, quæ communi nomine facta est, prout responsum est in c. perpetuæ 7. hoc tit. in 6. & dixi in suprà cit. c. cùm Vintonienſis not. 3. At verò quæ in ipso scrutinio singulariter dari solent suffragia seu vota, electionis nomen, propriè loquendo, non merentur, prout ex hoc etiam c. colligitur, & notauit Abb. not. 2.

III. Quòd pars altera, quæ in personā indignā suffragia nō direxit, si animaduertens alios propter formatā electionem de indigno priuatos esse, nouum scrutinium, alijs exclusis

clusis, aut etiam voluntariè secum admissis (iuxta ea quæ dixi in eod. c. cùm Vintoniensis not. 3.) inchoare nolit, tum electionē de persona digna statim, siue incontinenti promulgare debent, vti colligitur ex c. cùm post 46. vbi DD. communiter docent, quòd processus electionis sine interruptione peragi debet; idque annotauit Gl. hîc communiter recepta ver. postmodum, & explicat Abb. hîc. n. 6. & Innoc. in princ. huius c.

IV. Si pars minor Capituli electionem de persona digna priùs promulgasset, ea ex subsequente electione facta ab altera parte de persona indigna, confirmationem aut valorem non acciperet, prout ex communi hîc notauit Ioann. Andr. Imola n. 8. Anton. n. 6. Abb. n. 5. & sumitur ex c. auditis 29. hoc tit. vbi dicitur, quòd ex post facto non potest conualescere; quod ab initio nullum fuit: At verò electio, quippe à minore Capituli parte facta, priusquam alij plures numero electione formatâ priuationē contraxerant, penitus irrita fuit: Ergo conualescere aut confirmari non potest, si electio aliorum de persona indigna sequatur,

2 NOTANDVM II. Electio, aut similis actus, qui ipso iure irritus est, interdum dicitur à Superiore irritandus, aut cassandus, id est, irritus denunciandus, vti apertè etiam ex hoc c. colligitur.

CAPITVLVM LIV.

Dudum.

PARAPHRASIS.

Rhotomagensi ecclesia vacante, Canonici in vnum cōuenientes Decanum suum in Archiepiscopum elegerunt: Sed Archidiaconus & alij quidam se electioni opposuerunt, ad sedem Apostolicam accedentes; ex altera etiam parte misso Procuratore, qui causam eligentium defenderent. Archidiaconus inter alia obiecit electo, quòd post Concilium Lateran. sub Innoc. III. (in quo c. 13. cautū erat, vt, qui curatum beneficium accipit, eiusmodi priùs habitum, tanquam ipso iure vacans, dimittere debeat, alioquin vtroq; priuetur) ipse Archidiaconatū Ambianensem obtinuerit, & cum eo plures ecclesias parochiales, quas ante Conciliū obtinuerat, retinere præsumpserit, imò ecclesias illas, dimisso Archidiaconatu, adhuc retineat. In quo facto eius plura delicta concurrunt; videl. statuti generalis Concilij transgressio, vitium cupiditatis (quod ipse in alijs reprehendere debebat) ex beneficiorum pluralitate contractum: quasi furtum & rapina, ex contrectatione beneficiorum ad se non pertinentium, quippe quæ ipso iure, post adeptionem alterius vacabant: Denique deceptio animarum, quarum curam gerere præsumpsit, cùm tamen eâ priuatus esset. Ex altera verò parte stans Procurator eorum, qui Decanum elegerant, tametsi dictam beneficiorum pluralitatem confiteretur, excusauit tamen, literis exhibitis, quòd à Rhotomagensi Archiepiscopo talis illi concessio facta esset: Verùm cum hanc excusationem friuolam iudicasset Pontifex Gregor. IX. mandauit quibusdam à se delegatis, vt, si constaret, dictum Decanum parochiales ecclesias, post Archidiaconatum, curam animarum habentem, receptum tempore electionis suę retinuisse, neque Sedis Apostolicæ super ea re dispensationem exhibere posset, electionem eius Apostolica auctoritate cassarent. Coram his itaque iudicibus delegatis partes comparuerunt, atque præstito iuramento de veritate dicenda, positiones & responsiones hinc inde fecerunt: Deinde verò Iudices, non obstante, quòd Decanus prętextu quorūdam grauaminū ad Sedem Apostolicam appellaret, eius electionem irritarunt, & Cenomanensem Episcopum ecclesiæ Rhotomagensi prouiderunt. His intellectis, Pōtifex respondit, processum horum Iudicū irritū esse; quia licèt corā ipsis positiones & responsiones super pluribꝰ articulis factæ sint, nulla tamen litis cōtestatio: Quare ea coram ipso Papa controuersia de Decani electione agitata fuit; atque facta litis

litis contestatione, præstitóque à partibus iuramento de veritate dicēda, Decanus confessus fuit, se post adeptum Archidiaconatum ecclesias parochiales tempore electionis suæ retinuisse; sed excusauit factum, quòd non crederet Archidiaconatum curam animarum habere. Sed cùm idem Decanus in iudicio confessus fuerit, quòd Archiadiacon⁹ Ambianensis cēsuras ferre, & absoluere, ecclesias interdicere, visitare item & inquirere, ac procurationes ratione visitationis recipere soleret, satis constat, quòd curā animarum habeat. Deinde etsi Archidiaconatus curam animarum annexam non haberet, tamen negari non potest esse personatum, de quo similiter, vt de curato beneficio statutum est, vt per alterius eiusmodi beneficij assecutionem vacaret. Neque iuuat Decanum, quod asserit, à Sede Apostolica se priuilegium siue dispensationis gratiam accepisse; quia in eius impetratione falsitatem suggessit, & veritatem suppressit; & ita quidem, vt si falsitatem non dixisset, nec veritatem tacuisset, gratiam eam non accepisset. Suggessit enim ipse, parochiales ecclesias canonicè se obtinuisse; quod falsum erat: cùm nemo duas parochiales ecclesias obtinere possit; nisi vna alteri vnita sit; vel vnam habeat in titulum, & alteram commendatam habeat: quod tamen hîc non accidit. Præterea dum asserebat, ex personatu seu Archidiaconatu tenues se reditus percipere, tacuit, quòd ex alijs ecclesijs plures reditus habeat: Tacuit etiam, quòd præter ecclesias illas parochiales, plura alia beneficia ecclesiastica diuersis in locis possideret. Non autem fuit intentio Pontificis, in tot beneficijs, præsertim curam animarum habentibus dispensare: sed nec intentio eius fuit aliquid de nouo concedere Decano, sed tantùm, vt eo tempore habita licitè retinere posset. Tandem itaque cùm videret Decanus aliud non superesse, quàm vt sententia contra ipsum pronunciaretur, tam iuri (si quod haberet) quàm liti sponte cessit: quam cessionem Pontifex admittendam esse duxit.

Svmmarivm.

1. *Secundùm ius ciuile in causa populari non licet per procuratorem agere, sed solùm excipere ac defendere.*
2. *Nemo potest plura beneficia curata, vel plures personatus siue dignitates simul obtinere in titulum absque sedis Apostolicæ dispensatione, sed ipso iure prius habitum beneficium vacat; vel si retinere beneficiarius illud præsumpserit, vtroque priuandus est.*
3. *Malæ fidei possessor, siue qui beneficium aliámue rem ad se non pertinentem iniquè possidet, quasi furtum aut rapinam committit, vti & si iniustè fructum percipiat.*
4. *Qui beneficium curatum mala fide administrat, decipit animas, quarum curam gerit.*
5. *Si populus probabiliter ignoret defectum, v. g. quòd curatus sit, & hic defectus contigerit interueniente auctoritate Superioris, acta eius valent; secùs est, eâ non interueniente.*

Idem est, si legitimè promotus potestate ei priuatus est, & priuatio publicè ignota sit, valebunt eius acta; non item, si de illa priuatione publicè constet.

Intrusus est, qui ab initio sine canonico titulo possessionem beneficij accepit.

6. *Qui plura beneficia, præsertim curata, aut personatus cum abundantia reditus possident, plerumque non sunt tuti in conscientia.*
7. *Pontifex concedens alicui, vt plura beneficia habeat, quorum vnum aut aliqua ob abundantiam reditus, aut assecutionem alterius incompatibile dimittere debebat, simul retinere possit, intelligi debet de ijs, quæ canonicè obtenta sunt.*
8. *Ante sententiam latam litigās liti cedere potest. Cedens autē liti, censetur etiā iuri suo cedere, si quod ei competeret.*
9. *Beneficium ecclesiasticum non canonicè possidens*

possidens grauiter peccat,& peccans retinendo plura beneficia curata, aut plures personatus, ipso iure illis priuatus est, & ad ordines, aliúdque beneficium quodcunque inhabilis existit.

1 NOTANDVM I. Licèt secundùm ius ciuile in causa populari, id est, quæ publicum commodum principaliter spectat, per procuratorem agere non liceat, sed tantùm excipere ac defendere, l. licet 42. ff. de Procurator. tamen in hac causa, quæ quodammodo popularis est, quia tuetur ius publicum ecclesiæ, non prohibetur vnus, vel plures Capitulares per procuratorem impugnare electionem de aliquo non canonicè factã, vti ex hoc c. apparet, & annotauit Innoc. hîc n. 1. Ratio est, quia etiam in populari actione per procuratorem aliquis agere potest, si eius etiam propriè interfit, ita vt ipse ante alios ad agendum seu accusandum admittendus sit, prout cõstat ex cit. l. licet, iun. Gl. ver. multò magis, & l. 3. ff. de sepulchro violato.

2 NOTANDVM II. Nemo potest plura beneficia curata, vel plures personatus siue dignitates simul obtinere in titulum, absque Sedis Apostolicæ dispensatione: sed ipso iure priùs habitum beneficium vacat, cùm beneficiarius alterum assecutus est: sin autem retinere illud præsumpserit, vtroque in pœnam priuandus est. Ita hîc dicitur ex Concil. Lateran. sub Innoc. III. prout refertur etiam in c. de multa 28. de præb. Videri possunt quæ copiosè docui in Theol. moral. lib. 4. tract. 2. cap. 8. assert. 2. & 3.

3 NOTANDVM III. Malæ fidei possessor, siue qui beneficium, aliámue rem ad se non pertinentem iniquè possidet, quasi furtum, aut rapinam committit. Ita hîc dicitur, & consentit c. sæpe 18. de restit. spoliator. vbi Gl. ait ver. iniustè detinere; *Iura pro eodem reputant, auferre & iniustè detinere.* Adde, quòd malæ fidei possessor fructus iniustè percipiendo verè ac propriè furtum committit, secundùm Bartol. in l. sequitur, §. fructus num. 1. ff. de vsucap. Anton. hîc num. 22. Abb. n. 19.

4 NOTANDVM IV. Qui beneficium curatum mala fide administrat (v. g. à seculari domino collationem accipiens) decipit animas, quarum curam gerit absque canonico titulo. Quia non intrauit per ostium, id est, non legitima auctoritate obtinuit; ideóque quasi fur est & latro, Ioan. c. 10.

QVÆSTIO est: Quid si populus probabiliter ignoret defectum, vid. Curatum esse intrusum, aut malæ fidei possessorem; vtrùm validæ sint v. g. absolutiones à peccatis eorum, qui bona fide ei confitentur. De hac quæstione agit Gl. hîc ver. deceptæ, Innocent. num. 3. Abb. n. 20. Imola num. 25. Respondeo breuiter & dico; Vel Curatus intrusus fuit, non interueniente auctoritate legitimi ecclesiastici superioris; & non valent acta eius, prout ex communi docet Sanchez lib. 3. de matrim. disp. 22. num. 49. Vel interuenit auctoritas Superioris, vt in casu huius c. quamuis cum occulto, seu communiter ignorato defectu, & tunc valent acta, argum. l. 3. Barbarius ff. de officio Prætorum. Vel denique aliquis legitimè promotus, per legis constitutionem, aut hominis sententiam vel reuocationem, amisit potestatem; ita vt mala fide, & iniustè curam animarum exerceat; tunc si priuatio, aut reuocatio publicè ignota sit, valere debent acta, vti probabiliter valde docet idem Sanchez cit. disp. 22. num. 58. & 59. ad vlt. vbi rectè admonet, eum qui post incursam priuationem beneficium malè retinet, propriè non dici intrusum, licet aliter sensisse videatur Baldus hîc num. 18. Nam intrusus est, qui ab initio sine canonico titulo possessionem beneficij accepit. Sin autem priuatio per legem aut hominem facta, publicè nota sit, tunc non valent acta; & hoc in casu verum est, quod Pontifex dixit in fine c. per Decanum animas damnabiliter esse deceptas; Nisi malis dicere cum Abb. hîc num. 20. Animas fuisse deceptas, quatenus erat ex parte huius Curati, & quoad potentiam; quia si defectus publicè innotesceret, tum re vera deciperentur.

NOTANDVM V. Ordinarius iudicij processus non subsistit, si solùm positiones aliquæ fiant ab actore, ad quas aduersarius

respondeat; alia autem litis contestatio non sequatur. Ita hîc, & penè eisdem verbis in c. 1. de litis contestatione. Sed aduertendum, quòd interdum positiones fiant super quibusdam tantùm articulis seu partibus causæ, ad eásque aduersarius respondeat, præparationis seu informationis gratiâ, vt appareat quomodo & super qua re contentio sit, & lis contestanda; Et in hoc casu intelligendus ille textus. Interdum verò positiones in oblato libello, quem articulatum vocant, fiunt ab Actore super tota causa, ad quas si Reus respondeat animo contradicendi, & per mutuum consensum litigandi, videtur esse lis contestata: Et hæc est doctrina Bartoli in l. vn. n. 13. C. de litis contestat. Porro tametsi iudicij processus sine litis cõtestatione, (quæ in actoris petitione proposita in iudicij, & aduersarij responsione animo litigandi facta consistit) non possit subsistere; nihilominus tamen confessio Rei coram Iudice facta, v. g. respondendo ad particularem positionem, valida est, ipsíque præiudicans, argum. c. 1. de accusat. in 6. & tradit Abb. hîc n. 11.

6 NOTANDVM VI. Qui plura beneficia, præsertim curata, aut personatus, cum abundantia redituum possident, plerumque non sunt tuti in conscientia. Id colligitur ex textu huius c. Quia si excusari factum posset, id fieret propter Rom. Pontificis indulgentiam, siue dispensationem: At verò Gregorius IX. Pontifex canonum peritissimus & obseruantissimus satis significat, intentionis suæ non esse (cùm nec rationabiliter esse possit, secluſa extraordinaria & speciali causa) vt vnus plura beneficia præsertim curata, aut dignitates seu personatus cum redituum abundantia possideat. Videri potest Concil. Trident. sess. 7. c. 2. & c. 3. de reformat. sess. 24. c. 17. de reformat.

7 NOTANDVM VII. Si Pontifex alicui gratiam faciat, vt plura beneficia, quorum vnum, aut aliqua ob abundantiam redituum, aut assecutionem alterius incompatibilis, dimittere debebat, simul retinere possit, intelligi duntaxat debet de ijs, quæ canonicè obtenta sunt. Ita habetur hîc expressè, addita ratione, *nec intentionis nostræ fuit aliquid de nouo concedere, sed vt per indulgentiam pos-sit habita licitè retinere.* Idem respondit Bonifacius VIII. Papa in c. si gratiosè 5. de rescriptis in 6. vbi Gl. ver. canonicè. *Nihil noui iuris tribuit hæc dispensatio, sed vetus conseruat & prorogat.* Idem tradit hîc Innoc. n. 17. & 18. vbi rationem affert, quia dispensationes huiusmodi restringendæ sunt. Et sic iudicatum fuisse, ait, contra Præpositum Argentin. habentem dispensationem, quòd præter obtenta, aliud beneficium curatum liberè recipere, ac licitè retinere posset, eam dispensationem non extendi ad validandum titulum in malè obtentis.

NOTANDVM VIII. In toto iudiciario processu, antequam sententia lata sit, pars litigans lite cedere potest. Ita sumitur ex hoc c. in fine. Additur autem ibi, Decanum non tam liti, sed etiam iuri, si quod ei competeret, cessisse; ne quispiam existimare posset, renunciasse tantùm instantiæ iudiciali, quam per litis contestationem acquisierat, reseruato iure suo. Docent tamen DD. communiter, & colligitur ex l. postquam 4. C. de pactis, & l. litis nomen 36. ff. de verb. signific. quòd cedens liti, nisi intẽtionem suam aliam esse clarè exprimat, censeri etiam debet iuri, si quod habeat, renunciare velle: quamobrem talem renunciationem seu cessionem facere non potest, qui ius alienandi non habet, v. g. Prælatus absque Capituli consensu, vti hîc annotauit Abb. n. 17. Ne videl. indirectè faciat, quod directè facere non potest, contra reg. 84. in 6. *Cùm quid vna via prohibetur alicui, ad id alia non debet admitti.*

9 NOTANDVM IX. Beneficium ecclesiasticum nõ canonicè possidere, graue est peccatum; cùm ob id aliquis indignus reddatur, quippe vitâ & moribus improbus, cuius proinde electio ipso iure irrita sit. Hæc est præcipua huius c. decisio. Notat autem Gl. hîc ver. electionis tempore, iuxta c. huius tenorem, cassandam quidem fuisse electionem Decani, si is tunc in crimine persistebat: secùs autem, si eo tempore quo electus fuit, beneficia dimiserat, & crimen per præsentiam purgarat; quia *ad meliora conuersum nequaquam prior vita commaculat*, c. nunquam 4.

d. 56.

d. 56. Verùm iure nouo extrauag. execrabilis Ioan. XXII. qui ita deliquit retinendo plura beneficia curata, aut plures personatus, ipso iure vtroq; priuatus, atque ad ordines, & aliud quodcunque ecclesiasticum beneficium inhabilis existit, in §. porro, cit. extrauag.

CAPITVLVM LV.

In Genesi.

PARAPHRASIS.

Pontifex Gregorius IX. electionem G. in Episcopum irritam esse decernit, quia plures in ea defectus reperiebantur. Nam primò, suffragia non habuit partis maioris Capituli, sed tantùm, comparatione partium minorum; (qua de re dictum in c. constitutis 49. hoc tit.) Secundò, post scrutinium publicatum collatio facta non est, zeliad zelum, meriti ad meritum; imò nec numeri ad numerum; cùm discursum non fuerit, vtrùm duo Canonici G. & H. ad electionem admittendi essent, an verò excludi possent; quorum tamen prior (qui non nisi cum protestatione admissus fuit) in possessione canonicatûs fuit: alter verò absens fuit, & in tali loco, è quo vocari debebat; cùm secundùm consuetudinem ecclesiarum Gallicarum absentes è toto regno vocentur. Tertiò, post publicatum scrutinium secuta non fuit electio communis, sed singulorum eligentium: Ex quo alterutrum absurdorum sequitur; vel quòd publicatio scrutinij comparatione eorum, qui in G. consenserant, inaniter repetita fuerit; vel quòd tot electiones, videl. singulares essent, quot eligentes. Sicuti autem ex pluribus singularibus enunciationibus non fit vna vniuersalis, nisi per signum vniuersale coniungantur, ita ex pluribus singularibus consensibus non fit vna communis electio, supple, nisi copulentur secundùm formam traditam in c. quia propter,

SVMMARIVM.

1. *Is, de quo certum est, quòd sit in possessione canonicatûs, iurisq; capitularis, admitti debet cum aliis ad electionem.*
2. *Si dubium sit inter duos, vter illorum sit in possessione, vterq; admitti potest cum protestatione, vt eius suffragium valeat, qui interesse & suffragium dare poterat & debebat.*
3. *In electione canonica ecclesiastici prælati (non autem in electionibus ad alios personatus, vel beneficia) non sufficiunt consensus singulares, seu singulorum capitularium, sed subsequi debet communis electio modo collectiuo enunciata:* Ego nomine meo & omnium consentientium eligo, &c.

NOTANDVM I. Si constet, siue certum sit, aliquem esse in possessione canonicatûs, ipsiúsque iuris Capitularis, cum alijs ad electionem admitti debet, absque protestatione. Ita sumitur ex hoc c. §. Nec præmissi duo, & explicaui suprà in c. Cumana 50. not. 5. in quæst. dicto 5. Ratio autem est: Quia potestas eligendi sequitur possessionem bonæ fidei, cit. c. Cumana, & c. 3. de causa possess. & propriet. Sensus est, quòd electio, seu potiùs suffragium eius ad electionem faciendam valere & computari debet, qui in possessione cum bona fide (quæ quidem præsumitur, donec contrarium appareat) existit; tametsi re ipsa ius ei non suffragetur, prout Gl. hîc annotauit ver. possessione, vel quasi. Porrò indubitatam possessionem Canonicatûs, ipsiúsque iuris Capitularis Pontifex ex actibus collegit; quia G. habebat stallum, siue locum suum in choro, locum quoque in Capitulo, legebat, & cantabat vt Canonicus, ad electiones, quæ occurrerunt, ad dignitates & personatus, tanquam Canonicus vocatus fuerat. 1

Corollarium. Si duo veniant, qui electioni interesse volunt; quorum vnus asserit se esse in possessione Canonicatus, & iuris Capitularis; alter verò contendit canonicatum,

& ius Capitulare sibi deberi; in hoc casu, si de possessione illius non dubitetur, admittendus is est ad electionem, aliósque capitulares actus, & alteri præferendus, secundùm doctrinam Innoc. in cit. c. Cumana n. 4. Abb. ibid. n. 11. Quia, vt paulò antè dixi, potestas eligendi sequitur possessionem bonæ fidei, Idémque pari ratione dicendum de iure præsentandi, c. consultationibus 25. de iure patr. Etenim si excluso eo, qui in possessione est, alter, qui ius & titulum allegat, admitter etur, tum possessor, absque publica Iudicis auctoritate, è possessione sua pelleretur; quod ne dum quidem concessum est, si appareat malæ fidei possessorem esse, c. ex literis 25. de restit. spoliatorum. Cæterùm, si dubium sit, num ille sit in possessione, aut quasi possessione, quam ait se habere, tunc in casu isto vterque admitti posset, cùm protestatione, vt eius suffragium valeat, qui interesse, & suffragium dare poterat ac debebat.

NOTANDVM II. Ad electionem canonicam Prælati non sufficiunt consensus singulares, seu singulorum Capitularium; sed subsequi debet communis electio modo collectiuo enunciata; *Ego nomine meo, & omnium consentiẽtium, eligo, &c.* Ita hic, & in c. quia propter 42. hoc tit. in c. sicut 21. eod. in 6. Ratio est: Quia ita visum fuit sacrorum canonum conditoribus, vt Prælati electio sicuti non fit à personis particularibus, sed à congregatione siue collegio, ita etiam verbis explicaretur. Verùm id duntaxat locum habet in ecclesiasticis electionibus Prælatorum, in quibus necessariò obseruari debet forma præscripta in cit. c. quia propter; non autem in Capitularibus electionibus ad alios personatus, vel beneficia, in quibus sufficit, si consensus à singulis secundùm maiorem præsentis Capituli partem explicentur, cùm neque naturali iure, aut consideratâ naturâ electionis secundùm se, plus requiratur. Et hæc est doctrina Gl. à pluribus recepta in cit. c. sicut, ver. formam.

Cætera, quæ in hoc c. continentur, alibi, allegato hoc ipso c. declarauí, præsertim in cit. c. quia propter, & cit. c. Cumana.

CAPITVLVM LVI.

Massana.

PARAPHRASIS.

Prohibet Gregor. IX. Pontifex, ne laici vnà cum Canonicis Episcopum eligere præsumant; Sin id factum fuerit, electionem irritam esse decernit; non obstante contraria consuetudine, quæ dici debet potiùs corruptela.

SVMMARIVM.

1. *Non valet electio Prælati ecclesiastici facta per laicos & Canonicos.*
2. *Per laicos intelliguntur seculares, non laici religiosi, seu Conuersi, qui per consuetudinem immemorialis temporis facultatem eligendi acquirere possunt.*
3. *Nulla vnquam consuetudine ius eligendi ecclesiasticum Prælatum acquirere possunt personæ laicæ, & seculares.*

NOTANDVM I. Irrita est electio, si laici vnà cum clericis ad Prælati ecclesiastici electionem concurrant. Ita hîc, & communiter c. quisquis 43. hoc tit. Pro declaratione quædam animaduertenda: Primum. Materiam huius prohibitionis, ac pœnalis constitutionis esse, ne laici vnà cum clericis concurrant ad eligendum; secùs, si intersint electioni, ob aliquam vtilitatem, v. g. vt turbationes impediantur, prout ex Compost. hîc Abb. n. 13. Abb. antiquus, Baldus, Anton. & alij annotarunt. Ordinariè tamen non est permittendum laicis, vt electioni ecclesiasticæ intersint, prout docui in c. sacrosancta 51. hoc tit. Imò si se ita immisceant, vsurpata aliqua auctoritate, vt clericorum libertatem aliquo modo impediant, irrita erit electio, non ex vi huius can. sed c. quisquis 43. hoc tit.

Alterum. Constitutio ista non est ex natura rei, sed in pœnam introducta. Nam alioquin, spectatâ naturâ ecclesiasticæ electionis, reiectis laicorum, tanquam incapacium, suffragijs, vim obtinerent suffragia clericorum,

iuxta

iuxta iuris reg. 37. in 6. *Vtile non debet per inutile vitiari.* Quod verum est, si Clerici non consentiant in laicorum suffragia; quia prohibere eos non possunt: secùs, si expressè, aut tacitè consentiant; adeóque voluntariè laicos admittant. Hoc in casu electio, etiam secundùm naturam rei, non est valitura, iuxta ea quæ dicentur in c. vlt. de Procurat. Nam, vt Baldus, Anton. & alij hîc annotarunt, vtile per inutile vitiatur in indiuiduis, seu inseparabilibus; cuiusmodi etiam est decretum electionis, si à pluribus, tanquam vno Corpore, quorum vnus, aut aliqui incapaces sint. Videri potest Suar. tõ. de Relig. lib. 2. de Religiosis, quatenus Prælati sunt, c. 4. in fine.

QVÆSTIO autem, Num hæc constitutio principaliter edita sit in odium laicorum, se electioni immiscentium; an verò in odiũ clericorum illos admittentium; adeóq;, si ponamus clericos extra culpam esse, quia per grauem metum coacti sunt laicos secum ad electionem admittere; maximè si etiam contrà protestantur, num electio valeat ex solis clericorum suffragijs, iuxta cit. reg. 37. in 6. Validam esse affirmat hîc Abb. n. 5. Henric. Boich. n. 5. existimantes fuisse sententiam Innoc. in c. Cumana in princ. hoc tit. Quare hæc sententia probabilis est; Sed arbitror contrariam iuribus conformem esse. Probatur I. Quia ex verbis c. colligitur, aliquid supra id, quod ex natura rei est, in pœnam præsumptionis decerni. II. Quia ex eiusdem c. verbis apparet, præsumptionem laicorum hîc principaliter argui; *Ne per laicos cum Canonicus Pontificis electio præsumatur.* III. Quia canon iste indistinctè loquitur, electionem ita præsumptam (vid. per laicos) nullam firmitatem obtinere: Ergo ad nos non pertinet eum restringere; præsertim cùm materia eius principaliter fauorabilis sit, videl. ad immunitatis ecclesiasticæ conseruationem pertinens. IV. Sumitur argumentum ex c. quisquis 43. hoc tit. vbi, si textus diligenter expendatur, apparebit, quod Innoc. III. in Concilio Lateran. tanquam principiũ supponat; Electionẽ per secularis potestatis abusum factam ipso iure irritam esse: Et exinde duo infert; primò, quòd qui tali electioni de se factæ consenserit, electionis commodo careat: Cur autem consentire aliquis non posset, si electio in hoc casu valida esset. Secundò, quòd Capitulares malè agant, & ideo meritò puniendi sint, si electionem huiusmodi, quæ ipso iure irrita est, præsumpserint celebrare. Itaque pars ista quæst. negatiuę ex eo c. clarè colligi videtur; nisi quis negare absque probabilitate velit, quòd electio facta per laicos, vnà cum clericis, per vim iniustam & grauem, se ingerentes, non censeatur facta per abusum secularis potestatis.

Tertium. Non videtur Gregor. IX. aliquid hîc de nouo decernere voluisse, sed quod iam antè in ecclesia vsitatum, & in suprà dicto Concilio generali definitum erat, ad casum, de quo interrogatus fuerat, accommodare voluisse. Quamobrem licèt solùm hîc mentio fiat de Episcopi electione, tamen idem obtinere debet in alijs ecclesiasticis electionbus, quibus electo ius aliquod spirituale confertur. Idque propter identitatem rationis: notúmque est, si quid in certa causa à Principe responsum sit, ex identitate rationis, ad similia trahi debere, iuxta l. non possunt 11. & seq. ff. de legibus. Et ita Imola, alijque DD. c. huius prohibitionem generatim accipiunt, rationem assignantes; quia ius eligendi non cadit in laicum: Licèt Baldus hîc n. 5. contendat, de Episcopi tantùm electione esse accipiendum.

Quartum. Laicorum nomine hoc in loco 2
seculares intelligi debent, vti apertè colligitur ex suprà cit. c. quisquis, cuius quædam confirmatio censeri debet hæc Constitutio, sicuti indicat Innoc. super hoc c. At verò Laici Religiosi, seu Conuersi, licèt electioni Prælati interesse, siue coëligere non debeant, c. ex eo 32. §. In ecclesijs, hoc tit. in 6. tamen quæ hîc decernuntur, in hoc casu locum non habent, vti præter alios annotauit Boich. hîc n. 3. Idque vel ex eo colligitur, quia eiusmodi Conuersos per consuetudinem temporis immemorialis facultatem eligendi acquirere nihil obstat. Quæ est doctrina Innoc. in c. 2. n. 2 de Institut.

3 NOTANDVM II. Nulla vnquam consuetudine obtineri potest, vt personæ laicæ & seculares ecclesiasticum Prælatum eligant. Consentit c. sacrosancta 51. hoc tit. Ratio duplex afferri potest; Prima, quia talis consuetudo ecclesiasticæ libertati aduersatur; & ideo, iure canonico ei resistente, prævalere nunquam potest, c. 1. & vlt. de consuetud. Secundò, quia ius eligendi, cùm spirituale sit, non cadit in laicum: quare cum illud laicus absque Sedis Apostolicæ concessione possidere non possit, ideo nec longo vsu aut consuetudine quacunque præscribere potest, argum. c. causam quæ 7. de præscript.

CAPITVLVM LVII.

PARAPHRASIS.

Cùm ecclesia Cathalanensis vacaret, conuenerunt Canonici, atque diem electionis faciendæ statuerunt, absente G. qui ei conuentui interesse noluit. Postea aduenient die præstituto, & dicto G. cùm adhuc absens esset, non vocato, electionis scrutinium factum & publicatum fuit, atque repertum, quòd quatuordecim N. presbyterum Cardinalem, septemdecim verò R. canonicum Remensem elegissent, cui electioni postea aduenies dictus G. consensum suum addidit. In hac discordia ex vtraque parte missi sunt Procuratores ad Sedem Apostolicam. Et verò pro electione R. allegabatur, quòd quatuor suffragijs alterâ electionẽ superans maiorem Capituli partem (annumerato etiam suffragio dicti G.) habebat; quæ proinde etiâ sanior reputari debeat; cùm vbi maior numerus est, maior etiam zelus præsumatur. Ex parte aduersa oppugnabatur electio R. quòd is in ætate defectum pateretur; nec scientiam sufficientem ad Cathalanensem ecclesiam regendam haberet: Deinde apparere, cùm ij, qui Cardinalem elegerunt, meritis & auctoritate alios superarent, meliorem eos zelum habuisse, præsertim habito respectu ad electum, quippe qui maturæ ætatis, & eminentis scientiæ sit. Addebatur ex parte hac, quòd consensus dicti G. (quem pars fauens ipsi R. contemptũ asserebat, quamuis pars altera diceret, quòd potiùs ipse Capitulum non adueniendo contempserit) cùm non in scrutinio præstitus fuerit, sed postea accesserit, suffragiorum numerum augere non potuit. Denique verò perpendendum, quòd Concilium generale sub Innoc. III. Papa, quando decernit, electionem inualidam esse, si contra formam in eo præscriptam peccatur, non debet ad contemptũ & alia, quæ ad formam spectant, extendi; quale est illud, quod ibidem dicitur, vt omnibus præsentibus, qui debent, volunt, & possunt commodè interesse, electionis processus instituatur: ne alioquin nimia iurium antiquorum immutatio introducatur; cùm credendum non sit, Rom. Pontificem, cuius est iura tueri, quod aliàs multis vigilijs excogitatum & inuentum est, quasi vno verbo euertere voluisse. Itaque his, quæ hinc inde proposita sunt, plenius intellectis, electionẽ dicti R. quòd in eum maior & sanior pars non consenserit (prout in Concilio suprà dicto generali exigitur) Pontifex ex Fratrum suorum consilio sententialiter irritandam esse duxit.

SYMMARIVM.

1. *Ecclesiæ Rom. Cardinalis, si Episcopus non sit, potest esse Cathedralis ecclesiæ canonicus.*
2. *Si quispiam ius eligendi habens, ab ecclesia absens citatus sit ad tractandum de die electionis instituendæ; iuxta tractatui interesse noluerit, debet postea iterum citari ad diẽ electionis faciendæ, si eum ignoret.*
3. *Si Capitularis absens nunquam citatus aliàs scit præfixum terminum electionis faciendæ, non potest agere de contemptu.*
4. *Ad electionem requiritur copulatiuè, vt maior & sanior pars Capituli in eundem consenserit.*

Non

Non valet tamen electio, quæ est à saniore parte, si etiam sit pars maior.

5. *Capitularis post apertum scrutinium & publicatum aduenies, non potest suffragium suum adijcere ad augendum vel complendum numerum.*

6. *Si Capitularis post publicatum scrutinium, nondum promulgato electionis decreto, aduenit, petátque nouum scrutinium esse inchoandum, audiri debet, si sit vnus ex ijs, qui volunt & possunt commodè interesse electioni.*

7. *Clausula in fine dispositionis posita non refertur ad omnia antecedentia, si aliquod absurdum, aliúdue inconueniens sequeretur.*

TAmetsi, quæ in hoc c. referuntur, ad partium allegationes pertinent, vsque ad §. Nos ergo, ex quibus, præcisè spectatis, nulla firma doctrina colligi potest, adiunctis tamen Glossis, & communi consensu Doctorum, à quibus quædam partium allegata probantur, notanda quædam etiam ex ijs afferre, abs re non erit.

1 NOTANDVM I. Ecclesiæ Rom. Cardinalis, si Episcopus non sit, potest esse Cathedralis ecclesiæ Canonicus, prout hîc Anton. n. 5. Imola n. 3. Abb. n. 3. docent, & ideo dicunt, quòd non vacat canonicatus, & alia minora beneficia priùs habita, per assecutionem dignitatis Cardinalitiæ: Imò de nouo conferri posse eiusmodi beneficia, si residentiam non exigat, admonet Abb. ibid. Sin autem beneficium residentiam postulet, vel sit curatum, aut personatus, tum opus est Pontificis dispensatione, vt vnà cum Cardinalitatu retineri possit.

2 NOTANDVM II. Si quispiam, ius eligendi habēs, ecclesiâ absens, citatus sit ad tractandū de die electionis instituendæ, isq; tractatui interesse noluerit, debet postea iterum citari, ad diem electionis faciendæ, si eum ignoret. Hæc fuit intentio partis sauentis R. Remensi Canonico, quæ proinde allegabat G. fuisse contemptum. Contrà verò dicebat pars altera, non fuisse contemptum, cum potiùs Capitulum fuerit contemptum à G. non accedente. Et rectè quidem hoc posteriùs dictum fuit, si ponamus, G. Canonicum absolutè dixisse, quòd electioni interesse nolit, aut non possit: nam qui semel citatus, dixit se non venturum, iterum citari non debet, vti hîc Gl. docet ver. vocato, Anton. n. 17. Baldus n. 1. Item si ponamus, G. terminum præfixum, seu diem electionis faciendæ nominatum non ignorasse, iuxta reg. 31. in 6. *Eum qui certus est, certiorari vlterius non oportet*, & tradit hoc Innoc. n. 1. Anton. cit. n. 17. Abb. n. 9. At verò secundùm terminos nostri notandi, si videl. aliquis duntaxat citatus sit ad tractatum de præfigendo termino, seu nominando electionis die; citari debet, si terminum electioni definitum ignoret; alioquin contemptus censeri debet. Ita docet Gl. recepta ver. vocato, Innoc. Anton. Abb. cit. locis, Abb. antiq. in princ. c. Imola n. 8. & sumitur ex doctrina Glossæ communiter recepta in c. 2. ver. tenetur, de dolo & contumacia in 6. quòd citatus ad vnum iudicij actum, etsi contumax sit, citari iterum debet ad alium actum, v. g. ad sententiam definitiuam, argum. c. cùm olim 34. in fine, de testibus; secùs, si sit citatus ad totam causam, prout ibidem Ioann. Andr. annotauit: Sic & in proposito casu, si Canonicus absens citatus sit ad tractandum de die electionis, eámque prosequendam, adeóque ad totum prosequendæ electionis negotium, sufficit ea citatio, vti Anton. cit. loco annotauit.

3 QVÆSTIO autem est, si Capitularis absens nunquam fuerit citatus, sciat tamen præfixum terminum electioni faciendæ, num agere possit de contemptu? Affirmant hîc Anton. & Imola cit locis: Sed rectiùs negare videtur Abb. n. 9. ex doctrina Bartoli in l. emptor C. de euict. Si denunciatio non ad aliud tendere debeat, nisi vt notificatio fiat alicui, eam faciendam non esse scienti, iuxta cit. reg. 31. Sin autem denunciatio fieri debeat etiam ad alium finem, quomodo emptor denunciare debet venditorio, litem super re sibi venditâ motam esse; vt videl. dispiciat, an, & quibus modis causam

defendere

defendere seu liti assistere velit, l. 1. C. de peric. & commodo rei venditæ: Cùm itaque in proposito casu denũciatio electionis faciendę nõ aliò spectare videatur, nisi vt omnes intersint, qui debent, volunt, & possunt commodè interesse, c. qui propter 42. hoc tit. Ideo non videtur necessariò facienda ijs, qui electionem ad diem præfixum futuram esse, alioquin sciunt.

4 NOTANDVM III. Ad electionem requiritur copulatiuè, vt maior & sanior pars Capituli in eundem cõsenserit. Ita etiam habetur in c. dudum 18. c. auditis 29. cit. c. quia propter, c. In Genesi 55. hoc tit. Attamen in dubio, vbi maior numerus est, zelus melior præsumitur: secùs, si ex collatione clarè appareat, zelum eligentium, & electi ex altera parte præualere, c. si quando 9. eod. tit. in 6.

Non valet tamen electio, quæ est à sanior Capituli parte, nisi etiam sit pars maior; prout constat ex hoc ipso c. quandoquidem ex parte G. presbyteri Cardinalis non eo fine allegatum fuit, Electores eius meritis & auctoritate excelluisse, vt electio eius à Pontifice confirmaretur; sed tantùm vt R. Canonici Remensis rescinderetur: Quare etiam Pontifex nihil in sententia de illa electione expressit, satis indicans, post rescissam electionem eiusdem Canonici, de qua lis mota fuerat, ad aliud scrutinium accedendum esse.

His addendum, quod etiam in alijs consultationibus ac decretis, quæ fiunt à Collegio aut Vniuersitate, attendi solet, non tantùm an pars maior numero, sed etiam auctoritate, dignitate, & rationum pondere consenserit, secundùm Gl. receptam in l. Pomponius, 36. ver. dissentiret, ff. de re iudic. Quamobrem admonet Abb. hîc cit. n. 9. consultum non esse, vt in electione suffragia dentur per fabas, seu lupinos; quia apparere non possit, quæ sit pars sanior eligentium: Multæ tamen electiones, præsertim apud Regulares, fiunt per schedulas clausas, ita vt non inquiratur, à quibus eæ datæ sint, aut quo zelo siue ratione; propterea quòd benigna præsumptio sit, partem maiorem esse etiam saniorem.

NOTANDVM IV. Si Capitularis, qui 5 absens erat, post scrutinium apertum aduenit, non potest suffragium suum adijcere ad augendum seu complendum numerum: Vt si ponamus, vniuersim fuisse 34. electores præter G. absentem, atque ex scrutinio publicato apparuisse septemdecim consensisse in R. Canonicum Remensem, non potuit G. suffragium suum adijcere ad complendam maioritatem numeri, ita vt electionis decretum formari posset. Hæc est præcipua doctrina huius c. eámque commendant Innocentius, Ioann. Andr. Abb. & alij, circa Gl. ver. adijcere. Nam secundùm formam c. quia propter, suffragia omnium secretè accipi debent, antequam eorum publicatio fiat: alioquin ex vnius, aut alterius (vid. in proposito casu ex Canonici G.) arbitrio penderet, vt Canonici electionem firmaret, aut infirmaret; quod intentioni, ac decreto Concilij eius generalis repugnat.

QVÆSTIO est, Si Capitularis post publi- 6 catum scrutinium, nondum promulgato electionis decreto aduenit, petátque nouum scrutiniũ esse inchoandum, num sit audiendus. Respondeo ex doctrina Gl. in cit. ver. adijcere, Anton. n. 19. & in c. seq. n. 12. Vel est vnus ex ijs, qui volunt & possunt commodè interesse electioni, tum audiri debet, vt aliud scrutinium incipiatur: quia alioquin non seruaretur forma sæpius citata c. quia propter. Neque arbitror hîc discrimen faciendum esse, num Capitularis seu ius suffragij habens, verè contemptus fuerit, an non verè; quia Capitulum falsò existimabat eum longè distantẽ vocari nõ posse, aut non debere. Vel non est vnus ex ijs, qui volunt & commodè possunt interesse; seu quia semel dixerit, se interesse nolle, adeóque pro ea vice iuri suo renunciauit: seu quia tam longè distans erat, vt vocandus & expectandus non esset; tum audiendus non est; quia res tum integra non est: quare post publicatum scrutinium statim, nulla ipsius habita

habita ratione, ad electionem veniendum, si ea secundùm maiorem præsentis in scrutinio Capituli partem fieri possit: Secùs autem dicendum, si veniat ante peractum scrutinium: Cùm enim res adhuc integra sit, admitti debet, argum. l. Quod si minor 25. §. Scæuola, vbi id Gl. marginalis annotauit, ff. de minoribus.

7 NOTANDVM V. Clausula in fine dispositionis posita non refertur ad omnia antecedentia, si aliquod absurdum, aliúdue inconueniens, quale est multorum iurium correctio, sequeretur. Ita singulariter hîc annotauit Abb. n. 5. Rectè enim ex parte fauente electioni Canonici Remensis allegatum fuit; tametsi in c. quia propter, posita fuerit clausula finalis vt *aliter*, quàm ibi præscriptum fuerat, *facta electio non valeat*; referendam tamen duntaxat esse ad ea, quæ ad formam electionis spectant: sine forma enim sua res non subsistit; non autem referendam ad ea, quæ ad electionis iustitiam spectant, quale est illud, vt omnes Capitulares, seu ius suffragij habentes intersint, adeóque si absentes sint, vocentur, qui volunt & commodè possunt interesse: qua de re dixi etiam in c. quod sicut 28. hoc tit. Quare rectè hîc dixit idem Abb. post Bartolum in l. Prætor 4. §. Eritque hæc differentia, ff. de vi bonor. raptorum; Clausulam in fine positâ non ad omnia antecedentia referri, si ratio diuersitatis adsit, cur ad aliqua referri debeat, ad alia autem non debeat, vt in proposito casu.

Displicet autem doctrina eiusdem Abb. in c. In Genesi n. 11. hoc tit. *Quoad hoc vt consideretur, num electus habuerit maiorem partem totius Capituli, debent contempti computari in numero eorum, qui faciunt Capitulum.* Et subiungit, idem esse *in omnibus actibus collegialiter explicandis, vt non valeat, quidquid facit* seu decernit *maior pars præsentiũ, si illa pars non fuit maior pars habito respectu ad eos, qui debebant. Pone exemplum: In Vniuersitate sunt duodecim: Vndecim se congregant, contempto duodecimo, non valebit quidquid fit per sex; quia computato absente non reperitur dispositio facta à maiore parte totius Capituli.* Sed contrarium expresè docuerat ipsemet Abb. tum alibi sæpe, tum in c. quia propter, n. 12. vbi ait: *Vocatio absentium* (qui vocari possunt & debent) *non est de forma substantiali, sed de iustitia: quare retractabitur electio, si contempti prosequantur contemptum. Intelligetamen, quòd ad validitatem electionis requirantur duæ partes vocandorum* (siue eorum, qui debent, volunt & commodè possunt interesse) *aliàs non consisteret vniuersitas; & valebit quidquid disponit maior pars, vt notatur in l. nulli ff. Quod cuiusque vniuersitatis.* Ibi autem cum Gl. ver. duæ partes docent DD. Si duæ partes Curiæ congregatæ sint, id in quod maior pars præsentium consenserit, ratum esse oportere, saluo tamen iure opponendi se, si contempti electionem ratam esse nolint. Et in c. cùm omnes n. 11. vbi ait, Opinionem Legistarum & Canonistarum esse, quòd interuenire debent duæ partes vniuersitatis; *& ex his duabus partibus debet ad minùs consentire minor pars, & sic intelligi debet l. quod maior, ff. ad Municipalem: Et probatur ratione: Duæ partes repræsentant totam vniuersitatem, dicta l. nulli, ff. Quod cuiusque vniuers. & l. nominationum C. de decurionibus, lib. 10. ergo sufficit maior pars istarum duarum partium.* Et n. 12. subiungit, *Dico etiam, quòd licèt duæ partes sufficiant ad validitatem actus, si tertia pars fuit contempta, tunc possunt contempti prosequi contemptum, & facere actum retractari.* Eandem doctrinam habet hîc Innocent. n. 3. Imola n. 13. *Quando non vocatis aliquibus vocandis proceditur ad actum electionis, vel alium, in quo requiratur vocatio absentium; tunc si duæ partes vocandorum fuerint præsentes, tenebit actus, sed poterit agi de contemptu.*

CAPITVLVM LVIII.

Publicato.

PARAPHRASIS.

Post scrutinium publicatum, Electores variare seu vota sua mutare non possunt; quia est facienda collatio, & electio celebran-

branda: Ad quod etiam per Superiorem, si opus sit, compelli possunt.

Svmmarivm.

1. *Electores post scrutinium publicatum variare non possunt.*
2. *Si Capitulares etiam post publicatum scrutinium, & factam collationem, agnoscant aliquem contemptum, possunt ad electionem procedere.*
3. *Si post publicatum scrutinium aduertant, electionem ob admissum defectum formari non posse, nouum scrutinium inchoare possunt, & debent.*
4. *Publicato scrutinio compelli possunt ad collationem, & electionem.*

1 Notandvm I. Electores post scrutinium publicatum variare non possunt. Glossa hic ver. variare, inquirit rationem huius rei, & varia respondet. Dico autem ex communi doctrina, præcipuam huius rei causam esse, quia tunc electores functi sunt officio suo; & ideo suffragium reuocare non possunt, argum. c. si tibi absenti 37. de præb. in 6. Pro cuius intellectu, aduerto, si forma c. quia propter, obseruetur, esse veluti duplicem electionem: Vna est singulorum optio, seu suffragatio; altera est vera & propriè dicta electio communis, Capitularis, & solemnis. Prior illa electio, seu potiùs suffragatio effectum suum, & complementum accipere censetur per scrutinij publicationem; & ideo eâ factâ Electores officio functi sunt, ac variare seu suffragia mutare non possunt. Videri potest Imola hîc n. 4. Abb. n. 3. quorum vterque admonet ex Bartolo in l. absenti ff. de donat. doctrinam istam, quòd in electionibus post publicata suffragia singulorum, variare non licet, locum duntaxat habeat in ijs, qui ex speciali commissione, aut officij sui necessitate electionem faciunt; secùs, si qui iure proprio ac libero eligant, v. g. Princeps, Communitas, aut Senatus ciuicus Præfectos & Officiales suos, tum suffragia, etiam publicata, reuocare & mutare possunt, donec fuerint intimata & acceptata. Alia ratio in textu huius c. indicatur; Vt fiat progressus in negotio electionis, cùm enim scrutinium per publicationem complementum acceperit, ad alia quæ sequuntur, videl. ad collationem, & postea ad electionem celebrandam transitus fieri debet. Sed prior ratio generalior est, ostendens etiam in alijs electionibus ecclesiasticis, in quibus scrutinij forma non obseruatur, variationem fieri non posse post suffragiorum publicationem: qua de re Anton. hîc n. 17.

Qvæstio est; Si post publicatum scrutinium & factam collationem, Capitulares agnoscant, aliquem contemptum, seu non vocatum fuisse, qui vocari & adesse debebat, num collatione factâ ad electionem procedere possint? Resp. cum Anton. hîc n. 12. Abb. n. 8. Locum esse nihilominus doctrinæ huius c. vt electio celebretur, quandoquidem ea valida fuit: & fortasse contemptus, si rem intelligat, eam ratam habebit. Sin autem contemptus ante formatum electionis decretum veniat, petátque nouum scrutinium inchoari, satisfaciendum esse petitioni, dixi in præced. c. Deinde, si Electores post scrutinium publicatum animaduertant, electionem ob defectum commissum formari non posse, nouum scrutinium inchoare possunt, ac debent.

Notandvm II. Si electores post publicatum scrutinium non procedant ad collationem & electionem, per Superiorem, si opus est, compelli possunt. Sed obijci potest: Nam constat ex c. quia propter 42. c. cùm post 46. hoc tit. Processum electionis vitiari, nisi collatio statim siue incontinenti post publicatum scrutinium fiat, & mox communis electio subsequatur: Itaque si accidat electores cunctari, siue post publicatum scrutinium collationem, electionémque differre, frustra compelli videntur ad eam peragendam, sed interpositâ eâ morâ, electio irrita futura est. Respondeo, Hæc duo, quæ inter se non pugnât, iure canonico statuta esse circa electionem in forma scrutinij; Primum, vt electores vno contextu electionem peragere teneantur: alioquin electio irrita pronunciari debeat. Alterum, si post publicatum scrutinium non procedant ad electionem eius, in quem

pars maior & sanior Capituli consensit, vt ad id compellantur: alioquin enim de industria & in fraudem canonis, moram trahere atque efficere, vt electio post interuallum facta, irrita iudicaretur. Quamobrem ne ipsis propria fraus prosit, à Superiore compelli debent ad electionem, etiam post moram, validè perficiendam: Et quicunque ex Capitularibus, vel etiam ipsemet eligendus, adire potest Superiorem, imp'orando eius officium ad Electores compellat ad progrediendum, sicuti de iure tenentur.

CAPITVLVM LIX.

Si alicuius.

PARAPHRASIS.

Si quispiam ad prælaturam per simoniam, eius resignarus, neque ratum habens, electus fuerit, non tantùm irrita pronunciari debet electio, sed nec Episcopus dispensare potest cum electo, vt ea vice ad prælaturam illam promoueatur. Sin autem aliquis ad simplex beneficium per simoniacam prauitatem promotus fuit ignoranter, cum eo Episcopus post liberam resignationem dispensare non prohibetur.

SVMMARIVM.

1. *Electio, aut collatio beneficij per simoniam, quamuis ignorante electo, aut prouiso, reprobari debet.*
2. *Est ipso iure irrita, & non tantùm rescindenda per sententiam.*
3. *Electio vel promotio ad ecclesiasticum beneficium per simoniam ita infirmata est, vt electus aut prouisus (licèt eo ignorante simonia commissa sit) ad idem beneficium pro ea vice incapax existat sine dispensatione.*
4. *Episcopus dispensare potest cum simoniace promoto ad beneficium simplex, si liberè resignet, non item si quis tali pacto assecutus esset maiora seu duplicia beneficia, nisi in casu euidentis ecclesiæ necessitatis.*
5. *Mitiùs agitur cum eo, qui vltrò cedit beneficio, quàm si per sententiam amoueatur.*
6. *Argumentum à sensu contrario in iure validum est, si quidpiam speciale in dispositione aliqua ponatur causatiuè, siue vt principaliter mouens ad disponendum.*
7. *Secùs si assertiuè, aut exemplificatiuè.*

NOTANDVM I. Electio, aut collatio beneficij, interueniente simoniaca prauitate facta, quamuis ignorante electo, aut prouiso, reprobari debet. Ita hîc, & consentit c. 1. causa 1. q. 5. cit. c. ex insinuatione 26. c. vobis 27. c. sicut tuis 33. de simonia. 1

QVÆSTIO autem est, Num ipso iure irrita sit electio aut prouisio; an verò rescindenda per sententiam. Posteriorem quæst. partem docuit hîc Abb. antiq. Nauarr. consil. 95. de Simon. edit. 2. & alij, eo argum. moti, quòd iura canonica solùm significent, eiusmodi electionem esse reprobandam; non autem dicunt, ipso iure nullam esse. Sed contrarium rectè hîc docuit Abb. n. 2. Capella Tholos. iuncto Comment. in decis. 439. fusè Suarez tom. 1. de relig. de Simon. cap. 57. n. 35. & fuit sententia S. Th. 2. 2. q. 100. a. 6. in corp. & a. 3. prout ostendit Couarr. in reg. peccatum p. 2. § 8. n. 7. & seqq. Probatur: Si enim vera esset posterior sententia, tum promotus per interuenientem simoniacam prauitatem, posteaquam rem cognouisset, retinere posset beneficium, aut dignitatem, donec per sententiam Superioris rescinderetur collatio, aut prouisio: At consequens est falsum, prout constat ex cit. c. ex insinuatione, iun. Gl. communiter ibi probata ver. resignasti, & clariùs ex cit. c. nobis, vbi dicitur, quòd *secundùm sacrorum canonum instituta, etiam paruuli, qui cupiditate parentum ecclesias per pecunias sunt adepti, eas dimittere teneantur.* Idque expressè docet S. Th. in cit. a. 6. & ipsemet Nauarr. in consil. 97. de simon. aliíq; communiter. Ergo, &c. Deinde, posterior sententia vera est, simoniacè prouisus 2

per ignorantiam, non teneretur ad restitutionem fructuum perceptorum ex beneficio, nisi post Iudicis sententiam & priuationem, ex eo enim tempore, & non antè, tametsi prauitatis simoniacæ, cuius ipse causam nullam præbuit, prius notitiam accepisset, malæ fidei possessor esse inciperet; sed ante latam sententiam nō teneturaliquis eo, quod suum est, priuare. At verò consequens istud esse falsum, docent Theologi cum S. Th. in cit.a.6.Couarr.cit. §.8.n.8. ipsemet Nauarr. consil. 97. de Simon. ad quæst. quartam. Id autem miror, quod idem Nauarr. in cit. cons. 95. in resp. ad argum. vers. Tertiò, dixerit, doctrinam S. Thomæ in alleg. a. 6. potiùs fauere suæ sententiæ, quòd videlicet collatio beneficij per simoniam facta, ignorante prouiso, non sit ipso iure nulla; quia *ait, S. Th. ignorantem teneri* (post notitiam acceptam) *resignare beneficium, & restituere fructus extantes, non autem bona fide consumptos: quod nulla ratione defendi posset, si collatio esset omnino nulla: quia nulla ratione excusari potest à rectitudine fructuum consumptorum, nisi illa simoniaca collatio, præsentatio, vel electio valeret, donec inciperet scire illius nullitatem.* Veruntamen rectissimè id defendi potest ac debet; cùm certa iuris regula sit, quam tradunt DD. in l. Item veniunt 22. §. Præter hoc, ff. de petit. hæredit. quòd bonæ fidei possessor, postquam intellexit rem suam non esse, teneatur restituere fructus extantes, non autem bona fide absumptos, nisi quatenus inde locupletior factus est, quia v. g. eos vendidit, & pretium adhuc extat, aut patrimonium eius inde auctum est, vti explicaui in Theol. moral. lib. 3. de iustit. tract. 2. cap. 3. n. 1. Et cur, obsecro, qui ita prouisus fuit, post habitam interuenientis simoniæ notitiam, debeat fructus extantes, quos antè perceperat, restituere, etiam antè latam sententiam; cùm dicat Nauarr. cit. cons. 95. habuisse eum ius in beneficio; consequenter itaque fructus omnes lucrari debuisset. Denique & id inauditum, saltem nullo iure expressum est, quod per solam scientiam acquisitam antecedentis simoniæ, aliquis amittat ius, ac titulum beneficij sui; ita vt in conscientia dimittere illud teneatur, prout voluit Nauarr. in cit. cons. 97. ad quar. quæst. Potiùs ex eo, quia post acquisitam notitiam in conscientia obligatus ille est dimittere beneficium, colligere potuisset, prouisionem eius antea, siue ab origine sua irritam fuisse, & ideo, vnà cum fructibus extantibus, restitui seu resignari debere, prout clarè docuit S. Tho. cit. loco, in corp. art. 6.

Ad argum. pro posterioris quæst. parte allatam, Resp. Electionem, siue collationem eiusmodi reprobandam, id est, reijciendam esse, quia inualida sit. Eodémque recidit, si dicas, reprobandam esse collationem per sententiam declaratoriam facti, seu, per quam, præmissa cognitione causæ, declaretur ac pronuncietur, interuenisse simoniacam conuentionem, ideóque de iure irritam esse collationem, electionémue. Id enim frequenter occurrit in iuris corpore, vtquòd vno in loco dicitur irritum & inane, v. g. electio attentata contra formam Concilij Lateran. sub Alexandro III. vti videre est c. In Genesi 55. in fine, hoc tit. Idem, ob eandem causam non obseruatæ formæ eius Concilij, dicatur sententialiter irritandum, c. ecclesia 67. in fine, eod. tit.

Obiter hic aduerti potest, quod memini ante annos non paucos responsum esse, cùm expedita iam esset supplicatio ad impetrandam dispēsationem super inualiditate collati canonicatûs adolescēti, quo ignorante pater eius Simoniam in assecutione commiserat; non esse opus, vt dispensatio peteretur; quia plus quàm triennio dictus adolescens, cum bona fide, beneficium illud pacificè tenuit, ideóque tutus est in omni foro, per regulam Cancell. XXXIII. de triennali possessione. Quod in hoc ipso casu annotauit P. Suarez cit. cap. 57. n. 39.

NOTANDVM II. Adeò de iure infirmata est electio, aut promotio ad ecclesiasticum beneficium, per Simoniam facta, etiā ignorante electo aut prouiso, vt ad idem beneficium pro ea vice, siue durante ea vacatione, incapax existat, nisi cum ipso dispensetur ab eo, qui tali potestate præditus est, de quo in seq. notando.

Diffi-

Difficultas autem est, qua ratione ob aliorum delictum puniatur innocens, qui inculpatè ignorauit, contra c. 2. de constit. *Res quæ culpa caret, in damnum vocari non debet.* Resp. cum Anton. hic n. 8. opponendo aliam regulam, quæ est 23. in 6. *Sine culpa, nisi causa subsit, nō est aliquis puniendus.* Hic autē causa subest, nō quidem vt aliquis propriè puniatur, siue ei aliquid adimatur; sed potiùs vt beneficij collatio, seu prouisio propter simoniaci criminis fœditatem impediatur: Adiecta etiam inhabilitate in odium rei, non in odium personæ: Volo dicere, in detestationem simoniacæ pactionis, per quam aliquis ad beneficium destinabatur, rectè à sacris canonibus decretum fuisse, vt pro ea vice attentatio illa effectum nequaquam habere posset, constituto illo incapaci, quem simoniaci promouere volebant: At verò purgato vitio illo, siue interueniente persona, quæ validè prouisa sit, aliàq; occurrēte beneficij eiusdē vacatione, repulsum illū (quippe in cuius persona defectus nō sit) omnimodè, si alioquin dignus sit, promoueri posse: Multòverò magis iste ad alia ecclesiam, dignitatē, aut beneficiū assumi poterit c. post trāslat. 11. §. Rursus, de renūc.

4 Notandvm III. Discrimen est, quod si aliquis ignorans per simoniacam prauitatem promotus sit ad beneficium simplex, Episcopus, dummodò ille liberè resignārit, dispensare possit, vt idem mox beneficium cōsequatur, aut in eo relinquatur: Secùs autem dicendum de alijs beneficijs maioribus, seu duplicibus. Hunc esse sensum huius c. supponere videntur DD. & apertè tradit Suar. in cit. lib. de Simon. cap. 61. n. 10. Cùm enim Pontifex veluti excipiendo respondeat, Episcopum dispensare posse cum promoto ad beneficium simplex, post liberam eius renunciationem, satis indicat, dispensare non posse, si quis beneficium qualecunque, non simplex, tali pacto assecutus sit. Neque obstat, quòd in priore c. parte meritò duntaxat sit de prælatura: Id enim, vt ex subiunctis colligitur, exempli tantùm causa factum, quia fortè de eo tum casu dubitatum fuerat.

Excipiunt verò nō pauci, quòd Episcopus etiam ad beneficiū curatum aut dignitatē in eadē vacatione assequendū, in casu huius c. dispensare possit, non ob merita personę (hic enim casus excluſus videtur) sed ob euidentē ecclesiæ necessitatem, quia alius ita idoneus reperiri non potest. Ita enim docuit hîc Hostiens. Anton. Imola, & alij: Quòd huiusmodi casus secundùm epiikian exceptus videri debeat: Neque est id improbabile, propter Doctorum auctoritatem, argum. c. 3. ead. causa 1. q. 5. Quamuis contrarium senserit Abb. hîc n. 3.

5 Notandvm IV. Mitiùs agitur cum eo, qui vltrò cedit beneficio, quod derelinquere debet; quàm si per sententiam amoueatur. Ita sumitur ex c. in fine, & notat Gl. in not. vlt. Quemadmodum etiam consuetum est, vt si Prælatus de crimine depositione digno suspectus, aut infamatus, si vltrò resignet, vt leuiùs cum eo agatur, & v. g. pensio ex Prælatura assignetur; non ita verò, si per sententiam deponatur.

6 Qvæstio restat, quam aliqui occasione huius, alij occasione præced. c. tractant; vbi videri potest Ioann. Andr. & Abb. Panormit. Num argumentum à sensu contrario in iure validum sit? Communis est responsio, firmum & validum esse, si quippiam speciale in dispositione aliqua ponatur causatiuè, siue vt principaliter mouens ad disponendum; tunc rectè infertur, cùm in contrario seu oppositō eius contraria seu oppositā ratio cernatur, dispositionem in eo locum non habere. Exemplum huius rei proponitur in l. 1. ff. de officio eius, cui mādata est iurisdictio, vbi habetur, quæ sunt meri ac mixti imperij, speciali priuilegio concessa magnis iudicibus, ciuili iure delegari non posse; idque, tanquam fortissimo argumento, inde ostenditur, quia lege Iulia de vi concessum est Prouinciæ Præsidi, si ob necessitatem absens est, quòd alteri demandare possit: Exinde enim per contrarium sensum colligi debet, committere alteri non posse; quandoquidem absentia est causa finalis & principalis, cur delegandi facultas ei concedatur.

7 Sin autem speciale quippiam in depositione ponatur non causatiuè, sed assertiuè, aut exemplificatiuè, tunc non procedit argumentum ad remotionem contrarij seu oppositi. Exemplum habemus in l. Conuenticula 22. C. de Episcopis & Clericis, vbi prohibetur, ne aliqui in priuatis ædibus conuenticula, coadunatis turbis instituant, disputantes de fide Catholica seu definitis in Concilio: Ex quo minimè inferre licet, quòd in loco publico talia conuenticula liceat celebrare: quia ratio prohibitionis, quæ est turbatio in rebus fidei; æquè imò magis locum habet in disputatione, quæ in loco publico instituitur, prout constat ex l. 2. vbi id Gl. notauit ver. publicè, C. de summa Trinitate. Aliud exemplum afferunt Canonistæ in c. cùm ad Monasterium, de statu Monach. nominatim Ioann. Andr. circa verbum *nisi in infirmatorio*, ex reg. S. Benedicti cap. 39. vbi ita legitur: *Carnium quadrupedũ omnino ab omnibus abstineatur comestio, præter omnino debiles & ægrotos.* Ex quo non licet inferre, quòd bipedum & volatilium comestio Monachis permissa sit; sed potiùs, quòd species, tanquam magis vsitata, pro omni carnium genere posita fuerit: siquidem ratio, quæ sola esse potuit quadrupedia prohibendi, videl. appetitus, mortificatio, & abstinentiæ virtus salutaris, æquè & magis in volatilibus locum habet. Videri potest Ioann. Turrecremata in explic. eius regulæ tract. 104.

Addunt verò DD. communiter, argumentum à sensu contrario non procedere, si inde absurdum, vel inconuehiens sequatur, vt videre licet in allato exẽplo de prohibita quadrupedum comestione: Item si oppositum eius, quod per tale argumentum inferendum esset, in iure clarè decisum esset, argum. l. 2. vbi id notauit Gl. Bartol. & alij C. de condit. insertis, & tradit Gl. recepta in c. significasti 18. ver. clerici tamen, de foro compet. Aliud exemplum leges in l. fin. §. filijs autem familias, C. de bonis quæ liberis, vbi decernitur, filijsfam. testari concessum non esse de bonis aduentitijs, quorum vsusfructus penes patrem est. Ex quo tamen per sensum contrarium inferre non licet, testari eos posse de ijs aduentitijs bonis, in quibus patri vsusfructus non quæritur; quia oppositum huius, videl. quòd de nullis aduentitijs filiusfam. testari possit, sed solùm de castrensibus, aut quasi castrensibus, satis expressum videtur in l. penult. C. Qui testam. facere possunt, & docent ibi Ias. Alexand. de Imola & alij communiter. Ratio huius doctrinæ est, quam legere est apud Nicolaum Euerardum in loco à contrario sensu: Per subauditiones, siue intellectus tacitos & coniecturales, non debet introduci iurium correctio, secundùm Gl. receptam in c. cupientes §. Quòd si per viginti, ver. petere, hoc tit. in 6. propterea quòd iurium correctio odiosa sit, & quantum fieri potest, vitanda, c. cùm expediat 29. eod. in 6. Neq; facilè legislator censendus sit legẽ priùs, multâ curâ & solicitudine constitutam tollere velle, nisi clarè exprimat, c. ecclesia 47. §. neque enim, suprà, hoc tit. Atqui argumentum à sensu contrario fit per tacitum, subauditum, & coniecturalem sensum, vti tradit Gl. in cit. l. 2. ver. voluntati, ibid. Bartol. C. de condit. insertis, & sumitur ex l. apud antiquos 2. iun. Gl. ibi, per coniecturam interpretati sunt C. de furtis.

Neque obstat his, quod dici solet, argumentum à sensu contrario esse fortissimum, iuxta Gl. receptam, c. cum Apostolica 7. iuxta finem, ibi, *per quod indirectè datur intelligi*, de his quæ fiunt à Prælatis &c. & sumitur ex cit. l. 1. ff. de officio eius, cui mandata est iurisdictio, ibi, *huius rei fortissimum argumentum est.* Respondetur enim; Esse argumentum efficax, & firmum, sed cùm ex interpretatione, seu subauditione haustum, ideo cedere verbis alibi clarè expressis; cùm quod clarum, & in firma quodammodo possessione est, non deceat tolli & euerti per obscurũ, argum. l. ille aut ille 25. ff. de legatis 3. Limitationes verò, quibus etiam iuri communi derogatur per tacitum intellectum, seu argumentum à sensu contrario, videri possunt apud Euerard. loco cit. §. Illud tamen limitatur.

Demum pro confirmatione argumenti ducti

ducti per sensum contrarium, exempla aliqua afferem⁹, ex cit. c. hui⁹ de elect. titulo desumpta, vt appareat, cur quæstio ista hoc in loco proposita fuerit. Primum est ex c. bonæ 4. de postul. Prælator. vbi dicitur, postulantes variare non posse, posteaquam postulatio Superiori præsentata est: Ex quo infertur, si præsentata nondum sit, quòd postulantes variare possunt: Cùm id inconueniens non sit, & nullo alio iure prohibitum videatur: Estque specialis ratio, cur post præsentationem variare non liceat; ne videl. Superiori illudatur.

Alterum habetur in c. præced. quando dicitur, quòd Electores publicato scrutinio variare non possint: Ex quo rectè infertur, quòd ante scrutinij publicationem variare seu suffragia sua mutare queant: Nam publicatio vt specialis ratio prohibitæ variationis afferri videtur, prout ibi explicaui in 1. not. & videri potest ibi Imola, & Abb. n. 6.

Tertium sumitur ex textu huius c. Quando Pontifex dixit, cum electo ac prouiso in simplici beneficio ab Episcopo dispensari posse; rectè hinc infertur primò: In beneficijs non simplicibus seu duplicibus, ac maioribus eiusmodi dispensationem interdictam esse Episcopis: cùm non appareat alia causa, cur in simplicibus concessa sit dispensatio; nisi quia minora facilius conceduntur, atque in maioribus cautius agendum est, ait Glos. hic ver. illa vice. Secundò, ex hoc ipso c. per sensum contrarium infertur, si quis etiam simplex beneficium per simoniacam interuenientem prauitatem scienter consecutus fuit, aut postea ratum habens, quod actum est, cum eo Episcopum dispensare non posse; quia non frustra hîc adiecta fuit conditio limitans & qualificans, *ignorante eo & postea ratum non habente*, idque conforme est c. nobis 27. de simonia. Tertiò sequitur; Episcopum dispensare nō posse cum promoto ad beneficium simplex ipso ignorante, nisi liberè priùs illud resignârit, sed à Iudice, per sententiam coactus. Nam ratio, cur dispensandi facultas in casu illo Episcopis concedatur, alia afferri non potest, nisi quòd magis dignus sit misericordiâ, & ab omni suspicione alienus, qui sponte renunciat: ergo in oppositio oppositum decerni debet. Et confirmari possunt, quæ dixi: Nam regula canonica est, quòd simoniacè electus aut prouisus, ad idem consequendum beneficium inhabilis fiat, adeò vt Episcopus cum eo dispensare non possit, cit. c. nobis: Ergo exceptio quæ in hoc c. proponitur, confirmat dictam regulam in alijs omnibus casibus, qui sub exceptione non comprehenduntur.

CAPITVLVM VI.

His quibus.

Paraphrasis.

Si Superior, v. g. Pontifex, aut Episcopus prohibuerit Canonicis, aut Conuentualibus, ne ad electionem Prælati absque suo consensu procedant; dubium est, num interea dum eligere intermittunt, currat eis tempus à iure definitum? Respondet Gregor. IX. Papa, affirmandum esse, si illi in mora fuerunt licentiam petendi.

Svmmarivm.

1. *Electoribus impeditis currit tempus, si ipsi possint impedimentum tollere.*
2. *Impedimenta autem alia sunt ordinaria, alia extraordinaria: hæc sola cursum temporis, non illa, impediunt.*

Notandvm vn. E electoribus impeditis currit tēpus, si ipsi impedimentū tollere possunt. Quare huic respōsioni Pontificis non obstat regula sumpta ex c. quia diuersitatem 5. de concess. præb. Tempus à iure definitū non currit legitimè impedito: Non enim impediti censeri debent, qui impedimentum tollere possunt. Quia, vti habetur in reg. 135. ff. *Qui potest facere, vt possit conditioni parere, iam posse videtur.* Atqui Capitulares consensum petendo à Superiore impetrare possunt, vt pono, eligendi facultatem: Ergo simpliciter impediti non sunt, sed ex hypothesi, si licentiam suâ culpâ petere intermittant.

Inde

Inde verò per sensum contrarium colligitur, si Capitulares consensum à Superiore petere non possint, aut petitum impetrare nequeant, quòd interea tempus legitimum eis non currat; posito quòd expressè inhibitum sit, vt, nisi consensus impetratus sit, electio non fiat: Tum enim locum habet, quod dici solet; Impedito agere non currit tempus legitimum, cit. c. quia, iun. Gl. ver. suspensionis, l. 1. §. vlt. C. de annali except. l. in rebus 30. C. de iure dotium. Quare tempus, trimestre v. g. Canonicis definitum ad electionem Prælati peragendam, post diem cognitæ vacationis numerandum, non continuum censeri debet, sed vtile. Aduerte tamen, quod benè hîc annotauit Anton. de Butrio n. 4. Quædam esse impedimenta ordinaria, ideóque præcognita à decernente tempus; v. g. quòd Capitulares absentes aduocare debeant, atq; interea eligere non possint: Et hoc tempus currit ipsis; quia ideo longior terminus præfixus fuit, quòd eiusmodi mora frequenter interponi debeat. Quædam autem esse impedimenta extraordinaria, & per accidens occurrentia: & hæc cursum temporis impediunt.

CAPITVLVM. I. eod. Tit. in 6.

Statuimus.

PARAPHRASIS.

Si quis electionem, postulationem, aut prouisionem alicuius de prælatura, dignitate, aut canonicatu impugnet, obijciens aliquid contra formam, aut contra personam, atque ob eam causam ad Sedem Apostolicam appellet; tam is qui oppugnat, quàm is qui defendit, & omnes quorum interest, & quos causa contingit, per se, vel per procuratores ad causam instructos ad Sedem Apostolicam intra mensem numerandum à die appellationis (cognitæ aduersario, vel Procuratori eius) iter arripere debeant. Quòd si vna parte præsente, altera non aduenerit, per dies viginti expectetur; postea in causa ea electionis, postulationis, aut prouisionis oppugnatæ, non obstante cuiusquam absentia, sicuti de iure procedendum est, procedatur. Ita statuit Innoc. IV. Papa in Concilio general. Lugdunensi. Videri etiam debet Clem. causam, hoc tit.

SVMMARIVM.

1. *Electio, postulatio, aut prouisio vel institutio alicuius in beneficio ecclesiastico duabus de causis oppugnari potest. 1. quòd forma obseruata non sit. 2. quòd aliquid sit prætermissum, quod ex iure seu iustitia requiritur.*
2. *Liti institutæ præter actorem & reum, etiam aliæ personæ adesse possunt, & admitti debent, si ostenderint suâ interesse.*
3. *Procurator admitti potest in causa impugnatæ electionis, postulationis, aut prouisionis, licèt crimina & defectus obijciantur personæ electæ; ad hoc tamen debet habere speciale mandatum.*
4. *Procurator mitti debet ad causam cui sufficienter instructus.*
5. *In causa beneficiaria si pars contumax sit, procedi potest etiã lite non contestata.*

NOTANDVM I. Electio, postulatio, aut prouisio, vel institutio alicuius in beneficio ecclesiastico duabus de causis oppugnari potest: I. Quòd forma obseruata non sit. Secundò aliquid prætermissum, quod ex iure seu iustitia requiritur, v. g. in electione aliquis non vocatus, qui vocari potuit ac debuit.

NOTANDVM II. Liti institutæ, præter actorem, eúmque, contra quem actio tendit, etiam aliæ personæ adesse possunt, & admitti debent, si ostenderint suâ interesse, vti hîc habetur, & in c. veniens 38. de testibus. Videri potest Anton. hîc n. 3.

NOTANDVM III. Procurator admitti potest

potest in causa impugnatæ electionis, postulationis, aut prouisionis, tametsi crimina & defectus obijciantur personæ electæ. Sed necessarium est, vt ad id habeat mandatum speciale, iuxta Clem. 2. de Procurator. Videri potest c. tuæ 5. de Procur. c. super his 16. de accus.

4 NOTANDVM IV. Si terminus à iure definitus, intra quem electionem aliquam, postulationem, aut prouisionem oppugnare debeat per se, vel procuratorem; tum si procuratorem mittere placeat, debet is mitti ad causam totam sufficienter instructus. Ita hîc, & in c. cupientes 16. §. Si verò in discordia, infrà eod. tit. vbi etiam explicatur, quomodo debeant esse instructi, & in c. 1. de Procurator. Gl. in c. vlt. ver. sufficienter instructum, de dolo & contumacia. Eadémque ratione Iudex (præsertim in huiusmodi beneficialibus causis, quippe quæ celerem expeditionem postulant) terminum assignare potest, ad quem pars litigans per se, vel procuratorem, venire debeat sufficienter instructa; ita vt, nisi noua causa occurrente, dilationem aliam Iudex concedere non teneatur: quæ de re Ioan. Andr. hîc col. 2. Franc. c. 3.

5 NOTANDVM V. In causa beneficiaria si pars contumax sit, procedi potest etiam lite non contestata. Ita hîc, & in c. vlt. §. Porrò, vt lite non contestata, &c. Idem in eod. §. & in c. accedens 4. Vt lite non contestata, decernitur de causa matrimoniali. Ratio est, quia huiusmodi lites diu prorogari non debent, propter periculum: vti constat ex cit. c. accedens, & c. finem 5. de dolo contum. vbi dicitur, quòd beneficia ecclesiastica *sine dispendio diu vacare nõ possunt*. Videri hîc potest Ioan. Monachus, Gl. in ver. absentia.

Porrò in casu isto, si terminus à iure præfixus sit, vt pars litigans compareat, opus non est alia citatione ad constituendum contumacem; quia terminus à iure, aut etiam à Iudice definitus, peremptoriæ citationis vim habet, c. sæpe 44. de appellat, & tradit Gl. in cit. ver. absentia.

§. Adijcientes.

PARAPHRASIS.

Qui contra electionem, postulationem, aut prouisionem alicuius, ad sedem Apostolicam appellans, quod contra formam seu processum electionis &c. opponit, plenè non probauerit, in expensas, quas pars altera se fecisse docuerit, est condemnãdus: Qui verò desecerit in probatione eius, quod cõtra personam obiecit, à beneficiis (quæ in ea ecclesia obtinet) per triennium suspensus est: Quòd si interea propria auctoritate se ad ea ingesserit, ipso iure in perpetuum, sine spe dispensationis, priuatus maneat: Nisi manifestè ostenderit, quòd à vitio calumniæ causa probabilis & sufficiens excusârit.

SVMMARIVM.

1. *Si agatur de iure alterius auferendo, aut minuendo, requiritur probatio plena, & non sufficit semiplena.*
2. *Actor intentionem suam non probans, condemnandus est parti alteri in expensas.*
3. *Plus punitur, qui contra personam electi, postulati, aut prouisi aliquid obijcit, & non probat; quàm qui formam seu processum oppugnans in probatione deficit.*
4. *Non probans, quod obijcit contra personam electi, per triennium à beneficijs ecclesiasticis, quæ in ea ecclesia obtinet, ipsò facto suspensus est.*
5. *A quâ tamen pœnâ error probabilis ostensus excusat.*

1 NOTANDVM I. Si agatur de iure alterius auferendo, aut imminuendo, requiritur probatio plena; & nõ sufficit semiplena. Ita sumitur ex textu iun. Gl. ver. plenè non probauerit. Porrò tametsi videri possit Pontifex in hoc c. exigere plenã probationem ab eo tantùm, qui formam electionis oppugnat, tamen ex c. vt circa 4. infrà hoc tit. constat, idem quoque intelligendum de eo, qui contra personam aliquid obijcit.

2 NOTANDVM II. Si actor intentionem suam legitimè non probauerit, parti aduersariæ ad expensas præstandas condemnari debet. Ita hîc: Similitérque si reus conuentus, postquam actoris intentio fundata est, exceptionem incontinenti non probauerit, ad expensas moderatas condemnandus; præsertim in causa beneficiaria, c. cùm finem 5. de dolo & contumacia.

3 NOTANDVM III. Plus punitur, qui contra personam electi, postulati, aut prouisi aliquid obijciens, in probatione deficit, quàm qui formâ seu processum oppugnans, deficit: Illud enim ad criminationem & calumniam spectat, adeò, vt actioni iniuriarum secundùm aliquos locus esse possit, teste Anton. hîc n. 7. A pœna tamen hîc decreta & calumniæ suspicione liberatur, si probabili errore se ductum esse ostenderit, vti hîc dicitur, & in l. 1. §. 1. ff. ad SC. Turpillianum: Calumnię enim crimen intentionem malam requirit, vt ibid. significatur, iun. Gl. ver. intendere, & alia Gl. in l. Athletas 4. ver. ex vtraque, ff. de his qui notantur infamiâ. His addè, quòd in tali casu probabilis ostensæ ignorantiæ, etiam condemnatio ad expensas remittitur, secundùm Gl. receptam in cit. c. cùm finem, ver. expensas. Imò communiter tradunt DD. apud Anton. Gabrielium de execut. rei iudicatæ concl. 1. de expensis; statutum, vt victus victori in expensas condemnetur, limitandum esse conformiter iuri communi; nisi probabilem quis litigandi causam habuerit.

4 NOTANDVM IV. Qui opponens contra personam electi, postulati, prouisi in probatione deficit, per triennium à beneficijs ecclesiasticis ipso facto suspensus est. Intelligi autem debet de beneficijs ijs duntaxat, quæ in ea ecclesia obtinet, prout declaratur in c. si compromissarius 37. infrà eod. tit. & libro, iun. Gl. ver. beneficijs.

QVÆSTIO est; Si quispiam probabili errore ductus contra personam aliquid obijcit, quod postea probare non potest, vtrùm pœnam hanc incurrat. Affirmat Franc. Suarez de cens. disp. 31. sect. 3. n. 11. quia in textu huius c. suspensio indistinctè decernitur deficienti in probatione; exceptio verò, quæ subiungitur, *nisi manifestissimis constiterit documentis, &c.* eò spectat, vt dispensari cum eo possit, aut tempus suspensionis coarctari. Sed contrarium arbitror esse dicẽdum, quod hîc Doctores communiter significant, vt videre licet apud Anton. n. 8. Ioan. Andr. col. 1. ante 1. Gl. vbi simpliciter aiunt, quòd error probabilis, si ostensus sit, excuset à pœna suspensionis hîc decreta; Et Francus super hoc §. n. 2. generaliùs loquitur, quòd *probabilis causa litigandi excusat succumbentem, non tantùm ab expensis, sed etiam à pœna iuris.* Idémque significat Gl. hîc ver. defecerit, vbi fraudem requirit. Ideóque infert, si quis plura contra personam obiecerit, & vnicum eorum probarit, euitari pœnam; quia *non fuit in fraude.* Quæ doctrina vera est, saltem si id obiectum tale est, vt per se sufficiat ad impediendam, aut rescindendam electionem, postulationem, aut prouisionem, argum. c. inter cæteras 4. de rescriptis. Ad rationem pro priore quæst. parte allatam, Resp. Exceptionem illam, cùm sit veluti clausula finalis ibi posita, sine incommodo ad omnia antecedentia referri posse: Imò videtur necessariò ita referri, ne alioquin incommodum sequatur: Nam ipsemet P. Suarez fatetur, esse hanc pœnam à iure decretam, quæ proinde culpam requirat: ea autem cessante (si videl. aliquis probabili errore inductus, bona intentione, opponat aliquid contra personam) cessare debet pœna.

CAPITVLVM II.

In electionibus.

PARAPHRASIS.

Si in electionibus, postulationibus, aut scrutinijs suffragia adsint conditionata, alternatiua, vel incerta, ijs posthabitis & reiectis, electio (vel postulatio) secundùm aliorum duntaxat, quæ legitimè data sunt, suffragia celebrari debet. Ita Innoc. IV. Papa in eodem Concilio Lugdunensi.

Sum-

SVMMARIVM.

1. *Suffragia conditionata, alternatiua & incerta ipso iure irrita sunt in electionibus.*
2. *Etiam electus debet purè & simpliciter consensum dare.*
3. *Suffragia in scrutinio data, ac postea publicata, si quæ inter ea non sint legitima, pro non datis haberi debent, ita vt pro ea vice omnis vis suffragandi penes alios, qui legitimè suffragati sunt, resideat.*

PRo intellectu, inprimis aduerte; suffragium conditionatum esse, si quis dicat, *Eligo Titium* aut *consentio in Titium, si & Caius in eum consentiat.* Suffragium alternatiuum est. *Volo vt Seius, aut Sempronius Episcopus fiat.* Suffragium incertum, *Consentio in eam personam, in quam Caius consentiet.* Ita Glossa hîc explicat.

1 NOTANDVM Vn. Suffragia conditionata, alternatiua, & incerta ipso iure irrita sunt, & pro non datis habentur in electionibus, ac postulationibus ecclesiasticis: totúmque ius electionis, aut postulationis celebrãdæ penes aliorum, legitimè data ac publicata suffragia residet. Ita textus huius c. Continet autem duas partes; quarum prima est secundùm naturam rei: Nam electio, postulatio, quin & prouisio beneficij numerantur inter eos actus legitimos, qui iuxta legis præscriptum fieri debent absolutè ac simpliciter, ita vt nec conditionem, nec diem recipiant, iuxta reg. 50. in 6. Præstantur enim suprà dicti actus à Prælatis ecclesiasticis ex officij necessitate, ita vt ecclesiis, ac beneficijs vacantibus certò & mox prospectum sit: quemadmodum ob eandem etiam rationem datio tutoris nec diem, nec conditionem recipit, iuxta reg. ff. 78. Actus legitimi. Ex quo apparet, partem hanc constitutionis locum etiam habere in ecclesiasticis electionibus, quæ non per formam scrutinij, sed alio quocunque modo fiunt.

Addendum est primò ex Ioan. Monacho hic n. 4. & 7. Ioan Andr. n. 6. Neque tale suffragium vim habere; *Eligo Titium, si consenserit.* Nam electus consentire debet electioni de se factæ: si autem ex talibus suffragijs celebrari posset electio, tum electus non consentiret electioni de se factæ: quandoquidem electio Capitularis debet esse conformis datis priùs suffragijs siue votis: si itaque hæc suspensa sint, etiam electio non facta, sed suspensa censeri debet.

Adde secundò ex Archidiac. & Anton. hîc n. 12. Franco n. 5. Vim non habiturum suffragium, si datum sit sub conditione de præsente, aut præterito, v. g. Si Decanus morbo liberatus est; posito quòd id Electoribus incognitum sit. Cùm neque ex eiusmodi suffragijs, saltem ante veritatis indagationem, certa electio subsequi possit. Excipit verò Gl. hîc ver. incerta, à DD. communiter recepta; Adijci posse conditionem, quæ suapte naturâ ineat; v. g. *confero tibi beneficium hoc, si vacat*; aut *si eius capax es.* quia talia non faciunt actum conditionalem; cùm nihil noui adijciant, sed actûs naturam explicent, ait Ioann. Andr. prope finem huius c. & tradit Francus hîc n. 4.

Addendum tertiò, ex doctrina Ioan. Andr. 2
hîc & Franci cit. n. 4. quòd etiam electus debeat purè, & simpliciter consensum dare electioni; alioquin post tempus trimestre elapsum ad aliam electionem procedi poterit, iuxta c. quam sit 6. infrà hoc tit.

Altera verò pars huius constitutionis pœnalis est, quòd videl. suffragia ita data adeò irrita, & pro non datis haberi debeant, vt pro ea vice vis suffragiorum omnis penes alios, qui legitimè suffragati sunt, resideat: Id extendi non potest extra casum hîc expressum, videl. de suffragijs in scrutinio datis, ac postea publicatis, ex quibus ius oritur electionem capitularem celebrandi. Itaque cùm primùm publicata sunt vota secundùm formam scrutinij data, si quæ inter ea appareant minùs legitima, videl. conditionalia, alternatiua, aut incerta, pro non datis haberi debent, atq; electio de eo, qui secundùm maiorem partem reliquorum vtilium suffragiorum nominatus est, promulgari; Neque videntur hoc in casu nouum scrutinium inchoare posse Capitulares, cùm, vti hîc dici-

tur, iuncto c. publicato 58. hoc tit. in antiq. electio mox celebrari possit, ac debeat. Cæterùm, qui minùs legitima suffragia dederunt, antequam scrutinium publicatum sit, ea corrigere possunt, argum. cit. c. publicato, & tradunt hic Ioan. Andr. Dominic. Anton. Francus, & alij circa Gl. ver. residente.

CAPITVLVM III.

Vbi periculum.

PARAPHRASIS.

Quandoquidem vbi maius periculum impendet, ibi diligentiùs prospiciendum; constat autem grauia pericula inde prouenire posse, si Romanam Ecclesiam longo tempore vacare contingat: Idcirco Innocent. IV. Pontifex in eod. Concil. Lugdunensi cap. 2. inprimis confirmat ea, quę ab antecessoribus suis, præsertim ab Alexandro III. in c. licèt de vitanda 6. hoc tit. in antiq. de Romani Pontificis electione decreta sunt; quædam adijcienda esse, necessarium iudicat.

Primum. Vt Cardinales elapsis decem diebus post mortem Pontificis (si ea in ciuitate accidat) qui præsentes tunc sunt, ad conclaue palatij, in quo Pontifex habitauerat, se conferant, & inde non egrediantur, donec electio peracta sit.

Alterum. Sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ, prohibetur, ne quis Cardinalibus, aut vni eorum scripturam, aut nuncium mittat, vel cum aliquo secretè loquatur, quamdiu in palatij conclaui congregati sunt.

Tertium. Si Cardinales intra triduum, posteaquam conclaue ingressi fuerunt, Ecclesiæ non prouiderunt, quinque sequentibus diebus vnum tantùm eis ferculum tam in prandio, quàm in cœna præbeatur: sin autem neque per hos dies electionem perfecerint, præter panem, vinum, & aquam, nihil ipsis ministretur, donec prouisio illa seu electio subsecuta sit.

Quartum. Cardinales nihil omnino ex Camera Pontificis, nec quippiam aliud ex Sedis vacantis obuentionibus recipere aut vsurpare sibi debent, sub pœna suspensionis ab omnibus reditibus, donec quod acceperint, plenè restituant & satisfaciant.

Quintum. Si accidat, Pontificem extra ciuitatem, in qua cum Curia sua residebat, vitâ excedere, teneantur Cardinales egredi ad electionem in ea ciuitate, in cuius territorio Pontifex obijt, aut, si id fieri non possit, in aliâ vicina peragendam. Similia habentur in Constit. Nicolai II. Papæ c. 1. d. 23.

Sextum. Dominos, Rectores, & Officiales eius ciuitatis, in qua Rom. Pontificis electio celebranda, Apostolicæ Sedis auctoritate, quæ prædicta sunt, obseruari faciant; sed amplius aliquid attentare non præsumant, idque sub grauibus, ibi adiunctis, pœnis.

Septimum. Omnia pacta, obligationes, & iuramenta, si quæ inter Cardinales fiant, (puta de certa persona, aut ex certa aliqua natione, vel ciuitate, in Pontificem eligenda) penitus cassantur.

Octauum. Audita morte Rom. Pontificis, in ciuitatibus, aliisque locis insignibus, exequiæ celebrandæ sunt; & preces quotidie à Fidelibus ad Dominum Deum fundendæ, pro concordi & Ecclesiæ vtili noui Pontificis electione, donec certus de ea peracta nuncius auditus sit.

AD LECTOREM.

DEstinauerat R. P. Paulus Laymann vniuersum Ius Canonicum doctissimis suis Commentariis illustrare, sed destinata exequi non licuit; ea enim mors præmatura Authoris abrupit in limine Operis, ita vt præter illa, quæ ad primi libri Decretalium sex titulos, eósque non omnino integros hactenus legisti, aliud nihil ex ijs ad nos perueneris,

uenerit. Sufficere tamen ad elucidationem reliqui Iuris Pontificij possunt, quæ idem P. Laymann per aliquot annos in publicis prælectionibus magna omnium acclamatione, nec minori fructu in Academia Dilingana dictauit. Quibus licèt ad perfectum statum vltima manus Authoris desit, ideóque à priorum Commentationum grauitate & vbertate multùm distent, suâ tamen doctrinæ soliditate, & exquisitâ eruditione, Iuris huius intelligentibus hoc quantumuis delicato literarum seculo ita sese probarunt, vt multi non exiguo labore, vel sumptu exscripserint: fuerint etiam, qui propè sacrilegij instar censuerint, vel vno apice eorum, quæ summus hic Vir in Ius Canonicum elucubrasset, literariam rempublicam defraudare. Ne igitur in publica commoda peccaremus, horum votis obsecuti sumus, & quidem eò proniùs, càm non dubitaremus, quin & tuo, Lector, iudicio aliorum vota & rem ipsam esses approbaturus.

SVMMARIVM.

1. *Cardinales obligantur ad seruandam formam electionis hoc c. præscriptam.*
2. *Non possunt ij, vacante Sede, aliam iurisdictionem exercere, quæ aliàs ad Summum Pontificem spectat.*

1 QVÆRES Primò. Vtrùm Cardinales obligentur ad seruandam hanc electionis formam, vel aliam quamuis, quę à Sum. Pontifice legitimè statuta fuit. Responsio est affirmatiua in Clement. Ne Romani: vbi ratio adiungitur; Quia lex Superioris per inferiorem (quales Cardinales sunt Sum. Pontificis comparatione) tolli aut mutari non potest.

2 QVÆRES secundò: Vtrùm Cardinales Sede vacante, aliam iurisdictionem, quæ alioquin ad Sum. Pontificem spectat, exercere possint? Responsio est negatiua in ead. Clement. Excepto, quòd Ecclesiæ Romanæ Camerarium, si vacante sede moriatur, aut alio modò deficiat; atque pœnitentiarios in decedentium locum, quin & nouos numero auctiore, (si id Cardinalium cœtui concorditer expedire visum fuerit) subrogare possint.

CAPITVLVM IV.

Vt circa.

PARAPHRASIS.

Ne Prælaturas, personatus, & alia per ecclesiastica beneficia diu vacare cum Ecclesiæ detrimento contingat, in eodem Concilio Lugdunensi sub Gregor. X. constitutum est c. 3. vt, si quispiam electioni, postulationi, vel prouisioni se opponat, obijciendo aliquid contra formam, aut contra personas seu eligentium, prouidentium, seu electi, prouisi; & idcirco ad Superiorem appellet, teneatur in publico instrumento omnia & singula, quæ obijcere velit, exprimere; Atque insuper coram publica persona, seu Magistratu, corporale iuramentum præstare de veritate dicenda: id est, quòd credat vera esse, quę exprimit, & se probare posse: Atque Magistratus, seu Tabellio eius iuramenti præstiti testimonium inferat datis literis, seu instrumento. Alioquin, si appellare volens quædam in instrumento non expresserit, non poterit deinde ipse, vel adhærentes ea obijcere; nisi aliquid opponendum postea de nouo emerserit; aut in notitiam appellantis peruenerit; vel noua probandi facultas oblata fuerit: Ita tamen, vt hoc casu proprio corporali iuramento fidem faciat, quòd ea antea ignorârit, nunc autem ita cognouerit, vt probare se posse credat. Hoc c. magis declaratur infrà in cap. 15 cui, & c. Procurator, c. constitutio, & in Clem. Constitutionem eod. tit.

SVMMARIVM.

1. *Ad maiorem solemnitatem & firmitatem actus requiritur interdum iuramentum corporale, hoc est, tactis Euangelijs.*

2. *Iurans de veritate dicenda, vel præstans iuramentum calumniæ, non iurat vera esse, quæ dicturus est, sed credere esse vera, & à se probari posse.*
3. *Ignorantia per iuramentum probari debet, si præsumptio sit contra allegantem.*
4. *Hæc constitutio afficit etiam Collegium v.g. Capitulum, quod prouisionem ab Episcopo factam oppugnare vult.*

1 NOTANDVM I. Ad maiorem solemnitatem, & firmitatem actûs interdum requiritur iuramẽtum corporale, quod fit manibus tacto aliquo corpore, videl. (secundùm Ecclesiæ praxin) Euangeliorum libro, iuxta Clement. I. §. porrò, de hæret. iun. Gl. ver. tacto. Et ait hîc Gl. ver. præstito, omnia iuramenta, quæ à Iudice, vel à partibus ex necessitate deferuntur in iudicio, esse corporalia, id est, tactis sacris Euangelijs. Vide etiam quæ dicam c. vlt. de iuram. calumniæ.

2 NOTANDVM II. Iurans de veritate dicenda, vel prẽstans iuramentum calumnię, non iurat vera esse, quæ dicturus est, sed credere esse vera, & existimare, à se probari posse; ideóque non calumniæ inferendæ causa quæstionem mouere. Ita colligitur ex textu, & notat Gl. ver. probare.

3 NOTANDVM III. Ignorantia per iuramentum probari debet, si præsumptio sit contra allegantem: Vt in casu nostro; quia debebat ab initio inquirere, & cognoscere ea, quæ obijcere velit, aut probare possit. Tunc itaque ignorantiam alleganti, cùm ea in animo latens & occulta esse soleat, iuramentum defertur, vti etiam in c. nulli, 8. hoc lib. & tit. Ita Ioann. Monachus hic n. 29. & Gl. ver. per proprium.

4 QVÆRITVR: Vtrùm hæc constitutio afficiat etiam collegium, v.g. Capitulum, si prouisionem ab Episcopo factam oppugnare velit. Responsio est affirmatiua, cum Ioan. Monacho n. 8. Quia ver. *Quicunque* comprehendit etiam personas fictas; vid. corpora, siue Collegia; dummodò capacia sint eiusmodi actus, vt in proposito est: Quia potest Capitulum alicui prouisionem impugnare, & ad Superiorem appellare, atq. iuramẽtum corporale præstare per procuratorem, dato ei mandato speciali, vti etiam Gl. margin. hîc obseruat; Iuramentum proprium dici, quòd præstatur per se; vel per procuratorem habentem mandatum speciale iurandi in animam mittentis. Cui doctrinæ consentit c. procurator, 38. hoc tit. & lib.

CAPITVLVM V.

Auaritiæ.

PARAPHRASIS.

Cùm iure canonico constitutum sit; vt electus administrationi seu in spiritualibus, seu in temporalibus se non immisceat, donec confirmationem à Superiore acceperit, aliqui electi, cupiditate instigante, alium modum excogitarunt, quo administrationem accipere possent; Videl. vt interim tanquam procuratores, seu œconomi Ecclesiarum constituerentur, donec confirmationis literæ adessent. Hoc autem sustulit Gregor. X. in eodem Concil. Lugdunensi c. 4. prohibens, ne quisquam administrationem dignitatis, ad quam electus est, sub titulo œconomi, aut procuratoris, alióue quæsito colore in spiritualibus, aut temporalibus per se, vel per alium, in totum, vel in parte, ante acceptam confirmationem accipere, seu administrationi se ingerere præsumat: Qui secùs fecerit, iure electionis, si quod ipsi quæsitum fuerat, eo ipso priuatus sit.

SVMMARIVM.

1. *In fraudem legis agere censetur, qui id ipsum, quod lex vetat, secundum effectum assequitur, quamuis alio prætextu, seu quæsito colore.*
2. *Fit extensio hic pœnæ, quæ habetur c. qualiter 17. extrà, h. t. ita vt locum habeat in casu, quo aliquis administrationi dignitatis se immiscuit, prætextu œconomiæ.*

3. Elec-

3. *Electus, qui ius œconomi seu administrationis impetrauit, sed reipsa non administrauit, pœnam hanc canonicam non incurrit.*

1 NOTANDVM I. In fraudem legis agere censetur, qui id ipsum, quod lex vetat, secundùm effectum assequitur, quamuis alio prætextu, seu quæsito colore. Cui consentit l. contra, 29. ff. de legibus, & reg. vlt. in 6. *Certum est, quòd is committit in legem, qui legis verba complectens, contra legis nititur voluntatem.* Exemplum hîc habemus: Prohibitum est, ne electus se ingerat administrationi: Iste autem non ingerit se electioni, vt electus; sed quæsito titulo œconomi, seu administratoris: re ipsa tamen idipsum assequitur, quod canon vetat. Cæterùm per auctoritatem Sum. Pontificis potest electus, interim dum habilis fiat ad prælaturam, quia v.g. ætatem legitimam nondum habet, Ecclesiæ Oeconomus constitui, vti constat ex c. cùm nobis, 19. extrà, hoc tit. iun. Gl. ver. procuratorem concedimus.

Aliud exemplum: Prohibitum est, ne quis duo beneficia curata in titulum possideat: Quòd si iam aliquis vnum in titulum, & alterum in commendam perpetuam impetret, in fraudem legis id agit; cùm perpetua commenda titulo beneficij æquiualeat, quare nemini concedi potest, præter Sum. Pontificem, cuius est in canone dispensare, sicuti indicatur in Trident. Sess. 7. c. 4. de reformat.

Circa pœnam hoc c. decretam duo dubia sunt: Primum: An, & quomodo differat à pœna, quæ habetur c. qualiter, 17. extrà, hoc tit. Duæ sunt opiniones, quas hîc Gl. refert, ver. priuatos. Prima, quam vt communiorem sequitur Abb. in cit. c. qualiter: Quòd hîc corrigatur ius antiquum: quia olim electio eius, qui se electioni ante confirmationē immiscuit, per sententiam irritanda fuerit, vti significatur in cit. c. qualiter; iam verò ipso iure irrita sit. Sed obstat huic sententiæ, quòd sine necessitate iuris antiqui correctio introducatur. Altera, quam hîc sequitur Io. Monachus: Casum huius c. esse diuersum; quia hîc non punitur electus, qui absolutè administrare ante confirmationem præsumpsit, sed qui in fraudem canonis id egit, quæsito colore, seu prætextu œconomiæ impetratæ. Quod factum, quia in se dolum continet, videtur grauiùs puniendum, vt talis ipso facto excidat iure electionis, si quod habeat. Ego verò arbitror, probabiliùs dici; quòd etiam in c. qualiter contineatur pœna latæ sententiæ, ita vt ingerens se administrationi, ipso facto priuationem incurrat; licèt opus sit sententiâ, & executione Superioris. Ob quam causam Pontifex ibi ait, electionem irritandam esse, id est, irritam declarandam, tum quia electus in eo casu indignus erat, tum quia ante acceptam confirmationem administrare cœpit. Hoc autem c. 2 fit extensio eius pœnæ, saltem interpretatiua, quòd etiam locum habere debeat, in casu, quo aliquis administrationi dignitatis se immiscuit, quæsito titulo seu prætextu œconomiæ.

Alterum dubium. Si electus ius œconomi 3 seu administratoris impetrauit, sed reipsa non administrauit, vtrùm pœnam hanc canonicam incurrat? Facilis est responsio cum Gl. communiter recepta, ver. eo ipso; Quòd non incurrat; quia verba legis pœnalis intelligi debent cum effectu, iuxta c. relatum, 4. de clericis non residentibus: Et constitutio lata in facientem, non censetur comprehendere eum, qui parat se ad faciendum, ait Gl. margin. hîc.

CAPITVLVM VI.

Quàm sit.

PARAPHRASIS.

Cùm Ecclesiis noxium sit, si prælaturæ longo tempore vacent, statutum est in eodem Lugdunensi Concilio sub Gregor. X. c. 5. Si electio celebrata fuerit, electores cùm primùm commodè possunt, electo præsentent, eiúsque consensum requirant: Electus autem intra mensem à die præsentationis numerandum, si consentire velit, consensum exprimere teneatur: Quòd si vltra distulerit, iure, si quod ex electione acqui-

acquisiuerat, hoc ipso priuatus existat: nisi talis persona sit, quæ eligitur, vt electioni absque Superioris sui licentia consentire non possit: quo casu electus, vel electores, qua fieri potest celeritate, licentiam à Superiore procurare debent. Alioquin, si intra tempus, quod consideratis circumstantiis locorum, &c. sufficiens videri potest ad impetrandam Superioris licentiam, ea non habeatur; electores ad aliam electionem accedendi liberam facultatem consequuntur. Porrò electus intra tres menses à præstito consensu numerandos confirmationem petere tenetur: alioquin ius electionis ipso facto amittit. Eademque est ratio in postulatione, vti Gl. hic adiecit ver. vacuetur.

Svmmarivm.

1. *Etsi ordinariè nemo cogi possit, vt consentiat electioni ad prælaturam, dignitatem, aut aliis beneficiorum prouisionibus; potest tamen quis cogi ob ecclesiæ necessitatem, vel magnam vtilitatem.*
2. *Melius agit electus, si acceptet prælaturam, modò id agat, non vt præsit, sed vt multis prosit ad gloriam Dei, & magis idoneus non adsit, qui, eo recusante, eligendus sit.*
3. *Electus, v.g. Religiosus, ad alterius abbatiæ monasterium, nisi intra debitum tempus licentiam impetret, iure quæsito priuatur; & nisi electores intra trimestre tempus tum ad electionem procedant, illa vice & illis iure eligendi priuati sunt.*
4. *Licentia autem tali petenda est à proximo Superiore, cui monasterium subiectum est.*
5. *Electus intra mensem post impetratam licentiam consentire debet.*
6. *Superior ordinariè compelli non potest ad dandam licentiam.*

Notandvm I. Ordinariè aliquis non cogitur consentire electioni ad prælaturam, aut quamuis dignitatem; sed potest etiam recusare. Idemque dicendum de alijs beneficiorum prouisionibus, vti colligitur ex c. si tibi absenti, 17. de prębend. in 6. Quia *inuito beneficium non datur*, reg. 69. ff. Et *non potest liberalitas*, seu donatio *nolenti acquiri*, l. hoc iure, 19. §. Non potest, ff. de donationibus.

Dixi autem *ordinariè*: Nam propter Ecclesiæ necessitatem, aut magnam vtilitatem Superior, qui ius imperàdi habet in tali casu, cogere potest ad prælaturam acceptandam, vti docet S. Th. 2. 2. q. 185. a. 2. & colligitur ex c. sicut is, 1. q. 6. & c. ante omnia, 7. d. 40. vbi S. Augustinus Epist. 148. ad Valerium Episcopum scribens, ait; Vim sibi factam esse in promotione ad Episcopatum. Necesse tamen est, vt qui initio inuitus est, postea consensum præbeat: cùm sine libero consensu electio, aut prouisio perfici nequeat.

Qværes: Vtrùm melius, magisque laudandum sit, electioni consentire, an verò ex humilitate recusare? Respondeo: Melius agit electus, si electioni canonicæ consentiat, non vt præsit, sed vt multis prosit ad gloriam Dei: dummodò nemo magis idoneus adsit, qui, eo recusante, eligendus sit. Ratio est: Quia ex motiuo charitatis agit, quæ præstantissima virtus est. Neque obstat, quòd alius æquè idoneus adsit: Nam iste vocationem habet ex electione: ideo meritò præferendus est alteri. Imò, tametsi alius magis idoneus adsit, non erit reprehendendus, qui vocationi, electionique suæ consensum dederit; modò & ipse idoneus sit: melius tamen hoc casu aget, si prælaturam in magis idoneum transferri fategerit. Quòd si verò ita res comparata sit, vt electus pręalijs idoneus videatur ad Ecclesiam regendam, tum iure naturali ex charitatis virtute obligatur ad acceptàdum, vt dixi lib. 4. Theol mor, tr. 2. c. 15. q. 3. Porro, vtrùm prælaturam appetere licitum sit, disputaui eod. tract. 2. c. 15. q. 2.

Notandvm II. Si electus, v. g. Religiosus, ad alterius Abbatiæ Monasterium, intra tempus, quod ad petendam & impetrandam licentiam, spectatis circumstantiis boni viri iudicio sufficiat, eam non impetret per se, vel alium, neque electores pro ipso impe-

impetrent, post lapsum eiusmodi temporis priuatur electus omni iure, vt ad aliam electionem procedendum sit, atque nisi procedant electores intra tres menses, iuxta c. Ne pro defectu 41. hoc tit. ea vice iure eligendi priuati existant. Ita ex hoc c. ver. liberam, collegit hîc Ioan. Monachus, sed postea apertè definitus est à Benedicto XI. extrauag. communi, quæ incipit: *Si Religiosus*.

4 Qværes primò: A quonam Superiore licentiam petere debeat is, qui ecclesiæ alicui affixus est, ita vt transire inde non possit? Respondeo. Petendam esse à proximo Superiore; videl. ab Abbate, & Episcopo, cui Monasterium subiectum est; à Pontifice verò, si electus sit Cardinalis, vel Abbas, aut Religiosus Monasterij, quod Sedi Apostolicæ immediatè subiectum est.

5 Qværes secundò: Postquam electus licentiam consentiendi impetrauit, habétne integrum mensem, seu triginta dies, ad deliberandum? Responsio est affirmatiua, cum Gl. ver. conditio, Ioan. Monacho, n. 8. ver. Sed obtenta: Quia tempus iure statutum non debet currere impedito, c. quia diuersitatem, de præbend. Sed electus consentire non potuit ante impetratam licentiam: Ergo ante impetratam licentiam non incipit tempus xxx. dierum, siue vnus mensis ad deliberandum concessus.

6 Qværes tertiò: Vtrùm Superior compelli possit ad licentiam dandam. Respondeo cum eodem Ioan. Monacho n. 12. Ordinariè compelli non posse, arg. c. ad aures, 5. de tempor. ordinationum: quia hæc est gratia quædam, ad quam faciendam nemo compellitur iuxta c. precariæ, 10. q. 2. Dixi autem *ordinariè*: Quia si necessitas postulet, vt subueniatur alicui v.g. Monasterio, compelli potest Abbas, vt Religiosum suum ad Abbatiam vel aliam administrationem transferri consentiat, si causam rationabilem negandi non afferat. Quia hoc casu ex æmulatione negare censetur; si nolit alteri prodesse eo casu, quo id sibi seu Monasterio parum, aut nihil oberit.

* * *

CAPITVLVM VII.

Perpetuæ.

Dubitatum fuit, vtrùm pœnas decretas in c. Cùm in cunctis, de elect. incurrant electores, si in personam indignam vota sua scienter dixerint, sed electio communis secuta non sit, quamuis scrutinium publicatum. Hanc quæstionem definiens Gregor. X. in eodem Concilio c. 6. Respondit: Tametsi hi grauiter peccarint, & ob id etiam ab Apostolica Sede puniri possint; tamen pœnas c. cùm in cunctis, decretas contra indignum eligentes in hoc casu Capitulares non incurrunt: ideóque ad aliam electionem procedere possunt, imò debent. Ratio responsionis est, quam hîc affert Ioan. Andreas: Quia pœna intelligi debet cum effectu, c. relatum, de clericis non residentibus: Isti autem non processerunt ad electionem, quippe quæ post publicatum scrutinium nomine Capituli communiter fieri debet: Ergo non incurrunt pœnas decretas contra eligentes indignum. Cæterùm, si in aliqua Ecclesia consuetudine, vel priuilegio obtentum sit, vt per suffragia à singulis præstita & publicata in Capitulo electio perficiatur eius, qui maiorem Collegij præsentis partem habet; tum dicendum est, electores incurrere pœnas c. cùm in cunctis, si tali modo indignum scienter elegerint. Quia ea constitutio ab Alexandro III. generatim edita est contra eligentes indignum, antequam forma electionis ab Innocent. III. in c. quia propter, constituta esset.

CAPITVLVM VIII.

Nulli.

Paraphrasis.

Eligentes aliquam personam, postquam electio publicata est, audiendi non sunt, si eam oppugnare velint, obijciendo ipsi electo aliquod crimen vel defectum: Nisi causa impugnationis postea accesserit, v. g. quia electus administrationi se statim

immiscuit : vel nisi causa oppugnandi priùs aderat, sed probabiliter ignorata : Quo tamen casu ignorantiam suam iuramento confirmare tenetur, qui electionem oppugnare vult. Et habet hæc constitutio etiam locum in illo, qui electionem ipso absente factam, postea consensu suo approbauit. Ita Gregor. X. in eodem Concil. Lugdun. c. 7.

Svmmarivm.

1. *Quæ semel quis approbauit, improbare aut refutare non potest, nisi ex causa postea emergente.*
2. *Paria sunt eligere, & electioni factæ consentire in ordine ad voluntatis approbationem, non autem in ordine ad alios effectus.*

1 Notandvm I. Quod semel approbaui, improbare deinde aut refutare non possum, nisi ex causa postea emergente. Consentit iuris regula 21. hoc lib. *Quod semel placuit, amplius displicere non potest*, iuncta interpretatione Dyni ibid. n. 11.

2 Notandvm II. Paria sunt eligere, & electioni factæ consentire. Quod verum est in ordine ad voluntatis approbationem. Sed non, quòd attinet ad alios effectus; nam eligens auget numerum suffragiorum, non item qui electioni factæ consentit, siue eam ratam habet, vti bene hic notat Gl. margin. post Ioann. Andr. n. 2. Ioan. Monachum n. 1. & confirmatur ex reg. 120. ff. Aliud est vendere; aliud vendenti consentire.

Notandvm III. Paria censentur non esse, & non apparere, vti hic, & docent Legistæ l. In lege fundi, ff. de contrah. emptione.

CAPITVLVM IX.

Si quando.

Paraphrasis.

Si accidat electionem in discordia celebrari, decernit Gregor. X. in Concilio Lugdun. c. 8. vt pars illa eligentium, quorum data suffragia in duplo minore numero sunt, nihil alteri parti, pro qua stat numerus duplo maior, obijcere possit, quod spectet ad extenuationem zeli, aut meriti, dicendo videl. esse electores minoris auctoritatis, aut electum minùs dignum : At verò obijcere possunt eligentibus, quod suffragia eorum omnino vitiet, v. g. fuisse excommunicatos, & suspensos.

Svmmarivm.

1. *In discordia eligentium si pars horum vna notabiliter numero maior est, prævalere debet altera, licèt sit senior, dummodò electus absolutè idoneus sit.*
2. *Si autem ex vna parte eligentium sit quidem numerus maior, non tamen multum excedens; altera verò pars auctoritate & meritis electi multum superet, ad nouam electionem procedendum est.*

Hoc loco vniuersim disputari potest. Celebratis in discordia duabus electionibus, ita vt pro vna stet maior numerus eligentium, pro altera verò dicatur esse maior auctoritas eligentium, & maius meritum electi; siue vt breuiùs dicam, si vna eligentium pars sit maior numero, altera verò dicatur esse senior: vtra alteri præferenda sit? Respondetur cum Ioan. Andrea, in c. Ecclesia, 57. n. 38. Abb. ibid. n. 13. extrà, hoc tit. Vel numerus vnius partis valde excedit alterius partis numerum, tunc prævalere debet pars illa, pro quo stat numerus maior, dummodò electus absolutè idoneus sit. Quia cum alterutra harum electionum admittenda sit, illa autem admitti non possit, quæ spectato numero tertiam Capituli partem non excedit, aut vix excedit, sequitur alteram electionem, quæ numero adeò superat, admittendam esse. Vel numerus vnius partis non multum excedit, tunc iterum distingue: Vel auctoritas eligentium, & meritum electi multum superant, aut non multum. Hoc posteriore casu, admittenda est electio facta à maiore parte Capituli. Quia propter modicum excessum recedendum non est à regula canonica, quòd gesta à maiore parte Capituli rata esse

esse debent, c. 1. de ijs quæ fiunt à maiore parte Capituli. In priore autem casu neutra electio confirmanda est: seu, vt alijs verbis dicam, pars sanior agere potest, non vt sua electio admittatur, sed vt alterius partis electio irrita pronuntietur: Quia in c. quia propter, secundùm communiorem DD. interpretationem, ad canonicam electionem vtrumque requiritur, vt & maior, & sanior pars Capituli in vnum consenserit. Quamuis contradicat Gl. in cit. c. Ecclesia, ver. non consenserit, existimans electionem, quę facta est à parte saniore, præferendam esse: quia pars sanior censeatur etiam maior.

QVÆRES: Quid igitur hoc casu faciendum, si ex vna parte sit numerus maior eligentium, quamuis non notabiliter excedens; altera verò pars auctoritate, & meritis electi
2 multum superare videatur? Respondeo, Nouam electionem inchoandam esse; quia neutra illorum canonicum effectum habere potuit. Neque enim dici potest, tali casu electionem ad Superiorem deuolui: cùm neque in forma peccatum fuerit, neque indignus electus sit, neque tempus trimestre elapsum, vti supponimus.

CAPITVLVM X.

Quamuis.

PARAPHRASIS.

Hæc constitutio Gregorij X. c. 9. Concil. Lugdun. secundùm id tempus emanauit, cùm Episcopi canonicè electi à Metropolitano confirmationem accipere solerent: Hodie autem eiusmodi dignitates Cathedrales, Episcopatus, inquam, & Archiepiscopatus, Sedi Apostolicę reseruantur, secundùm reg. 2. Cancellariæ: Ita tamen, vt in Germania secundùm Concordata cum Nicolao V. in Bulla, quæ incipit: Ad sacram, electio Capitulo Cathedrali relinquatur, quæ, si secundùm canones facta sit, confirmari debeat. Summa constitutionis est: Tametsi Alexander IV. Pontifex quaslibet appellationes in causis Episcopalium electionum ad Sedem Apostolicam admittendas esse decreuerit; propterea quòd eiusmodi causæ seu controuersiæ meritò inter maiores numerentur, quarum cognitiõ Sedi Apostolicæ reseruatur, c. maiores, de Baptismo, & c. Vt debitus, 59. de appellat. Verùm Gregor. X. ad reprimendam appellationum frequentiam, & appellantium temeritatem coërcendam, statuit, vt, si in causa Episcopalis electionis appellatum fuerit, ei appellationi non deferatur, neque negotium ad Sedem Apostolicam deuoluatur; nisi appellatio in scripto proposita fuerit, adiecta causa rationabili, quæ, si probata sit, legitima censeri debeat. Sin autem nulla causa adiecta sit, vel quæ friuola apparet, appellatio reijciatur. Sed tametsi appellationi deferatur, nihilominus liceat partibus, (nulla tamen simoniaca pactione interueniente) ab ea recedere, priusquam Apostolicæ Sedi repræsentata fuerit. Atque ipsi Iudices, ad quos causa pertinuisset, nisi appellatum fuisset, diligenter inquirant, num simoniaca prauitas interuenerit; &, si interuenisse cognoscant, nequaquam se intromittant, sed ad Sedem Apostolicam causam ablegent, præfigentes partibus peremptorium temporis terminum, intra quem cum omnibus actis, & instrumentis, Apostolico se conspectui sistere debeant.

SVMMARIVM.

1. *Non expedit, vt appellantibus ad superius tribunal facilè deferatur.*
2. *Appellans renunciare potest appellationi, priusquàm Superiori præsentata est, aut aduersario intimata.*

NOTANDVM I. Non expedit, vt ap- 1
pellantibus ad superius tribunal facilè deferatur; cùm ob eam causam lites protrahantur. Ex quo, maximè in causis beneficialibus, damna proueniunt Ecclesiis, quando Prælati, aliique ministri tardiùs prouidentur. Quamobrem moderationem quandam appellationibus statuere, æquum est, vti

etiam notaui lib. 1. Theol. moral. tract. 4. c. 7. num. 6.

2 NOTANDVM II. Appellans renunciare potest appellationi, priusquam ea Superiori præsentata est: non item postea, saltem in eiusmodi maioribus causis, vt hîc Monachus docet n. 7. & 10. Cæterùm postquam appellatio aduersario intimata est, non potest appellans absque eius consensu renunciare; nisi expensas, vel si alia de causa eius interfit, compensare velit, iuxta c. interposita, 70. §. Ille, de appellat. & docet hîc Ioan. Monachus, n. 6. §. Sed numquid.

CAPITVLVM XI.

Si fortè.

SI quis electo, postulato, aut aliter promouendo ad dignitatem, inter alia obijciat defectum scientiæ, aut corporis manifestum, seu qui facilè cognosci possit, Iudex ante omnia examini subijciat promouendum, vtrùm talis in eo defectus appareat, nécne: Atque huius rei facta discussio vel initium præbebit alijs obiectis examinandis, vel denegabit. Si enim compertum fuerit, quòd aduersarius falso obiecerit defectum, omnino à prosecutione causæ repellendus erit, vt neque in alijs audiatur, sed perinde puniatur, ac si omnium obiectorum probatione defecisset. Ita statuit Gregor. X. in eod. Concil. Lugdun. c. 10.

Ratio constitutionis est, quia ex vna parte homines proni esse solent ad impediendas prouisiones dignitatum, quas sibi ipsis, vel amicis aut consanguineis obuenire mallent: Ex altera verò parte eiusmodi causarum expeditio celeritatem desiderat, vt, quàm fieri potest, citissimè ecclesiis viduatis prouideatur. Modus autem citò expediendi causam erit iste, si Iudex ante omnia de manifesto, qui obiectus erat, defectu inquirat, etsi in eo falsitatem deprehendat, præsumptionem faciat, etiam in alijs obiectis, quorum inquisitio difficilior est, fraudem & calumniam committi; atque idcirco opponentem repellat, ac puniat, perinde ac si in omnibus calumniari voluisset. Sin autem defectum, quem obiecerat, verum deprehendat, sufficientem iam causam habebit electum, vt indignum repellendi, & efficere, vt ad aliam canonicam electionem, seu prouisionem processus fiat.

Est autem id speciale in hac causa oppugnatæ electionis, aut prouisionis: Nam alioquin aduersarius in vno obiecto deficiens, admittendus est ad probationem aliorum obiectorum, vti colligitur ex c. 1. §. adijcientes, hoc tit. Vide, quæ dixi c. 1. hoc lib. & tit.

Id QVÆRVNT hîc Ioan. Monachus n. 11. Gl. ver. initium. Quomodo intelligendum sit, quod in textu dicitur, euentum factæ inquisitionis de defectu manifesto initium daturum alijs examinandis obiectis, vel negaturum? Arbitror ita respondendum: Si facta inquisitione defectus obiectus deprehendatur, qui tamen per se solus sufficiens non sit ad infirmandam electionem aut prouisionem; tum ad alia examinanda obiecta gradus fiet. Sed etsi sufficiens sit ad infirmandam prouisionem, tamen plerumque expedit plures causas infirmationis cognoscere, vt causa tantò clarior, & minùs dubitata sit: Præterquàm, quòd Iudex seu ex officio, seu accusante aduersario procedere possit nò tantùm in causa electionis, seu prouisionis infirmandæ, sed etiam ad alias pœnas canonicas inferendas. Sin autem factâ inquisitione defectus personæ obiectus non appareat, tunc, ordinariè loquendo, aduersarius repellendus est, tanquam qui in probatione totius causæ defecerit; consequenter Reus absoluendus, saltem in ordine ad hoc iudicium. Dixi autem *ordinariè*, quia si manifestò appareat, Actorem probabili ignorantia motum obiecisse defectum, tum ad alia probanda obiecta admitti potest. Quod verò hîc dicunt Gl. & Ioan. Monachus, in casu isto, quo falsitas obiectionis manifestò appareret, Iudicem ex officio procedere posse ad alia examinanda obiecta, hoc dictum non videtur facere ad intentum Pontificis, qui hac constitutione finem vult imponi controuersiæ, si obiectus defectus contra personam, facta veritatis inquisitione, non appareat. Interim

terim tamen non negatur, (quamuis id ad propositum non faciat) quòd Iudex ex alijs indicijs, vel alio accedente accusatore, nouum processum instituere possit.

CAPIT VLVM XII.

Sciant.

PARAPHRASIS.

Excommunicationis sententiam ipso facto incurrunt, quicunque clericos, aliásue personas ecclesiasticas, ad quas in Ecclesiis, Monasterijs, aliisue pijs locis electio spectat, vel earundem consanguineos, in beneficijs, aut quibusue bonis, grauare præsumpserint, per se, vel per alios spoliando, aut aliter iniustè persequendo; propterea quòd rogati, vel moniti, vt certam personam eligant, petitioni parere noluerint. Ita Gregor. X. in eod. Lugdun. cap. 11.

SVMMARIVM.

1. *Ad censuram huius c. incurrendam requiritur 1. grauamen iniustum:*
2. *Vt illud inferatur, quia persona illa electa non fuit, pro qua rogatum seu intercessum est.*
3. *Hæc constitutio locum habet etiam in Clerico, aliáue persona ecclesiastica nolente præsentare, postulare, confirmare, instituere, ita vt qui illum propterea persequitur, excommunicationem incurrat.*
4. *Statuitur hæc pœna non tantùm in facientes, seu spoliantes, sed & in mandantes, & mandatarios exequentes.*
5. *Dum extenditur hæc pœna ad consanguineos, intelligendum est de consanguineis vsque ad quartum gradum.*

PRo declaratione huius censuræ quædam aduertenda sunt: Primum. Ad eam incurrendam requiritur grauamen iniustum. Quare si quis eleëmosynam, quam antea dare solitus erat, loco pio subtrahat, propterea quòd eius Rector noluerit instituere personam, pro qua ille rogauit, non incurritur censura, vti notauit Nauarr. in man. c. 27. n. 122.

Secundum. Necesse est vt grauamen iniustum ea de causa inferatur, quia persona illa electa non fuit, pro qua rogatum, seu intercessum est, vti colligitur ex verbis c. *pro eo quòd.* 2

Tertium. Aliquæ personæ ecclesiasticæ sunt, & tamen non Clerici, vt Moniales, Religiosi conuersi, Religiosi militares, hospitalarij.

Quartum. Quod hìc dicitur de electione, videtur exempli tantùm causa dictum, vel species vsurpata pro genere; vt proinde constitutio hæc locum etiam habeat in clerico, aliáue persona ecclesiastica, nolente præsentare, postulare, confirmare, instituere; vt qui ob eam causam illam persequitur, excommunicationem contrahat, propter omnimodæ rationis identitatem. Quæ est communis DD. sententia, Gl. ver. alios, Ioan. Monachi, n. 4. Nauar. loc. cit. Suarez de censur. disp. 23. sect. 4. n. 4. 3

Quintum. Hæc pœna statuitur non tantùm in facientes, seu spoliantes, sed etiam in mandantes spoliari. Sed dubium est, vtrùm eam quoq; incurrat mandatarius exequens. Negat Ioan. Monachus n. 3. sed magis placet sententia Gl. cit. ver. alios: quòd incurrat pœnam, cùm verè ac realiter persequatur, aut vexet, quamuis ab alio iussus. Quemadmodum si quis Clericum verberet ex alterius mandato, tam ipse, quàm mandans excommunicationem canonis contrahit, iuxta c. Vniuersitatis, 24. de sent. excommun. Si tamen talis persona sit, quæ necessitate quadam paret, vt filius, seruus, censuram hanc probabiliter effugiet, vti Ioan. Andr. hìc notauit n. 2. 4

Sextum. Quòd hæc pœna extenditur ad consanguineos personæ ecclesiasticæ, id communiter intelligitur de consanguineis vsque ad gradum quartum. Aiunt autem, nomine consanguineorum nõ posse etiam comprehendi affines, vel familiariter coniunctas personas. Quod verum est: sed bene aduertit Suarez, posse esse quasdam personas eo modo con- 5

do coniunctas, vt iniuria, vel spoliatio ipsis illata deriuetur atq; etiam intendatur in personam ecclesiasticam, eò quòd eligere recusauit personã, pro qua rogatum fuit. quo casu censura excommunicationis contrahetur.

CAPITVLVM XIII.

Generali.

Paraphrasis.

In generali Concilio Lugdunensi cap. 12. excommunicantur omnes, ac singuli, qui sub titulo regaliorum, vel custodiæ seu guardiæ, vel aduocationis seu defensionis, in Ecclesiis, Monasterijs, aliisue pijs locis, bona eorum de nouo vsurpare præsumunt: Sed & Clerici, Monachi, & reliquæ ecclesiasticorum locorum personæ, si id fieri procurent. Porrò Clericis, qui se, quatenus possunt ac debent, talia audentibus non opponunt, interdicitur ab eo tempore, ne de prouentibus earum ecclesiarum, aut locorum quidquam percipiant. At verò ij domini, qui à fundatione Ecclesiarum, aliorúmue locorum, vel ex antiqua consuetudine dicta iura sibi vendicant, ijs præcipitur, vt potestate sua non abutantur, & ab ijs, quæ ad fructus seu reditus tempore vacationis prouenientes non pertinent, se abstineant; & bona reliqua, quorum se custodiam habere asserunt, dilabi non permittant, sed in bono statu conseruent.

Svmmarivm.

1. *Vt vsurpantes de nouo bona ecclesiarum, monasteriorum, &c. sub titulo regaliorum, &c. excommunicationem incurrant, duo coniunctim requiruntur. 1. Vt aliquis regalia, ius custodiæ, vel aduocationis de nouo sibi vendicet. 2. Vt ob eum titulũ bona ecclesiæ, monasterij &c. vsurpare præsumat.*
2. *Vacante ecclesiâ laicus non potest constitui vniuersalis œconomus seu administrator bonorum ecclesiæ.*
3. *Si tamen laicus v. g. patronus vel aduocatus titulum administrationis fundatum habeat in consuetudine immemoriali, is difficilè illi auferri poterit.*
4. *Curandum autem tunc est, vt talis administratio seu perceptio fructuum non cedat in grauamen ecclesiæ.*
5. *Consuetudo Galliæ, secundùm quam ecclesiæ vacantis prouentus Rex Galliæ administrat, non mero facto, sed titulo Pontificij priuilegij niti debet.*
6. *Malè faciunt Clerici ac personæ religiosæ, & interdum etiam censuram incurrunt, si secularibus dominis, qui libertatem ecclesiasticam violant, & iura ecclesiæ vsurpant, consilio aut quauis ope faueant, aut quantum in ipsis est, non impediunt.*

Notandvm I. Ad hanc excommunicationem incurrendam duo coniunctim requiruntur: Et vt aliquis regalia, ius custodiæ, vel ius aduocationis de nouo sibi vendicet; & vt ob eum titulum bona Ecclesiæ, Monasterij, alterius ue ecclesiastici loci vsurpare præsumat. Ita docet Ioan. And. hîc, n. 1. Nauar. in man. c. 27. n. 123.

Regalia hoc loco dicũtur collectæ, nos vocamus steuras, quas Imperator titulo supremi dominij imponit, secundùm quod omnes terras Imperij, ratione feudi antiquissimi, subiectas sibi habet, vti Gl. indicat in c. tributũ caus. 23. q. 8. eáq. regalia (in c. præterea 23. de iure patron. appellãtur *regum*) inferioribus ducibus ac magistratibus in feudum dari solent.

Exinde autem infertur 1. Si terra nomine feudi, adeóque onere regali Imperatori obligata, ad ecclesiam transeat, onus simul transferri, quia res transit cum onere suo c. ex literis 5. de pignorib.

2. Hæc causa est, cur Imperator generalis quodammodò patronus censeri debeat ecclesiarum, quæ in Imperio sunt, vti ex communi docet Castaldus q. 100. videl. ratione fundi, qui ex antiquissima origine secundùm proprietatem ad Imperatorem seu regem spectabat, cùm ecclesiæ fundarentur.

Inte-

Interim tamen ius præsentandi pertinet ad eum, qui ecclesiam fundauit, quia præsentandi ius veluti fructus quidam est, qui ad vasallum pertinet, non ad Dominum. Ius custodiæ seu guardiæ dicitur, quod alicui competit ad custodiendam ecclesiam, aut Monasterium, & bona eius conseruanda, præsertim cùm Sedes vacat. Ius aduocationis, seu defensionis dicitur, quod competit patrono, vt ecclesiam defendat, & curam habeat, ne bona eius dilapidentur, aut pereant. Et hoc ius sæpe connexum est cum iure custodiæ, seu guardiæ.

NOTANDVM II. Qui ex fundatione vel antiqua & præscripta consuetudiue, sub titulo Regaliorum, custodiæ, vel aduocatiæ sibi competentis, vacantis Ecclesiæ bona administrant, & fructus tunc prouenientes accipiunt, ij excommunicationem hanc non incurrunt. Ita colligitur ex textu, & docet Nauar. loc. cit. Suarez de cens. disp. 23. sect. 4. num. 6.

Porrò ex textu isto per sensum contrarium colligit Abbas in c. edoceri, n. 9. de rescriptis, & in c. Vt præteritæ, 45. num. 8. de elect. Quòd vacante ecclesia laicus constitui possit vniuersalis œconomus, seu administrator bonorum ecclesiæ; modò spiritualibus se non immisceat, & iurisdictionem nullam in personas ecclesiasticas exerceat. Sed contrarium docet Innoc. in c. 2. de Iudicijs, argum. eius textus, & apertiùs in c. indicatum d. 89. vbi Gregor. I. Ianuario Episcopo interdixit, ne secularibus viris eiusmodi administrationem committat: Et in Concilio Trident. Sess. 25. c. 9. de reformat. prohibetur, ne patroni beneficiorum, fructuum, aut aliarum obuentionum perceptioni ex vlla causa, vel occasione se ingerant.

Aduerto tamen, cùm hic titulus administrationis in temporalibus, tempore vacatis prælaturæ, aut beneficij absolutè cadat in laicum; v. g. ecclesiæ patronum, vel aduocatum ideo difficilè illi auferri posse, si in consuetudine immemoriali fundatus sit, vti non obscurè colligitur ex textu isto, qui si non approbat, saltem tolerat eiusmodi consuetudines. Bene tamen admonent Gl. & Ioannes Monachus hîc, num. 9. quòd ea administratio, seu perceptiò fructuum non debeat cedere in grauamen ecclesiæ. Quamobrem inprimis curam habere debent patroni seu aduocati, qui tale sibi ius vendicant, vt bona vacantis ecclesiæ non alienentur, vel distrahantur; atque in huius rei testimonium rerum præsentium inuentarium conficere eos oportet, vti Ioan. Andr. hîc notauit. Deinde abstinere debent à perceptione fructuum, qui maturi non sunt, seu quorum percipiendorum tempus nondum aduenit: cuiusmodi etiam syluæ cęduæ, ait Gl. hîc, quæ tempore vacationis non sunt in eo statu, vt cędi debeant. Denique fructus, & reditus, qui eo tempore prouenium, successori in beneficio, aut prælatura seruari debent, iuxta c. vlt. de offic. Ordin. in 6. Neq; potest aduocatus, vel ius custodiæ, administrationisue habens, eos sibi accipere, nisi sint modici, ac moderati, quando antiqua consuetudo ita obtinet, vel tales moderati prouentus in literis fundationis patrono reseruati sint, iuxta c. præterea, 24. de iure patronatus, & docet hic Ioan. Monachus, n. 9. Vbi addit, non valere consuetudinem, quamuis immemorialem, vt fructus omnes, etiam copiosi, ecclesiæ vacantis à patrono vel administratore (præsertim laico) absumantur: cùm talis consuetudo ecclesiæ damnosa sit, ideóque præualere non possit, iuxta c. 1. eod. in 6. Quare quod Ioan. Andreas hic num. 4. Ioan. Chokier in regul. 1. Cancell. n. 13. & alij testantur de consuetudine Galliæ, secundùm quam vacante ecclesia Episcopali, vel Archiepiscopali, Rex ecclesiæ vacantis prouentus liberè administrat, & collocat, ipsaque beneficia interim, quibus vult, cõfert, ea, inquam, consuetudo non mero facto, sed titulo Pontificij priuilegij inniti debet, vt Chokier ibid. notauit.

NOTANDVM III. Malè faciunt Clerici, ac personæ religiosæ, imò interdum censuram incurrunt, si secularibus dominis, dum ecclesiasticam libertatem violant, & iura ecclesiæ vsurpant, consilio aut quauis ope faueant, aut, quantum in ipsis est, impedire intermittant. Ita colligitur ex textu, & annotasse videtur Ioan. Andr. n. 1. & 2.

CAPI-

CAPITVLVM XIV.

Licet canon.

PARAPHRASIS.

In Concilio gẽnerali Lateranensi sub Innocentio III. editus est canon, *Cùm in cunctis*, qui est 7. de elect. In eo cautum erat, vt nemo ad ecclesiam parochialem promoueretur, nisi xxv. ætatis annum attigisset, & scientiâ, ac moribus commendatus esset: sed & quòd promotus tempore cõstituto post monitionem sacerdotium suscipere deberet. Sed quia constitutio hæc à quibusdam negligentiùs obseruabatur, eam renouat, & ampliùs corroborat Gregor. X. in Lugdunensi Concilio cap. 13, statuens primò, Vt promotio alicuius ad ecclesiam parochialem, qui dictam ætatem assecutus non est, ipso iure irrita existat. Secundò: Vt parochialem ecclesiam legitimè assecutus, in ecclesia sua personaliter residere teneatur. Tertiò: Vt intra annum à die suæ promotionis numerandum sacerdos fieri debeat; alioquin, post elapsum annum, si sacerdotium non susceperit, ipso facto priuatus existat. Super residentia tamen poterit Ordinarius, videlicet Episcopus, aut simili iurisdictione præditus, ad tempus benè dispensare, prout rationabilis causa postulauerit. Consentit his Trident. sess. 24. c. 12. de reformat. c. extirpandæ, 30. §. Qui verò, vbi Abb. not. 1. de præb.

SVMMARIVM.

1. *Omne beneficium curatum censetur ecclesia parochialis, ad cuius regimen 24. anni completi in parocho requiruntur.*
2. *Tempus, in quo Episcopus super residentia dispensare potest cum eo, qui habet curatum beneficium, est nouo iure annuum, longius in casibus iure expressis, quorum præcipuus est ob causam studiorum.*

QVæ circa hoc c. dici possent, pleraque explicata sunt in cit. c. cùm in cunctis, & explicabuntur infrà in c. cùm ex eo, 34. & seq. hoc tit. & lib. Hîc autem duo quæri possunt: Primum. Quænam censeri debeat Ecclesia parochialis, ad cuius regimen xxiv. anni completi requiruntur. Respondeo ex Concil. Trident. cit. c. 12. Esse omne beneficium curatum, id est, cui cura animarum per se incumbit, licèt alioquin sit personatus seu dignitas. Nota autem, quòd dico *per se*: Quia si canonicatui v. g. aut præposituræ, quæ per se curata non est, vnita seu incorporata sit ecclesia parochialis, conferri illa potest minorem ætatem habenti; v. g. præpositura ei, qui xxii. annos compleuit, vti Cardinales declararunt super cit. cap. 12. Ratio est: Cùm enim beneficium vnitum accessorium sit principali, ideo attenditur ad naturam & conditiones beneficij principalis, nõ accessorij, yti etiam dixi lib. 4. Th. mor. tr. 2. c. 9. n. 2.

Alterum quæsitum: Quodnam censeri debeat tempus breue, in quo Episcopus super residentia dispensare potest cum eo, qui curatum beneficium adeptus est. Respondeo: Cùm iura hæc non decernant, boni viri arbitrio relinquendum esse, secundùm exigentiam rationabilis causæ, seu necessitatis. Sed id nouo iure definitum esse videtur in Concil. Trident. sess. 7. c. 12. *Facultates de nouo promouendo, præterquam in casibus iure expressis, concessæ, ad annum tantùm suffragentur.* Casus autem, in quo maius tempus concedi potest, præcipuus est ob causam studiorum, expressus in cit. c. cùm ex eo, & notauit Gl. margin. super cit. c. 12. sess. 7. Trident. Concilij.

CAPITVLVM XV.

Nemo.

PARAPHRASIS.

Idem Gregor. X. hoc can. (qui in Lugduni Concil. decimus quartus est) tria præcipit circa parochialium ecclesiarum commendas: Primum. Vt ecclesia parochialis nemini commendetur, nisi legitimam ætatem assecutus, videl. annum xxv. ingressus sit, & in sacerdotio constitutus. Alte-

Alterum. Vt non nisi vna commendetur, idque si euidens necessitas, aut vtilitas ecclesiæ exigat. Tertium. Vt commenda vltra sex menses non duret. Adijcitur autem, quicquid secùs actum fuerit in ecclesiarum parochialium commendis, ipso iure irritum esse.

SVMMARIVM.

1. *Parochialis ecclesia non commendari debet, nisi ob necessitatem, vel vtilitatem ecclesiæ.*
2. *Et tali non nisi vna commendari potest.*
3. *Ordinariè etiam non vltra sex menses.*
4. *Dubijs & difficultatibus circa commendas occurri solitis satis prospexit Trident. Concil. sess. 24. c. 18. de reformat.*

1 NOTANDVM I. Commendæ ab Episcopis, & similibus Prælatis fieri non debent, nisi ob necessitatem, vel vtilitatem ecclesiæ; vt eam commendatarius interim custodiat & administret, donec idoneus ei pastor prouideatur. Quamuis autem is, cui ecclesia ad tempus commendata est, titulum beneficij non habeat, plus tamen iuris obtinet, quàm merus administrator, aut custos: quippe cùm, spectata saltem consuetudine, permittatur Commendatario, vt fructus beneficij interim percipiat, & annexis beneficio iuribus vtatur; cùm & labores parochiales sustineat. Ita docet hic Ioan. Monachus num. 3.

2 NOTANDVM II. Sicut nemo potest duas ecclesias curatas habere in titulum, absque Papæ dispensatione; ita nec duas in commendam: sed vnam intitulatam, & alteram commendam temporalem nihil obstat eundem obtinere, iuxta c. dudum, 54. extrà, hoc tit. & notat hìc Gl. ver. vnam.

3 NOTANDVM III. Ordinariè Episcopus non potest alicui parochialem ecclesiam dare in commẽdam vltra sex menses: quamuis possit ad tempus minùs; sicuti & ante sex menses reuocare, saltem ex causa. Cùm enim commenda temporalis non in vtilitatem personæ fiat, sed in solius ecclesiæ vtilitatem; ideo huius tantùm ratio habenda est, ita tamen vt Commendatarius damnum non patiatur; aut aliter id ipsi compensetur. Videri potest Azor tom. 2. lib. 6. cap. 31. q. 6. §. Quæres. Porrò licèt ordinariè, vt dixi, Episcopus nõ possit tempus semestre prorogare, vti bene tradit hìc Gl. ver. durare; secùs tamen dicendum videtur, si necessitas ecclesiæ prorogationem commendæ postulet; Vt quia intra sex menses idoneus Pastor, seu Rector haberi nequit, aut quia Pastor ordinarius longiore tempore abesse debet. Deinde Capitulum commendam prorogare poterit, si accidat sedem Episcopalem vltra sex menses vacare, sicuti notauit Azor cit. c. 31. quæst. 3. Porrò his difficultatibus, ac dubijs, quæ circa commendas occurrere solent, satis prospectum est in Concilio Trident. sess. 24. c. 18. de reformat. quod etiam in plerisque apud nos ecclesiis seruatur; Vt in eiusmodi casu, quo ecclesiæ Parochialis pastor absens est, vel parochia vacante idoneus Rector statim instituì nõ potest, interim Vicarius congrua ei assignata redituum portione deputatur, qui onera ecclesiæ sustineat. Videri potest Ioan. Gallemart in declarat. Cardinal. prætermissis, Sess. 6. de confirmat. c. 3 ver. commendæ perpetuæ, fol. 683. 4

CAPITVLVM XVI.

Cupientes.

CONtinet hæc constitutio tum confirmationem c. quàm sit, suprà, eod. lib. & tit. tum quasdam ad eam adiectiones. Inprimis enim decreuit Gregor. X. in cit. c. Vt electores, quam primùm commodè fieri potest, electionem præsentent electo, an consensum præbere velit: Huic decreto adijcit Nicolaus III. in ista constitutione, §. Cæterùm, vt, si electores vltra octo dies ex eo tempore numerandos, quo commodè potuerunt electionem electo intimare, distulerint, à prosecutione electionis quoad suas personas excluſi sint, & à beneficijs eius ecclesiæ per triennium suspensi; quòd si in ea propria auctoritate se ingesserint, in perpetuum priuati existant.

Secundò decreuit Gregor. X. vt electus intra mensem à die præsentationis computandum, consensum adhibere teneatur, nisi recusare velit. Huic Nicol. III. id solùm explicationis gratiâ adijcit, huius mensis computationem faciendam etiam esse à tempore, quo electio non quidem à Capitulo præsentata est electo, sed ea aliter in eius notitiam peruenit.

Tertiò decreuit Gregor. X. vt electus intra tres menses, post præstitum consensum, confirmationem petere teneatur. Hanc partem Constitutionis Gregorianæ, quod attinet ad ecclesias Cathedrales, & regulares, quę Sedi Apostolicæ immediatè subiectæ sunt, immutat Nicolaus III. statuens, vt electus post consensum præsentationi præstitum, vel, si præsentatio tempore debitò facta non sit, post habitam notitiam electionis, intra vnum mensem iter arripiat ad Sedem Apostolicam pro petenda confirmatione. Finito autem eo mense, considerandum erit tempus, quo spectatâ locorum distantiâ Romam accedere electus potuisset; atque insuper ad tempus istud viri boni arbitrio æstimandum, adijciuntur viginti dies, intra quos si personaliter (nisi ob magnam loci distantiam priuilegio, aut consuetudine præscriptâ remissio facta sit) non aduenerit; aut, si iustè impeditus sit, procuratorem seu Nuncium non miserit, aut si is intra dies quindecim post dictos viginti numerandos plenam fidem non fecerit de impedimento, tum electus omni iure, si quod habet, priuatus existit; nisi talia impedimenta interuenissent, quæ ad declinationem pœnæ huius Iudici sufficientia videantur. Probare autem electus debet impedimentum personalis aduentus sui, & nihilominus, eo impedimento cessante, personaliter comparere; alioquin amittit ius suum, vti habetur in §. Insuper. Atque hæc de electo. Quòd verò ad electores attinet, ij duas personas ex Capitularibus sufficienter instructas ad Sedem Apostolicam mittere debēt; & quidem expensis prælaturę, si bona eius à bonis Capituli diuisa sint: Sin verò communia, ex eisdem, vel si non suppetant, aliunde à Capitulo prouisis. Quòd si verò accidat, electionem in discordia fieri tum electus, vel electi (quo casu diuersarum electionum, ex vtraque parte Capitulares duo mittendi sunt) expensas sustinere debebunt; idque sub pœna priuationis, nisi eos inopia excuset. Vide quæ dixi in c. vt præteritæ, 45. extrà, hoc tit. Si autem electores dictas personas, vel saltem, si eæ impeditæ sint, procuratorem sufficienter instructum non miserint, patientur pœnam.

Atque hæc, quæ dicta sunt, ferme similiter locum habere debent in causis electionum, in quibus ad Sedem Apostolicam appellatio conceditur, iuxta c. 1. eod. lib. & tit.

Ad extremum adijcit Nicol. III. in postulatione quędam obseruanda esse, quæ de electione suprà dicta sunt; nisi aliquis postuletur, qui antea ecclesię alicui alligatus sit; tum enim iura antiqua obseruari debent: In duobus præterea causam postulationis diuersam esse, notum est: Videl. Quòd postulatus consensum postulationi præbere non debeat: & quod ad ipsum non pertineat expensas facere, sed ad postulantes, tametsi postulatio in discordia facta fuerit. Vtrùm verò postulantes, eligentes, aut electi repetere possint expensas, quas fecerunt, id ex æquitate & præscripto aliorum canonum iudicandum erit. Vide quæ dixi suprà in cit. c. Vt præteritæ.

CAPITVLVM XVII.

Fundamenta.

SVMMARIVM.

1. *Constantinus Imperator Lateranense suum palatium, ipsámq; vrbem Romam Syluestro I. & eius successoribus donauit.*
2. *Hanc donationem Constantinianam certam esse suis publicis diplomatibus Frãci Reges professi sunt.*
3. *Nullus Imperator, Princeps, aut alius notabilis præeminentiæ vel potentiæ debet eligi in senatorem aut Rectorem vrbis.*
4. *Excipiuntur, qui originem ex Vrbe Romana*

mana trahunt, vel perpetuam habitationem ibi habent, vt ad annum vel tempus breuius eligi possint.

LEO III. huius Constitutionis Auctor, inprimis præfatur, quomodo Christus Dominus B. Petrum Apostolum supra reliquos Apostolos honorârit, vt & ipsorum, quippe omnium Christi sequacium, caput constitueretur, & quidem ita, vt talis summa potestas in successoribus eius semper duratura esset. Sed & idem Saluator illi B. Paulum socium in Gentium Apostolatu adiunxit: Per vtriusque autem doctrinam, atque mortem gloriosam Vrbs Romana resplendet.

NOTANDVM I. Iurisdictio ecclesiastica à summo Pontifice veluti totius Ecclesiæ Capite in reliquos Episcopos, atque ecclesiæ Pastores conueniente ordine, ac subordinatione deriuatur, secundùm Christi voluntatem, & institutionem. Ita colligitur ex hoc c. & explicaui latè lib. 2. tract. 1. c. 6. §. 1. & c. 7. §. 2. Veruntamen ipsos Apostolos non à B. Petro, sed à Christo ipso Apostolatum, & iurisdictionem in omnem ecclesiam, quamuis cum subiectione ad Petrum, accepisse, certum est.

1 Deinde subiungit idem Leo III. Quomodo diuinâ prouidentiâ factum fuerit, vt Constantinus Imperator post Christi fidem ac baptisma suceptum Lateranense suum palatium, ipsámq; Vrbem Romanam Syluestro I. Vrbis Romæ Episcopo, & successoribus eius donârit, ipse in Orientem discedens, Byzantij (quæ postea Constantinopolis, & noua Roma dicta est) sedem Imperialem construens.

2 Porrò de hac donatione Pontifici facta ab Imperatore dubitari non debet; cùm constet, longè ante tempora Caroli magni dominia Vrbis Romanæ ad Pontificem pertinuisse: quandoquidem Franci Reges, inprimis Carolus Magnus ea à Longobardis inuasoribus erepta, Romanæ ecclesiæ se restituere, publicis diplomatis professi sunt: Neque vllum in antiquitate vestigium apparet, quòd ea terra alio modo ad Pontificem Romanum, nisi ex Constantini liberalitate prouenerit. Cæterùm edictum quod to. 1. Conciliorum insertum est de Constantini donatione, cuius etiam in hac Nicolai constitutione mentio fieri videtur, à Græcis falsatoribus profectum, fidem non meretur: cùm plura in eo cõtineantur, quæ apertæ falsitatis conuinci possint, vti bene ostendit Seuerinus Binius to. 1. Concil. vbi de donatione Constantini, fol. 250. 254.

Præmissis præfationibus, Papa aperit propositum suum esse, vt Vrbs Romana tum religione, tum temporali potestate adeò eminens, perpetua quiete fruatur, & vt ipse Pontifex atque Cardinales securè conuenire, & quæ quouis tempore expedire videantur, absque cuiusque impeditione, liberè decernere possent. Ad hoc consequendum, om- 3
némque oppressionem à populo Romano amouendam, statuit, vt imposterum sine speciali Sedis Apostolicæ licentia in literis obtenta, nullus Imperator, Rex, Princeps, Marchio, Comes, aut Baro, aut eiusmodi potentis personæ frater, filius, aut nepos, in Senatorem, aut Rectorem Vrbis eligatur; alius verò quilibet non vltra annum ad tale officium assumatur. Alioquin electio, & omnia acta, eiusmodi promoti ipso iure irrita sint, ipsíque tam electores, seu promotores, eorundémque auxiliatores, & fautores excommunicationem latæ sententiæ Sum. Pontifici reseruatam incurrant: Sed & electi, seu prouisi excommunicationem eandem contrahant: insuper tum ipsi, tum eorum posteri omnibus feudis, ac quibusuis gratijs, quas à Romana, aut alijs ecclesiis consecuti sunt, ipso facto priuati existant.

Excipiuntur tamen, qui ex Vrbe Romana 4
originem trahunt, vel perpetuam habitationem habẽt, vt ad annum, vel tempus breuius eligi possint; tametsi dictorum potentium personarum fratres, aut filii, aut nepotes existant: Imò tametsi & ipsi comitatum, baroniam aut similem iurisdictionem temporalem extra vrbem & territorium eius possideant; dummodo non tantæ potentiæ sint, vt spectato fine huius Constitutionis, sub ea meritò comprehendendi censeantur.

CAPITVLVM XVIII.

Quamquam.

SVMMARIVM.

1. *In Cathedralibus ecclesiis Canonicis iure eligendi priuatis ius eligendi deuolnitur ad Papam, præterquàm in casu negligentiæ, intra tres menses ad electionem non procedentis.*
   In inferioribus ecclesiis deuoluitur ad proximum Superiorem.
2. *Canon correctorius iuris antiqui non est extendendus vltra casum expressum.*

DIscrimen est, quoad ius deuolutionis inter ecclesias Cathedrales, & alias inferiores, siue regulares sint, siue seculares; quòd in his, si Capitulum quacunq; ex causa eligẽdi facultate priuatum sit, eligendi potestas ad proximum Superiorem deuoluatur: At verò in Cathedralibus distingui debet, vtrùm priuatio accidat propter eligendi negligentiam, siue si Canonici Cathedrales intra tres menses eligere intermittant, tum electio deuoluitur ad proximum Superiorem eius ecclesiæ, videl. ad Metropolitanum: sin autem ob aliam causam eligendi potestate priuati sint, vt quia indignum elegerunt, vel formam electionis vitiarunt, tum deuolutio fit ad Papam. Ita hîc respondit Bonifacius VIII. Pontifex. 1

Pro maiore intellectu aduertit hîc Gl. ver. deuoluetur; Secundùm antiquum ecclesiæ morem prouisionẽ Episcoporum, & Archiepiscoporum spectare ad Sum. Pontificem, vti colligitur ex c. 1. d. 22. c. porrò, 4. c. Salonitanæ 24. d. 63. c. pastoralis 7. q. 1. Inferiorum autem ecclesiarum Prælatos, nisi specialiter exempti sint, ab Episcopis instituti: Ita tamen, vt secundùm eosdem sacros canones, electio Prælati ad cuiusque ecclesiæ Collegium, seu Capitulum spectet, vti dixi in c. 1. extrà hoc tit. Quare mirum non est, si Capitularibus ob quamcunque causam eligendi iure priuatis, institutio Prælati ad eum Superiorem deuoluatur, ad quem de iure confirmatio eius pertinet; videl. Si Cathedralis ecclesiæ Canonici priuati sint, ad Sum. Pontificem; Sin verò Capitulares inferioris non exemptæ ecclesiæ priuentur, deuolutio fiat ad Episcopum. Et ita absque discrimine obseruatum fuit etiam tempore Innoc. III. qui in c. dilectus 12. de concess. præbendæ, respondit, irritam esse prouisionem Episcopi, quam Metropolitanus attentauit, quasi ad ipsum propter negligentiam Capitularium potestas deuoluta sit, cùm talis deuolutio ab ecclesia Cathedrali ad sedem Apostolicam fiat.

Verùm postea in Concilio Lateranensi sub eodem Innoc. can. 23. quod est, c. ne pro defectu, 41. extrà hoc tit. concessum fuit, vt etiam à Cathedralibus ecclesiis ad Metropolitanum deuolutio fiat ob negligentiam Capituli intra tres menses ad electionem non procedentis. At verò in alijs casibus Capituli priuati seruari debet ius antiquum, vt non ad Metropolitanum, sed statim ad Papam ius eligendi deuoluatur. Et hæc est mens istius Constitutionis *quamquam*. Circa textum huius c. duo notanda occurrunt:

I. Quòd canon correctorius iuris antiqui non est extendendus vltra casum expressum, vti etiam habetur l. præcipimus, in fine C. de appellat. Nam in cit. c. ne pro defectu, contra ius antiquum fuit constitutum, vt in casu negligentiæ etiam in Cathedralibus ecclesiis deuolutio fieret ad immediatum Superiorem, videl. Metropolitanum: Id verò extendendum non esse ad casus alios priuationis, respondit hîc Bonifacius VIII. 2

II. Si electores indignum eligant, ipso iure priuati sunt ea vice; atque ius eligendi ad alios è Capitulo, qui electioni non consenserunt, deuoluitur: Sin autem formam electionis non obseruent, per sententiam Superioris priuandi sunt. Quare cùm electio in hoc casu irrita non sit, possunt electores, antequam per sententiam priuentur, ad aliam canonicam electionem accedere.

CAPI-

CAPITVLVM XIX.

Is cui.

SVMMARIVM.

Appellans contra electionem, postulationem, aut prouisionem, tenetur iurare, quòd credat vera esse, quæ obiecit, & se probare posse; aliàs nisi ita iurauerit, omnino repellendus est.

GRegor. X. in c. Vt circa 4. hoc lib. & tit. decreuit, vt appellans contra electionem, postulationem, aut prouisionem, teneatur iurare, quòd credat omnia à se obiecta vera esse, & à se probari posse. Sed cùm aliqui malè interpretantes hanc cõstitutionem, dicebant sufficere, si actor iurârit, se credere vera esse obiecta, & à se probari posse, saltem ea, quæ sufficiant ad causæ suæ victoriam, seu vt electio infirmetur; Hanc interpretationem reijcit Bonifacius VIII. aitque iurandum esse, sicuti Gregor. X. præscripsit, quòd credat vera esse, quæ obiecit, & se probare posse: alioquin nisi ita iurauerit, omnino repellendum esse.

Ratio, cur ita statuerit Gregor. X. ea est, quam affert Gl. ibi: quia intentio illius fuit Actoris calumniam reprimere, atque punire, quæ vno etiam obiecto falso committi potest, atque mereri, vt tota accusatio reijciatur.

NOTANDVM Vn. A verbis legis alteriusue dispositionis recedendum non est, nisi manifestum sit, aliud sensisse disponentem, c. ad audientiam, 12. de decimis, l. non aliter, 69. ff. de legatis 13. l. 1. §. Si is qui, ff. de exercitoria actione, vbi dicitur, quòd in re dubia melius est verbis edicti seruire.

CAPITVLVM XX.

Qui contra.

SVMMARIVM.

Qui contra personam non tantùm electam, vel postulandam, sed etiam eligendam, aut postulandam appellat, ne eligatur, debet omnia obiecta in scripto exprimere, & iurare, se credere ea vera esse, nec calumniam inferre.

DUbitatum fuit circa constitutionem c. Vt circa; Quòd ibi inter alia dicitur, si quis contra personam electi aut postulati appellet, quòd omnia obiecta in scripto exprimere, & iurare debeat, se credere ea vera esse, &c. alioquin non audiendus sit, sed penitus repellendus, Vtrùm, hæc constitutio locum etiam habeat, si electio, vel postulatio non facta, sed facienda sit; adeóque si appellet non contra personam electam, sed eligendam, seu ne talis eligatur. Respondet Bonifacius VIII. affirmandum esse, si contra personam certam appelletur, ne v. g. Titius eligatur, vel postuletur.

Quòd hæc vera sit interpretatio, colligitur ex contextu cit. c. Vt circa: Quando enim duo in iure æquiparantur, tum statutum de vno debet etiam censeri de altero statutum, vti docent DD. in l. si quis seruo, 20. Cod. de furtis: Atqui electio, postulatio, prouisio in isto negotio appellationis moderandæ æquiparantur, vti patet ex cap. 1. & c. vt circa, hoc lib. & tit. Ergo cùm in cit. c. vt circa, expressum fuerit, non tantùm de prouisione facta, sed etiam facienda accipiendum esse, idipsum similiter intelligi debet de electione, ac postulatione, sicuti Gl. ibi annotauit ver. facienda. Accedit, quòd siue electio facta, siue facienda sit, eadem sit ratio constitutionis, ne calumnia inferatur personæ, contra quam appellatur, nisi obiecta in scripto exprimantur, addito iuramento tum de veritate dicenda, tum de calumnia non inferenda.

CAPITVLVM XXI.

Sicut.

SVMMARIVM.

Si per formam compromissi proceditur ad electionem per vnum facienda est electionis promulgatio, perinde vt fit, quando proceditur per formam scrutinij.

QUæsitum fuit ex Bonifacio VIII. quòd in c. quia propter, decretum fuit, si per formam scrutinij ad electionem procedatur, necessarium esse, vt ab vno communis electio fiat; hoc ipsum etiam obseruari debeat, si per formam compromissi procedatur ad electionem, vt ea ab vno nomine communi promulgetur; *Ego nomine meo, & aliorum mihi consentientium eligo Titium*; alioquin electio per compromissum irrita sit. Ad hanc quæstionem respondet Pontifex affirmatiuè: nihil obstante, quòd ciuili l. Item si vnus, 17. §. Item si plures, ff. de receptis, qui arbitrium &c. statutum reperiatur, vt nunquam vnus ex pluribus arbitris sententiam dicere cogatur, sed vnus aut nullus.

Probatur hæc responsio, ac interpretatio Bonifacij: Nam vbi eadem omnino est ratio, idem ius censeri debet. Ratio autem vnica, cur canones velint, electionem ab vno, nomine collectiuo promulgari, ea est, quia electio est vnius Capituli: Ergo decens est, vt ab vno fiat vice Capituli, seu tanquam repræsentante totum Capitulum. Atqui hæc eadem ratio etiam locum habet in compromisso: quandoquidem Capitularis eligendi potestas in compromissarios translata est, ita vt & ipsi vice totius Capituli aliquem eligere debeant, sicuti apertè dicitur in cit. c. quia propter. Atque applicari huc potest reg. communiter tradita: Quod subrogatum imitatur naturam eius, in cuius locum subrogatur.

Cur autem secùs dicendum sit de iudicibus delegatis, atque arbitris; quòd oporteat omnes sententiam, vel arbitrium pronunciare, aut saltem vnus nomine omnium, sed in plurali numero; *Nos ita censemus*, iuxta c. cùm ab vno, 4. de sent. & re iudicata in 6. causa huius est, quia iudicibus delegatis, ipsisque arbitris causa committitur, non vt Collegio, sed vt singulis, arg. l. duo ex tribus, 39. ff. de re iudicata, ibi; *Omnes iudicare iussi sunt*. At verò electio à Capitulo, seu Collegio fieri debet: Ergo id etiam verbis significandum esse, canones voluerunt.

CAPITVLVM XXII.

Statutum.

SVMMARIVM.

Si intra annum adeptus ecclesiam parochialem sacerdos promotus non fuerit, quamuis nulla præcedente monitione, iure, quod habebat ad ecclesiam illam, priuatus efficitur. Secùs est, si ecclesia parochialis sit simul collegiata.

IN c. cùm in cunctis, sub Innoc. III. statutum fuit, vt, quicunq; dignitatem vel personatum cum cura animarum, aut parochialem ecclesiam consecutus esset, teneatur tempore constituto post monitionem sacerdotium suscipere; alioquin priuandum esse. Huic verò constitutioni postea adiecit Gregor. X. in c. licet canon, vt, nisi is qui parochialem ecclesiam assecutus fuit, intra annum à die promotionis sacerdotium susceperit, ipso facto, absque alia sententia, priuatus existeret. Sed ponamus, aliquam esse ecclesiam parochialem, quæ simul sit Collegiata; ita vt Præpositus eius Collegiatæ ecclesiæ sit etiam Parochus, seu Rector plebis, quæritur, vtrùm in eo locum habeat Constitutio Gregor. X. ita vt si intra annum post adeptam ecclesiam illam sacerdos promotus non fuerit, quamuis nulla præcedente monitione, iure, quod habebat ad ecclesiam illam, priuatus existat. Ad hoc dubium negatiuè respondet Bonifacius VIII. huius c. auctor.

Rationem huius responsionis ipsemet Bonifacius indicat: Cùm in materia pœnali, aut odiosa stricta interpretatio facienda sit, iuxta iuris reg. 16. & 46. hoc lib. ideo nomine ecclesiæ parochialis in pœnali illa Constitutione non censetur comprehensa ea parochialis, quæ simul est Collegiata, propter specialem eius qualitatem. Simili ratione communiter dici solet, quòd in materia odiosa nomine clericorum nō comprehendantur Episcopi, neque Religiosi: quia licèt & ipsi Clerici sint, tamen specialem qualitatem habent, ob quam communi Clericorum nomi-

ne in

ne in materia strictæ interpretationis comprehendi non debeant. Id verò intelligi debet in dubio: &, nisi ex materia dispositionis, aut adiunctis aliud manifestò appareat.

Obijciet aliquis: Si alicuius ecclesiæ Præpositus, sit etiam ibi Canonicus, vel Capellanus, tum statuta pœnalia & onerosa, quæ de Canonicis aut Capellanis lata sunt, etiam in Præpositum cadunt, quatenus & ipse Canonicus, vel Capellanus est: Ergo similiter si aliquis Collegiatæ Ecclesiæ Rector, sit etiam Parochus, statuta onerosa lata in Parochos, etiam in illo locum habebunt, quatenus & ipse Parochus est. Respondeo, hæc vera esse, si præpositura & canonicatus, seu Capellania diuersa beneficia censeantur: atque simili modo, si alicuius Collegij Rectori cum Pontificia dispensatione super beneficiorum pluralitate &c. parochialis ecclesia de nouo conferatur, eo casu locum habebit dispositio c. licet canon. Nos autem versamur in casu, quo eadem ecclesia simul est Collegiata, & Parochialis; ita vt idem Rector Collegij, eo ipso etiam Parochus existat; tum dicimus attendêdum esse ad naturam principalis, vid. ecclesiæ collegiatæ, & secundùm hanc etiam accessorij, videl. parochialis ecclesiæ conditiones & requisita regulanda esse.

Ad extremum duo aduerte: Vnum est: Duobus modis fieri potest, vt Rector ecclesiæ Collegiatæ sit etiam Rector parochialis: Primus: Si ecclesia parochialis eleuetur in Collegiatam, quia priùs regebatur ab vno Parocho habente Cooperatores; nunc autem regitur à Rectore habente Collegium Canonicorum. De hoc vide in c. ex parte, 4. de Sepulturis. Secundus modus est per vnionem ecclesiæ parochialis ad Collegiatam: qua de re dixi lib. 4. tr. 2. c. 9. n. 2. Vtroque autem horum modorum parochialis ecclesia veluti amittit naturam suam; & induit naturam & conditiones Collegiatæ, tanquam principalioris.

Alterum. Specialiter constitutum esse in Clement. Ne in agro §. cæterum, de statu Monachorum, quòd Conuentualis seu Regularis ecclesiæ Rector, qui ibi appellatur Prior Conuentualis, intra annum à die promotionis ac possessionis sacerdotium suscipere debeat: alioquin ipso iure prioratu priuetur.

CAPITVLVM XXIII.

Si cui.

Paraphrasis.

Capitulares compromiserunt in Titium tali forma, vt ipse secretò ac sigillatim exquisitis voluntatibus singulorum, atque in scriptum redactis, eum eligeret, in quem maior pars comparatione aliarum partiũ consenserit: Erant autem duodecim v. g. Capitulares; sex eorum consenserunt in Caium, quatuor in Sempronium, duo reliqui in alium; Titius Compromissarius exceptis his suffragiis, & in scriptum redactis, elegit Titium; hæc electio à Bonifacio VIII. pronuntiatur esse irrita, quia facta sit contra formam c. quia propter, in qua requiritur, vt pars maior totius Capituli in eundem consenserit.

Svmmarivm.

Si Compromissarius, secundùm traditam sibi formam, vt secretò & singulorum voluntatibus in scriptum redactis, illum eligat, in quem non maior pars Capituli, sed plures, aliorum comparatione, consenserint, irrita est electio.

VT appareat ratio decisionis huius c. obijcitur contra eam: Capitulares communi omnium consensu in vnam personam, v. g. Episcopum compromittere possunt, vt ipsis Pastorem idoneum nominet, quem recipere teneantur, vti habetur in c. causam, §. extrà, hoc tit. Ergo etiam communi omnium consensu compromittere possunt sub hac forma, vt in quem maior pars comparatione aliarum partium consenserit, is in Prælatum eligendus sit. Respondeo cum Ioan. Monacho hic n. 2. negandam esse conseq. Quia in priore casu Capitulum transfert à se potestatem eligendi, atque vni soli committit: iure concessum est, saltem si talis potestas

testas committatur Superiori, qui & confirmandi potestatem habet: Nam id solùm excit. c. causam, probari potest; quamuis Gl. communiter recepta in c. quia propter, ver. viris, generaliùs intelligat. At verò in casu huius c. Capitulum non transfert à se eligendi facultatem, sed personam vnam, aut plures constituit, quæ suffragia secundùm formam c. quia propter excipiant, in scriptum redigant, ac postea eligant: Consequèter seruari debet forma electionis ibi præscripta; videl. vt maior pars Capituli in eundem consenserit; Imò verò etiam requiritur, vt sit sanior, iuxta c. cùm expediat, 29. hoc lib. & tit. Quare opus quoque est, vt publicatio, & collatio aliqua suffragiorum fiat, vti notat Ioan. Andr. in cit. c. cùm expediat, n. 2.

Sed quæres primò: Vtrùm suprà dicta electio facta à Compromissarijs de eo, in quem maior pars Capitularium cõparatione aliarum partium consensit, consistat saltem in ijs electionibus, quæ fieri non debent secundùm formã c. quia propter: vt si ecclesiæ Collegiatæ Præpositus iurisdictionem ordinariam ac generalem nõ habens eligẽdus sit. Ita affirmat Gl. hîc ver. Concilium; sed arbitror esse negandum: Quia, vt paulò antè dixi, id commune est omni electioni canonicę, imò omni decreto, quod à Collegio seu Capitulo procedit, vt in illaid pars maior totius congregati corporis consenserit.

Quæres secundò. Vtrùm hac forma compromitti possit in viros idoneos, v. g. septem, vt in quem pars maior compromissariorum comparatione aliarum partium consenserit, is in Prælatum eligatur. Respondeo: Nequaquam. Quia id, secundùm canones & ecclesiæ praxin, commune est omni electioni Capitulari, seu Collegiali, vt rata non sit, nisi in eam saltem maior pars consenserit: Atqui electio per compromissum est etiam Capitularis; cùm fiat nomine Capituli, seu vice Capituli concedentis potestatem. Ergo, &c. Quare huc accommodari etiam potest iuris reg. 79. in 6. *Nemo potest plus iuris in alterum transferre, quàm ipsi competere dignoscatur.* Vide quæ dixi suprà in c. sicuti, 21. hoc lib. & tit.

CAPITVLVM XXIV.

Quorundam.

SVMMARIVM.

1. *Religiosus Ordinis mendicantium nullum ius acquirere potest ex electione aut postulatione in discordia facta ad prælaturam extra Ordinem suum; nec consentire poterit, etiam de Prælati licentiâ.*
2. *Idem est de electione facta à minori parte ad quamlibet prælaturam de religioso non mendicante.*
3. *Casus, in quibus electio facta à minori parte Capituli, quæ alioquin valida esset, ideo ipso iure irrita censetur, quia facta est de religioso non mendicante.*
4. *Si religiosus non mendicans electus sit à media parte Capitularium, quibusdam ex altera parte suffragantibus, priuatio vel vota conditionata, aut incerta asserentibus, electio non tenet, tanquam facta à maiori parte Capituli non priuati.*

DEcreuit in hoc c. Bonifacius VIII. quòd t Religiosus Ordinis mendicantium nullum ius acquirere possit ex electione, aut postulatione ad prælaturam extra Ordinem suum, si ea in discordia facta sit: sed nec tali electioni consentire queat, tametsi Regularis Prælati sui licentiam habeat.

QVÆRITVR I. Quænam hoc loco censenda sit electio facta in discordia? Respondeo, Si vel duæ electiones publicentur, vel vni electioni, antequam publicata sit, se quispiam opponat. Sin autem electionem factam secundùm maiorem Capituli partem aliquis oppugnet, non comprehenditur hoc decreto: cùm non sit facta in discordia, sed discordia seu oppositio postea aduenerit. Quæ autem ab initio electio valida facta est, ea per superuenientem discordiam vitiari non debet, vti docet hîc Ioan. Monachus, per regulam quam DD. tradunt in l. vlt. C. de nupt. is: *Res perfecta non vitiatur, etsi veniat ad casum, in quo incipere non potuisset.* Quemadmodum

modum & vice versa, si electio in discordia facta sit, non poterit deinde conualescere, si consentiant, qui se opposuerunt: cùm electio semel irrita postea non conualescat, sicuti hîc Ioan. Andr. notauit.

§. Circa.

1 Adijcit hoc §. Bonifacius: quòd alij religiosi, qui mendicantes non sunt, & electionibus, postulationibus, aut prouisionibus ad quascunque prælaturas nullum ius acquirant, neque ijs, quamuis habitâ licentiâ Prælatorum suorum, consentire queant, si à minore parte Capituli processerint.

Dubitatur 1. circa §. Circa, vtrùm eius constitutio locum etiam habeat in electione ad prælaturam Ordinis, vt & ipsa irrita sit eò ipso, quòd à minore parte Capituli processit. Responsio est affirmatiua, quâ tradit hîc Gl. ver. quaslibet, Ioan. Andr. n. 4. Rodriq. to. 2. regul. qq. q. 56. a. 2. contra Ioan. Monachum hic. Sumitur autem hæc responsio ex ver. textûs: *Ad prælationes quaslibet.* Idémque infrà hoc tit. de electionibus Monialium statutum reperitur in c. Indemnitatibus 43. §. Si qua.

2 Dubitatur 2. Quinam sint casus, in quibus electio facta à minore parte Capituli, quæ alioquin valida esset, ideo ipso iure irrita censetur, quia facta est de regulari Ordinis non mendicantis? Gl. hîc ver. numero, affert vnum casum tanquam præcipuum; si pars minor eligentium sanior iudicetur. Sed contrarium ex communiore suprà docui, ad electionem canonicam non sufficere, quòd pars sanior in electionem consenserit, nisi etiam sit maior numero. Igitur afferemus alios casus.

Primus. Si pars maior Capitularium, quę tamen duas partes Capituli non faciat, aliquem postularunt; electio de religioso non mendicante facta ab altera Capituli parte, quæ minor numero est, ipso iure irrita censeri, neque confirmari debet.

Alter: Si aliqui ex electoribus eâ vice priuati sint, quia indignum elegerunt; licèt secundùm benignam dispositionem, ac veluti fictionem tota vis Capitularis in alijs non priuatis resideat; tamen hæc iuris fictio in electione aut postulatione facta de Religioso locum non habet: sed in tali electione omnes Capitulares siue electores computandi sunt, vt appareat, vtrùm Religiosus ex non mendicantibus à minore Capituli parte electus, aut Religiosus ex mendicantibus in discordia electus fuerit. Ita enim expressè declaratum est in Clement. Quod circa 6. hoc tit. Si sint v. g. decem Capitulares, quorum sex eligant personam indignam, & quatuor Titium religiosum: Dico in primis, si electio extra Ordinem fiat ad ecclesiam, videl. Cathedralem de religioso mendicante, irrita censeri debet, cùm sit facta in discordia. Idémque similiter dicendum, si aliqui Capitulares postea reperiantur fuisse excommunicati aut suspensi. Nota, quòd dico *postea*: si enim contra tales, cùm expelli non possint, nominatim fiat protestatio, quòd eorum suffragia valere non debeant, in numero eligentium non videntur comprehendi. Deinde dico: si talis electio extra, vel intra Ordinem fiat, ad quamcunque prælaturam de religioso non mendicante, ea irrita censeri debet, quia facta fuit à minore parte Capitularium. Quia circa istam constitutionem attenditur tantùm, quinam de facto fuerint Capitulares præsentes ad eligendum; non item quotnam fuerint secundùm iuris effectum.

Tertius Casus: Si aliqui dederunt vota conditionata, alternatiua, vel incerta, licèt in ordine ad alias electiones pro non appositis habeantur, c. 2, eod. tit. & lib. tamen in ordine ad computandum numerum electorum, vt appareat, an pars minor Capitularium Religiosum non mendicantem elegerint, computanda sunt, vti colligitur ex cit. Clement. Quod circa.

Quartus Casus valde probabilis est: si aliqui sint contempti, id est, non vocati, cùm vocari debuissent, quòd etiam hi numerandi sint, vt appareat, vtrùm à minore parte Capituli electio de Religioso facta fuerit. Secùs, si absentes contempti non fuerunt; quia vocari non potuerunt, vel non debuerunt, aut vocati venire neglexerunt: hi enim in numero Capitularium, quoad hunc electionis

actum computandi sunt, secundùm Gl. in Clem. Quod circa 6. hoc tit. ver. quæ in facto.

4 Dubitatur 3. Si Religiosus Ordinis non mendicantis electus sit à media parte Capitularium, quibusdam ex altera parte suspensis, priuatis, vel vota conditionata aut incerta afferentibus; vtrùm electio consistere debeat, tanquam facta à maiore parte Capituli non priuati. Affirmat Sanchez & alij apud ipsum lib. 7. moral. c. 29. n. 54. Quia constitutio ista exorbitans à iure communi non debet extendi vltra casum expressum. Casus autem expressus est, si electio facta sit à minore parte Capituli: Ergo si non à minore, sed æquali parte fiat, standum est iure communi.

QVÆRITVR II. Quidnam mouerit Pontificem, vt hanc constitutionem specialiter fecerit de Religiosis mendicantibus, vt electioni extra Ordinem factæ in discordia eligentium consentire non possint? Respondeo: Quia ipsi arctiorem paupertatem ac mundi contemptum professi, magis quàm alij Religiosi à litibus abstinere debent, ne temporalibus prouentibus ac honoribus inhiare videantur.

QVÆRITVR III. Vtrùm hæc constitutio etiam locum habeat in Religioso Ordinis Mendicantium facto Episcopo, vel Cardinale; si ad Episcopatum, vel Archiepiscopatum alium eligatur, aut postuletur in discordia, quòd eius electio vel postulatio irrita sit? Affirmat Gl. hîc ver. mendicantium, quam vt communiter receptam sequitur Rodriq. loco cit. Sanchez lib. 7. moral. c. 29 n. 48. Sed valde dubitatur de hac doctrina: Quia cùm iste translatus ex monasterio ad Episcopatum, vel Cardinalatum, aliam principaliorem qualitatem consecutus sit, secundùm eam iudicari debet, argum. c. statutum 22. hoc tit. & lib. vt proinde non sine probabilitate dici possit, eius electionem validam esse, quatenus est facta de Episcopo vel Cardinale, & non de monacho. Verùm cùm talis Episcopus vel Cardinalis transire non possit absque Summi Pontificis consensu; ad eundem pertinebit iudicare, an talem in discordia factam electionem, postulationémue confirmare, atque transeundi licentiam dare velit, nécne.

QVÆRITVR IV. Si Capitulares contra suspensum, aut excommunicatum protestétur, quòd eius suffragium valere non debeat, vtrùm nihilominus in numero computandum sit in ordine ad æstimãdam discordiam, aut numeri minoritatem? Respondendum videtur: si nominatim contra certam personam, quam expellere non possunt, protestentur, valebit protestatio, vt in numero eligentium non computetur. Secùs si in genere aut indeterminatè protestentur, tunc enim valebit suffragium suspensi, quatenus in hoc casu de iure potest, vt impedire possit alteram electionem factam de Religioso.

QVÆRITVR V. Vtrùm constitutio hæc in vtroque casu locum etiam habeat in præsentatione, ita vt ea in concordia patronorum facta esse debeat de Religioso mendicante: Et de non mendicante opus sit, vt non fiat à minore parte Collegij (si vt Collegium præsentent) vel non à minore parte, comparatione aliarum partium; si vt singuli præsentent? Videtur esse affirmandum, quia textus vtitur verb. *prouisionis*, quod secundùm Gl. communiter receptam in Clement. vlt. verb. *prouisioni*, generale est, vt etiam præsentationem comprehendat. Accedit, quòd eædem contentiones aliáue incommoda oriri possint ex præsentatione ad prælaturam, si in discordia facta sit, vel à minore parte Capituli.

Sed contraria sententia magis placet cum Cæsare Lambertino l. c. lib. 2. p. 1. q. 7. a. 20. n. 8. apud Sanchez cit. l. n. 51. quòd numerus Capitularium in his constitutionibus dicatur minor, eò ipso quòd non est maior, ad eóque non sufficiens ad electionem seu decretum capitulare. Neque enim responderi hîc potest, numerum medietatis fieri maiorem partem Capituli, si aliquorum electorum suffragia de iure non valeant: cùm in Clement. *Quod circa*, expressè definitũ sit, in hac Bonifacij constitutione attendendum esse ad numerum, qui est de facto, non qui est secundùm iuris dispositionem & effectum. Et meritò quidem: quia nisi ita dicamus, non

erit

erit sublata occasio discordiæ, si duabus electionibus ex æquo factis, vna pars alteri iuris defectum obijcere possit. Pontifici autem per hanc constitutionem propositum erat, discordiæ omnem occasionem resecare.

Confirmatur primò ex c. indemnitatibus 43. §. sanè, hoc lib. & tit. vbi idem statuitur obseruandum in electionibus monialium: & facit Pontifex tria membra: Vel electio in discordia ita fit, vt duæ partes Conuentûs in eandem consentiant: Vel ita fit, vt saltem maior pars Conuentûs in eandem consentiat: Vel ita, vt minor pars Conuentûs in eandem consentiat. Vbi, ne dicere cogamur esse imperfectam Bonifacij VIII. doctrinam ac distributionem, fateri debemus, partem minorem esse omnem eam, quæ non est maior.

Confirmatur secundò: Ponamus in Ecclesia Cathedrali esse duodecim Capitulares; sex eorum eligere Religiosum mendicantem in Episcopum, alios sex alium non mendicantem, qui tamen indignus sit: Quæro, vtrùm hæc electio censeatur facta à maiore parte Capituli, adeóque valida. Si negent; habeo intentum: quòd media pars Capitularium in his electionibus non sufficiat. Si autem affirmant, repugnat hoc c. & cit. Clem. quod circa; Quia talis electio maximè est in discordia, si duæ electiones fiant secundùm æqualem numerum suffragantium. Ad argum. pro priore sententia patet respons. Non enim fit extensio ad casum expressum, si per partem minorem Capituli intelligatur, quæcunque non est maior.

Ex dictis sequitur corollarium: si duodecim sint electores, quorum quinque eligant v. g. religiosum non mendicantem, septem alij Canonicum suæ ecclesiæ, sed vnus eorũ vel plures sint suspensi, aut afferant suffragia alternatiua; neutram electionem valituram: Quia licèt illi, quorum suffragia iuris effectũ non habent, obsint alteri electioni, eò quòd in numero etiam computentur: tamen suæ electioni non prosunt, cùm iuris effectu careant.

* * *

CAPITVLVM XXV.

Vt quis.

SVMMARIVM.

Non potest electus duas electiones prosequi, sed alterutram eligere debet, vnáque electâ ad alteram redire non potest.

SI quis ad eandem ecclesiam, seu prælaturam duabus electionibus electus sit, non potest vtramque prosequendo confirmationem petere; etiam protestando, quòd non intendat, nisi ex ea, ex qua ius sibi competat, confirmationis effectum consequi. Quamobrem, nec cum ecclesiæ, ad quam electus est, vel aduersarij, si quem habet, discrimine in incerto vagetur, eligere is debet, vtram electionem prosequi malit, eiusdémque confirmationem petere: Adeò, vt ad alteram deinde electionem, cui alteram præferendo renuntiasse censetur, regressum habere haud possit.

Modos, quibus fieri possit, vt idem ad eandem prælaturam duabus electionibus vocetur, numerat hîc Gl. ver. duas. Si existimetur in priore electione defectum commissum esse, atque ideo post lapsum temporis trimestris, aut semestris Superior eundem electum instituat: Vel si ipsi Capitulares, nondum priuati, nouam electionem de eodem electo facere aggressi sint.

Quæritur autem, quæ sit ratio decisionis: Respondetur; Eam esse: quia confirmatio pro obiecto habet electionem, eámque vnicam, ac certam: cùm confirmatio sit instar decreti: quod non in incerto vagari debet. Quamobrem petitor electionem determinare cogitur, quam à Superiore confirmare velit. Alia verò ratio est de defendente ius beneficij sui, vti colligitur ex reg. 20. in 6. *Nemo pluribus vti defensionibus prohibetur.* Quare notat Abb. in c. post electionem, 6. de concessione præbendæ, quòd dubitans de valore collationis primæ, consultò faciet, si alteram impetret: Quia per id non censeatur renunciare primæ, cùm non sint contrariæ:

ideóque ex vtraque se defendere possit, vel ita, vt si in prima defensione succumbat, ex altera se defendat.

Breuiter dici potest, discrimen hoc esse: Cùm electus sit petitor confirmationis, ideo determinare debet, quid petat, seu quam electionem confirmare velit: At verò prouisus non est petitor, sed defensor iuris sui: ad quod faciẽdum omnes ipsi modi permittuntur, dummodò non sint contrarij, ne de mendacio arguatur, vti Dynus notat in cit. reg. 20. n. 5.

CAPITVLVM XXVI.

Si electio.

SVMMARIVM.

Si electus non consensit, vel post datum consensum renuntiauit, aut mortuus est, vel occultus defectus electionem vitians se prodidit; eligentes integrum tunc tempus habebunt ad nouam electionem peragendam, nisi fraus intercesserit.

ELectio de Titio facta effectum consecuta non est, quia noluit consentire, vel post præbitum consensum, ante impetratam confirmationẽ, renuntiauit, aut mortuus est; aut fortè defectus, qui antè latebat, in electo se prodidit, v.g. quod sit illegitimus; his casibus integrum eis tempus relinquitur ad nouam electionem peragendam, videl. trium mensium spatium in ecclesiis Cathedralibus & regularibus, c. ne pro defectu, 41. extrà, hoc tit. Sex mensium verò in alijs ecclesiis Collegiatis, c. 2. de concess. præbendæ: dummodò nihil in fraudem factum sit à Capitularibus.

Exemplum huius fraudis affert Gl. hîcver. fraudulenter: Si Capitulares de industria aliquem, quem sciunt acceptaturum nõ esse, eligant eo fine, vt ecclesiæ vacatio diutius prorogetur. Hoc casu post lapsum temporis legitimi à die primæ vacationis priuationem incurrent, & potestas eligendi ad Superiorem deuoluetur: cùm æquum non sit, vt propria ipsi fraus patrocinetur.

CAPITVLVM XXVII.

Si Religiosus.

SVMMARIVM.

1. *Si Religiosus non obtentâ licentiâ consentiat electioni, de se factæ extra Monasterium, electio irrita est.*
2. *Non requiritur tamen licentia Conuentûs sed sufficit solius Prælati, non tamen generalis tantùm, sed particularis, & quæ electionem factam subsequatur.*
3. *Ad quas ecclesias extra Monasterium suum Religiosus eligi possit.*
4. *Quis Prælatus Religioso licentiam dare debeat electioni extra monasterium de se facta in casibus concessis consentiendi, ac transeundi.*
5. *Prælatus ad dandam licentiam ordinariè cogi non potest; potest tamen cogi à suo proximo Superiore, si hic ob causam necessitatis, aut magnæ vtilitatis ex lege charitatis ad eam dandam obligatus esse videatur.*
6. *Religiosus Prælaturæ, quam legitimè acceptauit, renunciare potest absque Prælati Ordinis consensu.*

REligiosus, cùm ex alieno Prælati sui arbitrio dependeat, electioni de se factæ extra Monasterium suum, consentire non potest, ante petitam, & impetratam licentiam à Superiore suo, alioquin consensus non valet, & electio eo ipso irrita pronuntiatur.

§. Quia verò.

AMultis disputatum fuit, vtrùm Superior Ordinis Religioso suo licentiam consentiendi, & transeundi ad Prælaturam, ad quam electus est, dare possit absque consilio Fratrum, seu Conuentus sui. Ad hoc Bonifacius VIII. respondet, posse id facere Prælatum, Capitulo non requisito, vt eò celeriùs, ac faciliùs ordinationes Ecclesiarum, vel Monasteriorum, ad quæ Religiosi electi fuerint, expediri queant.

His porrò addenda est Clement. vlt. de elect. vbi decernitur, non sufficere Prælati licen-

licentiam, si generatim alicui data sit, vt liceat consentire electioni, aut prouisioni, si quam de ipso fieri contigerit, imò, etiamsi (vt Gl. ibi communiter recepta docet) particulatim alicui data sit, si contingat eum in tali ecclesia eligi: Sed opus est, vt licentia electionem factam subsequatur.

QVÆRITVR primò: Quænam ecclesiæ sint, ad quas Religiosus extra suum Monasterium eligi possit? Respondeo, & dico I. Religiosus eligi ad alterius Monasterij Prælaturam, si eiusdem Ordinis sit; secùs si alterius Ordinis. Ita habetur in Clement. 1. hoc tit.

Dico II. Religiosus eligi potest ad ecclesiam Cathedralem siue Episcopalem, siue ea regularis sit, siue secularis. Ita habetur in cad. Clement. 1. & c. Si Abbatem, 36. hoc tit. & lib. Excipe: Quòd Religiosi Societatis ad dignitatem quâlibet extra Societatem eligi, vel postulari nõ possint; quia id eorum Constitutionibus repugnat: adeò vt nec Præpositus Generalis electioni de se factæ consentire possit, nisi Sum. Pontifex cogat, vti habetur p. 9. Constitut. c. 4. §. 5. & c. 5. §. 6. neque alteri Societatis Religioso licentiam consentiendi dare queat, nisi Sedis Apostolicæ præceptum compellat, vti habetur in Constitut. Societatis IESV p. 9. c. 3. §. 13. Id verò Sanchez lib. 7. moral. c. 29. n. 67. de ijs tantùm dignitatibus intelligendum esse ait, quibus honor & opes annexæ sant, non item de Episcopatibus Æthiopiæ, & similibus, quibus cum oneribus paupertas adiuncta est.

Dico III. Non constat inter D D. Vtrùm Religiosus eligi possit ad Prælaturã ecclesiæ Collegiatæ secularis. Affirmat enim Gl. in cit. Clem. Abb. in c. Quod Dei timorem, 5. n. 5. de statu Monachorum; Syl. ver. Religio, 7. q. 4. & 6. Rodriq. tom. I. regul. qq. q. 34. a. 3. Less. lib. 2. de iust. c. 41. n. 98. Sed negat Hostiensis in Summa tit. de statu Monachorũ, n. 6. Ioan. Andr. in cit. c. 6. quod Dei, n. 16. Armilla ver. Monachus, n. 5. argum. ducto per sensum contrarium ex dicta Clem. 1. vbi conceditur, vt Religiosus in Episcopum secularis aut regularis cuiuslibet ecclesiæ eligi possit.

Accedit, quòd canonica regula sit, Beneficia secularia secularibus Clericis; regularia autem regularibus conferenda esse, c. cùm de beneficio, 5 de præb. in 6. Clem. vn. de supplenda negl. Prælatorum: Et, Religiosos in ecclesijs secularibus assumendos non esse, ne à professione sua deuient, c. super eo, 9. de Regularibus. &c. Ab hac autem regula discedendum non est, nisi exceptio habeatur expressa in iure: Atqui iura præter ecclesias Cathedrales, de quibus suprà dixi, non excipiunt, nisi ecclesias parochiales, in quibus propter prædicationis officium erga plebem permittitur Regularibus Canonicis, vt propter ecclesiarum commodum instituí possint, cit. c. Quod Dei timorem. Verùm de hac controuersia soliciti esse iam non debemus: In primis enim seuerè prohibitum est in extrauag. dispendijs, de postulat. prælatorum, ne Religiosus Ordinis Mendicantium ad ecclesiam Cathedrali inferiorem postuletur. Quòd verò ad non Mendicantes attinet, vniuersim testantur Doctores apud Sanchez lib. 7. de Relig. c. 29. n. 70. & 72. hodie non permitti Regularibus etiam Canonicis, vt ad beneficia quæcunq; præter Episcopatum, etiamsi curata sint, vel ecclesiarum Collegiatarum prælaturæ, promoueantur absque Sum. Pontificis dispensatione. Vide quæ dixi lib. 4. Th. mor. tr. 2. c. 4. n. 2.

Cæterùm adhuc hodie Prælati Ordinum, Religiosos suos, cum potestate iterum amouendi, instituere possunt ad parochias, Monasterijs eorum subiectas. Idque dubitari non debet de ea parochia, quæ in loco Monasterij sita, à prima institutione Regularibus commissa est: qua de re Trident. sess. 25. de Regular. Sed & in ea parochia id locum habet, quæ postea Monasterio incorporata est, quòd Prælatus Ordinis Regularem suũ idoneum instituere possit, qui tamen ab Episcopo examinari, & parochia eius visitari debeat: Quia vnio intelligitur, saluo iure Episcopali, vti dixi lib. 1. tr. 4. c. 7. n. 30. ex Concil. Trident. sess. 7. c. 7. iunctis declarat,

clarat. Cardinal. & sess. 24. c. 3. & 18. de reformat. Excipe: nisi Prælatus Ordinis exemptus veluti episcopalem in territorio illo iurisdictionem obtinens, vt Episcopus, nihil iuris sibi vendicare queat. Vide quæ dicam in c. 1. de Capellis Monachorum, & quæ docet Less. lib. 2. de iust. c. 41. n. 98.

QVÆRITVR secundò: Quisnam Prælatus Religioso licentiam dare debeat electioni extra Monasterium de se factæ in casibus concessis consentiendi, atque transeundi? 4 Respondeo, & dico I. Prælatus Ordinis immediatus, videl. Abbas, Præpositus, aut Prior talem licentiam dare potest. Ita docet Sanchez lib. 7. moral. c. 29. n. 65. Spectandæ tamen sunt etiam Constitutiones, & priuilegia Ordinum Mendicantium, quibus fermè obtentum est, vt nemo præter Ordinis Generalem, aut Prouincialem, talem licentiam dare queat: de quo Rodriq. tom. 2. regular. qq. q. 56. a. 2.

Dico II. Si Monasterium, ex quo Religiosus, præsertim in aliam diœcesin, transferendus est, Episcopo subiectum sit, etiam ipsius consensus requiritur. Ita docent Innocentius in c. quia translationem, de renunt. ibidem Ioann. Andreas n. 6. Ioann. Ananias n. 33. Archidiaconus & Ioann. Andreas, in hoc cap. dicunt, id iuri consonum esse, vti colligitur ex c. qui verè 12. 16. q. 1, ideóque seruandum, vbi id consuetudine receptum est, sicuti in his prouincijs. Ratio est: Quia ad Episcopi curam spectat, prouidere, vt in Monasterijs sibi subiectis viri idonei maneant, per quos administrationes & officia regularia exerceantur: quæ sæpe negligi debebunt, si Religiosi ad alias diœceses extrahantur.

QVÆRITVR tertiò: An rectè dicatur, quòd Prælatus Ordinis, etiam non requisito Capitulo, licentiam transeundi Regulari suo dare possit. Nam transitus iste personæ species quædã est alienationis, quæ à Prælato fieri non potest, absque Capituli consensu, c. sine distinctione, 12. q. 2. & c. 1. de rebus ecclesiæ non alienandis, in 6. Respondeo cum G. hîc, ver. sint varia, fuisse de hac re olim dubitatum, cùm varia iura allegarentur, quarum aliqua consensum Capituli requirere videbantur, vt c. statuimus, 19. q. 3. & c. 2. de statu Monachorum, in fine; alia verò Capituli nullam mentionem faciebant, vt c. 1. d. 58. c. cùm pro vtilitate, 34. causa 16. q. 1. & c. post translationem, 11. de renunt. Verùm Bonifac. VIII. in re non satis secundùm canones decisa, ad vtilitatem ecclesiarum respexit, quibus citiùs subueniretur, si solius Prælati licentia ad consensum canonicæ electioni præbendum sufficiat.

QVÆRITVR quartò: Vtrùm Prælatus ad dã- 5 dam licentiã cogi possit à Superiore suo, & à quo? Respondeo, & dico I. Ordinariè, &, per se loquendo, Prælatus cõpelli non potest ad licentiam dandam. Est enim hæc gratia quædam, atque obligationis remissio: ad gratiam autem faciendam nemo compellitur.

Dico II. Si Prælatus ob causam necessitatis aut magnæ vtilitatis ex lege charitatis obligatus esse videatur ad licentiam dandam, tunc à Superiore cogi potest. Ita Gl. communiter recepta in c. quàm sit, 5. causa 18. q. 2. ver. ad ordinandum, Abb. in c. Quòd Dei timorem, n. 12. de statu Monachorum, argum. c. nullus, 17. de iure patronatus.

Dico III. Prælatus in tali casu cogi potest à proximo Superiore, videl. Abbas ab Episcopo, cui subiectus est: Si Episcopus licẽtiam dare nolit, ab Archiepiscopo, ita, vti si iussus Abbas, vel Episcopus licentiam dare recuset, ipse Superior eius illo inuito auctoritatem præbere possit. Probatur ex eo: Quia ordinariè propter negligentiam Prælati deuolutio potestatis fit ad proximum Superiorem, vti colligitur ex c. quamquam, 18. hoc lib. & tit. & c. 1. de supplenda negl. Prælatorum. Et ita docet Sanchez lib. 7. de relig. c. 29. n. 69. contra Gl. hîc, ver. obtenta, & alios ibi citatos, qui opus esse putant Sum. Pontificis auctoritate.

QVÆRITVR quintò: Vtrùm Religiosus prælaturæ, quam legitimè acceptauit, renunciare possit absque Prælati Ordinis consensu. Negat Imola in c. Rainutius, n. 6 71. de testam. ratione huius textus, quia velle & nolle non habet. Sed contrarium dicendum est cum Sanchez cit. c. 29. n. 70. Quia sicuti

sicuti Ordinis Prælatus cogere non potest Religiosum ad acceptandā dignitatem extra ordinem, vti dixi Th. mor. lib. 4. tr. 2. c. 15. q. 3. dicto 2. ita nec cogere potest ad retinendum, seu non renuntiandum; consequenter sine licentia eius renuntiare potest. Ratio est, per quam etiam satisfit argumento sententiæ contrariæ: Quia Religiosus velle & nolle non habet, seu ex voluntate Prælati pendet in ijs tantùm, quæ ad Ordinis regulam & institutum spectant: Prælatura autem extra Ordinem magis subducit Religiosum à regula & instituto, &c.

CAPITVLVM XXVIII.

Nullus.

SVMMARIVM.

Religiosus in Abbatem, seu Ordinis sui Prælatum eligi non potest, nisi sit expressè antè professus; potest tamen tacitè professus, vti & Ordinis nouitius eligi ad Episcopalem dignitatem, seu in regulari seu seculari ecclesia.

REligiosus in Abbatem, seu Ordinis sui Prælatum eligi non potest, nisi professionem expressam antè ediderit: alioquin electio irrita est. Verùm ad dignitatem Episcopalem, seu in regulari seu in seculari ecclesia, qui tacitè p rofessi sunt, sicuti & Ordinis Nouitij, eligi non prohibentur.

NOTANDVM Vn. Qui tacitè, siue ipso facto in Religione professus est, tametsi cum alijs eligere possit, c. ex eo, 32. §. In ecclesijs, hoc lib. & tit. tamen eligi non potest in Prælatum Ordinis: sed requiritur, vt expressè professus fit. Vide, quæ de modis expressè, & tacitæ professionis dixi lib. 4. Th. mor. tr. 5. c. 5. Porrò, cur ad episcopalē dignitatem euehi possit Religiosus, qui nō expressam professionem edidit, ratio indicatur in textu: Quia ad eam etiam Ordinis Nouitij atque Clerici seculares admittuntur, si ecclesiæ regendæ idonei sint. Vide Gl. hîc, & c. 1. ne sede vacante.

CAPITVLVM XXIX.

Cùm expediat.

SVMMARIVM.

Forma electionis tradita suprà in c. cùm dilectus 32. non est sublata in can. Quia propter.

INnoc. III. in c. cùm dilectus, 32. approbauit hanc eligendi formam: Si Capitulares compromittant in aliquos, vt eum, in quem maior & sanior pars, secretò inquisitis singulorum suffragijs, consenserint, eligere debeant. Hanc formam suspicabantur sublatam esse in can. Quia propter; quandoquidem in eo triplex tantùm electionis forma approbatur: videl. per scrutinium, per compromissum, per inspirationem. Dictus autem eligendi modus ad nullam harum electionum spectare potest. Hanc dubitationem soluens Bonifac. VIII. respondet, formam illam compromissi traditam ab Innoc. III. sublatam non esse in Concilio Lateranensi per can. Quia propter. Nam magis expedit, vt si fieri possit, iura iuribus concordent, quàm vt eorum correctio inuehatur. In casu autem proposito iura conciliari possunt, si videl. dicamus, formam traditam in c. cùm dilectus, esse veluti mixtam ex scrutinio, & compromisso; seu ex vtraque participantem.

Sed quæritur: Vtrum sit potius, forma scrutinij an compromissi? Respondeo: spectata principali intentione, est potius compromissum, vti notauit Ioann. Monachus, n. 9. & colligitur ex textu huius c. Potest autem compromissum fieri vel absolutè, vel limitatè, siue cum certa conditione, quæ obseruari debeat; videl. in proposito, vt inquisitis secretò singulorum voluntatibus. &c.

CAPI-

CAPITVLVM XXX.

Cùm non deceat.

PARAPHRASIS.

Personæ ecclesiasticæ, quæ iuxta c. cupientes, 16. §. Ad hæc, hoc lib. & tit. pro informando Pontifice, super negotio electionis Romam mittendi, interim dum causâ ecclesiæ abesse coguntur, fructus beneficiorum suorum, exceptis quotidianis distributionibus, quæ præsentibus tantùm dari solent, integros percipere debent, sicuti si præsentes essent: Idque idcircò, quòd non deceat alicui officium suum damnosum esse.

SVMMARIVM.

1. *Qui propter ecclesiæ vtilitatem absens est à loco beneficij, fructus integros interea percipere debet, exceptis distributionibus.*
2. *Idem est de electo, dum electus electionis suæ prosequendæ, & confirmationis petendæ causâ abesse cogitur.*

1 NOTANDVM Vn. Qui propter ecclesiæ vtilitatem absens est à loco beneficij, fructus integros, exceptis quotidianis distributionibus, interim percipere debet. Qui de re dixi lib. 4. tr. 2. c. 7. q. 2.

2 Dubitatur hic apud Ioan. Andr. vtrùm etiam electus interim, dum electionis suæ prosequendæ, & confirmationis petendæ causa abesse cogitur, reditus beneficiorum, exceptis distributionibus, accipere possit? Responsio debet esse affirmatiua, si electus ex quacunq; necessitate compulsus ad Pontificem, aliúmue Confirmatorem se conferre, causam electionis obtineat: quia causâ ecclesiæ abfuisse censetur. Quamuis autem de electo nulla hic mentio facta sit, sed tantùm de duobus electoribus, qui instructi in negotio electionis Romam mittendi sint, tamen responsio huius c. non debet restringi ad hûc tantùm casum, sed ad omnem alium, in quo ecclesiæ vtilitas principaliter spectatur. Cæterùm si beneficiatus diutius absit, quàm propter ecclesiæ vtilitatem abesse cogatur, secundùm proportionem eius temporis, in quo residere & officium præstare debuisset, fructus ei subtrahi possunt, vti hic Gl. notat, ver. hac de causa.

Sed nec illud speciale esse videtur, quòd in fine huius c. legimus, non obstante quacunque consuetudine, statuto, aut priuilegio, fructus beneficij retineri posse ab ijs, qui Romam se conferunt, vt informationem dent de electione, postulatione, aut prouisione ad prælaturam. Nam consuetudo, vel statutum, prævalere non potest, si ecclesiæ damnosum sit: talis autem consuetudo, vel statutum in ecclesiæ damnum cederet: quandoquidem Ecclesiastici compelli facilè non possent, vt ecclesiæ negotia gesturi discederent, si tempore absentiæ beneficiorum fructibus carere deberent. Igitur talis consuetudo, seu statutum irrationabile iudicari debet.

CAPITVLVM XXXI.

Ab eo.

SVMMARIVM.

Qui opponit euidentem defectum scientiæ, morum, natalium contra promouendum, pœnitere non potest, etiamsi promouendus consentiat.

TItius inter cætera obiecit electo, postulato, aut aliter promouendo manifestum defectum, v. g. scientiæ, morum, natalium; postea recedere vult, seu reuocare obiectum, vel saltem qualitatem eius, quod dixerat esse defectum manifectum; Quæritur, vtrùm id ipsi permittendum sit? Respondet Bonifac. VIII. Nequaquam: Cùm enim opponens, si in probatione defectûs manifesti (super quo statim initio audiendus est) deficiat, à prosecutione causæ omnino repelli debeat, perinde ac si in omnium obiectorum defeciisset, iuxta c. si fortè, 11. hoc lib. & tit. statim apparet, in præiudicium electi id cessu-

rum,

rum, si actor, qui manifestum defectum obiecerat, eo reiecto seu reuocato, alijs insistere permittatur.

NOTANDVM Vn. *Mutare consilium quis non potest, in alterius detrimentum*, vti etiam habetur in reg. 33. hoc lib.

Sed quærit hîc Gl. ver. pœnitere: Quid si aduersarius, siue electus consentiat, vt ad defectum manifestum, quem actor obiecerat, ostendendum non teneatur, vtrùm reuocatio à Iudice necessariò admittenda sit. Responsio est negatiua: Quia, vt controuersia citò expediatur, & ecclesiæ Prælatus idoneus prouideatur, expedit ante omnia examinari, vtrùm defectus manifestus, qui obiectus fuerat, in electo reperiatur, nécne. Ex quo satis colligitur, rationem, quæ in textu affertur de præiudicio electi, non esse adæquatam: quia eo etiam cessante, si videl. electus huic suo iuri & commodo renuntiet, constitutioni locus erit. Quia agitur hîc etiam de iure publico, cui priuatis pactionibus renuntiari nequit.

CAPITVLVM XXXII.

Exeo.

PARAPHRASIS.

Quidam ecclesiæ Cathedralis Canonicus, in pupillari ætate constitutus, vocatus non fuit vnà cum alijs Canonicis ad electionem Episcopi: Quæsitum fuit, vtrùm de contemptu conqueri, & idcirco electionem se absente impugnare possit. Negando respondet Bonifac. VIII. Quia nec iura, nec ratio permittit, vt is, qui plenam rationis discretionem consecutus non est, ad præstandum in electione suffragium admittatur.

SVMMARIVM.

1. *Iure antiquo etiam pupillus, modò infantiam excessisset, capax erat beneficij ecclesiastici: iure autem nouo Trident. nemo ante decimum quartum annum inchoatum.*
2. *In Religionibus ad spiritualia opera institutis nullus admitti debet ad electionem, nisi expressè, vel tacitè professus.*

Neque laicus conuersus cum Clericis, nisi diuturna consuetudo aliud præscripserit.

NOTANDVM. Pupillus, id est, minor XIV. annis modò infantiâ excesserit, iure antiquo beneficium ecclesiasticum consequi, imò Canonicus, etiã ecclesię Cathedralis, esse poterat: sed ad Capitulum talis nõ admittebatur; quòd rationis maturitatem consecutus non esset. Ita docet Gl. in c. si eo tempore, 9. de rescriptis, hoc lib. ver. ætatẽ. Postea verò Innocent. VIII. reg. 17. Cancellar. statuit, vt ad præbendam canonicalem in ecclesia Cathedrali nemo admittatur, nisi decimum quartum ætatis annum compleuerit; neque ad canonicatum eccl'esiæ Collegiatæ, nisi saltem annum decimum exegerit. Idque adeò, vt neque prouisio, aut mandatum de prouidendo personæ dictam ætatem non consecutæ à Sede Apostolicà recipiendum sit, nisi expressa mentio fiat, non obstante minore ætate prouidendum esse. 1

Denique verò in Concilio Trident. sess. 23. c. 6. de reformat. generatim constitutum est, vt nullus, quamuis primâ tonsurâ initiatus, aut in minoribus ordinibus constitutus sit, beneficium ecclesiasticum ante decimum quartum ætatis annum obtinere possit. Id verò Cardinales eo loco declararunt accipiendum esse de anno decimo quarto cœpto. Vide quæ scripsi lib 4. Theol. moral. tr. 2. c. 14. edit. 2.

§. In ecclesiis.

IN ecclesiis regularibus, aut Monasterijs, qui religionem seu expressè, seu tacitè professi non sunt, cum professis ad electionem admitti non debent: sed neque laici conuersi vnà cum Religiosis clericis electioni interesse debent. 2

Pro intellectu huius §. aduerte, quòd aliquæ Religiones ad spiritualia opera institutæ sunt, quorum professi præcipui clerici esse debent: Aliquæ verò Religiones ad opera

temporalia in bonum ecclesiæ præstanda cõstituuntur, vt militares, hospitales. De illis ait hîc Bonifac. quòd eorum laici conuersi, tametsi & ipsi veri Religiosi sint, si tria substantialia vota secundùm Ordinis regulam edant, vt dixi lib. 1. tr. 5. p. 2. c. 5. n. 4. tamen ad electionem, & alios actus Capitulares vnà cum professis admittendi non sint. Excipe cum Innoc. in cap. 2. de Institut. Gl. hîc ver. electionibus, nisi in aliquo Monasterio per diuturnam consuetudinem ius Capitulare præscripserit. Neq; enim huic præscriptioni obstat c. Massana, 56. extrà, hoc tit. vbi reprobatur consuetudo hæc, si laici vnà cum clericis electionem faciant. Id enim intelligi debet de laicis secularibus, non de laicis Religiosis: nam in hos, tanquam personas ecclesiasticas, ius eligendi cadere potest.

De alijs verò Religiosis ait hìc Bonifacius, quòd laici electionem Prælati facere possint, dummodò seu expresè, seu tacitè Ordinem professi sint: Alij autem non professi repelli debent.

CAPITVLVM XXXIII.

Si postquam.

SVMMARIVM.

1. *Si contra electionem in Cathedrali, vel regulari ecclesia in scriptis ex causa probabili appelletur ad Papam, & Ordinarius pendente appellatione ad confirmationem procedat, ea inualida est, nisi appellans ab appellatione recesserit.*
2. *Appellatio facta ante sententiam definitiuam nõ impedit processum in causa.*
3. *Electus appellans non tantùm venire ad curiam Romanam debet, sed ibidem electionis negotium vsque ad finem prosequi. Ita decernit c. cupientes, suprà eod.*
4. *In omni lege, etiam pœnali, attendenda mens legislatoris, & non præcisè eius verba.*
5. *Idem c. cupientes, decernit, quando appellatur à confirmatione, vel alia prouisione.*
6. *Ob identitatem rationis extenditur etiam lex pœnalis, si casus specificus exempli loco adductus fuisse appareat, & dispositionem in alijs similibus locum habere.*

SI contra electionem in ecclesia Cathedrali, vel regulari, cuius confirmatio ad Ordinarium pertinet, videl. Archiepiscopum, vel Episcopum, ad Sedem Apostolicam ex causa probabili (quæ si probetur, iusta reputari debet) in scriptis appelletur, & Ordinarius nihilominus procedat ad confirmationem, ea irrita est, præterquam si appellans ab appellatione recesserit.

Notat autem hîc Gl. ver. ad Sedem Apostolicam, post Ioan. Monachum, n. 1. esse id specialiter constitutum in casu isto electionis ad Cathedralem, vel regularem præturam, si ad Sedem Apostolicam extra, vel intra iudicium appelletur. Nam alioquin appellatio facta ante sententiam definitiuam non impedit, quò minùs validè in causa procedi possit, atque expectari, num Superior, ad quem appellatur, cognita veritate, acta rescindere velit, c. non solùm, 7. §. illa, de appellat. hoc lib.

§. Si verò electus.

SI electus in ecclesia Cathedrali, vel Regulari, qui propter immediatam subiectionem, vel appellationem ad Sedem Apostolicam, eò se personaliter intra mensem conferre cogitur, iuxtà constitut. Nicolai III. in c. cupientes, 16. hoc lib. & tit. Si inquam, is veniat quidem ad Curiam Romanam, electionis negotium prosecuturus, sed inde recedat, antequam causa finita sit, iure electionis per dictam Constitutionem *cupientes*, priuatus censeri debet. Quamuis enim ea, si verba præcisè spectentur, puniat tantùm non venientem, tamen, si mens legislatoris, quæ ex fine cognoscenda est, attendatur, statim apparet, perinde esse, si quis veniat quidem, sed non maneat. Nam paria esse iudicantur:

cantur, non venire, & cùm veneris, non expectare, c. certùm, 43. causa 11. q. 3.

4 NOTANDVM Vn. Vniuersim in omni lege, etiam pœnali, præcipuè attendi debet ad mentem legislatoris, & non præcisè ad verba, quibus vsus est. Alioquin fraudem committimus in legem, si verba eius amplexi, contra rationabiliter intelligendam legislatoris voluntatem nitamur, l. non dubium, C. de legibus. Vide quæ dixi lib. 1. tract. 4. c. 18. num. 4.

§. Cùm autem.

5 TAmetsi in cit. c. *Cupientes*, solùm mentio facta sit electionis, tamen etiam de confirmatione (si videl. aduersus confirmationem electi, aut contra prouisionem, quæ ob eligentium negligentiam deuoluta erat, ad Sedem Apostolicam appelletur) intelligi debent, quæ ibi de veniendo, & mittendo ad Curiam dicta sunt.

6 NOTANDVM Vn. Ob identitatem rationis extenditur etiam lex pœnalis, si appareat, casum specificum veluti exempli loco adductum fuisse, dispositionem autem etiam in alijs similibus locum habere. Cuiusmodi interpretatio in dubio à Principe fieri debet; cuius etiam est legem condere, vti constat ex l. 9. & seqq. C. de legibus, & c. inter alia, 31. de sent. excom. ibi, *vt vnde ius prodit, etiam interpretatio procedat.*

CAPITVLVM XXXIV.

Cùm ex eo.

PARAPHRASIS.

Gregor. X. in Concil. Lugdunensi, c. licèt canon, 14. hoc lib. & tit. decreuit, vt promotus ad ecclesiam parochialem intra annum à die adeptę possessionis sacerdotium suscipere, & personaliter residere teneatur: alioquin, si intra id tempus promoueri neglexerit, absque alia monitione priuatus existat. Verùm, cùm ob hanc Constitutionẽ aliqui ecclesias parochiales accipere recusarent, Et cùm multi Clerici essent, quibus nec patrimonium, nec beneficia alia suppeterent ad studendum, docendúmq; in scholis, quod in magnam iacturam ecclesiæ vniuersalis cedere videbatur; quandoquidem ea ad fidelium instructionem ac regimen viris literatis quàm maximè indiget: His rationibus motus Bonifac. VIII. ac volens iuuare eos, qui in scientijs proficere desiderant, præsenti Constitutione permittit, vt Episcopi, ac similes Prælati cum obtinentibus ecclesias parochiales dispensare possint ad septennium, causâ studij literarum in quacunque facultate, secundùm Gloss. ver. literarum. Debent tamen intra annum à tempore obtentæ parochiæ numerandum, subdiaconatum suscipere; alioquin priuati sunt, si culpâ suâ neglexerint.

SVMMARIVM.

1. *Episcopus & similes Prælati dispensare possunt cum obtinentibus ecclesias parochiales sibi subiectas, quòd vsque ad septennium studendo, non teneantur ad sacerdotium promoueri; modò idonei sint ad studia, ipsáq; absolutis magnum in ecclesia fructum promittant.*
2. *Et habet hac facultas dispensandi etiam locum in beneficiis simplicibus v. g. Canonicatu. imò in ijs ea facultas vltra septennium extendi potest.*
3. *Durante septennio debet in beneficijs curatis, & ijs, quæ personale seruitium requirunt, vt Capellania, idoneus Vicarius constitui, cui congrua sustentatio ex prouentibus ecclesiæ designetur.*
4. *Elapso septennio debet dispensatus intra annum sequentem promoueri ad sacerdotium.*

NOTANDVM I. Magnus in iure studiorum fauor est, & multa priuilegia studentibus concessa propter vtilitates, quæ exinde in ecclesiam proueniunt. De his vide Horatium Lutium tract. de priuileg. Scholarium. 1

NOTANDVM II. Episcopus hac dispensandi facultate vti non debet, nisi cum idoneis ad studia, de quibus spes esse potest, quòd post absoluta studia vberiores ecclesiæ fructus allaturi sint, quibus compensetur iactura, si quam ecclesia, in qua instituti fuerunt, ex eorum absentia patiatur. Ita Ioan. Monachus, n. 1. Gl. ver. literarum.

QVÆRITVR: Vtrùm facultas ista dispensandi, in fauorem studiorum concessa, locum etiam habeat in beneficijs simplicibus, v. g. 2 canonicatu. Responsio est affirmatiua, sumpta ex c. tuæ, 12. de clericis non residentibus, vbi id tradit Abb. num. 6. Quòd facultas dispensandi Episcopis concessa, vt causâ studiorum Parochus in absentia fructus accipere possit, ob maioritatem rationis, locum etiam habebit in beneficijs simplicibus. Imò arbitror, de hac re in beneficijs simplicibus nunquam dubitatum fuisse, cùm id ecclesiæ praxis confirmaret, vti etiam colligitur ex c. relatum, 4. de Clericis non residentibus, & supponitur in Trident. sess. 7. cap. 12. de reformat. iun. Gl. margin. Quare Rebuffus de priuileg. Scholarium, summar. 1. num. 9. vniuersim ait: Qui studet, dicitur ecclesiæ seruire: studet enim, vt postea ecclesiæ melius seruiat, eámque protegat. Et Horatius in cit. tract. priuil. 100. Quòd absens studiorum causa pro residente habetur, ideóque fructus percipere possit: quia studens censetur laborare pro commodo totius Ecclesiæ.

Neque opus est, vt hanc dispensandi licẽtiam in beneficijs non curatis intra septennium coarctemus; sed quamdiu Episcopo visum fuerit ecclesiæ expedire, eam extendere poterit. Quam ob causam dixi in lib. 4. The. moral. edit. 2 tr. 2. c. 14, num. 1. ver. Quæstio hoc loco, nihil contra Trident. Concilium agi, si Episcopus, vel Capitulum Cathedralis suæ ecclesiæ canonicatus conferat adolescentibus, modò 14. ætatis annum ingressi sint, qui interea studijs operam nauent, donec ætatem consequantur, vt susceptо ordine sacro ad Capitulum etiam admittantur.

Dicet aliquis: Cur ergo in c. vlt. de Magistris studiosis tantùm Theologię ad quinquẽnium cõceditur, vt fructus suorum beneficiorum percipere possint. Respondeo, cum Gl. ver. de licentia; Esse illud generale priuilegium iuris directè concessum studiosis, vt sine alia dispensatione, ab Episcopo impetrata, eo frui possint.

§. Parrò.

INterim dum Parochus super residentia dispensatus, in studijs versatur, bonus, & ad hoc munus sufficiens Vicarius deputandus est, congrua ipsi ex ecclesiæ prouentibus portione designata.

QVÆRES: Quod in hoc c. requiritur, vt loco parochi absentis Vicarius constituatur, num etiam accipiendum sit de alijs beneficiatis non curatis, si studiorum causa absint. Responsio est negatiua apud Abb. in cit. c. tuæ, de Clericis non resident. n. 6. Quandoquidem iura id non exigunt, nisi in beneficio curato. Sed limitanda est hæc doctrina Abbat. Nisi tale sit beneficium, quod ex propria institutione personale seruitium præstandum habeat, vt capellania in certo altari constituta.

§. Elapso.

POst elapsum septennium, debet Parochus super sacris Ordinibus, excepto Subdiaconatu, dispensatus, intra annum sequentem diaconus & sacerdos fieri: alioquin incurrit pœnam, c. licèt canon; nisi causa iusta eum excuset.

CAPITVLVM XXXV.

Commissa.

PARAPHRASIS.

Aliquis ad parochialem ecclesiam promotus, per negligẽtiam distulit sacerdotium accipere, vt appareret, intra eum annum promotum non iri; vtrùm statim cùm hoc apparet, parochiâ priuatus censeri debeat, ita vt alteri, etiam eo nolente seu non cedente, conferri queat? Respondet Bonifac. Non priùs priuatum esse, quàm annus integer elapsus fuerit.

SVM-

SVMMARIVM.

1. *Vt Rector ecclesiæ parochialis, non promotus ad sacerdotium, pœnam priuationis incurrat, requiritur, vt annus, elapso septennio integer sit completus.*
2. *Pœna legalis statuta ex non facto intra certum tempus, non incurritur, nisi illud tempus integrè sit elapsum.*
3. *Et annus ille non currit legitimè impedito.*
4. *Non promotus si eâ conditione acceperat parochiam, vt fructus interea perciperet, postea eam dimissurus, tenetur ad restitutionẽ ipsorum; & in defectum huius promouens, qui eâ mente contulit, ecclesiam debet seruare indemnem.*

1 NOTANDVM Vn. Pœna legalis statuta, nisi intra certum tempus aliquid factum fuerit, non incurritur, antequam integrè elapsum sit. Hac de re dixi in lib. 3. Th. moral. tr. 4. c. 16. n. 12.

§. Annus.

TEmpus enim, intra quod promotus ad parochiam sacerdos fieri debet sub pœna priuationis, currit à die habitæ possessionis pacificæ, aut si per prouisum stet, quò minùs eam consequatur. Sed tempus hoc anni non numeratur, dum aliquis legitimè impeditus est sacerdotium consequi.

2 NOTANDVM I. Prouisus, possessionem non consecutus, excusare se non potest, si per eum stet, quò minùs consequatur. Ita etiam habetur in c. licèt, 28. de præb. hoc lib.

Sed QVÆRIT hìc Gl. primò: Quid si prouisus non omnium redituum, sed partis tantùm possessionem nactus sit, tenebitúrne ad sacerdotium promouere? Et bene respondet affirmatiuè, si liberum curæ exercitium habeat. Vide Gl. in c. Si tibi concesso, 26. hoc lib. de præb. in fine.

QVÆRITVR secundò: Quid si statim post adeptam possessionem parochiæ, lis illi moueatur, currítne illi tempus anni? Respondet, Quòd non: Secus est, si aliquamdiu, videl. vno, aut altero mense, pacificè possedit, & postea illi lis super parochia mota fuit.

NOTANDVM II. Tempus statutum non currit legitimè impedito, si agatur de pœna, aut quasi pœna incurrenda. Ita etiam habetur suprà hoc lib. & tit. c. quàm sit, 6. in fine, & dixi ibi. 3

Ob eam causam monet hìc Gl. ver. iusto impedimento, consultum esse, vt parochus, qui ordinationem vltra annum distulit, priùs vocetur & audiatur, quàm parochia eius, tanquam ipso iure vacans, alteri conferatur: cùm ille excusationem iusti impedimenti afferre possit, & ideo collationem alteri factam rescindere.

§. Cæterùm.

SI quis parochiam acceperit, animo non 4
suscipiendi sacerdotium intra annum, sed fructus interea percipiẽdi, parochiam postea dimissurus, is, nisi voluntatem fraudulentam mutet, ad perceptorum fructuum restitutionem obligatur. Hanc constitutionis partem plenè explicaui lib. 4. Th. mor. tr. 2. c. 14. n. 9. & 10.

§. Illum.

QUi parochialem ecclesiam alicui confert, sciens, quòd non habeat intentionem sacerdotium intra annum suscipiendi, præter diuini Numinis offensam, etiam obligationem erga ecclesiam contrahit, vt eam indemnem seruet. Id verò Gl. ver. indemnem, non malè intelligit in defectum parochi fraudulenti, vt si is non restituat fructus, quatenus ecclesia læsa est, talis obligatio redundet in promouentem, quippe qui particeps est commissæ fraudis.

CAPITVLVM XXXVI.

Si Abbatem.

SVMMARIVM.

1. *Abbas eligitur in Episcopum, sed transfe-*

ire non potest sine licētia Papæ vel Legati à Latere, si exemptus est; proximi autem Superioris, videlicet Episcopi, si exemptus non est.

2. *Episcopus ad alium Episcopatum postulari debet, eligi non potest.*

1 ABbas Sedi Apostolicæ immediatè subiectus, licèt in Episcopum eligi possit, tamen monasterium deserere, & ad aliam ecclesiam transire ei non licet, nisi à Pontifice, vel Legato à Latere, si in prouincia sit, licentiam acceperit.

2 NOTANDVM Vn. Abbas, sicuti & alius Religiosus, ad Episcopatum eligitur: Episcopus autem ad alium Episcopatum postulari debet. Ita docet Gl. hic. Nam sacri canones prohibent Episcopum ad alium Episcopatum transferri, nisi Sum. Pontifex dispenset, à quo talis translatio postulari debet, c. inter corporalia 2. & c. vlt. de translat. Episcopi. At verò alijs Prælatis Episcopo inferioribus etiam regularibus permittunt sacri canones, vt à sua ecclesia translati, ad Episcopatum assumantur, vti constat ex c. nisi, 10. prope finem, de renunt. dummodò licentia eius Superioris, cui subiecti sunt, accesserit. Aliud est autem licentiam dare, & aliud in lege dispensare, vti explicaui lib. 1. tr. 4. c. 22. n. 1. ver. Tertiò.

Corollarium. Licentiā assentiendi electioni, & transeundi ad Episcopatū, aliámue prælaturam petere debet Abbas à proximo suo Superiore; videl. ab Episcopo, si exemptus non est; à Papa verò, vel Legato eius à latere, si exemptus ac Sedi Apostolicæ immediatè subiectus. Ita Ioann. Monachus n. 1. vbi addit, si Sedes Episcopalis vacet, Capitulum talem licentiam dare posse.

§. Huiusmodi.

LEgatus à latere, seu Cardinalis, cùm post Romanum Pontificem maximam potestatē habeat in prouincia, ad quam missus est, Archiepiscoporum, Episcoporum, & exemptorum Prælatorum, electiones ex officio confirmare potest. At verò alij Legati, seu Nuncij, non à latere, sine speciali commissione id agere haud possunt. De hac re dixi lib. 1. tr. 4. c. 7. §. 6. n. 22.

CAPITVLVM XXXVII

Si Compromissarius.

SVMMARIVM.

1. *Si Compromissarius vnus vel plures non eligunt intra tempus iuris, potestas prouidendi ad proximum Superiorem deuoluitur.*
2. *Si eligant, sed indignum, vel electus acceptare nolit, redit ad compromittentes.*
3. *Et ipsi soli eligentes à beneficijs ecclesiasticis per triennium suspensi sunt: Compromittentes autem tunc solùm, quando id scienter ratum habuerint.*
4. *Pœna tamen hæc suspensionis non habet locum in Episcopo compromissario.*
5. *Neque in electione inferiorum Episcopis.*
6. *Capitulares si in electione hac inferiorum Episcopis eligant indignum, electio probabiliter ipso iure irrita est, adeò, vt potestas eligendi deuoluatur ad alios non delinquentes.*
7. *Restringitur etiam hæc pœna ad beneficia, quæ elector possidet in ea ecclesia, quam per indignam electionem offendit.*

SI Compromissarius vnus, vel plures ad eligendum Episcopum constituti intra tres menses à die vacationis numerandos eligere culpabiliter intermittant, potestas prouidendi ad proximum Superiorem deuoluitur. Quare sibi imputare debent compromittentes, quòd eligendi potestatem in talem, vel tales personas contulerint.

§. Si verò.

SIn autem Compromissarius, aut Compromissarij eligant indignum, seu scien-

ter id egerint, seu ignoranter eligendi potestas ad compromittentes reuertitur: Idemque dicendum, si electus acceptare noluit.

Primam partem huius §. Si Compromissarij indignum Episcopum scienter eligant, quòd potestas eligendi ad Capitulares redeat, inde probat Bonif. Quia æquum non est, vt dolus Compromissariorum ijs, qui in culpa non sunt, imputetur. Cæterùm, si electionem indigni ratam habuerunt, tum perinde est, ac si eam fieri mandassent: ideóque pœnas priuationis, ac suspensionis incurrunt, iuxta reg. 10. hoc lib. *Ratihabitionem retrotrahi, & mandato non est dubium comparari.*

Sed QVÆRES: Cur in priore casu negligentiam Compromittentium luere debent Capitulares; non item in posteriore casu dolum eligentium indignum. Respondeo: Si quid, quod mihi incumbit faciendum, alteri committam, & ille negligat, eius negligentia seu omissio mihi nocet, l. si procuratorem, 8. §. si tutores, ff. mandati. At verò dolus mandatarij, cùm in committendo consistat, domino aut principali obesse non debet, si is extrà culpam est, l. vlt. C. de Procuratoribus. Quare inquit Ioann. hîc n. 1. Hostiensis n. 33. *Procurator obest domino in omittendo, non in committendo.*

Posteriorem partem huius §. Si compromissarij indignum ignoranter elegerint, non posse eos ad aliam electionem procedere, sed eligendi potestatem redire ad Compromittentes, inde probat Bonifac. VIII. Quia electio ipsis commissa est pro vna vice: si igitur semel elegerunt, siue bene, siue malè, cum officio suo functi sint, non possunt iterum sine noua commissione eligere.

3 PORRO si Compromissarius indignum elegerit, à beneficiis ecclesiasticis per triennium suspensus est, iuxtà Concil. Lateranense, ci. cùm in cunctis, 7. extrà, hoc tit. Hanc verò pœnam non incurrunt compromittentes, nisi electionem ratam habuerint: Quia alioquin æquum non est, vt innoxij alienam culpam luant: cùm pœna suum autorê tenere debeat. In seqq. §§. sequuntur restrictiones dictæ pœnæ.

4 PRIMA. Si Compromissarius, qui indignũ elegit, Episcopus sit, non incurrit suspensionem, propter c. quia periculosum, 3 de sent. excom. hoc lib. vbi decernitur, vt Episcopi nullam interdicti, aut suspensionis censuram incurrant, nisi de ipsis expressa mentio fiat.

5 ALTERA. Pœna hæc suspensionis per triennium ab ijs tantùm incurritur, qui Episcopũ indignum eligunt: Non autem locum habet in aliorum Prælatorum, aut beneficiatorum electionibus. Ratio est: Quia in c. cùm in cunctis, tantùm mentio fit de electoribus Episcopi: ergo cùm pœnalis constitutio sit, non debet ea extendi ad alios electores: Præsertim cùm Episcopi electio maioris momenti sit, ideóque grauiùs puniri debeant, qui in ea delinquunt, eligendo indignum. Quæ est communis D D. explicatio, cum Gl. in c. quamquam 18. hoc lib. & tit. ver. secùs.

Sed hinc exoritur quæstio non satis explicata: Si Capitulares ad inferiorem prælaturam aut dignitatem eligant indignum; vtrùm electio ipso iure irrita sit, & ad alios non delinquentes eligendi potestas deuoluatur. Est, qui negantem partem tenet, quia ex hoc c. & toto contextu c. cùm in cunctis, apertè constat, pœnam priuationis & suspensionis à beneficijs decretam ibi esse duntaxat in eligentes indignum ad Episcopatum: ergo transferri non debet ad alios. Sed contrarium docet Gl. in cit. c. quamquã, ver. secùs, & ver. in inferioribus; & indicat Imola in cit. c. cùm in cunctis, §. Clerici, n. 1. Licèt pœna suspensionis in electionibus non episcopalibus, sed inferioribus locum non habeat, tamen priuationis pœnam locum habere, vti apertè colligitur ex c. dudum 22. extrà, hoc tit.

Respondeo & Dico I. Pœna tùm priuationis tum suspensionis à beneficiis in cit. c. cùm in cunctis, duntaxat lata est contra scienter eligentes personam indignam ad Episcopatum. Hæc est communis, quam ibi notat Ioan. Andr. ver. Episcopum, Abb. §. Clerici, n. 28.

Dico II. Certum esse debet, quòd Canonici aut quicunque Capitulares, si indignum elegerunt

elegerunt ad aliquam dignitatem, à Superiore pro ea vice priuari possint. Ita apertè colligitur ex cit. c. dudum, propè finem. Quare rectè monent DD. apud Gloss. fin. in cit. c. quamquam, quòd Episcopus alium instituere possit in Abbatem, si Monachi indignum eligant.

6 Dico III. Valde etiam probabile est, quòd eligentes indignum in inferioribus dignitatibus, ipso iure irrita sit, adeò vt tota eligendi potestas in alijs non delinquentibus resideat. Colligitur ex c. perpetuæ 7. hoc lib. & tit. & tradit Gl. in c. dudum, ver. in ordinibus, argum. eius textus, in quo electio in Præpositum, quæ à minore & saniore parte Capituli facta erat, dicitur confirmanda: quę tamen non confirmaretur, nisi alij priuati essent.

Ad fundamentum contrariæ sententiæ Respondetur: Verum esse, quod in c. cùm in cunctis, pœna priuationis, sicut & suspensionis statuatur tantùm contra electores ecclesię Cathedralis, non tamen inde per cõtrarium sensum argumentari licet, in alijs pœnam illam priuationis locum non habere: quando oppositum expresè in iure decisum est, videl. cit. c. dudum. Si autem petas: Cur pœna hæc priuationis statuatur contra omnes electores indigni; non item pœna suspensionis? Resp. Quia spectatà rei naturà pœna priuationis quodammodo debita est electoribus indigni: tum vt in eo puniantur, in quo deliquerunt: tum quia, saltem pro ea vice, propter præsentem malignam affectionem, non satis dispositi censentur ad bonam, & ecclesiæ vtilem electionem faciendam.

7 Tertia. Suspensio à beneficijs per triennium intelligitur tantùm de ijs, quæ elector possidet in ea ecclesia, quam per indignam electionem offendit. Quamobrem, quod dictum est in c. 1. in fine, hoc lib. & tit. Quòd deficiens in probatione eorum, quæ contra personam electi, postulati, aut prouisi obiecerat, à beneficijs per triennium suspensus esse debeat, similiter de ijs tantùm intelligi oportet, quæ in eadem ecclesia obtinet.

CAPITVLVM XXXVIII.

Procurator.

Svmmarivm.

Procuratorem constituere potest appellans contra eum, qui oppugnare vult electionem; debet autem in procuratorio mandato omnia specificè exprimere, qui contra formam, vel personam obijcere vult.

Qui electionem, postulationem, aut prouisionem alicuius oppugnare vult, contra eum ad Superiorem appellans, procuratorem constituere non prohibetur: Sed necesse est, vt in procuratorio mandato omnia specificè exprimantur, quæ seu contra formam, seu contra personam obijcere vult, qui appellat: alioquin procurator admittendus non erit. Debet autem Procurator speciale mandatum habere de præstando corporali iuramento in animas eorum, quorum procurator est, quòd ipsi credant ea, quæ expressa sunt, vera esse, atque probari posse. Quare vides, quòd c. istud declarationem contineat c. vt circa 4. eod. lib. & tit.

CAPITVLVM XXXIX.

Si confirmationem.

Svmmarivm.

Cassata confirmatione, aut casa declarata ex aliqua causa, non ideo etiam electio, si canonicè peracta est, cassata est.

Si accidat confirmationem, ex aliqua causa cassari, aut irritam declarari, non ideo etiam electio, si canonicè celebrata fuerat, infirmari debet.

Ratio est: Quia vtile ab inutili non vitiatur, si vnum ab altero diuidi possit, vti docent DD. in reg. 37. hoc lib. Neque naturæ rerum congruit, vt accessorio destructo etiam fundamentum corruat; sed fundamento ruente, necesse est etiam accessorium cadere. Atqui electioni, tanquam fundamento, accedit confirmatio: ergo si confirmatio inutilis sit, non

ideo

ideo electio corruit: Sin autem electio inutilis sit, confirmatio eius nulla erit.

CAPITVLVM XL.

Quia sæpe.

SVMMARIVM.

1. *Si Capitula, Conuentus, Collegia, & personæ eorundem singulares occupent bona à Prælatis relicta, aut sede vacante obuenientia, donec plenè restituant, ab officio, & quibuscunque beneficiis sunt suspensi, non obstante quocunque priuilegio, statuto, vel consuetudine.*
2. *Prouentus etiam, qui sede vacante obueniunt, ad Capitulum non pertinent, et si ratione iurisdictionis ab eo exercitæ acquirantur.*

1 CApitula, Conuentus, Collegia, & personæ eorundem singulares, si aliquid ex bonis à Prælato antecedente relictis, aut sede vacante obuenientibus occupent, inter se diuidant, surripiant, vel absumant, suspensi manent ab officio, & quibuscunque beneficijs, donec plenè restituant, quod acceperunt: Idque non obstãte quacunq; consuetudine, statuto, aut priuilegio. Ratio huius Constitutionis est, quæ in proœmio affertur: quia bona à Prælato antecessore acquisita, vel sede vacante prouenientia, ad prælaturam pertinent: quæ vel in ecclesiæ eiusdem vtilitatem conuerti, vel futuro successori relinqui debent; atque interim ab ecclesiæ Oeconomo, vel, si alius administrator deputatus est, cõseruari.

2 Sed dubitare aliquis potuit: Numquid ij prouentus, qui sede vacante ratione iurisdictionis, & sigilli obueniunt, ad Capitulum pertinere debent, si interim iurisdictionem exerceat? Videtur enim affirmandum, propter iuris reg. 55. hoc lib. *Qui sentit onus, sentire debet commodum; & contrà.* Præterea fructus debentur iurisdictioni tanquam accessorij: ergo qui iurisdictionem exercet, etiam fructus inde prouenientes habere debet. Sed his non obstantibus, contrarium expresè responsum fuit à Clem. V. Clementina penult. de elect. Ratio reddi debet: Quia Capitulo, ratione obligationis, & connexionis, quam habet ad ecclesiam, & cum Capite ecclesiæ, eius bona tueri debet, non perdere: Quemadmodum simili ratione mater, atque agnati proximi ratione coniunctionis cum pupillo, eius bona ex pietatis lege administrant, non percepto inde emolumento. Ad reg. 55. respondeo; Eam locum non habere, si onus ex propria institutione, aut natura rei annexũ est alicui officio, sine cõmodo: Vti patet in tutela, præsertim legitima; item in mandato, quod gratuitum esse debet, l. 1. ff. mandati. Ita tamen, vt eiusmodi officia damnosa non sint, sed expensæ omnes repeti possint.

Ad alterum respondetur: Si quis nomine suo iurisdictionem exerceat, prouentus inde prouenientes accipere ipse potest: sin autem nomine alieno, ipsi reseruare debet. Atqui Capitulum, sede vacante, iurisdictionem exercet non nomine ecclesiæ, tanquam eius tutor, administrator, conseruator: Ergo non sibi bona attribuere, sed ecclesiæ relinquere, & successori reseruare debet. Sed excipitur in dicta Clement. penult. Nisi quædam singulares personæ sint, quibus ratione dignitatis suæ (quia v. g. sunt Præpositi, aut Decani ecclesiæ) iurisdictio sede vacante ex consuetudine, statuto, priuilegio, ita competit, vt interim fructus ex eadem iurisdictione prouenientes ipsimet retineant. Talis consuetudo reprobata censeri non debet. Vide etiam c. vlt. de offic. Ordinarij, hoc lib. & tit.

CAPITVLVM XLI.

Constitutio.

SVMMARIVM.

Quæ in decret. vt circa 1. hoc tit. & lib. præscripta sunt circa appellationem contra prouisionem alicuius, solùm in extraiudicialibus locum habent: in iudicialibus antiqua iura seruanda sunt.

QUæ à Gregorio X. c. vt circa, 4. hoc tit. & lib. præscripta sunt, vt obseruentur ab appellantibus contra electionem, postula-

tionem, vel prouisionem alicuius, accipi debent duntaxat de appellatione extraiudiciali: Sin autem in iudicio appelletur, procedendum est secundùm iura antiqua.

Contra hanc responsionem obijcitur: Vbi eadem est ratio dispositionis, ibi idem ius esse debet: sed ratio, quæ mouit Gregor. X. in cit. c. vt circa, ad nouam formam præscribendam appellationibus, vt via malitiis hominum præcludatur, æquè locum habet in appellatione intra iudicium, quàm extra iudicium: Ergo idem de vtroque statutum videri debet. Respondetur cum Gl. marginali, in hoc c. Quòd lex exorbitans, sicuti & pœnalis, aut alia quæ strictæ interpretationis est, propter similitudinem rationis in ea expressæ extendi non debet ad similia, nisi necessitas aliqua cogat: Quia correctio iurium, quatenus fieri potest, vitanda est, c. cùm non expediat, 29. hoc lib. & tit. l. præcipimus, C. de appellat. Ita colligitur ex hoc c. & docui lib. 1. Th. mor. tr. 4. c. 18. n. 9. in fine.

Prælatus potestatem habeat; cùm eos successori reseruare, ideóque rationem reddere debeat, vti hìc Ioan. Andr. annotauit; attamen in administratione, & iurisdictionis exercitio æquiparatur Prælato: Imò aliquantò maiorem potestatem habere videtur in administratione, quippe plenam ac liberam, quam an Episcopus habere censeatur, non satis liquet: vti hìc videre licet in Gl. ver. & libera. Nam alienatio rerum mobilium pretiosarum tali administratori concessa videtur ex iusta causa, secundùm Gl. hìc ver. immobilia. Ea tamen Prælatis interdicta est, c. nulli, de rebus eccles. alien. vel non.

Porrò non solet facilè Pontifex generalem administratorem cum libera ecclesiæ Cathedrali statuere, nisi Capitulum, cui aliàs administratio competeret, suspectum ipsi sit, ita vt etiam ad electionem noui Episcopi in tali casu procedere non debeat: cùm Papa prouisionem ad se reuocare censeatur. Vide Gl. hìc, ver. confirmatus.

CAPITVLVM XLII.

Is cui.

SVMMARIVM.

Qui habet plenam administrationem ecclesiæ Cathedralis vacantis, omnia iurisdictionalia exercere potest, non autem ea, quæ ordinis episcopalis sunt, nisi Episcopus sit.

QUi vacantis ecclesiæ Cathedralis administrator, cum plena ac libera potestate constitutus est à Sum. Pontifice (cuius id proprium est) ille omnia, quæ iurisdictionis Episcopalis existunt, & quæ electus ac confirmatus Episcopus potest, liberè exercere valet: excepto quòd immobilia bona ecclesiæ alienare nequit. Illa verò, quæ ordinis Episcopalis sunt, si ipsemet Episcopus non sit, per alium consecratum Episcopum expedire debet.

NOTANDVM Vn. Administrator generalis cum libera, à Pontifice constitutus alicui ecclesiæ, licèt in fructibus non eam quam

CAPITVLVM XLIII.

Indemnitatibus.

SVMMARIVM.

1. *Monialis non admittitur ad electionem, nisi duodecimum annum compleuerit, & tacitè vel expressè professionem ediderit: Abbatissa autem, vel Priorissa, nisi trigesimum, & insuper expressè professæ fuerint.*
2. *Iure nouo Trident. Moniales hodie non possunt ad electionem admitti, nisi completo XVI. ætatis anno, post completum annum XII. puellæ habitum regularem susciperè possunt; ante admissionem autem ad professionem debet examinari de proposito liberè profitendi.*
3. *Eodem iure Trident. Abbatissa, vel quæcunque Monasterij præfecta eligi non potest, nisi quadragesimum, aut in quibusdam casibus trigesimum annum compleuerit.*
4. *Electa à duabus partibus, cùm per scrutinium*

tinium proceditur, præmisso examine, non obstante quacunque contradictione alterius partis, à Superiore confirmari debet, & benedici, si Abbatissa sit.

5. *Publicato scrutinio, antequam ad actus extraneos se diuertant, possunt suffragium mutare, & accedere ad illam, quæ à maiore parte electa est.*

6. *Si per accessum aliarum duæ partes compleantur, ita electa confirmetur, & benedicatur, vt n. 4. dictum, ita tamen, vt post benedictionem & possessionem acquisitam locus adhuc esse possit obijciendi ea per modum denunciationis, vel accusationis, ob quæ ab officio amouenda sit.*

7. *De obiectis contra electam à maiori parte, quæ tamen duas partes nec per accessum habet, absque strepitu iudiciario inquiretur; ipsa interim in spiritualibus & temporalibus administrabit: nihil autem alienabit, nec monialem recipiet.*

8. *A minori parte electa nullum ius acquiritur, neque aliæ possunt accedere ad eam.*

9. *Neque est facienda collatio Zeli ad Zelum, aut meriti ad meritum, sed tantum numeri ad numerum.*

10. *Qui electioni præest ad susceptionem suffragiorum, non ingredi debet claustra monasterij extra casum necessitatis.*

11. *Si monasterium Apostolicæ Sedi immediatè subiectũ est, Præposita monialium à Pontifice confirmationem petere debet per procuratorem, ab Episcopo, si subsit Episcopo; si Religioso virorum Ordini, ab eius Prælato.*

12. *Abbatissæ, quæ benedici solent, benedictionem intra annum à die Confirmationis numerandum petere tenentur.*

13. *Abbatissæ, & quæuis Monialium Præfectæ habent vsum quendam iurisdictionis spiritualis, saltem indirectè ex commissione ipsis facta à Summo Pontifice, vel Ordinis Prælato.*

14. *Possunt Moniales eligendi potestatem in Episcopum, vel Ordinis Prælatum conferre.*

15. *Si contingat appellari in electionibus Monialium; hæ personaliter non venient ad Sedem Apostolicam, sed Procuratorem mittent.*

16. *In ijsdem excitantes discordiam, vel exortam nutrientes & non componere studentes, ipso iure excommunicantur.*

17. *Hæc Constitutio locum etiam habet in conuentibus mulierum, quæ Canonicæ vocari solent.*

AD electionem Moniales admitti nõ pos- 1
sunt, nisi duodecimum ætatis annum complêrint, & professionem tacitè, vel expressè ediderint. Abbatissa autem, vel Priorissa (vbi Monasterium per Priorissam gubernatur) eligi non potest, nisi quæ annum trigesimum exegerit, & expressè professa fuerit.

Quædam hîc aduertenda sunt: I. Hodie 2
post Trident. sess. 25. c. 17. de Regular. Moniales ad electionem admitti nõ possunt, nisi XVI. ætatis annum complêrint: quia tanta ætas ad professionem requiritur. Sufficit tamen etiam post Tridentinum, si tacitè professæ sint; modò anno continuo in probatione steterint, iuxta ea quæ dixi lib. 4. Th. moral. tr. 2. c. 5. n. 1.

II. Post expletum ætatis annum duodecimum, non antè, puellæ habitum regularem in Monasterio suscipere possunt: sed antequam ad professionem admittantur, ab Episcopo, vel Vicario de proposito liberè profitendi examinari debent, secundùm Trident. sess. 25. c. 17. de Regularibus.

III. Nouo iure Trident. sess. 25. c. 7. de 3
Regularibus, Abbatissa, aut quocunque alio nomine appelletur, quæ Monasterio præfecta est, eligi non potest, nisi annos quadraginta compleuerit, & annis octo post expressam professionem in Monasterio laudabiliter vixerit. Quòd si in Monasterio talibus qualitatibus prædita non reperiatur, ex alio eiusdem Ordinis eligi poterit. Sin autem id incommodum videatur Superiori, qui electioni præest, tum sufficiet, si trigesimum annum exegerit, & quinq; annis in Religione post professionem laudabiliter vixerit. Vide

etiam declarationem 1. Cardinal. apud Ioan. Gallemart.

5. Sanè.

4 IN hoc §. duo dicuntur: Primò: Si electio inter Moniales in discordia fiat per scrutinium, ea quæ à duabus partibus electa est, non obstante quacunque contradictione partis alterius, à Superiore (præmisso tamen examine, quod ex officio facere tenetur) cõfirmari debet atq; benedici, si Abbatissa sit.

5 Secundò: Si neutra electio duas partes habeat, tunc liceat Monialibus, etiam post publicatum scrutiniũ, & factam electionem, suffragium mutare, atque illi accedere, quæ à maiore parte electa fuerat: dummodò id fiat incontinenti; siue antequam ad actus extraneos se diuertant.

6 Quòd si per accessum aliarum duæ partes cõpleantur, ita electa cõfirmetur, ac benedicatur, sicuti suprà dictum fuit. Ita tamẽ, vt etiam post benedictionẽ, & acquisitam gubernationis possessionem, liceat aliquid per modũ denuntrationis, vel accusationis obijcere, ob quod de officio ac dignitate deijciẽda sit.

7 Sin autem ad eam, quæ à maiore parte electa fuit, aliæ accedere nolint, vel non vsque ad duas partes; tum Superior, ad quem confirmatio spectet, audiat obiectiones earum, quæ electioni contradicunt, facta inquisitione plena sine strepitu iudicij: Interim verò electa in spiritualibus, & temporalibus administrare poterit, ita tamen vt nihil omninò alienet, nec Monialem aliquam recipiat.

8 Ea porrò, quæ à minore parte Conuentûs electa est, ex tali electione, hoc ipso quòd à parte minore fiat, nullas vires habet adeò, vt neque per aliarum accessum postea conualescere queat.

9 Vt autem facilius in his Regularium electionibus ad concordiam perueniat; collatio numeri tantùm ad numerum, non item zeli ad zelum, meriti ad meritum fieri debet.

Circa hæc aduerte primò: Licèt in Ordine S. Francisci v.g. Guardiani, & Priores non à Monasteriorum Conuentibus, sed in Capitulis generalibus, & prouincialibus eligãtur, vti videre est apud Rodric. to. 2. regul. q. 54. a. 1. tamen expedire magis visum fuit, vt Abbatissarum, & Priorissarum electio Conuentui relinquatur, sicuti idem monet Rodriq. eod. tomo, q. 55. a. 1.

Aduerte secundò: Quòd Gregor. XIII. in Bulla 84. quæ incipit: *Exposuit*, decreuerit, vt Abbatissæ, & aliorum Monasteriorum Præfectæ eligantur tantùm ad triennium vsq; Id tamen in Monasterijs, quæ Prælatis Ordinum Regularium non subijciuntur, his regionibus ferme obseruari non solet.

Aduerte tertiò: Abbatissarum, seu Præpositarum, sicuti & Prælatorum, aliorumque regularium Officialium electiones per vota secreta fieri debent, quæ nunquam publicentur, iuxta Trident. Constit. sess. 25. cap. 6. de Regular. Quocum non pugnat, quin absens suffragium in scripto mittere, vel Procuratorem constituere possit, si Religionis consuetudo aut statutum id permittat, sicuti ex Cardinalium declaratione testatur Azor to. 1. lib. 13. c. 10. q. 2. Id verò speciale est in electione Abbatissarum, seu Præpositarum, quòd Episcopus, vel alius Superior, cui Monasterium subiectum est, suffragia singularum, adhibito vno aut altero teste, ante cancellorum fenestram excipere debeat, iuxta Trident. sess. 25. c. 7. de Regular. Non prohibetur tamen Superior hanc suffragiorum exceptionem alteri delegare. Et quamuis ordinariè ita seruandum sit, vt ad cancellos suffragia ore prolata excipiantur, fieri tamen posse, vt ad Monialium inquietudinem dandã, atque concordem & canonicam electionem peragendam necessarium sit, Prælatum intra septa Monasterij ingredi, docet Ioan. de La Cruz de statu Relig. lib. 1. c. 5. dub. 2. concl. 3. not. 3. apud Ioan. Gallemart in remission. ad cit. c. 7.

Aduerte quartò: Si Monasterium Sedi Apostolicæ immediatè subiectum sit, Abbatissa seu Priorissa à Pontifice confirmationem petere debet: Sin autem Religioso virorum Ordini subiectum Monasterium, à Prælato Ordinis: Si denique Episcopo subiectum, ab eodem confirmari debet electio Abbatissæ, aut Præfectæ Monialium. Ita Azor *cit.* c. 10. q. 3. vbi tamen miror, quòd dicat, in iure canonico

nonico non reperiri, Abbatissam confirmandam esse; cùm in hoc c. id expressè dicatur.

Aduerte quintò: Quod hic dicitur, Abbatissam canonicè electam & confirmatam benedicendam esse, id apertiùs traditur in Clem. Attendentes, §. statuimus, de statu
12 Monachorum, vt infra annum à suæ confirmationis tempore benedicantur, in Monasterijs, in quibus solitæ sunt Abbtissæ benedici. Non enim vbique benedicuntur; sed cuiusque regionis mos in hac re sequendus est, vtì Gl. ibidem monet, ver. solitæ.

Aduerte sextò: Quòd hîc Pontifex ait, vt Abbatissa in spiritualibus, & temporali-
13 bus liberè administret. Exinde enim infertur, quòd Abbatissæ, & quæuis Monialium præfectæ spiritualem quandam iurisdictionem, saltem indirectè participant, ex commissione ipsi facta à Prælatis Ecclesiæ; adeò vt Monialibus suis, quæ iusta sunt & regulæ conformia, præcipere possit, etiam in virtute S. obedientiæ, atque alia præstare, de quibus dixi lib. 1. Th. mor. tr. 5. p. 1. c. 3. n. 4. & tradit Azor. q. 7.

§. Cæterùm.

SI Monialis per compromissum electa fuerit, & aliquæ ex Conuentu se opponant, distingue: Vel minor pars se opponit, tum electa confirmari & benedici debet: Vel pars maior se opponit, tum confirmatio & benedictio interim differetur, sed electa liberè administrabit, sicuti in superiore casu dictum; nisi opponentium pars duplo maior existat, tunc administrare non debet electa, sed litis euentum expectare.

Aduertit autem Thomas Zerola in praxi Episcopali, ver. Abbatissa, ad sextum, post Constitut. Trident. Concil. sess. 25. c. 7. de Regular. in electione Monialium non esse locum compromisso; cùm suffragia ab Epi-
14 scopo, aut delegato eius sigillatim exquiri debeant. Si tamen Moniales in ipsum Episcopum, vel Ordinis Prælatum electionis potestatem conferant, haud dubiè is prouidere poterit, iuxta c. causam, 18. extrà, eod. tit.

§. Porrò.

SI in electionibus Monialium appellatio- 15
nem fieri contingat, Moniales ad Sedem Apostolicam personaliter venire non debent, sed Procuratorem mittere. Quoad alia verò etiam in his seruanda est Constitutio Nicolai III. c. vt circa 4. hoc lib. & tit.

§. Postremò.

QUi ad dirigendas electiones Monia- 16
lium destinantur, si discordiam inter eas excitent, aut exortam componere non studeant, ipso iure excommunicantur.

§. Supradicta.

QUæ de electionibus Monialium hac 17
Constitutione dicta sunt, similiter seruari debent in Conuentibus mulierum, quæ canonicæ vocari solent Clem. Attendentes, §. illas, de statu Monachorum, sed Religiosæ non sunt, cùm proprium retineant: Omnia, inquam, hîc præscripta in earum electionibus seruari debent, excepto, quòd suffragium actiuum & passiuum habeant, tametsi professionem religiosam non emittant. Per hoc tamen non intendit Pontifex earum statum, regulam, vel ordinem approbare.

§ Adhæc.

QUæ hîc specialiter de mulierum electionibus statuta sunt, ad alias electiones ecclesiasticas transferri nequaquam debent.

CAPITVLVM XLIV.

Prouida.

PARAPHRASIS.

In c. quamuis, 10. hoc lib. & tit. statuit Gregor. X. Si in causa electionis Episcopalis ad Sedem Apostolicam appellatum fuerit, sed partes postea ab appellatione recedant, quòd Metropolitanus, à quo appellatum erant, diligenter inquirere de-

beat, num simoniaca pactio interuenerit; &, si interuenisse intelligat, causam ad Sedem Apostolicam ableget. Sed quia nonnulli Metropolitani omissa hac inquisitione, ad Episcopi electi confirmationem, & consecrationem processerunt, decernit hîc Bonifc. VIII. eam confirmationem, & consecrationē, aliósque processus irritos esse debere; & confirmantem, ac consecrantē ab Episcoporum confirmatione, & consecratione per annum continuum ipso iure suspensum: vt in eo ipso, in quo peccauerit, puniatur.

Svmmarivm.

Consecrationem Episcopi factam à Metropolitano, non præmissa inquisitone, nullius firmitatis esse asserit h. textus; quod intelligendum non secundùm potestatem ordinis, sed exercitij suspensionem.

PRocesserunt hæ constitutiones secundùm ea tempora, quibus Episcopi à Metropolitanis confirmationem accipere soliti erant, vti dixi in cit. c. quamuis. Circa textum aduerte, quòd Bonifac. ait consecrationem Episcopi factam à Metropolitano, non præmissa inquisitione, nullius firmitatis esse, id bene monet Gl. intelligendum esse non secundùm characterem, & Ordinis acceptam potestatem, sed secundùm exercitij suspensionem: quòd videl. ita consecratus Episcopus actus ordinis licitè exercere non valeat. Quomodo explicari etiá debent canones in decreto Gratiani causa 9. q. 1. c. 1. & c. ordinationes, & q. 2. c. 1. & c. Episcopum. Vide quæ dixi lib. 5. Th. mor. tr. c. 9. n. 5.

CAPITVLVM XLV.

Si eo tempore.

Paraphrasis.

Papa mortuo alicuius ecclesiæ Episcopo, reseruauit sibi prouisionem, missis literis cum mandato, vt ad electionem, vel prouisionem non procedatur, alioquin irritum fore, quod seu scienter, seu ignoranter attentatum fuerit. Verùm cùm hæ literæ datæ essent, electio Episcopi peracta erat; & postea subsecuta confirmatio, quæritur, an ea rata manere debeant. Respondet Bonifacius VIII. quòd electio & alia quæ antecesserunt decretum, firma consistant: sed ea, quæ postea subsecuta, v. g. confirmatio, irrita censeri debet.

Svmmarivm.

1. *Si pontifex sibi prouisionem Episcopi reseruauit, irrita est electio aut confirmatio post decretum inhibitionis seu auocationis facta, quamuis ab ignorantibus.*
2. *Si Pontifex sibi beneficij, aut prælaturæ non episcopalis collationem reseruauit, neque expressit, vt, quæcunque etiam ignoranter ab Ordinario facta fuerint, irrita sint, tenet prouisio facta anteceptionem decreti.*

NOTANDVM I. Electionem, aut prouisionem, quæ canonicè peracta est, Pontifex non censetur reuocare: cùm sine graui causa ius alicui quæsitum non auferat. Ita notat Innoc. in c. innotuit, 20. n. 6. extrà, hoc tit. Quare licèt Pontifex, vbi specialia concordata non sunt, cum alijs Ordinarijs concurrat in collatione beneficiorum, tamen, si Ordinarius, ad quem de iure spectat, præuenit Papam prouidendo, prouisio Papæ irrita est, vti dixi Th. mor. lib. 4. tr. 2. c. 10. n. 2. ver. Secundò.

NOTANDVM II. Si Papa electionem, & prouisionem Episcopi ad se auocauit, irrita est electio, aut confirmatio eius, post decretum inhibitionis, seu auocationis facta, quamuis ab ignorantibus. Ita Bonifacius VIII. hîc. Ratio est, quam Ioann. Monachus reddit: Quia Summus Pontifex cum omni alio Ordinario in ecclesiastica iurisdictione ac potestate concurrit: Ergo potest quamlibet causam ab eius potestate extrahere, & sibi reseruare, aut alteri committere

fere absque iniuria. Et habet id locum in quibuscunque prouisionibus beneficiorum, vt si Papa præuenerit conferendo, vel reseruando, collatio facta postea à collatore ordinario, quamuis ignorante, irrita censeri debeat, vti apertè colligitur ex c. si beneficia, 10. de præbend. hoc lib. & tradit Innoc. in eit. c. innotuit, in fine.

2 Cæterùm si Papa beneficij, aut prælaturæ non Episcopalis collationem reseruarit sibi, neque expresserit, vt quæcunque etiam ignoranter ab Ordinario facta fuerint, irrita censeri debeãt, non est præsumendum, quòd voluerit derogare electioni, aut prouisioni factæ ante receptionem decreti sui: Quia iste est conuenientior modus reuocandi facultates, ne alioquin confusio oriatur, si fortè aliquis interim bona fide institutus, ac possessionem nactus sit. Quare quod in hoc c. dicitur, facta post reseruationem Papæ, v. g. confirmationem, & cõsecrationem electi, irrita esse, id specialiter statutũ est circa Episcopatus, cùm eorum causæ, tanquam maiores, specialiter Papæ reseruatæ sint, etiam secundùm antiquos canones: Et ita docet hîc Gl. ver. Cathedralis, Francus, n. 2. Garcias de beneficijs, p. 4. c. 3. n. 23. 40.

CAPITVLVM XLVI.

Si quis iusto.

PARAPHRASIS.

Qui iustè impeditus electioni interesse nequit, potest non tantùm vnum, sed & duos procuratores loco suo constituere; ita tamen, vt singulis potestatem eligendi det in solidum; videl. vt vnus sine altero eligere possit. Sin autem hoc casu ambo postulent ad electionem admitti, audiri non debent; quia possent diuersis personis suffragium dare. Quare ad Capitulum pertinebit, alterum horum eligere. Quòd si autem Capitulum, aut saltem maior pars Capituli non consentiat, tum is qui priùs in instrumento procuratorio nominatus fuit, alteri præferatur.

SVMMARIVM.

1. *Procurator ad eligendum constitutus nõ potest vnũ nomine suo, & alium nomine mittentis eligere, nisi de certa persona eligenda mandatũ speciale habeat.*
2. *Canonicus absens (licèt nullus ex Capitulo pro ipso eligendi mandatum suscipere; neque Capitulum extraneum admittere velit) suffragium suum per literas exprimere non potest.*
3. *Potest tamen hoc fieri, & valet in electionibus Regularium.*

NOTANDVM Vn. In dubio præsumi potest, eum qui in instrumento priùs nominatur, digniorem, & alteri in pari causa præferendum visum fuisse ei, qui instrumentum, vel dispositionem quamlibet fecit.

§. Porrò.

NOn potest procurator ad eligendum 1
constitutus, alium suo nomine & alium nomine mittentis eligere; nisi mandatum habeat de certa persona eligenda.

Ratio prioris partis est, quia quâ cõscientiâ, inquit Gl. ver. nihil agit, tenetur meliorem eligere nomine suo, ita etiam nomine domini. Ratio posterioris, quia eo casu potiùs is eligit, qui mandauit, quàm mandatarius seu procurator. Quare hoc casu etiam potestatem suam subdelegare poterit. Sin autem certa persona procuratori nominata non fuit, non videtur concessa potestas subdelegandi: quia censetur electa industria, seu discretio personæ, vti Gl. margin. hîc indicauit.

§. Absens.

SI ponamus, quòd nullus ex Capitulo, 2
pro absente, & accedere impedito, eligẽdi mandatum suscipere velit, neq; Capituũl consentiat, vt extraneus procurator constituatur, poterit ne ille absens suffragium suũ ad Capitulum destinare in literis expressum? Respondet Bonifac. VIII. Quòd non: Quia secundùm formam præscriptam in c. quia propter, suffragia secretè & sigillatim danda sunt in ipso scrutinio: iste autem suffragium

suum

ſuum dat ante ſcrutinium. Ponamus enim illum interim mortuũ eſſe: apparet profectò, eum ſuffragium non dare, ſed dediſſe.

3 Cæterùm in electionibus, v. g. Regularium, in quibus forma ſcrutinij exactè non ſeruatur, ſed ſchedulæ obſignatæ in vrnam conijciuntur, nihil obſtat ſuffragium ita ſcriptum ab abſente vel infirmitate detento mitti ad Capitulum, vti dixi in c. Indemnitatibus, 43.

CAPITVLVM Vlt.

Quoniam.

SVMMARIVM.

1. *Si in electione diſcordi adſit coëlectus, vel oppoſitor, is nominatim vocandus eſt ad cauſam ſuam agendam; ſi nullus adſit, generale mandatum ad Eccleſiæ valuas affigendum, in quo citandi volentes ſe opponere confirmationi, aſſignato peremptorio, aliter confirmatio non tenet.*
2. *Oppoſitor veniens poſt edictum, & peractam confirmationem, ſi is abſens fuit, & allegare poteſt probabilem ignorantiam edicti, audiendus eſt.*

ACcidit interdum, ſi electio in concordia celebrata non ſit, ſed vel duæ electiones factæ, vel vni electioni aliqui ſe oppoſuerunt, ne confirmaretur, vt Ordinarius ad confirmationem, non coëlecto, aut ijs, qui ſe electioni opponebant, non vocatis, neque diſcuſſo negotio, ad cõfirmationem impactiendam feſtinaret. Quare ſtatuit Bonifac. VIII. vt ſi coëlectus aliquis adſit, vel oppoſitor, is nominatim vocetur ad cauſam ſuam agendam: Sin autem nullus talis adſit, generale edictum ad eccleſiæ valuas affigatur, in quo peremptoriè ad diem definitum citentur, ſi qui electionem factam impugnare velint, quò minùs confirmanda ſit: Hæc ſi omiſſa fuerint, confirmatio irrita erit. Et vult pontifex, vt hæc eadem obſeruentur, etſi electio in concordia, id eſt, vnica, nemine opponente, celebrata fuerit.

NOTANDVM Vn. Si per edictum vocandi ſint ij, quorum intereſt; tum nominanda eſt perſona, ſi noſcatur: ſin verò perſonæ non noſcantur, generaliter citantur, vt compareant ij, ad quos negotium principaliter, aut irreparabiliter pertinet, vti docet Abb. in c. exhibita, n. 5. de iudic. Ibid. Felinus n. 2.

QVÆRITVR: Si aliquis poſt generale edictum, & ſecutam confirmationem veniat, qui opponere velit, vtrùm audiendus ſit. Reſpondeo: Si is abſens fuit, vt probabilem edicti ignorantiam allegare poſſit, audiri debet. Sin verò non abſens, aut non longè diſtans, ordinariè non auditur; niſi ignorantiam coniecturis aſtruat, & iuramento confirmet, arg. c. vlt. Qui matrim. accuſ. poſſunt. Cæterùm ad denuntiationem canonicam, vt indigna ſeu inhabilis perſona eccleſiæ non præſit, ordinarie aliquis admitti debet etiam poſt confirmationem, & conſecrationem, vti Abb. docet in c. nihil, 44. n. 6. extrà, hoc tit.

TITV.

TITVLVS VII.
DE TRANSLATIONE EPISCOPI.

Hic est tertius modus ad prælaturam perueniendi, per Translationem: quæ tamen solùm in Episcopis locum habet, quia inferiores Prælati, videl. Abbates, & Præpositi eligi possunt, ita tamen, vt ante impetratam licentiam electioni consentire nequeant, sicuti dixi in c. Si Abbatem, 36. de elect. in 6.

CAPITVLVM I.
Cùm ex illo.

PARAPHRASIS.

Ex speciali priuilegio, quod Christus Dominus B. Petro Apostolo, & in ipso Successoribus eius Summis Pontificibus cõcessit Matth. 16. Ioan. 21. canonica institutа promanarunt, vt causæ grauiores, cuiusmodi est etiam Episcoporum translatio, Apostolicæ Sedi reseruarentur; ita vt nemo alius, sine eius consensu, se intromittere possit. Quamobrem miratur Innocentius III. quòd Patriarcha Antiochenus Lucium Apamensem electum Archiepiscopum, ad Tripolitanam ecclesiam transtulerit, atque ex Archiepiscopo Episcopum constituere præsumpserit. Tametsi verò dictus Lucius consecrationem nondum acceperit, tamen post electionem confirmatus erat; ideóque Archiepiscopalia, quatenus ei licitum erat, administrabat: quia inter alia Episcopum Valiensem confirmauit. Quare ne etiam alijs talia perpetrandi audacia addatur, Innoc. dictum Antiochenum Patriarcham ab Episcoporum confirmatione suspendit.

SVMMARIVM.

1. *Causæ maiores, ex speciali priuilegio Petro & successoribus eius concesso, reseruatæ sunt Romanæ Sedi Apostolicæ. Et quæ sint illæ causæ maiores.*
2. *Qui Pontificiæ potestati resistit, & iura eius violat; is magis ordinationi diuinæ resistit, quàm si alteri ordinationi resistat.*
3. *Episcopi, aliíq; Prælati nihil contra vniuersales Ecclesiæ Canones statuere possunt.*
4. *Episcopus, vel Archiepiscopus electus (licèt confirmatus sit) ante acceptam consecrationem non debet absolutè vocari Episcopus, sed cum addito* Episcopus electus, *aut* confirmatus.
5. *Potest vterq; ante consecrationem beneficia conferre, & electos confirmare.*

NOTANDVM. 1. Causæ maiores in signum priuilegij specialis Apostolicæ Romanæ Sedi reseruatæ sunt, c. quod translationem, 4. de offic. legati, c. maiores, 3. de Baptismo. Causæ autem maiores, & Sum. Pontifici specialiter reseruatæ, sunt ferme istæ: Fidei controuersias authenticè definire, cit. c. maiores, c. quoties, 12. causa 24. q. 1. Episcopos transferre, deponere, renuntiationes eorum admittere, c. 2. hoc tit. c. quamuis, 7. causa 3. q. 6. c. cùm pridem, de renuntiat. Generale Concilium congregare, c. 1. & 2. d. 17. Irregularitates, matrimonij impedimenta dirimentia statuere, in casibus reseruatis dispensare, absoluere, &c. Prouenit autem hæc grauiorum causarum reseruatio ex priuilegio, quod Christus singulariter Petro, & Successoribus concessit, vt supremam & vniuersalem potestatem in ecclesia gererent; cõsequenter potestatem alijs sibi subordinatis Episcopis, ac Prælatis limitatam concedere possent, causas maiores & arduas suo tantùm

examini reseruantes. Vide Gl. in cit. c. quod translationem, ver. reseruata, & quæ dixi lib. 1. Th. mor. tr. 4. c. 6. §. 1.

2 Corollarium I. Qui Pontificiæ potestati se opponit, seu iura eius violat, is magis ordinationi diuinæ resistit, quàm si alteri humanæ potestati resisteret: Quandoquidem potestas Pontificia immediatè à Deo, & Christo Domino prouenit, c. quamuis, d. 21.

Corollarium II. Cur Duces Imperij municipalia statuta contra leges communes Cęsareas condere possint, non item Episcopi aliique Prælati quippiam contra vniuersales ecclesiæ canones statuere, vti hic ex communi sentêtia docet Anton. de Butrio, c. 3. Ratio reddi debet, quia Imperator talem potestatem Ducibus concessit, vt quæ suis prouincijs conuenientia esse putarent, nonnunquã etiam aduersus communes leges decernerent.

3 At verò Pontifex talem potestatem Episcopis non concedit; cùm valde expediat, vniuersales ecclesiæ canones omnibus locis obseruari. Interim tamen permittit Pontifex, vt per consuetudinem diuturnam, si ea specialiter reprobata non sit, neque ecclesiis damnosa, lex vniuersalis Pontificia tollatur, c. vlt. de consuet.

4 NOTANDVM II. Episcopus, vel Archiepiscopus electus, tametsi confirmatus sit, ante acceptam consecrationem, non debet absolutè vocari Episcopus, sed cum addito, *Episcopus electus*, aut *confirmatus*. Similiter me modo sic etiam dixi in c. Venerabilem, 34. de elect. Quòd Imperator antequam coronatus, & consecratus est, non absolutè Imperator, sed *electus Imperator* vocari soleat; tametsi iura Imperij nihilominus administrare possit.

5 NOTANDVM III. Archiepiscopus vel Episcopus electus, & confirmatus, ante consecrationem potest beneficia conferre, & electos confirmare: Quia potest ea præstare, quæ ad iurisdictionem spectant, licèt non ea, quæ ordinis sunt, iuxta c. suffraganeis, 11. de elect. & notat hìc Gl. ver. confirmasse.

CAPITVLVM II.

Inter corporalia.

SVMMARIVM.

1. *Vinculum spirituale fortius, seu minus dissolubile est, quàm carnale; ideóque matrimonium spirituale, quod est inter Episcopum & ecclesiam, solui non potest, nisi auctoritate diuina.*
2. *Vnde Episcoporum translationes, depositiones instituuntur, & eorum renunciationes admittuntur à Pontifice non mera potestate humana, sed potiùs diuina, tanquam Vicario à Christo instituto.*
3. *Electos in Episcopos, & confirmatos solus Papa transferre potest.*
4. *Obrationis identitatem seu paritatem in lege expressa extensio subinde fieri potest ad casus similes.*
5. *In materia communiter prohibita, quod concessum non reperitur, eò ipso prohibitum censeri debet.*
6. *Plus peccat (ceteris paribus) Superior, quàm subditus, si ad idem factum prohibitum concurrat.*
7. *Facilius ignoscitur ei, & mitius punitur, qui ex simplicitate aut ignorantia peccat, quàm qui ex certa scientia seu malitia.*
8. *Pontifex Episcopum ab ecclesia sua liberans non propriè dispensat in lege diuina, sed apponit conditionem, per quam lex obligare desinit.*
9. *Quamuis non videatur Christus determinatè quicquam præcepisse de Episcoporum officio indissolubili, sed id dispositioni Ecclesiæ reliquisse.*

DIscrimen est inter res corporales, ac spirituales, quòd illæ facilius generantur, quàm corrumpuntur: in spiritualibus autem contrarium accidere solet. Nam Episcopus solus alicui ordinem conferre potest; sed solus auferre, seu degradare non potest, iuxta c. 2. de pœnis, in 6. Sed & Episcopi à Metropoli-

politanis consecrantur: cùm tamen non possint deponi, nisi à Rom. Pontifice. Quia ergo vinculum spirituale fortius, seu minùs dissolubile est, quàm carnale, carnale autem matrimonium humana potestate dissolui nequeat, iuxta verbum Domini Matth. 19. *Quod Deus coniunxit, homo non separet*: sequitur, neque matrimonium spirituale, quod inter Episcopum & ecclesiam suam est, nisi Dei auctoritate solui posse.

Postea obiectiones quasdam adiungit idem Innoc.

Prima: Frequenter à Romano Pontifice Episcoporum translationes, aut depositiones institui, aut renuntiationes admitti. Ad id respondet Innocent. III. Pontificem, hæc agere non mera potestate humana, sed potiùs diuina, tanquam Vicarium à Christo constitutum; neque tam per potestatem ipsi à conciliorum canonibus concessam, quàm ex Christi institutione & priuilegio, quod Petro, & successoribus eius concessum est.

Altera obiectio: Cautum non reperiri de Episcopo non consecrato, quòd absque Sedis Apostolicæ auctoritate Episcopatum deserere non possit. Ad id respondet Innoc. III. Idem de similibus, propter expressam rationis identitatẽ, iudicium esse oportere: Atqui Episcopus consecratus ideo sine licentia Papę ecclesiam relinquere non potest, quia cum ipso spirituale matrimonium cõtractum est. Quæ ratio etiam procedit in electo post acceptam confirmationem: cùm consecratio Episcopalis nihil addat ad vinculum erga ecclesiam contractum: quandoquidem fieri sępe solet, vt aliquis omnino liberatus ab ecclesia sua, nullique alteri ecclesiæ allegatus, characterem tamen, & ordinem Episcopalem conseruet.

Tertia obiectio: Quòd in c. quoniam d. 100. ecclesiæ viduatę dicuntur, donec eorum Episcopi consecrationem acceperint; Ad id respondet Innoc. ecclesiam viduatam dici, non absolutè, sed secundùm quædam; quia eius Episcopus, quæ ad ordinis potestatem spectant, exercere non potest. Qua simili ratione ecclesiam viduatam dicere solemus, quæ Episcopum quidem habet, sed inutilem ad exercenda Episcopalia munia.

Quarta: In eod. c. quoniam, habetur, si Episcopus vltra sex menses consecrationem petere negligat, secundùm Metropolitani iudicium compelli posse, vt cedat Episcopatu: Ergo Metropolitanus Episcopum nondum consecratum ecclesiâ suâ liberare potest. Respondet Innocentius primò; Non esse consequens, si Metropolitano cõcessum fuit, vt Episcopum ab ecclesia sua auferat in pœnam, compellendo illum renuntiare Episcopatui, quòd etiam translationem Episcopi, quæ ad gratiam spectat, instituere possit. Secundò: Illa ipsa cessio, seu renuntiatio non admittitur absque Romani Pontificis auctoritate, quippe qui Metropolitano talem potestatem concessit. Quòd si circa translationem Episcopi idem Metropolitano permittere voluisset Pontifex Rom. vtique expressisset: enimuerò in talibus rebus prohibitum censetur, quod concessum non reperitur.

Postquam hæc disputauit Innocent. factũ narrare aggreditur: Videl. Rhotomagensis Archiepiscopus absque Romani Pontificis auctoritate, Episcopum Eboracensem ecclesiâ suâ liberauit, & ad Andegauensem ecclesiam transeundi licentiam dedit: Illum verò susćepit, & consecrauit Archiepiscopus Turonensis: Eapropter Archiepiscopus Bituricensis iuxta Apostolicæ Sedis mandatum Archiepiscopos illos à confirmatione & consecratione Episcoporum; Episcopum verò ab executione Episcopalis officij suspendit. Cur autem Archiepiscopi, quamuis plus peccarint, tamen minùs puniti fuerint, quàm Episcopus, causam dat, quia propter spontaneam confessionem, & supplicationem deuotam, veniam merebantur: cùm non ex malitia, sed potiùs ex simplicitate deliquerint. Sed quia etiam Episcopus reatum suum agnoscens misericordiam humiliter implorauit, ideo Innocent. III. liberat Episcopum à priore sua ecclesia, & cùm Capitulum Andegauense in priore suo consensu, seu postulatione persistat, dat facultatem, vt à vinculo suspensionis absolutus, eandem ecclesiam gubernare possit.

Obijcitur I. contra discursum Innoc. ex diuersitate rerum corporalium & spiritualium: Quòd etiam carnale matrimonium facilius contrahi potest, videl. mutuo consensu; & tamen eodem consensu dissolui non possit: Ergo vniuersim verum non est, corporalia difficilius destrui, quàm construantur. Respondeo: Quòd matrimonium carnale non, sicuti alij contractus, mutuo consensu dissolui queat, id vel maximè habet ratione Sacramenti, seu sacri mysterij, adeóq; quatenus spirituale quiddam est, vti dixi eod. tr. 10. p. 2. c. 1. Nihilominus autem procedit argumentatio Innoc. III. Si matrimonium carnale, quod plurimum de corporali participat, dissolui non potest, Christo id prohibente: maiore aliqua ratione credere debemus, Christum nolle, vt matrimonium spirituale dissoluatur.

3 NOTANDVM I. Cur inter alios Prælatos, & ecclesias suas matrimonium spirituale non ita contrahi censeatur, sicut inter Episcopum & ecclesiam suam, causa ista assignari debet, quia sacri canones non prohibent, illos ab ecclesiis suis transferri; dummodò proximi Superioris licentia accedat. At verò Episcopus ab ecclesia sua liberari non potest, excepta plenitudine potestatis Papalis. Ita notauit Abb. c. vlt. n. 5. hoc tit. vbi addit: Et ideo spectato communi iure solus Episcopus anulũ deferre debet: sed alij Prælati ex præscripta consuetudine aut priuilegio. Neque etiam negari debet, latiore acceptione alios quoque Prælatos, qui Collegium habent, cui præsunt, præsertim si ordinariam & generalem iurisdictionem exerceant, ecclesiarum suarum sponsos dici posse.

4 NOTANDVM II. Ob identitatem seu paritatem rationis in lege expressæ, extensio quandoque fieri potest ad casus similes: cùm de similibus idem iudicium esse debeat. Qua de re dixi lib. 1. Th. mor. tr 4. c. 18. n. 9. §. Cæterùm.

5 NOTANDVM III. In materia communiter prohibita, hæc regula tradi potest: Quod concessum non reperitur, eo ipso prohibitum censeri debet: Idémque ferme est, si dicas, quòd ius singulariter concessum seu priuilegium ad alia extendi non debet, etsanè, de priuilegijs, l. ius singulare, 16. iun. Gl. ff. de legibus. Contrà verò, in materia communiter non prohibita intelligitur, quod prohibitum non reperitur, vti Gl. hic notat. ver. non inuenitur.

6 NOTANDVM IV. Cæteris paribus, plus peccat Superior, quàm subditus, si ad idem factum prohibitum concurrat: v. g. Episcopus malè ordinans, magis culpabilis est, quàm is, qui ab ipso ordines ita suscipit. Quia subditus quadantenus excusare se potest, quòd iussum, consilium, aut saltem exemplum Superioris sui secutus sit.

7 NOTANDVM V. Facilius ignoscitur ei, seu mitius punitur is, qui ex simplicitate aut ignorantia, præsertim non crassa delinquit, quàm si ex certa scientia, seu malitia. Qua de re dixi lib. 1. Th. mor. tr. 4. c. 20. assert. 2.

Obijcitur II. Vel est diuina traditio aclex, vt Episcopi à Sede sua non transferantur, vel est tantùm Ecclesiastica, adeóque humana. Si prius dicatur, tum neque Pontifex dispensare poterit, cùm Pontifex in lege diuina dispensare non possit. Si posterius dicatur, obstant verba Innoc. in hoc, & seq. c. vbi vult, pari modo Deum spiritualis, ac carnalis matrimonij dissolutionem suo tantùm iudicio reseruasse. Respondeti potest primò: Concedendo esse traditionem diuinam: tunc ad argumentum dici potest: Quando Sum. Pontifex Episcopum ab Ecclesia sua liberat, non propriè eum dispensare in lege diuina; sed apponere conditionem, per quam lex obligare desinit.

Pro cuius intellectu aduerte, quod docui etiam lib. 5. Theol. moral. tract. 10. p. 3. cap. 5. & lib. 5. tract. 3. cap. 6. assert. 2. Diuinas quasdam traditiones esse, quibus aliquid fieri iubetur, aut prohibetur, nisi Summus Pontifex Christi Vicarius ob bonum Ecclesiæ, aliud in casu speciali faciendum iudicarit: Videl. Quòd matrimonium ratum indissolubile sit, excepto si Pontifex ob iustam publicæ necessitatis causam dissoluendum iudicarit: Tum verò nihil agitur contra legem, seu traditionem diui-

num:

nam, sed apponitur conditio, per quam legis obligatio cessat. Ita etiam se res habet in casu proposito.

9 Secundò, &, vt arbitror, meliùs respondetur: Christum determinatè nihil tradidisse, aut præcepisse de Episcoporum officio perpetuo, & indissolubili; sed id Ecclesiæ disponendum reliquisse: Est tamen lex illa seu traditio antiquissima, cuius initium ignoramus, ac proinde Apostolicam fateri cogimur: Excepta semper plenitudine potestatis Apostolicæ, cùm ad bonum Ecclesiæ vniuersalis quandoque necessarium sit, tales sedium mutationes instituere, sicut aduertit Pelagius Papa in c. scias. 35. ead. q. 1. Ad verba Innoc. III. respondetur: Supremam Pontificiam potestatem non humanam, sed diuinam dici; quia immediatè prouenit non ab hominibus, sed à DEO ex Christi promissione, Matth. 16. Ioann. vlt. Quo etiam sensu Apostolicæ traditiones, v.g. ieiunium quadragesimale, admixtio aquæ ad vinum consecrandum, interdum à Patribus vocantur diuina mandata; quia etiam Apostolorum decernendi potestas immediatè à Christo prouenit. Iussit enim Christus, saltem generatim, vt Apostoli ea ecclesijs constituerent, quæ ecclesiæ necessaria viderentur: quare non incongruè eorum constituta diuina dici possunt, cùm etiam à sancto Spiritu regerentur, vt falsitati & erroribus locus nullus esset.

CAPITVLVM III.

Quantò.

PARAPHRASIS.

Potestatem transferendi Episcopos ita iuri suo Christus reseruauit, vt soli eius Vicario B. Petro, & per hunc successoribus eius, speciali priuilegio concesserit: quamobrem omnis antiquitas, & Conciliorum canones testantur Romanæ Sedi, ob prærogatiuam eius, singularem reuerentiam exhibendam esse. Ex quo sequitur, quòd non homo, sed potiùs Deus separat, quos Romanus Pontifex (qui non puri hominis, sed veri Dei vicem gerit) ob ecclesiarum vtilitatem, non humana, sed potiùs diuina auctoritate separat. Quamobrem cùm Episcopus Hildesheimensis suâ ecclesiâ desertâ, ad Herbipolensem propria auctoritate se transtulerit, præcipitur ei, vt ecclesiæ Herbipolensis administrationem penitus derelinquat, & ad Hildesheimensem, quâ improbè dereliquit, redire non permittatur: quia secundùm sacros canones, qui ad ecclesiam, præsertim maiorē, aut ditiorem, adeóque cupiditate honoris vel diuitiarum, se transtulit, vtrâq; carere debet; (saltem post Iudicis sententiam) neque enim plus colligitur ex c. si quis Episcopus, 31. causa 7. quæst. 1. Canonici verò ecclesiæ Herbipolensis, qui suffragia sua in dictum Episcopum contulerunt eligendo, à potestate eligendi pro ea vice suspenduntur: vt in eo ipso puniantur, in quo peccauerunt.

SVMMARIVM.

Episcopus propria auctoritate ab vno episcopatu ad alterum se transferens, vtroque carere debet, saltem post Iudicis sententiam.

HOc c. ferme intelligitur ex præcedentibus. Id tamen dubitari potest; Cur verba illa Christi apud S. Matth. c. 19. *Quos Deus coniunxit, homo non separet*, Pontifex afferat ad statuendam indissolubilitatem Episcopatus, seu officij Episcopalis: cùm certum sit, ijs verbis solum esse sermonem de matrimonio carnali. Respondeo; Argumentum ita formandum esse: Si matrimonium carnale insolubile est, sequitur etiá spirituale insolubile esse oportere. Atqui carnale solui non posse humana potestate, constat ex Matth. 19. cap. ergo nec spirituale. Maior ostendi debet: tum quia spiritualia suapte naturâ difficiliùs destruuntur, quàm carnalia: cùm quia carnale ideo indissolubile est ex Dei institutione, quòd insolubilem Christi cum ecclesia coniunctionem

repræsentet. Atqui etiam Episcopus cum ecclesia sua copulatus significat Pontificem secundùm ordinem Melchisedech, à Deo Patre vnctum, & ecclesiæ suæ perpetuo tempore præpositum. Habemus ergo, quòd etiam spirituale matrimonium inter Episcopum & Ecclesiam suam solui non debeat mera humana potestate; quamuis solui possit ab publicam necessitatem, auctoritate Vicarij Christi, per speciale priuilegium siue commissionem ipsi factam, iuxta c. vlt. hoc tit. & suprà cit. c. scias.

CAPITVLVM Vlt.

Licet.

PARAPHRASIS.

In primis repetit Innoc. similitudines inter carnale, & spirituale matrimonium. Prima: Sicuti illud solui non potest humana potestate; ita nec spirituale soluitur, nisi à Vicario Christi, qui est successor B. Petri. Secunda. Sicut matrimonium carnale aliud est inchoatum, videl. sponsalia de futuro; aliud ratum, videl. sponsalia de præsente; aliud consummatum, videl. matrimonium, cui legitimè contracto copula accessit. Ita etiam matrimonium spirituale aliud censeri potest initiatum, videl. per electionem ab electo acceptatam, iuxta c. cùm inter, 21. de elect. aliud verò ratum per confirmationem; aliud deniq; consummatum, seu perfectum, per consecrationem.

Postea proponitur casus: Episcopus Hildesheimensis, de quo præc. c. dictum est, excusationem attulit, cur non temerè aut propria auctoritate ad Herbipolensem ecclesiam transierit, quia ab antecessore Innoc. gratiâ acceperit, vt si fortè contingat eum ad maiorem dignitatem vocari, illam assumere liceret, dummodò nihil obstaret, quod canonicis institutis contrarium foret.

Hanc excusationem reijcit Innoc. ob duas causas: Prima est; quia tametsi potestas concessa fuerit transeundi ad dignitatem maiorem, (cuiusmodi dispensatio propter maiorem vtilitatem facilius concedi solet) non tamen inde consequens est, quòd vi illius dispensationis transire potuerit ad parem, videl. similem dignitatem episcopalem. Altera. Tametsi ponamus, dispensationem illam se extendisse ad episcopalē aliam dignitatem; quia tamen postulatio, sicut & electio, priùs examinari debet, imò in dispensatione illa Apostolica non tantùm postulationis, sed etiam personæ postulatæ inquisitio & examen reseruatum esse videtur, per verba illa, *dummodò nihil de canonicis obuiet institutis*: ideo dictus Episcopus Hildesheimensis, Ecclesiam Herbipolensem, antequam postulatio eius examinata fuerat ab eo, ad quem pertinebat, transire haud potuerit.

SVMMARIVM.

1. *Priuilegia data contra ius commune, strictæ interpretationis esse debent.*
2. *Gratia dispensationis facta Episcopo, vt ad alterum episcopatum transire, vel alterum, priore retento, accipere ei liceat, facit, vt Episcopus perinde ac si electus esset, in postulationem de se factam consentire, sibique ius acquirere possit, ita vt superior eum confirmare teneatur, nisi aliud canonicum impedimentum reperiat.*

NOTANDVM I. Priuilegia data contra ius commune, strictæ interpretationis esse debēt, vti etiam dixi lib. 1. Th. mor. tr. 14. c. 23. n. 5. Quia magnus est fauor iuris communis, cui per priuilegium derogatur. Quæ ratio restringendi priuilegium tantò magis locum habet, quātò sanctior, & stabilior censetur esse canon, in quo dispēsatur, seu contra quem priuilegium impetratur: Idq; adhuc magis, si rarior ac difficilior dispensatio esse soleat; aut si impetratio dispensationis ambitiosa esse videatur; videl. vt ad dignitatem maiorem, vel parem, sed (vt fieri solet) ditiorem prælaturam transire liceat.

NOTAN-

NOTANDVM II. Etsi vnus Episcopatus altero ditior sit, non ideo censeri debet dignitatis maioris, sed paris.

QVÆRITVR: Quidnam conferat gratia dispensationis, si Episcopo alicui fiat, v. g. vt ad alterum Episcopopatum transire, vel alterum, priore retento, accipere possit? Respondeo: Id ipsi confertur, vt proinde acsi electus esset, dummodò maior pars Capitularium in eum secundùm formam canonicam suffragia direxerint, in postulatione de se factam consentire, sibique ius acquirere possit; ita vt Superior (qui iam plerumque est Papa) eum vi dati priuilegij, confirmare teneatur, si aliud canonicum impedimentum non reperiat. Quamobrem talis vocatio per suffragia secundùm effectum instar electionis censeri debet: quamuis tutius sit, vt Capitulares retineant nomen postulationis: quia saltem spectata origine talis postulandus est, non eligendus. Ita colligitur ex textu, & notat hic Innoc. n. 3.

TITVLVS VIII.

DE AVCTORITATE, ET VSV PALLII.

CVM in præcedentibus Titulis dictum fuerit de modis acquirendi Episcopatum; adijcitur tit. iste de auctoritate & vsu pallij, quod præcipuum, seu Archiepiscoporum insigne est. Eius figuram describunt Abbas hic in rubr. Syl. ver. pallium; quòd sit vestis alba in circuli modum, pectus & humeros circumdans, ac quatuor nigris crucibus distinctum, anteriore parte nonnihil dependens.

CAPITVLVM I.

Cùm super.

PARAPHRASIS.

Verba, quæ in forma traditionis pallij habentur, *Tradimus tibi pallium, vt eo intra ecclesiam tuam vtaris*, ita intelligi debent, vt liceat Archiepiscopo in omnibus prouinciæ suæ ecclesijs pallio vti. Sin autem extra ecclesiam sit, quamuis alijs sacris vestibus indutus, v.g. in processione solemni, pallium gestare non debet. Ita Clemens III. in hoc c.

SVMMARIVM.

1. *Intra quamuis ecclesiam suæ prouinciæ Archiepiscopus vti pallio potest, non extra.*
2. *Competit hoc ius pallij summo Pontifici; Patriarchis, & Archiepiscopis, si instanter petierint, à Sede Apostolica mittitur; denique etiam Episcopis quibusdam ex speciali priuilegio.*
3. *Non potest hæc pallij transmissio impediri per obiectionem criminis aut defectus, nisi obijciens promptam fidem faciat, seu obiecta legitimè probet.*
4. *Archiepiscopus consecratus extra ecclesiam suæ prouinciæ, ex commissione Archiepiscopi vel Episcopi exercere potest episcopalia, v.g. Ordines conferre, antequam pallium acceperit.*

NOTANDVM Vn. Licèt nomine ecclesiæ Episcopalis, Cathedralis plerumque intelligatur, tamen in materia hac fauorabili, & nemini præiudicante, in priuilegio quod Archiepiscopo conceditur, vt in ecclesia 1

sia sua pallio vtatur, comprehenduntur omnes ecclesiæ intra totam eius prouinciam, etiam locorum exemptorum, vti hîc docet Abb. n. 2. Stephanus Quaranta in Summa Bullarij, ver. Archiepiscopus, auctor. 32. §. Notandum.

2 QVÆRITVR I. Quibus competat hoc pallij ornamentum? Respondeo: Inprimis Summo Pontifici, vti habetur infrà, c. ad honorem. Deinde Patriarchis reliquis, & Archiepiscopis: quibus Papa confert, si instanter petiuerint, c. prisca, c. rationis, & seqq. d. 100. vbi Gregor. I. ait, se vnà cum pallio transmisso, priuilegia omnia Andreæ Archiepiscopo in Epyro confirmare, quæ antecessores sui concesserant. Sed antequam pallium accipiat Archiepiscopus, debet fidem Catholicam, & erga Sedem Apostolicam subiectionem, obedientiámq; iuramento profiteri, c. optatum, ead. d. & c. significasti 4. de elect. Denique etiam Episcopis quibusdam speciali priuilegio pallium à Sede Apostolica mittitur, quos refert Hostiensis hîc n. 3. Azor. tom. 2. lib. 3. c. 24. q. 3.

3 His adde, quod in extrauag. Ioannis XXII. inter communes, sub eod tit. habetur; Pallij transmissionem impediri non posse per obiectionem criminis, aut defectus, nisi obijciens promptam fidem faciat, id est, intra bimestre spatium, interposito iuramento, obiecta legitimè probet.

QVÆRITVR II. Si Archiepiscopus extra prouinciam suam à diœcesis Archiepiscopo rogetur, vt sacros ordines cõferat, vel ecclesiam consecret, quomodo id agere debeat. Respondeo, cum Hostiensi hoc tit. §. Et quo loco, in fine. Debet id agere Pontificalibus indutus, præter pallium, quod ipsi extra prouinciam suam induere non permittitur. Neque obstat, c. quòd sicut, 28. §. præterea, de elect. Non enim ibi dicitur, quòd Archiepiscopus, quæ eo loco enumerantur, exercere non possit sine pallio (alioquin nec Concilium conuocare posset, nisi pallio indutus, quod constat falsum esse) sed quòd ea exercere prius non possit, quàm pallium acceperit, sed neque Archiepiscopus appellari possit. Præterea valde credibile est, Archiepiscopum consecratum, antequam pallium acceperit, ex commissione alterius Archiepiscopi, vel Episcopi in diœcesi eius, episcopalia exercere posse, v. g. ordines conferre, quia apparet, quòd id non agat vt Archiepiscopus, sed vt simplex Episcopus; vti Hostiens. l. cit. obseruauit. Contrarium tamen resoluit Abb. in c. ex tuarum, n. 10. hoc tit. 4

CAPITVLVM II.

Ad hoc.

SVMMARIVM.

1. *Non potest Archiepiscopus alteri Archiepiscopo pallium commodare.*
2. *Pallij vsus habet se instar priuilegij personalis, sed cum restrictione ad locum.*
3. *Si Archiepiscopus ad alium transferatur Archiepiscopatum, & alius in locum eius substituatur, vterque nouum pallium petere debet.*

Interim Archiepiscopus translatus pallium secum ferat, non vt eo vtatur, sed vt cum eo sepeliatur.

QVæsitum fuerat ex eodem Clemente 1 III. vtrùm Archiepiscopus alteri Archiepiscopo pallium commodare possit? Ad id neganter respondit, quia pallium personæ conceditur, tanquam priuilegium eius, cum quo etiam sepeliri debet.

Adde, quod dictum est c. præced. Archiepiscopo prohibitum esse pallij vsum extra ecclesias suæ diœcesis: Ergo frustra illi commodabitur pallium alienum.

NOTANDVM Vn. Pallij vsus habet se 2 instar priuilegij personalis; sed cum restrictione ad locum. Conceditur enim persona cum ordine ad ecclesias propriæ diœcesis.

Obijcies: Pallium debetur dignitati Archiepiscopali, saltem ex gratia generali. Ergo potiùs inter realia, quàm personalia priuilegia

uilegia numerari debet. Respondeo, distinguendum esse inter ius pallij petendi, ipsúmque pallium & vsum eius. Ius pallij, à Sede Apostolica petendi, secundùm canones adhæret dignitati Archiepiscopali; ideóque inter priuilegia realia rectè numeratur, quia ad successorem quemlibet transit.

At verò concessio pallij fit personæ, ita vt vsus eius alteri communicari nequeat, sed cum persona extinquatur. Interim verò persona, cui pallium ratione dignitatis ecclesiæ suæ conceditur, attendere debet ad priuilegia ecclesiæ suæ, vt pallio vtatur, sicuti alij anteessores sui. Qua ratione Gregorius I. Pontifex lib. 4. epist. 54. ad Ioannem Episcopum Rauennæ scribit, si in ecclesia eius moris fuit, vt aliquoties, videl. quater in anno, liceat Archiepiscopo extra ecclesiam in litaniis publicis pallio vti, se ipsi hoc priuilegium non auferre; licèt alioquin secundùm canones pallij vsus solùm in ecclesia permissus sit.

3 Corollarium. Si Archiepiscopus ad alium Archiepiscopatum transferatur, & alius ei substituatur, vterque nouum pallium petere debet: quia pallium, cùm sit personę datum, non transit ad successorem, vt suprà dictum. Et cùm sit datum personæ cum ordine ad certæ diœcesis ecclesias, ideo extra ecclesiam illam translato inseruire nequit, vti constat ex c. bonę, 4. in fine, de postulat. Prælatorum. Monent autem hìc Ioan. Andr. & Abb. n. 7. quòd Archiepiscopus translatus pallium secum deferat, non vt eo vtatur, sed vt cum eo sepeliatur. Qua de re Innoc. hìc, vbi monet, quòd talis Archiepiscopus cum vtroque pallio sepeliendus sit, ita tamen, vt posterius acceptum alteri superpositum sit, vel, secundùm quosdam, quod & conuenientius videtur, vno tantùm induatur, quod posterius acceperat, alterum autem subijciatur corpori, aut capiti eius.

CAPITVLVM III.

Nisi.

Paraphrasis.

Troianus Episcopus postulatus fuit ad ecclesiam Panormitanam: Legatus à latere, non requisitâ priùs Sedis Apostolicæ sententiâ, dedit ei transeundi facultatem: is translatus, & receptus mox Archiepiscopum se appellauit. Id postea resciens Innoc. III. scripsit ad Legatum; Tametsi postulatio dicti Episcopi à Sede Apostolica approbata fuisset, quòd tamen Archiepiscopum se nominare nō debuerit, priusquàm pallium à Sede Apostolica accepisset, in quo Pontificalis officij plenitudo, cum Archiepiscopalis nominis appellatione confertur. Monetautem Legatum Pontifex, vt rem gestā ita studeat palliare, seu tegere, vt id in confusionem suam, & Sedis Apostolicæ opprobrium nō redundet. Quòd si verò necesse sit, vt vel Legatus confundatur, vel Pontificia potestas detrimentum patiatur, potiùs permittenda erit confusio Legati: dicendo videl. Malè egisse Legatum, quòd Episcopum sine Pontificis auctoritate transtulerit, & Archiepiscopū appellari permiserit, pallio à Sede Apostolica nondum recepto.

Svmmarivm.

1. *Archiepiscopus ante acceptum pallium non obtinet plenitudinem officij Archiepiscopalis, ita vt actus iurisdictionis maioris ipsi proprios, v. g. Concilium prouinciale conuocare, prouinciam visitare, ei non liceat, vti nec actus Ordinis, qui intra Missarum solemnia, aut saltem cum episcopalibus ornamentis peraguntur.*
2. *Licitum est veritatem dissimulare; nunquam autem falsitatem simulare.*
3. *Legatus & quilibet Officialis tueri domini sui honorem debet, & potiùs suæ, quàm publicæ auctoritatis dampnum permittere.*

NOTANDVM I. Archiepiscopus ante acceptum pallium à Sede Apostolica, non obtinet plenitudinem officij Archiepiscopalis; id est, non omnia exercere licitè potest, quę ad Archiepiscopum spectant, tametsi electus, confirmatus, imò & consecratus sit. Qua in re ita distingue post Hostiensem n. 1. Azorto. 2. lib. 3. c. 24. q. 5. Velagitur de actibus

bus iurisdictionis, tum dic, quòd actus maiores, cuiusmodi est v. g. Concilium prouinciale conuocare, exercere non possit ante acceptum palliũ, c. quod sicut 28. §. Præterea, de elect. At verò alios actus iurisdictionis v. g. causas audire, delegare, iudices creare, ordinandi, consecrandi potestatẽ dare non prohibetur, vti colligitur ex c. suffraganeis, 11. de elect. Vel agitur de actibus ordinis; tunc distingue: quæ ab Archiepiscopo inter Missarum solemnia, aut saltem cum Episcopalibus ornamentis peraguntur, vti sunt ordinare, chrisma conficere, ecclesias consecrare, talia exercere non debet ante acceptum pallium, cit. c. quod sicut, §. Præterea: Quia ea non vt simplex Episcopus, sed vt Archiepiscopus facere censetur; cùm tamen ante pallium acceptum, quo plenitudo Episcopalis officij designatur, pro Archiepiscopo se gerere non debeat. Quos verò actus ordinis Archiepiscopus stolâ tantùm indutus exercet, vt si vasa sacra, aut cæmiteria benedicat, talia peragere potest, priusquam pallium acceperit.

2 NOTANDVM II. Licitum est quandoque veritatem palliare, seu dissimulare: sed falsitatem simulare nunquam licet; cùm id species quædam mendacij sit. Qua de re dixi lib. 2. Th. mor. tr. 1. c. 11. n. 2. §. Porrò, & lib. 4. tr. 3. cap. 13.

3 NOTANDVM III. Legatus & quilibet Officialis publicus Dominisui honorem defendere debet, & potiùs priuatum damnum permittere, quàm vt publicæ potestatis, & auctoritatis diminutio fiat: quia bonum publicum præferendum est priuato.

CAPITVLVM IV.

Ad honorem.

PARAPHRASIS.

Solus Pontifex Romanus in omnibus Missarum solemnijs vbique locorum pallium gerit, ad significandum ecclesiasticæ potestatis, quam gerit, plenitudinem. Alij autem, quibus pallium concessum est, eo nec vbique, nec semper in Missarum solemnijs vtuntur; sed in ecclesiis tantùm suis, & certis diebus: quoniam in partem solicitudinis, non in plenitudinem potestatis vocati sunt.

SVMMARIVM.

1. *Vsus pallij tantùm esse debet inter Missarum solemnia.*
2. *Et certis diebus solemnibus iuxta consuetudinem cuiusque ecclesiæ Metropolitanæ.*

NOTANDVM I. Pallij vsus secundùm canones esse tantùm debet intra Missarũ solemnia, vti etiam habetur in c. pallium, & c. contra, d. 100. & docet Hostiensis n. 6. Tabiena, ver. pallium.

NOTANDVM II. Pallium, quod Archiepiscopo mittitur, de corpore B. Petri acceptum dicitur, non quòd necessariò benedicendum sit super altari eius (vti Gl. existimauit c. significasti 4. de elect. ver. assumuntur, cui hìc contradicit Hostiensis n. 3.) sed quia significat veluti particulam potestatis ecclesiasticæ, deriuatam ex plenitudine potestatis Pontificiæ, vti colligitur ex cit. c. significasti.

QVÆRITVR hîc: Quinam sint ij certi dies, quibus Archiepiscopo permissum est pallio vti in ecclesiis sibi subiectis? Respondeo. Eos numeratos esse hîc à Gl. ver. ad honorem, Hostiensi §. Et quibus diebus. Vno verbo dici potest, Pallio Archiepiscopum vti posse in diebus solemnibus, spectata consuetudine cuiusque ecclesiæ Metropolitanæ.

CAPITVLVM V.

Ex tuarum.

PARAPHRASIS.

Compostellanus Archiepiscopus supplicauit Innoc. III. Pontifici, vt extra prouinciam pallio vti per Apostolicæ Sedis indulgentiam ipsi concederetur; propterea quòd frequenter extra prouinciam ob ecclesiæ suæ negotia commorari debeat: &

in Hi-

in Hispania generalis consuetudo existat, vt Archiepiscopi etiam extra prouincias suas pallio indifferenter vtantur. Respondet Pontifex, Tametsi talis consuetudo dicenda potiùs sit corruptela, nihilominus ex gratia speciali indulgere se Archiepiscopo Compostellano, vt, si necessitate occurrente ordinationis Clericorum, vel Episcoporum consecrationis faciendæ, ad ecclesiam sibi subiectam tunc accedere nequeat, sed ad alienam se conferre cogatur, pallio vti ipsi liceat; dummodò is, ad quem ecclesia pertinet, id permittat.

SVMMARIVM.

1. *Non valet consuetudo, vt Archiepiscopus sine priuilegio speciali pallio vtatur extra prouinciam suam.*
2. *Priuilegium alicui concessum ita interpretandum est, vt aliis non fiat præiudicium.*

1 NOTANDVM I. Non valet consuetudo, vt Archiepiscopus, sine priuilegio speciali, pallio vtatur extra prouinciam suam. Ratio est: Quia pallij concessio expressis verbis ad prouinciam limitatur: *intra ecclesiam tuam eo vtaris.* Ergo contra primam pallij institutionem est, & contra proprios concessionis limites, si pallij vsus extra prouinciam extendatur.

2 NOTANDVM II. Priuilegium alicui concessum ita interpretari oportet, vt alijs præiudicium non generetur. Videl. Priuilegium Archiepiscopo concessum, vt pallio in prouincia aliena vti ipsi liceat, explicari debet, si Prælatus eius loci, consensum præbeat. Sed cuiusnam consensus hoc casu requiritur? Respondeo cum Abb. hîc n. 11. & c. seq. n. 3. Si Archiepiscopus in aliena diœcesi Clericos ordinare velit, inprimis consensum habere debet proprij Episcopi; ne eius iurisdictionem inuadere censeatur. Deinde, si pallio vti velit inter ordinandum, necessaria ipsi est licentia Metropolitani: cùm enim is pallium acceperit tanquam priuilegium personale pro tota prouincia, seu omnibus ecclesiis prouinciæ suæ, sequitur, si alius Archiepiscopus in tali ecclesia pallio vtatur, id cedere in diminutionem iuris illius, nisi consensum præbuerit.

CAPITVLVM VI.

Cùm sis.

SVMMARIVM.

1. *In qualibet ecclesia suæ prouinciæ Archiepiscopus, permissis diebus, Missam celebrans vti pallio potest.*
2. *Eodem vti posse videtur extra ecclesiam sub dio celebrans ob populi multitudinem, quam ecclesia non capit.*

1 NOn tantùm in ecclesiis Cathedralibus, sed etiam in alijs prouinciæ suæ ecclesiis Archiepiscopus in diebus solemnibus inter Missarum solemnia pallio vti potest.

QVÆRIT hîc Ioan. Andr: Quid si Archiepiscopus sub papilione in castris, aut in domo priuata propter necessitatem celebret, vtrùm pallio vti possit? Videtur enim affirmandum arg. huius c. propter verbum *vbicunq;*. Sed Ioan. Andr. & alij negant. Quia iura iuribus concordare oportet, c. cùm expediat, 29. de elect. in 6. Constat autem ex c. 1. vsum pallij ad ecclesias restringi: Ergo illud *vbicunq; celebraueris* explicari debet, in quacunque tuæ prouinciæ ecclesiâ celebraueris.

2 Arbitror tamen, si ob hominum multitudinem, quam ecclesia capere non potest, præforibus eius altare extruatur portatile, quòd in eo Archiepiscopus celebrare possit solemniter cum pallio. Quia eius, quod per accidens in aliquo casu contingit, ratio haberi non solet. Atque hæc celebratio veluti subrogatur in locum eius, quæ in templo fieri deberet, vt proinde eisdem priuilegijs gaudeat. Spectanda verò etiam in hac re est ecclesiæ cuiusque consuetudo.

CAPITVLVM VLT.

Quia nos.

SVMMARIVM.

1. *Sine pallio & sandaliis potest Archiepiscopus celebrare.*
2. *In aliena diœcesi celebrans Missam vti isdem potest, non petitâ licentiâ proprij Episcopi, iuxta probabilem sententiam; contraria tamen viget consuetudo, in Germania saltem.*
3. *In Missa pro defunctis Archiepiscopo pallio vti non licet, nisi in priuilegio expressum sit, vsum ei concessum in tali Missa.*

1 ARchiepiscopus quidam inter alias quæstiones proposuit Honorio III. Vtrùm tam in sua, quàm in aliena diœcesi celebrare possit absque pallio, & sandalijs. Deinde vtrùm licitum ipsi sit pro defunctis cum pallio celebrare. Ad 1. q. affirmatiuè respondet Honorius: Quia nec in sua diœcesi Archiepiscopus pallio semper vti debet, sed ijs tantùm diebus (videl. solemnibus) qui in ecclesiæ suæ priuilegijs expressi sunt. In aliena verò diœcesi pallio vti non debet, nisi speciale priuilegium habeat: & tamen nihilominus Missam celebrare potest.

2 Sed numquid in aliena diœcesi celebrans Missam, sandalijs, alijsque Pontificalibus insignibus vti potest, etiam non petitâ licentiâ proprij Episcopi? Eadémque quæstio procedit de Prælatis benedictis, vtrùm Pontificalibus in aliena ecclesia vti possint absque licentia Prælati. Hanc q. tractat Gl. in Clem. Archiepiscopo, de priuilegijs, & cum Hostiensi tenet sent. affirmatiuam, contra Innocent. in hoc c. Quia insignia Pontificalia spectant quodammodo ad celebrationem Episcopi: vt sicuti Missam celebrare in aliena diœcesi Episcopo concessum est, ita etiam insignibus Episcopalibus vti, vti docui etiam lib. 1. tr. 4 c. 5. n. 5. in fine. Qua simili ratione docent DD. apud Angel. ver. priuilegium, §. 4. quòd priuilegium concessum Episcopo tempore interdicti Missam faciendi, explicandum sit, quòd in Pontificalibus possit: quia hic est proprius eius sacrificandi modus. Idémque inter alios docet Augustinus Barbosa de offic. Episcopi, p. 2. allegat. 27. n. 64. addens, quòd Episcopus in aliena diœcesi populo solemniter benedicere possit, etiam absque ordinarij Episcopi consensu: quia iste est actus ordinis, non iurisdictionis. Hæc sententia est probabilis. Sed aduerto inprimis, contrariam vigere consuetudinem, saltem in nostra Germania; non enim solent Episcopi in diœcesi aliena, aut alij Prælati in ecclesiis sibi non subiectis sacrificare in Pontificalibus, multò minùs actum Pontificalē exercere, v. g. solemnem benedictionem dare, nisi accedat cōsensus Episcopi ordinarij, vel alterius Prælati, si v. g. Abbas in alieno Monasterio celebret. Et consentit huic consuetudini, c. Abbates, de priuil. in 6. & cit. Clem. Archiepiscopo. Ad rationes in contrarium respondetur potest: Insignia Pontificalia v. g. pedum, anulum, non significare tantùm ordinem & dignitatem episcopalem: sed etiam iurisdictionem, maximè si accedat solemnis populi benedictio: quare hæc competunt Episco, vel alteri Prælato non simpliciter, sed cum ordine ad ecclesiam, vel diœcesin suam. Ex quo sequitur, quòd Episcopus, qui renuntiauit Episcopatui, Pontificalia exercere non possit, absque Apostolicæ Sedis licentia, arg. c. de renunt.

Alia quæstio Innoc. proposita erat, vtrùm 3 in sacrificio pro defunctis Archiepiscopum pallio vti oporteat. Responsio est negatiua; nisi in priuilegio expressum sit, vt in Missa pro defunctis pallio vti liceat: alioquin solùm in solemnibus diebus, quibus Archiepiscopus pro defunctis non celebrat, pallio vti debet. Hæc videtur esse mens Gl. Innoc. Abbat. & aliorum hic.

TITV-

TITVLVS IX.

DE RENVNTIATIONE.

POstquam dictum est de modis acquirendi prælaturam ecclesiasticam, postulatione, electione, translatione, atque de pallio, per quod traditio potestatis ecclesiasticæ completur; subiungitur de renuntiatione, qui est præcipuus modus prælaturas, aliáque ecclesiastica beneficia amittendi. Renuntiatio interdum accipitur latè, pro cuiuscunque iuris sui refutatione, quo sensu dicunt DD. in c. quia periculosum, 8. causa. 7. q. 1. quòd liberum cuique sit iuri suo renuntiare: dummodò id fiat sine præiudicio alterius, etiam Ecclesiæ, seu Communitatis: ob quam causam Clerici priuilegio canonis, aut fori renuntiare haud possunt. Interdum verò accipitur strictè, vt in hoc tit. pro resignatione iuris sibi competentis circa beneficium ecclesiasticum, & definiri solet, spontanea proprij beneficij dimissio, facta coram legitimo Superiore, id acceptante.

CAPITVLVM I.

Literas.

ARchiepiscopus Londonensis aliquoties à Sede Apostolica petiuerat, vt Archiepiscopatui renuntiare ipsi liceret, prætendens senectutẽ, & corporis debilitatem, ob quam ad onera ecclesiæ sustinẽda insufficiens esset. Ad id respondit Alexander; Consultius se arbitrari, vt eo tempore persecutionum Ecclesia Anglicana auctoritate eiusdem Archiepiscopi gubernetur, quàm vt nouo incognito nauarcho committatur: præsertim cùm corporis viribus deficientibus, ardore fidei & deuotionis tantò magis augeatur. Quare hortatur Archiepiscopum, vt Apostolicæ Sedi molestiam exhibere desinat, liberationem petendo; cùm non deceat in ipsis periculis belli exuere militiæ cingulum, priusquàm victoria ab hostibus obtenta, & optata pax restituta sit.

NOTANDVM I. Prælati renuntiatio admittenda non est, dum ecclesiæ vtilis existit. Qua de re infrà in c. nisi, 10. hoc tit.

NOTANDVM II. Miles durante bello, non facilè dimitti debet: cùm id in Reipubl. seu exercitûs damnum cedat. Qua de re Gl. margin. hoc cap.

CAPITVLVM II.

Cùm inter.

PARAPHRASIS.

Inter Petrum Gaufridi, & quosdam alios Canonicos diu fuerat agitata controuersia super beneficio ecclesiastico, & pertinentibus iuribus, videl. stallo in choro, loco in Capitulo. Denique Petrus cessit iure, si quod ei competeret, iuramento se obstringens, quòd beneficium istud petere amplius nollet. Postea verò Romanus Pontifex idem beneficium Petro conferri mandauit, si maior Capitularium pars consensum dederit: Quæritur, vtrùm iuramẽtum obstare debeat, quò minùs Petrus beneficium consequi possit. Respondet Pontifex: Si maior pars Capitularium consensum præbuit, Petrum, non obstante iuramẽto suo, in possessione beneficij, in quo Pontificia auctoritate inuestitus est, defendendum esse.

SVMMARIVM.

1. *Qui iuramento renunciauit beneficio; licitè potest illud nihilominus petere & obtinere; si denuò eligatur, vel instituatur.*

2. *Et hoc quidem procedit etiam in casu quo per iuramentum renunciasset omni iuri quæsito, & acquirendo, & Superior imperaret, vt oblata prælatura vel beneficium acceptaretur.*

Aut in fauorem Canonicorum, qui eum de nouo eligerent, editum esset iuramentum.

3. *Obligabit autem hoc iuramentum, si editum esset in honorem Dei.*

1 NOTANDVM Vn. Qui beneficio, quamuis iuratus, renunciauit, potest nihilominus illud petere, & obtinere, si post iuramentum denuo ad id eligatur, vel instituatur. Et generaliùs loquendo: Renuntiatio, ipsúmque iuramentum renuntiandi iuri suo interpretandum est secundùm rei statum, & causam tunc subsistentem; non item si causa superueniat, arg. veniens, 16, & c. quemadmodum, 25. de iureiur. Qua simili ratione, si pacem cum inimico iuratus iniueris, non obligaris iuramẽto, postquam noua illum offendendi causa superuenit; v. g. si ille iterum iniuriam intulit, vti Abb. hîc docet n. 10. Ratio est: Quia iuramentum, cùm strictæ interpretationis esse oporteat, iuxta l. quidquid, ff. de verbor. obligat. extendi non debet ad futura, quæ plerumque incognita sunt, ideóque non comprehensa censentur sub iurantis intentione, Qua de re vide, quæ fusiùs dixi lib. 4. Th. mor. tr. 3. c. 9. n. 1. & n. 5. in. 4. condit. Vel dicere potes, renunciationem, cùm sit iuris refutatio, quæ non facilè præsumitur, strictæ interpretationis esse, ideóq; non extendẽdam ad renuntiationem iuris ex causa postea superueniente oriturí, vt docet Ioseph. Mascardus vol. 3. de probat. concl. 126. n. 13.

2 Sed restat quæstio, si animus fuit per iuramentũ renuntiandi omni iuri seu quæsito, seu ex noua causa acquirendo, vtrùm nihilominus acceptari possit beneficiũ ob nouam electionem, vel institutionem. Resp. In primis omne eiusmodi iuramentum interpretandum est, saluo iure Superioris, qui ex iusta causa, tendente ad ecclesiæ vtilitatem, imperare potest, vt oblata Prælatura, aut beneficium acceptetur, argum. c. venientes, 19. de iureiur. Deinde, considerandum est, in cuius præcipuè fauorem, aut vtilitatem iuramentum editum sit: An in Canonicorũ, quibuscum controuersia intercesserit; tum ijs de nouo eligentibus renuntians consensum dare potest, vti rectè hîc docet Innoc. Quia iuramentum in alicuius fauorem, aut vtilitatem editum, intelligi debet, nisi ille expressè, vel tacitè obligationem remiserit, vti dixi. lib. 4. Th. mor. tr. 3. c. 9. n. 4. in 3. condit. An verò iuramentum editum fuerit in honorem Dei, quia beneficiatus seculo renuntiare, & Religionem ingredi cogitauit; tum sanè obligatur iuramento, propter statum Religiosæ paupertatis meliorem.

CAPITVLVM III.

Ex transmissa.

PARAPHRASIS.

Rubeus secularis, Canonicus Ecclesiæ S. Nicolai, cùm infirmitate premeretur, petijt in Monasterio Saluatoris habitum monasticum, eum cùm induisset, ex morbo conualuit. Quamobrem rogauit, ex Ecclesia S. Nicolai ea sibi restitui, quæ obtulerat, ijsque obtentis, reuersus est ad Monasterium, votum seu desiderium suum monastici Instituti impleturus. Sed mox mutato animo, antequam professionem ederet, volebat restitui in ecclesiam S. Nicolai, cuius Canonicus fuerat. Ad id respondet Alexander III. Quoniam Ecclesia S. Nicolai à Rubeo soluta est, propter tacitam eius renuntiationem, quam fecit petendo, & recipiendo ea, quæ ecclesiæ donârat: ideo Abbatem S. Nicolai & socios eius compelli non posse ad recipiendum Rubeum: quamuis rogari possint, vt eum de nouo in fratrem & canonicum ex gratia recipere dignentur.

SVMMARIVM.

1. *Qui renunciat beneficio, illud repetere non*

non potest, sed amittit omne ius in beneficio.

2. *Idem est de eo, qui absolutè & in perpetuum depositus est.*

3. *Mulieres, vt nouitiæ, ingressæ Monasterium, si repetant & recipiant dotem, hoc ipso significant, se mutasse animũ, & nolle Religionem profiteri.*

4. *Ferè non est consultum, vt beneficiati religionem ingressuri ante ingressum beneficio renuncient. Renunciatio autem facta post ingressum ante duos menses professioni faciẽdæ proximos irrita est.*

1 NOTANDVM I. Qui renuntiat beneficio expressè, aut tacitè (quod fit facto aliquo renuntiationem significante) amittit omne ius in beneficio, posteaquam renuntiatio à Superiore accepta fuit: adeò, vt si de nouo instituatur, vltimũ locum tenere debeat. Idémq; dicendũ de depositio absolutè, 2 seu in perpetuũ. Sed alia ratio est de priuato ad tempus, seu suspenso: is postea restitutus, recuperat iura & locum suum, vti constat ex l. 2. ff. de decurion. lib. 1. vbi id Bartol. docet, & Abb. hîc. n. 5.

3 NOTANDVM II. Si mulieres, quæ allata dote in Monasterium, probationi se subijciant, dotem repetant, & recipiant; eo ipso significant, animum se mutasse, vt Religionem profiteri nolint: Quia censentur repetere tanquam datum ob causam, causâ non secutâ.

4 Ad extremum monere hîc volui; ferme non esse consultum beneficiatis, vt Religionem ingressuri beneficijs suis antè renuntient. Sin autem post ingressum tempore durantis probationis, ante duos menses professioni edendæ proximos, beneficio suo aliquis renuntiet, irrita est renuntiatio, ob Trident. Constit. sess. 25. c. 16. de Regular. Quamobrem durante tempore probationis, beneficium, si opus sit, per Vicarium administrari debet, congrua illi fructuum portione assignata. Vide quæ dixi lib. 3. Th. moral. tr. 5. c. 7. q. 3.

CAPITVLVM IV.

Admonet.

PARAPHRASIS.

Alexander III. scribit ad Episcopum Tornacensem, vt prohibeat Clericis suæ diœcesis, ne Ecclesias ad suam prouisionem spectantes absque assensu suo accipere, detinere, aut dimittere præsumant: Sin verò contra hanc prohibitionem fecerint, canonicas in eos censuras inferat.

SVMMARIVM.

1. *Ad Episcopum spectat iure ordinario beneficiatos in ecclesijs instituere, eorúmque resignationes acceptare.*

2. *Beneficiati resignare debent beneficia sua in manibus Ordinarij; aliàs reuocari possunt: quod tamen suas limitationes patitur.*

3. *Resignationes ecclesiarum parochialiũ ordinariè non acceptantur, nisi saltem tribus vel quatuor annis ecclesiam possederit; difficilius recipiuntur resignationes Prælatorum habentium ordinariam & generalem iurisdictionem, vt sunt Abbates, Præpositi, alij Regulares, &c.*

4. *Ordinarius sciens discessum Prælati, alteriúsue beneficiati, si non contradicat, neque intra sex menses eum reuocet, censetur renuntiationem habere ratam.*

5. *Beneficiatus ab ingressu in religionẽ impediri non potest ab Episcopo, ita vt sufficiat ab eo hoc casu licentiam petere, licèt eam non obtineat.*

6. *Neque ab Episcopo impediri potest, si ad maiorem curam, dignitatem, vel prælaturam eligatur, & nullum obstet canonicum impedimentum.*

7. *Etsi ius conferendi beneficia pertineat iure speciali, vel consuetudine ad inferiorem Episcopo, non tamen propterea etiam ad eundem pertinet potestas resignationes accipiendi, nisi iurisdictionem*

nem in beneficiatos habeat, vt eos etiam destituere, seu deponere possit.

8. *Accusatus de crimine, ob quod beneficio priuari potest, ante sententiam priuationis renunciare potest, nisi iam conclusum sit in causa, vel alius impetrârit à sede Apostolica beneficium, de cuius vacatione sperabatur.*

1 NOTANDVM I. Ad Episcopum iure ordinario spectat, beneficiatos in Ecclesijs instituere, eorúmque resignationes accipere. Ita etiam habetur c. 2. & seqq. causa 10. q. 1. c. 2. de Instit. c. 1. de capell. Monachorum c. cùm ex iniuncto, 12. de hæreticis, quòd ad officium Episcopi tam institutio, quàm destitutio sacerdotum pertineat.

2 NOTANDVM II. Beneficiati beneficia, quæ canonicè consecuti sunt, arbitratu suo deserere non possunt; sed ea in manibus Ordinarij resignare debent: alioquin reuocari possunt, vti etiam constat ex c. non oportet, 19. c. si quis verò, 23. & seq. causa 7. q. 1. Et de omnibus beneficiatis tradit hic Gl. communiter recepta, ver. inconsulto. Cùm enim Ecclesia seu beneficium beneficiato obligatum sit, adeò, vt sine iusta depositionis causa eo priuari non possit, si ipsi in titulum, adeóque in perpetuum collatum fuerat, æquum omnino est, vt similem obligationem beneficiatus contrahat, ne videl. beneficium dimittere seu resignare possit, nisi acceptante Ecclesiæ Prælato c. 3. n. 44.

Sed limitari debet primò: Si quis solùm habeat ius ad rem, per electionem, postulationem, aut literas Papales de promouendo tum propria auctoritate renuntiare potest, ante accedentem Superioris confirmationem, aliámue institutionem. Ita sumitur ex c. ad audientiam. 31. de rescript. & c. si electo, 26. de elect. in 6. vbi id tradit Gl. communiter recepta, ver. renuntiat, Anton. de Butrio, c. quod in dubijs, n. 4. Ioann. Ananias, n. 18. hoc tit. Sed bene monet Gl. cit. Non obstante denuntiatione electi, si electores in materia, aut forma electionis non peccarunt, posse Superiorem, cognitâ causâ, eos priuare, aut priuatos declarare: quandoquidem electio, quoad ipsos, qui officio functi sunt, effectum habuisse censetur per electionis promulgatum decretum, vt dixi in c. publicato, 58. de elect. & sumitur ex c. perpetuo, 7. eod. in 6.

Secundò limitant Anton. Butrio c. quod in dubijs, n. 4. hoc tit. Garcias de benefic. p. 11. c. 3. n. 249. etiam post collationem, si causa litigiosa sit, & ius verè dubium, renuntiari posse absque Superioris auctoritate. Quia renuntiatio, per quam in causa dubia receditur à lite, fauorabilis est, ac faciliùs admittenda.

Sed contrarium magis placet, quod docet Ananias cit. c. quod in dubijs, n. 18. Primò: Quia hęc limitatio nullo iure ostendi potest. Ergo standũ est regulâ, quòd resignatio beneficij acquisiti absq; Superioris auctoritate fieri nõ debeat. Secundò: Quia sæpe interest, vt Episcopus, seu Ordinarius cognoscat causam renuntiationis, præsertim in beneficijs curatis, vtrùm Ecclesiæ expediat, necne. Itẽ, num facta sit sponte, nullo metu cogente, nec simoniaca portione interueniente: propter quas non expedit, vt renuntiatio beneficij firma sit, priusquam ab Ordinario approbetur, seu ratificetur. Fateor tamen ob litis componendæ, seu cõcordiæ causam, renuntiationes in causa dubia seu litigiosa faciliùs admittendas esse. Videri etiam potest Azor. tom. 2. lib. 7. c. 30. q. 3. vbi tradit, beneficium litigiosum nec impetrari, nec apud Papam renuntiari posse in gratiam alterius, non facta mentione Litigiosi.

His adde primò: Renuntiationem Canonicatuum, & similium simplicium beneficiorum, Ordinarij, alijque habentes ius recipiendi resignationes, facilè admittere debent, ordinariè loquendo: dummodò beneficiato, si in statu ecclesiastico manere velit, prouisum sit, vt honestè se alere queat. At verò resignationes ecclesiarum parochialium, spectata consuetudine Curiæ Romanæ, quam alios Ordinarios imitari decet, ordinariè non recipiuntur, nisi Parochus aliquot, saltẽ tribus vel quatuor annis ecclesiam possederit. Qua de re Garcias p. 11. c. 3. n. 44

num. 44. Habenda etiam inprimis est ratio plebis, quid ei vtile sit, arg. c. quidem, 12. infrà, hoc tit.

Aliquantò difficiliùs admittuntur resignationes Prælatorum, habentium ordinariam & generalem iurisdictionem, cuiusmodi sunt Abbates, & Præpositi Regulares, &c. Veruntamen si causam aliquam cedendi habeant, ab Episcopo retinendos non esse constat ex c. vlt. causæ 16. q. vlt. Denique Episcoporum, qui arctissimo & indissolubili vinculo cum ecclesiis astricti censentur, resignationes non admittuntur, nisi à Sum. Pontifice, ex vna causarum, de quibus infrà c. nisi, 10. hoc tit.

4 Adde secundò: ex Innoc. & Ioan. Andr. hoc c. Si Ordinarius sciens discessum Prælati, alterius ue beneficiati non contradicat, neque eum intra sex menses reuocet, quòd renuntiationem eius ratam habere censeatur; ideóque electores ad nouam electionem, vel ob causam negligentiæ Superiorem ad nouam prouisionem procedere posse; Consultius tamen esse aiunt, vt priùs admoneatur Ordinarius, quàm tale quippiam saltem ab inferioribus electoribus aut collatoribus attentetur.

5 Adde tertiò: Si beneficiatus ad Religionem se conferre velit, impediri non posse ab Episcopo; adeò, vt hoc casu sufficiat licentiam petere, iure ipso Pontificio discedendi potestatē faciente, si Episcopus eam neget, argum. c. licet, de Regular. & tradit Gl. cit. Hostiensis hìc in sum. §. Cui fit renuntiatio, Abb. in hoc c. n. 4.

6 Adde quartò: Si beneficiatus ad maiorem curam, dignitatem, vel Prælaturam eligatur, & nullum canonicum obstet impedimētum, Episcopum impedire eum non posse, vti docet idem Hostiensis in sum. tit. de postulat. Prælatorum, §. Quis postulandus, Gl. final. huius c.

Qværitvr Primo. Si beneficij collatio pertineat ad inferiorem Episcopo, videl. ad Capitulum ecclesiæ Cathedralis, vel ad Præpositum, vtrùm in manibus eiusdem collatoris, an verò in manibus Episcopi cessio seu resignatio beneficij facienda sit.

Respondeo, & Dico I. Tametsi iure speciali, vel consuetudine præscripta ius conferendi beneficia pertineat ad inferiorem Episcopo, nō ideo consequens est, quòd ad eundem pertinere debeat potestas resignationes accipiendi: præterquàm si iurisdictionē obtineat in beneficiatos, ita vt eos etiam destituere seu deponere possit: cuiusmodi potestatem quasi episcopalem habent quidam Prælati exempti. Ita post Innoc. in c. quod in dubijs, Abb. ibid. n. 6. Ioan. Ananias n. 19. Gl. in Clem. vn. hoc tit. ver. manibus, Ibid. Imola, Christoph. Roffiniacus de beneficijs, c. 14. n. 54. Petr. Gregor. Tholos. de re benefic. c. 31. n. 11. Ratio est: Quia præscriptio, præsertim contra facultates Episcopis communi iure concessas, strictæ interpretationis esse debet, vt non extendatur ad casum, seu actum diuersum: Atqui beneficia conferre, & beneficiatorum resignationes accipere, diuersa iura sunt, quæ frequenter nō ad eundem, sed ad diuersos spectant, vti ostendit Tholosanus cit. loco. Ergo ex eo, quòd ad inferiorem Episcopo beneficij collatio speciali iure spectat, non est consequens, ad eundem etiam pertinere, vt resignationes accipiat. 7

Dico II. Frequenter accidit, vt hæ duæ potestates in inferioribus collatoribus coniunctæ sint, vt sicuti beneficia conferre, ita etiam eorum resignationes accipere possint. Hæc assertio est secundùm mentem Gl. in cit. Clem. vn. Hostiensis in sum hoc tit. §. Cui fit renuntiatio, Syl. ver. renuntiatio, q. 3. vbi generatim aiunt, beneficiorum resignationes coram eo fieri, à quo acceptę fuerunt. Quod intelligo, non quia ita secundùm canonum præscripta fieri necesse sit; sed quia ita fieri plerumque consueuit, vt ijdem, ad quos iure ordinario pertinet beneficia conferre, seu beneficiatos instituere, resignationes etiam accipiant: saltem, si loquamur de simplicibus beneficijs, v. g. canonicatibus, quos si Capitulum v. g. sine dependentia ab Episcopo conferat, eorundem quoque resignationes accipere consueuit. Sed alia ratio est de beneficijs curatis, quorum prouisio, & consequenter etiam destitutio seu resignatio, absque examine, seu assensu Episcopi fieri non de-

bet in ecclesiis subiectis curæ eius, vti non obscurè colligitur ex hoc c. & c. 1. de capellis Monachor. & c. vn. eod in 6. Trident. sess. 25. c. 9. de reform. & videri potest Abb. c. in Lateranensi, 31. n. 6. de præb.

8 QVÆRITVR 2. Vtrùm accusatus de crimine, ob quod beneficio priuari potest, ante latã priuationis sententiam renũtiare possit? Responsio est affirmatiua, quam ex cõmuni explicaui lib. 4. Th. mor. tr. 2. c. 17. prope finem. Et ampliatur hæc doctrina apud Steph. Quarantam in sum. Bullarij, ver. beneficiorum resignationes, vt etiam procedat pendente appellatione post sententiam priuationis, quia sententia per appellationem suspensa manet, dummodò hoc casu in resignatione mentio fiat de appellatione. Limitationes verò duas affert idem Auctor circa resignationem in alterius fauorem: I. Si conclusum sit in causa, ita vt nihil restet, nisi proferenda sententia. II. Si alius quispiam à Sede Apostolica impetrauit beneficium, de cuius vacatione speratur: his duobus casibus renuntiatio irrita, aut subreptitia censenda erit.

CAPITVLVM V.

Super hoc.

PARAPHRASIS.

Titius beneficij possessionem amisit, illudq; ad Caium peruenit: Ille reposcit beneficium à Caio, tanquam in quo canonicè inuestitus fuerat: Caius excipit, quòd idem Titius sponte cesserit, seu renuntiârit beneficio, nullam causam exprimens factæ renuntiationis. Sed Titius Actor negat se sponte renuntiasse, quin potiùs vi & metu adactum fuisse.

QVÆRITVR hoc casu primò; Vtrùm Reus audiendus sit, si spontaneam renuntiationem, sine causæ expressione obijciat. Secundò: Vter ad probationem pro altero admittendus sit; Actorne, quòd sponte non renuntiârit; an verò Reus, quòd spontanea renuntiatio interuenerit.

Ad 1. q. respondet Clemens III. Vtile & consultum fore, vt Iudex, coram quo controuersia agitur, causam renuntiationis inquirat, & cognoscat; cùm verisimile non sit, quòd Titius beneficium, ex quo sustẽtari debet, & multis fortè expensis ac laboribus acquisiuit, facilè de causa abiurarit: Quòd si autem allatâ causâ renuntiationis, intelligat eam probabilem esse, adeóq; renuntiationem factam non per vim aut metum, nec per extorsionem, neque per pecuniæ, aut promissionis interuentum (maximè si nec iuramentum interuenerit; quandoquidem iuramentum rarò ex spontanea voluntate, sed plerumque ex necessitate procedit, à malo originem trahens) illam admittat: præterquam si Actor replicet, se quidem renuntiasse beneficio, sed renuntiationem spontaneam non fuisse. Hoc casu Actor ad probandam replicam admitti debet. Quia licèt factum negatiuum, si nudè & præcisè spectetur, probari non possit; potest tamen, si implicitè & virtualiter cõtineat affirmatiuum; vt in casu proposito, si Actor dicat se renuntiasse non sponte, implicitè asserit sibi vim illatam esse. Fieri autem tunc solet, vt pro eius replicatione (consideratâ conditione dignitatis, ac bonæ opinionis suæ) maior præsumptio sit, quàm pro exceptione Rei; ideóque hoc casu Actor, præ Reo ad probationem admitti debeat.

SVMMARIVM.

1. *Renuntiatio non facilè præsumitur, ideóque stricti iuris seu interpretationis est, neque extendenda vltra casum expressum.*
2. *Actor suæ petitionis causam exprimere debet, non autem, ordinariè loquendo, reus suæ exceptionis.*
3. *Si præsumptio maior sit pro actore replicante, quam pro reo excipiente, tum Actor potiùs ad probationem replicæ admittendus est.*
4. *Renunciatio beneficij facta alteri, quàm legitimo Superiori aut Collatori, valet in præiudicium renuncians, ita vt beneficio priuari possit.*

5. Si-

5. Simoniaca renunciatio omni iure irrita est; quamuis simoniacè renuncians in criminis pœnam beneficio priuari possit.

1 NOTANDVM I. Renuntiatio facilè non præsumitur; ideóque stricti iuris, seu interpretationis esse censetur, vti docent DD. apud Iosephum Mascardũ de probat. vol. 3. cõcl. 1263. Est enim repudiatio iuris, adeóq; species quędam donationis: nemo autẽ facili de causa donare, seu propria iactare creditur, l. cùm de indebito, 25. ff. de probat. Quamobrem docent Doctores apud eundem Mascardum, quòd renuntiatio extendenda non sit vltra casum expressum: vt si quis iuri suo renuntiet ex vna causa, vel vnius priuilegij adiumento; non ideo etiam censendus sit renuntiasse ex alijs causis, titulis, aliisque priuilegijs. Si tamen renuntiatio generalibus verbis concepta fuerit, ad omnia se extendit, saltem similia, & non maiora ijs, quæ expressa sunt, iuxta ea quæ dixi in c. sedes, 15. de rescriptis. Neque tamen renuntiatio generalis extendi debet ad insolita, aut probabiliter incognita, neque ad ea, quæ specialem renuntiationem suapte natura requirunt, qualis est causa alimentorum, dotis, bonorum feudalium. Interdum tamen si renuntiatio generalissima sit, præsertim geminata, etiam ea comprehendere censetur, quæ alioquin specialem derogationem requirunt, vti notauit idem Mascardus cit. concl. 1263. n. 45. post Bartol. in l. si de certa, C. de transact. & l. 1. in fine, ff. si quis in ius.

2 NOTANDVM II. Non vti actor causam suæ petitionis exprimere debet, l. 1. ff. de edendo, cap. 2. de libelli oblatione; ita etiam Reus, ordinariè loquendo, exceptionis causam edicere tenetur; quia actio tendit ad alterius obligationem; exceptio verò ad liberationem: liberationis autem maior fauor esse solet, iuxta l. tale, 40. ff. de pactis, l. cùm de indebito, 25. in fine, ff. de probat. c. si cautio, 14. de fide instrumentorum; Ex quibus iuribus habetur, quòd confessio debiti sine expressione causæ reijcit onus probandi in creditorem; sed confessio solutionis, aut remissionis sine expressione causæ, absolutè liberat debitorem. Veruntamen si præsumptio sit contra Reum excipientem, tum Iudex ex officio cogere illum potest ad expressionem causæ: Vt in proposito casu, si Reus conuentus dicat, quòd Aduersarius spontanea voluntate renuntiârit beneficio, interrogari potest, quam causam ille habuerit huius renuntiationis faciendæ. Quia id scire vtile est ad causæ expeditionem: quamuis absolutè non necessarium; cùm satisfaciat Reus, si testes exhibeat, qui dicant se renuntiationi factæ interfuisse, eámque audiuisse, neque vllam aduertisse circumstantiam, ob quam non spontanea, sed coacta aut extorta renuntiatio censeri deberet, sicuti ex Antonio de Butrio refert hîc Imola, n. 18.

3 NOTANDVM III. Si præsumptio maior sit pro Actore replicante, quàm pro Reo excipiente, tum Actor potiùs ad probationem replicæ admittendus est: Vt in proposito casu, si vir probatæ vitæ dicat, ac probare velit, se non sponte, sed coactum beneficio renuntiasse: quandoquidem nemo facilè iuribus & commodis suis renuntiare censetur. Accedit, quòd violentia, quippe exteriùs conspicua, faciliùs probari possit; quàm spontanea renuntiatio, quæ in animo latens est, & ferme probari non potest, nisi per negationem, videlicet nullam vim adhibitam fuisse: qua de re videri hîc potest Innocent. n. 8. Abb. 34. 35. Vide quæ in simili dixi lib. 4. Th. mor. tr. 3. c. 5. n. 3. dicto 2.

His adde; Si Actor probet se violentiam passum, atque beneficio spoliatum esse, ideóque agat interdicto possessionis recuperandæ, ei obijci non posse exceptionem factæ renuntiationis, vti habetur in c. 2. de restit. spoliatorum: quia spoliatus priùs restitui debet, quàm de iure proprietatis disceptetur.

4 NOTANDVM IV. Renuntiatio beneficij facta alteri, quàm legitimo Superiori aut collatori, valida est in præiudicium renuntiantis, ita vt beneficio priuari possit. Ita docent DD. in c. quod in dubijs, hoc tit. & colligitur ex hoc textu, cùm dicitur, renuntiationem à Superiore admittendam, seu ratam habendam esse, si ostensum fuerit, non

vi, nec metu, nec oppressione, nec pecuniæ interuentu, nec alia simoniaca pactione peractam fuisse, haud dubiè coram alio, quàm Superiore. Porrò si ostensum fuerit, per vim, aut metum iniustum renuntiationem factam esse, seu in manibus Superioris, seu alterius cuiusque, succurrendum est metum passo, § iuxta c. 2. de ijs qui vi, &c. Sin autem renuntiatio simoniaca fuit, omni iure irrita censeri debet, iuxta c. cùm non pridem, & c. vlt. de pactis. Quamuis simoniacè renuntians in criminis pœnam beneficio priuari possit per Superioris sententiam, vti Gl. hic notauit, ver. pecuniæ, Gregor. Tholos. de re beneficiaria, cap. 31. in fine. Videri potest Garcias de beneficijs p. 11. c. 3. n. 145.

CAPITVLVM VI.

In præsentia.

PARAPHRASIS.

Titius Caio possessori Abbatiæ litem intentauit, dicens eam ad se pertinere. Causa delata fuit ad Sedem Apostolicam: Pontifex eam commisit Episcopo Dulmensi, & quibusdam alijs; Illi pro possessore contra actorem Titium iudicarunt. Sed is contendebat sententiam esse nullam; quia lata sit contra liquidam probationem iuris sibi competentis; cùm tamen possessor parum vel nihil probauerit. Ad hoc respondet Clemens III. scribens ipsi Caio possessori Abbatiæ, quòd Iudex interdum non attendat ad vnam vel alteram probationis speciem; sed ex confessionibus partium, testium depositionibus, alijsque publicis allegationibus formet animi sui iudicium, atque ita sententiam pronuntiet: tantámque esse iudicialis sententiæ auctoritatem, vt semper pro eius iustitia præsumi debeat, donec contrarium legitimè probetur. Quamobrem tametsi Caius possessor coram Iudicibus delegatis nihil omninò probasset, tamen standum esset sententiâ Iudicum, nisi Aduersarius ostenderet, eam rescindendam esse. Verumtamen, cùm etiam constet ex quibusdam Episcoporum literis, eiúsque propria confessione, quòd iuri, si quod ei ad Abbatiam competeret, sponte renuntiârit, ideo Pontifex ei super eâdem Abbatiâ silentium imponit.

SVMMARIVM.

1. *Iudex non tenetur sententiam ferre secundùm quamcunq; probationis speciẽ, attendere autem debet ad omnia ea, quæ in iudicium producuntur, ad allegationes, probationes, confessiones partium, &c.*
2. *Præsumptio est pro iudicis sententia, eam esse iustam, & legitimè latam.*
3. *Non tamen hæc præsumptio est semper iuris & de iure, ita vt probatio in contrarium non admittatur.*

NOTANDVM I. Iudex non tenetur sententiam ferre secundùm quamcunque probationis speciem, quia quid iurium cuique probationi insit, prudentis Iudicis arbitrio committitur, l. 3. §. Eiusdem quoque, ff. de testibus. Sed Iudex ad omnia attendere debet, quæ in iudicium produeuntur, ad allegationes, probationes, confessiones partium, testium qualitates, ac depositiones, denique quid iuri aut receptæ consuetudini conueniat, vt id in medium producatur; atque ex his denique sententiam format, quæ iusta ipsi videtur.

NOTANDVM II. Præsumptio est pro Iudicis sententia, eam iustam, seu legitimè latam esse. Ita etiam habetur in c. bonæ, 23. de elect. c. sicut, 16. in fine, de testibus: Et in reg. 207. ff. dicitur, quòd *res iudicata pro veritate accipitur*. Ratio sumi debet partim ex auctoritate Iudicis, publicum officium gerentis, vti colligitur ex cit. c. sicut: partim ex partium quodam consensu, quæ per litis contestationem sententiæ Iudicis se submittere censentur. Quare idem etiam dicendum de sententia arbitri, præsumptionem esse pro iustitia eius, donec contrarium appareat, sicuti hìc notat Anton. de Butrio, addit. Ioann. Andr. lit. a.

Sed

Sed limitari debet primò: Nisi dubitetur de iurisdictione ac potestate Iudicis: Quod intellige de eo, qui inferiorem ac limitatam iurisdictionem habet; sicuti & de eo, qui delegatam, iuxta c. cùm in iure, 31 de offic. delegati vbi dicitur, quòd non credatur aliquis esse delegatus, nisi delegationem suam ostendat. Qua simili ratione docet Bartolus in l. si fortè, ff. de castrensi peculio. Quòd non credatur simplici ac non probatæ assertioni Prælati, quòd donationē faciat propter præcedentia merita: aut si asserat, se res ecclesiæ alienare præcedente tractatu cum Capitulo; quia sic qualitates ad substantiale fundamentum actûs pertinent, quod imprimis adstrui seu probari debent, si partes litigantes, cùm præsentes sint, veruntamen non contradicant, sed tacitè in Iudicem consentiant, valebunt acta eius; dummodò talis causa sit, vt partes Iudicis iurisdictionem prorogare seu extendere possint, vti docet Felinus in c. ecclesia, n. 21. de Constitut. Menoch. de arbitr. Iudicum qq. q. 76. n. 11.

Limitatur secundò: Nisi à sententia appellatum sit; præsertim postquam appellatio recepta fuit: tum cessat præsumptio pro lata sententia; cùm de eius iustitia cognoscendum sit, vti hîc docet Innocentius n. 1. Ioann. de Anania, n. 25. in fine, Guilielm. Durandus in speculo iuris, lib. 2. p. 3. de sententia, §. 6. n. 11.

Limitatur tertiò: Nisi contrarium ostendatur, quòd videl. Iudex iniquam sententiam tulerit, seu contra acta & adducta in iudicio, siue contra leges publicas, ac receptas. Ita hîc, & in c. quoniam, 11. de probat.

3 Sed QVÆRITVR hoc loco, vtrùm præsumptio pro iustitia latę à Iudice sententiæ, sit iuris ac de iure, ita vt non admittatur probatio in contrarium. Respondeo cum Guilielmo Durando cit. n. 11. Anania hîc n. 32. Vel obijcitur, aliquid contra processum iuris, aut acta substantialia iudicij, v. g. Reum non fuisse citatum, nec præsentem, litem non fuisse contestatam, iuxta c. vn. de litis contestat. hoc casu admittitur probatio contra Iudicem. Quamobrem in c. quoniam, n. 11. de probat. præcipitur Iudici, vt acta iudicij à Notario, aut duobus viris idoneis scribi curet; alioquin fidem ei non habendam super processu iudicij, nisi quatenus legitimis constiterit documentis. Vel obijcitur, contra leges seu iura publica sententiam latam esse: tunc non auditur obijciens, nisi iniustitia sentētiæ manifesta sit, cit. c. 1. c. inter cæteras, 9. de sent. & re iudicata, c. pastoralis, §. verùm, eod. tit. Item si Iudex in pronuntiando, seu ferenda sententia, causam, ex qua sola motus fuerit, afferat falsam, & quæ sit contra leges: qua de re Gl. in cit. c. inter cæteras, Innoc. hîc n. 2. Ananias n. 41. & sumitur ex l. qui testamento, ff. de excusat. tutorum. Vide, quod tradit Menochius de arbitrar. qq. q. 339. quòd Iudex imperitè iudicans litem suam faciat, quia parti læsæ damnum resarcire tenetur, in quantum id facere potest.

CAPITVLVM VII.

Sanè.

PARAPHRASIS.

Cælestinus III. Legato à Latere mandauit, vt Henricum Subdiaconum in Pictauiensi ecclesia instituì curaret: Ille obtemperans mandato Apostolico eundem in dicta ecclesia Canonicum instituit. Sed Canonici obstiterunt, eundem Henricum recipere recusantes. Et cùm is nihil contra Canonicos proficeret, tandem consilio quorundam ex Canonicis inductus, literas suas Capitulo reddens, misericordiæ eius se subiecit. Sed à quibus misericordiam impetrare debuerat, ab ijs dispendium tulit: quia (vt arbitror) Canonici allegarunt, eum renuntiasse iuri suo, ideóque excluſum esse debere. Sed Pontifex Cælestinus, nolens imperfectum manere, quod ipse & Antecessores eius de Henrico in Canonicum instituendo decreuerunt, mandat Capitulo, vt ipsum in fratrem & Canonicum admittant.

SVMMARIVM.

Beneficiatus reddendo literas beneficiales Canonicis, ipsâ renunciando, non vndequaque validè beneficio renunciat, cùm resignationes beneficiorum fieri debeant coram Superiore.

Vnde ex æquitate Pontifex talem renunciationem hîc non admisit, nec ratam habuit.

CONtra responsionem Cælestini obijcit Gl. ver. reddens: Henricus reddendo literas renuntiauit iuri suo: Ergo spectata iustitiæ lege, admittendus iterum non erat ad canonicatum; sed solùm ex misericordia & gratia, ad quam faciendam nemo obligatur: quia quod ex debito fit, non est gratia. Antecedens probatur, ex c. cùm pridem, de pactis, vbi Clericus quidam liti beneficiali tradendo authentica instrumenta: Ex l. 1. C. de donationibus, vbi dicitur, quòd traditione instrumentorum, quibus emptio mancipiorum retinetur, ipsa mancipia donata & tradita intelligantur, ita vt donatario dominium eorum acquiratur: Ex l. qui chirographum, 59. de legatis 3. vbi dicitur, quòd legans alicui chirographum seu instrumentum, quo actiones debitorum continentur, ipsas actiones seu debita, non meras tabulas seu membranas legâsse censeatur. Ex l. 2. C. Quæ res pignori obligari possunt, vbi respondetur, quòd alicui in pignus dans instrumenta, quibus emptiones agrorum suorum continentur, ipsos agros obligare censeatur. Ex l. 2. ff. de pactis, vbi habetur, quòd reddens debitori cautionem, seu instrumentum, quo de debito reddendo cauetur, ipsum debitum remittere censetur. At verò reddens pignus, non ideo debitum condonare præsumatur, l. post pignus, ff. eod. Quia, vt Gl. ibi ait, redditio pignoris aliam vtilitatem habere potest, quàm debiti condonationem: quandoquidem id frequens est, vt pignore vti volens, id cupiam mihi à creditore concedi, salua confessione debiti, vti constat ex l. certè, 6. §. quæsitum, ff. de precario: Cùm itaque renuntiatio strictæ interpretationis esse debeat, non est absque necessitate extendenda. Quia non præsumitur facilè aliquis iactare, quod suum est, c. quod super, hoc tit. & l. cùm de indebito ff. de probat.

Ad hanc difficultatem varias responsiones dant Doctores, vti videre est apud Gl. hîc ver. sustinere, Ioann. Andr. Ananiam, Anton. de Butrio & alios, Abb. in c. ecclesia, 4. n. 10. & seqq. vt lite pendente &c. Prima, eáque ferme communis, Henricum non renuntiasse iuri suo, tametsi literas tradiderit. Quia ius Canonicatûs ipse consecutus non erat ex literis Papalibus, quibus eum in Canonicum institui mandauerat, sed ex institutione facta à Legato: Quam discrimen est inter traditionem harum literarum, & traditionem instrumẽtorum, quibus ius rei emptæ, vel ius debiti, actionesque continentur. Verùm hæc responsio difficultates patitur: Prima: Quia in textu non dicitur, Henricum literas Papales Capitulo tradidisse, sed redditis literis suis, (ijs, vt opinari licet, quibus ius institutionis suę ad Canonicatum continebatur) misericordiæ Capitularium se subiecisse. Secundò: Quia hæc subiectio, & petitio gratiæ satis significat, Henricũ iuri suo renũtiare voluisse: cùm gratię seu misericordię locus non sit, vbi iustitiæ debitum manet. Tertiò: Quia redditio literarum aliam vtilitatem aut finem habere non potuit, nisi renunciationis.

Altera responsio: Quòd Henrici renuntiatio à Pontifice rescissa fuerit, propter deceptionem ac dolum Capituli: Ipsi enim fraude eum induxerant ad redditionem literarum, & misericordiæ implorationem: Aequi ex consilio, si fraudulentum sit, quilibet obligatur, l. quòd si, 6. ff. de dolo, & reg. 62. n. 6. *Nullus ex consilio, dummodo fraudulentum non sit, obligatur.* Hęc responsio difficultatem habet: cùm enim non Capitulum, sed aliqui tantùm ex Capitularibus consilium illud dederint, constat, contra ipsum Capitulum actionem de dolo, ad rescissionem renuntiationis ipsi factæ, instituti haud posse. Nisi diuinando dicere velimus, in Capitulari Conuentu decretum fuisse

tisse, vt tale Henrico consilium fraudulentum suggereretur; eiusq; rei executores alios è Canonicis statutos fuisse.

Tertia responsio: Renuntiationem Canonicatûs factam Canonicis per traditionem literarum validam fuisse: Nihilominus Henrico subuentum fuisse Iudicis officio propter æquitatem. Hæc responsio supponit, quòd Capitulum speciali iure aut priuilegio potuerit Canonicatuum resignationes recipere. Quo supposito, vera est responsio: Et consistit æquitatis ratio in eo, quòd non fuerit renuntiatio omnino sponte, sed ad redimendam vexationem facta. Cùm enim Henricus à Canonicis se impetraturum non speraret, vt eum secundùm Pontificis mandatum, & Legati institutionē de iure admitterent; sperauit se facta iuris sui renuntiatione, per gratiam ipsorum admissum iri. Cùm autem renuntiatio, quippe donationis species quædam, suapte naturâ exigat, vt spontanea & liberalis sit, ideo facilè per Iudicis officiū succurritur, qualēcunq; etiam non grauem metum passo. Vide quæ dixi lib. 3. Th. mor. tr. 4. c. 6. assert. 3.

Alia æquitatis ratio erat: Quia Capitulum debebat exequi mandatum Apostolicum suscipiendo Henricum: ergo non extra culpam fuit accipiendo renuntiationem eius nō omnino voluntariam. Cùm autem æquum non sit, vt Capitulum ex propriâ culpa commodum reportet, ideo tum ob hanc causam, tum ad defendendam Apostolicæ Sedis authoritatem renuntiatio rescissa fuit, siue ea non obstante, Henricus in Canonicum institui debuit.

Quarta responsio. Quòd renuntiatio non vndequaque valida fuerit; quia facta erat coram Canonicis tantùm, non autem coram Superiore, cuius est resignationes recipere, iuxta c. admonet, 4. hoc tit. Quapropter æquitas non permisit, vt Pontifex dictam renuntiationem non canonicè factam admitteret, seu ratam haberet; partim quia non sponte facta erat, sed ob præcedentem iniustam vexationem, iuxta c. super hoc, 5. eod tit. partim quia necesse erat ad Apostolicæ Sedis auctoritatem tuendam, vt prouisio eius mandato inchoata perficeretur, seu plenæ executioni traderetur, per susceptionem Canonicorum, & quietæ possessionis traditionem.

CAPITVLVM VIII.

Quòd in dubiis.

SVMMARIVM.

1. *Renuntiatio beneficij facta in manibus laici, irrita est, renuncians tamen beneficio spoliandus est.*
2. *Renunciatio facta in manibus Clerici, cui potestas recipiendi eam non competit, valida est quoad ipsum renunciantem, non autem quoad Ecclesiam, vel Superiorem.*

   Potest tamen ita renuncians pœnitere, & per pœnitentiam renunciationem reuocare; si suam Superior authoritatem nondum interposuit, & res integra sit.
3. *Beneficiatus renuncians in manu laici, citari & per sententiam priuari debet: si autem resignauit in manu clerici, & resignationem non reuocauit, Superior beneficium alteri conferre non prohibetur: consultum tamen est renunciantem citari.*
4. *Etsi renuncians in manu clerici, antequam Superior renunciationem ratam habet, proprietatem seu ius beneficij nō amittat, amittit tamen possessionem.*

SI quis beneficium ecclesiasticum in manibus laici resignauerit, tametsi iterum susceperit, irrita est renuntiatio, sed renuntians beneficio priuandus est. 1

Circa textum huius c. aduerte primò: Quòd dicitur sponte: quia si ob metum resignauit, succurritur ei, vt beneficium retinere possit, iuxta c. ad audientiam, 4. de ijs, quæ vi &c. Aduerte secundò: Quòd dicitur renuntiantem priuandum esse: videl. per Iudicis sententiam, vti rectè hîc docet Anton. de Butrio n. 8. Quia si ipso iure priuatus esset renuntians, tunc videretur renuntiatio in

manibus

manibus laici facta aliquem effectum consecuta: quod inconueniens reputari debet.

2 Sed quid? Si renuntiatio beneficij fiat in manibus Clerici, cui accipiendi resignationem potestas non competit? Tum communiter respondent Doctores, quos refert Garcias de beneficijs p. 11. c. 3. n. 219. & seqq. renunciationem validam esse, quoad ipsum renuntiantem; non autem quoad Ecclesiam, seu Superiorem. Sensus esse debet: Quòd in arbitrio Superioris positum sit, vtrùm renuntiationem ratam habere velit, & renuntiantem cogere, vt beneficium dimittat; dummodò renuntiatio sponte facta fuerit, vti habetur in c. super hoc, 5. eod. tit. Ita cum Gloss. hîc ver. in manu, docet Innocent. n. 1. Anton. n. 8. & alij, quos citaui lib. 4. Th. mor. tr. 2. c. 17. n. 4. §. Porrò. Dicit tamen Gregor. Tholosanus de benef. c. 31. n. 11. Vincentius apud Anton. de Butrio hîc n. 8. Garcias n. 227. quòd antequam Superior suam auctoritatem interposuit, ideóq; dum res integra est, renuntians per pœnitentiam reuocare possit renuntiationem factam in manu Clerici, cui tale ius non competebat: eò quòd renuntiatio effectũ omnino cõsecuta non sit, argum. l. 3. & 5. ff. de cess. bonor. Sin autem in manu laici renũtiatio facta fuerit, non obstante, quòd reuocauerit renuntians beneficium, à Superiore priuari potest, vti ex hoc c. colligitur: Quamuis aliqui considerantes verba textûs, arbitrentur, huic pœnæ locum non esse, nisi renuntians ab eodem laico beneficium denuò susceperit.

Qværitvr: Vtrùm Superior cognitâ renuntiatione factâ in manum alterius, beneficium alteri conferre possit, etiam non vocato eo, qui renuntiauit.

3 Respondeo & Dico I. Si beneficiatus renuntiauit in manum laici, citari, & per sententiam priuari debet, antequam beneficium alteri conferatur. Ita colligitur ex hoc c.

Dico II. Si beneficiatus resignauit in manum Clerici, neque resignationem reuocauit, Superior beneficium alteri conferre non prohibetur: propterea quòd resignatio, quantum est ex parte resignantis, valida sit, ac proinde ad plenum effectum renuntiationis duntaxat necessarium est, vt Superior verbis, seu facto ipso declaret, quòd renuntiationem admittere, seu ratam habere velit, vti docet Ananias hîc, n. 11. Consultum tamen est, renuntiantem citari, vt appareat, num renuntiatio sponte facta sit, an verò ob metum; item, num simoniaca pactio interuenerit: quia etiam hoc casu renuntiatio omnino irrita est; licèt renuntians per sententiam contra Reum citatum latam beneficio priuari queat, vti dixi in c. admonet, 4. hoc tit.

Dices: Esto, quòd renuntians in manu 4
Clerici, priusquam Superior renuntiationé ratam habet, proprietatem seu ius beneficij non amittat, ideóque vacare nondum censeatur, vtrùm saltem possessionem amittat. Responsio est affirmatiua, cum Innoc. hîc n. 1. Abb. n. 8. & alijs communiter. Quamobrem ait Garcias, p. 11. c. 3. n. 237. quòd renuntians contra eum, cui renuntiauit, non possit agere de spolio, nisi ostenderit se possessioni beneficij incubuisse, & ita spoliatum fuisse.

CAPITVLVM IX.

Ad Supplicationem.

Paraphrasis.

Archiepiscopus Ragusiensis impetrauit ab Innoc. III. cessionem, ac liberationem ab ecclesia: eò quòd sine vitæ suæ periculo (fortasse propter insidias) accedere aut commorari ibi non posset. Verùm ne idem Archiepiscopus, cum opprobrio ministerij atque dignitatis Archiepiscopalis, rerum temporalium subsidijs destituatur, approbat & cõfirmat Pontifex, quòd dicto Ragusiensi, cum consensu Regis Angliæ, Archiepiscopus Eboracensis beneficium in Episcopatu Carleoli contulerit. Addit Innocentius, se renuntianti concessisse, vt in eodem Episcopatu Carleoli officium Archiepiscopale, excepto pallij vsu, exercere possit; Archiepiscopo Eboracensi, tanquam Metropolitano suo subiectus.

Sva-

SVMMARIVM.

1. *Clerici, maximè Sacerdotes & Episcopi, ab ecclesia ali debent, præterquam contumaciter in crimine perseuerantes, vt omnis subsidij denegationem, & ipsam excommunicationem mereantur.*
2. *Episcopatui renuncians potest aliud, etiam minoris dignitatis beneficium, v.g. parochiam consequi.*
3. *Neque in hoc casu Episcopus de dignitate sua descendit, cùm idem homo diuersis iuribus censeatur.*

1 NOTANDVM I. Postquam Ecclesia ex fidelium oblationibus, ac pijs fundationibus sufficientes reditus accepit ad ecclesiasticorum Ministrorum sustentationem, in opprobrium cedit ecclesiastici ordinis, si Clerici, præsertim Sacerdotes atque Episcopi, necessarijs ad honestam vitæ sustentationem destituantur. Quare Ecclesia eos alere debet, spectato cuiusque statu ac dignitate: idque adeò, vt etiam ob crimen à beneficijs suspensus, aut depositus, tamen ab ecclesia ali debeat, ne cum opprobrio cleri mendicare cogatur; præterquam si in crimine contumaciter perseueret, vt omnis subsidij denegationem, ipsámq; excommunicationem mereatur, secundùm Gl. in c. pudeat, 39. ver. & sui, d. 50. & dixi lib. 1. tr. 5. p. 3. c. 5. n. 3.

2 NOTANDVM II. Qui Episcopatui renuntiauit, potest deinde aliud, etiam minoris dignitatis, beneficium v. g. Parochiam consequi. Multò magis Episcopus factus Religiosus, in Abbatem assumi potest, vti hîc Anania notat, n. 9. Anton. de Butrio n. 6. cum Gl. c. hoc nequaquam, 45. causa 7. q. 1.

Sed obstare videtur, quòd secundùm iura non liceat in dignitatibus descendere, iuxta l. 2. C. Quemadmodum ciuilia munera indicuntur, lib. 10. *Maioribus honoribus functos, ad minores deuocari non oportet, rationis est.*

Respondeo primò; Excipiendam esse necessitatem, si alij tam idonei non reperiantur, secundùm Gl. in cit. l. 2. & sumitur ex l. honor, 14. prope finem, ff. de muneribus & honoribus.

Respondeo secundò; Tametsi decens non sit, neque facilè permittendum, vt à maiore dignitate v. g. Archiepiscopali aliquis transferatur ad minorem, puta Episcopalem, vti colligitur ex c. de translat. Episcopi; posteaquam tamen renuntiauit Archiepiscopatui, desinit esse Archiepiscopus, sed retinet dignitatem episcopalem; ita vt insignibus episcopalibus ex Pontificia concessione vti possit; licèt ordines conferre nequeat: cùm subditos non habeat, vt infrà hoc lib. dicetur tit. de ordinatis ab eo, qui Episcopatui renũtiauit. Quare apparet, nihil obstare, quò minùs is, qui Archiepiscopatui renuntiauit, in alterius ecclesiæ Episcopum eligatur; cùm non descendat: præterquam, quod hîc vtilitatis ecclesiæ ratio quoque habenda sit, si is qui Archiepiscopatui renuntiauit, ad Cathedralis alterius ecclesiæ regimen vtilis esse videatur.

Sed qua ratione beneficium minus, v. g. Canonicatum, vel parochiam consequi potest, ita vt non descendere censeatur? Facilè id dicitur: cùm Archiepiscopus, vel Episcopus, tametsi non renuntiet, ex Papæ dispensatione propter redituum Episcopalium tenuitatem, talia beneficia retinere, vel de nouo accipere possit. Neque verò tunc, si Epi- 3 scopus v. g. parochiam consequatur, de dignitate sua descendere censetur: cùm idem homo diuersis iuribus censeatur, vti colligitur ex c. postulastis, 15. de concess. præbendæ, & c. cùm capella 16. de priuileg. Exempli causa fieri potest, vt Episcopus in alia ecclesia sit Præpositus, Canonicus, aut Parochus: quo casu, vt Canonicus v. g. locum suum inter Canonicos retinere, & respectiuè Episcopo illi, in cuius diœcesi beneficium obtinet, subiectionem & obedientiam debet, vti hîc ex communi Butrio respondet n. 7. Sic itaque dico, quòd Episcopus, qui Episcopatui renuntiauit, honorem ac dignitatem Episcopalem retineat, tametsi postea Canonicus, vel alicuius ecclesiæ Parochus fiat: cùm accessus minoris honoris aut beneficij ad maiorem dignitatem eam non destruat, nec minuat: cùm diuersa quidem, sed non repugnantia iura sint. Quin & eâdem ratione fieri

solet, vt Rex aliquis seu Monarcha, prouinciam iure feudi alteri Regi obnoxiam accipiat, eóque respectu feudatarius fiat alterius Regis, adeóque subditus eius ratione territorij, licèt, absolutè loquendo, paris, vel fortè maioris dignitatis existat.

CAPITVLVM X.

Nisi cùm pridem.

PARAPHRASIS.

Archiepiscopus Calaritanus magnâ instantiâ petijt ab Innocent. III. licentiam renuntiandi Archiepiscopatui, vt sepositis curis, saluti suæ ac vitæ meliori in solitudine vacare posset. Ad id respondet Innocentius, quòd se Ieremiâ sanctiorem æstimare non debeat, qui licèt ob humilitatem refugerit prædicationis officium, Ierem. c. 1. tamen volente ac iubente Deo susceperit, ac studiosè adimpleuit. Quare non veræ humilitatis desiderio Archiepiscopum moueri videtur: quin potiùs sub prætextu humilitatis malè erigere verticem, quando in resignandi proposito pertinacem se ostendit. Etenim vera humilitas sicuti hominem adigit, vt honores non quærat, sed, quatenus ipsi concessum est, fugiat; ita etiam persuadet, vt oblatos per obedientiam sufferat, & se pertinaciter liberare non intendat.

SVMMARIVM.

1. *Episcopi officium præcipuum est, populum sibi commissum docere, seu verbum Dei prædicare per se, vel sa.tem, si ipse ob iustas causas non possit, per alium.*
2. *Non est causa sufficiens deserendi Episcopatum, vt propriæ saluti quis melius vacare possit, etiam religione suscepta.*
3. *Si Episcopus relicto episcopatu, absque licentia Papæ religionem profiteatur, irrita est professio.*
4. *Votum Episcopi, qui adhuc ecclesiæ suæ vtilis est, de ingrediendâ religione, irritum est.*
5. *Enumerantur sex causæ, ob quas Episcopo licentia renuntiandi concedi possit. Prima est conscientia criminis, propter quod officij executio etiam post peractam pœnitentiam impeditur.*
6. *Secunda causa est corporis debilitas, quæ Episcopum impotentem reddit ad exequendum officium pastorale.*
7. *Tertia est defectus scientiæ, quæ sufficiens esse debet, licèt in Episcopo eminens desideretur.*
8. *Quarta est malitia plebis obedientiam negantis, aut insidias parantis.*
9. *Quinta est graue scandalum populi, quod ex Episcopi, aut alterius Prælati præsentiâ patiuntur.*
10. *Sexta, Irregularitas personæ, in qua Papa dispensare non solet, vt si forte sit bigamus, vel viduæ maritus.*

NOTANDVM I. Officium præcipuum Episcopi est populum sibi commissum docere, seu verbum Dei prædicare. Si tamen ob multas alias occupationes, aliásue causas eo munere ipsemet fungi non possit, permittitur, vt alios idoneos prædicatores substituat.

NOTANDVM II. Non est causa sufficiens Episcopatum deserendi, vt propriæ saluti quis melius vacare possit, etiam Religione suscepta. Ita docet S. Th. communiter receptus in 2.2.q.185.a.5.ad 1. Ratio est: Nam Episcopo, qui se susceptione Episcopatûs obligauit ad suam, & subditorum salutem procurandam, melius est, vt in eo statu perseueret, quamdiu ecclesiæ, cui se obligauit, vtilis esse potest. Sin autem vtilis esse desinat, tunc melius ipsi est, vt relictâ & alteri traditâ curâ subditorum, totum se propriæ saluti promouendæ impendat.

Exinde infert Valentia to. 3. disp. 10. q. 3. p. 4. ver. *Ex quo sequitur*; irritam esse professionem Religionis, factam ab Episcopo, nullâ aliâ causâ cogente, nisi vt priuatis commodis vacet in Religione. Sed id verum non iudico, si Sum. Pontificis licentia accesserit. Licet enim Pontifex malè faciat, tali casu cessionem concedendo, ea tamen valida est, vtâ colli-

colligitur ex ijs, quæ dixi in t. de translat. Episcopi, & tradit Suarez to. 3. de relig. lib. 1. c. 20. n. 7. Sin autem Episcopus de facto Episcopatu absque licentia Papæ Religionem profiteatur, irrita est professio. Quia Deus non acceptat professionem Religionis, si ecclesia repugnet: Atqui ecclesia repugnat, vt Episcopus gregem suum, cui se obligauit, deserat, nisi à Sum. Pontifice liberationem impetrarit.

4 Sed quæstio est, vtrùm valeat votum Religionis ingrediendæ editum ab Episcopo? Negat absolutè Hostiensis in sum. tit. de voto, & voti redempt. §. Quis vouere possit, Richard. in 4. d. 38. a. 4. q. 2. Tabiena ver. votum, 5. q. 1. n. 2. & alij apud Suarez to. 1. de relig. lib. 3. de voto, c. 4. n. 8. Sed Syl. ver. votum, 3. q. 1. Azor to. 1. lib. 11. c. 16. q. 2. Sanchez to. 1. de relig. lib. 4. c. 25. n. 26. Suarez loc. cit. aiunt, votum hoc Episcopi non esse omnino irritum; quia obligat eum ad petendam licentiam à Pontifice, quâ denegatâ libererit à voto.

Respondeo ad q. Si Episcopus, qui ecclesiæ suæ adhuc vtilis est, Religionis ingressum vouerat, vt proprijs saluti meliùs vacare possit, eius votum omnino irritum est. Primò: Quia votum esse debet de bono meliore, & quod Deo gratum sit: Sed Religionis susceptio est opus minùs bonum, quàm sit officium Episcopale in eo, qui suscepto Episcopatu ecclesiæ se obligauit, quamdiu obligationi satisfacere, seu ecclesiæ vtilis esse potest. Ita expressè docet S. Th. cit. a. 5. vbi ait, quòd Episcopus, qui ecclesiæ adhuc vtilis est, retrocederet, seu descenderet à perfectione, si Religionem ingredi vellet: Idemque docet Sotus lib. 10. de iust. q. 2. a. 4. Valentia cit. p. 4. Secundò: Quia frustrà peteret licentiam talis Episcopus, quàm Pontifex non concederet, imò secundùm canones concedere non posset, nisi aliud adsit impedimentum, ob quod Episcopatum deseri consultum sit, vti patebit seq. §. huius c.

Obijcitur c. per tuas, 10. de voto, vbi is, qui Religionis susceptionem vouerat, & postea, non impleto voto, Episcopatum suscepit, voti transgressor dicitur, eique consulitur, vt resignato Episcopatu, Domino reddat promissum: Exinde enim infertur, statum Episcopalem non esse perfectiorem, meliorémq; , quàm statum Religionis: alioquin votum Religionis suscipiendę commutari posset in susceptionē Episcopatûs: quia *promissum non infringit, qui in melius commutat*, c. 3. de iureiur. Facilis est responsio: Antequam aliquis munus Episcopale suscepit, valere votum Religionis ingrediendæ: Atque huic homini melius esse, Deóq; gratius, vt votum suum impleat. Quia status Episcopalis perfectus est, imò perfectissimus, non quia ad perfectionem multùm conferat, sicut status religiosus, sed quia perfectionem supponit, ac requirit in suscipiēte, ac retinente Episcopatum, vti etiam significat Trident. Concil. sess. 6. c. 1. de reformat. At verò status Religionis non postulat aliquem perfectum esse, sed vt ad perfectionem consequendam per media in Religione præscripta tendat. Quamobrem melius Deóque gratius opus facit, qui, excepta necessitate, munus Episcopale refugit, vt Religionem suscipere, & in ea se perficere possit. At verò postquam aliquis Episcopalem statum, obligationémque suscepit, incapax factus est Religionem ingrediendi, nisi à Sum. Pontifice ecclesiâ suâ liberatus sit, propter impedimentum aliquod satisfaciendi officio Episcopali, vt statim dicam. Legi potest Suarez to. 3. de relig. lib. 1. c. 19. & 20. & quæ dicentur in cit. c. per tuas.

§. Intueri.

SEx causæ sunt, ob quas Episcopo renun- 5
tiandi licentia concedi possit. Prima est, Conscientia criminis, propter quod officij executio etiam post peractam pœnitentiam impeditur.

QVÆRES: Quænam sint ista crimina? Respondeo; Inprimis ea, quæ titulum Episcopatûs inualidum reddiderunt: v. g. si simoniacè electus, vel institutus fuit, iuxta ea quę dixi c. innotuit, n. 10. de elect. Tunc distingue, cum Anton. de Butrio, & Anania hîc n. 12. Vel enim crimen, ac defectus tituli notorius est, tunc cedere potest, etiam non requi-

sitâ licentiâ Papæ: Vel est occultus defectus, tunc ad vitandum scandalum renuntiare debet in manibus Papæ, vel tituli reualidationem ab eodem impetrare. Cæterùm, si aliquis in excommunicatione, suspensione, vel irregularitate occulta institutus fuit, sublato impedimento per eum, qui potestate absoluendi, aut dispensandi præditus est, eo ipso titulum validari, tanquam probabile docui lib. 4. Theol. moral. tr. 2. c. 15. n. 2. & suprà de elect. c. super eo, 12. n. 3. §. Deinde.

Secundò: Si Episcopus post canonicam institutionem, ob crimen v.g. Sodomiæ iuxta Pij V. Constit. incurrat pœnam depositionis, aut suspensionis in perpetuum sine spe relaxationis, tunc iusta causa adest cessionem à Pontifice impetrandi. Si tamen crimen occultum sit, ideóque infamiam annexam non habeat, proprius Episcopi Confessarius absoluere eum poterit, propter Trident. concessionem sess. 24. c. 6. de reformat. Quòd Episcopi dispensare possint in omnibus irregularitatibus, & suspensionibus prouenientibus ex delicto occulto. Vbi Cardinalium declaratio adiungitur: *Episcopo in aliquod tale delictum prolapso, licet ad se absoluendum proprium Confessarium deputare, cum eadem auctoritate, quam ipse potest ex eodem hoc cap. in sibi subditos exercere.*

Tertiò: Si Episcopus crimen incurrat, cui ipso iure infamia annexa est, v.g. Si Romanæ Ecclesiæ Cardinalem hostiliter persecutus est, c. felicis, de pœnis, in 6. Loquor autem de infamia iuris, id est, quæ ipsa lege, vel Iudicis sententiâ ob crimen inflicta. Alia autem est infamia facti, quæ incurritur ob quodlibet crimen mortale, per quod hominis existimatio, spectata conditione personę, grauiter læditur apud viros prudentes. Et hæc infamia per pœnitentiam ac publicam vitæ emendationem tolli potest: Quare non deijcit hominem à dignitate acquisita, ante Iudicis sententiam, & depositionem. Qua de re dixi lib. 1. tr. 5. p. 5. c. 4. n. 5.

§. Alia.

6 ALtera causa, ob quam Episcopo licentia renuntiandi concedi potest, est corporis debilitas, seu ea ex infirmitate, seu ex senectute proueniat: dummodò tanta sit, vt impotentem reddat ad exequendum officium pastorale. Videri de hac re possunt testimonia ex S. Gregor. I. congesta à Gratiano causa 7. q. 1. c. 1. 3. & 4. quibus habetur, quòd Episcopus ob infirmitatem deponendus non sit, sed Vicarij & Coadiutores adsciscendi, qui ex reditibus Episcopatûs alantur. Imò tametsi morbus incurabilis sit, tamen ad renuntiationem cogi non posse, colligitur ex c. parte, 5. de clerico ęgrot. Si tamen ob morbum parua ex ipso vtilitas in Ecclesiam redundet, tum eius voluntaria cessio admitti potest, assignata ipsi congrua pensione ex Episcopalibus reditibus, ad vitam suam, vti Sotus docet cit. loc. Valentia cit. p. 4. §. Quocirca. Atque idem fermè locum habet in alijs Prælatis ecclesiarum: Parochis verò ob eandem causam senij vel infirmitatis diuturnæ, propter quam ecclesiæ regendæ minùs vtiles videantur, citiùs indici potest renuntiandi præceptum, assignata illis pensione, aut alio beneficio, ex quo se honestè alere possint, arg. c. tua, 4. de clerico ægrot. Et de ea re dixi lib. 4. tract. 2. cap. 17. num. 2. princ. & n. 3. in fine.

§. Pro defectu.

HÆc est tertia causa cessionis: si Episcopus scientiâ careat: Ea enim tum ad spiritualium administrationem, tum ad temporalium curam Prælato necessaria est. Tametsi verò scientia eminens desideranda sit, sufficit tamen scientia competens: quia imperfectum scientiæ supplere potest perfectio charitatis: siquidem Apostolus ait 1. ad Corinth. 8. quòd *scientia inflat, charitas autem ædificat.* Vide quæ dixi in c. qualiter, 17. de elect. & c. innotuit, 20. eod. tit. Non esse irritam electionem aut institutionem Episcopi, qui sufficienter doctus est, modò non omnino illiteratus sit: neque talem obligari ad resignandum, si spes sit, quòd non longo tempore sufficientem scientiam comparare queat.

§. Pro-

§. Propter malitiam.

8 HÆc est quarta causa, videl. plebis malitia Episcopo obedientiam negantis, aut insidias parantis. Non tamen ob quamlibet culpam, aut inobedientiam plebis, pastor eam deserere debet; sed si ita pertinaciter pastori se opponat, ab eóq; abhorreat, vt ad maius malum vitandum, ne fortè in lupos conuertantur, id est, à vera Religione, vel Ecclesiæ vnitate omnino deficiant, tali casu ipsis quandoque ad tempus cedendum, & cum Superioris licentia pastor amouendus est. Idque etiam de Parochis, alijsque animarum pastoribus dici debet, quòd interdum amouendi, seu transferendi sint, si plebs, aut subditi adeò ipsis, quamuis culpabiliter contradicant, aut ab eis abhorreant, vt spes reconciliationis non sit. Vide Ananiam super hoc §.

§. Pro graui.

9 QVinta causa est, graue scandalum populi, quod ex Episcopi, aut alterius Prælati præsentia patiuntur. Quamuis distinguendum sit inter scandalum Pharisaicum, seu ex malitia profectum, & scandalum pusillorum, seu ex ignorantia aut infirmitate ortum. Nam ob hoc scandalum sedandum frequentiùs cedẽdum est iure, quod aliquis habet: Sed Pharisaicum minùs plerumq; curandũ est: nisi cum pertinaciter malis etiã simpliciores, aut innocentes inuoluantur, seu ad ruinam trahantur. Exemplum huius habemus in S. Gregor. Nazianzeno, de quo legimus die 9. Maij, quòd scandali ac seditionis sedandæ causa, quæ ob eius bene facta fuerat exorta, sponte cesserit ecclesiâ Constantinopolitanâ.

§. Personæ verò.

10 VLtima causa affertur irregularitas personæ. Distinguendum tamen est, vtrùm sit irregularitas dispensabilis, an verò talis, in qua Papa dispensare non solet: Si indispensabilis, v.g. si bigamus, aut qui viduam vxorem habuerat, Episcopus factus sit, is renuntiare debet. Sin autem dispensabilis, v.g. natalium defectus; tum, si res occulta sit, non expedit licentiam renuntiandi concedere, sed potiùs dispensationis gratiam largiri: Quamuis id etiam obseruandum, quòd cum spurijs, seu ex damnato coitu ortis difficilior fiat dispensatio. Atque simili quoque modo Papa dispensabit cum eo, qui in irregularitate ob homicidium occultum Episcopus creatus sit; non item si defectus publicus, seu notorius sit. Vide quæ dixi lib. 1. Th. mor. p. 5. c. 9. & in. c. innotuit, 13. de elect.

§. Verùm.

PErgit in hoc §. & sequentibus dicere Innocent. si Episcopus nullam ex dictis cedendi causam allegare possit, Episcopale officium ipsi retinendum esse: cùm sui iuris, ac libertatis non sit, sed ecclesiæ suæ in perpetuum obligatus. Neque verò est, quòd refugiens labores, ac curas ad vitam contemplatiuam tanquam optatiorem, meliorémque aspiret; cùm maioris perfectionis sit, cum vita contemplatiua actiuam coniungere, exemplo Moysis, qui modò in montem ascendens gloriam Domini speculatus est; modò in castra descendens populi necessitati prouidit. Quamobrem facilius permittitur, vt Monachus seu contemplatiuus ad præsulatum, videl. Episcopatum ascendat; quàm vt præsul, seu Episcopus ad monachatum descendat.

NOTANDVM Vn. Vita contemplatiua, si cum actiua iungatur, reliquis præstantior est, vt etiam cognoscitur ex vita Christi, & Apostolorum. Vide quæ dixi lib. 4. Th. mor. tr. 5. c. 3.

CAPITVLVM XI.

Post translationem.

PARAPHRASIS.

Postquam Episcopus Fauentinus ad Archiepiscopatum Rauennatensem translatus

fuit, Præpositus & Canonici Fauentinæ ecclesiæ potestatẽ eligendi Episcopum vni suorum Canonicorum commiserunt: Is Ignatium olim Episcopum Sartanensem, tum verò Regularem professum ecclesiæ S. Fridiani postulauit: Impetratâ autem licentiâ à Priore Conuentûs, Præpositus & alij Canonici postulationem etiam ab Innocentio III. approbari petiuerunt. Cùm causam istam examinaret Innocentius, obstare ipsi videbatur canon Concilij Constantinopolitani, in quo cautum reperitur, vt qui ab Episcopatu ad vitam monachalem, ac pœnitentiæ locum descendisset, iterum ad Episcopalem dignitatem non assurgeret. Aduertit tamen Innocent, plures casus esse posse, quibus talis reassumptio Monachi ad Episcopatum permissa esset: Videl. Si quis propter persecutiones, aut corporis infirmitatem resignato Episcopatu cum Superioris licentia vitam monasticam suscepisset; eo impedimento cessante reassumi posset. Idémque est, si quis propter scientiæ defectum Episcopatum renuntiasset, & postea in Monasterio scientiam nequisitam consecutus esset, iterum canonicè vocatus seu electus ad Cathedram Episcopalem ascendere posset. Præterea si quis simoniaca interueniente prauitate, rei istius ignarus, Episcopatum adeptus fuerit, & re postea cognita, dignitatem dimittens in Religione professionem ediderit, licèt ad eundem Episcopatum (saltem pro illa vice, iuxta c. penult. de elect.) eligi non possit, tamen ad alium quin promoueatur, nihil obstat. Ex quibus apparet, prohibitionem canonis illius, ne quis ex Episcopo factus Monachus, iterum ad Episcopalem dignitatem ascendat, non esse vniuersaliter intelligendam: Sed aliqui intellexerũt canonem in eum tantùm casum constitutum esse, si quis ob crimen commissum pœnitentiæ agendæ causa, deserto Episcopatu, vitam Monasticam suscepisset, quòd iterum assumendus non sit. Alij verò intellexerunt de omnibus ad Religiosam vitam ab Episcopatu descendentbus; non quòd iterum eligi non possint, sed quòd ad dignitatem, quam deseruerunt, propria auctoritate se recipere nequeant. Sed Pontifex Innocentius priorem intellectum amplecti videtur, ideóque mandat Rauennatensi Archiepiscopo, vt causam inquirat, cur Ignatius ille, derelicto Episcopatu, vitam Regulare suscepcrit, &, si compererit, aliam fuisse iustam causam præter criminis conscientiam aut confessionem, tum, si necessitas, vel vtilitas postulare videatur, licentiam ei Apostolica auctoritate tribuat ad regimen ecclesiæ Fauentinæ ascẽdendi; præsertim si loco tantùm ac regimine Ecclesiæ Sartanensis cesserat, non item ordine ac dignitate Episcopali: quia hoc casu vehemẽtissima præsumptio est, illum non ob crimen commissum ad Religionem se contulisse, cùm Sedes Apostolica ipsi nequaquam permisisset, post cessionem suam in Pontificali ordine ministrare. Sin autem intellexerit Archiepiscopus, cessionem illius & Religionis susceptionem propter commissum crimen factam esse, tum iniungat Canonicis, vt ad aliam electionem accedant; cùm durum videatur, contra Concilium Constantinopolitanum adeò celebre postulationem admittere.

Svmmarivm.

1. *Episcopus, qui ob crimen Religiosus factus est, iterum ad episcopatum eligi non potest: secus est, si ob aliam causam cum legitima summi Pontificis licentia ad religionem transit.*
2. *Contra Canones Concilij Generalis non facilè dispensat Pontifex, licèt absolutè loquendo dispensare possit.*

Notandvm I. Qui ex Episcopo Religiosus factus est ob crimen, iterum ad Episcopatum eligi non potest: secùs, si ob aliam causam cum legitima Superioris, videl. Summi Pontificis auctoritate ad Religionem transijt.

No-

NOTANDVM II. Interdum Episcopus renuntiat loco tantùm ac regimine, seruato ordine ac dignitate Episcopali; interdum autè renuntiat non tantùm loco, ac regimini, sed etiam ordini ac dignitati. Existimo autem, si Episcopus ad Religionem se conferat, præsumendum esse, quòd vtrique renũtiare velit, nisi specialiter obtineat à Pontifice, vt ipsi Pontificalia exercere liceat. At verò si Episcopus renuntians Religionem non ingrediatur, plerumque à Sede Apostolica ipsi permittitur ordinis Episcopalis exercitium ac dignitas: nè alioquin ob crimen depositus videatur. Idque etiam colligitur ex c. ad supplicationem, 9. hoc tit. & videri potest Anton. de Butrio, in c. 1. de ordinatis ab Episcopo, & Hostiensis eod. tit. col. penult.

1 NOTANDVM III. Contra Canones Concilij generalis non facilè dispensat Summus Pontifex; quamuis, absolutè loquendo, possit dispensare. Nam quòd tam magna auctoritate & consensu Patrum stabilitum fuit, non decet immutare, eiue derogare, nisi causa grauis ita postulet.

Porrò tametsi Innocentij responsio, ac definitio vera sit, tamen circa allegationem canonis, eiusque explicationem non caret res difficultate. Arbitratus enim est Innocentius, (fortasse alicuius Capitularis, aut librarij fidem sine vlteriore inquisitione secutus,) canonem illum esse Concilij Constantinopolitani I. sub Damaso Pontifice celebrati, quia ait, Concilium illud, in quo canon iste habetur, esse vnum ex quatuor præcipuis œcumenicis Concilijs, quæ vti sancta Euangelia recipienda esse Patres dixerunt, videl. Nicænum, Constantinopolitanum, Ephesinum, & Chalcedonense, de quibus dixi lib. 2. Th. mor. tr. 1. c. 2. n. 4. Veruntamen in illo Concilio talis canon non reperitur, vti etiam aduertit Suarez tomo 3. de Relig. lib. 1. c. 20. n. 13.

Adde, quòd Gregor. I. lib. 6. epist. 31. testatur, Ecclesiam Romanam canones eius Concilij Constantinopolitani primi nunquam recepisse, sed solùm quòd in eo contra Macedonium hæreticum definitum fuit. At verò in decreto Gratiani super c. hoc nequaquam, causa 17. q. 1. Gregoriana correctio affert canonem Constantinopolitanæ Synodi sub Ioanne VIII. (quæ tamen non est V. Oecumenica, vt Gratianus putauit) in quo canone tale quippiam decretum est; sed, vt legenti patebit, secundùm eum intellectum, quem ex quorundam sententia Innoc. hîc postremo loco adduxit: Videlicet, permittendum non esse, vt Episcopi, qui quandoque repentino spiritu afflati ad Monasteria, relicto Episcopatu se contulerunt, postquam statum religiosæ humilitatis ac pœnitentiæ amplexi ac professi sunt, iterum suo arbitratu ad Episcopatum reuertuntur. Putarunt enim illi, se eo transitu non renuntiasse Episcopatui; sed simul & Monachos & Episcopos esse posse, ex loco in locum arbitratu suo aduolantes: quod in ecclesia nunquam concessum, ideóque ea in Synodo rectè prohibitum fuit.

CAPITVLVM XII.

Quidam.

PARAPHRASIS.

Qui licentiam cedendi beneficio à Superiore petierunt, postquam eam obtinuerunt, cedere coguntur. Cùm enim in postulatione causam cedendi habuerint, aut etiam proposuerint, videlicet ecclesiæ bonum, aut ipsorum salutem, tametsi postea vel suasionibus aliorum, quæ sua sunt, quærentium, vel propria leuitate reuocare velint, audiendi haud sunt.

SVMMARIVM.

1. *Duæ sunt potissimùm causæ cessionis seu renuntiationis: Commodum Ecclesiæ, & salus propria renuntiantis.*
2. *Qui cedendi licentiam petiuit, ex quo illam impetrauit, cedere cogitur.*
3. *Si quis ipso facto per se, vel alium renuntiat beneficio in manibus Superioris, non tenetur reuocationem Superior admittere.*

4. Si

4. *Si autem non ipso facto cedat beneficio, sed petat licentiam cedendi, reuocari potest renuntiatio, antequam Superior licentiam concessit.*

NOTANDVM I. Duæ potissimùm causæ sunt cessionis, seu renuntiationis; Commodum ecclesiæ, quia beneficio aliquis, vt par est, præesse non potest: vel salus propria renuntiantis, vt quia Religionem ingredi vult, vel in loco beneficij periculum patitur &c.

2 NOTANDVM II. Qui cedendi licentiam petiuit, postea cedere compellitur.

Objcitur l. 5. ff. de cessione bonorum: *Quem pœnitet bonis cessisse, potest defendendo sè consequi, ne bona eius veneant.* Respondent hìc Innoc. Butrio, Ananias, & alij afferendo discrimina inter cessionem bonorum, & beneficij renuntiationem: Primò; Quia renuntiatio beneficij necessariò fit coram Superiore, cui illudi videretur, si postquam is eam approbauit, pœnitere liceret: sed cessio bonorum non necessariò fit coram Superiore, cùm etiam extra iudicium fieri possit, l. vlt. ff. eod.

Secundò: Quia beneficiatus non est absolutè dominus beneficij, cùm id ad ecclesiam spectet, argum. c. 2. de donat. Qui autem bonis cedit, dominus eorum est: quare cùm de maiore eius præiudicio agatur, faciliùs ei succurritur. Simili ratione qui hæreditatem extranei repudiauit, per pœnitentiam resilire ampliùs non potest, l. 4. C. de repudianda hæreditate. Sin autem filius patris hæreditatem repudiauit, conceditur ei pœnitentia, antequam res hæreditariæ distractæ sint, l. vlt. C. de repud. hær.

Tertiò: Quia ad bonorum cessionem necessitas plerumque compellit: Renuntiatio autem liberè, & nemine compellentè fieri solet, quare non est ratio, cur pœnitentiæ locus esse debeat, sicuti in bonorum cessione.

Porrò circa renuntiationem beneficij, num eam reuocare liceat, ita distingue cum Innocentio, iuncta Clement. vn. de renuntiatione. Vel aliquis ipso facto per se, vel per alium cedit seu renuntiat beneficio in manibus Superioris, v. g. *Cedo beneficio, supplicans vt cessionem hanc admittere velitis*; Vel non ipso facto cedit, sed petit licentiam cedèdi, vti in hoc c. Primo casu Superior non tenetur reuocationem admittere, ne ipsi illudatur, si fortè iam dispositionem fecit alteri personæ idoneæ prouidendi. Requiritur tamen, secundùm stylum Curiæ Romanæ, consensus expressus renuntiandi ab ipsomet renuntiante, si præsens sit: sin absens, à procuratore eius præstitus in Cancellaria, & Camera Apostolica, vti docet Azor tom. 2. lib. 7. c. 22. q. 14. & c. 23. q. 3.

Nec obstat, quamuis resignatio, facta per procuratorem, rata & irreuocabilis sit, tametsi procurator antè reuocatus fuerit, si reuocatio neque in procuratoris, nec in Superioris notitiam peruênit, neque item per fraudem alicuius factum fuit, quò minùs peruenerit, iuxta cit. Clem. vn. hoc tit.

Altero verò casu, reuocari potest renuntiatio, antequam Superior licentiam concessit, vti per sensum contrarium colligitur ex hoc c. ver. *ea obtenta.* Sin autem iam concessit licentiam, tum distingue, vtrùm concessio ab ipso Superiore absolutè facta sit; tunc omnis pœnitentiæ locus sublatus est. An verò non absolutè, sed alicui commissa potestas renuntiationem recipiendi, tum attendenda sunt verba commissionis, & qualitas conditionis, quæ interdum apponi solet; v. g. accipe renuntiationem, onerata conscientiâ renuntiantis, quòd iustam renũtiandi causam habere sibi videatur, tum recedere is adhuc potest. Vel accipe renuntiationem, si ita expedire, omnibus perpensis, tibi videatur, tum in arbitrio prudentis Commissarij positum erit, vtrùm reuocatio renuntiantis admittenda sit, nécne. 4

Obijciet aliquis: Postquam postulatio alicuius ad prælaturam Superiori præsentata est, postulantes recedere non possunt, c. bonæ, 4. de postul. præl. Ergo nec renuntiaturus posteaquam petitionem suam Superiori præsentauit. Respondeo, negando conseq. Quòd enim postulantes post præsentatio-

sentationem recedere non possint, causa est, quia officio ipsis à iure concesso functi censentur: quæ ratio in renuntiatione locum non habet.

Denique de resignationibus à resignatario in loco beneficij publicandis, iuxta constitutionem Gregor. XIII. in Bulla 87. quæ incipit *Humano*, videri potest Steph. Quaranta in summa Bullarij, ver. benefic. resignationes, Garcias p. 11. c. 3. n. 273. Azor to. 2. lib. 7. c. 24.

CAPITVLVM XIII.

Veniens.

PARAPHRASIS.

Ioannes Subdiaconus ad tres Iudices impetrauit literas ab Innocentio III. quibus mandabatur, vt ipsi Ioanni, si canonicum impedimentum nõ obstaret, præbendam ecclesiæ S. Florini in Confluentia, quam eiusdem ecclesiæ Decanus resignauerat, conferri curarent. Cùm autem mandatum Apostolicum exequi vellent, quidam eius ecclesiæ Canonici se opposuerunt, eò quòd dictus Ioannes literis Papalibus renuntiasset: Id autem negãte Ioanne, produxerunt illi testes, qui hoc solùm deponebant, quòd Ioannes se gratiæ Capituli commiserit. Quo intellecto, Iudices duo delegati definiuerunt, illum literis Papalibus renuntiasse, ideóque earum vigore non posse ampliùs præbendam petere. Ab hac sententia Ioannes ad Sedem Apostolicam appellauit, Vigiliam Epiphaniæ terminum appellationis designans. Cùm autem Romam venisset, Honorius III. successor Innocentij, Capellanum suum causæ huius auditorem, ac definitorem constituit; sed aduersarius, aut Procurator eius non comparuit: denique verò aliquis aduenit literas habens, duntaxat ad impetrandum, & contradicendum. Cùm autem mandatum eius sufficiens non esset ad causam prosequendam, Auditor id solùm egit, vt dictorum Iudicum sententiam cassaret: quod cùm institia exigente factum sit, id ratum & firmum esse respondit Honorius.

SVMMARIVM.

1. *Impetraturus beneficium à Papa præter alia exprimere debet, quod, & quo modo illud vacet.*
2. *Executores dati ad beneficia, habent iurisdictionem delegatam in ea causa.*
3. *Appellans contra sententiam definitiuam potest statuere terminum, ad quem in Curia Romana comparendum sit.*
4. *Committens se gratiæ aut misericordiæ alterius, non ideo renuntiat iuri suo; idem est, si quis voluntati vel arbitrio alterius se submiserit; quod intelligendum est, modò iustè seu vt vir bonus arbitratus fuerit.*

NOTANDVM I. Impetraturus beneficium à Papa præter alia exprimere debet, non solùm quod vacet, sed etiam quomodo vacet, vtrùm per mortem, an per resignationem. Ita notat hic Ananias, n. 1. 1

NOTANDVM II. Executores dati ad beneficia, censentur habere iurisdictionem delegatam in ea causa: quamobrem iudices hic appellantur, qui exortam controuersiam iudicialiter definiuerunt. Ita etiam colligitur ex c. tibi, 12. de rescript. in 6. & notat Gl. in Clem. vn. de offic delegati, ver. executores, Anton. hîc not. 2. post Innocent. in c. vlt. de præsumpt. 2

NOTANDVM III. Appellans contra sententiam definitiuam potest statuere terminum, ad quem in Curia Romana comparendum sit: adeò vt si appellatio ab aduersario fuerit approbata, vterque per se, vel per procuratorem sufficienter instructum ad causam agendam in Curia comparere debeat; alioquin in expensis condemnabitur. Sin autem appellatio approbata non fuerit, tunc sufficit mittere procuratorem ad impetrandum, & contradicendum; id est, non vt causam ibi agat, sed vt alios iudices in prouincia impetret, vel huic impetrationi contradicat. Quæ de re Gl. hîc, & traditur in c. Nicolao, 64. & 5. 3

interposita, 70. §. 1. de appellat. Quid autem specialiter obseruandum sit in appellationibus causarum beneficialium, dixi in c. 1. & c. cupientes 16. de elect. in 6.

Præcipua autem difficultas restat, cur Auditor, cuius sententiam approbauit Pontifex, Iudicum illorum sententiam cassauerit, ob quam causam alij deinde Iudices in ecclesia Leodiensi constituti fuerunt. Aliqui dicebant, ideo sententiam horum iudicum irritam fuisse, quia cùm tres deputati essent, duo tantùm sine tertio iudicarunt. Sed cùm huius peccati in textu mentio nulla fiat, non est id præsumendum, sed potiùs, quòd causa ipsis commissa fuerit, additâ clausulâ, *quòd si non omnes* interesse possint, saltem duo exequantur, iuxta c. prudentiam, 21 de offic. delegati.

Alij dicebant, ideo sententiam Iudicum cassatam fuisse, quia contra Ioannem Subdiaconum nullus legitimus contradictor comparuit: Nam Canonicis illis, vt personæ singulares sunt, nullum ex renuntiatione ius quæsitum erat: nomine autem Capituli opponere se non poterant, absque mandato ostenso, c. 1. de procurator. Ad hoc responderi debet, Canonicos, vt singulares personæ sunt, potuisse opponere, quò minùs Ioannes in suo Collegio institueretur absque legitimo titulo, quippe cui renuntiauerat; sicuti quilibet è Capitulo se opponere potest, ne aliquis per fraudem seu per literas falsas intrudatur; quia id omnium Capitularium interesse censetur, adeò vt Capitulum hanc oppositionem singulis prohibere non possit, secundùm Innoc. in hoc c.

4 Vera igitur, & communis responsio est apud Innoc. hîc, & Ioan. Andr. n. 9. Anton. n. 5. Ananiam n. 10. Si quis se committat gratiæ, aut misericordiæ alterius, non ideo renuntiare iuri suo: quia non aliud profitetur, quàm se sperare, quòd per gratiam, seu liberalitatem illius consecuturus sit, quod optat: Sin minus, integrum ipsi erit per iustitiæ viam exigere. Idémque esse, ait hîc Ioan. Andreas, si quis voluntati, aut arbitrio alterius se submiserit: quia ita intelligi debet, dummodò is iustè, seu vt vir bonus arbitratus fuerit, argum. l. si libertus, 30. ff. de operis libertorum. Quæ doctrina ex eo confirmatur, quod suprà dictum, renuntiationem strictè interpretandam, neque facilè præsumendam esse.

CAPITVLVM XIV.

Lectæ.

Paraphrasis.

Abbas S. Petri Ecclesiæ Tullensis, existimans se ex infirmitate moriturum, Monachos suos, aliquo fraudulentum suggerente consilium, ab obedientia absoluit; & mox Episcopum vocauit, vt in eius manibus Abbatiam resignaret, non tamen resignauit. Porrò eidem Abbati ad sanitatem restituto Monachi capitulariter congregati obedientiam denuo promiserunt. Super hoc casu quæstio mota fuit, vtrùm dictus Abbas regiminis suo renuntiasse censendus sit. Respondet Honorius III. eum non renuntiasse.

Svmmarivm.

1. *Si Prælatus ab obedientia subditos absoluit, non ideo Prælaturæ renuntiat.*
2. *Validè aliquis renuntiat iuri reali, vt seruituti, etiam absente eo, in cuius vtilitatem renunciatio cedit.*
3. *Quod tamen verum est tantùm in ijs iuribus, quorum renuntiatio in libera nostra potestate est, non autem in ecclesiasticis beneficijs, aut dignitatibus.*

RAtio responsionis est manifesta: Quia 1 voluntas renuntiandi non sufficit, nisi factum sequatur, arg. c. 1. de eo qui mittitur in possess. iun. Gl. ver. voluntatem. Abbas autem iste voluit quidem renuntiare, non autem renuntiauit, cùm sciret se non posse nisi in manibus Episcopi: quem proinde vocauit, sed (siue is aduenerit, siue non) meliore consilio capto, renuntiationem intermisit.

Neque obstat, quòd Monachos ab obe-

dientia

dientia absoluit: Nam absolutio ista irrita fuit. Fieri enim non potest, vt Prælato, dum prælaturam retinet, subditi, præsertim Regulares professi, obedientiam non debeant, cùm prælatura & subiectio; Regimen & debita obedientia correlata sint. Quare frustra Monachi illi reuerentiam & obedientiam denuo spoponderũt Abbati, à qua nunquam liberati erant: Absolutio enim ab obedientia sequitur renuntiationem Prælati; eam verò antecedere haud potest.

1 NOTANDVM Vn. Quod docent Innoc. in c. veniens, Anton. ib. n. 6. Ananias, n. 33. & seqq. Quòd aliquis iuri reali, videl. dominio, aut quasi dominio, vt seruituti &c. validè renuntiet, etiam absente eo, in cuius vtilitatem renuntiatio cedit; adeò, vt & possessionem, vnà cum dominio amittat, si vtrumque perdere velit: præsertim si à re abscedat, vt appareat, quòd eam pro derelicta habeat: Quin etsi non recedat, sed corpore insistat, si tamen declaret, non habere se animum possidendi, cùm nolit esse suam, videtur amitti possessio, iuxta l. si quis vi, 17. §. differentia. ff. de acquir. possess. vbi dicitur, quòd *possessio recedit, vt quisque constituit nolle possidere.* Quamdiu autem possessionem aliquis retinere vult, seu nomine suo possidere, non potest dominium perdere, vt ibidem 3 dicitur. Hæc, inquam, doctrina locum duntaxat habet in ijs iuribus, quorum renuntiatio libera in nostra potestate est, non item in ecclesiasticis beneficijs ac publicis dignitatibus, quas amittere non possumus, nisi recipiente eo, à quo accepimus, sicuti constat etiam ex l. penult. ff. de offic. Præsidis, vbi dicitur, quòd *Præses prouinciæ abdicando se non amittit imperium*; vbi Gl. addit, *nisi id faciat in manu Principis, à quo habet imperium. Sic & Episcopus non potest renuntiare, nisi in manu Papæ.* Neque Abbas, nisi in manu Episcopi, cui subiectus est, c. vlt. causæ 16. q. vlt. c. Abbas, 8. causa 18. q. 2. Vel in manibus Superioris sui Regularis, aut Papæ, si exceptus est, c. vlt. hoc tit.

Veruntamen, si aliquis renuntiet beneficium suum in manu Clerici pro Superiore acceptantis, quamuis sine mandato, tum valebit renuntiatio quoad renuntiantem; ita vt in arbitrio Superioris postea sit, an renuntiationem ratam habere velit. Ita notat Petrus Ancharanus c. 2. hoc tit. in 6. arg. l. si ego, 24. ff. de negotijs, & consentiunt ea, quæ dixi suprà, c. super hoc, & c. quod in diuers.

CAPITVLVM VLT.

Dilecti.

PARAPHRASIS.

Perlatum fuit ad Gregor. IX. Pontificem, quòd Abbas Monasterij S. Guilielmi, Sedi Apostolicæ immediatè subiecti, cùm se insufficientem cerneret, renuntiârit Abbatiæ in manibus Conuentualium suorum: qui proinde Gasparem S. Victoris Monachum in Abbatem elegerunt. Ad id rescripsit Gregorius, cessionem irritam fuisse; cùm Abbas ille absque Sedis Apostolicæ assensu cedere nequiuerit · consequêter etiam electionem nullius esse momenti. Quamobrem iubet, Abbatem in locum suum restitui: postea verò permittit, vt eius cessio Apostolicæ Sedis auctoritate recipiatur.

SVMMARIVM.

1. *Prælatus vel alius beneficiatus cedens in manibus non sui Superioris, vel Collatoris, sed aliorum clericorum, potest, sed non tenetur, Superior cessionem admittere.*
2. *Prælato petenti iusta de causa cessionem, deneganda ei non est.*
3. *Si non valet Prælati renunciatio, nec valet etiam electio.*
4. *Si præsentatio ad beneficium, vel eius collatio pertineat ad Abbatem, aut electio ad Capitulum: tenetur horum conseruum Episcopus requirere.*

NOTANDVM I. Si Prælatus, aliúsue 1 beneficiatus cedat in manibus non sui Superioris aut Collatoris, sed aliorum Clericorum, non tenetur Superior cessionem admittere. Potest tamen, si velit, eam ratam

habere, vti dixi in c. quod in dubijs, & docet hic Gl. ferme communiter recepta, ver. in manibus.

QVÆRES: Cur ergo Pontifex iussit eum in locum suum restitui, atque iterum renuntiare, si priorem renuntiationem approbare potuisset. Resp. Ideo non approbasse, seu ratam habuisse cessionem factam in manibus Conuentualium, quia ipsi eam pro rata, & firma habuerunt, adeò, vt veluti vacaret Abbatia, ad nouam electionem procedere ipsis liceret. Quare ad refutandum errorem istum, Papa mandauit priùs restitui Abbatem in locum suum, & postea renuntiare in manibus Papæ.

2 NOTANDVM II. Si iusta aliqua de causa Abbas, vel similis Prælatus cessionem petat, ipsi neganda non est, vti etiam habetur in c. vlt. causa 16. q. vlt. & dixi de hac re suprà in c. admonet, 4. hoc tit.

3 NOTANDVM III. Si non valuit renuntiatio Prælati, non potest etiam valere electio: & vniuersim si aliquis legitimè destitutus non fuit, alius in locum eius legitimè institui non potuit, c. hæc quippe, 10. causa 3. quæst. 6. Sic etiam dictum c. præced. Si renuntiatio, adeóque vacatio prælaturæ legitimè non antecessit, non valuisse absolutionem ab obedientia. Quia hæc sequitur ad renuntiationem: vbi autem principale non consistit, nec accessorium consistere potest. Ita notauit hîc Gloss. ver. electionem.

4 QVÆRIT hoc loco Ioan. Andr. num. 8. Ananias num. 11. Si præsentatio ad beneficium pertineat ad Abbatem v. g. vtrùm Episcopus teneatur eius consensum requirere? Et respondent affirmatiuè, argum. c. in Lateranensi, 31. de præbendis, c. adhæc, de officio Archidiaconi, vbi & ratio affertur: quia *quod omnes tangit, ab omnibus approbari debet.* Idémque simili ratione docet Gloss. in cap. vn. de rerum permut. in 6. ver. collationem, Anton. in c. quod in dubijs, num. 6. Ananias num. 27. Garcias p. 11.

5 de beneficijs, cap. 3. num. 72. Si ad alios, v. g. Capitulum pertineat electio; vel ad alium v. g. Præpositum, aut Abbatem pertineat collatio beneficij; quòd Episcopus cessionem beneficiati accepturus, eius consensum requirere debeat.

Hanc doctrinam communiter receptam limitandam censeo; Quòd patronus, electores, & collator contradicere non possint, si Episcopus iusta de causa resignationem beneficiati seu absolutam, seu causà permutationis accipere velit: quia id ad officium eius, à sacris canonibus ipsi commissum spectat, vt suprà dictum in c. admonet 4. Quare ea maximè de causa dictis personis renuntiatio seu recipienda, seu recepta significari debet, vt ipsi vacatione beneficij cognita ad nouam præsentationem, electionem, aut collationem procedere possint.

CAPITVLVM. I. eod. Tit. in 6.

Quoniam.

PARAPHRASIS.

Summus Pontifex renuntiare potest Papatui, tum maximè, si se insufficientem agnoscat ad regendam Ecclesiam vniuersalem. Ita definiuit Cælestinus V. præmissa deliberatione cum Cardinalibus, inter quos vnus erat Bonifacius VIII. successor illius. Cuius rei ipsemet, huius c. auctor, testis omni exceptione maior existit.

SVMMARIVM.

1. *Summus Pontifex potest liberè Papatui renunciare, neque obest, quòd renuntiatio hæc non possit fieri in manu Superioris, ita enim fieri debet renuntiatio respectu illius, qui Superiorem habet.*
2. *Si Papa se Pontificatu abdicat, hanc abdicationem Deus acceptat, hoc est, Pontificiam potestatem ab eo tollit.*
3. *Grauissimè peccabit Pontifex, si absq; necessitate Papatui renuntiet.*

In con-

1 IN contrarium obiici solet: Renuntiatio fieri debet in manu Superioris: Papa autem Superiorem in terris non habet: Ergo renuntiare non potest. Sin autem dicatur, quòd Deus eius renuntiationem acceptet, ea acceptatio incerta videtur, cùm nullo signo cognoscatur. Respondetur: Regula illa, quòd renuntiatio prælaturæ &c. in manu Superioris fieri debet, de ijs duntaxat traditur, qui Superiorem habent, non autem de Principe, seu Superiorem non habente. Sic etiam (ait hìc Ioann. Monachus) regulam habemus, quòd nullus in propria causa iudex esse potest, l. Qui iurisdictioni, 10. ff. de iurisdictione omnium iudicum: Et tamen Princeps, seu qui Superiorem non habet, in propria causa iudicare potest, vti dixi lib. 3. Th. mor. tr. 6. c. 2. n. 11.

2 Porrò si Pontifex abdicet se Pontificatu, necessariò dicere debemus, quòd Deus abdicationem acceptet, seu ab ipso Pontificiam potestatem tollat. Nam alioquin consequés esset, vt Ecclesia longo tempore à nullo pastore visibili gubernaretur, si vno se abdicante, alius in locum eius cum simili vniuersali potestate substitui non posset: id verò repugnat Christi promissionibus. Atque hæc ratio ostendit validam fore renuntiationem Papatûs, etiamsi sine iusta causa fiat: Cùm enim Ecclesia Pontificem cogere non possit ad retinendum Pontificatum, sed tantùm monere, ac rogare; si is, posthabitis monitionibus, officium pastorale re ipsa, & voluntate deserat, non esset Ecclesiæ prouisum, nisi eo abdicante se, alius eligeretur.

3 Grauissimè tamen peccabit Pontifex, si absque necessitatis causa Papatui renuntiet: cùm inter ipsum & Ecclesiam vniuersalem arctissimum vinculum, à Deo ipsi impositum, existat. Videri potest Ioann. Andr. super hoc c.

CAPITVLVM II.

Si te.

PARAPHRASIS.

Titius impetrauit à Pontifice gratiam, quam vocant expectatiuam, id est, mandatum, vt in ecclesia v. g. Augustana prouideretur ipsi dignitas, vel præbenda, si vacaret, alioquin proximè vacatura. Hoc intellecto, Caius æmulus eius, qui tenue beneficium possidebat, illud resignauit, vt Titius à pinguiore, quæ postea credebatur per mortê, vel alio modo vacatura excluderetur. Hoc casu respondet Pontifex, non obstante ista resignatione, perinde acsi ea facta non esset, Titium expectare posse, donec piguius illud beneficium vacet; dummodò sufficientibus indicijs ostendi queat, Caium in fraudem, aut odium Titij beneficium suum resignasse.

SVMMARIVM.

Ostenditur æquitas responsionis Pontificiæ: quòd scilicet non teneatur is, qui impetratâ gratiâ exspectatiuâ à Papa, expectat primum vocaturũ beneficium pingue, tenue aliud accipere, si interea hoc in fraudem eius alius resignet, cùm proximè credatur pinguius vacaturum.

ÆQuitas huius responsionis sumitur ex reg. 20. in 6. *Non debet aliquis alterius odio prægrauari.* Et l. 1. ff. de dolo malo, dicitur, quòd per dolum malum deceptos, actio de dolo, (si alia nulla competat) secundùm Prætoriam æquitatem concedatur, ne vel dolosis malitia sua sit lucrosa, vel deceptis simplicitas damnosa.

§. Cæterùm.

QVòd si Caius ille renuntians beneficio tenuiori, alterum pinguius postea vacans ipsemet obtinuerit, eo ipso præsumptio erit, in fraudem id egisse, vt alia probatione opus non sit. Pœna autem ipsi statuta sit, vt vtroque beneficio careat: priore quidem, quia ei renuntiauit: posteriore autem, tum quia alteri est debita; tum quia æquum non est, vt ipsi calliditas sua prosit, seu ex propria iniquitate commodum ferat. Ita Ioann. Monachus hìc.

TITVLVS X.

DE SVPPLENDA NEGLIGENTIA PRÆLATORVM.

CVM de Prælatis Ecclesiasticis, eorúmque potestate & officio agendum sit, hoc tit. resoluitur, si in aliquo casu Prælatus officium suum præstare intermittat, quis talem negligentiam seu defectum supplere debeat, vt ecclesiæ, quàm fieri potest, maturè prouisum sit.

CAPITVLVM I.

Statuimus.

PARAPHRASIS.

Alexander III. scribens ad Ordinem Cistertiensium, ait: Si Episcopus tertiò cum humilitate, ac deuotione requisitus, ipsorum Abbates benedicere renuat, quòd ipsi nihilominus & Monachos suos benedicere, & alia quæ ad officium suum spectant, exercere possint, interim dum Episcopus, depositâ duritiâ suâ, benedictionem petitam conferat.

SVMMARIVM.

1. *Si Diœcesanus debitè requisitus benedicere nolit Cistertiensem Abbatem (vel alium quemcunque benedici ab Episcopo solitum) potest nihilominus is benedicere suos Monachos & suum officium exercere.*
2. *Benedictionis Abbatis canonicè electi & confirmati effectus est, vt per eam accipiat potestatem Ordinis, vti Episcopus per Consecrationem.*
3. *Sunt tamen magna discrimina inter consecrationem Episcopi, & benedictionem Abbatis, alteriúsue Prælati; quæ hîc enarrantur.*
4. *Benedictio Abbatis fieri potest non solùm Dominico, sed quolibet festo die, imò sine graui delicto etiã die non festo.*
5. *Iterari ea non debet, si Abbas vel Abbatissa ad aliam Prælaturam transferatur.*
6. *Actus Ordinis Episcopalis latiori modo proprij simplicibus sacerdotibus in dignitate constitutis à Sede Apostolica committi solent per priuilegium.*
7. *Acquiri autem per solam consuetudinem, quæ constante, & immemoriali fama priuilegij Apostolici subnexa non sit, non potest 1. vt sacerdotes non Episcopi Ordinis, etiam minores tantùm conferant.*
8. *Neq; vt ij eas benedictiones seu consecrationes, quæ cum sacra Chrismatis vnctione peraguntur, exercere possint, aut reconciliare altaria & virgines cõsecrare.*
9. *Possunt tamen Sacerdotes non Episcopi in dignitate constituti, aut Prælaturam habentes benedictiones paramentorum & probabiliter etiam corporalium per immemorialem consuetudinem cum bona fide præscribere.*
10. *Quin Prælati omnes, qui Pontificalia exercent, per diuturnam & approbatam consuetudinem corporalia benedicunt; Prælati autem mendicantium ex Apostolicis priuilegijs corporalia & alia paramenta, in quibus vnctio Chrismatis non intercedit, & quidem non tantùm pro sua ecclesia, sed etiam alibi unde ipsis allata.*
11. *Officia recensentur, quæ Prælatus possit benedictionem exercere potest, vel etiam ante, si Episcopus ter requisitus eam conferre nolit.*
12. *Benedictio populi publica non solemnis à solis Sacerdotibus fieri potest. Solemnis Episcoporum propria est, & Abbatibus, ac si*

ac similibus Prælatis non omnibus, sed quibusdam speciali priuilegio concessa.

13. *In fine officij Prælatis, saltem ijs, qui benedici solent, aut episcopalia insignia gerunt, concessum est Professos & Nouitios suos solemniter benedicere: præsente tamen Episcopo nec sacerdos, nec Abbas debet benedicere, nisi ipso licentiam dante.*

14. *Hodierno iure Trident. Abbates ac Prælati Regulares, si sacerdotes sint, & benedicti, vel à Sede Apostolica priuilegiati, vt possint Pontificalia exercere, perinde acsi benedicti sint, possunt regularibus subditis suis (non alijs) primam tonsurum & quatuor Ordines Minores conferre.*

15. *Abbates exempti proprium districtum habentes, in quo quasi Episcopalem iurisdictionem exercent in subditos seu seculares, non prohibentur ijs conferre Ordines Minores.*

16. *Potestas Ordines Minores conferendi restringenda videtur ad Prælatos habentes ius mitræ & baculi.*

17. *Abbas benedictus & Pontificalia exercens, potest saltem cum Episcopi consensu, tonsuram & Minores Ordines conferre alijs personis tum Regularibus tum secularibus, ita tamen, vt non sufficiat consensus generalis, sed necessaria sit licentia pro ordinationibus singulorum.*

18. *Si Prælato Regulari & successoribus eius ante annos v. g. centum concessum sit priuilegium consecrandi vasa sacra cum vnctione Chrismatis, & præcedentes Prælati eo vsi non sint, potest cogi Prælatus modernus qui ius habet mitræ & baculi, neque ei constat de reuocatione eius priuilegij.*

PRo intellectu huius c. aduerte, quòd tempore Alexandri III. Ordo Cistertiensium nõ habuerit tanta exemptionis priuilegia, quanta postea à Sede Apostolica accepit, & nunc obtinet, vt eius Ordinis Abbates exempti ab Episcopis, eorum benedictionem requirere non debeant, sed à sui Ordinis Abbatibus benedici possint, vel sine benedictione Pontificalia exercere possint. Qua de re Rodr. tom. 2. regul. qq. q. 26. a. 3.

QVÆRITVR primò: Vtrùm hæc Alexandri responsio solùm referenda sit ad Abbates Ordinis Cistertiensis, an verò generalis esse debeat, vt locum etiam habeat in aliorum Ordinum Abbatibus, qui ab Episcopis benedici solent, quòd ijs recusantibus, nihilominus officium suum exercere queant? Respondent DD. communiter cum Gl. cùm contingat, 11. §. Abbati, de ætate & qualit. Esse generale rescriptum: quia Pontifex in suo responso non significat, se speciale priuilegium Cistertiensibus conferre: sed spectata tum rei æquitate, tum necessitate, ne officium Abbatis diu intermittatur, generale ius statuisse, argum. c. nihil 44. de elect. 1

QVÆRITVR secundò: Si Episcopus rationabilem causam prætendat, cur Abbati benedictionem conferre nolit, vtrùm nihilominus officium exercere possit. Responsio est negatiua, cum Innoc. hic & Ioann. Andr. in 6. Nam in hoc Alexandri responso supponitur, Episcopum ex duritia & mentis quadam obstinacia benedictionem denegare: quando ter humiliter admonitus eam dare renuit: Contumax autem non censetur, qui causam rationabilem habet, cur non obtemperet, argum l. contumacia, 53. ff. de re iud. Porrò, vt contumacia seu obstinacia in non parendo appareat, ordinariè requiritur monitio trina; quamuis vna etiam pro trina interdum sufficere possit, cit. l. contumacia. Qua simili ratione arbitratur Antonius hic, si Episcopus nulla probabili ratione allata, statim in prima postulatione obstinatum se ostendat in benedictione deneganda, nõ opus fore repetita petitione, sed sufficere eam vnicam. Simili ratione dicitur in c. Venerabilibus, 7. §. Porrò, ver. Secus de sent. excomm. Si reus in iudicio apertè dixit se non pariturum, iterum citandum non esse, cùm eius contumacia manifesta sit. Qua de re Abb. in c. vlt. n. 8. de dolo & contum. 2

QVÆ-

QVÆRITVR tertiò: Quid benedictio conferat Abbati, qui canonicè electus, & confirmatus est? Resp. Talis benedictio Abbatũ à sacris canonibus instituta est, secũdùm proportionem & similitudinem quãdam consecrationis episcopalis: Quare sicuti Episcopus post confirmationẽ exercere potest ea, quę ad iurisdictionẽ spectant, non itẽ ea, quæ ordinis potestatem, c. transmissã, 15. de elect. Ita etiã Abbati electo per confirmationẽ cõfertur potestas iurisdictionis, non itẽ potestas ordinis: eã enim accipit per benedictionẽ, sicuti Episcopus per consecrationem, vti docet Abb. in c. quanto, n. 3. de offic. Ordinarij, Syl. ver. Abbas n. 4. Quibusdam tamen locis Episcopi nõ aliter confirmant Abbates, quàm quòd solemnem ipsis benedictionem impendant, quo casu benedictio loco confirmationis est. Et hoc casu intelligi debet Innoc. hîc, cùm ait, quòd Abbas ante acceptam benedictionem administrare non debeat.

3 Sunt tamen magna discrimina inter consecrationem Episcopi, & benedictionem Abbatis, alteriúsue Prælati. Primum: Quia consecratio Episcopi est Sacramentum, imprimés characterem: sed benedictio Abbatis est deprecatoria manuum impositio ab Ecclesia instituta, c. quoniam, d. 69. Quamobrem consecratio Episcopi non nisi ab Episcopis fieri potest; sed benedictio Abbatis etiam à non Episcopis, videlicet Abbatibus, dummodò sacerdotes sint, conferri potest. Alterum. Episcopus post confirmationem ante acceptam consecrationem non debet se appellare Episcopum; sed Abbati post confirmationem, etiamsi benedictus non sit, nomen Abbatis absolutè competere potest, sicuti Abb. notauit cit. n. 3. Tuschus Cardinal. ver. Abbas, concl. 8. n. 3. Felinus in c. eam te, 7. n. 7. de rescript. Tertium. Consecratio Episcopo simpliciter necessaria & quodammodo substantialis est, vt actus Episcopali ordini proprios exercere possit, cuiusmodi sunt confirmare, & ordines maiores conferre: Sed neque alios actus ordinis Episcopalis, qui non ita proprij sunt, quò minùs simplicibus sacerdotibus à Sede Apostolica frequenter committi soleant, videl. minores ordines conferre, vasa sacra aut campanas cum chrismatis vnctione benedicere, populum solemniter benedicere; neque talia, inquam, Episcopus confirmatus, tametsi sacerdos sit, ante consecrationẽ exercere potest, At verò benedictio Abbatis, respectu exercitij ordinis, nõ censetur substantialis, sed potiùs accidentalis solemnitas: Ita vt quibusdam locis, videl. in Hispania, consueta non sit Abbatum benedictio; atque sine ea actus ordinis suæ dignitati concessos exercere queant. Ita ex communi Rodr. tom. 1. regul. qq. q. 18. a. 2. Cardinal. Tusch. l. c. & ita apertè etiam colligitur ex c. alienationes, 37. causa 12. q. 2. Atque simili ratione in casu huius c. si Episcopus tertiò requisitus, benedictionem tribuere recuset.

QVÆRITVR quartò: Quo die benedictio Abbatis fieri debeat. Abbas in c. cùm sis, de consecrat. Eccles. vel altaris, arbitratur tutius esse, vt Abbas die dominico benedicatur, sicuti & Episcopus eo die consecrari debet. c. quod die, 75. Sed Gl. in Clement. Attendentes, de statu Monachorum, ver. benedici, Syl. ver. benedictio, n. 4. Tuschus ver. Abb. concl. 8. n. 10. Augustinus Barbosa de offic. Episc. p. 2. alleg. 27. n. 51. & alij communiter aiunt, non solùm dominico, sed quolibet etiam die festo Abbatem benedici posse; sicuti & ordines minores eisdem diebus conferri possunt, c. de eo, de tempor. ordinat. Imò arbitror graue delictum non fore, si etiam die non festo Abbas benedicatur: cùm de hac re nihil in iure expressum reperiatur. Idque fatetur Gl. in cit. Clem. de benedictione Abbatissæ, eam quolibet die fieri posse.

QVÆRITVR quintò: Vtrùm Abbas 5 qui semel benedictus fuit, iterum benedici debeat, si ad alterius monasterij prælaturam transferatur. Respondent DD. communiter apud Azor tom. 1. lib. 12. c. 20. q. 4. & lib. 13. c. 19. q. 4. Barbosam de offic. Episc. p. 2. allegat. 22. n. 51. Iterum benedicendum non esse, sicuti neq; cõiuges benedici solent, si semel benedictionem nuptialem acceperunt, c. 1. & 3. de sec. nuptijs. Accedit, quòd

quòd benedictio Abbatis fiat ad similitudinem consecrationis Episcopalis, quæ iterari non potest. Abbatissæ autem benedictionem, vbi ea in consuetudine est, multi aiunt iterandam esse, si ad aliam prælaturam transferatur. Sed Azor cit. q.4. rectè dicere videtur, non apparere causam, cur benedictio itarari debeat.

6 QVÆRITVR sextò: Quinam actus Ordinis Episcopalis simplicibus Sacerdotibus in dignitate constitutis, videl. Romanæ Sedis Cardinalibus, Abbatibus, aut Præpositis, à Sede Apostolica committi soleant: A Sede Apostolica, inquam: Nullus enim alius Episcopus ea, quæ ordinis sunt, alteri committere potest, sed tantùm ea, quæ iurisdictionis, c. aqua, de consecr. Eccles. vel altaris, & declarat Iac. Sbrozius lib. 2. de offic. Vicarij, q.7. & seqq. Respondeo: Inter actus ordinis Episcopalis alij sunt proprij strictè, vt alijs Sacerdotibus committi vel non possint, vel non soleant, nisi ex graui & speciali causa: videl. ordines sacros conferre, & baptizatos confirmare. Qua de re dixi lib.5. tr. 3.c.6. & tr.9.c.9. Alij verò sunt actus ordinis Episcopalis proprij latiore modo, quia à Sede Apostolica (non item ab inferioribus Episcopis, iuxta c.aqua, de consecr. Eccles. vel altaris) committi solent Sacerdotibus non omnibus vel communiter, sed plerumque ratione alicuius dignitatis, vel in modum priuilegij specialis: videl. vestes, etiam corporalia, pro vsu sacrificij benedicere, vasa sacra, & similia, ad quæ chrisma adhiberi debet, consecrare, primam tonsuram, & ordines minores conferre, populum solemniter benedicere.

QVÆRITVR septimò: Cùm certum sit, talia, quæ ordinis Episcopalis latiore modo propria sunt, Sacerdotibus non Episcopis per priuilegium Sedis Apostolicæ competere posse, vtrùm etiam per consuetudinem immemorialem acquiri possint.

7 Respondeo & Dico I. Nulla consuetudine etiam immemoriali, si sola sit, & constante fama priuilegij Apostolici non subnixa, acquiri potest, vt Sacerdotes non Episcopi, ordines, etiam minores tantùm, conferant: Et eadem videtur esse ratio primæ tonsuræ. Ita docet ex communi Azor tom. 1. lib. 5. c. 19. Constat enim ex traditione Ecclesiæ, quòd Minister ordinarius ordinationis sit solus Episcopus, vti etiam docet Trident. sess. 23. can. 7. Ergo sine Apostolicæ Sedis commissione ac priuilegio, vel saltem constante & immemoriali fama eius, Sacerdotibus non Episcopis potestas ordinandi competere non potest.

8 Dico II. Neque eas benedictiones, seu consecrationes, quæ cum sacra chrismatis vnctione peraguntur, Sacerdotes non Episcopi per meram consuetudinem, quantumuis immemorialem, comparare possunt. Ita docet Syl. ver. benedictio, n. 3. Aluinus de potestate Episc. & Abb. c.21. num. 12. Azor tom. 1. lib. 10. c. 28. q.2. Quia ex Ecclesiæ traditione constat, consecrationes Ecclesiarum, altarium, vasorum, &c. Episcopalis ordinis proprias esse oportere; excepta commissione, vel priuilegio Sedis Apostolicæ: Quibus addi debet ecclesiarum violatarum reconciliatio, & virginum consecratio, vti constat ex c. quamuis, d.68.

Corollarium. Si Abbas aliquis potestatẽ horũ consecrandorum sibi vendicet, niti debet non mera consuetudine, sed priuilegio Apostolico, aut saltem constante fama eius; cùm fieri potuerit, vt priuilegium aliquando datum amissum fuerit. Tunc autẽ si ponamus, priuilegium nunquam datum fuisse, quod tamen datum tempore immemoriali cum bona fide putabatur, hoc casu per diuturnam consuetudinem acquiripoterit potestas talium consecrandorum, Pontifice non reclamante, quippe cùm eiusmodi rationabili titulo nixas consuetudines non reprobet, sed magis approbet, c. vlt. de consuetudine.

9 Dico III. Benedictiones paramentorum, & probabiliter etiam corporalium, Sacerdotes non Episcopi, si in dignitate constituti sint, aut prælaturam ecclesiæ habeant, per immemorialem consuetudinem cum bona fide præscribere possunt. Ita addit Gl. in c. Abbates, 3. de priuileg. in 6. ver. tonsuram, Syl. loc. cit. Aluinus cit. cap.21. num. 13. Ratio est: Quia talium benedictiones in sa-

cris canonibus non reperiuntur ita appropriatæ Episcopis, sicuti eæ, quæ Chrismatis vnctionem habent. Nisi quod de corporali significatur in c. consulto, 45. d. 1. de consecrat. illud ab Episcopo consecrandum esse: Quod etiã hodie obseruari solet, vt eius benedictio nõ tam facilè à Sede Apostolica Sacerdotibus non Episcopis concedatur, sicuti aliorũ paramentorum ecclesię. Verumtamen Prælati omnes, qui Pontificalia exercent, per diuturnam & approbatam consuetudinem corporalia, sicuti alia paramenta, benedicunt, vt notauit Sà ver. benedictio, num. 4. & videri potest declaratio Cardinal. super sess. 23. Trident. cap. 10. Sed & Prælati Mendicantium, licèt Pontificalia insignia non gerant, nec benedici soleant, tamen ex Apostolicis priuilegijs corporalia, & alia paramenta, in quibus chrismatis vnctio non interuenit, benedicere solent, teste Rodriq. tom. 1. regul. qq. q. 19. a. 2. Ioan. de la Croix de priuil. Regul. lib. 2 c. 5. dub. 8.

Addit verò Aluinus ex Geminiano in c. Abbates, 3. de priuileg. in 6. posse Prælatos corporalia, & alia paramenta per consuetudinem immemorialem benedicere non tantùm pro sua ecclesia, sed etiam alitunde ipsis allata. Cuiusmodi consuetudinem arbitror, ob quandam necessitatem, accedente etiam Episcoporum consensu, saltem tacito, in Germaniæ prouincijs introductam esse, eò quòd in diœcesibus amplis, impossibile sit ex omnibus ecclesiis paramenta ad Episcopum afferri, vel eius aduentum expectari, vt benedicantur. Quòd verò attinet ad consecrationem vasorum, & similium, quæ per chrismatis vnctionem peragitur, Sedes Apostolica concessionem, seu priuilegium, si quod Prælatis non Episcopis conceditur, plerumque limitare solet ad vsum propriarum ecclesiarum; ne alioquin concessio in præiudicium Episcopalis potestatis cedat.

11 QVÆRITVR octauò: Quænam sint officia illa, quæ Abbas, vel similis Prælatus post benedictionem exercere potest, imò etiam ante benedictionem, si Episcopus ter requisitus conferre nolit? Respondeo; Esse eos actus ordinis, qui licèt spectato communi iure simplicibus Sacerdotibus non competunt, tamen quibusdam in dignitate, aut prælaturâ constitutis, per consuetudinem aut priuilegium Apostolicum conceduntur. Vt enim huiusmodi actus, Ordini Episcopali proprij, alijs autem Prælatis communicati, maiore cum solemnitate peragerentur, ideo benedictio Abbatum inuenta est, vt sit veluti loco cuiusdam consecrationis, vti appellatur in c. alienationes, 37. causa 12. q. 2. Quæ causa est, cur Abbatibus, & alijs Præpositis, quibus actus eiusmodi Pontificales exercere concessum est, etiam insignia quædam Pontificalia (id est, quæ ab origine seu prima institutione Pontificum, seu Episcoporum propria sunt) à Sede Apostolica concedantur. Porrò sicuti ex verbis priuilegij, vel si id non extet, ex constante fama & traditione priuilegij Apostolici petendum est, quos actus Episcopales Prælati quilibet, seu in dignitate constituti Præpositi exercere possint, ita etiam ex singulorum priuilegio peti debet, quibus Episcopalibus insignibus vti possint. Nam aliqui Prælati mitrati non sunt, tamẽ baculum siue pedum pastorale gerunt: Contrà verò aliqui mitram in capite gestant, sed baculum non gerunt, si videl. in dignitate constituti, nullam iurisdictionem exerceant, vt quidam ecclesiarum Cathedralium Præpositi. Id verò generatim dici posse videtur, argum. c. vt Apostolicæ, 6. de priuil. in 6. quòd cum mitra tanquam præcipuo ornamento Episcopali fermè etiam anulus, chirothecæ, sandalia, caligę, tunicella, dalmatica, & pectorale coniuncta esse soleant. Horum & aliorum Pontificalium insigniorum mysticam interpretationẽ reperies apud Guil. Durandum in rationali, lib. 3.

Superest, vt de quibusdam actibus Pontificalibus, à Prælatis non Episcopis exerceri solitis speciatim aliquid dicamus. Primus est, solemnis benedictio populi. Vbi notandum, quòd benedictio super hominem vel est priuata, vel publica. Priuata fieri potest ab omnibus Clericis, imò etiam laicis, & fœminis sanctimonialibus, vti dixi lib. 5. tr. 9. c. 13. n. 1. Publica benedictio à solis Sacerdotibus fieri potest. Imò generalis regula est, quam

quam tradidi cit. c. 13. n. 11. quòd Diaconus nullam publicam benedictionem exercere
12 possit. Porrò benedictio populi publica diuiditur apud Mascardum vol. 1. de probat. concl. 169. quòd alia sit solemnis, quæ fieri solet in fine diuinorum officiorum, præmisso versiculo: *Adiutorium nostrum in nomine Domini, &c. Sit nomen Domini benedictum:* alia benedictio populi non solemnis, sed simplex. Hæc à Sacerdotibus omnibus post missam fieri solet. At verò solemnis populi benedictio Episcoporum propria est; & Abbatibus, ac similibus Prælatis non omnibus, sed quibusdam speciali priuilegio Apostolico concessa est, vt in ecclesiis pleno iure, id est, quoad temporalia, & spiritualia, interprete Gl. c. 3. §. Ecclesiis, ver. pleno iure, de priuil. sibi subiectis benedictionem populo largiri possint, c. Abbates, de priuil. in 6. vbi additur, quòd extra ecclesias suas publicè & per vias populum benedicere Abbates non debeant: quod tamen Episcopis permissum esse, ait Barbosa cit. p. 2. allegat. 27. num. 63.
13 Cæterùm existimandum est, omnibus Prælatis regularibus, saltem qui benedici solent, aut qui Episcopalia insignia gerunt, concessum esse, vt Professos & Nouitios suos solemniter ad finem officiorum diuinorum benedicant, argum. huius c. Si tamen Episcopus officio interfit, non debet Sacerdos vel Abbas benedictionem impendere, nisi ipso annuente, seu licentiam dante, vti notat Gl. c. Ecce, d. 95.

Alter actus Pontificalis, qui Abbatibus competere potest, est collatio primæ tonsuræ, & ordinum minorum. De hoc dico I. Primam tonsuram & Lectoratum omnes Abbates seu Prælati regulares post benedictionem olim conferre potuerunt, si ab Episcopo benedictionem acceperant, c. quoniam, d. 69. c. cùm contingat, de ætat. & qualit.

Dico II. Quòd Abbates communi iure Acolythos, & Exorcistas ordinare potuerint, non reperitur: sed quòd ex consuetudine diuturna id fecerint, colligitur ex Concil. Trident. sess. 23. c. 10. & c. 1. de ordinatis ab Episcopo, qui Episcopatui renuntiauit.

Dico III. Hodierno iure, Trid. Sess. Ab- 14
bates ac Præpositi regulares, si Sacerdotes & benedicti sint, vel à Sede Apostolica priuilegiati, vt possint Pontificalia exercere, perinde acsi benedicti sint, primam tonsuram & quatuor ordines minores regularibus subditis suis conferre possunt: alijs autem nequaquam. Idque ampliatur contra Clement. Vt Apostolicæ, de priuil. in 6. tametsi exempti sint ab Episcopo, attamen existentes intra 15
diœcesin eius. At verò si Abbates exempti proprium districtum habent, in quo quasi Episcopalem iurisdictionem exercent in subditos seculares, tum ijs minores ordines conferre non prohibentur.

Dico IV. Facultas illa ordines minores 16
conferendi restringenda esse videtur ad eos Prælatos Regulares, qui ius mitræ & baculi deferendi habent, sicuti indicatur in declarat. Cardinal. super cit. sess. 23. c. 10. & docet Zerola in praxi Episcopali, ver. Abbas. Sà ver. ordo. Aluinus de potest. Episc. & Abbat. c. 21. n. 22.

Id dubitari solet, vtrùm Abbas, qui bene- 17
dictus est, & Pontificalia exercet, saltem cum Episcopi consensu tonsuram & minores ordines conferre possit alijs personis, tum regularibus, tum secularibus? Respondeo: probabiliter affirmari posse, propter declarat. Cardinalium super Sess. 23. c. 10. de reformat. de qua testantur Ioan. Gallemart. ibid. Zerola ver. Abbas, Barbosa p. 2. allegat. 3. n. 13. Aluinus loco suprà cit. Sorbo in compend. priuilegior. ver. ordines sacri: eâ tamen declaratione, vt non sufficiat consensus seu licentia generalis, sed necessaria sit pro ordinationibus singulorum.

Corollarium. Hinc intelligi potest, quid respondendum sit ad casum istum. Quidam Prælatus regularis, vel secularis, mitrâ alijsq; Pontificalibus insignibus vtens, hoc etiam à Sede Apostolica priuilegium habet, vt vasa sacra consecrare, & campanas cum chrismatis vnctione benedicere possit pro vsu suæ ecclesiæ tantùm; potestne Episcopus illi licentiam dare consecrandi calices, aut benedicendi campanas ecclesiarum, quæ ipsi Episcopo subiectæ sunt. Respondeo, Non potest

ei dare licentiam generalem : cùm priuilegium Papale ad eiusmodi actus episcopales exercendos Episcopus extendere non possit. Sed pro occurrente aliquo casu, vel necessitate, arbitror licentiam dari posse ; quia id non videtur repugnare voluntati Pontificis, postquam Prælatus ille à Sede Apostolica ad talia, saltem pro sua ecclesia, benedicenda priuilegiatus fuit.

Tertius actus Pontificalis ab Abbatibus seu Prælatis benedictis exerceri solitus, est consecratio vasorum, & benedictio paramentorum altaris. De quibus suprà satis dictum fuit.

18 Ad extremum quæret aliquis : Si Prælato alicui regulari, & successoribus eius ante annos v.g. centum, aut amplius à Sede Apostolica concessum sit priuilegium, vt sacra vasa cum chrismatis vnctione consecrare possit, præcedentes autem Prælati aliqui eo priuilegio nunquam vsi fuerint, vtrùm iste Prælatus, qui alioquin ius mitræ & baculi habet, dictum priuilegium, de cuius reuocatione nihil vnquam auditum fuit, exercere possit ; an verò per non vsum, amissum censeri debeat ? Respondeo, cum Rodriq. tom. 1. regul. quæst. 18. art. 1. Felino c. cùm omnes, num. 15. de Constit. Quòd Prælatus per merum non vsum priuilegij illud perdere non possit, ideóque integrum sit successori, priuilegij vsum temporis diuturnitate intermissum reuocare. Vel enim priuilegium amissum est per præscriptionem, vel per tacitam reuocationem. Primum dici non potest : Quia in actibus merè voluntarijs, ac nemini onerosis non procedit præscriptio ; vt si habeas priuilegium legendi libros hæreticos, & eo nunquam vtaris, non propterea amittis : quia nemo cogitur priuilegio, aut beneficio vti, sicuti dixi lib. 1. tract. 4. c. 23. num. 22. Neque alterum dici potest : quia Prælatus non potest renuntiare iuribus ac priuilegijs, quæ data sunt dignitati suæ : cùm talis renuntiatio sit species alienationis, quæ requirit causam iustam, & Capituli consensum, &c. Si igitur Prælatus per expressam renuntiationem tale priuilegiũ perdere non potest, multò minùs per tacitam, & præsumptam. Verum tamen est, ex diuturno non vsu priuilegij præsumptionem oriri, priuilegium datum non esse, vel reuocatum : vt proinde hoc casu necesse sit illud exhibere. Quamobrem etiam Summus Pontifex consuetudinem habet, ea tantùm priuilegia v. g. Regularium confirmandi, aut alijs per communicationem conferendi, quæ in vsu sunt.

CAPITVLVM II.

Sicut.

PARAPHRASIS.

Perlatum est ad Clementem III. quòd alicuius diœcesis Monachi, & Canonici regulares, reditus quarundam Parochiarum, in quibus ius præsentandi, seu ius patronatus habebant, vsibus Monasterjorum suorum applicarent : neque velint, vt si dictas ecclesias vacare contingat, personæ ad eorum præsentationem instituantur ab Episcopo ; sed ipsi, occasione concessionis ipsis factæ à quibusdam anteceſſoribus Episcopis, arbitratu suo Vicarios instituunt, & destituunt ; eósque pensionibus ita onerant, vt paupertate pressi nec Ecclesiæ decenter deseruire, neque Episcopo subsidia debita præstare, neque erga peregrinos hospitalitatem exercere queant. Ad hæc respondet Pontifex ; Non esse permittendum, vt antiquus & debitus Ecclesiæ status aliquorum vecordiâ subuertatur ; ideóque tales excessus ab Episcopo (si dictæ Ecclesiæ à iurisdictione eius exemptæ non sint) emendandos esse : Insuper si Monachi, aut Canonici regulares intra tempus à Concilio Lateranensi sub Alexandro III. definitum, videlicet intra sex menses à die vacationis numerandos (cap. 2. de concess. præb.) personas idoneas ad ecclesias vacantes Episcopo nõ præsentauerint, ipsemet iure deuoluto instituc-

stituere Rectores poterit; sed pro vna vice tantùm, vt deinceps patronis præsentandi ius integrum seruetur.

SVMMARIVM.

1. *Patronus etiam Ecclesiasticus, non potest reditus ecclesiæ, vel beneficij in suos vsus conuertere.*
2. *Patronus ecclesiæ curatæ non potest in ea presbyterum instituere, nec destituere, sed debet Episcopo personam idoneam præsentare, à quo instituatur. Rationem tamen administrationis temporalium exigere potest à Rectore, quod ius non habet patronus laicus.*
3. *Episcopus non potest iura ecclesiarum alteri donare, etiam pio loco, sine Capituli consensu. Nunc iure Trident. prohibitum est Episcopis ecclesiam parochialem Monasterio, Abbatiæ, dignitati, vel alteri beneficio simplici vnire.*
4. *Si Ecclesia parochialis vnitur Monasterio &c. veluti extinguitur beneficium curatum, ita vt patronus ius præsentandi amittat; vnde ad vnionem faciendam patroni consensus requiritur.*
5. *Vicarius, maximè si inuestitus sit, tenetur ad subsidium charitatiuum & alias exactiones, quæ aliquando beneficiatis ab Episcopo imponuntur.*
6. *Vicarius alius est perpetuus, qui ab Episcopo inuestiri debet; alius temporalis, & ad nutum Rectoris principalis amobilis, qui titulum beneficij non habet.*
7. *Ius præsentandi presbyterum in Ecclesia parochiali Monasterio acquiritur vel ob merum ius patronatus, vel ob factam incorporationem seu vnionem parochiæ.*
8. *Si Ecclesia ratione populi non est exempta, sed subiecta Episcopo in spiritualibus: Monasterium, licèt cæteroquin exemptum, cui illa ecclesia vnita est, debet primò præsentare Vicarium idoneum ab Episcopo examinandum & instituendum.*
9. *Secundò debet eius ecclesiæ sarta tecta conseruare, & altaris paramenta reparare, in defectum reditnum, qui pro fabrica deputati sunt.*
10. *Tertiò Vicarius, etiam temporalis, & Religiosus Ordinis exempti, subiacet visitationi Episcopi eius, cui populus subiectus est.*

NOTANDVM I. Patronus, etiam Ecclesiasticus, non potest reditus Ecclesiæ, vel beneficij, sub prætextu iuris patronatus, proprijs vsib⁹ applicare; excepto si moderatam aliquam præstationem, cum Episcopi consensu in literis fundationis sibi reseruasset, iuxta c. præterea, 23. de iure patronat. 1

NOTANDVM II. Patronus Ecclesiæ curatæ non potest in ea presbyterum instituere, multò minùs destituere: sed debet Episcopo personam idoneam præsentare, à quo instituatur. Quare, tametsi Ecclesiasticus patronus sit, v. g. Abbas, Monasteriũ, vel Capitulum Collegiatum, nihil circa curam plebis, & sacramentorum administrationem Rectori instituto præcipere potest, sed Episcopo denuntiare, si officium malè administret: Potest tamen rationem administrationis temporalium exigere à Rectore, præsertim si ipsi suspectus sit, c. in Lateranẽsi, 31. de præbend. Cuiusmodi ius laico patrono non competit, vti Abbas ibi notauit, n. 2. 2

NOTANDVM III. Episcopus non potest iura Ecclesiarum alteri donare, etiam pio loco: Quod intelligi debet, nisi consensus Capituli accedat, vti Gl. hic notat, ver. concessione. At verò cum Capituli consensu poterat olim Episcopus loco pio seu religioso donare iura & reditus Ecclesiarum parochialium, cum patroni consensu, c. pastoralis, 7. de donat. Nunc verò per Trident. Concil. sess. 24. c 13. de reformat. prohibitum est Episcopis, ne parochialem Ecclesiam Monasterio, Abbatiæ, dignitati, Canonicatui, vel alteri beneficio simplici vniant. 3

NOTANDVM IV. Si parochialis Ecclesias vnita sit Monasterio, dignitati, Canonicatui &c. veluti extinguitur beneficium 4

curatam, ita vt patronus ius præsentandi amittat, sicuti ex communi docet Felinus c. cùm accessissent, n. 2. de constitut. Barbosa de offic. Episc. p. 3. allegat. 72. n. 189. Garcias de benef. p. 11. c. 2. n. 3. Quamobrem ad vnionem faciendam patroni consensus necessarius est, iuxta cit. c. pastoralis, & dixi lib. 4. Th. mor. tr. 2. c. 13. q. 5. corol. 2. Facta enim vnione, Rector principalis semper censetur esse is, qui Abbatiam obtinet, canonicatũ, aliúdue beneficiũ, qui proinde Vicarium constituere, & Episcopo præsentare debet, congrua illi assignata redituum portione, ita vt decẽtem sustentationẽ habeat, & hospitalitatem erga peregrinos, ac misericordiam erga pauperes exercere possit, vt hîc & in c. de Monachis, 12. de præbend.

5 NOTANDVM V. Vicarius, præsertim si inuestitus seu intitulatus sit, tenetur ad subsidium charitatiuum, & alias exactiones, quę aliquâdo beneficiatis ab Episcopo imponũtur. Ita hîc & cit. c. de Monachis: Hæc enim sunt iura Episcopalia, quæ Pontifex ait Vicarijs persoluenda esse. Id verò intelligi debet secundùm ratam portionem, quæ ipsis ex beneficio prouenit. Interdum verò Vicarijs, alijsq; pensionarijs portio seu pensio assignatur omnino libera, ita vt totum onus principali Rectori incumbat, tametsi is alioquin exemptus sit. Non enim exemptus est ratione populi, & ecclesiæ parochialis Episcopo subiectæ: quia vnio fieri censetur, saluo iure Episcopali, vti dixi lib. 3. Th. mor. tr. 3. p. 1. c. 3. n. 11. & 12. & lib. 4. tr. 2. c. 17. q. 5. & docent DD. in cit. c. pastoralis, vbi Abb. n. 6. Hoc autem casu necesse non est, vt aliqua certa portio redituum ex beneficio designetur, sed sufficit ei dare congruentem sustentationem, quando, vt dixi, omnia alia onera, etiam hospitalitatis exercendæ, incumbunt principali, v. g. Monasterio, vti habetur in Clem. 1. de iure patron.

6 Aduerte autem, quòd dixi, *præsertim si inuestitus &c.* Est enim duplex Vicarius, perpetuus, & ad nutum Rectoris principalis amobilis. Perpetuus ab Episcopo inuestiri debet: quia vicaria perpetua est beneficium, ideóque in titulum erigitur, vti ex communi testatur Garcias de benef. p. 11. c. 2. n. 15. Sed Vicarius temporalis, seu amobilis titulum beneficij non habet: nisi quòd multi dicant apud Ioann. Gallemart. super Trident. sess. 7. c. 7. in remissionibus, ante finitum annum, Vicarium temporalem non posse amoueri, nisi causa exigat. Quod sanè æquum est, maximè si Vicarius secularis sit.

NOTANDVM VI. Si patronus intra tempus legitimum non præsentet, vel collator ordinarius non prouideat, deuolui-tur ius ad Superiorem tantummodò pro ea vice, adeò vt tametsi collatio vel institutio non consequatur, patronus vel collator recuperet ius suum. Ita docet Azor tom. 2. lib. 6. c. 28. q. 14. In simili dictum est in c. cùm Vintonienſis, 25. de elect.

Pro pleno intellectu huius c. aduerten- 7
dum est, quòd Monasterium & eius nomine Abbas ius præsentandi presbyterum in ecclesia parochiali duplici ex capite habere possit: Vel ob merum ius patronatûs, vel ob factam incorporationem seu vnionem parochiæ. Quòd ad primum attinet, ius patronatûs monasterio varijs modis acquiri potest; puta quia ecclesiam ædificauit, dotauit, aut eius ædificationi fundum suum assignauit: vel quia ius patronatûs Monasterio donatum est, vel cum rerum vniuersitate ad illud transijt, v. g. per emptionem castri, aut dominij. In hoc casu loquitur Clemens III. huius c. auctor, quòd Monasterium Episcopo Rectorem idoneum præsentare debeat instituendum; præter id autem neque reditus ex parochia accipere, neque vllum ius in presbyterum sibi vsurpare possit. Idémque traditur in c. In Lateranensi, 31. de præbend. in c. vn. de capellis, in 6. & in c. sanè, causa 16. q. 2. interprete Gl. princ. eiusdem q. 2. & Gratiano super c. vlt.

Quòd ad alterum attinet, parochiæ incorporatio duobus modis fieri potest Monasterio, Capitulo Cathedrali, Canonicatui &c. Vel quoad temporalia tantùm, vel quoad temporalia & spiritualia simul, & sic pleno iure. Vniones, seu potiùs donationes paro-

parochiarum quoad temporalia tantùm (videl. vt relicta congrua portione Presbytero, reliqui prouentus, vel pars eorum ad Monasterium pertineat) olim Episcopi facere solebant, iuxta c. pastoralis, 7. vbi id Innoc. notat, n. 1. Abb. n. 8. de donation. & in c. 3. n. 6. de priuileg. Ea nimirum conditione, vt Monasterium, vel Capitulum, cui incorporatio reditum facta est, nihil omnino iuris seu in personam Presbyteri, seu circa curam populi sibi vendicet. Neque verò hoc casu necesse est, vt præsentatio presbyteri ad Monasterium pertineat, quando solùm reditus temporales donati fuerunt; & non simul etiam ius præsentandi Rectorem.

Vniones seu incorporationes Ecclesiarum parochialium, aliorúmue beneficiorum, quæ Monasterio fiunt quoad temporalia, & spiritualia, dicuntur fieri pleno iure, interprete Gl. in cit. c. 3. ver. pleno iure. Verùm & hunc ipsum modum incorporationis distinguere oportet, secundùm doctrinam Innoc. & Ioann. Andr. in c. 1. de capellis Monachorum, Abb. in cit. c. 3. n. 1. Aluini de potest. Episc. & Abbat. c. 13. n. 3. §. At meritò: Vel enim Ecclesia Monasterio subiecta est iure plenissimo; ita vt etiam populus ab Episcopo exemptus sit: hoc casu Monasterij Abbas habet iurisdictionem quasi Episcopalem, ita vt sine dependentia ab Episcopo diœcesis Presbyteros seu Vicarios instituere, & destituere possit, vti etiam docet Rodriq. tom. 1. regul. q. 36. a. 1. Vel Ecclesia ratione populi non est exempta, sed Episcopo subiecta in spiritualibus: hoc casu nihil ferme refert, vtrùm Monasterium secundùm se exemptum sit ab Episcopo, nécne: quia vtroque casu, qui frequentissimus est, obseruari debent ea, quæ ex mente Concilij Tridentini proximè subiungam.

1 Primum: Vicarium idoneum præsentare debet Episcopo, ab ipso examinandum, & instituendum. Sed dubitatur primò: Vtrùm is perpetuus esse debeat, an temporalis. Respondeo, cum Garcia p. 11. de beneficijs, c. 2. n. 4. Barbosa de potest. Episc. p. 3. alleg. 72. n. 189. Inprimis inspiciendum esse, quid antehac consuetum fuerit, & quid in literis factæ vnionis, seu incorporationis contineatur: quia status Ecclesiæ non facilè immutandus est, argum. huius c. vbi id notant Ioann. Andr. & Anton. de Butrio, & Clem. vn. hoc tit. Concessum tamen est Episcopo, si Ecclesiæ expedire videatur, ordinare, vt Ecclesia deinceps per Vicarium perpetuũ ordinetur, tametsi antehac semper temporalem habuerit, vti habetur in Bulla Pij V. 46. quæ incipit: *Ad exequendum*, & in Trid. sess. 7. c. 7. de reform. iuncta Cardinal. declaratione. Sed limitari id debet primò; Nisi in literis vnionis à Sede Apostolica factæ post Concil. Trid. expressum sit, quòd Parochia per Vicarium temporalem regi debeat. Excipe secundò: Nisi Ecclesia curata dicto modo vnita sit Monasterio, tum prohiberi non potest, quò minùs Ordinis eiusdem Regularis, ad nutum Prælati amobilis, seu Obedientiarius Episcopo præsentetur examinandus, & instituendus. Ita enim concessum esse à Gregor. XIII. ea conditione, vt Religiosus socium Ordinis sui secum habeat, testatur Cardinal. declaratio super cit. sess. 7. c. 7. de Reform. Garcias cit. c. 2. n. 13, Barbosa cit. allegat. 72. n. 190. Aluinus de potest. Episc. c. 14. n. 2. Vide etiam c. vlt. de Capellis Monachorum, & Concil. Trident. sess. 25. c. 11. de reform. cum Cardinalium declarationibus. Dubitatur secundò, Vtrùm Vicarius regularis esse debeat, an secularis? Respondeo: Si Rector principalis sit regularis, v. g. Præpositus aut Capitulum Ecclesiæ Cathedralis, non potest institui Vicarius regularis, iuxta ea quæ dixi int. de elect. Dico II. Si parochia Monasterio vnita sit, Abbas regularem Vicarium ad nutum amobilem constituere potest: excepto, si in literis vnionis expressum sit, vt per Vicarium secularem parochia administretur, vel nisi à longissimo tempore per Vicarium secularem administrata sit, præsertim si intitulatus fuerit.

Secundum. Monasterium, cui ecclesia vnita est, eius sarta tecta conseruare, & altaris paramenta reparare debet. Quod intelligi debet in defectum reditum, qui pro fabrica deputati esse solent. Ita colligitur ex c. 1. c. de his, de Ecclesijs ædif. Ratio est: quia cùm Mona-

Monasterium ex ecclesiâ comoda percipiat, vid. annuos prouentus, etiam onera sustinere debet, iuxta l. vn. C. de eaducis tollendis, §. pro secundo, in fine, ibi: *Neque enim ferendus est is, qui lucrum quidem amplectitur, onus autem ei annexum contemnit.* Quare Aluinus cit. c. 14. n. 3. inter alia signa Ecclesiarum parochialium pleno iure, id est, etiam quoad spiritualia ad Monasterium spectantium hoc etiam numerat, *si Abbates illis suppeditare tenentur calicem, missale, & alia eiusmodi; quibus obligantur ad conseruationem fabricæ totius, vel partis Ecclesiæ, & ad eandem resarciendam, si quando indiget.*

10 Tertium. Vicarius, non tantùm perpetuus, sed etiamsi temporalis tantùm sit, subiacet visitationi Episcopi, seu Ordinarij eius, cui populus subiectus est: non obstante, quòd Vicarius, v. g. Religiosus Ordinis aut Monasterij exempti, secundùm propriâ personam exemptus sit: nihilominus subiacet visitationi, & iurisdictioni Episcopi, quoad curam populi, & administrationem sacramentorum. Ita Trident. sess. 25. c. 11. de Regular. cum declarat. Cardinalium. Verùm, vt in postrema declaratione habetur, ijdem Vicarij Monasteriorum, tum non tantùm Regulares, sed etiam seculares, si ad nutum amobiles sint, visitari etiam possunt à Prælato Monasterij: quia etiam ipsi in spiritualibus immediatè subijciuntur, tanquam immediato Rectori suo, à quo & auocari possunt. Præterea excipitur in dicto c. 11. Monasterium Cluniacense, & omnia ea, in quibus Abbates, Generales, seu capita Ordinum sedem ordinariam principalem habent; nam parochiæ eorum ibidem sitæ ab Episcopo visitari non debent.

Exinde colligitur; longè plus iuris in parochia habere Abbatem Monasterij v. g. si deputatus sit Vicarius temporalis, quàm si perpetuus. Iste enim nullum ius, seu titulum habet; & omne ius parochiæ est penes principalem. At verò Vicarius perpetuus ius, ac titulum in parochia obtinet: cùm autem ius siue titulus beneficij indiuisibilis sit, secundùm doctrinam Hostiensis in sum. de filjs presbyterorum, §. Qui filij presbyterorum, ex c. Michael 12. eod. tit. & c. 4. causæ 21. q. 1. in quo habetur, quòd vnius Monasterij non possint esse duo Abbates; sed nec duo Episcopi in eâdem Ecclesia, teste S. Augustino ideo dicendum est, eandem curam parochiæ ad vtrumq; pertinere diuersimodè; ad Vicarium quidem in actu, ad principalem in habitu, prout distinguunt DD. in c. super eo, 6. ver. annexæ, de præbend. in 6. & docui lib. 4. Th. mor. tr. 2. c. 5. q. 9. Quamobrem Vicarius ab Episcopo institutus & intitulatus à principali parum dependere videtur in spiritualibus, cùm cura parochiæ ipsi attributa sit.

Iis, quæ suprà dicta sunt, obstare videtur c. 1. de capellis Monachorum: *In Ecclesijs, vbi Monachi habitant, populus per Monachum non regatur sed Capellanus, qui populum regat, ab Episcopo, per Concilium Monachorum instituatur.* Resp. Non satis liquet, quidnam eo c. constitutum sit ab Vrbano III. quamobrem variæ eius explicationes afferuntur, vt videre licet apud Abbat. ibi, & Aluinum de potest. Episc. c. 13 n. 3. Arbitror, Vrbanum III. loqui de Ecclesijs parochialibus, quæ prope Monasterium ædificatæ sunt; earum enim curam Monachi sibi deposcebant, eo solo titulo, quòd in fundo ipsorum ædificatæ, aut ab ipsis dotatæ fuerint. Id verò reiectum fuit in cit. c. 1. sicuti & in hoc c. & c. In Lateranensi, 31. de præbend. Qui enim Ecclesiam pro cura populi, Episcopo subiecti, fundat, ædificat, aut dotat, ius patronatus quidem acquirit; sed curam, aut reditus Ecclesiæ nequaquam, nisi id ab Episcopo vltro concessum sit. Quæ concessio frequenter olim facta erat, vt Ecclesia in loco Monasterij ædificaretur, & dotaretur eo pacto, vt Monachorum curæ subiecta esset, atque ita Ecclesia ab origine sua regularis per regularem Vicarium regeretur: cuiusmodi ius Monasterijs nequaquam auferri potest ab Episcopis. Interdum verò Ecclesiæ parochiales, quæ per seculares Rectores administrabantur, postea incorporatæ sunt Monasterijs pleno iure, id est, etiam quoad spiritualia. Quo casu suprà dixi, inspiciendas esse literas vnionis, & quidnam

eo vsque

eò vsque obseruatum fuerit: quia status Ecclesiæ non facilè mutari debet.

CAPITVLVM III.

Licet.

HOnorius ex vna parte, & Remigius per procuratorem suum ex altera parte, diu apud Sedem Apostolicam litigauerant de Archidiaconatu Richemundiæ: Quare vt ea res expediatur, mandat Innocent. III. si constet, quòd Archidiaconatus ille annum integrum vacauerit, semestri quidem, cùm collatio ad Capitulum pertinebat; altero autem semestri, cùm collatio per deuolutionem ad Archiepiscopum Eboracensem spectabat, (numerato tempore non à die vacationis, sed habitæ notitiæ vacationis) vt vtrique litigantium silentium imponatur. Cùm enim dictus Archiepiscopus Superiorem non habeat præter Pontificem, ad eum secundùm canones Archidiaconatus illius collatio deuoluta fuit.

NOTANDVM I. Si Capitulum, ad quod collatio beneficij, aut dignitatis pertinet, intra sex menses conferre negligat, ius conferendi pro ea vice deuoluitur ad Archiepiscopum, si ei Capitulum immediatè subiectum sit. Quòd si & ipse per alterum semestre conferre negligat, deuolutio fit ad Papam. De hac re dictum est in c. Ne pro defectu, 41. de elect.

NOTANDVM II. Si pœna ob negligentiam decreta sit sententiæ latæ ipso iure, ordinariè non conceditur licentia moram purgandi. Ita Gl. hîc ver. imponatis, Anton. n. 5. Quia, vt Gl. ait in c. licet canon, 14. ver. executione, de elect. in 6. *canon, qui est latæ sententiæ, habet in se executionem.* Id verò intelligi debet hoc modo, quòd Iudex perinde pœnam exequi debeat, ac si ab initio contracta sit, rescindendo omnia, quæ secùs attentata sunt. Quomodo Pontifex in hoc c. rescidit, seu potiùs irritam declarauit collationem Archidiaconatûs, si facta sit post tempus semestre.

* * *

CAPITVLVM IV.

Literas.

QUidam Prælati & Capitula, beneficia & dignitates tanto tempore conferre distulerunt, vt secundùm Lateran. Concilium sub Alex. III. iure conferendi pro ea vice priuati essent: Postea verò quàm intellexissent aduentum Legati Apostolici, beneficia illa ac dignitates conferre aggressi sunt. In hoc casu respondet Innoc. III. collationes, secundùm canones irritas quidem censeri posse, & malè institutos remoueri, tamen ex misericordia, si alioquin idoneæ personæ sint, à Legato in possessione pacifica tolerandos esse: Sin autem non idonei, ijs remotis, alias personas idoneas, auctoritate Apostolica, ad quam propter negligentiam inferiorum collatorum, deuolutio facta est, à Legato instituendas esse.

NOTANDVM I. Si priuati iure conferendi, aut eligendi pro vna vice nihilominus aliquem eligant, aut instituant, licèt electio, collatio, aut institutio irrita declarari possit, interim tamen, dum nemo se opponit, electus, aut institutus tutus est in conscientia. Ita docui in c. innotuit, 20. de elect. & sumitur ex hoc c. Quia nisi collatio beneficiorum, facta post incursam priuationem, aliquo modo valida fuisset, instituti beneficia retinere non potuissent, absque tituli reualidatione.

NOTANDVM II. Si priuati propter eligendi aut conferendi negligentiam, elapso trimestri aut semestri tempore, nemine se opponente, nihilominus eligant aut beneficia conferant, tolerari id potest: quia multa per patientiam tolerantur, quæ si deducta essent in iudicium, exigente iustitia non tolerarentur, c. iam dudum, 18. de præbend. Dummodò absque Ecclesiæ, seu boni publici detrimento tolerari possit: alioquin enim Superior ex officio, etiam nemine petente, procedere potest.

NOTANDVM III. Si aliquis in pacifica beneficij possessione sit, non tam facilè ipsi

aufertur, sicuti si nõdum possessionem nactus esset. Quamobrem impetrare volens beneficium mentionem facere debet secundùm stylum Curiæ Romanæ, quòd alius in possessione colorata existat, c. cùm nostris 6. de conces. preb. Quia Pontifex non solet alteri conferre beneficium, nisi priùs facta sit discussio de iure possessoris.

CAPITVLVM VLT.

Dilecto.

PARAPHRASIS.

In Ecclesia Salamantina electio Cantoris, quæ communiter ad eiusdem ecclesiæ Episcopum & Capitulum spectabat, semestre spatium à die notæ vacationis facta non fuit: postea tamen Decanus & quidam alij Canonici Petrum elegerunt, ad Sedem Apostolicam appellantes, ne contra eam quidquam attentaretur. Sed Archiepiscopus Compostelanus intelligens, electionem ad se tanquam proximum illorum Superiorem deuolutam esse, non obstante appellatione illa, Gregorium ad Cantoriam illam elegit. Eo facto vterque electus, videl. Petrus & Gregorius Procuratores miserunt ad Sedem Apostolicam. Causâ commissâ Pancratio S. Marcelli Cardinali Presbytero, iudicatum fuit, electionem Decani & sociorum eius irritam declarandam esse. At verò Archiepiscopi electionem de Gregorio, dummodò canonicum ipsi non obstet impedimentum, confirmandam esse.

SVMMARIVM.

1. *Si ad Episcopum vel Capitulum pertinet collatio beneficij, propter negligentiam v. g. Episcopi, fit deuolutio ad Capitulum, & vice versa.*

NOTANDVM I. Collatio Canonicatuum, & personatuum in ecclesia interdum pertinet ad Episcopum & Capitulum simul, vt hìc, & c. vn. Ne sede vacante, in 6. Interdum verò ad solum Episcopum, quamuis cum consilio Capituli spectato cõmuni iure, cit. c. vn. §. Cùm verò, & c. 2. de cõces. præb. & dixi c. cùm ecclesia, 31. de elect. Denique interdum ad solum Capitulum spectat collatio: Et his posterioribus duobus casibus deuolutio propter negligentiam, fit ab Episcopo ad Capitulum, & vice versa, cit. c. 2. In primo autem casu deuolutio fit ad Archiepiscopum, vt in hoc c. apparet; Ab Archiepiscopo denique ad Papam, vt in c. præced. Quare Capitulum instante termino temporis semestris monere potest Episcopum, eóque negligente, solum Capitulum sine Episcopo procedere: & vice versa, Episcopus absque Capitulo.

NOTANDVM II. Si fiat appellatio extraiudicialis, ne contra electionem factam quippiam attentetur, aut in electione vlterius non procedatur, non obstante tali appellatione, procedi poterit. Sed quæ post appellationem interpositam facta fuerint, veluti in suspenso erunt; quia si pro appellatione à Superiore iudicatum fuerit, rescindentur acta; sin verò contra appellationem, tum firma consistent, si aliud nihil obstat. Ita etiam habetur in c. considerauimus, 10. & c. cùm inter, 21. de elect.

CAPITVLVM. I. eod. Tit. in 6.

Romana.

PARAPHRASIS.

Cùm Archiepiscopus Remensis prouinciam visitaret, suffraganeos quosdam Episcopos ob culpas suas excommunicauit: Et postea edictum per prouinciam publicari curauit, vt, dum Episcopi in excommunicatione essent, subditi eorum diœcesani liberè ad prouinciam Rhemensem pro terminandis suis controuersiis accederent. Hanc rem cùm intellexisset Innocentius IV. Pontifex, reuocauit edictum: eò quòd casus iste excommunicationis

Episco-

Episcoporum non reperiatur inter eos, quibus secundùm iura canonica Archiepiscopo in subditos Episcoporum suffraganeorum iurisdictio competit. Si tamen culpæ Episcoporum mereantur, aliterab Archiepiscopo puniri possunt.

SVMMARIVM.

1. *Archiepiscopus habet iurisdictionem in suos suffraganeos; nullam autem in eorum subditos, nisi in casibus iure expressis.*
2. *Vnde iurisdictio Episcopi suffraganei excommunicati non deuoluitur ad Archiepiscopum.*

NOTANDVM Vn. Archiepiscopus iurisdictionem habet in Episcopos suffraganeos, vt ijs præcipere possit, quæ ad officium ipsorum spectant, atque ad executionem compellere, etiam per censuras, teste Gl. c. de ijs, 13. d. 12. ver. adstringat. At verò in subditos Suffraganeorum non potest exercere iurisdictionem, nisi in casibus iure expressis: quorum præcipuus est, si ab Episcopi sententia ad Archiepiscopum, seu Metropolitanum appellatum sit, c. conquestus, 8. causa 9. q. 3. & videri potest c. pastoralis, 11. de offic. Iud. Ordinarij. Alios casus leges apud Hostiens. de offic. Ordin. §. Sunt autem, Ioan. Monachum in hoc c.

Quare ita argumentatur Pontifex hîc, & in cit. c. pastoralis: In materia prohibitoria quod non est concessum, censetur esse prohibitum, c. Inter corporalia, de translat. Episc. Sed hîc versamur in materia prohibitoria: quia secundùm canones Archiepiscopus non exercet iurisdictionem in subditos Suffraganeorum, cit. c. conquestus, & c. nullus 2 Primas, 7. ead. causa 9. q. 3. Neque vspiam reperitur casus iste iure expressus, si Episcopus excommunicatus sit, quòd ob defectum eius, quia iurisdictionem ipsemet exercere non potest, causę omnes ad Archiepiscopum deuoluantur.

Quare valde dubito de doctrina Quarantæ in sum. Bullar. ver. Archiepiscopus, n. 2 19 quam ait communem esse, contra Abbat. Panormit. Si Episcopus suffraganeus negligens sit, videl. legitimè admonitus non ordinet, non condemnet, quos debet, quòd Archiepiscopus eo inuito vices supplere possit, videl. in diœcesi eius ordinare, excommunicare, absoluere. Nam talem potestatem Archiepiscopo concessam in iure non reperimus.

QVÆRES: Quid igitur agendum, si subditi ab Episcopo suo excommunicato iurisdictionem petere nolint, aut nō possint, quia vitandus est? Respondeo, cum Ioan. Monacho hîc, n. 11. & Petr. Ancharano, ad Papam recurrendum esse, qui Episcopum ab excommunicatione absoluet, vel alio modo ecclesiæ prouidebit. Interim verò, dum responsum veniat, aut prouisio à Pontifice fiat, Capitulum quæ necessaria sunt, & dilationem non patiuntur, exequi poterit. arg. c. Si Episcopus, 3. hoc tit. Quia id veluti naturale est, vt defectum Capitis, reliquum corpus suppleat, donec maius remedium adhibeatur. Vide quæ dixi lib. 1. tr. 4. c. 7. §. 3.

CAPITVLVM II.

Grandi.

PARAPHRASIS.

Cùm Portugalliæ Rex regnum malè administraret, & ecclesias, atque ecclesiasticas personas, pauperes quoque & orphanos grauari sineret, Innocent. IV. necessitatibus istis succurrere intendens, Coadiutorem Regi designauit fratrem suum Bolonienſem Comitem, scribens ad Comites & Barones Regni Portugalliæ; vt eum cum plena administrandi potestate recipiant, eiq́ue obediant; iuramento, aut pacto, quo ipsi Regi, aut alteri personæ astricti sunt, vel eiusdem Regis prohibitione non obstantibus: Alioquin, si dicti Barones & Comites Apostolicum mandatum accipere, & exequi neglexerint, mandat Archiepiscopo Bracharensi & Episcopo Colimbrienſi, vt illos præmissa

canonica monitione, per censuram ecclesiasticam, remota appellatione, compellat. Per hoc autem non intendit vel Regi, vel filio eius legitimo (si quem habuerit) regnum adimere; sed potiùs per solicitudinem & curam dicti Comitis Bolonienſis, Regem ac regnum eius, & subditos à destructione defendere, atque conseruare.

SVMMARIVM.

1. *Si Rex vel Princeps Christianus negligens sit in administratione sui regni, aut iura regni dissipet, debet ei Coadiutor vel Curator assignari à Superiore, si quem habet; vel hoc deficiente, aut negligente, à Papa.*
2. *Et quidem in hoc casu potest dare curatorem cum plena libera administrandi potestate, qui tamen hoc ipso succedendi ius non habet; licèt non rarò illud Papa concedat.*
3. *Non potest Curator vel Administrator facere donationes absolutas; potest tamen ob causam, videl. ob merita, pietatem, &c. & modicas.*

1 NOTANDVM I. Si Rex, aliúsue Princeps Christianus administrationem regni negligat, aut iura regni dissipet, & perdat, debet illi Coadiutor, seu Curator assignari à Superiore, si quem habeat: Alioquin, nisi Regni proceres remedium sufficiens adhibere possint, ad Sum. Pontificem pertinet prouidere, & Coadiutorem dare: vt videl. causæ ecclesiarum, & personarum ecclesiasticarum, pauperum item, atque orphanorum, aliorúmque miserabilium (quorum cura specialiter ad Ecclesiam spectat, vti colligitur ex c. 1. & 2. d. 87. c. ex parte, 15. de foro compet.) integræ, atque defensæ maneant; & vt Christiani subditi omnes in ordine ad Christi fidem tenendam, & ex eius præscripto viuendum, non impediantur. Nam sicuti temporalia spiritualibus ratione finis subiecta sunt; etiam temporalis potestas spirituali subiecta, seu potius subordinata esse debet; ita, vt, si à fine æternæ felicitatis, ac Dei præceptis deuiet, à spirituali seu ecclesiastica potestate iudicari, ac dirigi possit, iuxta extrauag. Vnam sanctam: quæ est Bonif. VIII. inter communes, de maior. & obed. Atque annotauit Ioan. Monachus hîc n. 5.

NOTANDVM II. In tali casu si Rex regnum, & multò magis si Episcopus Episcopatum malè administret, Papa ei Coadiutorem, ac Curatorem dare potest, cum plena & libera administrandi potestate, c. ex parte, 5. de Clerico ægrot. Non tamen hoc ipso, quòd Coadiutor datus sit, succedendi ius habet: vti bene hîc Gl. magna aduertit. Sed ea est specialis gratia, si Papa alicui Episcopo, vel alteri Prælato Coadiutorem det, cum succedendi facultate: quam tamen Papa non rarò dat. Addit Glos. super ver. liberam, adeò plenam administrationem habere eum, qui Curator, seu Administrator regni datus est, vt etiam donationes facere possit. Quod intelligi debet inprimis de remuneratorijs; deinde etiam de alijs moderatis, & regno non præiudicialibus eò quòd Regibus speciale & proprium sit donare. Alioquin verò Administrator, etiam cum libera datus, absolutas donationes facere prohibetur: nisi id quoque expressè, aut saltem præsumptiuè, concessum sit, vti docent DD. in l. contra, 28. §. Si filius, ff. de pactis, & l. Filius familias, 7. ff. de donat. Potest tamen facere donationes ob causam, videlicet ob merita, ob pietatem &c. Quia talem donationem facere non est perdere, quod solùm Administratori denegatum censeri debet, cit. l. Filius fam. Denique facere potest donationes modicas, secundùm loci consuetudinem, videl. Prælatus Monasterij, vel similis Administrator cum libera datus, iuxta c. 3. de donat.

CAPITVLVM III.

Si Episcopus.

PARAPHRASIS.

Si Episcopus ab infidelibus, vel Schismaticis captus fuerit, non Archiepiscopus, sed

sed Capitulum, perinde ac si Sedes per mortem vacet, in spiritualibus, ac temporalibus administrare debet; donec libertati restituatur, vel per Sedem Apostolicam (quę in tali casu prospicere, & ideo quàm primùm commodè fieri potest, à Capitulo consuli debet) aliud ordinatum fuerit.

SVMMARIVM.

Episcopo à paganis vel Schismaticis capto, Episcopatum administrat non metropolitanus, sed Capitulum.

RAtionem huius responsionis assignant hìc Gl. Ioannes Monachus, Ancharanus, & alij communiter. Quia per captiuitatem Episcopus Seruus effectus est, argum. l. 5. ff. de captiuis, consequenter iura Episcopalia amisit; quæ tamen postliminio recuperat, si libertati restituatur. Sed hæc doctrina non placet, & repugnare videtur l. vlt. §. His ita, C. de Episc. & Clericis: Neque enim Christianos, nedum Episcopos, cùm ab infidelibus aut hæreticis in odium Catholicæ fidei capiuntur, eorum seruos effici, & iura seu ciuilia, seu Ecclesiastica amittere censendum est: Quin potiùs dicendum, Episcopũ captum ab infidelibus ex captiuitate per Epistolas subditis suis pręcipere, &, quatenus potest, Ecclesiam suam administrare posse.

Quare arbitror, cum Syl. ver. Archiepiscopus, n. 3. generaliorem responsionis Bonifacianæ rationem assignandam esse: Si Episcopus perpetuo, seu durabili & absolutè dicto impedimento detentus sit, seu ob captiuitatem ab hostibus, seu ob amentiæ morbum, ad Capitulum interim pertinere ius administationis; donec à sede Apostolica aliud ordinetur: quia perinde tunc censeri debet; ac si Sedes vacaret, si Episcopus absolutè & omnino impeditus sit. Qua simili ratione ait Stephanus Quaranta in summa Bullarij, ver. Archiepiscopus, n. 22. Si Episcopus in partes remotas abijt, nullo Vicario constituto, quòd Capitulum interim administret.

NOTANDVM Vn. Capitulo plus iuris, saltem in habitu, erga Ecclesiam competit, quàm Archiepiscopo. Tametsi enim Archiepiscopus iurisdictionem in Episcopum exercere possit, non tamen in ecclesiam eius, nisi in casibus specialiter ei commissis, vt c. præced. dictum fuit. At verò Capitulum iurisdictionem exercet in defectum Episcopi: Quod tamen non eo sensu intelligendum est, quasi propter culpam aut negligentiam Episcopi iurisdictionis potestas ad Capitulum deuoluatur: id enim falsum est; exceptis casibus iure expressis circa beneficiorum collationes: alioquin verò Capitulum Superioris, videl. Metropolitani, aut Papæ iurisdictionem implorare debet, per quam Episcopus ad officium compellatur. Sed intelligi debet, si Episcopus nullus adsit, vel ad administrationẽ omnino inutilis sit, quòd interim Capitulum, perinde ac si Sedes vacat, administrare debeat, donec Pontifex aliter prouideat. Aduerte autem quod dixi, *Si omnino impeditus aut inutilis sit*: Sin verò ob senium, vel infirmitatem non omnino, sed ex parte inutilis, tum expectari debet, donec Papa certior factus Coadiutorem ipsi attribuat, vti Archidiaconus & Anchoranus notarunt. in q. vlt. hoc lib.

CAPITVLVM Vlt.

Ecclesiæ.

PARAPHRASIS.

Vacante Ecclesia Cathedrali, alius præter Roman. Pontificem non potest illi Visitatorem, seu Administratorem deputare: nisi Capitulum negligenter aut peperàm administret, tunc Archiepiscopus, ob negligentiam aut malitiam Capituli, (eo vocato, atque causæ cognitione præmissa) Administratorem constituere poterit.

SVMMARIVM.

1. *Ratio, cur vacante ecclesia Cathedrali solus Papa Visitatorem, seu Administratorem deputare potest; Archiepiscopus id non potest, nisi ob negligentiam*

& malitiam Capituli, & cum causæ cognitione.

2. *Talis autem Visitator seu Administrator constitutus ab alio, quàm à Papa, non potest ea beneficia conferre, quæ ad liberam Episcopi collationem pertinent.*

1 RAtio est: Quin ad Capitulum, vacante Sede pertinet ius administrationis: quod illi Archiepiscopus auferre non potest, absque causa necessitatis. Sin autem necessitas postulare videatur, tum iura dant Archiepiscopo hanc potestatem, causâ priùs iudicialiter cognitâ. At verò Summus Pontifex ob plenitudinem potestatis suæ Administratorem liberè deputare potest, sed non solet, si Capitulum nihil deliquerit.

§. Huiusmodi.

2 ADministrator, qui Sede Vacante, ab alio, quàm Summo Pontifice constituitur, non potest ea beneficia conferre, quæ ad liberam Episcopi collationem spectant: licèt alioquin tam in spiritualibus, quàm temporalibus legitimam administrationem habeat.

Ratio est: Quia Administrator fructus ac reditus Episcopatûs successori conseruare debet c. vlt. d. 61. Collatio autem liberæ beneficiorum veluti inter fructus Episcopatûs computatur: Ergo &c. Accedit, quòd Administratori, quamuis cum libera constituto, donare non est concessum, vt dixi suprà hoc lib. & tit. c. 2. Collatio autem beneficij veluti donatio quædam est, vti etiam appellatur in c. 3. extrà, hoc tit. Sin autem collatio beneficiorum communiter ad Capitulum & Episcopum pertinet, tum vacante Sede, vnà cum Capitulo conferat Administrator, vti Gl. hîc notauit.

TITVLVS XI.

DE TEMPORIBVS ORDINATIONVM, ET QVALITATE ORDINANDORVM.

QVia Prælatorum, maximè Episcoporum proprium est, primam tonsuram & ordines conferre, ideo de his tractatus hoc loco instituitur.

CAPITVLVM I.

Subdiaconos.

SVMMARIVM.

Diebus Dominicis, vel Sabbato Pentecostes ab alio, quàm Papâ, sacri ordines conferri non possunt; possunt tamen diebus Dominicis & festis ordines minores conferri, & virgines consecrari, quibus anno ætatis 25. velum consecratio-nis dare proprium est Episcopi, aliq; delegari non potest, nisi à solo Papa; velum autem continentiæ etiam simplex sacerdos dare potest.

IN hoc c. tria asserit Alexander III. Papa. Primum: Subdiaconos nemini, præter Romanum Pontificem, die Dominica ordinare concessum est. Quod etiam statutum leges in Concilio Lateranêsi sub eodem Alexandro, in appendice tit. de dispositione Clericorum, n. 23. Subdiaconatus enim inter sacros ordines numeratur: sacros ordines verò tantummodò in Quatuor ieiuniorum Temporibus conferre licitum est, vti ibidē habetur n. seq. Excipitur verò plenitudo potestatis Papalis, quæ ob speciale priuilegium, eiusmodi legibus, quoad propriam personam, non adstringitur.

Alterum.

Alterum. Diebus Dominicis concessum est ordines minores conferre, & Virgines consecrare. His adde, ex eodem Concilio Lateranensi, cit. tit. n. 25 Non tantùm Dominicis, sed omnibus festis diebus minores ordines conferri posse, de quo infrà c. 3. Virginum autem consecrationem non tantùm diebus Dominicis, sed alijs quoque solemnioribus festis, constat ex c. deuotis, 9. causa 20. q. 1. vbi tamen certi dies præscribuntur, vid. Epiphania Domini, natalitia Apostolorum, & Octaua Resurrectionis. Ait verò Tabiena ver. Virginum consecratio, n. 6. secundùm quosdam etiam in alijs festiuitatibus Virgines consecrari posse: quod etiá docent Barbosa de potest. Episc. p. 2. alleg. 27. n. 54. Sà ver. consecratio, n. 51. Instante autem mortis periculo, omni die hæc consecratio fieri potest, iuxta cit. c. deuotis.

Qværes: Cuius sit velum consecrationis Virginibus dare, anno videl. ætatis XXV. iuxta c. placuit, 14. c. virgines, 15. ead. q. 1. Respondeo cum S. Th. 4. d. 38. q. 1. d. 5. Paludan. a. 3. Syl. ver. Virginum consecratio, n 3. Tabienam ibid. n. 1. Esse id proprium Episcoporum, neque alteri delegari posse; præterquam à Sum. Pontifice. Qui tamen non facilè id alijs committere solet; adeò, vt Rodriq. tom. 1. regul. qq. q. 64. a. 2. dicat se nullum inuenire potuisse priuilegium, secundùm quod Regulares Mendicantes Moniales suas consecrare possint. Sed velum continentiæ viduis simplex etiam sacerdos dare potest, c. vlt. causa 20. q. 1. Vide Hostiens. in sum. hoc tit. n. 4. & quę docui lib. 3. f. 4. n. 8.

Tertium. In Sabbato Pentecostes sacri ordines conferendi non sunt, sed in hebdomade sequente, cùm acceptâ Spiritus sancti gratiâ ieiunium instituitur.

CAPITVLVM II.

Sanè.

Paraphrasis.

In Scotia, & Vallia inualuerat consuetudo antiqua, vt in dedicationibus Ecclesiarũ, vel altarium, sacri ordines conferrentur, extra Quatuor ieiuniorum Tempora. Hanc consuetudinem ait Alexander III. esse penitus improbandam, quippe institutioni ecclesiasticæ repugnantem: Imò nisi multitudo ita ordinatorum, & antiqua terræ consuetudo obstaret, non deberent illi in susceptis ordinibus ministrare; & ordinatores potestate ordinandi priuandi forent.

Svmmarivm.

1. *Non est laudabilis, sed potiùs improbanda & tollenda consuetudo introducta contra Ecclesiæ vniuersalis canones, qualis est canon de sacris ordinibus præmisso ieiunio conferendis.*
2. *Excusantur tamen à culpa & pœna diœcesani, si se tali consuetudini conforment, modò ea iuri naturali non repugnet, aut ecclesiæ per se damnosa sit.*

Notandvm Vn. Consuetudo particularis introducta contra Ecclesiæ canones in vniuerso orbe introductos, præsertim si ab Apostolis instituti sint, (qualis est canon iste de sacris ordinibus præmisso ieiunio conferẽdis, vt dixi lib. 4. tr. 8. c. 2. n. 4.) laudabilis non est, sed potiùs improbanda, atque, si fieri possit, tollenda. Quia valde expedit vniuersalis Ecclesiæ canonibus, non sine iusta ratione institutis, particulares quasque ecclesias conformari. Cæterùm, dum eiusmodi consuetudo, iuri alioquin naturali non repugnans, neque ecclesiæ per se damnosa, toleratur, seu non damnatur, à culpa & pœna excusantur diœcesani, si posthabitis ecclesiæ vniuersalis canonibus, illi se conforment: eò quòd quisque conformare se possit, & plerumque debeat antiquæ, & aliquo modo præscriptæ, consuetudini eius ecclesiæ, cuius proximum membrum est, vt docui lib. 1. tr. 4. c. 3. n. 5. & c. 11. Talis est consuetudo Orientalium sacerdotum, qui matrimonio ante sacerdotium contracto vtuntur, contra antiquum & in ecclesiis vbique receptum Apostolorum canonem. Hæc consuetudo

1

2

suetudo laudabilis censeri non debet, sed, si fieri possit, tollenda: interim tamen dum non tollitur, excusat Græcos à peccato. Qua de re dixi lib. 5. tr. 9. c. 11. Cætera, quæ de suspensione, tum ab ordinante, tum ab ordinatis incurrenda hìc dicuntur, si ordinatio extra quatuor ieiuniorum tempora fiat, infrà explicabuntur.

CAPITVLVM III.

De eo.

SVMMARIVM.

1. *Ordines minores, etiam extra generalem ordinationem, quouis Dominico die, aut festo conferre licet; modò non tam multi ordinentur, vt videatur esse generalis ordinatio.*
2. *Subdiaconatus autem & alij Ordines conferri debent in quatuor temporibus, Sabbato sancto, & Passionis.*
3. *Prima tonsura quouis die conferri potest; Minores autem ordines die Dominico, aut secundùm Ecclesiæ (saltem particularis) præceptum, festo conferri debent.*
4. *Prima tonsura & quatuor Minores eodem die conferri possunt. Quibusdam locis consuetudo est, vt conferantur non in ipso Sabbato, sed anticipatò præcedente feria V I. aut I V. & tempore matutino.*
5. *Non est necessarium, vt in ecclesia conferantur; ordinatio enim hæc institui in alio honesto loco potest, præsertim in domo episcopali.*

1 ORdines minores non tantùm in ordinatione generali conferre licitum est, sed etiam quouis die Dominico, aut festo, saltem vnus, & alter ordinari potest; imò etiam plures, ait Gl. communiter recepta, dummodò non sint tam multi, vt videatur
2 esse ordinatio generalis. At verò Subdiaconos nulli Episcopo, præter Sum. Pontificem ordinare concessum est, nisi in ordinationibus generalibus, quæ fieri debent in Sabbatis Quatuor Temporum, Sabbato Passionis Domini, & Sabbato Resurrectionis.

His quędam addenda sunt: I. Prima tonsura 3 quolibet die conferri potest; cùm de hac re nihil iure constitutum sit, vti docet Tabiena ver. ordo 2. n. 4. Armilla eod. ver. n. 7. Henriq. lib. 10. c. 12. n. 1. Sed minores ordines die Dominico aut secundùm Ecclesiæ (saltem particularis) præceptum, festo conferri debent, iuxta probabiliorem sententiam apud Barbosam p. 2. alleg. 11. n. 18. II. Quatuor minores ordines simul eodem 4 die conferri possunt; imò etiam cum prima tonsura, vbi talis ecclesiæ consuetudo est, teste Tabiena ver. ordo, n. 3. Syl. eod. ver. 2. n. 7. III. Prima tonsura, & quatuor minores in quibusdam ecclesijs conferuntur non in Sabbato, sed per quandam anticipationem præcedente Feria V I. aut I V. quæ consuetudo reprehendi non potest, vt dixi lib. 5. Th. mor. tr. 9. c. 8. n. 1. I V. Necesse non est, vt prima tonsura, & quatuor minores ordines conferantur sub Missæ sacrificio, neque vt ordinans ieiunus sit, teste Armilla ver. ordo, n. 6. Barbosa p. 2. alleg. 11. n. 10. Consuetudo tamé est, vt tempore matutino conferantur. V. Neque etiam necessarium 5 est, vt prima tonsura & ordines in ecclesia conferantur, cùm etiam in alio loco honesto, præsertim episcopali domo. ordinatio ista institui possit, sicuti testatur Henriq. lib. 10. c. 11. n. 8. Barbosa cit. allegat. 11. n. 20. & sumitur ex c. quando & vbi, d. 75.

CAPITVLVM IV.

Ex tenore.

SVMMARIVM.

Criminosus occultus moneri potest, ne promoueatur ad ordines, sed si velit & petat, prohiberi non potest.

SI aliquis Clericus occultum peccatum commiserit, quod si notorium vel publicum esset, nec in susceptis ordinibus mini-

strare, nec ad altiores ordines ascendere permitteretur; huic Episcopus pœnitentiam condignam imponat, eique suadeat, vt parte pœnitentiæ peracta in susceptis ordinibus ministret; sed ijs contentus, ad altiores ordines non ascendat. Quòd si nihilominus ordinationem petat, non potest ei Episcopus negare, quando crimen occultum est.

Sermo hic est de crimine, quod neque populariter notorium est, neque iudicialiter, sed Episcopo secretè cognitum ad paternam correptionem; ita vt euulgare ei non liceat, sicuti docui lib 3. p. 2. c. 4. n. 6. & tract. 3. c. 3. num. 5.

Casus autem huius c. duobus modis intelligi potest: Primò, de crimine, quod ipso iure suspensionem, aut irregularitatem non dispensabilem ab Episcopo inducit. Vt si Diaconus abortum mulieri procurarit, fœtu iam animato: Hoc casu Episcopus homini in conscientiæ foro iniunctâ pœnitentiâ condignâ, suadeat, vt in susceptis ordinibus ministret, quatenus id necesse est ad infamiam euitandam; sed ad ordinem presbyterij non ascendat, ante impetratam dispensationem à Papa. Quòd si nihilominus ordinari se publicè petat, tametsi occultè indignus sit, repelli non potest: Eò quòd sacramenta, & omnes actus publicæ potestatis, gubernationis, aut dispensationis exerceri debeant secundùm publicam notitiam & opinionem, non secundùm priuatam scientiam gubernantis, vel dispensantis: cùm alioquin multa scandala, perturbationes, & iniuriæ oriri possent, vt docui lib. 5. tr. 4. c. 6. n. 10. Et ita explicant hoc c. Gl. fin. Syl. ver. ordo, 3. q. 9. Sanchez lib. 3. de matrim disp. 15. n. 8. Hic tamen intellectus difficultatem aliquam patitur; quia textus significat, quòd Episcopus occulto criminoso suadere debeat, vt ad superiores ordines non ascendat: cùm tamen idipsum ei in isto casu imperari debeat pro conscientiæ foro, vti constat ex c. vlt. hoc tit.

Secundò intelligi potest de crimine enormi, quod per se non infert suspensionem, aut irregularitatem; sed suspensionem, ac depositionem mereretur per Iudicis sententiam, si notorium, aut iudicialiter cognitum esset, v. g. incestus. Etenim Clerico incestuoso occulto Episcopus pœnitentiam condignam in foro conscientiæ peragendam imperare debet: atque insuper suadere, vt aliquamdiu abstineat à sacro ministerio, donec parte pœnitentiæ peracta, Deo satisfecerit pro peccatis; ad superiores autem ordines, propter humilitatem, & ad dignam agendam pœnitentiam, non ascendat: Si tamen promoueri velit, repelli non potest, cùm iure impeditus non sit. Qua simili ratione dixi lib. 5. Theol. mor. tr. 10. p. 4. c. vlt. §. veruntamen, quòd marito incestuoso in foro conscientiæ suaderi possit, vt mortua vxore à secundis nuptijs abstineat, ob pœnam tanti delicti: sin autem nolit, imperari ei id non posse.

CAPITVLVM V.

Ad aures.

PARAPHRASIS.

Aliqui Religiosi questi sunt apud Archiepiscopum Turonensem, quòd Prælati eorum consentire nolint, vt ad superiorum ordinum gradus ascendant; cùm tamen digni essent, & nullus eis defectus obijci posset. Ad id respondit Lucius III. honestius, ac tutius esse, vt Religiosi obedientiam Præpositis suis impendentes in inferiore ministerio deseruiant, quàm vt cum Præpositorum scandalo gradum appetant superiorem; cùm non in gradum sublimitate, sed in amplitudine charitatis acquiratur regnum Dei. Sed & ideo Religiosorum querelæ condescendendum non est, quia fieri potest, vt Prælati eorum secreta crimina vt defectus nouerint, ob quos ad sublimiores ordines promoueri non debeant.

SVMMARIVM.

1. *Prælati Ordinum ratione voti obedientiæ potestatem iurisdictionis obtinent in suos regulares, vt præcipere possint, quæ pertinent ad Ordinis regulam, disciplinam, ordinum gradus, &c. nec Episco-*

pus se immiscere potest, nisi constet de negligentia, vel iniuria Prælati.

2. *Prælatus sciens in secreto (non sacramentali) alicuius regularis defectum, v.g. irregularitatem ex homicidio occulto, non debet, neq; potest eum ad Ordines mittere.*

1 NOTANDVM Vn. Prælati Ordinum potestatem iurisdictionis obtinent in Regulares suos, vt ipsis, ratione præstiti voti obedientiæ, præcipere possint, quæ pertinent ad Ordinis regulam, disciplinam, rationem viuendi, officia, & ordinum gradus: Ita, vt Episcopus se immiscere non debeat, nisi constet de negligentia, vel iniuria Prælati. Qua de re dixi lib. 1. Th. mor. tr. 4. c. 7. n. 28.

Obijci solet: Quòd responsio huius c. contraria videatur c. præced. Respondeo; Nequaquam esse contrariam. Quia si Clericus, v.g. ad beneficium promouendus, ordines superiores petat, Episcopus ratione officij sui obligatus est illi conferre, si canonicum impedimentum ipsi obijcere non possit, tametsi occultum eius crimen sciat, vt suprà dictum. Sed alia ratio est de Prælato Ordinis, qui obligatus non est Regulares suos ad altiores dignitates, aut ordinum gradus promouere; cùm obedientiarij sint, seu ex imperio & dispositione Abbatis pendentes,
2 iuxta c. non dicatis, 12. q. 1. Quamobrem si Prælatus in secreto (non sacramentali) sciat alicuius Regularis sui defectum, v.g. irregularitatem ex homicidio occulto, non debet, imò neque potest eum ad ordines mittere; cùm sine peccato suscipere nequeat. Constat enim, quòd Prælatus mittendo, adeóque iubendo, vt ordines irregularis accipiat, cooperaretur peccato eius.

CAPITVLVM VI.

Si Archiepiscopus.

SVMMARIVM.

1. *Metropolitanus ab omnibus Suffraganeis consecrari debet*
Sed hac obligatio videtur in his prouinciis esse remissa ex voluntate Papæ.
2. *Suffraganei à tribus Episcopis consecrantur, iussu Metropolitani, & cum consensu aliorum Episcoporum comprouincialium.*
3. *Et hoc antiquo iure; nouo autem prouisiones ecclesiarum Cathedralium seu Episcopalium sunt reseruatæ summo Pontifici; nisi quòd nominatio seu præsentatio personarum idonearum ad Episcopatus relicta sit Regi Galliæ, Hispaniæ, Poloniæ, &c.*
In sola Germania ius eligendi Capitulis Cathedralibus adhuc competit per Concordata Germaniæ cum Nicolao V. Pontifice.
4. *Consecratio Episcoporum etiam in alia ecclesia, quàm Cathedrali institui potest. Generalis autem clericorum ordinatio in Cathedrali, vel alia, quantum fieri potest, digniore ecclesia.*
5. *Episcopi vel Archiepiscopi die Dominico consecrari debent.*

AD consecrationem Archiepiscopi, quæ 1 in ecclesia Metropolitana fieri debet iuxta c. qui in aliquo, §. Sed nec, in fine, d. 51. omnes Episcopi Suffraganei seu Cóprouinciales venire debent, vt omnibus præsentibus & assistentibus ordinetur. Ita Lucius III. atque habetur in c. 1. d. 66.

Arbitror autem, ex Summi Pontificis voluntate hanc obligationem remissam esse in his prouincijs, quibus Episcopi à Metropolitana ecclesia plerumque plurium dierum itinere distant.

§. Reliqui.

EPiscopi Comprouinciales à tribus Epi- 2 scopis, iussu Metropolitani, requisito priùs consensu aliorum Comprouincialium Episcoporum, consecrari debent. Ita etiam habetur in c. porrò, d. 66. & tota ferme d. 64. & 65.

Quòd si in prouincia contingat vnum tantùm adesse Episcopum, is conuocabit Episcopos vicinæ prouinciæ, & cum illis ordinabit Episcopum Comprouincialem, c. si fortè, d. 65. Quia hoc ius Vniuersitatis de-

uolui-

voluitur ad vnum, ait Gl. ibi, ver. superstes.

Sciendum verò est, decreta hæc intelligenda esse secundùm ea tempora, quibus confirmatio Episcoporum Metropolitano relinquebatur: Is enim priùs singulorum Comprouincialium suffragia exquirere debebat, quòd dignum iudicarent eum, qui in Episcopum ordinandus esset. Quòd si omnes, aut pars maior Comprouincialium consentiret, tum vel ipsemet eum cum duobus alijs Comprouincialibus Episcopis consecrare, vel tres ad consecrandum deputare debebat, vt apparet in c. seq. Postea verò Summus Pontifex prouisiones Ecclesiarum Cathedralium, seu Episcopalium omnes sibi reseruauit, extrauag. Ad regimen. de præb. & reg. 2. Cancellar. Nisi quòd nominationem seu præsentationem personarum idonearum ad Episcopatus & alias prælaturas Regibus Galliæ, Hispaniæ, Poloniæ, &c. reliquerit: In sola autem Germania ius eligendi Episcopos, sicuti canones antiqui requirebant, Capitulis Cathedralibus adhuc competit per Concordata Germaniæ cum Nicolao V. Pontif. Sed confirmatio electorum à Pontifice intra tres menses petenda est, quam is conferre solet post exacta de electis testimonia, instituto examine, eosdémque mox consecrari iubet. Videri potest Azor tom. 2. lib. 3. c. 29. q. 1. Barbosa de potest. Episc. tit. 1. cap. 4.

4 Qværes: Quo loco, aut die Episcopi consecratio fieri debet. Respondeo, & dico 1. Licèt decens sit, eam fieri in Ecclesia Cathedrali, tamen id necessarium non est; cùm de eo iure nihil statutũ reperiatur: Quare etiam in alia Ecclesia consecrationem Episcopis (non verò Archiepiscopis) dari posse, docet Tabiena ver. confirmatio, n. 13. in fine, & sumitur ex c. qui in aliquo, §. Sed nec, in fine, d. 51. De generali autem Clericorum ordinatione statuit Synodus Trident. sess. 23. c. 8. de reformat. vt ea in Cathedrali Ecclesia, aut, si in alio loco instituatur, in digniore, quantum fieri potest, ecclesia, clero præsente, publicè fiat.

5 Dico II. Episcopi, & Archiepiscopi die Dominico consecrari debent, ex antiquissima (vt Leo I. arbitratur, relatus in c. quod die, d. 75.) Apostolica traditione. Quare alia die, absque Sum. Pontificis licentia, consecratio Episcopi peragi non debet.

CAPITVLVM VII.

Ne Episcopi.

IDem omnino in hoc c. habetur, quod in præced. traditum, & explicatum fuit.

CAPITVLVM VIII.

Cùm quidam.

Svmmarivm.

Ordinatus extra legitima tempora, vel ante legitimam ætatem, vel sine literis dimissorialibus, à susceptis ordinibus suspensus manet.

QVi Ordines acceperit eo tempore aut die, quo conferri non debent, videl. extra quatuor tempora (vti Gl. interpretatur) à susceptis ordinibus suspensus manere debet, donec absolutionis gratiam mereatur.

De hac re habemus nunc clariorem Constitutionem Pij II. quæ incipit, *Cùm ex sacrorum*: Qui extra legitima tempora, vel ante legitimam ætatem, vel sine literis dimissorijs aliquem ex sacris ordinibus accipere præsumpserit, ab eodem suspensus maneat, donec ab Ordinario suo absoluatur. Legi debent, quæ circa hanc suspensionem annotaui lib. 5. tr. 9. c. 10. n. 2. suspens. 3. & quæ scripsit Quaranta in sum. Bullarij, ver. ordo, princ. Barbosa p. 2. de potest. Episc. allegat. 14. vbi etiam refert priuilegia à Pontificibus Trident. Concil. concessa quorundam Ordinum Mendicantium Regularibus, vt extra quatuor tempora, cum Prælatorum suorum licentia, sacros ordines suscipere possint.

CAPITVLVM IX.

Cùm secundùm.

Svmmarivm.

Latini secundùm morem Græcorum extra quatuor Tempora ieiuniorum ordinari non debent.

GRæci consuetudinem habebant sacros ordines etiam extra quatuor ieiuniorum tempora conferendi. Hanc consuetudinem, si apud Græcos ab antiquo tempore recepta & exercita sit, licèt Cælestinus III. damnare non audet, ita vt secundùm eum morem ordinati culpam, aut censuram contrahere censendi sint; prohibet tamen, ne Latini secundùm dictum Græcorum ritum ordines accipere à Græcis Episcopis permittantur.

Ratio responsionis dari debet. Quia Clerici à proprio Episcopo secundùm canones ordinari debent. Tametsi verò Episcopi possint licentiam, seu literas dimissorias dare, vt ab alieno Episcopo ordines accipiantur, non tamen expedire visum fuit, vt dimissoriæ darentur ad Episcopum Græcum, extra quatuor ieiuniorum tempora, contra antiquos canones ordinantem.

Corollarium. Si Latina Ecclesia vicina sit Ecclesiæ Græcæ, in qua Eucharistiæ consecratio & communio fit in pane fermentato, non videtur permittendum, vt subditi, absq; necessitatis causa, ex Ecclesia Latina egrediatur ad Græcam, vt ibi in fermentato Eucharistiam accipiant: ne Orientalium consecrandi ritum præferre videantur ritui Ecclesiæ Romanæ, ab Apostolis per traditionem accepto. Sed alia ratio est, si Sacerdos latinus peregrinari debeat per terras Orientalium: is enim si velit, conformare se poterit Ecclesiæ Græcorum, & in fermentato consecrare, vel communicare, vti ex communi dixi lib. 1. tract. 4. cap. 12. num. 6. Propterea quòd ea consecrandi consuetudo approbata sit pro Ecclesiis Orientalibus in Concilio Florentino, in decreto vnionis: Iste autem peregrinus versatur in Ecclesia Græca: Ergo consuetudini ibi approbatæ se conformare potest: idque causâ pacis, & ne ritum Græcorum damnare videatur.

* * *

CAPITVLVM X.

Ex parte.

PARAPHRASIS.

Monachus quidam albi habitûs transiit ad Monachos nigros, eorúmque habitum induit, atque ad sacerdotium promotus est: Quæsitum fuit ex Innoc. III. Papa, vtrùm in sacerdotij ordine ministrare permittendus sit. Affirmat Innoc. III. si nullum aliud impedimentum canonicum obstet.

SVMMARIVM.

Monachus transiens absque licentia & dispensatione ad Ordinem alium non strictiorem, in quo sacerdotium accepit, permittendus est in eo liberè ministrare.

CAnonistæ duobus modis hoc c. intelligunt. Primò, quòd transierit ad Monachos regulæ strictioris. Sed tum nulla fuisset ratio dubitandi, & consulendi Pontificem; cùm transitus ad Ordinem strictiorem canonico iure permissus sit, licentiâ Prælati petitâ, quamuis nõ obtentâ, c. licèt, 18. de Regul. & docui lib. 4. tr. 6. c. 6. n. 9.

Alter, & probabilior intellectus est, quòd absque licentia & dispensatione transierit ad Ordinem non strictiorem. Quamobrem videbatur suspensionem Papæ reseruatam incurrisse, propter ordinem in apostasia susceptum, iuxta c. vlt. de apostatis, vbi habetur, quòd Religiosus in apostasia ordinatus, eo ordine vti non possit, absque Papæ dispensatione. Ad hoc respondet Innoc. III. Hunc Monachum apostatam non esse, cùm à Religione non omnino discesserit, sed in aliâ Religionẽ transierit. Quamuis ea in re peccarit mortaliter, arg. c. intelleximus, 12. de ætat. & qualit., & quidem contra vota sua, quibus se huic Ordini, ac Prælato tradidit: Imò hodie excommunicationem Sedi Apostolicæ reseruatâ incurrit Religiosus Ordinis Mendicantis, si ad non mendicantem Ordinem se transferat, extrauag. 1. de Regularibus. Vide Syl. ver. Apostata, q. 4.

CAPI.

CAPITVLVM XI.

Quod translationem.

PARAPHRASIS.

Quæsitum est ex Innoc. III. quid agendum sit Clericis latinis, qui exeuntes ad Ecclesiam græcam, à Græco Episcopo, secundùm ritus eorum, extra Quatuor ieiuniorum tempora ordines sacros susceperunt. Respondet Papa, distinguendum esse; Si absque licentia seu dimissorijs literis sui Episcopi ordines susceperunt, interdicendum est illis ordinis exercitium, eò quòd ab Episcopo alieno sine licentia proprij ordinati fuerint. Sin autem Episcopus licentiam dedit, culpandus quidem est, quòd Clericos suos secundùm Græcorum ritum ordinari voluerit; dum tamen talis ipsorum ritus ab Ecclesia toleratur, Clerici sic ordinati ab executione ordinum susceptorum impediri non debent.

1. *Qui ab alieno Episcopo sine licentia proprij Ordinarij ordinem suscipit, eius legitimam executionem non habet.*
2. *Ritus antiquus extra quatuor ieiuniorum Tempora ordinandi toleratur in Græcis; magis tamen probatur consuetudo Latinorum.*

1 NOTANDVM I. Qui ab alieno Episcopo sine licentia proprij ordinem accepit, eius legitimam executionem non habet. Quare hoc sensu, videl. in ordine ad exercitium, dicitur talis ordinatio irrita, d. 71. c. 1. & seqq. Verùm hæc non est propriè dicta suspensio, cùm etiam sine culpa contrahi possit ab eo, qui inuincibili ignorantia laborat. Nouiore autem Constitut. Pij II. propriè dicta suspensio incurritur ab ijs, qui sine dimissorijs literis ab Episcopo alieno sacrum ordinem accipere præsumpserint. Ad quam censuram incurrendam requiritur dolus, aut saltem culpa crassa & mortalis, vt i dixi lib. 5. Th. moral. tr. 9. c. 10. n. 8.

2 NOTANDVM II. Licèt propter consuetudinem antiquam in Græcis toleretur ritus extra quatuor ieiuniorum Tempora ordinandi; contraria tamen Latinorum consuetudo, vtpote antiquis canonibus consentanea magis probatur: quare permittendum non est, vt Latini, relicto suo more, Græcorum ordinationem suscipiant. Tametsi ex hoc solo capite, quòd extra quatuor Tempora à Græcis ordinati sint, nulla suspensio aut inhabilitas contrahi debeat: quia per eiusmodi inhabilitatem ad ordinis susceptì exercitium damnaretur ritus ille Græcorum, argum. c. cùm non est, eod. tit. quem tamen Ecclesia non damnare, sed tolerare vult.

CAPITVLVM XII.

In distribuendis.

SVMMARIVM.

Ordinatus à Papa, sine eius licentia ad superiores Ordines non promouetur.

QVi à Summo Pontifice ordinatus fuit, non potest ab alio Episcopo, absque Sedis Apostolicæ licentia, ad superioris ordinis gradum promoueri. Ita communiter hoc c. intelligunt Canonistæ.

Ratio est. Quia propter excellentiam Pontificiæ potestatis, non videtur conuenire, vt quod ipse cœpit, non perficiat, argum. c. sanè, 7. de renunt. Quare dicere solent; Si Papa semel manus apposuit, quòd alius se immiscere non debeat. Sic etiam dici solet de beneficijs Ecclesiasticis, postquam semel Pontifex manus apposuit, reseruando, aut quomodocunq; disponendo, quòd inferior Ordinarius disponere omnimodè prohibeatur, extrauag. vlt. de præbend. & dixi lib. 4. Th. moral. tr. 2. c. 11.

Est autem hoc speciale in Pontifice: Et videtur accipiendum de omnibus ordinibus, etiam prima tonsura, vt qui eam à Pontifice accepit, ab alio Episcopo, sine licentia Papali, ordinari non possit, propter rationem suprà datam. At verò ordinatus ab vno E-

piscopo v. g. originis, ad superioris ordinis gradum promoueri potest ab alio Episcopo, v. g. Domicilij vel beneficij, argum. c. cùm nullus, eod. tit. in 6. Excipe: Nisi Clericus in sacris, vid. Subdiaconus ordinatus sit ad Ecclesiæ seruitium, seu beneficium residentiam postulans, tum is ab alio Episcopo superiorem ordinem accipere non potest absque consensu prioris ordinantis, vti testatur Quaranta ver. ordo, Paulus Piasecius in praxi Episcopali, p. 1. c. 1. n. 2. ampliat. 2. ex Trident. sess. 23. c. 16. de reform.

CAPITVLVM XIII.

Literas.

Paraphrasis.

Electum Episcopum Imolensem Bononiensis Episcopus in Sabbato quatuor Temporum Diaconum ordinauit, atque Dominica sequẽte continuato ieiunio sacerdotium contulit. Qua in re peccatum fuisse, respondit Innoc. III. Quia vno die duos sacros ordines conferre licitum non est. Hoc autem casu duo sacri ordines vno die collati censentur: nam ideo ieiunium continuatum fuit, vt ob eam, fictione canonica, vespera ad manè, & manè ad vesperam traheretur, ac veluti vnius diei ordinatio censeretur. Alioquin frustra ieiunium continuatum fuisset, cùm etiam sumptâ cœnâ in Sabbato, manè sequente ieiuni surrexissent ad Sacerdotij collationem. Quare Innoc. Papa Episcopum Bononiensem, vt in eo puniatur, in quo deliquit, à collatione Diaconatûs & Presbyterij; Imolensem verò electum Episcopum ab executione Sacerdotij suspendit, absolutionem sibi reseruans.

Svmmarivm.

1. *Duos sacros ordines conferens & accipiens vno die incurrit suspensionem, vti & is, qui cum quatuor Minoribus suscipit Subdiaconatum.*
2. *Ob causam rationabilem potest differri sacrorum ordinum collatio, ieiunio Sabbati continuato vsque ad manè Dominicæ sequentis.*
3. *Qui in Sabbato Sacerdos initiatus est, in Dominica consecrari Episcopus potest, etiam non continuato ieiunio.*
4. *Inter aliorum sacrorum ordinum susceptionem interstitium temporis requiritur, in quo tamen Episcopus dispensare potest; ordinati tamen absque huius dispensatione suspensionem non incurrunt.*

Notandvm I. Qui vno die duos sacros ordines eidem confert, & qui accipit, suspensionem incurrunt. Qua de re dixi lib. 5. Th. mor. tr. 9. c. 10. n. 10. & videri potest Barbosa p. 2. de potest. Episc. allegat. 14. n. 11. Sed & ij suspensionem incurrunt, qui cum quatuor Minoribus Subdiaconatum accipiunt, c. 2. de ea qui furtiuè &c. præterquam si regionis consuetudò id permittat, vti Cardinales declararunt super Trident. sess. 23. c. 13. de reform. & videri potest Gutierez lib. 1. canon. qq. c. 26. n. 32.

Notandvm II. Propter multitudinem ordinandorum, aliámue causam rationabilem, generalis ordinatio differri potest vsque ad Dominicam, si ieiunium exactum continuetur, ita vt per fictionem iuris, Sabbati & Dominici matutini veluti vnus dies, propter ieiunij continuationem, reputetur. Ita Leo I. epist. 79. ad Dioscorũ, relatus in c. Quod à patribus, d. 75. & tradit Gl. hic communiter recepta, ver. pertinere, & dixi de hoc lib. 5. Th. mor. tr. 9. c. 8. n. 5. Vbi addidi n. 6. ex omnium sententia apud Anton. hic. n. 3. in fine. Eum, qui in Sabbato Sacerdos ordinatus est, in Dominica, non continuato ieiunio, Episcopum consecrari posse; cùm id nusquam prohibitum reperiatur. At verò inter aliorum sacrorum ordinum susceptionem interstitium temporis sacri canones requirunt, vt videre est in Trident. sess. 23. c. 11. 13. & 14. quibus requiritur, vt inter quatuor minores, & susceptionem Subdiaconatûs; atque iterum inter Subdiaconatum & susceptionem Diaconatûs

natûs, denique inter Subdiaconatum, & susceptionem sacerdotij saltem annus integer (Ecclesiasticus) interponatur, nisi ob ecclesiæ vtilitatem aut necessitatem aliud Episcopo visum fuerit. Potest igitur Episcopus dispensare, &, Sede vacante, Capitulum: Et quidem etiam cum Religiosis, tametsi exempti sint: possunt enim, cum Prælatorum suorum licentia, subijcere se Episcopo in suscipiendis gratijs dispensationum, vel absolutionum, vti dixi lib. 1. Th. mor. tr. 4. c. 25. n. 7. At verò cum non diœcesanis, seu alieno Episcopo subiectis non potest dispensare Episcopus ordinans, nisi id in literis dimissorijs expressum sit, vti Cardinales responderunt apud Barbosam p. 2. allegat. n. 9. Piasecium in praxi p. 1. c. 1. n. 7. Quare qui dimissorias impetrant, curât id inseri, alioquin in Ecclesijs, quibus Trid. Concilium in diligente obseruatione est, repellentur ante transacta interstitionum legitima tempora.

QVÆRES. Vtrùm ordinati absque Episcopi expressa, aut tacita dispensatione, interstitijs non obseruatis, censuram aliquam contrahât. Responsio est negatiua, cum Zerola in praxi Episc. p. 2. ver. ordo, §. 8. Suar. de censur. disp. 31. s. 1. n. 43. & aliorum. Quia licèt Sixtus V. suspensionem decreuerit, ea tamen à Gregor. XIV. postea sublata est.

CAPITVLVM XIV.

Vel non est.

PARAPHRASIS.

Episcopus Conuentrensis puerum tredecim annorum Subdiaconum ordinauit. Id ægrè ferens Innoc. III. mandat, vti Episcopus à collatione ordinum, puer autem in odium ordinantis ab executione officij Subdiaconi, vsquedum ad ætatem legitimam peruenerit, suspendatur: Insuper Episcopus per censuram Ecclesiasticam compellatur, vt puero beneficium Ecclesiasticum prouideat.

SVMMARIVM.

1. *Episcopus ordinans aliquem ante legitimam ætatem meretur pœnam suspensionis ab ordinis collatione.*
2. *Ordinatus tamen ante legitimam ætatem suspenditur ab Ordinis executione vsque ad ætatem legitimam.*
3. *Ordinans aliquem non habentem titulum sustentationis, vel patrimonium sufficiens, ei beneficium ecclesiasticum prouideri debet.*

NOTANDVM I. Episcopus aliquem ordinans ante legitimam ætatem, meretur pœnam suspensionis ab ordinis collatione; vt in eo puniatur, in quo deliquit. 1

NOTANDVM II. Qui ante legitimam ætatem ordinatus est, ab ordinis executione abstinere debet, donec ætatem debitam consequatur. Idque verum est, tametsi censura suspensionis ablata sit per absolutionem ab Episcopo, v. g. aut Confessario priuilegiato datam: non enim possunt super ætate ad ordinis exercitium requisita dispensare, vt docui lib. 5. Th. mor. tr. 9. c. 10. n. 3. 2

Veruntamen rectè aduertit Suarez de censuris disp. 28. s. 4. n. 3. puerum hunc propriè non incurrisse censuram suspensionis: nam suspensio propriè dicta non incurritur nisi ob culpam: Puer autem iste peccasse non videtur, sed per simplicitatem Episcopo paruisse. Sed vocatur suspensio latiore significatione, quia ob ætatis defectum prohibitũ ipsi erat ordinis suscepti exercitium: neque super ea re Papa dispensare voluit, propter iniuriam malè ordinantis, quam is ordinato, ipsique ordinationis sacramento intulit. Etenim inhabilitas seu prohibitio malè ordinati, vt ministerium exequi non possit, cedit aliquo modo in pœnam ordinantis, vti etiam notaui c. quod translationem, in fine.

Corollarium. Qui ob simplicitatem, seu ob ignorantiam non mortalem, sacris ordinibus se ordinari patitur, post adeptam legitimam ætatem celebrare potest, non petita dispensatione, vel absolutione: quia non fuit propriè suspensus.

NOTAN-

3 NOTANDVM III. Episcopus ordinem maiorem conferens non habenti titulum sustentationis, vel patrimonium sufficiens, beneficium Ecclesiasticum ei prouidere debet: Atque interea dum consequatur, ipse Episcopus, & successor eius hominem alere cogitur, c. Episcopus, 4. c. cùm secundùm, 16. de præbend. c. Si Episcopus, 37. eod. in 6. Vide quæ dixi cit. c. 10. n. 5.

CAPITVLVM XV.

Dilectus.

PARAPHRASIS.

Vacante Ecclesia Humilienſi, Canonici elegerunt, aut potiùs postularunt Guilielmum in minoribus ordinibus constitutum. Hinc Episcopus Trecensis vno die omnes tres sacros ordines contulit: Et cùm de hoc facto suo examinaretur, iuratus dixit, non proprio ausu, sed ex Metropolitani mandato id egisse; postea verò confessus fuit, sine mãdato se ad hanc inordinatam ordinationẽ processisse. Sed etsi Archiepiscopus illi mandasset, parere illi nõ potuisset: cùm Archiepiscopo in hac re facultas à sacris canonibus concessa non sit. Quare cùm dictus Episcopus Trecensis in pluribus grauiter deliquerit, ideo eum Honorius III. ab ordinandi potestate tamdiu suspendit, donec Sedi Apostolicæ visum fuerit absoluere.

SVMMARIVM.

1. *Episcopi & Archiepiscopi non possunt dispensare in vniuersalibus Ecclesiæ canonibus, nisi id ipsis concessum sit.*
2. *Si Superior aliquid iubet contra legem, in qua dispensare non potest non debet subditus obedire.*

1 NOTANDVM I. Episcopi, & Archiepiscopi dispensare non possunt in vniuersalibus Ecclesiæ canonibus, nisi id ipsis concessum reperiatur. Quæ de re dixi lib. 1. Th. mor. tr. 4. c. 22. n. 4.

2 NOTANDVM II. Si Superior aliquid iubeat contra legem, in qua dispensare non potest, non debet subditus obedire: quia ille transgreditur limites potestatis suæ. Sin autem Superior aliquid iubeat cõtra legem, in qua dispensare potest, debet illis obediri, quia tacitè seu ipso facto dispensare cẽsetur. Vt si Prælatus dispensandi potestate præditus subditum, quem irregularem esse scit, ad ordines suscipiendos mittat, sicuti dixi eod. c. 22. n. 7.

CAPITVLVM XVI.

Consultationi.

PARAPHRASIS.

Gregorius IX. consultus ab Archiepiscopo Baranensi de ijs, qui extra tempora statuta sacros ordines acceperunt; Respondet: Dubium nullum esse, quin sacrum characterem acceperint: Et quamuis ab executione ordinis suspensi esse debeant, tamen Archiepiscopum, post pœnitentiam ipsis pro delicto impositam, permittere posse, vt in ordine suscepto ministrent.

SVMMARIVM.

1. *A suspensione, aliáue censurâ, quæ indefinitè fertur, nec Papæ reseruatur, absoluere potest Episcopus, & similem Episcopali iurisdictionem habens, si reus depositâ contumaciâ Ecclesiæ parere velit.*
2. *Nisi tamen crimen à Clerico commissum sit depositione dignum.*

NOTANDVM VN. Si in canonibus suspensio, aliáue censura indefinitè feratur propter delictum, & Pontifici non reseruetur, censetur Episcopis aliisque similem Episcopali iurisdictionem habentibus concessa potestas absoluendi, si reus depositâ contumaciâ Ecclesiæ parere velit. Ita colligitur etiam ex c. ex literis, 11. de constitut. & c. nuper 29. de sent. excommun.

Idem.

idémque multò magis dicendum, si lex indefinitè iubeat suspensionem ob tale crimen à Iudice ferri, vti docet Suarez de censur. disp. 29. sect. 1. num. 18. Sin autem canon tempus definiat, quo suspensio durare debeat, tum inferior, videl. Episcopus, relaxare non potest. Qua de re dixi lib. 1. tr. 5. p. 3. cap. 4.

2 Deinde tradita doctrina limitari debet: Nisi crimen à Clerico commissum tale sit, ob quod secundùm canones deponi debeat, videl. vnum ex maioribus, seu enormibus, sicuti explicauit cit. p. 3. n. 2. §. crimina. Nam in talibus dispensare non potest Episcopus, etiam si clerici, 4. §. de adulterijs, de iudicijs. Id verò nunc intelligi debet de criminibus notorijs, aut ad forum contentiosum deductis. Si enim occulta sint, Episcopus pro foro conscientiæ absoluere & dispensare potest, homicidio voluntario excepto, per Concil. Trident. sess. 24. c. 6. de reform.

CAPITVLVM VIt.

Quæsitum.

Paraphrasis.

Quæsitum fuit ex Gregor. IX. Pontifice, quid agendum esset cum Clericis, qui adulterij, periurij, homicidij, aut falsi testimonij crimine se maculauerunt. Respondet Pontifex: Si talia crimina neque in populo notoria sint, neque per iudiciariũ processum comprobata, videl. per testes, aut propriam Rei confessionem; hoc casu Clerici criminosi post actam de crimine pœnitentiam, non debent prohiberi, quò minùs in susceptis ordinibus ministrent, & ad superiores ordines ascendant: excepto tamen homicidio. Sed ante actam pœnitentiam monendi, & diuini iudicij proposito metu, obtestandi sunt, vt ne cum periculo damnationis suæ, in susceptis ordinibus ministrare, multò minùs ad ordinem superiorem aspirare audeant.

Svmmarivm.

1. *Si crimen Clerici enorme vel populariter vel iudicialiter notorium sit, prohibendus is est ab executione Ordinis suscepti, & susceptione altioris.*
2. *Occultus criminosus post actam pœnitentiam in officio suo ministrare potest; excepto crimine homicidij.*
3. *Potest Sacerdos notoriè criminosus, & ab exercitio ordinis nõ prohibitus, post pœnitentiam & emendationem publicè notam iterum celebrare, saltem aliquo temporis internallo interposito.*

HInc per contrarium sensum colligi- 1
tur, si crimen eiusmodi enorme vel populariter, vel iudicialiter notorium sit, prohibendos esse Clericos ab executione ordinis suscepti, & susceptione altioris; idq; vel absolutè, si spectatis omnibus, pœna depositionis inferenda videatur, vel saltem ad tempus, donec plenè de commisso crimine satisfecerint.

Notandvm I. Crimen adulterij, incestus, periurij, falsi testimonij ipso iure non inferunt suspensionem, aut irregularitatem. Quare si facinus occultum maneat, Clericus post actam pœnitentiam de tali crimine, in officio suo ministrare potest. Excipitur autem crimen homicidij, quod etiamsi occultum maneat, irregularitatem conciliat, eámque non ab alio, quàm à Summo Pontifice dispensabilem. 2

Notandvm II. Ex hoc c. probabiliter colligitur, non tantùm Sacerdotes (de quibus dubium non est) sed etiam alios in sacris constitutos mortaliter peccare, si cum conscientia peccati mortalis in ordine suo ministrent, v.g. Diaconus Euangelium solemniter cantet. Sed hanc q. plenè disputaui lib. 5. tr. 1. c. 5. q. 4.

Qværes: Si Sacerdos v.g. fornicationem, vel adulterium in populo notorium commisit, sed ab Ordinario exercitium ordinis ipsi non prohibeatur, potéstne post pœnitentiam, & emendationem publicè notam, interposito saltem aliquo temporis in- 3

teruallo, iterum celebrare? Responsio est affirmatiua, quam docui lib. 1. tr. 5. p. 5. c. 4. q. 2. dicto 3. Quia, vt suprà dixi, nec suspensus, nec irregularis est. Infamiam quidem contraxit popularem; sed ea vti per crimen contracta fuit, ita per eius abolitionem, seu pœnitentiam tollitur,

CAPITVLVM. I. eod. Tit. in 6.

Sæpè.

PARAPHRASIS.

Clemens IV. prohibet, ne Episcopus aliquis Italiæ Clericum vltramontanum ordinare præsumat, nisi à Pontifice expressam licentiam acceperit, vel ab Episcopo suo literas patentes afferat, in quibus causa rationabilis contineatur, cur ipsum nolit, aut non possit ordinare. Si secùs factũ fuerit, ordinans pœnâ condignâ puniendus erit ordinatus verò manebit suspensus, vt à nemine, ne quidem à Pœnitentiarijs Sedis Apostolicæ sine speciali Pontificis licentia absolui possit.

SVMMARIVM.

Licèt Episcopus Italiæ vltramontanum ordinare nequeat sine speciali facultate Papæ, vel per patentes literas Episcopi sui; poterit tamen Italus vltra montes ordinari, si petat.

CIrca hanc Constit. quæritur primò; Vtrùm similiter locum habeat, si Italus vltra montes se ordinari cupiat? Videtur enim esse affirmandum; propter identitatem rationis. Sed bene negant Gl. ver. Italiæ, Ioann. Monach. Archidiac. Ancharanus, & alij plerique. Quia lex pœnalis, aut à iure antiquo exorbitans propter similitudinem rationis extendenda non est ad casum, vel personas non expressas, sicuti docet Gl. in reg. 49. in 6. ver. in pœnis. Neque obstat, tametsi rationem diuersitatis fortasse assignare nõ possimus: potuit enim legislatorem mouere ratio, quam nos ignoramus, cur de Italis, & non de vltramontanis tale statutum ediderit. Quo sensu Vlpianus dixit l. 28. ff. de legibus, quòd *non omnium, quæ à maioribus constituta sunt, ratio reddi potest*.

QVÆRITVR secundò: Vtrùm satis etiam sit, si dimissorię literæ, quales in textu requiruntur, ab Episcopo domicilij afferantur. Negat Gl. ver. emisit, quia in textu tantùm fit mentio de Episcopo originis, & de Episcopo beneficij. Sed contrarium rectiùs docent Ioan. Monachus, Archidiaconus, Ioan. Andr. Ancharanus. Quia hæc extensio vltra verba textus, propter omnimodam similitudinem rationis facta, aliis juribus consentanea est, vti apparet ex c. 3. hoc lib. & tit. Est autem id frequens, imò necessarium, vt vnum ius per alterum suppleatur, arg. c. cùm expediat, 29. de elect.

QVÆRITVR tertiò. Vtrùm huic pœnali constitutioni locus etiam sit, si Clericus vltramontanus in Italia primam tonsuram, vel ordines minores accipiat? Aliqui negant apud Ancharanum hîc. Quia in proœmio solùm fit mentio de susceptione ordinis sacri. Sed Gl. hîc ver. clericum, affirmat: quia constitutio generatim loquitur; vt nullus Episcopus vltramontanum clericum ordinare præsumat: cùm ergo ius non distinguat, nec nos distinguere debemus, arg. l. de pretio. 8. ff. de Publiciana. Alij verò distinguunt, vt Suarez disp. 31. sect. 1. n. 19. Textum intelligendum etiam esse de quatuor minoribus, non autem de prima tonsura: Quia primam tonsuram conferre propriè loquendo, non est clericum ordinare; cùm prima tonsura non sit ordo, neque ea clericis conferatur, sed laicis. Mihi placet sententia Gl.

Ad fundam. 1. sententiæ respondetur, Potiùs attendenda esse verba constitutionis, quàm quid in proœmio præmissum fuerit. Ad fundam. Suarez respondetur cum Gl. Quòd Episcopus vltramontano primam tonsuram conferens clericum ordinet, quando per eam clericũ efficit. Est id frequens in sacris canonibus, vt prima tonsura clericalis ordo dicatur, eiúsque collatio clerici ordinatio, vti constat ex c. Lugdunensis, 9. q. 2. & clariùs

clariùs ex c. cùm contingat, 11. de æt. & qualit. & optimè notauit Nauar. conſ. 11. hoc tit. edit. 2. Quare etiam pœna huius c. vt taliter ordinati abſque ſpe diſpenſationis ſuſpenſi maneant, locum habet in tonſuratis: quia tonſuræ collatio rata non cenſetur, in ordine ad ſuperiorem gradum ſeu ordinationem accipiendam, niſi in hoc caſu Papa ratificet ac diſpenſet.

CAPITVLVM II.

Eos qui.

PARAPHRASIS.

Qui Clericum alienæ diœceſis, abſque Superioris ſui licentia ſcienter, aut per ignorantiam affectatam, vel quemcunq; prętextum ordinare præſumpſerit, per annũ à collatione ordinum ſuſpenſus eſt: Et poſtquam ſuſpenſio ordinantis manifeſta fuerit, clerici ipſi ſubditi libera interim facultate gaudebunt ab Epiſcopis vicinis ordines accipiendi. Quod verò ad ordinatos attinet, circa eos ſeruanda ſunt priſtina iura d. 71. cap. 1. & ſeqq. quibus decernitur, vt eorum ordinatio irrita cenſeatur; non quòd charactęrem non acceperint, ſed quòd legitimam ordinis executionem non habeant, niſi cum ipſis diſpenſetur, vti etiam dictum fuit in c. quod translationem, 11. extrà, hoc tit. & optimè hic docet Ioan. Monachus, n. 8. vbi rectè etiam admonet, hanc non eſſe propriè ſuſpenſionis cenſuram; ſed inhabilitatem quandam, propter defectum ordinantis, vti etiam dixi lib. 5. tr. 9. c. 10. n. 2.

SVMMARIVM.

1. *Qui Clericum alienæ diœceſis abſque Superioris ſui licentia, ſcienter, vel per affectatam ignorantiam, aut quemcunque prætextum ordinare præſumpſerit, per annum à collatione Ordinum ſuſpenſus eſt.*
2. *Et probabiliter quidem omnium Ordinum, & non tantùm illius, quem ordinans ſubdito non ſuo malè contulit.*
3. *Epiſcopus ob cauſam, quæ ſibi viſa eſt rationabilis, alienum bona fide ordinans, non incurrit cenſuram ſuſpenſionis; ſecùs autem eſt, ſi temerè & ſine rationabili cauſa, ſiue ficto quodam prætextu ratihabitionis.*
4. *Neque circa pœnas & inhabilitates Trident. quidquam mutauit; requirit autem, vt ab Epiſcopo alieno ordinari cupiens literis dimiſſoriis à proprio Ordinario commendetur. Si ſecùs fiat, & ſacrum Ordinem aliquis ab alieno Epiſcopo ſine eius dimiſſoriis ſuſcipiat, propriè ſuſpenſionem incurret.*
5. *Hæc conſtitutio etiam locum habet in Prælatis Epiſcopo inferioribus, v. g. ſi ſubditis non ſuis ſine licentia Ordinarij ipſorum minores ordines conferant.*
6. *Epiſcopus ſubditos ſuos in aliena diœceſi ordinans, abſque licentia expreſſa Epiſcopi proprij, ab exercitio Pontificalium per annum; ſic autem ordinati ab executione ordinum ſuſpenſi ſunt.*
7. *Neque permiſſum eſt in loco exempto intra diœceſin ſito abſque Ordinarij licentia Epiſcopalia exercere, & Ordines conferre.*
8. *Vti nec in diœceſi aliena abſque Ordinarij licẽtia etiam primam tonſuram conferre poteſt ſuis ſubditis Epiſcopus.*

NOTANDVM Vn. Si Epiſcopus propter contractam cenſuram ordines non conferat, poſſunt ſubditi ad alium Epiſcopum ſe conferre: ſed incumbit illis probatio, quòd ordinatio in ſua Eccleſia peracta non fuerit propter cenſuram ſuſpenſionis aut excommunicationis ab Epiſcopo contractam, vti docet Rebuff. in praxi benefic. tit. de dimiſſorijs n. 19. Piaſecius p. 1. tit. 1.

QVÆRITVR primò: Vtrùm pœna ſuſpenſionis ſit à collatione omnium Ordinum, an eius tantùm, quem ordinans ſubdito non ſuo malè contulit; Quòd ſit ſuſpenſio à collatione eorum ordinum tantùm, qui malè collati ſunt, tenent Ioan. Monachus & Dominicus 1

hîc arg. c. vlt. hoc lib. & tit. *vt in eo* ordinans *in quo peccauit, puniatur*: & argum. c. si compromissarius, 37. de elect. ex quo habetur, quòd pœna canonis accommodetur ad materiam, de qua agitur. Hæc sententia probabilis est; sed contraria, quæ est Gl. hîc ver. ordinum, textui magis congruit: quandoquidem absolutè dicitur, ordinantem à collatione ordinum suspensum esse, & vbi censura eius manifesta fuerit, subditos ad vicinos Episcopos pro ordinatione accedere posse. Vbi autem lex non distinguit, nec nos distinguere debemus, arg. l. de pretio, ff. de Publiciana. Ad congruitatem prioris sententiæ respondetur, contrarium colligi ex c. vel non est, 14. extrà, hoc tit. vbi puerum ordinans in Subdiaconum, absolutè à collatione ordinum suspenditur. Loquitur autem textus huius c. duntaxat de ordinum collatione. Quid verò de collatione primæ tonsuræ in hoc casu statutum sit, habetur infrà c. vlt.

2

3 QVÆRITVR II. Vtrùm Episcopus censuram incurrat, si Clericum alienum ordinet, ea prætensione, quòd Episcopus proprius id ratum habiturus sit? Negat Rebuffus in praxi benefic. p. 1. de forma dimissor. Iter. num 11. Quaranta in summa, ver. ordo, §. Amplia hanc extrauag. Quia *non potest aliquis ratum habere, quod suo nomine gestum non est*, reg. 9. in 6. Affirmat Gl. in c. vlt. causæ 9. q. 2. ver. poterit, Suarez de censur. disp. 31. sect. 1. n. 17. Azor tom. 2. lib. 3. c. 48. q. 3. Respondeo; Si Episcopus ob causam, quæ ipsi rationabilis visa fuit, Clericum alienum bona fide ordinauit, existimans videl. proprium Episcopum contentum fore, non incurrit censuram suspensionis, quia non peccat mortaliter. Sin autem temerè, & sine rationabili causa, siue (vt in textu indicatur) ficto quodam prætextu ratihabitionis ordinauerit, incurrit censuram. Et verò nihil interest, vtrùm Episcopus postea contentus sit, nécne? Quia id solùm attendi debet, vtrùm Episcopus ob temeritatem peccauerit, ideóque censuram incurrerit, quæ superueniente ratihabitione tolli non potest. An verò sine temeritate egerit; quamuis postea Episcopus contentus non sit, non debet timeri censura. Ad reg. iuris 9. respondetur, Sensum regulæ esse; quòd aliquis actum, qui suo nomine gestus non est, ratum habere non possit, ita vt ex eo obligationem acquirat, tanquam ob iuris fictionem eius auctor aut mandator fuerit, iuxta reg. 10. in 6. Interim nihil prohibet, quin aliquis actum non suo nomine gestum superueniente consensu approbet, & quandoque confirmet, sicuti constat ex c. quod sicut, 23. de elect.

QVÆRITVR III. Vtrùm Trident. Concilium circa hanc rem quippiam mutârit Sess. 23. cap. 8. de reformat. Respondeo. Nihil mutasse circa pœnas, & inhabilitates: Requirit autem, vt ab Episcopo alieno ordinari cupiens, literis dimissoriis, seu testimonialibus à proprio Ordinario commendetur: *si secùs fiat, ordinans à collatione ordinum per annum; ordinatus verò à susceptorum ordinum executione, quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire, sit suspensus.* Quæ verba intelligi debent, vt sint conformia iuribus antiquis; videlicet si quis sacrum aliquem ordinem per dolum, vel culpam latam acceperit, ab alieno Episcopo absque literis dimissorijs, tum propriè suspensionem incurrat, ob Constitut. Pij II. *Cùm ex sacrorum*, adeò, vt si in suscepto ordine, ignorantiâ non excusatus ministret, irregularitatem incurrat, dispensabilem tamen ab Episcopo, si delictũ publicè notum non fit. Idque per Trident. concessionem Sess. 24. c. 6. de reform. Sin verò ordines minores tantùm acceperit ab Episcopo alieno absque dimissorijs, quamuis per dolum, vel si sacrum ordinem acceperit per simplicitatem, credens id sibi licitum esse, tum inhabilitatem quidem contraxit, vt sine proprij Ordinarij licentia in ordine suscepto ministrare non debeat, tamen propriè suspensus non est: neque ministrando in ordine irregularis fiet; tametsi Episcopi arbitrio puniri possit. Qua de re vide Zerolam, ver. dimissoriæ, ad 3. & 4. quæsitum.

4

6

QVÆRITVR IV. Vtrùm hæc Constitutio non tantùm locũ habeat in Episcopis, sed etiam alijs Prælatis v. g. Abbatibus, si minores ordines conferant subditis non suis sine licentia Ordinarij ipsorum. Responsio est af-

5

est affirmatiua, cum Gl. hic ver. eos qui. Nam canon generaliter loquitur de ijs, qui ordinant Clericum suæ parochiæ seu curæ non subiectum. Quare si Prælatus regularis diœcesanum sibi in spiritualibus non subiectũ, absque Ordinarij licentia, vel alterius Monasterij regularem, sine licentia Prælati ordinet, suspensionem à collatione Ordinum incurret ex hoc c. Sed cuius in hoc casu licentiâ opus est, Ordinisne Prælati, an Episcopi diœcesis? Respondeo, Opus est tum licentiâ seu literis testimonialibus Prælati regularis, tum verò etiam consensu Episcopi, vti Cardinales declararunt apud Gallemart super Trident. sess. 23. c. 10. de reform. Credibile tamẽ est, non contracturum Prælatum suspensionis censuram, si alterius tantùm consensum seu licentiam habuerit.

6 QVÆRITVR V. Vtrùm Episcopus subditos suos in aliena diœcesi ordinare possit? Respondeo & Dico I. Si Episcopus clericos, etiam sibi subditos, in aliena diœcesi ordinet, absque expressa licentia Episcopi proprij, ordinans ab exercitio Pontificalium per annum, & sic ordinati ab executione ordinum suspensi sunt. Ita Concil. Trident. sess. 6. c. 5. de reform.

Circa quam Constitut. Nota I. Eâ vniuersim prohiberi exercitium Pontificalium in diœcesi aliena; adeò, vt Episcopus in aliena diœcesi sacra vasa, aut calices etiam pro propriæ ecclesiæ vsu consecrare, aut subditis suis confirmationis sacramentum ministrare non possit, alioquin suspensionem incurrit à Pontificalibus, id est, omnibus actibus, qui episcopalis Ordinis proprij sunt.

Nota II. Quòd Concilium requirat licentiam expressam Episcopi proprij, ideóq; non sufficere præsumptam sub spe ratihabitionis. Si tamen Episcopus bona fide, existimans se non agere contra Concilium, neq; contra voluntatem Episcopi diœcesis, actum episcopalem exerceat, arbitror illum immunem fore à censura suspensionis: quia ea non incurritur nisi ob culpam, eámq; mortalem, vt dixi lib. 1. Th. mor. tr. 3. p. c. Quamuis contrariũ in hoc casu responderit Nauar. lib. 5. Consil. 12. de cler. excom. ministr. edit. 2. Zerol. in praxi p. 2. ver. Episcopus, n. 2. Sed alia ratio est de ordinatis: Horum enim ordinatio facta extra diœcesin sine Episcopi ordinarij consensu irrita censetur quoad executionem, tametsi fortè ipsi non peccarint, existimãtes v. g. Episcopum suum ordinandi licentiam habere, iuxta c. Episcopum, 7. causa 9. q. 2. Etenim sicut sententiæ à iudice nõ suo, vel à iudice extra territorium lata irrita est, ita secũdùm canones ordinatio ab Episcopo non suo, vel à suo extra diœcesin habita, irrita censetur in ordine ad legitimam executionem.

Dico II. Neq; concessum est Episcopo in loco exempto intra diœcesin sito, Episcopalia exercere, & Ordines conferre, sine consensu Episcopi ordinarij. Sin autem locus exemptus sit extra diœcesin, seu nullius diœcesis, tum sufficit licentia seu vocatio Prælati exempti. Ita declararunt Cardinales super Trident. sess. 6. c. 5. 7

Dico. III. Non desunt DD. qui dicunt, Episcopum in diœcesi aliena, absque Ordinarij licentia, primam tonsuram suis subditis conferre posse. Ita Rebuf. in praxi, p. 1. tit. de Clericis, & à quibus creentur, n. 11. Azor tom. 2. lib. 3. c. 48. q. 3. Henriq. lib. 2. sum. c. 6. §. 6. Ratio reddi potest: Quia collatio primæ tonsuræ non tam propriè inter actus Pontificales numeratur; cùm etiam ab ijs interdum conferatur, qui insignia Pontificalia non gerunt, vt dixi in c. 2. de suppl. negl. Prælatorum. Hæc sententia displicet Barbosæ p. 2. allegat. 6. n. 19. Et non immeritò, cùm in iure fundamentum non habeat. Negari autem debet, primæ tonsuræ collationem non esse actum Pontificalem, cùm spectato communi iure, & spectata prima institutione solis Episcopis competat. Apparatus autem, seu insignia Episcopalia accidentaria sunt, quorum omissio non facit actum Episcopalem non esse. Quare Nauar. in consil. 12. de Cleric. excommun. ministr. edit. 2. benedictionem corporalium, quæ tamen fit absque Pontificalibus, inter actus Pontificales numerat. 8

CAPITVLVM III.

Cùm nullus.

PARAPHRASIS.

Cùm sacris canonibus prohibetur, ne quisquam Clericum ordinet absque licentia ordinarij Superioris sui, hoc nomine intelligi debet Episcopus eius diœcesis, ex qua oriundus est ille, qui ad ordines promoueri cupit, vel in qua beneficium obtinet, vel in qua domicilium habet.

SVMMARIVM.

1. *Episcopus originis, domicilij vel beneficij iure communi Ordines conferre, & literas dimissorias dare potest.*
2. *Inferiores autem Prælati non nisi ex speciali indulto, vti & Officialis & Vicarius Generalis literas dimissorias dare possunt.*
3. *Nec Capitulum Sede vacante, exceptis quibusdam casibus.*
4. *Prælati regulares possunt dare subditis suis regularibus (non secularibus) literas dimissorias, sed ad Episcopum eius diœcesis, in qua situm est Monasterium, cuius incola est Regularis ordinandus.*
5. *Plerique tamen Ordines exempti possunt dare suis subditis Regularibus dimissorias ad quemcunque Episcopum Catholicum, à quo etiam ij ordinari possunt.*

1 NOTANDVM Vn. Triplex est Episcopus, qui ordines iure communi & ordinario conferre potest; & consequenter dimissorias literas dare: (Quod enim quis per se facere, id etiam alteri capaci committere potest, iuxta reg. 68. in 6.) Videl. Episcopus originis, Episcopus beneficij, Episcopus domicilij, vti fusè explicaui lib. 5. Th. mor. tr. 9. c. 9, assert. 4.. Addit Barbosa p. 2. allegat. 7. n. 4. Si Episcopus ex priuilegio, vel præscripta consuetudine ordines quibusdam conferre possit, eum etiam litteras dimissorias dare posse. Quomodo in Trident. Concil. sess. 23. c. 9. de reformat. concessum est, vt Episcopus Clericum familiarem, seu domesticum, alioquin non subditum, si triennio cum ipso commoratus sit, ordinare possit; modò ei statim beneficiũ conferat. Vbi Cardinales declararunt, eadem ratione dimissorias literas ipsi dari posse. Porro quod hoc c. de ordinum collatione dicitur, etiam de prima tonsura intelligi debet; cùm & hæc ordinatio quædam sit, vt suprà dixi c. 1. hoc lib. & tit.

§. Inferiores.

2 INferiores Prælati, etiam Regulares, non possunt literas dimissorias ad alienum Episcopum dare, nisi id eis à Sede Apostolica specialiter indultum sit, quòd Clericos aut subditos suos, ad quem voluerint Episcopũ, ordinandos mittere possint. Sed neque Officialis, seu Vicarius Generalis Episcopi literas dimissorias dare potest.

Id verò limitari debet I. Nisi Vicarius ab Episcopo speciale mandatum, vel licentiam dandi dimissorias acceperit, vti Gl. notauit ver. extendat. II. Nisi Episcopus in partes remotas abscesserit, vti in hoc c. dicitur. §. Episcopo. Monent tamẽ Iac. Sbroza de Vicario Episc. lib. 2. q. 41. n. 12. Piasecius in praxi Episcop. p. 1. c. 1. n. 10. non esse satis tutum, vt Vicarius absente Episcopo sine mandato speciali dimissorias concedat. Sed in hoc spectanda ex consuetudo diœcesis, & quæ sit censenda voluntas Episcopi absentis. Vide in declarat. prætermissis super Trident. sess. 23. c. 11. de reform.

His adde ex Trident. sess. 23. c. 10. de reformat. Quod neque exemptis Prælatis concessum est literas dimissorias subditis suis secularibus ad alterum Episcopum dare, cùm eorum ordinatio spectare debeat ad Episcopum diœcesis, intra cuius fines exemptus Prælatus habitat. Præterea, licèt olim Sede 3 Cathedrali vacante Capitulum ordinandi licentiam, aut literas dimissorias concedere potuerit,

potuerit, vti hic apparet in cit. §. Episcopo; tamen ea facultas, exceptis quibusdam casibus, ablata est in Trident. sess. 7. c. 10. de reform. & dixi lib. 1. tr. 4. c. 7. n. 16. Quare hodie ordinatio, Sede vacante, fieri non potest intra annum. Quod tamen intelligi debet de ordinatione subiectorum: interim non prohibetur Capitulum in diœcesi sua exteros ordinandi alicui Episcopo licentiam dare, vt docet Henriq. lib. 10. c. 22. Piasecius p. 1. c. 1. n. 10.

§. Religiosi.

SI Monasterium situm in vna diœcesi prioratum habeat in alia diœcesi, eúmq, non exemptum ab Episcopo loci, tum qui in prioratu illo cum Superiorum facultate degunt, ordinari possunt ab Episcopo eiusdem loci seu diœcesi, licèt inde oriundi non sint.

Nunc verò habemus expressiorem de hac re Constitutionem Clementis VIII. apud Quarantâ in sum. Bullarij, ver. ordo, Barbosam p. 2. alleg. 7. n. 18. & in declarat. Cardin. prætermissis, super sess. 23. Trident. c. 10, 4 Quòd Regulares Prælati literas dimissorias subditis suis itidem regularibus (non autem secularibus sub pœna suspensionis ab officio & beneficio, cit. sess. 23. c. 10.) dare possint; sed ad Episcopum diœcesanum, nempe eius diœcesis, in qua situm est Monasterium, in quo à Superiore posit⁹ est Regularis ordinandus; ea tamen limitatione, vt si Episcopus ille absens sit, vel ordinationes non habiturus, tum Regularis ad quemcunque alium Episcopum mitti possit, à quo examinandus erit quoad doctrinam: dummodò ne quid in fraudem fiat, seu non de industria differatur concessio dimissoriarum ad proprium diœcesanum (v. g. donec Sedes vacet, & nulla ibi ordinatio sit) vt ad alienum Episcopum literæ dirigi possint. Porrò si ob causam absentiæ, vel non habitæ ordinationis, dimissoriæ ad alium dirigantur Episcopum, ea in literis exprimenda erit. Vide etiam Trident. ead. sess. 23. c. 12. de reform. Rodriq. tom. 1. q. 18. a. 6.

QVÆRES: Vtrùm hæc intelligi etiam de- 5
beant de Prælatis Regularibus exemptis ab Episcopo, quòd Regulares suos mittere debeant ad Episcopum eius diœcesis, in qua Monasterium eorum situm est. Videtur esse affirmandum; cùm Clemens VIII. nihil distinguat inter exemptos, & non exemptos. Cęterique tamen Ordines exempti priuilegium à Sede Apostolica acceperunt, quòd à quocunque Episcopo Catholico cum Prælatorum suorum licentia seu literis dimissorijs ordinari possint, vt videre licet apud Rodriq. tom. 1. q. 18. a. 5. Mirandam in man. Prælatorum tom. 1. q. 39. a. 3. Compendium Societ. IESV, ver. ordo. Neque talibus priuilegijs repugnat Concil. Trident. cit. sess. 23. c. 10. cùm tantùm prohibeat regularibus Prælatis, etiam exemptis, ne secularibus subditis suis dimissorias ad alios Episcopos concedant. Cæterùm, si Prælatus exemptus regularis, vel secularis, quasi Episcopalem in loco iurisdictionem obtineat, quòd propter immemorialem consuetudinem dimissorias subditis suis secularibus dare possit, ex responsione Rotæ Rom. tradit Piasecius p. 1. c. 1. n. 12.

CAPITVLVM VIt.

Nullus.

PARAPHRASIS.

Hoc c. quatuor prohibentur: Primum. Ne quisquam Episcopus, aliúsue infanti, id est, qui septem annos ætatis non impleuit, primam tonsuram conferat: Præterquàm si Religionem ingrediatur, videl. à parentibus, vel tutoribus oblatus, vt olim moris erat. Quod annotauit hîc Ancharanus.

Secundum. Ne prima tonsura conferatur homini illiterato, id est, qui literas latinas omnino nescit, vt idem Ancharanus annotauit. Vide Trident. sess. 23. c. 4. de reform.

Tertium. Ne quisquam tonsuram primam conferat homini diœcesis alienæ, absque

absq; licētia Superioris, id est, Episcopi, vti constat ex c. præc. & notat Gl. hîc ver. Superioris. Tametsi enim in c. præc. duntaxat statutū esse videatur de ordinatione strictè sumpta, quòd Clerico alienæ diœcesis absq; licentia, seu dimissorijs literis Episcopi proprij fieri non possit, idem tamen sentiendum quoq; est de collatione primæ tonsuræ, vti cōstat ex hoc c. & c. primatus, d. 71. Quare etiam prima tonsura ab alieno Episcopo malè collata irrita censeri debet. ita vt sine dispensatione Episcopi ad vlteriorem ordinem ascendere non possit. Censura tamen maior seu seuerior incurritur ab eo, qui ordinem tonsurato confert, quàm ab eo, qui primam tonsuram, vti dictum est in c. 2. hoc lib. & tit.

Quartum. Ne prima tonsura conferatur coniugato, nisi Religionem intrare, vel ad sacros ordines promoueri velit. si tamen vxor etiam Religionem ingredi, vel in seculo manens continentiæ votum edere velit, dummodò hoc casu talis ætatis sit, vt extra incontinentiæ periculum esse videatur. Qua de re in c. cùm sis, c. cōiugatus, c. vxoratus, de conuers. coniug.

Qui autem contra hæc fecerit, per annum à collatione tonsuræ clericalis tantùm ipso iure suspensus manet: vt videl. in eo, in quo peccauit, puniatur.

SVMMARIVM.

1. *Si Episcopus proprius suspensus est, non tamen diœcesani liberè possunt ad alium Episcopum pro susceptione clericalis tōsuræ accedere.*
2. *Potest autem Episcopus suspensus (vti & confirmatus ac nondum consecratus) dare literas dimissorias ad alienum.*

QVÆRITVR hîc primò: Si Episcopus proprius suspēsus sit, vtrùm diœcesani libere ad alium Episcopum pro susceptione clericalis tonsuræ accedere possint? Negat hîc Gl. fin. communiter recepta: cùm id nullibi expressum sit; sed tantùm clericis, quòd Episcopo suspenso propter alienæ diœcesis Clericum ordinatum, ad alium Episcopum accedere liceat, c. 2. hoc lib. & tit. Potest verò Episcopus suspensus in hoc casu dare literas dimissorias ad alienum Episcopum, sicuti Episcopus confirmatus, ac nondum consecratus, teste Ioann. Andr. & Anchorano hîc.

QVÆRITVR secundò: Vtrùm hæc pœna extendenda sit ad eos, qui ordines v. g. minores conferunt infanti, illiterato, aut coniugato? Ita affirmat S. Anton. in sum. p. 3. tit. 28. c. 4. Sed contrarium est tenendum: Quia lex pœnalis propter rationis identitatem extendenda non est vltra casum expressum. Adde, specialiter prohibendum fuisse, ne prima tonsura conferatur inhabilibus personis; cùm ea sit veluti ianua, per quam homines ad statum clericalem admittuntur, vti Suarez annotauit de censur. disp. 31. 5. n. 3.

TITVLVS XII.

DE SCRVTINIO IN ORDINE SERVANDO.

AGitur de scrutinio, id est, examine, quod ante ordinationem institui debet, num idonei sint, qui ordinationem petunt, iuxta c. 2. d. 24. Hoc autem examen ad Episcopum ordinarium pertinet, qui si dimissorias literas dare velit ad alium Episcopum, prius examen de vita ac moribus ordinandi instituere

tuere debet; vti constat ex Trident. sess. 23. c.3. de reform. Nisi malit examen hoc institui ab Episcopo, qui ordinaturus est, sicuti Cardinales ibid. declararunt.

Corollarium. Si ad alienum Episcopum literas dimissorias afferat ordinandus, inspiciat Episcopus literas: Et, si videat, illum de moribus, doctrinâ, sustentationis titulo sufficienter commendari, non opus erit eum examinari: potest tamen, si velit, eum examinare, præsertim in doctrina, vt tantò securior sit in conscientia. Sin autem de doctrina & similibus non commendetur, relinquitur examini ordinatoris, qui si hominem, siue commendatum, siue non commendatum idoneum non reperiat, non debet illum ordinare. Ita docet Piasecius in praxi, p. 1. cap. 1. num. 8. Abb. in c. cùm secundùm, 16. n. 6. de præb. vbi monet, & habetur in c. Si Episcopus, 37. de præb. in 6. Si quis ab alieno Episcopo cum literis dimissorijs absque titulo sustentationis ordinetur, eum non ab ordinante, sed à proprio Episcopo, qui dimissorias dedit, alendum fore.

Quod sanè ordinariè verum est: Interdum tamen accidit, vt qui longo tempore absens est, ignotus est, petat ab Episcopo originis dimissorias, isque totam causæ indaginem committat Episcopo loci, vbi ordinandus pro tempore versatur: tum huic omnis cura & obligatio incumbere videtur.

De examine ante generalem ordinationem instituendo legere potes, quę Gratianus congessit d. 24. præsertim c. quando, in Concil. Nannetensi, c. 11. quòd Episcopus à latere suo eligere debet sacerdotes, & alios viros prudentes, & exercitatos, *qui ordinandorum vitam, genus, patriam, ætatem, institutionem, locum, vbi educati sunt, si sint bene literati, & instructi in lege Domini, diligenter inuestigent, ante omnia si Fidem Catholicam firmiter teneant, &c.*

De Episcopi verò examine à Metropolitano instituendo, antequam ei consecrationem conferat, leges in c. Qui Episcopus, d. 23. quod sumptum est ex Concil. IV. Carthaginensi, cui S. Augustinus interfuit. Id verò obseruatum olim fuit, cùm approbatio seu confirmatio Episcopi electi ad Metropolitanum pertinebat. Postea quam verò Summi Pontifices Ecclesiarum Cathedralium prouisiones sibi reseruarunt, inquisitio seu processus super promouendis ad Episcopatum in Curia instituitur: In Germania autem electus à Capitulo se viciniori Episcopo examinandum tradit super certis articulis per testes iuratos adstruendis: eiusque examinis processus Romam mittitur, ad confirmationem electo ritè examinato & probato impetrandam.

Articuli autem examinis instituendi proponuntur à Gregor. XIV. in Bulla, quæ incipit: *Onus Apostolicæ*, apud Quarantam ver. electio, fol. 309. An promouendus in Episcopum ex legitimo matrimonio, atque ex Catholicis parentibus natus sit. An ætatis trigesimum annum compleuerit. An saltem sex mensium spatio in sacro ordine constitutus fuerit, iuxta Trident. Constitut. sess. 22. c. 2. de reformat. An in Theologia vel iure canonico Doctor, aut Licentiatus creatus, vel saltem publico alicuius Academiæ, vel aliorum probatorum & expertorum testimonio ad alios docendos idoneus iudicatus sit, ead. sess. 22. c. 2. Vtrùm sit bonæ famæ, vitæ integræ, ac probatæ: num in ecclesiasticis functionibus versatus, prudens, ac rebus gerendis idoneus.

CAPITVLVM VII.

Ex parte.

PARAPHRASIS.

Consuetudo est in Ecclesia Romana, vt Archidiaconus Pontifici ordinandos Diaconos, vel Presbyteros præsentet, postulans nomine totius Ecclesiæ, vt hunc, vel hos Subdiaconos ad ordinem Diaconatus; hunc, vel hos Diaconos ad ordinem Presbyteratus promouere velit. Tum Pontifex interrogat, vtrùm eum, qui præsentatur, dignum esse cognouerit: Ad hoc respondet Archidiaconus, quantum humana fragilitas nosse finit, scire se ac testifi-

cari, illum dignum esse. Quòd si verò accidat, hominem reuerà indignum esse, non peccat Archidiaconus, dummodo non loquatur contra conscientiam: quia non absolutè testificatur eum dignũ esse, sed in quantũ humana fragilitas nosse sinit: quãdoquidem eum, quem indignum esse non nouit, dignum æstimare debet. Quamobrem Episcopus tali testimonio contentus ad ordinandum procedere potest, nisi fortè de indignitate ordinandi ipsi constet. Quo casu, si quis in Episcopum consecrandus esset, is qui ad consecrandum destinatus est, priùs Metropolitanum de hominis indignitate admonere deberet, quàm ad publicum scrutinium deueniretur. Quamquam Ecclesia Romana non ante Episcopi consecrationem, sed ante Diaconi, vel Presbyterij ordinationem dictum scrutinium præmittere solet.

Svmmarivm.

1. *Testes deponentes de alicuius innocentia, potestate, aut idoneitate ad officium, beneficium, ordinem, potiùs de credulitate, quàm veritate testantur.*
2. *Debent tamen ij habere sua credulitatis probabilia, & bene examinata indicia: si autem persona ignota foret, & nulla inquisitio præmissa, testificari de eius qualitate non possent.*
3. *Defectum occultum, vel impedimentum alicuius sciens, ob quod ad ordines promoueri, vel matrimonium contrahere non possit, post secretam monitionem (quam præmittere tenetur, si se aliquid profecturum arbitretur) frustra adhibitam, debet id ad Superiorem deferre.*
4. *Archidiaconus occultum sciens defectum illius, quem Episcopo præsentare debet, videátq; se nec priuata monitione, neq; delatione ad superiorem, quicquam profecturum, eâ vice declinet officium præsentandi, si sine suspicione, vel infamatione potest: si non potest, dicat verba illa in Pontificali præscripta: Quantum humana fragilitas nosse sinit, scire se ac testificari præsentatum esse dignum.*

Notandvm I. Testes deponentes de alicuius innocentia, probitate, aut idoneitate ad officium, beneficium, ordinem, testantur potiùs de credulitate sua, quàm de veritate: Id est, se verisimiliter credere, seu existimare hominem probum, dignum esse; quamuis absolutè loquendo, propter humanam fragilitatem, decipi atq; errare possint. Qua de re dixi lib. 4. tr. 2. c. 4. n. 4.

Requiritur tamen ad eiusmodi testificationem, vt testis habeat probabilia & bene examinata indicia, quæ prudẽtem existimationem gignant de personæ innocentia, vel probitate & idoneitate. Sin autem persona ignota alicui esset, nullámque de ea inquisitionem præmisisset, tum de eius qualitate testificari non posset; quin potiùs prudenter dubius maneret, bonúsne an malus, dignus an indignus esset, de cuius promotione agitur, iuxta ea quæ dixi lib. 3. tr. 3. p. 2. c. 2. asserti. 4. Idque quàm maximè locum habet, si quæratur de qualitatibus extrinsecis, seu adiectitijs, videl. ætate, doctrina, &c. hæ enim qualitates non præsumuntur, sed ostendi debent. Veruntamen post institutum examen, aut commendationem ab alijs fide dignis acceptam, Archidiaconus, aliúsue præsentator, rectè respondet, æstimare se idoneum, ac dignum, qui ordinetur, quando nullum in eo crimen aliúsue defectus apparuit. Ita explicat hìc Anton. Butrio, n. 6. cùm Innocentio, & alijs.

Notandvm II. Si quis occultum alicuius defectum seu impedimentum sciat, ob quod ad ordines promoueri, vel matrimonium contrahere non possit; atque per secretam monitionem, (quam præmittere tenetur, si se aliquid profecturum arbitretur) hominem à proposito sacramenti accipiendi, amouere non possit, debet id ad Superiorem deferre, vt rem impediat. Idque maximè locum habet in eo, qui ad Sacramentum accipiendum aliquo modo concurrere debet, videl. Episcopus Comprouincialem electũ consecraturus, aut Parochus parochianum matrimonio iuncturus. Cùm enim isti ob defectum iurisdictionis de crimine alióue defectu occulto efficaciter inquirere non possint,

possint, sed neque publicè accedentem repellere: opus est, vt ad Superiorem res deferatur, vid. ad Metropolitanum aut Papam; si agatur de consecratione Episcopi non idonei; vel ad Episcopum, si agatur de matrimonio diœcesani occulto impedimento laborantis, iuxta c. vlt. de clandest. desponsat. & docui lib. 3. tr. 3. p. 2. c. 4. n. 10.

QVÆRVNT hîc DD. Quid agendum sit Archidiacono, si occultum defectum nouerit
4 eius, quem Episcopo præsentare debet. Respondeo. Si nec priuata monitione, neque delatione ad Superiorem quippiam se profecturum videat, quia ipsi fides non habebitur; cùm crimen ostendere non possit. Tunc operam dare debet, si sine suspicione aut infamatione possit, vt officium præsentandi ea vice declinet. Sin autem declinare non possit, dicat verba illa, quæ secundùm præscriptum Pontificalis dici solent. Neque enim mentitur, aut contra conscientiam loquitur; cùm ea verba proferat vt persona publica, seu in persona Ecclesiæ: quo sensu verum dicit, si defectus occultus mansit, & in præcedente examine aut inquisitione non proditus. Ita docent Innocent. Ioan. Andr. n. 10. Anton. Butrio in fine c.

TITVLVS XIII.

DE ORDINATIS AB EPISCOPO, QVI EPISCOPATVI RENVNTIAVIT.

CAPITVLVM I.

Requisiuit.

PARAPHRASIS.

EX Alexandro III. quæsiuit Toletanus Archiepiscopus de Clericis, qui ab Antecessore suo, postquam is Episcopatui renuntiauit, ordinati sunt, vtrùm in susceptis ordinibus ministrare possint. Respondet Papa, esse distinguendum: Vel enim loco tantùm renuntiauit, & non dignitati; vel loco simul, & dignitati. In primo casu ius habet ordines conferendi, sicut antea, si ab aliquo Episcopo rogatus sit, vt subditos suos ordinet. In secundo autem casu refert, vtrùm sacros, vel minores ordines contulerit. Si enim aliquis à tali Episcopo ordines tantùm minores, seu vsque ad Subdiaconatum (exclusiuè) acceperit, nullam suspensionem vel inhabilitatem contrahit: quandoquidem ij ordines quandoque etiam à non Episcopis (v. g. ab Abbatibus) conferuntur. Sin autem sacros ordines à tali Episcopo, & quidem scienter acceperit, executione ordinum priuatus esse debet. Sin autem ob ignorantiam, tum, nisi crassa vel supina fuerit ignorantia, proprius Episcopus cum eo dispensare potest.

SVMMARIVM.

1. *Episcopus renuncians non tantùm loco, sed etiam episcopali dignitati, actus episcopales, saltem ei proprios, exercere non potest.*
2. *Episcopus inhabilis ad ordines legitimè conferendos, non reddit eos, quos ordinat, habiles ad executionem legitimam Ordinum ita susceptorum.*
3. *Inhabilitas ista non est propriè censura*

suspensionis, sed potiùs quædam irregularitas, quæ tolli debet per dispensationem Papæ, si ea contracta sit per culpam mortalem notoriam; Episcopi autem, si per ignorantiam inculpatam, aut saltem non crassam, Ordinem sacrum Clericus ita acceperit.

4. *Episcopus regiminis tantùm, & non etiam dignitati renuntians, si alicui absque licentia ordinarij Episcopi Ordinem sacrum conferat, ordinatus ordinis suscepti executione priuatus est; potest tamen cum eo Ordinarius dispensare.*

1 NOTANDVM I. Episcopus interdum renuntiat loco tantùm, id est, officio & administrationi Episcopali; retinens tamen dignitatem, quam habet ex consecratione, vt possit actus Pontificales exercere. Interdum verò renuntiat tum loco, tum dignitati. Quo casu actus Episcopales exercere non potest, saltem eos, qui Episcopali dignitati ita proprij sunt, vt ab inferioribus sacerdotibus cõferri non soleant. At verò facultati ordines minores conferendi, calices, & paramenta sacra benedicendi &c. non censetur renũtiasse Episcopus, cùm Episcopali dignitati renũtiauit: quãdoquidem tales actus etiam à non Episcopis interdum exercentur, & renuntiatio strictæ interpretationis esse debet. Semper tamen requiritur licentia Episcopi proprij, vt Diœcesani eius etiam in minoribus ordinentur ab Episcopo, qui Episcopatui renuntiauit, vti bene Host. notauit hoc tit. §. Quid iuris. Vide quæ dicta sunt in c. quod translationem, 11. de renunt.

2 NOTANDVM II. Si Episcopus habilis non sit ad ordines legitimè conferendos, non efficit eos, quos ordinat habiles, ad vsum seu executionem legitimã ordinum ita susceptorum. Non enim plus aliquis dare solet, quàm in potentia habet: Episcopus autem, qui ordini ac dignitati Episcopali renuntiauit, vel qui excommunicatus vel suspensus, itémq; denuntiatus est, &c. is characterem quidem Episcopalem habet, sed potestatem ordines legitimè conferendi non habet: Ergo sequitur, quòd characterem quidem ordinatis conferat, ita vt ordine susceptо validè vti possint; potestatem autem legitimè exequendi non conferat.

NOTANDVM III. Inhabilitas ista non est propriè suspensionis censura; sed potiùs irregularitas quædam; cùm etiam absq; culpa, & cum inuincibili ignorantia contrahi possit. Quamobrem non per absolutionem, sed per dispẽsationem tolli debet: quamuis cum discrimine. Si enim sciẽter quis, vel per culpam mortalem, ordinem sacrum acceperit ab Episcopo, qui tam regiminis, quàm ordini & dignitati Episcopali renuntiauit, tunc dispensatio Sum. Pontifici reseruatur; quod spectato iure nouo, Trident. sess. 24. c. 6. de reformat. intelligitur, si facinus notorium sit. Sin autem per ignorantiam inculpatam, aut saltem non crassam, ordinem sacrum Clericus ita acceperit, Episcopus cum eo dispensare potest. 3

QVÆRES. Quid si Episcopus, qui regiminis tantùm, non dignitati renuntiauit, sacrum ordinem alicui conferat, absque ordinarij Episcopi licentia? Respondeo, cum Suarez de censur. disp. 31. sect. 1. suspens. 1. Ordinatos ordinis suscepti executione priuatos esse, non quia ordinati sunt ab Episcopo, qui renuntiauit; sed quia ab alieno sine proprij Episcopi licentia ordinem acceperunt. Veruntamen in hoc casu Episcopo ordinario absolutè conceditur dispensandi facultas, Trident. Sess. 23. c. 8. de reform. & dixi suprà in c. tit. q. de tempor. ordinat. in 6. 4

CAPITVLVM II.

Cum Clericis.

SVMMARIVM.

1. *Cum Clerico, qui ab Episcopo excommunicato per ignorantiam ordinatus est, potest Episcopus proprius dispensare.*
2. *Clericus graui metu adactus, vt ab Episcopo, qui renunciauit episcopali dignitati, excommunicato, suspenso, simoniaco, eóq; denunciato, ordines accipiat, inhabilitatem ad Ordines, & quandam quasi irregularitatem contrahit.*

Si Cle-

SI Clericus ab Episcopo excommunicato per ignorantiam ordinatus fuerit, Episcopus proprius cum eo dispensare potest. Hinc autem per sensum contrarium colligitur, si Clericus scienter vel per ignorantiam crassam, ab excommunicato ordinem acceperit, Episcopum dispensare non posse, vt in susceptis ordinibus ministret, aut ad altiores ascendat. Consentit c. ordinationes, 5. causa 9. q. 1.

Ratio est: Quia excommunicatus non habet potestatem legitimam ordines conferendi: ergo qui ab eo ordinantur, non recipiunt ius exercendi ordines legitimè, sicuti præc. c. argumentatus sum, argum. c. quod autem 5. de iure patron. *Pro non dato habetur, quod datur ab eo, qui de iure dare non potest.* Et habet hæc ratio locum in Episcopis hæreticis, schismaticis, alijsque excommunicatis; item in depositis, ab ordine suspensis, interdictis, denique & in simoniacis, c. si quis à simoniacis, 108. causa 1. q. 1. Cæterùm post Extrauag. Concil. Constantiens. Ad euitanda, necesse est, Episcopum ob crimen vel censuram denunciari tanquam vitandum, aut notorium clerici percussorem esse, vt ordinatio eius legitimum exercitium ordinantis non conferat, sicuti bene docet Syl. ver. interdictum, q. 7.

QVÆRITVR: Si quis graui metu adigatur, vt ab Episcopo, qui Episcopali dignitati renuntiauit, vel ab excommunicato, suspenso, simoniaco, eóque denuntiato, ordines accipiat, vtrùm dictam inhabilitatem ad Ordines, ac veluti quandam irregularitatem contrahat. Negat Nauar. c. 27. n. 241. Syl. loc. cit. Sairus in thesauro lib. 4. c. 14. n. 5. Sed contrarium est tenendum cum Maiolo lib. 4. de irregul. c. 22. Suarez. de censur. disp. 31. s. 1. n. 63. Quia hæc inhabilitas non incurritur ob culpam ordinati, (à qua metus grauis excusare potest, si non in Religionis, aut Ecclesiasticæ potestatis contemptũ incutiatur, vti dixi lib. 1. Th. mor. tr. 5. p. 1. c. 5. in fine) sed ob indignitatẽ malè ordinantis: Maior autem est ordinationis peruersitas, si etiam vis iniusta ordinatoris accesserit. 2

TITVLVS XIV.

DE ÆTATE, ET QVALITATE, ET ORDINE PRÆFICIENDORVM.

MEnsus tit. est, Quanam ætate, vitâ ac moribus, & quo ordine clericali debeant esse præditi, qui ad prælaturas, aliáue Ecclesiastica beneficia promouentur. Nam Pontifici propositum est agere de sacra ordinatione: Clerici autem eo fine ordinantur, vt ad Ecclesiastica ministeria instituantur. Igitur de eorum ætate, & alijs qualitatibus agendum est.

CAPITVLVM I.

Vt Abbates.

PARAPHRASIS.

Abbates, Præpositi, & Decani, qui Presbyteri non sunt, fiant: Et qui Archidiaconatum obtinet, Diaconus; qui Archipresbyteratum obtinet, presbyter ordinetur: Sin nolit, dimittere debet dignitatem, seu beneficium suum: Imò etiamsi iustâ causâ impediatur, quò minùs ordinari possit.

SVMMARIVM.

Sub pœna priuationis beneficij debent beneficiati suscipere Ordines, quos beneficia requirunt, etiamsi iustâ causâ impediri sint, modò impedimentum sit perpetuum, seu diu duraturum.

NOTANDVM 1. Quædam sunt dignitates, ac beneficia Ecclesiastica, quibus ipso iure annexus est sacer ordo, seu potiùs

obligatio sacrum ordinem suscipiendi intra annum post promotionem, iuxta Clement. 2. eod. tit. c. cùm in cunctis, 7. §. Inferiora, de elect. Trident. sess. 22. c. 4. de reform. Vide quæ dixi in cit. c. cùm in cunctis.

Id verò difficile est, quod hoc loco adiungitur, tametsi iustâ causâ impediti sint Clerici beneficiati, quò minùs sacrum ordinem beneficio suo annexum suscipiant, priuandos esse: cuius contrarium significatur in c. 1. de Clerico ægrotante, & expressius in cit. Clem. 2. de ætat. & qualit. Hostiens. in sum. hoc tit. princ. & c. commissa, 35. de elect. in 6. Innocent. & Anton. de Butrio super hoc c. Glossa in cit. Clem. 2. ver. impedimento, iura ita conciliant. Si iustum impedimentum ordinis requisiti suscipiendi ex culpa contractum sit, non excusat; præsertim si ante beneficij acceptationem præuisum fuerat. Sin verò absque culpa contractum sit impedimentum, id beneficiato obesse non debet. Sed non placet hæc distinctio: Quia minùs restringit textum: is enim absolutè ait, non obstante impedimento iusto talem amouendum esse, maximè autem iustum est, si culpa non præcessit. Arbitror, aliter distinguendum esse. Vel impedimentum perpetuum, seu diu duraturum est, vel temporale. Si temporale, seu non longo tempore duraturum, vniuersim dici debet, institutum amoueri non posse; dummodò impedimentum ordinis suscipiendi iustum sit: tametsi fortè ante beneficij aceeptionem præuisum fuerit, vel culpa aliqua præcesserit: vt si in rixa Clericus debilitatus sit, quò minùs constituto tempore ordinem requisitum suscipere queat, argum. c. vn. Ne Sede vacante, in 6. Sin autem perpetuum, seu diu duraturum impedimentum est, auferri debet beneficium: Cùm enim beneficium detur propter officium, c. vlt. de rescript. in 6. meritò aufertur illi beneficium, qui ad præstandum officium, seu satisfaciendum obligationi beneficij inhabilis redditus est, c. vlt.

* * *

CAPITVLVM II.

Ex ratione.

Paraphrasis.

Episcopus Conuentrensis pueris nondum decennẽ ætatem consecutis in Archidiaconatu Castrensi Ecclesias quasdam concessit, quæ interim laicorum imperio administrabantur. Id ægrè ferens Alexander III. mandat Episcopum corripi; ecclesiarum administrationem atque custodiam amotis laicis, idoneis Clericis committi, donec pueri ad ætatem legitimam perueniant: Insuper prohiberi Episcopo, ne imposterum ecclesias, nisi personis ætatem, & scientiam requisitam habentibus regendas committat; alioquin ipsi pœnam decernendam, atq. concessiones seu institutiones irritas iudicandas fore.

Svmmarivm.

1. *Episcopus non potest dispensare super ætate in sacris canonibus requisita ad beneficium.*
2. *Si Clerico ante ætatem requisitam beneficium collatum sit, Superior collationem irritare potest.*
3. *Beneficium curatum per Papæ dispensationem alicui minori concessum, per clericum interea illud administrari debet, non laicum.*

Notandvm I. Episcopus non potest dispensare super ætate in sacris canonibus requisita ad beneficium. Ita etiam habetur in c. seq. 1

Notandvm II. Si Clerico ante ætatem requisitam beneficium collatum sit, Superior collationem irritare potest: nisi malit eam dispensatiuè tolerare; dummodò potestate præditus sit dispensandi super defectu: vt in casu proposito Sum. Pontifex. Cæterùm, si particulari alicuius ecclesiæ Collegiatæ decreto certa ætas in promouendis exigatur, v. g. vt intra annum sacrum ordinem 2 suscipiat,

sus ipere queant, tum Episcopus cùm Capituli consensu dispensare non prohibetur: cùm talis dispensatio in proprio ipsorum iure seu statuto fiat. Quod si autē literæ fundationis requirant, vt capellania v. g. Sacerdoti conferatur, vtrùm Episcopus dispensare possit, dixi lib. 4. Th. mor. tr. 2. c. 13. in q. 6. n. 13.

NOTANDVM III. Si aliquis per Papæ dispensationem ad beneficium curatum promotus sit, qui ob ætatis defectum præesse ipsemet non possit, debet interim administrator, seu Vicarius temporalis deputari, qui Clericus sit, non laicus: nam laici Ecclesiastica negotia gerere non debent, c. 2. de iudicijs.

CAPITVLVM III.

Indecorum.

SVMMARIVM.

Regimen Ecclesiæ minori quatuordecim annis committi non debet; maior ætas requiritur iuxta posteriores canones.

ECclesiarum dignitates, seu personatus impuberi, seu minori XIV. annis committi non possunt: Et talis prouisio seu institutio ab Episcopis facta, irritanda erit, ipsique grauiter puniēdi. Ita Alexander III. in hoc c. Sed postea editis canonibus maior ætas requisita fuit: videl. si personatus, v. g. Decanatus, aut Archidiaconatus curam animarum annexam habent, anni XXIV. completi, c. cùm in cunctis, 7. §. inferiora. de elect. in Trident. sess. 24. c. 12. de reform. Ad dignitates verò seu personatus, quibus cura animarum annexa non est, XXII. anni completi, cit. c. 12. Ad reliqua verò simplicia beneficia, ordinariè ac per se loquendo, anni quatuordecim, saltem cœpti, Trident. sess. 23. c. 6. de reformat. iun. declarat. Cardinal. Vide quæ dixi, in cit. §. Inferiora.

* * *

CAPITVLVM IV.

Eam te.

PARAPHRASIS.

Prohibet Alexander III. ne quisquam ad beneficiū curatum instituatur, etiamsi literas Apostolicas afferat, nisi præditus sit scientiâ, bonis moribus, atque ætate in Lateranensi Concilio requisitis, c. cùm in cunctis, 7. de elect. Præterea iubet, vt qui plurium Ecclesiarum curam habent, quarum vna ex alia non pendet, ij, remota appellatione, coguntur ad vnam earum, quam maluerint, dimittendam: nisi ita tenues reditus habeant, vt proprios Sacerdotes alere non possint.

SVMMARIVM.

1. *Si Papa iubeat alicui conferri beneficium, licèt in literis non exprimatur, intelligitur tamen conditio, si idoneus sit.*
2. *Ad beneficia curata potissimùm requiruntur qualitates istæ, scientia competens, morum honestas, & ætas legitima.*
3. *Qui habet duo beneficia curata, vel alterum personatum, aut dignitatem, ipso iure priuatus existit prius habito, illudque dimittere debet.*
4. *Si parochialis ecclesia tenues prouentus habet, qui alendo sacerdoti non sufficiant, quomodo ab Episcopo prouidendum?*

NOTANDVM I. Si Papa iubeat alicui conferri beneficium, etsi in literis non exprimatur, intelligitur tamen conditio, si idoneus sit, iuxta c. cùm adeò, 17. de rescriptis. Potissimùm autem ad beneficia curata requiruntur qualitates istæ. Scientia cōpetens, morum honestas, & ætas legitima. Tametsi verò in ætate Pontifex dispensare possit, tamen non præsumitur contra generalis Concilij decretum dispensare, nisi id exprimat, c. ex parte, de Capellis Monachorum. 1 2

NOTAN-

3 NOTANDVM II. Tempore Alexandri III. prohibita erat pluralitas beneficiorum curatorum, ita verò, vt qui duo curata obtineret, cogendus esset ad alterum, quod maluerit, dimittendum. Post verò sub Innoc. III. in Concil. Lateranensi in c. de multa, 28. de præbend. & latiùs à Ioanne XXII. in extrauag. execrabilis, eod. tit. statutum fuit, vt obtinens alterum beneficium curatum vel alterum personatum seu dignitatem post pacificam eius possessionem, ipso iure priuatus existat priùs habito; illúdque dimittere debeat: alioquin ipso iure priuetur ambobus beneficijs, illáque Sedi Apostolicę reseruata maneant.

4 Porrò si parochiales ecclesiæ tenues prouentus habeant, qui alendo sacerdoti non sufficiant, quomodo huic rei ab Episcopo prouidendum sit, declarat Concil. Trident. sess. 21. c. 5. de reform. & sess. 24. c. 13. §. In parochialibus, de reform. Vt videl. vnio beneficiorum instituatur; tamen sine præiudicio ea obtinentium, ita vt vnio effectum non consequatur ante illorum mortem, vel resignationem, vti explicaui lib. 4. Th. mor. tr. 2. c. 9. n. 9. Sin autem vnio institui non possit, quia v. g. patronus consensum dare recusat, tum vel decimarum assignatione, vel parochianis indictâ collectâ succurri debet; vel denique cogantur patroni pro cultu diuino & sustentatione Rectoris sufficientes reditus præbere, aut vnionem permittere, sicuti Cardinales declararunt super cit. sess. 21. c. 5 de reform. Quomodo autem prouidendum sit, si populus numerosus, vel nimis distans ad vnam parochiam congregari non possit, leges cad. sess. c. 6. Vide quæ dixi lib. 4. Th. mor. tr. 2. c. 13. n. 10. §. quartò.

CAPITVLVM V.

Præterea.

SVMMARIVM.

Is, qui nondum est in sacris, dispensatiuè ad curatum beneficium assumi potest, ita tamen, vt intra annum in presbyterum ordinari possit.

LIcèt spectato ordinario iure ad beneficium curatum promoueri non debeat, nisi in sacro ordine constitutus, dispensatiuè tamen permitti potest, vt in minoribus tantùm constituti instituantur; dummodò tales sint, vt intra breue tempus in presbyteros ordinari queant.

Nunc verò definitus est annus, numerandus à die, quo prouisus beneficij possessionem consecutus est, vel per eum stetit, quò minùs assequeretur: Intra quod anni tempus nisi iustè impeditus sit, ordinem sacrum requisitum accipere debet; alioquin priuandus erit, c. cùm in cunctis, 7. §. Inferiora, de elect. & Clem. 2. hoc tit. c. 2. de institut. in 6. Imò promotus ad curatum beneficium, nisi intra annum sacerdos fiat, ipso iure priuatus est, c. licèt, 14. de elect. in 6. & dixi de hac re in cit. §. Inferiora. Porrò, quòd Gl. in cit. c. licèt, ver. priuatus, iustum impedimentum excusare negat, si ex culpa prouenerit, vt quia prouisus suspensionem ab ordinibus contraxit, id suprà reiecì c. 1. Si tamen quispiam per fraudem inhabilem se faciat, quò minùs intra annum promoueri cogatur, is haud dubiè pœnam iuris incurret: cùm nemini frans propria patrocinari debeat. Sed & in pœnam priuari poterit, qui sciens se intra annum ordinem requisitum ad beneficium suscipere non posse, impedimentum reticuit: dummodò tanta culpa commissa videatur, vt priuationem mereatur.

CAPITVLVM VI.

Quæris.

PARAPHRASIS.

Episcopus quidam consuluit Alexandrum III. quid Clericis agendum esset, multa Ecclesiastica beneficia obtinentibus, si commoniti, vt ordines maiores accipiant, id agere recusant, eò quòd dicant occultum crimen se commisisse, ob quod saluâ conscientiâ ad superiorem gradum ascendere non possint. Respondet Pontifex, In antiquis canonibus (relatis d. 74.)

non satis apparere, quid agendum esset; cùm diuersa, & in speciem contraria responsa legantur: Quare ad dubitationem istam tollendam, statuit Papa: Vt talibus dicto modo se excusantibus, Clerici inferiores, qui digni sunt, vt ascēdant, præferantur in dignitatibus, & beneficijs ecclesiasticis: Illis verò alijs etiam auferantur beneficia, quæ possident, nisi seruitijs suis valde vtiles ecclesiæ existant. Quòd si autem nulla prætensa impedimēti excusatione, pro sola voluntate sua ordinari recusent, cùm tamen ecclesiæ vtilitas, aut necessitas postulet, vt ordinentur, tum per beneficiorum subtractionem, amissionémque, omni remota appellatione compellantur.

Svmmarivm.

1. *Indubus casibus potest Episcopus compellere beneficiatos, vt ad altiorem ordinem ascendant.*
2. *Quòd si in alterutro casu beneficiatus monitus prætendat impedimentum irregularitatis vel censuræ ex occulto crimine contractum, beneficio priuandus est, si absolutè recusat sacri Ordinis susceptionem.*

1 Hoc responsum Alexandri intelligi debet in ijs tantùm casibus, quibus Episcopus compellere potest beneficiatos, vt ad ordinem altiorem ascendant. Hi autem sunt duo: Primus, si beneficium annexum habeat ordinem sacrum, seu potius obligationem suscipiendi ordinis sacri intra annum. Tunc compellendi sunt, inprimis per subtractionem distributionum quotidianarum, iuxta Clem. 2. hoc tit. Deinde per subtractionem reditum beneficialium, vel partis eorum, denique per priuationem, vti ex hoc textu colligitur.

Alter casus. Si beneficium nō habeat annexum sacrum ordinem, tamen ecclesię vtilitas seu necessitas v.g. Ministrorum penuria postulet, vt beneficiatus sacrum ordinem acci-
2 piat, iuxta c. si qui, & c. placuit, d. 74. Quòd si verò beneficiatus ab Episcopo ex vna harum causarum monitus, prætendat impedimentum irregularitatis, aut censuræ ex occulto crimine contractum; tum remouendi sunt, seu beneficijs priuandi. Quod intelligo, si simpliciter renuant sacri ordinis susceptionem: Secùs si non simpliciter, sed ad tempus sperantes se breui impetraturos dispensationem super defectu, tum illis tempus constitui poterit, intra quod sublato impedimento promoueantur, iuxta ea quæ suprà dixi hoc tit. c. 1.

Excipitur verò: Nisi tales beneficiati in suo seruitio, quod ecclesiæ præstant, valde vtiles sint, tum tolerari posse. Quæ tamen exceptio iure nouo circa beneficia, quibus sacer ordo annexus est, locum non habet, vti colligitur ex cit. Clem. 2. Vt ij, & in Trident. Sess. 7. c. 12. de reform. vbi prohibetur, ne facultates de non promouendo, seu altiorem ordinem non accipiendo beneficiatis vltra annum non prorogentur.

Porrò, si beneficia ecclesiastica, neque propria institutione, aut fundatione, neque speciali canonum constitutione ordinem altiorem requirant, neque item ecclesiæ necessitas promotionem postulet, tum canonica regula c. gesta, c. vbi ista didicisti, & c. Honoratus, d. 74. adhuc hodie locum habere debet, quòd nemo inuitus ad superiorem ordinis gradum promoueri debet. Sed hoc agat Episcopus, quod antea Gelasius Papa consuluit in c. vlt. ead. d. Si propter Ecclesiæ vtilitatem cupiat beneficiatos ad altiores ordines ascendere, promoueat Acolythos seu in minoribus cōstitutos, si digni sunt, vsque ad sacerdotium, vt sic præferantur alijs in sessionibus, ac præbendarum commodis, iuxta c. statuimus, 15. de maior. & obed. Hac ratione allicientur & alij ad ascensum.

CAPITVLVM VII.

Ad aures.

Paraphrasis.

Canonicus quidam proposuit Clementi III. Pontifici, Cùm ipse medicinæ peritus sit, pluribus secundùm artis præscripta me-

dicamenta præbuisse, cum diligentia, sed sæpius malè succesisse: quia ex medicinis, quibus homines sanare volebat, aliqui mortis periculum incurrerunt: Quærebat, vtrùm nihilominus ad sacros ordines promoueri posset. Respondet illi Pontifex: Si conscientia in his te remordet, de consilio nostro ad ordines maiores ne ascendas.

SVMMARIVM.

1. *Medicinæ peritus, & secundùm regulas artis operatus, ob euentum mortis infirmi, non incurrit irregularitatem.*
2. *Incurrit autem clericus in maioribus, & Religiosus, si artem chirurgicam exercet, & per incisionem vel adustionem mors vel mutilatio (etsi casu, & omni adhibita diligentia) sequatur.*

CONtra hanc Clementis responsionem obijcitur: Ex homicidio casuali, & omnino inculpato non incurritur irregularitas: Atqui homicidia ista, si ex medicinis secuta sunt, omnino casualia & inculpata fuerunt. Ergo Canonico illi nullus irregularitatis scrupulus injciendus fuit. Maior est certa ex c. latere, 9. de homicidio, & docui lib. 3. tr. 3. p. 3. c. 10. assert. 1. Minor constat ex l. illicitas, §. Sicuti, ff. de offic. Præsidis. Nam ad officium seu obligationem Medici ægros curantis plus non requiritur, quàm vt in arte peritus ac versatus sit, (nam imperitia culpæ annumeratur in ijs, qui vt periti operam suam promittunt, l. si quis domum, 9. §. Celsus, ff. locati) & vt secundùm artis regulas, adhibitâ diligentiâ, operetur. Quòd si nihilominus euentus infelix sequatur, id Medico imputari non potest, sed casui & fortunæ. Quamobrem Galenus dixit, Medicum fortunatum esse oportet; quia in particulari ob varia adiuncta multa incidunt, quæ neque à prudentissimo præuideri possunt. Respondeo: Si Canonicus ille in minoribus constitutus, medicinæ peritus fuit, & secundùm regulas artis operatus, irregularitatem timere non debuit, sicuti etiam Innoc. hîc notauit. Quamobrem neque Pontifex illi absolutè præcepit, vt à sacris ordinibus abstineat. Cæterùm suspicatus fuit Pontifex, non omnem culpam abfuisse: eam maximè ob causam, quia ad Clericos beneficiatos, quamuis in minoribus tantùm constituti sint, non pertinet artis medicæ, aut chirurgicæ exercitium, nisi necessitas aut pietas in aliquo casu subsidium à Clerico exigat, vti docet Nauar c. 25 man. n. 110. Cùm igitur Canonicus ille operam dederit rei illicitæ, sibique prohibitæ, & fassus fuerit sæpius ex medicinis suis hominibus mortis periculum generatum fuisse; non credebatur simplici & non probatæ eius assertioni, quòd & artis peritus esset, & cum omni diligentia operatus. Sed potiùs præsumptio fuit contra hominem, quòd saltem leuis seu venialis negligentia & culpa commissa fuerit. Ea autem sufficere debet ad irregularitatem ex secuto homicidio contrahendam, si quis operam dedit rei sibi prohibitæ, secundùm probabiliorem DD. sententiam, quam tradidi eod. c. 10. assert. 3. dicendo 2. Cæterùm Clericis in maioribus, atque 2
Monachis seu Religiosis exercitium artis chirurgicæ per incisionem vel adustionem seueriùs prohibitum est, adeò vt si mors, aut mutilatio exinde secuta sit, quamuis casu & omni adhibita diligentia, irregularitas contrahatur, iuxta c. sententiam, ne Clerici vel Monachi, & dixi cit. c. 10. assert. 2. Videri potest Hostiensis hoc tit. n. 4.

CAPITVLVM VIII.

Cùm bonæ.

PARAPHRASIS.

Clemens III. citarat ad se Clericos quosdam Baranensis Ecclesiæ, vt responderent ad obiecta Archidiaconi sui, quem grauiter læserant. Cùm autem illi accedere contemnerent, suspensionis sententiam in eos promulgauit: In qua illi censura triennio permanentes, etiam beneficia ecclesiastica interim consecuti sunt. Sed dubitatum postea fuit, an ea beneficia retinere possent. Ad id respondet Cælestinus III. Successor

ceſſor Clementis, quòd non liceat eis beneficia, quæ ante ſuſpẽſionem habuerunt, neque quæ poſtea conſecuti ſunt, retinere: Ideóque mandat Archiepiſcopo Baranenſi, vt illos, propter pertinaciam & contemptum Sedis Apoſtolicæ omnibus beneficijs priuet.

SVMMARIVM.

1. *Clerici priuandi ſunt beneficiis, quæ in ſuſpenſione acceperunt.*
2. *Qui contumaciter perſiſtit in excommunicatione, aut ſuſpenſione, priuatur beneficio, quod priùs habebat, & interea acquiſiuit.*

1 DE hac Cæleſtini reſponſione nullum dubium eſt, quoad vnam partem, videl. clericos priuandos eſſe beneficijs, quæ in ſuſpenſione acceperũt. Quemadmodum enim qui ab ordine ſuſpenſus eſt, nouum ordinem ſuſcipere non poteſt, ita qui ab officio, vel beneficio ſuſpenſus eſt, ei aliud officium aut beneficium eccleſiaſticum conferri haud poteſt, arg. c. vlt. de cleric. excom. miniſtr.

Quoad alteram verò partem dubium eſt, vtrùm ſuſpenſus ab officio, vel beneficio, ſi per eum ſtet, quò minùs à ſuſpenſione abſoluatur, beneficijs ante ſuſpenſionem obtentis priuandus ſit. Reſpondeo ex doctrina Innoc. ſuper hoc c. Suſpenſio varijs modis ob culpam ferri poteſt: Primò, ad tempus definitum, v. g. ad triennium: hoc caſu puræ pœnæ rationem habet, & per ſe ipſam ceſſat, tempore elapſo, niſi priùs à Superiore diſpenſatio, ſeu relaxatio impetretur. Idémque eſt, ſi ſub conditione lata ſit ſuſpenſio, *donec reſtituerit, donec ſatisfecerit*: niſi quòd in ordine ad forum externum requiratur abſolutio, ſeu potiùs declaratio, conditionem impletam, ſeu ſatisfactum fuiſſe.

Secundò ferri poteſt ſuſpenſio propter commiſſum crimen, tanquam pura pœna in perpetuum: & tum parum differt à depoſitione, ſeu priuatione; ſaltem qui ita abſque ſpe relaxationis ſuſpenſus eſt, beneficijs priuari debet, iuxta ea quæ dixi lib. 5. tr. 5. p 3. c. 1. n. 3. & c. 5. n. 1.

Tertiò fertur ſuſpenſio tanquam propriè dicta cenſura propter præſentem contumaciam, ita vt eâ depoſitâ, abſolutio conferenda ſit. Cæterùm ſi Reus in contumacia diu 2
perſeueret, ſeu per ipſum ſtet, quò minus abſoluatur, denique indignus reputatur, qui ab Eccleſia recipiatur, & à contracta cenſura abſoluatur, vti colligitur ex hoc textu: Et in c. rurſus, 36. & c. ſeq. cauſa 11. q. 3. excommunicationis cenſurâ aſtrictis annus præfigitur, intra quem cauſam ſuam peragere poſſint; poſtea audiendos non eſſe. Id verò Innoc. Ioan. Andr. Ant. Butrio hîc ad cenſuram quoque ſuſpenſionis extendunt; ſi ſuſpenſus intra annum eccleſiæ ſatisfacere, & abſolutionem petere per contumaciam intermittat, poſtea audiendum non eſſe, conſequenter priuandum, ſeu deponendum: Et quod hic de triennio relatum eſt, facti ſpeciem fuiſſe. Ego verò arbitror, nullum certum tempus definiri poſſe, ſed ſuperioris iudicio committendum, vtrùm tanta & tam diuturna in excommunicatione, aut ſuſpenſione perſiſtentis, contumacia ſit, vt ſpectata qualitate facti, priuationem beneficiorum mereatur. Quod verò in cit. c. rurſus, & ſeq. annalis temporis mentio fit, id ſecundùm eorum temporum & criminum circumſtantias decretum eſt. Sed etſi ea pœna in perſiſtentibus in excommunicationis cenſura adhuc hodie locum haberet, tamen ad ſuſpenſionem ſine iuris textu extendi non poſſet.

CAPITVLVM IX.

A multis.

SVMMARIVM.

1. *Subdiaconus liberè in Epiſcopum eligi poteſt.*
2. *Clericus autem in minoribus conſtitutus non poteſt eligi, ſed poſtulari debet.*

DVbitatum fuit, vtrùm Subdiaconus in Epiſcopum liberè eligi poſſit, an verò poſtulari debeat. Quòd enim poſtulari debeat, ſignificat Vrbanus I. Papa relatus in c. vlt.

d. 60. Sed respondet Innocentius III. Id dictum fuisse ab Vrbano, quia eo tempore Subdiaconatus non erat ordo sacer, seu annexam non habebat obligationem continentiæ. Sed posterioribus seculis introductum, vt neque Subdiaconi ordinarentur, nisi continentiam promitterent, & tum etiam Subdiaconatus intra sacros seu maiores ordines numeratus fuit, vti testatur Vrbanus II. relatus in c. eos qui, & seqq. d. 32. item Gregor. I. lib. 3. epist. 5. ad Bonifac. relatus in c. Subdiaconis, eâd. d. & lib. 1. epist. 42. ad Petrum Subdiaconum, relatus in c. 1. d. 31. vbi ait, ante triennium in Sicilia promulgatum esse decretum, vt etiam Subdiaconi, sicuti ante hoc tempus in Romanam Ecclesiam introductum erat, in ordinatione sua continẽtiam, etiam à proprijs, quas antè duxerant, vxoribus promitterent: idque statutum deinceps obseruandum. Qui autem ante illud statutum in Sicilia ordinati sunt Subdiaconi, permittendum, vt suis vxoribus vtantur: cùm durum videatur, viros coniugatos, qui consuetudinem continentiæ non habent, neque eam in ordinatione promiserunt, ad continendum compellere; atque
1 periculum, ne in deterius ruant. Constat ergo, cùm à tempore Gregorij I. Subdiaconatus inter sacros ordines numeratus fuerit, ideo Subdiaconum liberè in Episcopum eligi posse.

NOTANDVM I. Ordo sacer dicitur ille, cui continentiæ promissio annexa est: Fortasse ideo, quòd qui talem ordinem suscipiunt, continentiæ voto edito, se Deo quodammodo consecrent.

2 NOTANDVM II. Clericus in minoribus, seu non sacro ordine constitutus in Episcopum non potest eligi, sed postulari debet,

CAPITVLVM X.

Tuam.

PARAPHRASIS.

Legatus à latere retulit Innocentio III. de Monacho, qui in minoribus ordinibus constitutus, ad sacros promoueri non poterat, quia v.g. ob corporis defectum irregularis erat, alioquin verò morum honestate & industriâ insignis, vt spes esset per eum Monasterium reformandi, si in Abbatem instituereturr: quod etiam laici eius consanguinei & affines instanter petebant. Hoc intellecto, mandat Innocentius Legato, vt dictum Monachum instituat in Abbatem, non propter laicorum preces; sed propter Ecclesiæ illius necessitatem, & vtilitatem. Ita explicant Gl. Innocent. Ioan. Andr. & alij communiter.

SVMMARIVM.

1. *Monachus in minoribus constitutus & irregularis ob monasterij necessitatem dispensatiuè in Abbatem institui potest.*
2. *Pertinet autem in hoc casu potestas dispensandi ad summum Pontificem, & non ad Prælatos inferiores.*

NOTANDVM I. Monachus qui ob iu- 1
stam causam ad sacerdotium promoueri nequit, propter Monasterij necessitatem in Abbatem dispensatiuè promoueri potest.

QVÆRES: Ad quem pertineat in hoc ca- 2
su dispensare: Respondeo; Ad Pontificem, nō item Prælatos inferiores. Quia secundùm canones, assumptus ad beneficium aut dignitatem, cui cura animarum annexa est, intra annum sacerdos fieri debet, vti dixi suprà c. 1. hoc tit. Facilius autem Pontifex dispensat, vt ad abbatiam aut similem curatam ecclesiā aliquis promoueatur sine obligatione sacerdotium suscipiendi, quàm ad Episcopatum. Quia episcopale officium non tantùm consistit in iurisdictione erga subditos, sed magis etiam in potestate ordinis exercendi. At verò officium Abbatis potiùs in gubernatione consistit, quàm in exercitio ordinis, arg. c. 1. causa 18. q. 2. Sed quid? si Monachus in minoribus constitutus intra annum Sacerdos fieri possit, concessúmne est Episcopo illum promouere ad Abbatiam? Respondeo; Si Ecclesiæ vtilitas suadeat, promoueri posse: quia sacri canones non ita exigunt, vt qui ad alias prælaturas & beneficia curata eligitur vel promouetur, actu sacrum ordinem habeant, sicuti in electo Episcopo requirunt, vti constat ex c. præterea, hoc tit. & docet Hostiensis hîc n. 3.

No-

NOTANDVM II. Nihil impedit, quò minùs aliquis ad preces aliorum eligatur, aut instituatur in beneficio: dummodo non propter preces, seu intuitu precũ id fiat principaliter, sed quia persona digna est. Quòd si autem propter preces aliquis promoueatur, quia dignus non est, aut minùs dignus quàm alij, tùm committitur peccatum acceptionis personarum, in eo consistens, vti dixi lib. 4. Th. mor. tr. 2. c. 15. n. 6.

CAPITVLVM XI.

Cùm contingat.

PARAPHRASIS.

Laici frequenter solebant ab Abbatibus Monasteriorum, quorum subditi erant, primam tonsuram accipere. Sed dubitauit Archiepiscopus Rhotomagensis, vtrùm per hanc tonsuram ordo clericalis conferatur. De ea re consultus Innocent. III. respondit; Secundùm 7. generalis Synodi decretum, quod refertur c. 1. d. 69. Abbatibus, si sacerdotes, & ab Episcopo benedicti sint, permissum esse, vt in proprio Monasterio per primam tonsuram iuxta formam Ecclesiæ datam, ordinem clericalem conferant.

SVMMARIVM.

1. *Prima tonsura est ordo clericalis latè, quia per eam clericus constituitur.*
2. *Abbas ab Episcopo benedictus olim in suis Monasterijs primam tonsuram & quatuor Minores etiam secularibus conferebat, quod hodie quoad seculares sublatum est per Trident.*

1 NOTANDVM I. Prima tonsura dicitur ordo clericalis latè: quia per eam Clericus constituitur seu ordinatur. Exinde autem tanquam à fundamento, vlteriores ordinũ ac potestatum gradus vsq; ad sacerdotij apicem, numerantur septem, qui propriè & strictè ordines dicuntur, iuxta Trid. sess. 23. c. 2. & can. 2. de Sacram. Ordinis: Episcopatus denique haud dubiè sacer ordo est. Sed ideo (secundùm communem loquẽdi consuetudinem) numerum non auget: quia nõ omnino seu adæquatè distinctus est ab ordine presbyteratus, sed eum in se includit; neq; nouum characterem confert, sed in ordinatione presbyteratus acceptum auget ac perficit. Vide, quæ dixi lib. 5. Th. mor. tr. 9. c. 3.

NOTANDVM II. Olim Abbates ab Episcopo benedicti in suis Monasterijs primam tonsuram (quatuor minores) etiam secularibus subditis suis conferebant. Id autem, quoad seculares, sublatum est in Trident. sess. 23. c. 10. de reformat. Qua de re dixi in c. 1. de suppl. neg. Prælatorum. 2

CAPITVLVM XII.

Intelleximus.

PARAPHRASIS.

Canonicus regularis postquam diu in Monasterio laudabiliter versatus absque dispensatione transijt ad ordinem Monachorum, in eóque tempore aliquo commoratus, postea pœnitentiâ motus petijt & impetrauit, vt in Monasteriũ, vnde discesserat, reciperetur. Ibi tam laudabiliter vixit, vt vnanimi Fratrum consensu electus fuerit in Abbatem. Ea re intellecta, scribit ad ipsum Innocent. III. vt memor esset, quidnam ab Vrbano II. in c. mandamus, causa 19. q. 3. decretum fuerit: Ne Canonicus regularis, nisi publicè lapsus esset, Monachus fieret: Alioquin ad ordinem Canonicorum reuertatur, & cucullum tanquam memoriale suæ transgressionis, deferat, atque vltimum in choro locum teneat.

SVMMARIVM.

1. *Canonicis regularibus concessum est transire ad ordinem Monachorum, sed non vice versa.*
2. *Ordines Religiosorum, qui diuinis mi-*

nisterijs vacant, perfectiores ac digniores sunt, quàm Religiosorum laicorum, v.g. militarium, Hospitalarium, &c.

CONtra hanc Innoc. III. doctrinam obijcitur responsio Alexandri III. antecessoris eius in c. sanè, 10. de Regul. Quòd Canonicus Regularis transire possit ad Monachos, si eorum religio strictior sit. Exinde ita argamentari licet: secundùm canones licitum est Religioso, petitâ, quamuis non obtentâ licentiâ, melioris vitæ zelo transire ad Religinem strictiorem, c. licet, 18. de Regular. Sed regula Canonicorum Regularium laxior est, quàm regula Monachorum, vti expressè idem Innoc. III. respondit in c. Quòd Dei timorem, de statu Monachorum.

Hanc difficultatem soluit S. Th. 2. 2. q. vlt. a. 8. & Ioann. Andr. in cit. c. sanè: Olim in plerisque Monasterijs, quippe quæ in solitudine ædificata erant, Monachi in Clerum assumpti non erant, vti constat ex congestis à Gratiano causa 16. q. 1. c. 2. 3. 6. c. generaliter, 40. Quamobrem permissum non fuit, vt Canonici Regulares, qui iuxta professionem suam diuinis officijs, & sacerdotio destinati erant, ad tale Monasterium seu Congregationem Monachorum laicorum transirent. Sed quia Monachi frequenter etiam in Clerum assumebantur, vti constat ex c. si Monachus, & seqq. ead. q. 1. ideo quædam eorum Monasteria Sacerdotum, aliorúmque Clericorum Congregationes erant, ad quas proinde Canonicis Regularibus, non obstante professione & instituto suo, transire fas erat; dummodò locus seu Monasterium, ad quod se recipiũt, arctioris obseruationis sit, vt appareat melioris vitæ zelo eos moueri. Et hoc iure hodie vtimur, vt Canonicis Regularibus concessum sit transire ad Ordinem Monachorum; sed non vice versa, vti dixi lib. 4. Th. mor. tr. 5. c. 6. q. 3. addendo 5.

1

2 NOTANDVM Vn. Ordines Religiosorum, qui diuinis ministerijs vacant, perfectiores ac digniores sunt, quàm Ordines Religiosorum laicorũ, cuiusmodi sunt ordines Militarium, Hospitalarium &c. Quamobrem concessum non est illorum ordinum professis ad hos transire, etiamsi ponamus strictiorem in his Regulam seruari.

CAPITVLVM XIII.

Accepimus.

PARAPHRASIS.

Episcopus Bracharensis, eiusque antecessor nonnullos Clericos in maioribus absque titulo sustentationis ordinauerat. Quamobrem pro illis scripsit Pontifex, & mandauit, vt beneficia in ea ecclesia acciperent. Sed Episcopus contra mandata Apostolica excepit, quòd ad beneficia idonei non essent. Hoc intellecto, Innoc. III. ita respondit: Quamuis, si iure agendum sit, Episcopus hác exceptionem opponere nõ possit; quia ipse & successores eius Clericos ante ordinationem examinare debebant; quare sibi iam imputent, si indignos seu minùs idoneos ordinarunt: nisi fortè indigni redditi fuerint. Nihilominus Pontifex, cùm pro talibus scribit, vt beneficia consequãtur, apponere solet conditionem, si digni sunt. Quam vt gratiam, & benignitatem Apostolicam Episcopus agnoscere debet, quod à se vel antecessore suo sine titulo ordinatos, Papa per delegatos & executores suos priùs examinari curet, quàm beneficia ipsi tribuantur. Mandat itaque Pontifex Innocent. III. si Episcopus mandata Apostolica de talibus acceperit, ipsis beneficia in Cathedrali, aut aliâ diœcesis suæ Ecclesiâ prouidere non cunctetur; ita tamen, vt si exceptiones opponere velit, eæ audiendæ sint.

1. *Dignus ad ordines sacros, censetur etiam dignus ad beneficium ecclesiasticum: vnde non est opus nouo examine pro beneficio.*
2. *Nisi post ordinationem se indignum reddiderit, vt eius crimen, aliusue defectus proditus sit.*
3. *Aut beneficij qualitas v.g. quia beneficium*

cium curatum est, vel dignitas, nouum examen requirat.

4. *Obligatio alendi & prouidendi clericos sine titulo ordinatos incumbit Episcopatui, adeóque transit ad successorem*

Nisi Ecclesiæ Prælatus, vel Archidiaconus clericum præsentauerit Episcopo; tunc enim hi, qui præsentarunt, clericum alere tenentur.

5. *Ordinandi ab Episcopo examinati, possunt iterum ab eodem examinari, si opus esse iudicauerit, & à Papa, si beneficium eis qualecunque mandet.*

1 NOTANDVM I. Qui dignus censetur ad ordines sacros, dignus etiam iudicatur ad beneficium Ecclesiasticum. Quia ordo sacer, & titulus aliquis beneficij connexa sunt, inquit Innocent. hîc. Quare opus non est, vt pro beneficio consequendo iterum examinetur.

2 Excipe I. Nisi clericus post ordinationẽ se indignum reddiderit. Vel nisi eius crimen, aliúsue defectus tempore ordinationis latuerit, qui postea proditus est, argum. c. pastoralis, 4. de exceptio. & docet hîc Innocentius, Gl. ver. exceptionem.

3 Excipe II. Nisi beneficij qualitas, quia v.g. est curatum, aut dignitas, nouum examen requirat, arg. scriptum, 40. de elect. c. cùm secundùm, 16. ver. Inde est, de præb. & notat hîc Anton. Butrio n. 6.

NOTANDVM II. Non tantùm si ipsemet Episcopus, sed etiam si antecessor eius alienum in maioribus sine titulo ordinauit, beneficium ei conferre tenetur, & antequàm conferat, ex propria mensa prouidere. Ita etiam habetur in cit. c. cùm secundùm, & c. Episcopus. 4. eod. tit. de præbendis. Quia obligatio illa alendi & prouidendi clericos sine titulo ordinatos incumbit Episcopatui: Ergo transit ad successorem.

4 Sed excipi debet primò: Nisi aliquis Ecclesiæ Prælatus Clericũ præsentauerit Episcopo, tunc ipse, qui præsentauit, Clericum alere tenetur, si ex seruitio, aut beneficio Ecclesiastico sustentationem non habeat, cit. c. cùm secundùm. Sed in defectum eius, id est, si præsentator alere non possit, tum Episcopus (dummodò in aliqua culpa fuerit) prouidere tenebitur, teste Innoc. hîc. Quare cauti esse debent Episcopi, vt non quorumlibet præsentationes atque alendi obligationes recipiant. Vide quæ dicam in cit. c. Episcopus.

Excipe secundò: Nisi Archidiaconus, cui ex officio incumbit Clericos ordinandos examinare c. ad hæc, de officio Archidiaconi, aliquem absque titulo, vel aliàs non idoneum Episcopo præsentet, tum Archidiaconus, cùm in culpa fuerit, prouidere illi tenetur, donec beneficium consequi possit, vti hîc docet Innocentius, n. 1. & Gl. ver. examinari. Imò Gl. hæc generaliter loquitur de omni examinatore. Sed contrarium magis placet, quòd Innoc. ait in c. seq. *Si quis non ex officio, sed speciali mandato Episcopi examinet, examinator non tenetur prouidere,* (quamuis aliter ab Episcopo puniri possit) *sed mandans.* Quemadmodum & nauis exercitor tenetur ex culpa Magistri, ait Host. hoc tit. n. 4. ex l. 1. ff. de exercitoria act. §. Magistrum. Cæterùm etiam in dicto casu, si Archidiaconus malè à se præsentatum alere non possit, in Episcopum obligatio cadet: cùm ipse Archidiacono attendere, & curam gerere debeat, vt nõ nisi digni ad ordines promoueantur. Quamobrem etiam examini interesse, vel alios viros idoneos nomine suo ad examinandum constituere potest.

NOTANDVM III. Etiamsi Episcopus ordinandos examinauerit, tamen Superior eius, videl. Papa, iterum examini subijcere potest, si beneficium qualecunq. ipsis conferri mandet. Imò verò etiam ipsemet Episcopus ex officio propter bonum publicum Ecclesiæ, si opus esse videatur, nouum examen seu inquisitionem instituere debet de promouendis, tametsi vel ipsemet, vel antecessor eius in culpa fuerit, indignos ordinando. Qua de re Hostiensis in sum. huius tit. princ. Anton. hîc n. 6. 5

CAPI-

CAPITVLVM XIV.

Cùm sit.

EOs qui ad Sacerdotium promouendi sunt, Episcopus per se, vel per alios diligenter instituere debet in diuinorum officiorum celebratione, & sacramentorum administratione. Sanctius enim est, paucos habere bonos & idoneos, quàm multos malos aut imperitos Ministros. Ita Innoc. III. in Concil. l. Lateranensi c. 27

Loquitur autem de ijs ad sacerdotium ordinandis, qui ad curam animarum promouendi sunt: hi enim magis exercitati, & in Ecclesiasticis rebus versati esse deberent, iuxta c. 1. & seqq. d. 38.

CAPITVLVM Vlt.

Quamuis.

PARAPHRASIS.

Multa contra Episcopum Calinensem, coram Innoc. III obiecta fuerunt. Sed id vnicum ad eius depositionem sufficere debet, quòd ipsemet confessus, se Grammaticam nunquam didicisse, nec legisse Donatum: & adeò notorium existit, eum prorsus illiteratum esse, vt contra Deum & sanctos Canones fieret, si in officio Episcopali toleraretur, ideo Pontifex illum penitus ab executione officij Pontificalis, & administratione Ecclesiæ Calinensis amouendum esse decreuit.

SVMMARIVM

1. *Defectus debitæ scientiæ reddit irritam electionem Episcopi.*
2. *Etiam Abbatis; quæ neque à Superiore confirmanda est; & si confirmata sit, rescindi ab eodem potest.*

NOTANDVM Vn. Si illiteratus in Episcopum promoueatur, irrita est promotio, atque remoueri potest. Sed distingui debet; vtrùm omnino illiteratus sit, tunc spectato iure naturali, adeóque in conscientia resignare tenetur. An verò non omnino illiteratus, sed non sufficienter doctus, qui tamen doctrinam intra tempus nõ longum acquirere possit. Tunc rescindi quidem posset electio, aut promotio, tanquam contra canones: donec tamen rescindatur, tutus est in conscientia electus, aut promotus.

QVÆRIT hîc Anton. Butrio; Si electus aut promotus in Episcopum Grammaticæ artẽ nunquam didicerit, sed vsu latinam linguã comprehenderit, vtrùm tolerari possit, si alioquin prudens, & idoneus sit. Et bene respondet affirmando.

Iterum quærit; Si Abbas electus & institutus Grammaticam, atque linguam latinam nescire deprehendatur, vtrùm deponi debeat, si alioquin in regula versatus, ac prudens sit. Negat Butrio: Quia in Abbate magis requiritur prudentia, quàm doctrina: Et olim Abbates laici erant, vti colligitur ex c. à Subdiacono, d. 93. Sed bene monet Gl. ibi v. Abbas, Quòd hodie Abbates in magno honore sint in Ecclesia, atque clericis secularibus præferantur: quare opus esse videtur, vt etiam scientiã præditi sint. Accedit, quòd in cit. c. cùm in cunctis, ad omnem dignitatem, quę curam animarum annexam habet, scientia requiritur: Et in c. 1. hoc tit. præcipitur, vt Abbates, si Presbyteri non sint, fiant.

Dico itaque; Electionem Abbatis, qui scientiã caret, quæ ad sacerdotem, eúmq; curatũ & in dignitate constitutũ requiritur, irritã esse, neq; confirmandam à Superiore. Quòd si confirmata sit, Superior ius habet eam rescindendi, tanquam contra canones factam. Interim verum est, quòd in Abbatibus non tanta requiritur doctrina, quãta in Episcopis. Deinde si Abbas non omnino illiteratus, sed non sufficienter doctus sit, potest in prælatura permanere, si Superior eum toleret; eo modo proportionali, sic. vti suprà de Episcopo dictum est.

CAPI-

CAPITVLVM Vn. eod. Tit. in 6.

Permittimus.

PARAPHRASIS.

Bonifacius VIII. permittit Episcopis, vt cum ijs, qui vicesimum ætatis annũ compleuerunt, dispensare possint ad consequendas dignitates & personatus, si curam animarum annexam non habeant.

SVMMARIVM.

1. *Episcopus non potest dispensare super ætate requisita in ordinandis, vel præficiendis secundùm vniuersales Ecclesiæ canones.*
2. *Ad dignitatem ecclesiasticam cum curâ animarum nemo promouendus ante 25. annum; ad non curatum cum dispensatione Episcopi promoueri aliquis potest post 20. annum completum.*
3. *Hodie secundùm Trid. ad eiusmodi dignitatem & personatum requiritur ætas exacta 22. annorum.*

NOTANDVM Vn. Episcopus non potest dispensare super ætate secundùm vniuersales Ecclesiæ canones requisita in ordinandis, vel præficiendis. Ita notat hîc Gl. Ioan. Andr. & alij. Id verò colligitur ex verbo *permittimus*, id est, concedimus & indulgemus; quod alioquin absque speciali hac concessione Episcopis illicitum esset: Etenim secundùm iura, etiam ciuilia, ad dignitatem nemo promoueri debet ante XXV. ætatis annum, saltem cœptũ. l. Ad Rempubl. 4. ff. de muneribus. Cùm autem in Concilio generali sub Alexan. III. c. cùm in cunctis, 7. de elect. expressè prohibitum fuerit, ne quisquam ad dignitatem ecclesiasticam cum cura animarum promoueatur ante dictam ætatem annorum XXV. ideo eo canone in suo vigore permanente circa alias dignitates non curatas Bonifac. VIII. permisit Episcopis, vt post 20. annum completum dispensare possint. 2

Quare non placet, quod tradit Hostiens. in summa huius tit. n. 1. Archidiaconus, & Dominicus de Geminiano super hoc c. Episcopum in ætate dispensare posse etiam circa dignitates curatas, si rationabilis causa, seu Ecclesiæ vtilitas postulet. Nam si hæc doctrina vera esset, tum absolutè dicendum foret, quòd Episcopus contra canones vniuersales dispensare possit: quandoquidem omnis dispensatio causam rationabilem postulat.

Hodie verò secundùm Trident. constitut. Sess. 24. cap. 12. de reformat. Ad eiusmodi dignitates ac personatus requiritur ætas exacta 22. annorum. Atque hæc ipsa ætas sufficere debet, tametsi dignitas, quæ per se curata non est, v. g. Decanatus, vnitam habeat parochialem seu curatam Ecclesiam. Attenditur enim ad naturam beneficij principalis, non vniti & accessorij; quippe quod naturam & conditiones suas veluti amisisse censetur, cùm alteri principaliori beneficio annexum fuit, vti dixi lib. 4. tr. 2. c. 9. num. 2. 3

TITVLVS XV.

DE SACRA VNCTIONE.

QVm in Episcoporum consecratione sacra vnctio adhibeatur, ideo hoc loco responsum Innoc. III. de varijs sacris vnctionibus proponitur.

CAPITVLVM VNICVM.

Cùm venisset.

EPiscopus quidam Græcus consecratus fuit, non adhibitâ chrismatis vnctione,

quæ in capite fieri solet ex antiquissima traditione. Quamuis Orientales tali cæremonia in consecratione suorum Episcoporum vti non soleant. Hoc intellecto, mandat Innoc. III. omissam cæremoniam suppleri, & dictum Episcopum ab Episcopo Albanensi, assistentibus ei duobus alijs Episcopis (sicuti mos Ecclesiasticus requirit,) in manibus & capite sacro chrismate inungi.

NOTANDVM VN. Si cæremoniæ, etiam accidentales, seu ad substantiam Sacramenti non pertinentes, omissæ fuerunt, postea suppleri debent. Vide quæ dixi lib. 5. Theol. moral. tr. 2. c. 8. num. 10.

§. Scire.

DVplex est vnctio; Vna interior & inuisibilis, per Spiritum sanctum. Altera exterior & visibilis, quæ est signum interioris. Ipsa autem interior vnctio non tantùm est significatum, sed etiam res Sacramenti. Ad exteriorem vnctionem benedicitur oleum, quod duplex est, Catechumenorum, & Infirmorum. Conficitur etiam chrisma ex oleo & balsamo, idque mystica ratione; quia per oleum nitor conscientiæ, per balsamum odor bonæ famæ significatur. Et hoc chrismate vngitur Episcopus in capite, & in manibus: in manibus quidem ad significandam potestatem consecrandi & benedicendi; in capite verò ad significâdum supremam Episcopalis ordinis potestatem. Presbyter autem cùm consecratur, in manibus vngitur oleo benedicto simplici, vti Hostiensis hic docet, n. 3. & Gl. in c. præterea 12. d. 23. Videri etiam potest Durandus lib. 1. rationalis, cap. 8.

§. Vnde.

REges quoque, Principes populi, inungi solent; aliter tamen, quàm Episcopi, seu primi Sacerdotes: Nam hi in capite vnguntur chrismate; Reges autem in brachio oleo simplici.

§. Quia verò.

QVia Christus sanguinis sui effusione fidelibus omnibus promeruit, vt acceptâ Spiritûs sancti gratiâ, quodammodo Sacerdotes sint, ex corde puro orationum sacrificia ipsi offerentes, secundùm illud S. Petri epist. 1. c. 2. *Vos estis genus electum, regale sacerdotium*; ideo in nouo testamento omnes Christiani vnguntur, bis ante baptismum oleo benedicto, videl. in pectore, & in scapulis, & bis post baptismum, chrismate sancto, videlicet in vertice; & postea in fronte, cùm confirmantur.

§. Per frontis.

CHrismatione frontis manûs impositio designatur, quæ alio nomine Confirmatio dicitur; quia per eam Spiritûs sancti robur & augmentum confertur. Quamobrem hanc chrismationem solus Episcopus seu summus Sacerdos conferre potest; vti ex Actis Apostolorum, cap. 8. colligimus, aliæ autem vnctiones ab alijs etiam simplicibus Sacerdotibus ministrantur.

§ Vngitur.

SEd & altare, ecclesia, atque calices, cùm consecrantur, inungi solent, secundùm morem ecclesiasticum, quem ex S. Syluestro Papa accepimus, qui altare lapideum consecrans illud chrismate vngebat. Neque propterea iudaizat Ecclesia tales vnctiones adhibendo, sicuti imperiti aliqui obiecerunt. Nam Iudæi vnctiones per figuram, & significationem gratiæ futuræ exercebant: Nos autem in veritate, & secundùm significationem gratiæ præsentis.

§. Licèt.

ROmanus Pontifex baculo pastorali non vtitur, sicuti alij Episcopi, & Prælati. Idque tum propter historiam, tum propter mysti-

mysticam rationem. Historiam refert Innocent. in lib. 1. de mysterijs Missæ, c. 62. Quia B. Petrus baculum suum *misit Euchario primo Treuirorum Episcopo, quem vnà cum Valerio & Maximo ad prædicandum Euangelium destinauit genti Teuthonicæ. Ei successit in Episcopatu Maternus, qui per baculum S. Petri à morte fuerat suscitatus. Quem baculum vsque hodie cum magna veneratione seruat Ecclesia Treuirensis.* Atque ideo, inquit Durandus in rationali, lib. 3. c. 15. Papa in illa tantùm diœcesi baculo vtitur. Mystica verò ratio est: Quia baculus pastoralis curuus est, ad significandum, quòd is, qui baculum à Superiore accepit ad regendum, ab eodem inflecti, & exigente causa penitus remoueri possit. Quod in Pontifice locum non habet, quia Superiorem in terris nullum habet. Ita Gl. margin. hîc, & Hostiensis hoc tit. in fine.

TITVLVS XVI.

DE SACRAMENTIS NON ITERANDIS.

AGitur de ijs Sacramentis, quæ characterem imprimunt, & quidem ex proposito tantùm, quorum administratio propria est Episcoporum, videlicet Confirmatione, & ordinatione: Quòd ea nunquam iteranda sint; sed, si quippiam in eorum administratione omissum, id postea supplendum.

CAPITVLVM I.

Pastoralis.

PARAPHRASIS.

Ex Innocentio III. duo quæsita sunt: I. Vtrùm Titius, qui intermissa manuum impositione Subdiaconus ordinatus erat, in eo ordine administrare permittendus sit. Alterum. An Sacramentum Confirmationis iterari debeat in eo, qui per errorem oleo simplici, non chrismate vnctus fuit in fronte. Ad vtrumque simul respondet Pontifex; In talibus non esse iterandum aliquid, sed cautè supplendum, quod incautè fuerat prætermissum.

SVMMARIVM.

1. *Ordinatus in Subdiaconum sine manuum impositione, permittendus est ministrare; priùs tamen supplendum, quod erat omissum; nihil autem iterandum.*
2. *Similiter in confirmato non chrismatis, sed olei vnctione.*

COntra priorem responsionem obijcitur primò c. Subdiaconus 15. d. 23. in quo habetur, quòd Subdiaconus manûs impositionem in sui ordinatione non accipiat. Ad id respondet hîc Gl. ver. impositione. Quòd Subdiaconus in ordinatione non accipiat manûs impositionem consecratoriam, quæ ab Episcopo fit, dicente; *Accipe Spiritum sanctum, &c.* sed depreçatoriam tantùm manuum impositionem, iuxta c. 1. d. 69. & c. manus 74. causa 1. q. 1.

Altera responsio est Innocentij IV. Pontificis, qui super hoc c. testatur, textum esse corruptum, & legendum Diaconatum pro Subdiaconatu: Quare etiam Gl. marginalis fatetur, in duobus vetustioribus exemplaribus legi Diaconatum.

Secundò obijcitur: Quòd Pontifex non responderit ad factam interrogationem, num ille sine manuum impositione ordinatus ministrare permittendus sit. Respondeo, cum Gl. Innocentio, & alijs. Implicitè respondisse; Priùs supplendum esse, quod erat omissum, quàm ministrare permittatur. Quod maximè verum est, si sequamur vetustio-

rem Innocentij lectionem: siquidem manuum impositio pertinet ad essentiam ordinationis Diaconi, vt dixi lib. 5. tract. 9. cap. 5. ass. 3.

Ex posteriore autem responso Innocentij V. intulit Caiet. 3. p. q. 72. art. 3. balsami admixtionem non esse de necessitate Sacramẽti Confirmationis, seu balsamum non esse partem substantialem materiæ Confirmationis: Nam alioquin si sine balsamo vnctio in fronte facta esset, repeti debuisset, quod negat hîc Innocent. Sed contrariam sententiam, tanquam communiorem, secutus sum lib. 5. tract. 2. c. 2. n. 1. Ad textum hunc respondetur; Interrogationem incongruam, vtrùm Sacramentum Confirmationis iterandum, seu iterum conferendum sit, reiecisse Innocentium; cùm indubitatum sit, talia Sacramenta, quæ characterem imprimunt, nunquam iteranda esse: sed id, quod omissum, seu collatum nunquam fuerat, supplendum; erat autem omissa chrismatis vnctio; ea igitur conferenda, non autem iteranda erat. 2 Sed neque in eiusmodi casu accidentales cæremonias repetere oportet; sed id solum, quod prætermissum erat (seu accidentale seu substantiale sit,) supplere. Vide quæ dixi cit. cap. 2.

CAPITVLVM II.

A nobis.

PARAPHRASIS.

Quæsitum fuit ex Honorio III. Vtrùm corpora fidelium, quæ à Schismaticis in loco sacro sepulta fuerant, exhumari deberent: Et an vestes sacerdotales, cum quibus, & altaria, in quibus Presbyteri degradati celebrauerant, iterum consecrari. Respondet Honorius III. Corpora fidelium ob id tantùm, quòd à Schismaticis sepulta fuerint, exhumanda non esse: Neque vestes iterum benedicendas, aut altaria denuò consecranda.

SVMMARIVM.

1. *Sepultus à Schismaticis, ob hoc solum exhumandus non est.*
   Neque ecclesiæ, altaria, aut vestes iterum consecrandæ; aut cum solemnitate reconciliandæ, si ab hæretico, degradato, &c. Episcopo sunt consecrata.
2. *Quæ ab Episcopo excommunicato non tolerato, aut degradato, vel deposito consecrata sunt, reconciliatione opus non habent; quamuis decens sit, vt simplex aliqua benedictio adhibeatur vasis sacris v. g. à tali Episcopo consecratis.*

RAtio harum responsionum dari debet. 1 Quia fidelium corporum sepulturæ traditorum exhumatio; item altarium, aliarúmque rerum sacrarum reconciliatio, aut reconsecratio introduci non debent, præter casus iure expressos. Videri possunt, quæ docui lib. 5. tract. 5. c. 5. & 6.

Sed neque ecclesiæ, altaria, aut vestes iterum consecrandæ, aut cum solemnitate reconciliandæ sunt, si ab hæretico, excommunicato non tolerato, aut degradato Episcopo consecratæ fuerint. Quia sicuti in Sacramentis malitia ministri non impedit eorum valorem, & effectum; adeò, vt etiam ab hæreticis, ac Schismaticis, depositis quoque, aut realiter degradatis valide conferantur, nec repeti debeant; vti dixi lib. 5. tr. 1. cap. 5. quæst. 5. Ita etiam de Sacramentalibus, ab Ecclesia institutis, & sacerdotali aut Episcopali ordini annexis sentiendum est, ea validè conferri, non solùm à Ministris malis, sed etiam hæreticis, Schismaticis, excommunicatis, degradatis; dummodò intentionem benedicendi, aut consecrandi habeant saltem implicitam, dum facere intendunt, quod Ecclesia Romana & Apostolica solet; debitáque formâ & materiâ vtantur, vti habetur in c. Ecclesiis, 20. d. 1. de consecrat.

Obijcies: Si Episcopus excommunicatus non toleratus, aut degradatus, vel depositus

ritus sacros Ordines conferat, ordinati non consequuntur executionem legitimam, antequam cum ipsis dispensetur, vti dictum est suprà tit. 13. de Episcopo qui Episcopatui renuntiauit. Ergo eadem ratione si talis Episcopus ecclesias, altaria, aut vasa consecret, vel vestes benedicat, non poterunt ea, tanquam sacra, ad sacrificium Missæ adhiberi, nisi dispensatio & rehabilitatio seu reconciliatio Episcopi accedat. Ita concludunt hic Ioann. Andr. Antonius, & in c. consuluisti, 7. de consecr. Eccl. & altaris.

Respondeo & dico I. Argumentum hoc probabilissimè conuincit, talia ad sacrum vsum adhiberi non posse, sine Episcopi dispensatione. Cùm enim Episcopus v. g. degradatus potestatem non habeat legitimè talia consecrandi, consequens est, quòd ea consecrationem non accipiant, in ordine ad legitimam executionem, argum. c. quod autem, 5. de iure patronat.

Respond. II. Non rectè hinc inferunt Canonistæ, quæ à tali Episcopo consecrata sunt, reconcilianda esse. Ita docet etiam Suarez 3. p. tom. 3. q. 81. s. 4. ver. Violatur etiam: Tum quia Ecclesia non potest violari, cùm consecratur: quia violatio seu destructio supponit formam, *seu habitum*: Tum quia Ecclesia, altare &c. non debent reconciliari, nisi in casibus iure canonico expressis, vti habetur in cit. c. Ecclesijs: Sed casus iste violationis nullo expressus est, vti fatetur Ioann. Andr. ll. cc. addens, quòd neque in Pontificali orationes pro tali reconciliatione extent: Ergo non est asserenda.

Resp. III. Nihilominus decens est, vt in tali casu simplex aliqua benedictio, ab Episcopo, aut, iussu eius, ab alio sacerdote, cum aspersione aquæ benedictæ, adhibeatur vasis sacris v. g. si à non tolerato, depositò, aut degradato Ministro consecrata fuerint, sicuti in simili dixi lib. 5. Th. mor. tr. 5. c. 5. n. 14.

* * * *
* *

CAPITVLVM III.

Presbyter.

Paraphrasis.

Sacerdos & Diaconi, cùm ordinantur, manuum impositionem, tactu corporali, accipiunt. qui ordinandi modus primùm ab Apostolis vsurpatus est, vti constat ex S. Paulo 1. ad Timoth. 4. & 2. ad Timoth. 1. & Actor. c. 13. Quòd si manuum impositio per obliuionem, aut errorem omissa fuerit, non est aliquid iterandum; sed in sequente generali ordinatione cautè supplendum, quod prætermissum fuerat. Manuum autem impositio simul fieri debet cùm forma verborum, *Accipe Spiritum sanctum &c.* quæ & oratio dicitur, atq; benedictio Episcopalis, c. Presbyter, c. Diaconus. d. 22.

Svmmarivm.

1. *Si in ordinatione presbyteri aut Diaconi omissa sit manuum impositio, nihil eorum repeti debet, quæ ritè in ea ordinatione peracta sunt, sed sola manuum impositio supplenda.*
2. *Materia & forma sacramenti simul, seu eodem tempore (moraliter intelligendo) super ordinandis adhibenda est, ab eodem etiam ministro.*
3. *In ordinatione clericorum interuenire debet tactus corporalis; neque tamen ad substantiam sacramenti sufficit moralis; curandum autem ex necessitate præcepti, vt sit physicus.*
4. *In ordinandis diaconis & presbyteris non eodem modo manus imponuntur.*

NOTANDVM I. Si in ordinatione 1
Presbyteri, aut Diaconi omissa sit manuum impositio, nihil eorum repeti debet, quod ritè in eorum ordinatione factum erat. sed sola manuum impositio cautè (id est, vt, quàm fieri potest, ab alijs non aduertatur) supplenda est. Si videl. in generali ordinatione, is qui manuum impositionem non

acceperat, proximè alijs ordinandis assistens quod ipsi deest, consequatur, vti Hostiens. explicat hoc tit. §. Et qualiter conferatur.

2 NOTANDVM II. Materia & forma sacramenti simul, seu eodem tempore super ordinandis adhiberi debent. Idémque sentiendum de alijs sacramentis. Id verò spectata necessitate sacramenti de morali coniunctione intelligendum esse, docui lib. 5. Th. mor. tr. 2. c. 7. n. 8. Adde, quòd idem debeat esse minister, qui manus v. g. Diacono imponit, & verba benedictionis profert: alioquin si alius Minister materiâ sacramenti applicet, alius autem formam verborum proferat (quo modo Caluinistæ quibusdam locis baptizare solent) videtur sacramenti collatio irrita esse & repetenda, vti colligitur ex c. quorundam, d. 23. & dixi cit. t. 2. c. 7. n. 7.

3 NOTANDVM III. In ordinatione Clericorum interuenire debet tactus corporalis; v. g. vt manus capiti imponatur, vt patena, calix, liber Euangeliorum tangatur. Verùm ad substantiam sacramenti non requiri tactum physicum, sed sufficere moralem acceptationem oblati v. g. calicis, moralem item manuum impositionem capiti ordinandi factam, tanquam probabile docui lib. 5. Th. mor. tr. 9. c. 5. n. 4. Sed ex necessitate præcepti curandum est, vt verè corporalis & physicus tactus interueniat.

NOTANDVM IV. Formam sacramenti interdum Patres, & Pontifices vocant orationem, seu precem mysticam, vti etiam notaui lib. 5. Th. mor tr. 8. c. 3. n. 2.

QVÆRES: Vtrùm ordinandis diaconis 4 & presbyteris eodem modo manus imponantur. Respondeo: Non eodem modo: Nam in Diaconi ordinatione Episcopus manum dexteram imponit super caput ordinandi, c. Diaconus, d. 23. Sed in ordinatione Presbyteri ambas manus imponit, vt in Pontificali habetur. Sed & ante ordinationem, reliqui præsentes presbyteri iuxta manus Episcopi suas quoq; manus super caput presbyteri ordinandi tenent, c. presbyter, ead. d. & notat Gl. hic. ver. impositio.

TITVLVS XVII.

DE FILIIS PRESBYTERORVM ORDINANDIS, VEL NON.

HOc, & seqq. Titulis, vsque ad XXIII. agitur de ijs, de quibus dubitari potest, vtrũ ordinari debeant, an verò propter irregularitatem, aliámue causam, ordinatio ipsis deneganda sit. Verùm titulus iste de filijs presbyterorum non omnia comprehendit, quæ in eo tractantur. Quare ita potiùs ponendus esset. De filijs presbyterorum, & alijs illegitimè natis, vtrùm ordinari ac præfici possint.

CAPITVLVM I.

Vt filii.

PARAPHRASIS.

Filij Sacerdotum (quos in sacerdotio genuerunt) & alij ex fornicatione nati, ad sacros Ordines promouendi non sunt; nisi Religiosi fiant: Veruntamen tales Religionem professi ad prælaturam assumi non debent. Sed nec serui, seu mancipia, ordinandi sunt, nisi priùs à dominis suis libertate donentur. Sed de seruis tit. seq.

SVMMA-

SVMMARIVM.

1. *Omnes illegitimè nati irregulares sunt, nisi ab Ecclesiastico Principe legitimẽtur, vel illegitimus religiosus fiat.*
2. *Ad Prælaturam autem, vel curam animarum extra, aut intra Ordinem promoueri non possunt.*
3. *Ordinum mendicantium Prælati dispensare possunt ad prælaturas intra Ordinem consequendas.*

1 NOTANDVM I. Omnes illegitimè nati, non tantùm spurij, (seu ex damnata copula orti) sed etiam naturales, (siue nati ex simplici fornicatione) irregulares sunt; vt ad ordines, etiam minores, promoueri non possint, absque dispensatione. Ita hîc, iun. c. 1. eod. in 6. & dixi lib. 1. Th. mor. tr. 5. p. 5. c. 5. & videri debet Host. hoc tit. §. Quæ est causa, Rebuffus in praxi benefic. tit. de dispens. super defectu natalium.

Excipitur I. Nisi ab Ecclesiastico Principe, videl. à Papa, vel ab ipso potestatem habente, legitimatus sit, tum ad ordines etiam ascendere potest. Non sufficit autem Principis secularis, vid. Imperatoris, aut Regis legitimatio: cùm ea ad ciuilia tantùm iura, non item ad ecclesiastica se extendat: sicuti nec vice versa Sum. Pontifex sibi in temporalibus non subditos ad ciuilia iura & officia legitimare solet. Quia sicuti officia ecclesiastica à ciuilibus diuersa sunt, ita & potestates discretæ esse debent, vti docuit Nicolaus I. in epist. ad Michaëlem Imperatorem, prope finem. Vide, quæ dixi lib. 5. Th. mor. tr. 10. p. 3. c. 5. n. 16. & quæ infrà dicam c. 1. eod. tit. in 6.

Excipitur secundò: Nisi illegitimus Religiosus fiat. Nam Religiosi, eo ipso quòd vota in Religione approbata ediderunt, ad sacros Ordines dispensati censentur. Imò etiam ad vtendum ordinibus susceptis: Tametsi enim illegitimos, quamuis dicant se Religiones ingressuros, Episcopi ordinare non soleant ante professionem (quamuis in casu isto, postulante causa, dispensare fortasse possint, secundùm Hostiens. hoc tit. n. 8.) si tamen illegitimi, absque dispensatione ordinati fuerint, ac postea professi, probabile est maculam aboleri, vt celebrare possint, argum. c. 1. d. 56. iun. Gl. & docet Sanchez lib. 5. moral. c. 5. n. 10. contra Sairum in thesauro lib. 6. c. 11. n. 3. Cùm enim illegitimè nato, si religiosus factus sit, ordines suscipere concessum sit, cur non etiam susceptis vti? Cùm id faciliorem concessionem habeat, vt dixi lib. 5. Th. mor. tr. 5. p. 5. c. 9.

Cæterùm ad prælaturam illegit imè natus promoueri non potest, vti habetur hoc c. Sed neque ad curam animarum extra, aut intra Ordinem, c. vlt. eod. tit. Sed alia officia, seu administrationes ordinis, etiam prioratum claustralem, qui ad nutum Superioris auferri potest, illegitimè natis Religiosis conferri possunt, vti colligitur ex iuribus citatis, & docet Nauar. Consil. 6. de filijs Presbyterorum, n. 6. edit. 2. Sairus loc. cit. Sanchez. n. 16. 2

Præterea Ordines Mendicantium Apostolicum priuilegium habent, vt eorum Prælati in Capitulo Generali, aut Prouinciali cum illegitimè natis dispensare possint ad Prælaturas intra Ordinem consequendas, vt videre est apud Rodriq. tom. 1. regul. q. 13. a. 6. 3

CAPITVLVM II.

Præsentiam.

PARAPHRASIS.

Robertus Presbyter, ex sacerdote illegitimè natus, impetrauit ab Alexandro III. Pontifice capellaniam in Ecclesia, in qua pater eius beneficium habuerat, in postulatione idipsum reticens. Hoc cognito, rescribit Papa, non obstantibus prioribus Papalibus literis, Robertum à capellania amouendum esse.

SVMMARIVM.

1. *Filius clerici illegitimè natus non potest obtinere beneficium in ecclesia, in qua pater ex officio ministrauit, vel beneficium*

cinm habet, aut habuit; nec pensiones habere super fructibus paterni beneficij.

2. *Religiosus illegitimus non potest in seculari ecclesia ex officio v.g. vt parochus aut Vicarius ministrare, in qua pater eius beneficium habet, vel habuit.*

3. *Filius illegitimus non potest in Religionem seu monasterium, in quo pater eius professus est, ipso viuente suscipi.*

4. *Prohibet Trident. ne in fraudem huius constitut. resignationes reciprocæ fiant in fauorem filiorum à parentibus clericis.*

5. *Literæ papales subreptitiæ sunt, præsertim beneficiales, si impetratæ sunt tacita veritate, quæ si cognita fuisset Pontifici, gratiam non fecisset, aut beneficium non contulisset, vel conferri mandasset.*

6. *Papa facilius dispensat cum filio Sacerdotis, vt post ipsum ministret in eâdem ecclesiâ, quàm vt simul cum patre.*

1 NOTANDVM I. Filius Clerici illegitimè natus non potest obtinere beneficium in ecclesia, in qua pater ex officio ministrauit. Id verò expressiùs definitum est in Concil. Trident. sess. 25. c. 15. de reform. Vt non liceat filio Clerici illegitimè nato in ecclesia, vbi eius pater beneficium aliquod ecclesiasticum habet, aut habuit, quodcunque, etiam dissimile beneficium obtinere, nec quoquo modo ministrare: sed nec pensiones habere super fructibus beneficij, quod pater eius obtinuit. Ratio constitutionis affertur in eod. c. 15. vt paternæ incontinentiæ memoria ab Ecclesijs, seu locis DEO sacratis longissimè arceatur.

Sunt autem diligenter attendenda verba Constitutionis, vt vltra ea extensio non fiat in materia pœnali. Primò itaque ad hanc inhabilitatem requiritur: quòd sit filius clerici, non ex matrimonio legitimo natus. Quòd si ante clericatū patris ex fornicatione susceptus sit, etiam comprehendetur hoc decreto. Neque iuuat, tametsi illegitimè natus à Pontifice legitimatus sit; nisi etiam hæc inhabilitas expressè sublata fuerit, vti docet ex communi Sairus in thesauro lib. 6. c. 9. n. 30. Nam etiam post legitimationē manet incontinentiæ paternæ memoria, quæ locum sacrum dedecet, vti leges apud Gallemart in remiss. super cit. c. 15. Trid.

Sed QVÆRITVR primò: Vtrùm etiam Religiosi comprehendātur, si ex clericis illegitimè nati sint? Negat absolutè Sairus apud Ioann. Gallemart in remissionibus super cit. c. 15. Respondeo & dico I. Religiosus illegitimè natus non potest in ecclesia seculari ex officio ministrare v. g. vt parochus, aut Vicarius in qua pater eius beneficium habet, vel habuit. Nam cap. huius atque Concilij Trident. constitutio generalem de omnibus illegitimè natis presbyterorum filijs, saltem in ordine ad seculares ecclesias, prohibitionem continet. Accedit, quòd eadem ratio vrgeat, vt paternæ incontinentiæ memoria à locis sacris aboleatur.

Dico II. Filius illegitimè natus, in Religionem, seu Monasterium, in quo pater eius professus est, ipso viuente suscipi non potest. Ita statuit Gregor. XIV. in Bulla, quæ incipit: *Circumspecta*, apud Quarantam in summa Bullarij, ver. Monasteria. Inde autem per contrarium sensum colligi videtur: Si pater mortuus sit, suscipi posse in eandem Religionem seu Monasterium. Quia, vti Rodriq. notauit tom. 1. Regul. q. 13. a. 6. Alex. III. in hoc c. & Trident. Concilij intentio non fuit restringere illegitimis libertatem Religionem ingrediendi; eò quòd Patres eorum, quamuis sacerdotes, in eodem Monasterio vel Religione professionem ediderint.

QVÆRITVR secundò: Vtrùm dictis constitutionibus comprehendatur etiam nepos ex filio illegitimo clerici legitimè vel illegitimè natus, quòd ex officio ministrare non possit in ecclesia, vbi eius pater beneficium habet, vel habuit. De hac re diuersæ Cardinal. declarationes, & contrariæ DD. sententiæ extant. Sed probabiliùs negatur. Quia in constitutione pœnali, & odiosa, qualis hæc est, appellatione filiorum non com-

comprehenduntur nepotes, vti dixi etiam lib. 4 Th. mor. tr. 2. c. 14. n. 5.

Alterum REQVISITVM est. Quòd pater beneficium habeat, vel habuerit. Vnde colligitur primò: Si filius etiam illegitimè natus, in aliqua ecclesia beneficiatus fuerit, ac mortuus sit, vel resignarit, posse patrem eius in eadem beneficium acquirere, imò filio in eodem beneficio succedere, non obstantibus dictis constitutionibus, quippe quæ extendi non debent vltra casum expressum. Accedit, quòd alia sit ratio in filio succedente patri: quia filius quodammodo repræsentat patrem, ideóque paternæ incontinentiæ memoriam continuat. Quæ ratio non ita locum habet in patre comparatione filij illegitimi. Ita ex communi docêt Nicol. Garcias p. 7. c. 3. n. 28. Nauar. lib. 1. conf. 9. & 10. hoc tit. edit. 2. Simul tamen non possunt pater & filius in eadem ecclesia ex officio ministrare, vti apertè ex Trid. Concil. colligitur. Quare si filius iam obtineat in ecclesia beneficium, pater eius admitti non potest, vti etiam Cardinal. declararunt cit. c. 15. n. 4.

Colligitur secundò. Si pater in ecclesia intitulatus non fuit, sed vt Capellanus, vel Cooperator amobilis inseruiuit, posse filium eius illegitimè natum in eadem ecclesia beneficium acquirere. Ita Cardinales declararunt apud Garciam loco cit. n. 72. Simul tamen permittendum non est, vt pater & filius quomodocunque ministrent ex officio & obligatione, tametsi pater intitulatus non sit. Sed ex deuotione, aut ad stipem promerendam nihil impedit eos simul celebrare: vel vnum ita celebrare in ecclesia, vbi alter beneficiatus est, sicuti ex probabiliore docet Garcias n. 70.

Colligitur tertiò: Si pater pensionem tantùm in ecclesia habuit, quam in alterum transferre concessum sit, quòd eam filio cedere possit: quia pensio non est beneficium. Ita ex communi Azor tom. 2. lib. 8. c. 7. q. 7. Garzias cit. c. 3. n. 34. De hoc tamen meritò dubitari potest, si pensio spiritualis sit, seu ex spirituali ministerio prouenies, iuxta ea, quæ dixi lib. 4. tr. 2. c. vlt. n. 1.

Sed QVÆRITVR I. Quid si pater in aliqua Ecclesia intitulatus nullos reditus habuit, sed tantùm sedem ac locum v. g. Canonici; potéstne eius filius illegitimus in eadem Ecclesia beneficium, aut pensionem aliquam consequi? Respondetur negatiuè ex Cardinal. declarat. apud Garciam n. 66.

Quæritur secundò. Quid si pater intitulatus fuit in Ecclesia, sed possessionem nunquam est assecutus, quia priùs resignauit. Respondetur ex eodem Garcia n. 55. Gallemart. cit. c. 15. n. 4. §. Non sunt, & n. 6. posse filium in eadem Ecclesia institui. Quia non plenè censetur beneficium in Ecclesia consecutus. Sed vice versa si pater possessionem beneficij, quamuis non pacificam, & sine titulo legitimo acquisiuerit, tum filius in eadem Ecclesia ex officio ministrare non potest, vti ex Cardinal. declarat. refert idem Garcias n. 59.

Quæritur tertiò: Quid si pater intitulatus fuit, & possessionem beneficij assecutus, tamen nunquam in eo ministrarit? Respondetur, Filium eius in eadem Ecclesia deseruire, aut beneficium consequi non posse: quia pater eius beneficium consecutus censetur: ideóque obstat Constitutio Trident. Ita Cardinales apud Gallemart n. 4. in fine, Garciam n. 56. 57.

Tertium REQVISITVM. Vt beneficia, seu officia in eadem Ecclesia sint. Sin autè in diuersis ecclesiis v. g. parochialibus, quarum vna est vnita alteri, tanquam filia matrici; nihil obstat filium illegitimum fieri Vicarium aut Capellanum in Ecclesia accessoriè vnita, absque obligatione ministrandi in Ecclesia principali, cuius Rector sit pater eius. Secùs autem est, si beneficia, vid. ecclesiæ parochiales ita sub eodem Rectore vnitæ sint, vt vtraque sit per se ac principalis, tunc si pater in vna est, aut fuit Rector, vel aliter beneficiatus, tunc filius eius illegitimus nõ poterit ex officio ministrare. Ita Cardinales apud Ioan. Gallemart, cit. c. 15. & Garciam num. 62. 65.

His tribus positis conditionibus seu requisitis, constitutio prohibitiua tria continet. Primum. Quòd filio clerici beneficium qualecunque conferri non possit. Et debet

hoc intelligi de beneficio etiam manuali, atque commenda temporali. Alterum. Quòd filius Clerici in ea ecclesia quouis modo ministrare permittendus non sit. Quod intelligi debet ex officio, vt videl. Cooperatorem, vel sacellanum agat pro stipendio seu salario sibi constituto. Sed quòd neque Sacristæ, vel Cantoris officio in ea ecclesia fungi possit, Cardinal. declararunt, cit. c. 15. Tertium. Quòd pensionem aliquam ex fructibus eius beneficij, quod pater obtinet, vel obtinuit, filius consequi non possit.

4 Porrò his addendo prohibet Tridentin. Concil. eod. c. 15. in fine; ne in fraudem suprà dictæ constitutionis resignationes reciprocè in fauorem filiorum à parentibus Clericis fiant. Necesse tamen est, vt aliqua pactio inter renuntiantes interueniat, & nō ex mera voluntate, aut ex gratitudine aliquis renuntiet filio eius, qui sibi aut cognato suo antè renuntiarat, vti videre licet apud Nauar. lib. 1. consil. 10. de renunt. edit. 2. Exempli causa: Titius Parochus parochiam suam renuntiauit in fauorem Caij, qui est filius Sempronij Rectoris alterius Parochiæ: Iste Rector post duos, vel tres annos Parochiam suam, nulla præcedente resignandi obligatione, renuntiat in fauorem Seij, qui est filius illegitimus Titij, valida & Trident. Concil. non repugnans hæc renuntiatio iudicari debet.

5 Notandvm II. Literæ papales subreptitiæ sunt, præsertim beneficiales, si impetratæ sint tacita veritate, quæ si Pontifici narrata, & cognita fuisset, nequaquam gratiam feciſſet, aut beneficium contulisset, vel cōferri mandasset, c. cùm adeò, 17. c. super literis, 20. de rescr. Cæterùm si Papa proprio motu, & ex certa scientia conferat ac mandet conferri beneficium Titio, qui Clerici filius est, tametsi illud olim à patre eius obtentum fuerat, validum est rescriptum, & executioni mandandum. Quia clausula *ex certa scientia* rescripto inserta omnem præsumptionem subreptionis excludit: quin potius præsumi debet, Papam sciuisse impedimentum eius, pro quo scribit, & cum eo dispensare, sicuti docet hîc Gl. ver. non obstantibus, & sequitur Anton, & alij, arg. c. si motu, 23. de præb. in 6. Vel etiamsi in specie nescierit, voluit tamen dispensare, si canonicum impedimentum Papali potestati qualecunque subsit, idque propter adiectam clausulam, nō obstantibus: sicuti notauit Lapus c. 1. de filijs Presbyterorum in 6. n. 6.

His addendum est, quòd Papa cum filio 6
sacerdotis facilius dispenset, vt post ipsum ministret in eadem ecclesia, quàm vt simul cum patre. Id enim ecclesiæ decori magis repugnat, arg. c cùm decorem, 15. hoc tit. & notat Rebuff. in praxi, tit. de dispens. super defectu natal. n. 31.

CAPITVLVM III.

Præsentium.

Filius sacerdotis non potest suscipi ad ministerium Ecclesiæ, cui pater eius præfuit: Et, si susceptus est, inde amouendus est.

CAPITVLVM IV.

Conquerente.

Si constat, quòd pater Richardi, ex ipso illegitimè nati, in ecclesia beneficium aliquod, v. g. personatum obtinuit, non potest Richardus vel idem, vel aliud in eadem ecclesia beneficium habere, aut retinere.

CAPITVLVM V.

Veniens.

Paraphrasis.

Nicasius Clericus ab Episcopo suo Presbyter ordinatus fuit, & Rector Capellæ S. Leonardi creatus, sed postea ab eodem spoliatus ac deiectus, eò quòd pater eius in eadem ecclesia ministrauerit. Quare Nicasius questus est Alexandro III. Qui re intellecta, scripsit ad Episcopum: Si is eo tempore, quo Nicasium presbyterum ordinauit, & Capellæ præfecit, sciuerat, patrem eius in eadem ecclesia ministrasse, tum

tum ecclesiam seu Capellam ipsi restituat; amoto altero presbytero, si quem in locũ eius substituit. Sin autem ignorauerat, nihilominus ipsi ecclesiam restituat, donec ei de alio beneficio prouideat, ex quo honestè se alere possit.

SVMMARIVM.

1. *Superior proprio facto contradicere, illúdq; oppugnare, aut rescindere non potest.*
2. *Episcopus beneficium alicui contra canones conferens, cùm non esset dispensandi potestate praditus, si is à beneficio amouendus sit, à superiore Episcopi v.g. Metropolitano amoueri debet.*

CONtra hanc Alexandri III. responsionem non exiguæ difficultates mouentur; supposito, quòd Nicasius iste ex Sacerdote illegitimè natus fuerit, sicuti plerique Canonistæ intelligunt, & textus indicat, quãdo absolutè proponitur, patrem in eadem Capella ministrasse, & ideo filium instituendum non fuisse. Quod de legitimè nato filio dici non potest, nisi pater immediatè substituatur, vt infrà hoc tit. declarabitur.

Difficultates autem sunt hæ: Prima, Constat ex c. 2. & seqq. c. ad abolendam, 16. hoc tit. Filios presbyterorum illegitimos ex ecclesiis, in quibus patres eorum beneficia habent, aut habuerunt, amouendos esse. Quare si Nicasius iste, tanquam non canonicè institutus, remoueri debuit, cur Pontifex iussit eum restitui, & quidem amoto altero, qui in locum eius auctoritate ipsius Ordinarij substitutus erat?

Altera. Cùm Nicasius reticendo inhabilitatem suam, Episcopum rei ignarum fraude circumuenerit, non debebat ex iniquitate sua commodum referre. Igitur omnino remouendus erat, neque restituendus, donec aliud ei beneficium prouideretur.

Sed his non obstantibus, defendenda est responsio Alexandri Papæ, atque Notandum 1 hinc eruendum. Quòd superior proprio facto contradicere, illúdque oppugnare aut rescindere non possit, vti hîc Innoc. Andr. Anton. & alij communiter tradunt. Id verò intelligi debet, dummodò factum, v.g. collatio beneficij, saltem secundùm substantiam, seu spectato naturali iure, subsistat, donec à Superiore rescindatur. Si enim nullo modo actus subsistat, quia v.g. potestas in conferente omnimodè deficit, tunc Superior proprium factum tanquam irritum reuocare potest ac debet. Cuius exemplum habemus in c. nosti, 9. de elect. vbi Episcopus, qui ante confirmationem, ideóque antequam iurisdictionem consecutus fuerat, beneficia contulerat, collationem reuocare iubetur. Quare si Episcopus alicui (qui tamen spectato naturali iure habilis est) beneficium contra canones contulit, cùm dispensandi potestate præditus nõ esset, non ipsemet eum amouere potest, sed si amouendus sit, à Superiore Episcopi, videl. à Metropolitano, vel Papa amoueri debet, vti expressè habetur in c. diuersis, 5. in fine, de cleric. coniugatis. 2

Quare patet, quid respondendum sit ad obiectiones. Ad 1. Quòd Episcopus non habuerit ius Nicasium amouendi, si eum scienter instituerat; consequenter non habuit ius alterum substituendi. Si enim vnius destitutio rata non fuit, neque alterius substitutio valere debuit.

QVÆRES. Quid itaque in tali casu facere debet Episcopus. Respondeo: Si nemo homini litem moueat, & scandalum nullum subsit, dissimulare rem potest. Sin autem lis coram ipso moueatur, vel scandalum adsit, tum suadere, imò etiam imperare homini potest, vt beneficium resignet, vel à Superiore reualidationem tituli petat. Quòd si recuset, tum in pœnam contumaciæ & inobediẽtiæ eum priuare poterit, vel quod tutius est, curare, vt à Superiore priuetur, seu amoueatur. Porrò Summus Pontifex in casu huius c. noluit amouere Nicasium, sed gratiam illi facere, vti bene notauit Gl. hîc, ver. restituas. quia Nicasius ei supplicauit; partim verò in odium Episcopi, ne temerarium eius factum temerè promouentis, & mox proprium factum retractantis, approbare videretur.

Ad 2. resp. Considerata quidem ea parte,

quæ in obiectione proponitur, Nicasium priuationem meruisse: Ex altera verò parte considerandum est, quòd Episcopus, cùm Nicasium presbyterum ordinauit, debuerit illi secundùm canones titulum beneficij prouidere, c. cùm secundùm, 16. de præbendis: consequenter non potuit illum à parochia remouere, nisi ad alterum beneficium transferendo. Quod cùm Episcopus non fecerit, mandatur ipsi, vt hominem ad suum beneficium, vnde non debito modo amotus erat, restituat, donec ei aliud beneficium prouideatur. Videri potest Rebuff. in praxi, tit. de dispens. super natal. defectu n. 79.

CAPITVLVM VI.

Proposuit.

PARAPHRASIS.

Romanus Sacerdotis filius ab Episcopo Oxonensi Subdiaconus ordinatus fuit. Postea eum loci Dominus, ac patronus ad parochiam præsentauit. Sed Episcopus præsentationem reiecit, eò quòd non esset legitimè natus. Hac de re Romanus conquestus est Alexandro III. Is scribit ad Episcopum, indignum esse, quòd ordinatus Subdiaconus beneficij ecclesiastici prouisione carere debeat. Ideo mandat, vt honestus ac probatus Sacerdos, cum Romani consensu instituatur in ecclesia illa, Romanus autem Subdiaconum eius, seu ministrum agat: cui etiam reditu-um medietas assignetur. Quandoquidem presbyter ibi institutus non potest solus, atque sine ministro Missarum solemnia, & alia officia diuina celebrare.

SVMMARIVM.

1. *Posito, quòd filius sacerdotis, vel alius illegitimè natus ordinatus est, ei de beneficio prouideri debet.*
2. *Parochialis ecclesia eos reditus habere deberet, vt præter Parochum seu Rectorem, Diaconus seu Cooperator ali possit: quamuis hoc pluribus locis consuetudine non obseruetur.*

NOTANDVM I. Licèt Episcopus illegitimè natum in sacris ordinare non debeat, sine Papæ dispensatione, si tamen eum ordinauit, debet illi ecclesiasticum beneficium prouidere; cùm non deceat eum egere ac mendicare cum opprobrio cleri, c. Diaconi sunt, 23. circa medium, d. 93. Ita Anton. hìc, n. 1. 1

Cùm itaque Episcopus Romano saltem simplex beneficium prouidere debuerit, Pontifex hoc ei consilium suggessit, vt alius in ea Ecclesia Rector instituatur, Romanus autem eius hypodiaconus esset, media parte reditu-um eidem assignata.

Sed quæri potest I. Quare Pontifex non dispensauit cum Romano, vt Ecclesiam illam curatam regere posset. Resp. Quia non decet Pontificem cum filio sacerdotis ad beneficium curatum dispensare, sine magna causa, vti docet Host. hoc tit. n. 8. Talis autem causa hìc deerat.

Secundò: Quare dicitur, ipsius Romani consensum requirendum esse? Ideo arbitror; quia cùm partim ratione ordinationis suæ absque titulo beneficij, partim ratione præsentationis, ius & actionem aliquam habuerit contra Episcopum, voluit Pontifex, vt in hanc veluti transactionem ipsi propositam consentiret; non negata illi facultate, si quid opponere vellet.

Tertiò: Cur non etiam dicitur, consensum patroni in institutione alterius Presbyteri requirendum esse? Respondeo: Id non negari, sed supponebatur, si Romanus consenserit, patronum quoque contentum fore; cùm tota hæc prouisio in ecclesiæ illius vtilitatem, & honorem cessura sit.

NOTANDVM II. Parochialis Ecclesia eos fundationis reditus habere deberet, vt præter Parochum seu Rectorem Diaconus seu Cooperator ali possit: cùm solus sacer- 2

dos

dos congruè ac decenter sine ministro diuina officia celebrare non possit. Ita bene hîc notat Gl. ver. soluit. Quamuis hoc pluribus locis consuetudine non obseruetur.

CAPITVLVM VII.

Ex transmissa.

PARAPHRASIS.

Gaspar Clericus (legitimè natus) à patrono ad beneficium quoddam præsentatus erat. Sed Archiepisc. Cantuariensis eum instituere nolebat, quòd pater eius idem beneficium obtinuerit. Timebat enim, ne ea res speciem quandam successionis hæreditariæ præ se ferret, si filius patri in beneficio succederet. Ea re intellecta, Alexand. III. mandat Archiepiscopo, vt dicto Gaspari beneficium conferat: cùm enim post patrem alia persona in beneficio interceserit, nullum esse potest hæreditariæ successionis periculum.

SVMMARIVM.

Filius legitimus eodem beneficio frui potest, quo mediatè pater fruebatur.

NOTANDVM Vn. Filius legitimus idem beneficium, quod pater eius habuit, absque dispensatione obtinere potest, si non immediatè ei succedat. Quia hoc casu dici non potest, quòd iure quasi hæreditario id consequatur; cùm non patris, sed potiùs alterius personæ successor sit. Necesse tamen est, vt persona intermedia non tantùm titulum acceperit, sed & possessionem, vti notat Rebuffus in praxi tit. de dispens. super natalium defectu, n. 22. Sed etsi possessionem beneficij extraneus acceperit, sed statim filio antecessoris resignarit, censebitur fraus commissa contra canonem, vt idem Rebuff. notat num. 23.

* * *

CAPITVLVM VIII.

Constitutus.

PARAPHRASIS.

Guilielmus Clericus capellaniam quandam adeptus, in ea pluribus annis ministrauit; postea à quodam milite eâ spoliatus, & eiectus fuit. Cùm autem de hoc apud Ordinarium questus esset, obiectum illi fuit, quòd pater eius in eadem capella ministrarit. Sed Guilielmus replicauit, quòd pater eius nullum in ea capella titulum habuerit, neque perpetuus Vicarius fuerit, sed nomine ac vice ipsius Guilielmi ad tempus ministrarit. His coram Alexand. III. propositis, respondet, si ita se res habeat, Guilielmo beneficium illud vnà cum reditibus ab alieno possessore perceptis restituendum esse.

SVMMARIVM.

1. *Filius etiam illegitimus, patrem vt Vicarium temporalem in administrando beneficio constituere potest.*
2. *Iniustè spoliatus beneficio, ad illud restitui debet vnà cum fructibus perceptis & percipiendis.*
3. *Si spoliatus simul iudicio possessorio & petitorio agat, Iudex inquirere debet, an per vim spoliatus fuerit, & an eius in beneficio competat; secùs est, si tantùm possessorio agat, siue restitui se postulet.*

NOTANDVM I. Filius patrem vt Vicarium temporalem in administarando beneficio constituere potest. Idque locum habet siue legitimus filius sit, siue illegitimus. Sin verò filius patri beneficium renuntiarit, eúmue inuestiri permiserit, tum filius idem beneficium nunquam consequi potest, si illegitimè natus est: sin autem legitimus, saltem immeditè post patrem, adipisci illud non potest. 1

NOTANDVM II. Si quis beneficio 2 iniu-

iniustè spoliatus fuit, restitui ad illud debet, vnà cum fructibus ab iniquo possessore perceptis: quin & ijs, quos ipsemet percepisset, nisi iniustè spoliatus fuisset, ita vt per omnia indemnis seruetur, vti habetur in c. grauis, 11. de restit. spoliator. & reg. 79. ff. & dixi lib. 3. Th. mor. tr. 2. c. 4. in fine.

3 NOTANDVM III. Si spoliatus seu deiectus à beneficio, simul iudicio possessorio, & petitorio agat, tum Iudex de vtroque inquirere debet; videl. vtrùm per vim spoliatus fuerit, & vtrùm ei ius in beneficio competat, vti hic notat Gl. ver. eiectus, & habetur etiam in c. cùm dilectus, 5. de causa possess. & propriet. Alioquin verò, si deiectus tantùm possessorio agat, siue restitui se postulet, non potest ei obijci vitium canonicæ institutionis: sed ante omnia restitui debet, & postea quæstio agitari de proprietate iuris, seu titulo beneficij, iuxta c. in literis, 5. de restit. spoliat.

CAPITVLVM IX.

Ex tua.

PARAPHRASIS.

Archiepiscopus Eboracēsis obtinuerat à Papa Alex. III. facultatem dispensandi cum Clericis, filijs sacerdotum (legitimis) vt possent retinere ecclesias, quas eorum patres immediatè ante illos possederunt. Sed postea quidam clerici cōtra sacerdotum filios ab eodem Pontifice literas impetrarunt ad quosdā Iudices, quibus mādabatur, si constaret illorum patres immediatè antè Ecclesias possedisse, filij remoueantur, & Clerici, qui literas impetrarunt, instituantur. Verùm Alexander postea de tota causa plenè edoctus, rescripsit Archiepiscopo, si ipse priorum literarum suarum vigore cum quibusdam sacerdotum filijs dispensarat, vt posterioribus litēris tāquam subreptitijs nihil moueatur. Addit deinde, sacris canonibus repugnare, quòd beneficia Ecclesiastica à laicis, sine Episcopi auctoritate conferantur: quare si qui Clerici ita instituti sint, remoueri debeant.

SYMMARIVM.

1. *Literæ papales disponentes de instituendo impetratæ in beneficio, amoto possessore, subreptitiæ sunt, & executioni non mandandæ; si in ijs mentio non fiat dispensationis ab Ordinario factæ.*
2. *Laici non possunt beneficia conferre, aut beneficiatos instituere.*

NOTANDVM I. Literæ Papales, quibus iubetur, vt impetrans in beneficio instituatur, amoto possessore tanquam vitiosè intruso, subreptitiæ sunt, & executioni non mandandæ, si in ijs mentio non fiat dispensationis ab Ordinario factæ: saltem in ijs casibus, quibus dispensandi facultas ei competit. 1

NOTANDVM II. Laici non possunt beneficia conferre, aut beneficiatos instituere. Tametsi enim, si Ecclesiæ patroni sint, Clericos præsentare possint ad beneficia: non tamen ipsi eos instituunt, sed ordinarius collator, videl. Episcopus, aliúsue Prælatus. 2

CAPITVLVM X.

Quoniam.

PARAPHRASIS.

Si notorium est, quòd patres Clericorum illegitimè natorum in aliqua ecclesia personatus possederint, absque testium auditione, alióque iudiciario processu, filij ex eâdem ecclesia amoueri debent.

SYMMARIVM.

In causa publicè notoria non est necesse testes producere, aut ordinem iudiciarium obseruare: sed tamen proponi seu allegari debet factum esse notorium.

NOTANDVM Vn. In causa publicè notoria necesse non est testes producere, aut ordinem iudiciarium obseruare. Ita etiam habetur in c. de manifesta, 17. causa 2. q. 1. Necesse tamen est, vt proponatur, seu allegetur factum notorium esse, vt apparent, inqui-

inquisitione, aut probatione non indigere. vti docent DD. in l. ea quidem, 7. C. de accusat.

CAPITVLVM XI.

Ad hæc.

SVMMARIVM.

1. *Filius etiam legitimus remouendus est à beneficio, quod parens immediatè antè possedit.*
2. *Nepos autem, viuo patre suo, succedere potest in eodem beneficio immediatè auo suo.*

FIlij Clericorum, etiam legitimè nati, amouendi sunt ab Ecclesijs, quas patres eorum, nulla mediante persona, in titulum, etiam per modum perpetuæ vicariæ, tenuerunt.

Ratio affertur in Trident. sess. 25. c. 7. de reform. Quia in beneficijs ecclesiasticis ea, quæ hæreditariæ successionis speciem præ se ferunt, sacris constitutionibus contraria sunt, vti videre est in c. Apostolica, 7. causa 8. q. 1. Necesse autem est, vt pater beneficij possessionem assecutus sit; tametsi fortè nullos reditus perceperit, aut nunquam in Ecclesia ministrarit. Sin autem tantùm titulum beneficij, non autem possessionem consecutus sit, quia statim renuntiauit, tum filius idem beneficium consequi potest; quia hoc casu pater quasi non cẽsetur habuisse beneficium, quod nunquam tenuit seu apprehendit, vti docet Garcias p. 7. c. 3. n. 55.

1 Sed quæstio est: Vtrùm nepos in eodem beneficio imediatè succedere possit auo suo? Negat Gl. hic ver. filij. Sed meliùs distinguit Hostiensis in sum. huius tit. §. Qui filij, Innoc. in hoc c. Syl. ver. beneficium, 3. q. 6. Viuo patre suo succedere posse; eo mortuo non posse. Quia tunc in locum patris sui subintrans, auo filij loco esse censetur, Instit. de hæredum qualit. §. sui autem. Quare tota ratio hæreditariæ successionis euitandæ hic locum habet, vt dixi lib. 4. Th. mor. tr. 2. c. 14. n. 6.

Si Obijcias: In materia odiosa nomine filiorum non comprehendi nepotes. Resp. Non versari nos in materia odiosa aut pœnali: siquidem filij legitimè nati non ob pœnam aliquam à paternis beneficijs arcentur; sed principaliter ob honorem Ecclesiarum, ne in ijs hæreditariæ successionis iura introducantur. Quare spectata principali intentione, constitutio hæc potiùs fauorabilis iudicari debet. Accedit, quòd nepotes, post mortem patrum suorum, etiam filiorum nomine comprehendi soleant, si de successione, aut quasi successione hæreditaria sermo sit.

Corollarium. Neque nepos legitimè natus ex filio illegitimo Titij, post mortem patris, succedere potest in beneficio Titij aui sui: saltem si pater eius, quia legitimatus erat, jus succedendi habuerat in bonis Titij, quod ius in nepotem transit. Et ita sentiunt hîc Hostiensis. Innoc. & alij.

CAPITVLVM XII.

Ad hæc.

PARAPHRASIS.

Filius Episcopi, qui ex legitimo matrimonio ante patris sacerdotium natus est, ad sacros Ordines promoueri, & in ea etiam Cathedrali Ecclesia, cui pater eius præest, aut præfuit, beneficium, v. g. præposituram, aut Canonicatum consequi potest.

SVMMARIVM.

Filius legitimè natus in eadem ecclesia, in qua pater beneficium habet, aliud quodcunque consequi potest.

NOTANDVM I. Filius in eadem Ecclesia, in qua pater beneficium habet, aliud quodcunque beneficium consequi potest. Idq; verum est, tametsi beneficium filio collatum simile sit paterno, vt si filius Canonicus fiat in eadem Ecclesia, in qua pater

eius Canonicatum habet. Ita contra quosdam Canonistas rectè docet Rebuffus in praxi tit. de dispens. super defectu natalium, n. 32. vbi ait, inauditum esse, vt filius legitimus petat dispensationem ad obtinendum beneficium in ecclesia, eò quòd pater inibi etiam habeat. Nam in filijs Clericorum legitimis id solùm cauetur, ne patribus in beneficio immediatè succedant. Si autem pater & filius simul beneficia, quamuis similia, obtineant, vnus non succedit alteri, eò ipso quòd vterque suũ habet, & retinet. Accedit, quòd successio necessario fiat in eodẽ beneficio; vbi autem duo beneficiati sunt, necesse etiam est duo beneficia, v. g. duos canonicatus esse, argum. c. dilecto, 25. de præb. Ergo successioni locus non est.

NOTANDVM II. Post mortem patris beneficiati filius legitimus in eâdem ecclesiâ beneficium consequi potest, dummodò non in eodem immediatè illi succedat. Ita Hostiensis hoc tit.

§. Qui filij.

COrollarium. Si Ecclesia Collegiata numerata non sit, id est, numerum Canonicorum determinatum nõ habeat, tum post mortem patris Canonici, statim conferri potest Canonicatus filio eius legitimo. Quia cùm Canonicatus in ecclesia non numerata morte Canonici vacare non censeatur, iuxta c. ex parte, 10. de concess. præb. & dixi lib. 4. Th. mor. tr. 2. c. 16. n. 5. ideo dici non potest, filium in eodem beneficio succedere patri. Ita notauit hîc Anton. de Butrio.

CAPITVLVM XIII.

Michael.

PARAPHRASIS.

Presbyter quidam significauit Alexandro III. quòd Rectoriam alicuius Ecclesiæ canonicè adeptus fuisset, quam ante ipsum Antonius possidebat. Sed Marcus filius legitimus Antonij asserebat, sibi eiusdem Ecclesiæ Vicariam perpetuam competere. Ad id respondet Papa, si res ita se habeat, vti narratur, Marco silentium perpetuum super ea Vicaria imponendum esse.

SVMMARIVM.

1. *Non potest filius esse Vicarius perpetuus ecclesiæ, cuius immediatè parens Rector fuit.*
2. *Pater, ad quem ratione alicuius personatus, ecclesia parochialis per incorporationem spectat, Vicarium ibi perpetuum instituere non potest legitimum filium suum.*
3. *Si Rector principalis ecclesiæ mortuus sit, & Vicaria etiam vacet; potest ea filio defuncti Rectoris conferri, si persona media intercessit.*
4. *Si pater in aliqua Ecclesia Vicarius intitulatus fuit, non potest immediatè post ipsum filius Vicariam consequi.*

NOTANDVM Vn. Filius legitimus non potest obtinere Vicariam perpetuam eius ecclesiæ, in qua pater eius Rector principalis, nulla persona mediante, extitit. Ratio est, quam assignat Hostiens. hoc tit. §. Qui filij. Quia vnius beneficij v. g. parochiæ, vnus est titulus, seu vnum & indiuisum ius, c. dilecto, 25. de præb. Ergo si filius perpetuam Vicariam acquirat, adeóq; intituletur in parochia, quam patet ei proximè obtinuerat, censetur succedere patri.

QVÆRES I. Potéstne pater, ad quem ratione alicuius personatus, ecclesia parochialis per incorporationem spectat, Vicarium ibi cõstituere legitimum filium suum? Respondeo; Posse constituere Vicarium temporalem; non autem perpetuum, seu intitulatum. Et hunc arbitror fuisse casum huius c. quòd Marcus ab Antonio patre suo Vicarius constitutus fuerit, illóque mortuo, quasi ius & titulus Vicariæ sibi competeret, recedere noluerit. Quod improbat Papa: quia si ecclesiæ Rector filium suum Vicarium perpetuum seu intitulatum faceret, tum ius beneficiale illi communicaret; ideóque filius quasi hæreditariè succederet in iure patris.

Dices

Dices: Ponamus, priorem Antonij Rectoris Vicarium mortuum fuisse, si filius eiusdem Antonij substituatur, non succedet patri suo, sed antecessori Vicario. Respondeo. Id fieri non posse: nam mortuo Vicario ius omne parochiæ deuolui tur ad Rectorem: consequenter si filius eius deinde Vicariam perpetuam assequatur, censetur succedere in iure patris.

3 QVÆRES II. Si Rector ille principalis mortuus sit, & Vicaria etiam vacet, potéstne ea filio defuncti Rectoris conferri? Resp. Posse conferri, si persona media intercessit. Id verò duobus modis accidere potest: Primò: Si Rector mortuus sit ante Vicarium; tum eo etiam mortuo non censetur filius illius Rectoris succedere patri; sed potiùs Vicario. Secundò: Si Rectoria principalis ad alium deoluta sit, potest is filium prioris Rectoris Vicarium instituere: cùm non succedat in iure & titulo patris, sed potiùs in iure præsentis Rectoris. Quare Presbyter, de quo mentio est in hoc c. potuisset, si voluisset, Marcum instituere Vicarium suum: sed Marcus ideo repellebatur, quia putabat sibi ius competere ad Vicariam ex præsentatione, aut institutione profecta à patre suo.

4 QVÆRES III. Si pater in aliqua Ecclesia Vicarius intitulatus fuit, potéstne immediatè post ipsum filius Vicariam consequi? Resp. cum Rebuffo in praxi tit. de dispens. super defectu natal. num. 16. Non posse. Quia etiam hæc res hæreditariæ successionis imaginem quandam refert. Multò minùs filius, nulla mediáte persona, Rectoriam principalem consequi poterit eius ecclesię, in qua pater eius Vicarius fuit, vti hic ex communi Antonius notauit.

CAPITVLVM XIV.

Literas.

PARAPHRASIS.

Relatum est Alexandro III. quòd Henricus, quem Sacerdos in Sacerdotio ex vxore legitima genuit, sacros ordines suscipere cuperet. Ad hoc respondit Pontifex, Licèt incontinentia Sacerdotum in filiis quoq; notanda & redarguenda sit, in hoc tamen casu, si alioquin dignus est Henricus, permittere se, vt ordinetur, & ecclesiasticum beneficium consequatur.

SVMMARIVM.

1. *Filius, quem Sacerdos post promissam continentiam ex vxore genuit, absolutè loquendo, legitimus censetur.*
2. *Est tamen irregularis.*

DIsputant hîc Canonistæ, vtrùm Henricus iste filius legitimus fuerit, néne: Et vtrùm Papa cum ipso dispensarit, an verò secundùm ius commune ad ordines & beneficia ecclesiastica admissus fuerit.

Ad 1. resp. ex communiore sent. apud Suarez de censur. disp. 50. sect. 2. n. 3. Sanch. lib. 9. de matrim. disp. 38. contra Rebuff. in praxi tit. de dispensat. super defect. natal. num. 40. & Gloss. hîc ver. not. vn. Filium, quem sa- 1
cerdos, post promissam continentiam ex vxore genuit, absolutè loquendo, legitimum censeri: cùm ex vero matrimonio natus sit; quippe quod semel legitimè contractum, nullo voto simplici continentiæ dissoluitur, sed neque professione solemni in Religione, si consummatum fuerat.

Ad 2. resp. Licèt talis filius legitimus sit, 2
ac proinde hereditarię successionis, aliorúmque iurium capax, attamen irregularem esse, atque sine Sedis Apostolicæ licentia ad sacros ordines & beneficia ecclesiastica promoueri non posse, sicuti Innoc. hîc, & alij communiter docent, atque apertè colligitur ex hoc c. secundùm integram eius lectionem, apud Suarez cit. sect. 2. n. 5. Cùm Henricus iste per paternam incontinentiam genitus sit, ideo secundùm canones ab ordinibus repellendum esse; tamen vt postulationis suæ apud Sedem Apostolicam effectum aliquem consequatur, permittere se, &c. Ratio est; Quia negari non potest, quin filius ita genitus ex sacerdote, aut sacrum ordinem professo, maculam aliquam contrahat propter incontinentiam, & sacrilegium patris, argum. c. ministri, 19. d. 81. Sed & periculum sit, si sacerdos ordinetur, ne patri similis euadat.

CAPITVLVM XV.

Cùm decorem.

Filijs Canonicorum illegitimè natis conferri non debent beneficia in ijs Ecclesiis, in quibus Patres eorum canonicatum obtinent.

CAPITVLVM XVI.

Ad abolendam.

Filij Canonicorum illegitimi, præsertim si spurij sint (siue nati ex mulieribus, cum quibus tempore conceptionis, aut natiuitatis matrimonium consistere non potuisset) in eisdem secularibus ecclesiis, in quibus eorum patres instituti sunt, Canonici fieri non possunt. Et si quis talem instituere præsumpserit, à beneficiis suis suspendatur. Ita hoc c. intelligit Gl. ver illegitimi, & Innoc. hîc.

Nota hîc argumentum à sensu contrario: Cùm enim Pontifex specificè ac limitatè prohibeat filios illegitimos canonicos institui in ecclesiis secularibus, in quibus patres eorum canonicatum assecuti sunt; censetur permittere, vt filij illegitimi recipiantur in ecclesiis Canonicorum regularium, in quibus patres eorum professi sunt. Ita Gl. hîc ver. ecclesiis. Sed quid de hac re iure nouo statutum sit, dixi suprà c. 2.

CAPITVLVM XVII.

Dilectus.

SI filius legitimus patri suo in eadem ecclesia absque Sedis Apostolicæ dispensatione, immediatè succesſit, inde, prout sacri canones statuunt, amouendus est: Tametsi asseratur, quòd Legatus Apostolicus cum eo dispensarit.

Notandvm Vn. Legatus Sedis Apostolicæ non potest in vniuersalibus canonibus dispensare, nisi id ei aut præscripta consuetudine, aut speciali priuilegio competat.

CAPITVLVM VLT.

Nimis.

Filij sacerdotum, & alij illegitimè nati Clerici ad dignitates, personatus, & curata beneficia absque Sedis Apostolicæ dispensatione promoueri non possunt; si autem ita promoti sint, remoueri debent.

Hinc verò per sensum contrarium colligunt DD. Quòd Episcopus cum illegitimis dispensare possit ad beneficia simplicia, vti expressiùs habetur in c. 1. eod. in 6.

Sed quæres: Si beneficium simplex v. g. ecclesiæ Collegiatæ Canonicatus curam animarũ per accidens annexã habet, propter vnionẽ Ecclesiæ parochialis, vtrùm ad illud beneficium consequẽdum Episcopus cum illegitimo ex causa iusta dispensare possit? Resp. affirmatiuè cum Lappo in cit. c. 1. n. 3. Ancharano ibid. q. 1. contra Gl. ver. tale. Quia beneficium vnitum per se non confertur, sed accessoriè cum principali, cuius naturam & conditiones sequitur, vti dixi lib. 4. tr. 2. c. 9.

CAPITVLVM I. eod. Tit. in 6.

Is qui.

Paraphrasis.

Illegitimè nati per Episcopi dispensationem (si alio impedimento canonico non laborent) ad ordines minores, & beneficium, cui cura animarum non incumbit, promoueri possunt: dummodò tale beneficium sit, vt limites dispensationis Episcopalis non excedat. Sed ad maiores ordines, & beneficia curata absque Apostolicæ Sedis dispensatione promoueri nequeunt.

§. Ille verò.

QVi à Sede Apostolica dispensationem accepit, vt non obstante defectu natalium, beneficium, etiam curatum, consequi possit;

possit; is prætextu huius dispensationis, quippe quæ tanquam à iure communi exorbitans strictam interpretationem mereatur) vnicum tantum beneficium obtinere potest.

SVMMARIVM.

1. *Aliud est legitimatio, aliud verò dispensatio cum illegitimo ad certum actum seu effectum, v.g. ad ordines, beneficia.*
2. *Discrimen I. Legitimatio est absolutè dicta natalium restitutio, ita vt per se legitimatus gaudeat omnibus legitimorum iuribus.*
   Dispensatio non abolet defectum natalium, sed tribuit, vt eo non obstante illegitimus ad vnum vel plures actus legitimos admitti possit.
3. *Discrimen II. Dispensatio strictam interpretationem; latam autem habet legitimatio.*
4. *Discrimen III. Legitimatio proprium Principis priuilegium est; Dispensatio autem etiam quandoque ordinario iure Inferioribus competit.*
5. *Beneficia simplicia, quæ limites dispensationis Episcopalis excedunt, sunt, quæ vel secundùm ius commune, vel secundùm consuetudinem Curiæ Rom. vel ecclesiæ particularis iuratum, aut à Sede Apostolica confirmatum statutum illegitimis prouenire non possunt.*
6. *Dispensatio papalis super natalium defectu explicari debet, vt non plus conferat, quàm verba strictè accepta significent.*

1 IN primis sciendum est, quòd aliud sit legitimatio, aliud verò dispensatio cum legitimo ad certum actum, seu effectum, v.g. ad ordines, ad beneficia. Inter hæc enim varia di-
2 scrimina sunt: Primum & præcipuum, quòd legitimatio sit absolutè dicta natalium restitutio, ita vt legitimatus omnibus legitimorum iuribus gaudere possit, iuxta l. quæris, ff. de natalibus restituendis. Præterquam si aliqua vel in ipso rescripto, vel communi iure, aut consuetudine regni specialiter excepta sint. Quomodo legitimatus in ciuilibus succedere non potest in paterna nobilitate, feudo, &c. Et legitimatus in Ecclesiasticis promoueri non potest sine noua Pontificia dispensatione ad dignitatem Episcopalem vel Cardinalitiam, vt dixi lib. 5. tr. 10. p. 3. c. 5. n. 17. & 18. At verò dispensatio absolutè non abolet defectum natalium, sed tribuit, vt eo nō obstante, illegitimus ad vnum vel plures actus legitimos admitti possit. Ex quo nascitur alterum discrimen; Quòd dispensa- 3
tio in defectu natalium, cùm iuri communi (quod fauorabile est) deroget, strictam interpretationem habere debeat, vti dicitur in hoc c. §. sanè, & consentit c. non potest, 21. de præb. in 6. iun. Gl. magna. At verò legitimatio, cùm sit gratia & beneficium Principis, amplam potiùs interpretationem meretur, quod notarunt Lappus & Ancharanus super hoc c. Coüar. in epit. 4. decretal. p. 2. c. 8. §. 8. n. 5. Molina to. 1. de iust. tr. 2. disp. 173. n. 3. Tertium discrimen. Legitimatio, seu 4
natalium restitutio proprium Principis priuilegium est. At verò dispensatio in ordine ad certum actum, vel effectum etiam inferioribus quandoque communi & ordinario iure competit, v.g. Episcopis, vt cum illegitimis subditis, vel saltem diœcesanis suis dispensare possit ad ordines minores, & beneficia simplicia.

Nunc quæritur: Quænam beneficia sim- 5
plicia sint, quæ limites dispensationis Episcopalis excedunt. Resp. Ea sunt, quæ vel secundùm ius commune, vel secundùm consuetudinem Curiæ Romanæ, vel secundùm Ecclesiæ particularis iuratum, aut à Sede Apostolica confirmatum statutum illegitimis prouenire non possunt. Exemplum primi: Illegitimus per Episcopi dispensationem cō-sequi non potest beneficium simplex in ecclesia, vbi pater eius beneficiatus est, aut fuit. Exemplum secundi. Illegitimus per Episcopi dispensationem non potest consequi Ecclesiæ cathedralis Canonicatum, vti docet Rebuffus in praxi tit. de dispensat. super defectu natalium, n. 10. Quandoquidem etiam Papa in dispensatione cum illegitimo ad beneficia quæcunque excipere solet dignitates

& Canonicatus in ecclesia Cathedrali, & primam seu principalem in Collegiata, sicuti testatur Garcias de benef. p. 7. c. 2. n. 71. Vtrùm autem, spectato iure cõmuni & abstrahendo à consuetudine Curiæ, Episcopus cum illegitimo ad canonicatum Ecclesię Cathedralis dispensare possit, disputant hîc DD. & multi affirmant, inter quos Archidiaconus & Dominicus contra Ioan. Monachum hîc, n. 7. & Gl. hic ver. beneficium. Videri potest Less. lib. 2. de iust. c. 34. n. 86.

Exemplum tertij. Si Canonici Ecclesiæ Collegiatæ statutum fecerint, vt nemo in Capitulum recipiatur, nisi legitimè natus sit, non potest in eo Episcopus, vel similis Prælatus dispensare, si iurauit se quoque illud seruaturum, vel si Apostolica auctoritate confirmatum est. Idémque est, si Capitulum statutum habeat à Papa confirmatum, vt in Canonicum nemo recipiatur, nisi in maioribus ordinibus constitutus sit: cùm enim Episcopus non possit cum illegitimo dispensare in ordine ad ordines maiores, consequẽter non poterit eum habilitare ad eius ecclesiæ canonicatum, nisi priùs à Papa dispensationem accepisset, vt ordines sacros suscipere ei liceat. Videri potest Ioan. Monachus n. 4. Lappus n. 5. & Anchoranus. §. Quæro, vtrùm. Qui tamẽ probabiliter aiunt, Episcopum in tali casu dispensare posse, si beneficium, vt ordinariè accidit, non requirat sacrum ordinem actu, sed vt intra annum promoueatur: iuxta c. commissa, 35. in 6. de elect. Si enim dispensatus intra annum non promoueatur, amoueri poterit, sin autem accepta noua dispensatione à Sum. Pontifice, ordinetur, tum beneficium retinebit.

§. Sanè, vt suprà.

6 NOTANDVM Vn. Dispensatio Papalis super natalium defectu, ita explicari debet, vt non plus conferat, quàm verba strictè accepta significãt. Qua de re legi possunt, quæ congerunt Rebuffus cit. tit. de dispensat. super natalium defectu, n. 41. & seqq. Sairus in thesauro, cit. lib. 6. c. 11. n. 17. Couar. in 4. decret. p. 2. c. 8. §. 8. n. 5. Videl. Si Papa cum illegitimo dispensauit, vt ordines suscipere possit, intelligendum est de minoribus tantùm: Si dispensauit ad ordines, etiam sacros, non censetur etiam dispensasse ad beneficium, Quod tamen mihi non placet: quandoquidem secundùm canones ordinato in sacris debetur beneficium, c. proposuit, hoc tit. Si ergo Papa concessit prius, censeri debet etiam concessisse consequens, iuxta ea quæ dicam in c. cùm teneamur, 6. de præb. Præterea qui à Papa dispensatus est ad beneficia, non potest idcirco obtinere pensionem, cùm pensio propriè non sit beneficium: Item qui ad beneficia simpliciter dispensatus est, non potest promoueri ad curata: Et qui ad curata etiam dispensationem obtinuit, non ideo cõsequi potest dignitates, aut personatus Ecclesiarum: Et qui ad beneficia quæcunque, etiam dignitates, non ideo obtinere potest principalem in Ecclesia Collegiata, nec maiorem post Episcopalem in Cathedrali: quia secundùm stylum Curiæ hæ dignitates specialem expressionem requirunt, ideóque in generali concessione, seu dispensatione non comprehenduntur, argum. reg. 81. in 6. Denique dispensatus ad dignitates quascunque non ideo habilis censetur ad Episcopatum, vel Cardinalatum, ob eandem specialitatis rationem.

Denique vt ex hoc § colligitur, dispensatus à Pontifice ad beneficium simplex, aut curatum, si eo retento, aliud beneficium consequi velit, non tantùm prioris mentionem facere debet, sed etiam natalium defectum exprimere, vti ex communi docet Couar. cit. §. 8. n. 5. Molin. cit. disp. 173. num. 35. Sed neque dimisso vno beneficio, super quo dispensatus est illegitimus, aliud obtinere potest absque noua dispensatione. Cuius rationem affert Ioann. Monachus hîc, quia prior dispensatio si data sit super certo beneficio, effectum suum consecuta fuit, ideóque eius efficacitas cessat. At verò legitimatio semel data semper manet & operatur. Porro si Papa cum illegitimo indeterminatè dispensarit, ad beneficium aliquod consequen-

sequendum, tunc vno dimisso aliud consequi poterit, vti bene hic distinguunt Dominicus de Geminiana, & Anchoranus.

CAPITVLVM II.

Si is.

PARAPHRASIS.

Titius illegitimè natus impetrauerat à Papa dispensationem ad omnes ordines, & beneficium, etiam curatum consequendum. Postea aliam dispensationem obtinuit, vt liceat ipsi duo, aut plura beneficia curata habere, nulla facta mentione defectûs natalium; hoc casu ait Pontifex Bonifac. VIII. posteriorem dispensationem subreptitiam, & nullius momenti esse: Quia verisimile non est, Pontificem eam concessurum fuisse, si natalium defectus expressus fuisset.

SVMMARIVM.

1. *Dispensatio super impedimento restringitur ad tenorem postulationis.*
2. *Dispensatio Papalis facta ex motu proprio, seu ex certa scientia, non requirit, vt totum impedimentum exprimatur in literis.*

PRo confirmatione huius responsi in primis repetendum est, quod dixi præced. c. & notat hîc Anchoranus: Licèt legitimatus à Principe, alia iura ac priuilegia consequi possit, tametsi defectum natalium subticeat; cùm is per legitimationem sublatus sit: secùs tamen est in dispensato ad certum effectum, v. g. vnum beneficium curatum accipiendum. Is enim nihilominus illegitimus manet; consequenter in impetratione nouæ gratiæ, quæ illegitimis non facilè concedi solet, debet defectum natalium iterum explicare. Deinde aduertendum est ex Lappo c. 1. n. 6. hoc tit. & lib. Si Papa ad alicuius petitionē dispenset super impedimento, tum dispensatio restringitur ad ea, quæ à postulante proposita sunt; consequenter si totum impedimentum non est expressum, dispensatio non valet; cùm personam non omnino habilem faciat. Sicuti apparet in casu huius c. Siquidem Titius ad obtinendum alterum curatum habet duo impedimenta; videl. quòd vnum iam habeat & retinere velit; & quòd natalium defectu laboret: quare vtrumque in petitione explicare debet. 1

Sin autem Papa motu proprio, seu ex certa scientia dispenset, tunc non requiritur, vt totum impedimentum in literis exprimatur; cùm sufficiat clausula generalis, *non obstantibus*, per quam omnia impedimenta sublata censentur, quæ Apostolica potestate auferri possunt, ac solent. 2

TITVLVS XVIII.

DE SERVIS NON ORDINANDIS, ET EORVM MANVMISSIONE.

SVmma eorum, quæ hoc tit. docentur, in his consistit. Serui, seu mancipia ordinari non debent, nisi à dominis suis manumissi, seu libertate donati sunt, c. 1. & c. 5. consuluit, hoc tit. Quare si quis domino ignorante in minoribus ordinatus fuit, potuit eum sibi vendicare seu repetere, c. 2. eod. Sin autem in sacris domino inuito ordinatus esset, quid agendum fuerit, dixi lib. 1. Th. mor. tr. 5. p. 5. c. 8. n. 1. & de hac re mentio fit in c. penult. hoc tit. Interdum verò

rò manumittebat seruum, reseruatis ta men sibi operis seu seruitijs spiritualibus, quæ manumittenti præstare cogebantur, vti videre est c. eo libentius, eod, & c. 2. de successione ab intestato. Sed & quandoque ea reseruatione serui, manumissi fuerunt & in sacris ordinati, vt quidquid acquirerent, ad ecclesiam, à qua libertatem consecuti fuerant, spectare deberet, c. 3. eod. Sed etsi absolutè & simpliciter libertate donati fuerint, domino obsequia, & gratitudinis vicem præstare obligati erãt, ita vt dominum in iudicio accusare prohiberentur, alioquin in seruitutem reduci possent, cit. c. 3. §. Quibus. Et in c. nullus 4. hoc tit. manumissus degradari iubetur, si domino suo obsequij causa horas canonicas psallere recusauerit. Denique seruus ratione natiuitatis censeri debet, qui ex matre serua natus est, tametsi pater liber fuerit. c. vlt. hoc tit. Nam partus sequitur conditionem matris.

TITVLVS XIX.

DE OBLIGATIS AD RATIOCINIA ORDINANDIS, VEL NON.

CAPITVLVM Vn.

Magnus.

SVMMARIVM.

1. *Obnoxij ratiocinijs, vt Syndici, officiales seu curiales publici, & pupillorum tutores, ordinari non debent, nisi deposito munere, & redditis rationibus digni iudicati sint.*
2. *Excipiendi tamen sunt tutores & defensores personarum miserabilium, vel talium, quæ auxilio ecclesiæ maximè indigere videntur.*
3. *Vti & ij, qui legitimi suorum agnatorum tutores sunt.*
4. *Constitutio hæc extendenda est ad ea etiam officia, aut negotiationes seculares, quæ in clericis non tolerantur.*

1 PRocurator, Syndici, Officiales seu curiales publici, & pupillorum tutores, ordinari non debent, nisi deposito munere, & redditis rationibus dignì visi sint. Alioquin si antequam à publicis eiusmodi muneribus liberi sint, in clerum assumantur, periculum est, ne ecclesia infimetur. Ita statuit Concil. Carthag. 1. cap. 8.

2 Excipiendum est primò, Nisi quis tutor, aut defensor cõstitutus sit personarũ miserabilium seu indefensarum, vel talium personarum, quæ ecclesiæ auxilio maximè indigere videntur. Cùm enim eiusmodi munera clericis suscipere pietatis causa concessum sit, c. 1. causa 21. q. 3. consequens est, vt ob tale munus susceptum à clericatu aliquis repelli non debeat.

3 Excipiendum secundò: Qui agnatorum suorum legitimi tutores sunt, ad ordines admitti possunt; quia etiam Clericis tales tutelas suscipere concessum est, vti colligitur ex cit. c. 1. & docet Syl. ver. tutela, q. 3. & dixi lib. 3. Th. mor. tr. 4. c. 9. n. 4.

4 Excipiendum tertiò; Quòd consuetudine introductum sit, vt Clerici possint esse seculariũ Principũ Consiliarij, Cancellarij, imò etiam Iudices in causis ciuilibus, non criminalibus, vti docet Suarez de cens. disp. 51. s. 3. n. 19. & dixi lib. 1. Th. mor. tr. 5. p. 5. c. 8. n. 4. Ideo ob tale munus non debet quis ab

ab ordinatione repelli, si alioquin dignus sit.

4 Deinde amplianda est constitutio, quippe quæ potiùs exempli causa officia quædã publica nominat, vt locũ habeat in omnibus officijs aut negotiationibus secularibus, quæ in clericis non tolerantur, sicuti Suarez notauit cit. s. 3. n 15. Cuiusmodi est obligatio militiæ c. vn. d. 53. obligatio feudi, ob quod personaliter seruire debeat, vti videre est apud Syl. ver. feudum, q. 8. Item vectigalium, agrorum colendorum conductiones, aliæue negotiationes clericis prohibitæ, c. 2. & 3. causa 21. q. 3. c. 1. & 2. Ne clerici vel Monachi secularibus negotijs se immisceant, c. consequens, c. fornicari, d. 88. Quamobrem qui ordinationem sacram desiderant, ab his obligationibus, & functionibus priùs liberi esse debent.

Quòd si officio deposito obligatio remanet ratiociniorum, seu rationũ reddendarũ, tum ita distinguendum: Vel Reipubl. seu Magistratui rationes reddi debent, tum obligatus ordinari non debet, priusquam rationes reddiderit. Quia periculũ est, ne à Magistratu repetatur, tanquam rationibus ex publica administratione obnoxius, & inde lites oriantur, & ecclesiæ vexatio, c. 2. & 3. d. 51. c. vn. d. 53. iun. l. rescripto 6. §. debitores, ff. de muneribus, & l. officiales, 4. C. de Episc. & Clericis. Vel rationes reddi debent personæ priuatæ, aut ratione bonorum priuatorum, v. g. ex administratione tutelæ; tum probabiliter dicitur, hominem deposito officio, etsi rationes nondum reddiderit, ordinari posse: nisi periculum sit, ne exinde clerus, aut ecclesia, cui adscriptus est, vexationem, aut infamationem patiatur. Ita enim colligitur ex hoc c. & iuribus suprà citatis, & docet Gl. hic ver. ratiocinia, Hostiensis §. quis obligatus, Innoc. n. 3. Ant. n. 3.

Periculum autem infamiæ, vel vexationis suberit primò: Si tutori v. g. lis de dolo, seu perfidia iam mota sit, vel postea mouenda existimetur. Quia si ex tali accusatione damnatus fuerit, reddetur infamis, l. furti, 6. §. mandati, ff. de ijs qui notantur infamia.

Secundò: Si ita rationibus obligatus sit, vt debitis soluendis impar existat, ideó que creditores ordinationi contradicant; tum ordinari non debet, priusquam se rationibus expediuerit: Ne lites à seculari foro trahantur ad Ecclesiasticum tribunal, quippe in quo ordinatus conueniendus erit: quia Actor forum rei sequi debet, c. cùm sit. 8. de foro compet. Sed numquid ob solum æs alienum, cui debitor soluendo non est, à sacris Ordinibus repelli debet? DD. communiter negant, vt videre est apud Suarez cit. s. 3. n. 23. & seqq. Quia bona sua creditoribus cedendo postea securus erit, donec ad meliorem fortunã deuenerit. Qua de re dixi lib 3. Th. mor. tr. 3. p. 1. c. 12. q. 1. Veruntamẽ si talis persona beneficio Ecclesiastico careat, neq; patronum habeat, qui spondeat se sustentationem ordinato daturum, si indigeat; tum ex causa paupertatis, seu insufficientis sustentationis à sacris Ordinibus repelletur, iuxta Concil. Trident. sess. 21. c. 2. de reform. Vtrùm verò debitis obstrictus ad Religionem suscipi possit, disputaui eod. tr. 3. p. 1. q. 2.

TITVLVS XX.

DE CORPORE VITIATIS ORDINANDIS, VEL NON.

CAPITVLVM I.

De Presbytero.

PARAPHRASIS.

QVidam sacerdos sponte in duellum descendit, & partem digiti amisit; dubitabatur vtrùm sacrificare posset? Respondet Alexander III. Tametsi is grauiter deliquerit, tamen post peractam pœnitentiam, misericorditer permitti posse, vt celebret, si tantùm de digito non amisit, vt absque scandalo celebrare possit.

SVMMARIVM.

1. *Qui partem digiti, vel etiam integrum digitum ad hostiam frangandam non necessarium amisit, irregularis non est, modò magna deformitas non sit, de quo iudicat Ordinarius.*
2. *Facilius tamen ad ordines, eorúmque vsum admittitur, qui sine culpa ita mutilatus est.*

1 NOTANDVM. Qui partem digiti, etiam ad frangendam hostiam necessarij, videl. pollicis, aut indicis amisit, si deformitas notabilis non est, non debet censeri irregularis. Idémque sentiendum, si integer digitus ad hostiam frangendam non necessarius amissus sit, dummodò magna deformitas non sit. Quod iudicare ad Episcopum pertinet.

2 Aduerte tamen, ita mutilatum facilius ad Ordines suscipiendum, vel susceptis vtendum admitti, si sine culpa res accidit: difficilius autem, si per propriam culpam. Potest enim tam graue esse delictum, vt meretur suspensionem ab ordine, vel depositionem: consequenter ita delinquens ab ordinatione repelli potest, tanquam moribus indignus. Et ita intelligitur textus huius c. Non enim Episcopus, ad quem Alexander III. scripsit, cum presbytero illo dispensauit super irregularitate, quam non incurrit, sed pœnam, quæ ipsi infligi debebat, temperauit, & ita misericorditer permisit, vt mox post actam pœnitentiam celebrare posset. Ita significat Nauar. c. 27. n. 156. & docet Suarez de censur. disp. 51. s. 2. n. 7.

Porrò de pœnis, quæ iure nouo concertantibus duello impositæ sunt, dixi lib. 3. Th. mor. tr. 3. p. 3. c. 5. in fine.

CAPITVLVM II.

Cùm de tua.

PARAPHRASIS.

QVidam in Episcopum electus fuit: sed electioni duo obiecta erant; quòd in oculo maculam haberet, & filius Canonici esset. Ad hæc respondit Alexander III. Se Archiepiscopo Cantuariensi dedisse in mandatis, vt super natalium defectu cum electo, seu potiùs postulato (olim enim hæ voces promiscuè vsurpabantur) dispensaret. Quod verò ad maculam oculi attinet, vt adhibito suffraganeorum consilio, statueret, quod ipsi visum fuerit. Addit Pontifex, quòd electus hanc vt maximâ Apostolicam gratiam, & dispensationem agnoscere debeat.

SVMMARIVM.

1. *Super vitio corporis, si sit magna deformitas, non facilè dispensat Pontifex, præsertim*

præsertim ad dignitatem episcopalem consequendam.

2. *Iudicium de deformitate, an tanta sit, vt promotionem ad ordines vel dignitatem impedire debeat, est penes eum, qui ordines vel dignitatem iure ordinario, vel sibi delegato conferre debet.*

NOTANDVM I. Summus Pontifex super natalium defectu quandoque etiam dispensat ad consequendum Episcopatum.

NOTANDVM II. Super vitio corporis, si sit valde magna deformitas, non facilè dispensat Pontifex, præsertim ad dignitatem Episcopalem consequendam. Propterea Pontifex, tametsi maximam gratiam electo facere intenderit, tamen mandat Archiepiscopo, vt cum Coëpiscopis suis consideret, quâta sit deformitas, & vtrùm secundùm canones & consuetudinem Ecclesiæ dispensari possit, ita vt scandalum & admirationem in populo non generet.

2 NOTANDVM III. Iudicare, vtrùm corporis defectus, aut deformitas tanta sit, vt promotionem ad ordines, vel dignitatem impedire debeat, ad eum pertinet, qui ordines, vel dignitatem iure ordinario, aut sibi delegato conferre debet. Ita notat hic Hostiensis §. Et quæ impediant, Anton. not. 2. Huiusmodi deformitates plures numerantur: Si quis maculam in oculo habeat: si oculos lippos, & lacrymantes; alterum, vel vtrumque deformiter prominentem, si partem auriculæ amiserit: si nasum deformem habeat, faciem maculatâ, vstulatam, cicatricibus plenam: si lingua impeditus, ac balbus sit: si manus habeat tremulas, si sex aut quatuor digitos: si scabiem deformem, ac constantem: si gibbosus, si claudus: si statura nimis paruus, &c. Si tali, inquam, defectu laborans ordines petat, ad Episcopum, eiúsue substitutum spectat iudicare, vtrùm magna seu notabilis deformitas sit, nécne. Si videatur magna non esse, ordinari potest: Sin magna appareat, ordinari non potest, absque Papæ dispensatione: qui tamen, vt suprà dixi, eam non tribuit, si valde magna deformitas sit: esset enim contra reuerentiam sacramenti, si adeò deformes Ministri ad altare ministrarent: si denique res dubia appareat, poterit quandoque dispensare, seu potiùs benignè interpretari, non esse deformitatem grauem, quæ hominem irregularem faciat. Eáq; dispensatione Episcopus faciliùs vtetur his casibus: I. Si quis Religiosus sit, aut Religionem ingressurus. II. In ordine ad minores ordines tantùm, & beneficium simplex. III. Cùm iam ordinato, vt ordine suscepto vti liceat. Vide quæ dixi lib. 1. Th. mor. tr. 5. p. 5. c. 9. n. 2. §. Tertiò, & c. 7. vbi n. 1. annotaui, ex duobus capitibus aliquem irregularem censeri propter corporis defectum, si vel magnam deformitatem, aut horrorem contineat; vel ordinis, præsertim sacræ celebrationis, congruum exercitium impediat. Quare ad hæc duo Episcopus ordinaturus attendere debet, Si oculus v. g. aut manus defectum habeat, & vel magna deformitas appareat; vel etsi non magna, tamen hostia difficulter manibus frangi; vel canon è libro difficulter, aut cum deformi vultûs conuersione legi possit, tum irregularitas censeri debet. Videri potest Hostiensis loc. cit. Ioan. Andr. super hoc. c. Viualdus in Candelabro, de irregularitate, in tertia specie, Simon Maiolus de irregularitatibus, c. 18. 25.

Quæritur hoc loco: Si Archiepiscopus non adhibito consilio Coëpiscoporum dispensasset cum electo super oculorum defectu, vtrùm valida fuisset dispensatio. Negatiuè respondendum est, cum Antonio hic. Quia se delegato Iudici forma procedendi præscribatur, censetur ea substantialis: quandoquidem eâ nõ obseruatâ, transcendit limites commissæ potestatis, ideóque nihil efficit, vti docui lib. 1. Th. mor. tr. 4 c. 16. n. 7.

CAPITVLVM III.

Ex parte.

SVMMARIVM.

Seipsum castrans, vel castratus ab aliis, irregularis est. Is autem, qui absque genitalibus natus est, vel in cunabulis sectus,

licitè etiam ad Episcopatum promoueri potest.

QVi seipsum castrauit, aut ab alijs castrari curauit, irregularis est; vt ordinari non debeat, vel, si iam ordinatus est, à sacro ministerio amoueri. Qui autem absq; genitalibus natus est, aut in cunabulis, vel per hominum malitiam, (vel quacunque necessitate) sectus, is, si alioquin dignus, etiam ad Episcopatum promoueri potest.

Ratio prioris partis est Quia maxima hæc deformitas est, & iniuria Creatoris, si quis seipsum deformet, seu membrũ aut partem membri sponte nullâque cogente necessitate sibi abscindat, vti videre est d. 55. c. Si quis abscidit, & seq. Et in c. qui partem, ead. d. ex Innoc. I. refertur, quòd qui partem cuiuslibet digiti volens sibi abscidit, secundùm sacros canones in clerum adscisendus non sit.

Posterior pars habetur in c. maritum, d. 33 c. si quis à Medicis, & pluribus seq. ead. d. 55. Ratio verò est: Quia si absit culpa, nemo propter corporis defectum à sacris ministerijs arceri debet, nisi vel deformitatẽ & scandalum pariat, vel congruum ordinis exercitium impediat, vt præced. cap. dictum est.

Aduerte autem, quod dixi, *si culpa absit*. Nam si quis per culpam, quamuis absq; proposito directo, seipsum mutilet, aut causa existat, v. g. in rixa, cur ab alio mutiletur, integri membri, etiam occulti, abscisſione, irregularitatem contrahet, perinde ac si causa existeret, vt alius mutilaretur, sicuti bene explicat Suarez disp. 51 s. 2. n. 8. Vide quæ docui lib. 1. Th. mor. tr. 5. p. 5. c. 7. n. 5. & lib. 3. tr. 3. p. 3 c. 1. n. 10. & 11.

CAPITVLVM IV.

Significauit.

PARAPHRASIS.

Intellexit Alexander III. quòd Benedictus Presbyter castrari se curarit, existimans, ea re DEO se obsequiũ præstare. In ea causa scribit ad Archiepiscopum Rauennæ, si alioquin dignũ iudicet presbyterum, vt ipsi auctoritate Apostolica, quin & propria fretus, sacerdotale officium absq; altaris ministerio, prout expedire videbitur, concedat.

SVMMARIVM.

1. *Origenistæ seipsos castrantes zelo falsæ castimoniæ, irregulares iudicati sunt.*
2. *Sacerdos ex quadam simplicitate seipsum castrans, licèt partialem tantùm irregularitatem contrahat, non potest tamen vt Diaconus vel Subdiaconus ministrare officio.*

FVit iste Origenis, & Eunuchorum error, seipsos castrantium falsæ castimoniæ zelo. qui à patribus irregulares iudicati sunt, vti dixi lib. 3. Th. mor. tr. 3. p. 3. c. 1. Nihilominus Pontifex cum Presbytero illo, quod simplicitate quadam deceptus videretur, ex parte dispensandum putauit, vt præter altaris ministerium alia sacerdotalia munera peragere posset, v. g. solemniter baptizare, benedicere, pœnitentes absoluere, morituros vngere. Tum verò irregularitatem non totalem, sed partialem contraxisse censebitur, vt dixi lib. 1. Th. mor. tr. 5. p. 5. c. 1. n. 7.

QVÆRITVR: An sacerdos iste contracta irregularitate partiali, quæ est perpetua inhabilitas ad altaris ministerium, possit tamen vt Diaconus, vel Subdiaconus sacrificio ministrare: Affirmat Anton. in fine huius c. & inde probari potest, quòd pœnæ in dubio benignam ac strictam interpretationem mereantur, iuxta reg. 49. in 6. Sed contraria sententia placet, quam indicat Hostiens. hoc tit. §. Quid sit impotentia, & expressè tradit hîc Ioann. Andr. n. 3. Tum quia altaris ministerium indefinitè & indistinctè positum comprehendit etiam Diaconi, & Subdiaconi ministerium. Tum quia meminisse oportet, quòd presbyter iste secundùm canones erat irregularis, ac deponendus: Quare hæc Alexandri responsio non pœnam continet, sed

sed priuilegium & gratiam dispensationis contra ius commune. At verò eiusmodi dispensatio cùm odiosa sit, strictam interpretationem meretur, c. 1. & 2. de filijs presbyt. in 6. Consequenter ita intelligere debemus, vt sacerdotale officium, quod absque altaris ministerio permittitur, etiam Diacono & Subdiacono ministerium excludat. Arbitror tamen, quòd Archiepiscopus Rauennatensis, si ipsi visum fuisset, permittere homini potuisset, vt tanquam Diaconus ministraret: eo quòd Pontifex formam ac terminos dispensationis non omnino definierit, sed eius arbitrio reliquerit.

CAPITVLVM V.

Ex parte.

QVi ob periculum lepræ, Medicorum consilio, genitalia sibi abscindi curauit, irregularis non est. Ita etiam habetur in c. si quis à Medicis, 7. d. 55. & dictum est suprà c. 3.

CAPITVLVM VI.

Exposuisti.

PARAPHRASIS.

Episcopus Militensis quendam in Abbatem promouit, quem postea intellexit manu sinistra carere. De ea re consultus Alex. III. respondit, eum esse ab officio deponendum: tum quia ad ordines sacros cum tam enormi defectu promoueri non potest: tum quia Episcopum fraudulenter decepit, defectum reticendo.

SVMMARIVM.

1. *Mutilatus manu, aut inutilem habens, ita vt celebrare Missam non possit, irregularis est*
2. *Credibile tamen est, talem ab Episcopo dispensari posse ad Ordines, & beneficium simplex consequendum.*

1 NOTANDVM Vn. Qui manu altera caret, aut inutilem habet, ita vt Missam celebrare non possit, irregularis est, & ordinari non potest. Licèt enim is, qui in sacerdotio absque propria culpa debilitatus, aut mutilatus est, alia officia sacerdotalia, præter altaris ministerium, exercere possit, ordinari tamen non debet, si ob corporis defectum ad altaris ministerium, ac celebrationem Missarum inhabilis est: cùm alij ordinum gradus, & ministeria habitudinem habeant ad sacrificium Missæ, tanquam finem & complemẽtum eorum, sicuti colligitur ex c. vlt. hoc tit. Credibile tamen est, Episcopum in tali casu 2 dispensare posse ad ordines minores, & beneficium simplex consequendum, vti docet Vialdus de irregular. tit. de dispensat. Papæ reseruatis, n. 4. arg. c. 1. de filijs Presbyt. in 6. Obijci potest c. tuam, 10. de ætat. & qualit. vbi Abbas permittit irregularem in Abbatem eligi, ea conditione, vt sacros ordines nunquam suscipiat. Respondeo cum Glos. hîc. Id per dispensationem factum esse, propter necessitatem. Hîc autem necessitas dispensandi non erat; nec persona dispensationem merebatur, quippe quæ defectum suum & irregularitatem in promotione significare debebat, vti dictum etiam fuit in c. innotuit, 20. de elect.

CAPITVLVM VLT.

Thomas.

PARAPHRASIS.

Iste Thomas dubitauit, an irregularis esset, & ad ordines suscipiendos inhabilis, quia casu quodam pollicis dextri vngulam amiserat. Respondit Honorius III. Deformitatem hanc non videri tantam, vt ab ordinibus repellendus sit: quare si nihilominus manus ad frangendam Hostiam potens existat, ordinari posse.

SVMMARIVM.

Carens vngulâ pollicis, ab ordinibus repellendus non est.

NOTANDVM Vn. In corporis defectu duo considerari debent, vt iudicari possit, num ab ordinibus impediat: An deformitas magna, seu notabilis sit: Et num ordinis exercitium, præsertim Missæ celebrationem impediat, iuxta ea quæ suprà dicta sunt cap. 1. & penult.

TITVLVS XXI.

DE BIGAMIS NON ORDINANDIS.

CAPITVLVM I.

Vt bigami.

SVMMARIVM.

1. *Bigami sunt irregulares.*
2. *Item qui publicam pœnitentiam ob crimen egerunt.*
3. *Et qui ab altero viro repudiatam vxorem duxit.*

1 OVi bigami sunt, seu alteram vxorem duxerunt ac cognouerunt, & qui pœnitentes sunt, seu publicam pœnitentiam egerunt, & qui ab altero viro repudiatam vxorem duxerunt, irregulares censendi sunt. Consentit c. ex pœnitentibus, 55. d. 50.

De bigamis non ordinandis habetur in c. 2. & seqq. d. 26. in c. præcipimus, & seqq. d. 34. & dixi copiosè lib. 1. tr. 5. p. 5. cap. 6.

2 De ijs, qui publicam seu solemnem pœnitentiam ob crimen egerunt, non ordinandis habetur in cit. c. pœnitentibus, & docui lib. 5. tr. 6. c. 7. n. 6.

3 Denique de vxore ab altero viro repudiata, seu relicta, quòd qui eam duxerit & cognouerit, Clericus fieri non possit, habetur etiam in c. si quis viduam, 8. d. 50. Potest autem id duobus modis intelligi: Primò, quòd dimissa fuerit, quia matrimonij vinculum non consistebat, propter impedimentum dirimens, tunc qui eam duxerit & cognouerit, interpretatiuè bigamus & irregularis est, sicuti qui aliam à quocunque viro præter se cognitam, seu corruptam duxerit. Secundò, si repudiata ac dimissa sit per diuortium, non dissoluto vinculo substantiali, tunc qui eam, marito eius adhuc viuente, inualidè duxerit, & maritali affectu cognouerit, quasi bigamus censetur, & irregularis est, arg. c. nuper, hoc tit.

CAPITVLVM II.

Super eo.

SVMMARIVM.

1. *Bigamus promotus ad sacros ordines, penitus est ab ijs amouendus; nec licet cum eo dispensare.*
2. *Potest tamen Papa dispensare in irregularitate bigamiæ; non solet tamen, nisi ex grauissima causa; licèt facilius dispenset ad minores ordines accipiendos.*

1 SI bigamus ordinatus sit, ordinans potestate, & officio ordinandi priuandus est: at verò ordinatus, si ad ordines sacros prò motus fuit, penitus est amouendus: Neque enim cum bigamis contra Apostolum dispensare licet, vt vel ad ordines sacros promoueri, vel promoti in ijs ministrare possint. Sed cum ordinatore, vt ordinandi potestatem recuperet, dispensare licet.

Loquitur hîc Lucius de ordinibus sacris, de quibus Apostolus ad Timoth. cap. 1. Vt Episcopi, quo nomine etiam presbyteros comprehendit, atque Diaconi non creentur, nisi monogami, id est, qui præter vnam vxorem, aliam non habuerint.

2 Difficultas autem est, vtrùm Papa dispensare possit in irregularitate bigamiæ. Aliqui Canonistæ negant, vt videre est in Gl. ver. dispensare, quia Lucius III. in hoc. cap. ait, quòd contra Apostoli præceptum dispensare non licet. Sed affirmandum est cum Innoc. hîc, Gl. in c. lector, 18. d. 34. Anchorano in c. 1. de bigamis, in 6. S. Thom. Soto, & alijs in 4. d. 27. q. 3. a. 3. Quia Papa dispensare potest in omni iure Ecclesiastico, etiam ab Apostolis

lis constituto: cùm ipse in ligando & soluendo Apostolica auctoritate præditus sit. Ad textum resp. cum Suarez de censur. disp. 49. sect. 6. n. 6. Non dici in hoc c. quòd non possit dispensari cum bigamo, sed quòd non liceat dispensare contra Apostolicam & in tota Ecclesia receptam traditionem: quandoquidem etiam ad supremum Ecclesiæ Pastorem pertinet optimè constitutos Ecclesiæ canones custodire, ac propagare. Quæ ratio ostendit, quòd Summus Pontifex non soleat absque grauissima causa dispensare cum bigamis, præsertim veris, & propriè dictis. Sed neque dispensare facilè solet: vt qui viduam vxorem duxit, ad ordines sacros (inter quos etiam Subdiaconatus numeratur) promoueatur, vti constat ex c. nisi, 10. §. Personæ, de renunt.

Sed ad minores ordines accipiendos Papa faciliùs dispensat: Imò aliqui, inter quos S. Thom. l. cit. hanc facultatem etiam Episcopis concedunt, arg. cit. c. lector, ex quo tamen parum probari potest; cùm non sit Martini Papæ (vt Gratianus scripsit) sed Bracharensis Archiepiscopi. Id tamen ex eo textu colligitur, fuisse aliquarum Ecclesiarum consuetudinem, vt Clerici, qui viduam vxorem duxerant, in clero permitterentur; imò postulâte necessitate etiam ad Subdiaconatum, non vlterius, promouerentur. Sed hæc hodierno iure permissa non sunt, vti colligitur ex c. vn. eod. tit. in 6. vbi id notat Anchoranus in fine. Vide quæ dixi lib. 1. tr. 5. p. 6. c. 6. num. 7.

CAPITVLVM III.

De bigamis.

PResbyteri, qui verè bigami sunt, aut qui viduas vxores habuerunt, neque viuentibus vxoribus, neque defunctis ad celebrationem admitti debent cùm perperam ordinati fuerint, contra Apostoli doctrinam, & Ecclesiæ consuetudinem.

QVÆRES: Vbi Apostolus prohibeat, ne is, qui viduam vxorem habuit, presbyter ordinetur. Respondeo, Extare de hac re can. 18. Apostolicum à Gratiano relatum, c. si quis viduam, 15. d. 55.

CAPITVLVM IV.

Nuper.

SVMMARIVM.

1. *Qui promotus ad sacros ordines, mortua vxore, aliam de facto duxit & cognouit, bigamiæ pœnam incurrit (licèt verè bigamus non sit) & contrahit irregularitatem indispensabilem.*
2. *Et hæc pœna extenditur etiam ad laicos, qui inualidè secundas nuptias contrahunt.*

AIt in hoc c. Innocent. III. dubiam quæstionem esse; Vtrùm Clericus in sacris constitutus, qui antè vxorem virginem habuerat, si eâ mortuâ aliam ducat de facto, non de iure (quia irritum est matrimonium) bigamus censeri debeat. Pro parte quæst. affirmante est, quòd in talibus matrimonijs non ad iuris effectum, sed potiùs ad prauam intentionem cum opere subsecuto attendi soleat: Nam ideo secundùm leges infamiâ notatur, qui duas simul vxores habet, l. quid ergo, ff. de his qui notantur infamia. Et presbyter punitur, qui nuptias non legitimas cõtraxit, c. presbyterum, d. 28. Ex altera verò parte obstare videtur, quòd veritas præferenda sit opinioni, seu iuris præsumptioni: alioquin bigamus censeri deberet, qui nullam vxorem validè duxit, vt si quis de facto, non de iure contraheret cum duabus, v. g. consanguineis suis. His disputatis, amplectitur Innoc. partem q. affirmatiuam, videlicet Clericos in sacris, qui post primam vxorem defunctam, aliam inualidè duxerunt, & cognouerunt, licèt re ipsa bigami non sint, tamen quasi bigamos habendos, ideóque ad ordines indispensabiles censendos esse, idque propter affectum intentionis, cum opere subsecuto; id est, quia, quantum in ipsis erat, voluntariè matrimonium alterum contraxerunt & consummarunt.

QVÆ-

QVÆRES: Quanam ratione, aut fundamento hæc responsio Innoc. nitatur? Resp. Eam niti praxi ecclesiastica, secũdùm quam clerici in sacris, si nuptias secundas priore muliere mortua, aut viuente, inualidè contrahant, irregulares iudicantur, tanquam bigami sint, & indispensabiles, iuxta ea quæ c. 2. dicta sunt. Eáque interpretatio in odium Clericorum ita contrahentium facta est, ideóque ad alios cum vxore altera, vel vtraq; inualidè contrahentes, spectato iure canonico scripto, extendenda non videtur: Quia *non præstat impedimentum, quod de iure non sortitur effectum*, reg. 52. in 6. Nihilominus
2 propter auctoritatem DD. hanc responsionem Innoc. generatim intelligentium de omnibus etiam laicis, si inualidè contrahant nuptias secundas, quòd irregularitatem quasi cuiusdam bigamiæ indispensabilem contrahant, in praxi sequendam esse, docui lib. 1. tr. 5. p. 5. c. 6. n. 5. Eò quòd censuræ & irregularitates, etiam sine scripto iure, per vniuersalis Ecclesiæ consuetudinem diuturnam introduci possint.

CAPITVLVM V.

Debitum.

DVplex est matrimonium. Vnum ratum, quod mutuo contrahentium consensu constituitur, & significat coniunctionem Christi cum Ecclesia per charitatis vnionem, iuxta Apost. 1. ad Corinth. 6. *Qui adhæret Domino, vnus spiritus est*. Alterum est matrimonium carnis copulà consummatum, quod significat coniunctionem Christi cum Ecclesia per carnis assumptionem, de qua S. Ioan. c 1. scripsit; *Verbum Caro factum est*: De eodémque Apostolus ad Ephes. 5. scribens ait; *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo & Ecclesia*. Hoc posito sciendum est; Cùm dicitur, bigamos atque irregulares esse eos, qui cum duabus vxoribus, vel cum vidua matrimonium contraxerunt, ita semper intelligendum esse, dummodò matrimonium consummatum fuerit. Quare si aliquis duas vxores duxerit, sed alteram earum, priorem aut posteriorem carnaliter non cognouerit, bigamus non est. Idémque iudicium est de eo, qui viduam duxit & cognouit, quæ à priore marito cognita non est, sed virgo permansit. Ratio est: Quia bigamiæ irregularitas oritur ex defectu Sacramenti, id est, quòd matrimonium bigami non perfectam, sed quodammodo deficientem gerat similitudinem Verbi incarnati. Nam Filius Dei copulauit sibi Ecclesiam vnam, ab alio non assumptam. Ergo illi tantùm bigami & irregulares censendi sunt, qui duas vxores cognouerunt, siue vt Innoc. loquitur, qui carnem suam in duas vxores diuiserunt; vel qui vnam vxorem cognouerunt, quæ tamen ab alio viro cognita fuit, seu quæ carnem suam in plures maritos diuisit. Vide quæ dixi cit. c. 6.

NOTANDVM Vn. Quicunque duas vxores successiuè duxit & cognouit; & quicunque ab alio marito cognitam duxit & cognouit, bigamus est, & irregularis. Idémque & de eo sentiendum, qui mulierem extra matrimonium corruptam duxit, & cognouit.

CAPITVLVM VI.

Quia.

SVMMARIVM.

1. *Qui plures concubinas habent, non sunt bigami.*
2. *Sacerdotes concubinarij olim erant ipso iure suspensi.*

PResbyteri, qui plures concubinas habuerunt, non sunt bigami censendi. Quare Episcopus cum talibus perinde ac cum alijs Sacerdotibus fornicarijs, quoad sacerdotalis officij executionem, dispensare potest.

NOTANDVM Vn. Sacerdotes concubinarij olim erant ipso iure suspensi, vt etiam post actam pœnitentiam celebrare non possent, priusquam Episcopus cum ipsis dispensaret. Ita colligitur ex hoc c. contra Gl. c. si qui sunt, 15. d. 81. Quid autem, spectato hodierno iure, sentiendum sit, dixi lib. 1. tr. 5. p. 5. c. 4. n. 11. & lib. 5. tr. 9. c. 12. n. 10.

Ca-

CAPITVLVM VLT.

A nobis.

PARAPHRASIS.

Subdiaconus, qui de facto tantùm (cùm de iure non posset) viduam in vxorem duxit, licèt verè bigamus non sit (cùm matrimonium validum non fuerit) tamen quasi cuiusdam bigamiæ (quam interpretatiuam vocant) indispensabilem irregularitatem contraxisse censendus est: Non propter defectum Sacramenti (cùm nullum hìc matrimonij Sacramentum fuerit) sed propter prauam matrimonij contrahendi intentionem, cum opere subsecuto.

SVMMARIVM.

1. *Clericus in sacris constitutus viduam in vxorem inualidè ducens, & cognoscens, perinde irregularis est censendus, ac si verè bigamus esset.*
2. *Si autem Virginem ducat, bigamus non censetur; irregularitatem tamen contrahit, licèt dispensabilem ab Episcopo.*

NOTANDVM Vn. Si Clericus in sacris constitutus viduam in vxorem inualidè ducat, & cognoscat, irregularis censeri debet, perinde ac si bigamus sit.

Sed quid? Si Clericus in sacris, vel Religiosus virginem ducat? Respondeo, Talem bigamum non censeri; nihilominus irregularitatem, quamuis dispensabilem ab Episcopo contrahere, vti habetur c. sanè, 4. de cleric. coniugatis, & dixi cit. c. 6. num. 6. §. Sed quid.

CAPITVLVM VNICVM
eod. Tit. in 6.

Altercationis.

SVMMARIVM.

Bigamus priuatus est omni priuilegio clericorum, & est subiectus foro seculari. prohibetur etiam ei sub excommunicatione, ne habitum & tonsuram more clericorum deferat.

DVbitatum olim fuit, vtrùm Clerici (intellige de ijs, qui in minoribus constituti sunt) si alteram vxorem ducant, vel viduã, aut corruptam, clericalibus priuilegijs gaudere possint? Aliqui enim affirmabant, (addentes Episcopum cum talibus dispensare posse, vt suprà dixi c. 2.) Sed contrarium hìc definit Gregor. X. in Concil. Lugdun. Eiusmodi bigamos omni priuilegio clericorum priuatos esse, & iurisdictioni fori secularis subiectos, quauis consuetudine non obstante. Eisdem quoque sub excommunicationis inferendæ pœna prohibetur, ne habitum & tonsuram clericorum more deferant. Idem quoque decretum olim fuerat à Siricio Papa in c. quisquis, d. 84. Vide quæ dixi lib. 1. tr. 5. p. 2. c. 5. n. 3.

TITVLVS XXII.

DE CLERICIS PEREGRINIS.

CAPITVLVM I.

Tua.

SVMMARIVM.

1. *Iure antiquo clerici transmarini, & alij peregrini non erant suscipiendi, nisi quinque Episcoporum chirographis fidem faciant de sua ordinatione.*
2. *Nouo iure Trident. sine commẽdatitiis sui Ordinarij literis à nullo Episcopo ad diuina celebranda, & Sacramenta administranda admitti debent.*
3. *Quomodo differant literæ dimissoriæ, testimoniales, commendatitiæ, & formatæ.*

4. *Clericis in sacris, si peregrinari velint, vel discessuri sint, non potest negare Episcopus commendatitias, vel testimoniales, nisi beneficia habeant in titulum, ratione quorum ad residentiam obligentur.*

5. *Generatim loquendo, merè testimoniales dari debent, si commendatione digni non sunt.*

CONsultus fuit Alexander III. vtrùm clerici peregrini & ignoti, qui ex remotis regionibus literas Episcoporum commendatitias, seu formatas adferunt, suscipi possint, ac ministrare permittendi sint, tametsi quandoque incertum sit, an verae Episcoporum sigilla adsint. Ad hoc respon-
1 det: Quod olim Patres statuerunt de Clericis transmarinis, seu ex Africa aduenientibus tota d. 98. vt tanquam ordinati clerici non suscipiantur, nisi minimùm quinque Episcoporum chirographis fidem faciant de ordinatione, idipsum obseruandum quoque esse circa alios clericos peregrinos. Adijcit verò, non statim permittendos esse ministrare, donec de eorum moribus ac vita, & num ordines, etiam minores, gradatim acceperint, inquisitio facta fuerit.

Quòd hîc quinque Episcoporum testimonia requiruntur, id secundùm ea tempora, quibus fraudes multae in hoc genere contigerunt, constitutum fuit, vt videre est in c.
2 2. & 3. d. 98. Nunc verò seruari debet Constitutio Trident. sess. 23. c. 16. de reform. Vt *nullus Clericus peregrinus, sine commendatitiis sui Ordinarij literis ab vllo Episcopo ad diuina celebranda, & sacramenta administranda admittatur.* Quod etiam statutum fuit in Concil. Chalcedon. can. 13. relato in c. extraneo, 7. d. 71. Ex quibus decretis colligitur, si clericus peregrinus & ignotus Episcopi Ordinarij literas commendatitias, quę & formatae dicuntur, afferat, quae omni fraudis suspicione carere videantur, à locorũ Ordinarijs ad celebrandum admitti posse: quin & ad vlteriores ordines (si legitimas dimissorias habeant) vel beneficia ab Episcopis promoueri, postquam probitatis ac doctrinę specimina dederunt.

QVÆRITVR I. Quomodo inter se differ- 3
rant literae dimissoriae, testimoniales, commendatitiae, & formatae? Resp. Si propriè loquendum sit; Dimissoriae dicuntur, quas Episcopus subditis suis dat, vt ab alieno Episcopo ordinentur: vel vt liberi à beneficio, quod in diœcesi obtinebant, alibi intitulari atque seruire possint. Literae autem merè testimoniales sunt, quibus id solùm Episcopus testatur, quòd Clericus hos, vel illos ordines legitimè consecutus sit. Commendatitiae verò literae, quae clericis peregrinaturis vel discessuris dantur, vt appareat non tantùm, in quo ordinis gradu positi sint, sed etiam quàm moribus & doctrinâ commendati. Denique literae formatae, licet communi iam consuetudine pro testimonialibus collatorum ordinum accipiantur; olim tamen generalem acceptionem habebant, vt omnes Epistolae canonicae, seu Ecclesiasticae *formatae* dicerentur, quia secundùm certam formã scriptae erant: frequenter autem accipiebantur pro commendatitiis, quae discessuris fidelibus, praesertim clericis, Episcopi dabant, & alio nomine *communicatoriae*, item *pacificae* vocabantur, quia abituris in testimonium catholicae communionis dari solitae erant, vti videre est tom. 1. Concil. apud Seuer. Binium, in vita Xisti 1. & tom. 2. p. 2. in notis Concilij Hispalensis 2. Plura de varijs Epistolarum canonicarum formis legere potes apud Baronium Anno 142. n. 6.

QVÆRITVR II. Vtrùm Episcopus Cle- 4
rico in sacris, si intra, vel extra diœcesin peregrinari, vel omnino discedere velit, literas commendatitias aut testimoniales dare debeat? Videtur enim negandum ex Concil. Nicæno, can. 16. & refertur in c. si quis verò, 23. causa 7. q. 1. & 4. can. 41. Laodic. quod refertur in c. non oportet, 36. d. 5. de consecrat. Sed respondendum est, ex responsis Cardinal. super cit. c. 16. cum Suarez lib. 3. de voto, c. 4. n. 9. Barbosa de potest. Episc. p. 2. allegat. 20. n. 5. Quòd Episcopus Sacerdotibus, aliisque Clericis peregrinaturis, aut discessuris non possit negare commendatitias, vel testimo-

niales;

niales; nisi beneficia habeant in titulum, ratione quorum ad residentiam obligentur.

5 Cauendum tamen est, si ob criminis conscientiam, vel suspicionem discedant, ne tanquâ boni, & probati commendentur. Imò generatim loquendo, merè testimoniales dari debent, si commendatione digni non sint. Ad canones suprà allegatos respondetur, maiorem fuisse olim, cùm pauciores clerici & omnes intitulati essent, permanendi, & sine iussu Episcopi ab Ecclesia sua non discedendi obligationem.

CAPITVLVM II.

Inter.

Paraphrasis.

Constantinopolitanus Patriarcha quæsiuit ex Innoc. III. vtrùm clericos, qui sine Ordinatorum suorum literis dimissorijs, aut testimonialibus adueniunt, si iuramento confirmare parati sint, quòd hos vel illos ordines legitimè susceperint, ad superiores ordines promouere licitè possit. Respondet Papa; Si alia documenta ordinationis acceptæ non exhibeant, ordinandos non esse: præsertim si nondum eorum probitas cognita est.

Svmmarivm.

1. *Iuramentum per se solum non sufficit ad aliquid ostendendum præsertim si homo ignotus aut suspectus sit.*
2. *Amissio literarum dimissoriarum, vti & ipsa accepta ordinatio clerici potest per testes legitimos probari; tutius tamen erit, talem ab vsu Ordinum suspendere, dum alios ab Ordinatore suo impetret.*

1 Notandvm I. Iuramentum per se solùm non sufficit ad aliquid ostendendum, præsertim si homo ignotus, aut suspectus sit. Nam iuramentum communiter defertur in subsidium probationis: Ergo si qualitas extrinseca, v.g. ordinatio suscepta, quæ non præsumitur, astrui & probari debeat, non sufficiet solum iuramentum.

2 Notandvm II. Si Clericus dicat se dimissorias seu formatas amisisse, possunt eæ literæ, sicuti & ipsa accepta ordinatio, per testes legitimos probari. Ita habetur in c. cùm olim, 12. in fine, de priuil. & tradit Gl. hîc, ver. per argumenta. Tutius tamen erit in hoc casu hominem interim suspendere ab ordinatione, donec alias literas, siid fieri possit, ab ordinatore suo impetret.

CAPITVLVM III.

Tuæ.

Paraphrasis.

Si Clericus peregrinus ac ignotus sine literis commendatitiis aduenerit, nisi per alia legitima testimonia, videl per testes fidem fecerit de ordinatione sua, non est permittendus in publico celebrare. Quòd si verò aliquis secretò celebret, poterit sustineri.

Svmmarivm.

1. *Sacerdos peregrinus, qui literas formatas aut commendatitias non habet, aliis autem legitimis documentis docere potest, se ordinatum esse, celebrare permittendus est, si fraudis aut flagitiosæ vitæ nulla suspicio subsit.*
2. *Idem peregrinus, si de eius ordinatione non constat per formatas, vel eas suspectas habet, potest nihilominus admitti ad celebrandum, non quidem in publico, sed secreto.*
3. *Episcopus prohibere etiam potest, ne presbyteri peregrini celebrare permittantur in ecclesiis Regularium alterius Ordinis, nisi ipse literas eorum viderit, & examinârit.*

1 Notandvm I. Sacerdos peregrinus, qui literas formatas, aut commendatitias non habet, quia v.g. ea in via amisit; si alijs legitimis documentis ostendat se ordinatum esse, celebrare permittendus est; si frau-

dis aut vitæ flagitiosæ nulla suspicio subsit.

2 NOTANDVM II. Si Sacerdos peregrinus à Missarum celebratione repellatur, quia formatas non habet, vel suspectas habet, amoto v. g. aut facto sigillo, is potest nihilominus secretò celebrare: cùm suspensus, vel irregularis non sit. Ita Innoc. in c. 1. hoc tit. Nauar. consil. vn. hoc tit. edit. Barbosa p. 2. allegat. 20. n. 3. Et Episcopus interdum dissimulare potest; nisi probabilis fraudis suspicio adsit: tunc verò interdicere illi debet, ne priuatim etiam celebret, & transgredientem punire. Idque colligitur etiam ex Concil. Trident. sess. 22. in decreto de obseruandis in celebrat. Missæ: *Vt irreuerentia euitetur, singuli in suis diœcesibus interdicant, ne cui vago & ignoto sacerdoti Missas celebrare liceat.*

3 His addit Barbosa p. 2. allegat. 21. n. 8. Quòd Episcopus prohibere etiam possit, ne Presbyteri peregrini celebrare permittantur in Ecclesiis Regularium, nisi ipse priùs literas eorum viderit, & examinârit. Id verò intelligi debet de Presbyteris secularibus, vel etiam Regularibus, si alterius Ordinis sint: Et, si Episcopus, vel Vicarius eius præsens sit.

Ad extremum aduerte; Casum huius c. diuersum esse à duobus præcedentibus: Hic enim quæritur de clerico peregrino, qui vt hospes in loco moratur, mox discessurus: illis verò cc. quæsitũ fuit, vtrùm Clerici aliunde aduentantes ad aliquam Ecclesiam suscipi, vel etiam vlteriùs ordinari ac promoueri possint. Ad quam rem maiora testimonia, & experimenta requiruntur. Ita Innoc. notauit in cit. c. 1. hoc tit.

CAPITVLVM VLT.

Te nobis.

PARAPHRASIS.

Non est permittendum, vt Prælati inferiores in Ecclesiis non omnimodè exemptis instituant clericos peregrinos, sine examine & consensu Episcopi ordinarij. Quòd si id factum fuerit, poterit Episcopus institutos remouere, nisi dispensatiuè tolerare malit.

SVMMARIVM.

1. *Inferiores Prælati collatores non exempti ab Ordinariis prohiberi possunt, ne peregrinos in suis ecclesiis instituant, nisi priùs Episcopus eorum dimissorias viderit & examinârit.*
2. *Alios autem notos & probatos sine examine instituere possunt ad simplicia beneficia, quorum liberam collationem habent.*

NOTANDVM Vn. Episcopus vi huius c. can. & Concil. Trident. sess. 23. c. 16. de reform. prohibere potest inferioribus collatoribus, ne in Ecclesiis iurisdictioni ipsius Episcopi subiectis, siue non omnimodè exemptis instituant clericos aliunde aduentantes, si ignoti sint, nisi Episcopus eorum literas dimissorias, aut commendatitias priùs viderit, & examinarit: quandoquidem ad ipsum spectat cauere, ne improbi clerici in diœcesin suam recipiantur.

Alios verò notos, aut probatos Ministros etiam sine Episcopi examine inferiores collatores instituere possunt ad ea simplicia beneficia, quorum liberam collationem habent: non item ad beneficia curata, sed neque ad ea, quæ iurispatronatus sunt: In his enim priusquam instituantur, ab Episcopo examinari debent, secundùm Trident. sess. 7. c. 13. de reform. iun. Cardinal. declarat. & sess. 25. cap. 9. de reformat.

* * *

TITV-

TITVLVS XXIII.

DE OFFICIO ARCHIDIACONI.

SVperioribus Titulis generatim actum fuit de Ecclesiæ Ministris, quos ordinare, & instituere ad Episcopos pertinet: sequitur, vt in specie dicatur de quibusdam dignitatibus, personatibus & officijs Ecclesiasticis: Et primò de officio Archidiaconi, qui secundùm pristinam consuetudinem, primam post Episcopum in Ecclesijs dignitatem obtinet, vti constat ex c. ad hæc, hoc tit.

CAPITVLVM I.

Vt Archidiaconus.

PARAPHRASIS.

Archidiaconi officium in eo consistit, quòd sit Vicarius Episcopi in omnibus (quod intelligè tum in temporaliũ, tum spiritualium rerum administratione) ideóq; curá vniuersi Cleri tam in ciuitate Episcopali, quàm in Parochijs habet: Et saltem tertiò quoque anno, si Episcopus ipsemet nõ potest, diœcesin visitare debet, & quæ emendandá sunt, tanquam Episcopi vicem gerens corrigere.

SVMMARIVM.

1. *Archidiaconi officium in primitiua Ecclesia erat, imperare Diaconis & Subdiaconis, eos ad altaris ministerium instruere, & bona Ecclesiæ administrare, ac dispensare.*
2. *Eius officium nunc sumendum potiùs ex cuiusque ecclesiæ consuetudine & statutis, quàm iuribus scriptis.*
3. *Differt ab officio Generalis Vicarij in duobus.*
4. *Archidiaconus secundùm ius commune, & seclusis particularium ecclesiarum consuetudinibus, præferendus est Præposito & Decano, seu Archipresbytero.*
5. *Dignitas Vicarij Generalis absolutè minor censetur, quàm aliæ quædam ecclesiæ Cathedralis dignitates, qualis est Archidiaconi.*
6. *Episcopus per seipsum vel Vicarium Generalem, aliúmue quotannis visitet diœcesin: vel si ob latitudinem vno anno non potest, saltẽ biennio visitatio absoluatur.*
7. *Visitatores præter procurationes, hoc est, victualia moderata sibi, ac suis necessaria, nihil omnino exigere aut accipere debent.*

SCiendum est primò: Archidiaconus, vt nomen ipsum indicat, est diaconorum Princeps, seu primus Diaconus, eius, secundùm pristinam consuetudinem, magna in Ecclesia Romana dignitas fuit. Quia enim Diaconi Episcopo proximè assistebant in sacrificio, eúmque perpetuò comitabantur, ideò ipsis quoque dispensatio, & administratio patrimonij Ecclesiastici commissa fuit, vti colligitur ex c. 6. Actor. vbi Ioannes Lorinus legi potest, ver. 3. Quare in primitiua Ecclesia Archidiaconi officium erat, tum Diaconis, & hypodiaconis omnibus imperare, eósque ad altaris ministerium instruere, tum verò bona Ecclesiastica administrare, ac dispensare. Progressu autem tẽporis Archidiaconi potestas maior euasit, vt Vicarius Episcopi in omnibus esset, totique clero imperaret. Videri potest Azor to. 2. lib. 3. c. 12. 1

Sciendum est secundò: Archidiaconi officium, ac potestas neque olim fuit, neque nunc est eadem in omnibus Ecclesijs: quare rectè hìc notauit Innocent. Syl. ver. Archidiaconus n. 1. Si cognoscere velimus Archidiaconi officium, potiùs inspiciendam esse 2

cuiusque ecclesiæ consuetudinem, aut statutum, quàm iura scripta. Nam in quibusdam Ecclesijs Archidiaconus nullus est: sed eius officium, quod hic describitur, vel Archipresbyter seu Decanus præstat, vel generalis Episcopi Vicarius, seu Officialis: In quibusdam verò Ecclesijs Archidiaconus quidem est, sed tantùm præeminentiam inter Canonicos habet, nullam verò iurisdictionem, vel administrationem. Qua de re Azor loco cit. q. 6.

3 Nunc QVÆRITVR primò: Quomodo Archidiaconi officium hoc c. descriptum differat ab officio generalis Vicarij, de quo lib. 6. decret. tit. 13. lib. 1. Respondeo, his modis differre. 1. Archidiaconus ipso iure est Vicarius Episcopi; cùm officium Vicariatus eius dignitati annexum sit, ideóque auferri ei non potest: Sed Vicarius ab homine, videl. Episcopo, tamen secundùm institutionem & auctoritatem canonum instituitur, & ad libitum eius amoueri potest. Aliter dici potest, quòd Archidiaconus sit Vicarius natus, intitulatus & perpetuus: Officialis autem sit Vicarius factus, non intitulatus, ac temporalis. Videri potest Butrio c. ad hæc, hoc tit. Iacobus Sbrozius de Vicario Episc. lib. 1. q. 3. n. 15. Hostiensis tit. de officio delegati, n. 2. Vbi doctè distinguit, quòd Archidiaconi iurisdictio ordinaria directè proueniat à lege, indirectè autem ab homine, v. g. Episcopo instituente Archidiaconũ, nam per consequentiam tribuit ei potestatẽ ordinariam Vicariatûs. At verò Vicarij Generalis seu Officialis iurisdictio (quæ & ipsa ordinaria est, vt infrà dicam tit. 28.) directè prouenit ab Episcopo creante & instituente Vicarium; indirectè verò à lege seu canone. Quia canon auctoritatem dat Vicarium generalem instituẽdi: nam alioquin nemo Principe inferior officium aut iurisdictionẽ suam iure ordinario exercendam committere potest. docent DD. in l. penult. ff. de iudicijs, Robertus Maruntæ de ordine iudiciorum p. 4. n. 52.

Alterum discrimen. Ab Archidiacono ad Episcopum appellari potest, c. referente, 7. de præbend. Sed à Vicario Generali seu Officiali ad Episcopum appellari nequit, c. 2. de consuet. in 6. Is enim Episcopi tribunali seu consistorio præest: Sed Archidiaconus propriam, eámque subordinatam Episcopo iurisdictionem habet. Quemadmodum & à Principum Vicarijs, atque vrbiũ præfectis appellare licet, vti Gl. notauit in l. 1. C. de officio Vicarij, Tuschus ver. Vicarius, concl. 482. n. 20.

QVÆRITVR secundò: Vtrùm Archidiaconus Vicario generali, item Archipresbytero, Præposito, seu Decano præferendus sit. Hanc quæst. tractat Sbrozius lib. 2. q. 25. Respondeo; Si de dignitate Archidiaconi secundùm ius commune, & seclusis particularibus Ecclesiarum consuetudinibus, loquamur, certum est, Præposito, & Decano seu Archipresbytero, præferendum esse Archidiaconum, quippe cui omnis totius cleri cura commissa est, c. ad hæc, 7. hoc tit. 4

Neque obstat, quòd absurdum videatur, Diaconum presbytero præferri: non enim præfertur ordinis ratione, sed ob maiorem iurisdictionem, & administrationem. Quo simili modo Cardinalium dignitas maior censetur quàm Episcoporum, quia illi proximè assistentes lateri Sum. Pontificis, eius negotia curant, vti bene annotauit Tuschus cit. loc. n. 15. Sic etiam olim in quauis Ecclesia Cathedrali septem Diaconi constituebantur, vt Episcopo adessent, eiúsque negotia procurarent, vti habetur in can. 15. Concil. Neocæsariensis, relato in c. Diaconi, d. 93. Qui proinde presbyteris, quippe sacra tractantibus, in externa gubernatione præponebantur, maximè illorum Princeps, siue Archidiaconus. Nihilominus cùm diuina mysteria agerentur in ecclesia, presbyteros sequi debebant. Fuit autem ob eam rem tempore Anastasij I. circa annum Christi 400. grauis contentio orta inter Diaconos & Presbyteros: Dum enim illi, ob commissam sibi administrationem, superbiâ elati presbyteros contemnerent: hi autem se fortiter opponerent, ac dicerent, secundùm consuetudinem Ecclesiæ Romanæ adeò Presbyteros Diaconis præferri, vt illis stantibus presbyteri ad diuina

officia

officia sedere possint: eousque per contentionem progressi fuerunt, vt neque Euangelium coram populo legentibus Diaconis, Presbyteri à sede suâ exsurgere vellét. Contra quos statutum edidit idem Anastasius, vt habetur in Pontificali libro: *Constituit, vt quoties Euangelia recitarentur, sacerdotes non sederent, sed turui starent.* Legantur, quæ scribit S. Hieron. epist. 85. ad Euagr. relatus in c. legimus, 24. d. 93. & Baron. Ann. 402. n. 42.

Quod ad alterum attinet; Canonistæ quidam, inter quos Felinus in rubr. de maior. & obed. n. 10. Tuschus cit. concl. 482. n. 11. aiunt, absurdum & stultum videri, si Archidiaconus præcedere velit Episcopi Vicarium; cùm eius tribunal inferius sit, & subiectum Consistorio Episcopali, cui præest Vicarius Generalis, seu Officialis. Sed de facto in pluribus Ecclesijs contrarium obseruatur, vt Vicarius generalis seu Officialis sequatur Ecclesiæ Cathedralis Archidiaconum, Præpositum, & Decanum; quin imò aliquibus locis omnes Ecclesiæ Cathedralis Canonicos. Talem autem consuetudinem damnare difficile est. Accedit, quòd in c. ad hæc, 7. expressè habetur, quòd secũdùm Romani Ordinis constitutionẽ, Archidiaconus maior post Episcopum, eiusdem Episcopi Vicarius existat. Quare respondetur ad obiectionem; Consideratione diuersarum causarum, & locorum, eandem personam eidem anteferri & postponi, vti constat ex l. 1. C. de officio Vicarij, vbi dicitur, in causis ciuilibus atque iudicijs Vicarios Comitibus militaribus anteponendos esse, sed in rebus militaribus postponendos: Ita dico de Vicario; Licet is in tribunali suo, quatenus Episcopi ibi vices actualiter gerit, superior sit, siue iurisdictionem in alios omnes clericos, etiam Archidiaconum, exerceat (cùm nullus subditus Episcopo eius tribunal declinare possit) tamen extra tribunal suum, vt in ecclesia, in processionibus, alijsque conuentibus postponi potest, ita vt, absolutè loquendo, dignitas Vicarij generalis minor censeatur, quàm aliæ quædam Ecclesiæ Cathedralis dignitates. 5

Denique quod attinet ad diœcesis visitationem, de qua in fine huius c. mentio fit, seruari nunc debet constitutio Trident. sess. 24. c. 3. de reform. Vt Episcopus per seipsum, vel, si impeditus sit, per Vicarium generalẽ, aliúmue Visitatorem diœcesin quotannis visitet. Quòd si ob latitudinem vno anno tota visitari non possit, saltem biennio visitatio absoluatur. Quòd si Archidiaconi, aliíue inferiores ius visitandi per Ecclesiæ consuetudinem habeant, tum visitationis suæ rationem Episcopo intra mensem reddere cogantur: & eo non obstante, Episcopus aut visitator eius visitationem instituere potest. Porrò visitatores, præter victualia moderata sibi ac suis necessaria (quæ procurationes vocantur c. procurationes, 23. de censibus, c. felicis, 3. eod. in 6.) nihil omnino exigere aut accipere debent. 6 7

CAPITVLVM II.

Officium.

AD officium Archidiaconi pertinet Diaconos, aliósque Ministros inferiores ad altaris ministerium instruere; præcipere, quis Diaconorum Euangelium (si ipsemet non voluerit) legere, aut cantare debeat. Vide c. 1. d. 25. & quæ dicta sunt c. præced.

CAPITVLVM III.

Ea quæ.

CVm Archidiacono custodia rerum Ecclesiasticarum præcipuè commissa sit, ideo si quid per culpam vel fraudẽ cuiuspiam perierit, ab ipso repetetur. Ita Gregorius I. regist. 1. epist. 10. ad Fortunatum Diaconum.

NOTANDVM Vn. Supremus rerum Ecclesiæ Custos tenetur non tantùm ex culpa propria, lata aut leui; sed etiam ex culpa aut dolo inferiorum, v. g. si sacristæ culpâ aliquid perierit. Id verò intelligi debet, si ipse Superior negligentiæ argui potest, quòd inferioribus non attenderit, vti hic Anton. docet n. 1. Sed prius obligatur inferior, qui perdidit,

didit, aut destruxit; & in defectum eius Superior, cui ex officio incumbebat impedire, iuxta ea quę dixi lib. 3. Th. mor. tr. 2. c. 6.

CAPITVLVM IV.

Cùm satis.

PARAPHRASIS.

Non valet consuetudo, vt Archidiaconus curata beneficia conferat, sine Episcopi consensu.

SVMMARIVM.

Consuetudine introduci non potest, vt in ecclesiis Episcopo subiectis Ministri curati sine eiusdem approbatione instituantur.

NOTANDVM Vn. Consuetudine introduci non potest, vt in Ecclesijs Episcopo subiectis Ministri curati sine eiusdem approbatione instituantur. Ita intelligit Anton. hîc, & Azor tom. 1. lib. 5. c. 19. §. consuetudo item, & consentit Syn. Trid. sess. 7. c. 13. de reformat. Nam consuetudo, quæ Ecclesijs pernicioſa est, præualere non potest: Esset autem Ecclesijs pernicioſum, si sine cognitione ac consensu supremi in diœcesi pastoris, videl. Episcopi, inferiores curati instituerentur. Accedit, quòd Episcopus curam parochiarum sibi subiectarum deponere non possit, sed prouidere debeat, vt populus in spiritualibus bene pascatur, sacra legitimè administrentur, iuxta c. regenda, & seqq. causa 10. q. 1. Id autem curare non potest, nisi sciat, quinã & quales curati præficiantur. Interim fatemur, quòd inferiores Prælati per consuetudinem acquirere possint ius instituendi, etiam ad curata beneficia, sed non sine examine, & approbatione Episcopi, vti constat ex c. ad hæc, 7. hoc tit. Eodémque modo intelligi debent, quæ Innocent. docet super hoc c.

***

CAPITVLVM V.

Archidiaconis.

SPectata Ecclesiastica institutione, non videtur Archidiaconis concessum, in aliquem sententiam excommunicationis promulgare, nisi Episcopi accesserit auctoritas.

Contra hoc Alexandri III. responsum obijcitur c. dudum, 54. de elect. & c. 1. de eo qui furtiuè, &c. quibus habetur, quòd Archidiaconus possit excommunicare. Idque fatentur DD. in c. cùm ab Ecclesiarum, 3. de off. Iudic. Ordinarij. Et constat ex eo, quia Archidiaconus spectato communi iure, habet ordinariam fori externi iurisdictionem in alios clericos, c. 1. & c. ad hæc hoc tit. Ad hãc autem iurisdictionem pertinet præcipere, & inobedientes pœnis ac censuris cœrcere, vti dixi lib. 1. Th. mor. tr. 5. p. 1. c. 3. ass. 1. Resp. Rectè dixisse Alexandrum Papam, spectata Archidiaconi institutione, non competere ipsi potestatem excommunicandi; cùm curam animarum non habet, sed vt Minister & custos Episcopo adiunctus est: Quamobrem Diaconi oculi Episcopi appellantur, c. Diaconi, 11. d. 93. c. ad hæc, hoc tit. eisdémque rerum Ecclesiasticarum custodia, & administratio credita est. Sed progrediente tempore Archidiacono maior potestas, atque iurisdictio commissa fuit; non tamen in omnibus Ecclesijs, sed in Ecclesia Romana, quam quædã aliæ imitatæ sunt Ecclesiæ; Quare tota hæc res ex cuiusque Ecclesiæ consuetudine pendet. Lege c. legimus, 24. d. 93.

CAPITVLVM VI.

Mandamus.

ARchidiaconus non nisi semel Ecclesias Archidiaconatûs sui visitare debet; nisi causa speciali emerserit, ob quam sæpiùs visitari debeant.

NOTANDVM Vn. Prælati Ecclesias suas singulis annis, non sæpius, visitare debent,

bent, c. relato, 9. & seqq. causa 10. q. 1. Sin tamen causa postulet, bis visitare potest, sicuti de Episcopo habetur in c. cùm venerabili, 21. iun. Gl. ver. bis in anno, imò quoties ipsi videbitur, secundùm Trident. sess. 6. c. 4. de reformat. Videri potest Azor tom. 2. lib. 3. c. 40.

CAPITVLVM VII.

Ad hæc.

AD officium Archidiaconi (secundùm Ecclesiæ Romanæ consuetudinem) pertinet Leuitis, & hypodiaconis imperare; curam parochiarum gerere; adeò, vt & Archipresbyteri, qui & Decani appellantur, eius iurisdictioni subsint. Sed ardua, seu maiora negotia ad maiorem se, videl. Episcopum referre debet. Sed & Clericorum ordinandorum examinatio, atque institutio ad eundem Archidiaconum spectat; ita tamen, vt priùs Episcopo præsententur, ab eóque approbentur.

Idémque dicendum de Decanis ruralibus, ab Archidiacono instituendos, amouendósque esse; sed non sine Episcopi consensu. Nam quod omnes tangit, ab omnibus approbari debet: Decani autem illi rurales subsunt tum Archidiacono, tum etiam Episcopo: Ergo eorum institutio, & destitutio ad vtrumque pertinere debet.

Hoc est præcipuum huius tit. c. Sed quia eius materia satis explicata est, c. 1. 4. & 5. hic nihil adijcio. Legi potest c. 1. d. 24. & c. Legimus, 24. d. 93.

CAPITVLVM VIII.

Significasti.

PARAPHRASIS.

Archidiaconus sine consensu Episcopi literas dimissorias dare non potest. Sed neque Clerici freti talibus literis absque Episcopi licentia datis ordines accipere possunt: alioquin ab executione ordinum prohiberi possunt. Ratio responsi est: quia per literas dimissorias derogatur iuri Episcopali, quod habet ad ordinandos Clericos sibi subiectos: Ergo præter eius consensum dimissoriæ dari non possunt. Quæ ipsa causa est, cur vacante Sede, Capitulum dimissorias concedere non possit. Quia iura Episcopalia successori reseruare debet.

SVMMARIVM.

Dimissoriæ sine consensu Episcopi ab Archidiacono vel Vicario Generali datæ, pro non datis haberi debent.

NOTANDVM Vn. Si dimissoriæ sine consensu Episcopi ab Archidiacono, vel Vicario Generali datæ sint, pro non datis haberi debent: ita vt pœnæ & inhabilitates incurrantur, de quibus dixi in c. 2. de temp. Ordinat. & in 6. Vtrùm verò in absentia Episcopi Archidiaconus dimissorias dare possit, ex consuetudine cuiusque Ecclesiæ petendum est, vti Gl. hîc notat ver. literas. Vide quæ dicta sunt in c. 3. de tempore ordinat. in 6.

CAPITVLVM IX.

Vt nostrum.

SPectato communi iure, ad Archidiaconum pertinet, ad Ordines promouendos examinare, & Episcopo præsentare; Abbates, & Abbatissas instituere.

Intellige hæc cum dependentia ab Episcopo: Quia is curam Ecclesiarum sibi à sacris canonibus & Sede Apostolica commissam à se deponere nec debet, nec potest, vt dixi suprà c. cùm satis, 4. hoc tit.

CAPITVLVM Vlt.

Dilecto.

PARAPHRASIS.

Archidiaconus Senonensis querelam detulit ad Honorium III. contra Abbatem,

& Conuentum Monasterij S. Petri Senonensis, quod procurationem annuam sibi ratione visitationis debitam denegaret. Eam causam Papa quibusdam Abbatibus delegauit. Coram his comparens Archidiaconus petijt, vt, cùm Monasterium intra fines Archidiaconatus sui situm sit, Abbas & Monachi suæ iurisdictioni, correctioni, & visitationi subiacèt; saluâ suâ Regulâ, & obedientiâ, quam Abbati suo debent. Petijt quoque, vt qui in districtu Senonensi existunt, (præter ipsum Archiepiscopum & familiarem eius) in prima instantia coram ipsò Archidiacono, non coram Officiali dicti Archiepiscopi conueniri debeant.

SVMMARIVM.

1. *Archidiaconus habet iurisdictionem ordinariam inferiorem, & Episcopali Consistorio subordinatam.*
Vnde ab eo ad Episcopum appellari potest.
2. *Archidiaconus in Monasteria iurisdictionem non habet; licèt sita sint intra fines suos, nisi legitimè præscripserit.*

NOTANDVM I. Si libellus formetur contra Monasterium circa iura eius, tam Abbas, quàm Conuentus in eo exprimi debet.

NOTANDVM II. In quibusdam diœcesibus Archidiaconus iurisdictionem exercet in clericos & parochias ciuitatis Episcopalis, ac certum districtum adiacentem. Qui fines Archidiaconatus dicuntur, vti videre est in Augustana Synodo sub Ottone Cardinale & Episcopo, c. 7. Quibusdá verò locis non vnus tantùm, sed plures Archidiaconi constituti sunt, qui partes diœcesis veluti regiunculas subiectas sibi habeant, tanquam Vicarij Episcopi ratione dignitatis suæ constituti.

NOTANDVM III. Archidiaconus habet iurisdictionem ordinariam inferiorem, & Episcopali Consistorio subordinatam. Quare licèt causæ iudiciales Clericorum ad ipsum in prima instantia deferendæ sint, tanquam ordinarium pastorem; tamen ab eo tribunali appellari potest ad Episcopum, seu Officialem eius, argum. c. irrefragabili, 13. §. excessus, de offic. Ordinarij.

Dicet aliquis: Igitur Archidiaconus intentionem suam fundatam habuit, quando ostendit, Monasterium intra fines Archidiaconatûs sui situm fuisse: cùm ipse, spectato communi iure, omnem curam totius cleri habeat, c. 1. c. ad hæc, hoc tit. Cur itaque adactus fuit ad ostendendam iurisdictionis suæ præscriptionem, alioquin à petitione sua repellendus? Respond. cum Innoc. hic. Si Episcopus hanc petitionem seu libellum porrexisset, ostendendo Monasterium intra fines suæ diœceseos situm esse, fundatam habuisset intentionem, & in petitorio obtinuisset, vti constat ex causa 18. q. 2. c. si quis Abbas 15. & seq. nisi Monasterium vel priuilegio, vel præscripta consuetudine exemptionem ostendere posset, c. cùm venerabilis, 7. de Religios. domibus. Sed alia ratio est de Archidiacono: Licèt enim cura totius cleri ipsi commissa sit, tamen hoc nomine non veniunt Religiosi, aut Monasteria, ob Regulam communiter traditam: Quod in materia odiosa, aut præiudicante appellatione Cleri Regulares non comprehendantur.

Est itaque IV Notandum: Archidiaconus in monasteria sita intra fines suos iurisdictionem non habet, nisi eam per diuturnâ consuetudinem legitimè præscripserit. Sed & ratio est, cur Religiosi Archidiacono subesse non debeant. Quia præter Episcopum, ordinarius eorum Prælatus est Abbas, seu Præpositus Regularis. Igitur consentaneum non est, vt alium adhuc Ordinarium habeat.

Id porrò difficultatem habet, quòd Honorius hîc respondit: Si appareat, consuetudinem fuisse, vt Archidiaconus, aut antecessores eius, in Monasterium istud, vel in alia eiusmodi Monasteria iurisdictionem exerceret, in ea saltem iurisdictione, quam ergà dictum Monasterium præscripserit, confirmandum esse. Nam huic responsioni obstat, quòd præscriptio non sit extendenda vltra locum vel personas, vti docet Abb. in c. cùm locum, n. vlt. de præscript. Fieret autem extensio

tenſio, ſi ex eo, quòd Archidiaconus conſuetudine diuturna iuriſdictionem in Monaſteria quædam intra fines Archidiaconatûs ſita acquiſiuiſſet, inde inferre licet, etiam in hoc Monaſterium, quod eius iuriſdictionem fortè nunquam agnouit, aut admiſit, ius aliquod competere. Multa hîc dicunt Innocentius, & Antonius de Butrio. Breuiter reſpondeo: Si Archidiaconus in nouem v. g. Monaſteria Ordinis S. Benedicti intra diſtrictum ſuum poſita iuriſdictionem conſuetudine diuturna comparârit, iuris præſumptionem eſſe, quòd etiam in decimum Monaſterium eiuſdem qualitatis, & inter eoſdem fines iuriſdictionem habeat: cùm de ſimilibus idem ius cẽſeri debeat, arg. c. cognouimus, 29. q. 2. cauſa 2. Verùm contra hanc iuris præſumptionem admittitur probatio in contrarium: ſi nimirum Monaſterium illud decimum oſtendat, quòd Archidiaconus iuriſdictionem in ipſos non exercuerit, vel, etſi voluerit exercere, tamen admiſſus non fuerit: hoc caſu obſtare ipſis non debet, quòd in alia ſimilia Monaſteria iuriſdictionem conſuetudine compararit, ſeu præſcripſerit.

TITVLVS XXIV.

DE OFFICIO ARCHIPRESBYTERI.

CAPITVLVM I.

Vt Archipresbyter,

SVMMARIVM.

1. *Archipreſbyter præeſt reliquis presbyteris, ſi vrbanus eſt, ſeu Eccleſiæ Cathedralis Decanus.*
2. *Alij Archipresbyteri ſunt, qui Decani & Vicarij rurales ſeu foranei vocantur; hi delegatam iuriſdictionem, & penitus dependentem ab Ordinario habent.*

1 ARchipresbyter ſubeſt Archidiacono, tanquam vicem Epiſcopi gerenti. Imperat reliquis presbyteris, quorum veluti Dux, ſeu Decanus eſt; abſente Epiſcopo Miſſarum ſolemnia celebrat, collectam dicit, vel alij dicendam mandat. Ita Iſidorus Hiſpalenſis relatus in c. 1. d. 25.

Eſt autem hic ſermo de Archipresbytero ciuitatis, ſeu eccleſiæ Cathedralis Decano.

2 Præter hunc autem alij ſunt presbyteri, ſeu Decani rurales, vti Gl. annotauit in c. vlt. hoc tit. Iidémque Vicarij rurales, ſeu foranei appellãtur in Clem. 2. de reſcript. De ijs cõmuniter docent DD. cum Gl. ibid. ver. foraneo, quòd habeant iuriſdictionẽ delegatam, & omnimodè dependentem ab Ordinario, à quo arbitratu ipſius deponi poſſint. Cæterũ pluribus Eccleſijs fiunt Decani, ſeu Vicarij rurales per electionem Capituli ruralis, & ab Epiſcopo vel Officiali, ſeu Generali Vicario confirmantur: Ita vt officium & iuriſdictionem quandam ordinariam habeant ſubordinatam Epiſcopali, iuxta doctrinam Innocent. in c cùm ab Eccleſiarum, 3. de offic. Ordinar. Quamobrem nec priuari ſeu deponi ab officio poſſunt, niſi ob crimen mereantur, ſicuti dixi lib. 1. Th. mor. tr. 4. c. 7. n. 20.

CAPITVLVM II.

Miniſterium.

ARchipresbyter curam habere debet, vt Sacerdotes Cardinales, (id eſt, qui parochijs

rochijs præfecti sunt, Gl. margin. interprete) in administratione sacramenti, & horis canonicis psallendis assidui sint; Episcopi sui præceptis obediant: Episcopo autem absente, omnia quæ sacerdotalis officij sunt, agere, vel alteri sacerdoti committere debet.

CAPITVLVM III.

Officium.

ARchipresbyter ciuitatensis, absente Præsule, inchoat officium Ecclesiasticum, dat benedictionem presbyteralem, Missam canit, vel alteri demandat: Episcopo Missam canente ordinat sacerdotes ad altaris ministerium: Custodi præcipit, vt in sacrario Eucharistia adsit pro morituris, ne sine sacramentis decedant; vt aliunde accedentium diœcesanorum confessiones secundùm Episcopi prouisionem excipiantur: Sed & ad Catechumenorum informationem, & infantium baptismum sacerdotes prouidere debet. Legi hic potest Host. n. 3 & 4.

CAPITVLVM VLT.

Vt singulæ.

PARAPHRASIS.

Decens est, vt Episcopus onera sua partiatur, & sicut ipse Ecclesiæ Matrici seu Cathedrali præest, ita per plebes Archipresbyteros seu Decanos rurales constituat, quorum officium sit non tantùm plebis imperitæ sedulam curam gerere, sed etiam presbyteris, qui minoribus parochijs præsunt, inuigilare, &, qua quisque industria opus diuinum exerceat, ad Episcopum referre.

SVMMARIVM.

1. *Habet Archipresbyter, seu Decanus ruralis iurisdictionem in foro externo, ita tamen vt causas grauioris momenti ad Episcopum referat. Circa vrbanum spectanda est cuiusq; ecclesiæ cõsuetudo.*
2. *Habuit olim iure antiquo iurisdictionẽ fori interni in reliquos sacerdotes; nunc autem iure nouo sacerdotes & alij clerici seculares cuilibet Confessario exposito confiteri possunt.*
3. *Decanus ecclesiæ Cathedralis dignitatẽ seu personatum habet non item ruralis.*

QVÆRITVR I. Vtrùm Archipresbyter iurisdictionem habeat in foro externo? Affirmat Gl. in hoc c. ver. referant. Idque satis colligitur ex textu, si sermo sit de Archipresbyteris seu Decanis ruralibus, qui veluti Vicarij Episcopi foris constituuntur ad gubernationem Cleri: Ita tamen, vt quæcunque alicuius grauioris momenti sunt, ad Episcopum referat. In ciuitate autem, siue vbi Sedes Episcopalis est, necesse non est, Archipresbyteros Ecclesiarum iurisdictionem externam habere; cùm omnia ad Episcopum, aut Officialem eius, vel ad Archidiaconum referri possunt. Spectanda verò est cuiusque Ecclesiæ consuetudo. Nam quibusdam locis, in quibus Archidiaconus non est, iurisdictio in Clericos competit Archipresbyteris seu Decanis Ecclesiarum Cathedralium & Collegiatarum, vti notauit Hostiens. hoc tit. n. 1. Petr. Gregor. Tholos. lib. 15. Syntag. c. 21. n. 15.

QVÆRITVR. II. Vtrùm Archipresbyter siue Decanus iurisdictionem fori interni in sacerdotes reliquos habeat? Respondeo. Spectato iure antiquo, habere iurisdictionem & curam animarum; adeò vt nemo presbyterorum alteri, quàm Archipresbytero suo de peccatis confiteri potuerit, vti colligitur ex c. 1. & c. 2. vbi id Anton. notat hoc tit. & Ioann. Andr. in c. officium n. 4. eod. Abb. in c. 3. in fine, de eccles. ijs ædific. Postea verò per consuetudinem obtentum est, quæ & hodie viget, vt sacerdotes alique Clerici seculares cuilibet exposito confessario confiteri possent, vti dixi lib. 5. Th. mor. tr. 6. c. 10. n. 4.

QVÆRITVR III. Vtrùm Archipresbyter seu Decanus dignitatem aut personatum habeat. Interest enim, vt sciatur, vtrùm ipsi à Sede Apostolica, aut Legato eius causæ delegari

delegari possint, iuxta c. statutum 11. de rescript. in 6. Et vtrùm Iudex conseruator cõstitui possit, iuxta c. vlt. de offic. delegati, in 6. Resp. & Dico I. Decanus Ecclesiæ Cathedralis, dignitatem, seu personatum habere censetur. Quia tametsi ponamus, iurisdictione præditum non esse, habet tamen præeminentiam inter Canonicos, & alios Clericos. Qua item ratione Præpositi Ecclesiarum secularium, licèt nullam administrationem seu iurisdictionem exerceant, tamen propter eminentiam, seu præcessionem, dignitatem seu personatum habere censentur. Videri potest Syl. ver beneficium, 1. q. 5.

Dico II. Decani rurales non censentur habere dignitatem, vel personatum; sed simplex ministerium, seu officium. Neque in Ecclesijs principalibus, seu Cardinalibus præeminent; sed solùm in minoribus seu plebanis parochijs, vti constat ex hoc c. ver. per minores titulos.

TITVLVS XXV.

DE OFFICIO PRIMICERII.

CAPITVLVM VNICVM.

Vt primicerius.

PRimicerius, sub Archidiacono constitutus, in docendo, ac psallendi ratione præest Diaconis, & alijs Clericis: quorum curam solicitam gerere debet, vt disciplina inter eos obseruetur.

Aduerte primò: Quòd olim veteres in tabulis ceratis scribere soliti sint. Hinc factũ est, vt qui tabulis publicis præfectus erat, primicerius appellaretur, id est, primus notarius, seu protonotarius, vti constat ex tit. Codicis lib. 12. de primicerio, & secundocerio, iũn. Gl. rubricæ, & Nouel. 8. Iustin. c. 14. §. A spectabili. Sed & aliorum officiorum, vt cubiculi, palatij, militiæ, fabricæ primus præfectus, & vno verbo, quicunque in aliquo hominum ordine primum albi, seu tabulæ ceratæ locum obtinuit, primicerius dictus fuit; qui autem secundum locum tenuit, secundocerius, & qui tertium, tertiocerius, vti constat ex l. vlt. C. de domesticis, lib. 12. & notauit Azor cit. l. 3. c. 17. q. 1. Petr. Greg. Tholosanus lib. 15. Syntag. c. 22. Quare primicerius hoc loco ille dicitur, qui tùm in choro psallentium, tùm in schola primum inter Diaconos, ac reliquos Clericos locum habuit. Quare quibusdam Ecclesiis Præcentor appellari solet, vti videre est in c. cùm olim, 6. de consuet. & qui alterum post ipsum locum tenet, Succentor, vti videre est in c. inter dilectos, 11. de excess. Prælator. & notat hîc Hostiensis.

QVÆRITVR, Vtrùm primiceriatus, cantoria, seu præcentoria sit dignitas, seu personatus? Respondeo: Si primicerius, seu præcentor, ratione officij sui, inter alios Ecclesiæ Canonicos præeminentiam habeat, seu priorem locum in choro, in Capitulo, in processione, censetur habere dignitatem, seu personatum. Idque constat ex c. cùm concessissent, 8. de constitut. Idémque dicendum est de subcentoria, vti Gl. docet in cit. c. inter dilectos. Et de Thesaurario, seu Custodis officio; sicuti Azor annotauit cit. c. 16. q. 6. Quòd si verò Ecclesiæ Custos v. g. officium seu administrationem habeat absque præeminentia, quia ratione muneris sui alios Canonicos non antecedit, tunc licèt beneficium duplex, & præbendam meliorem obtineat, non tamen dignitatem seu personatum, vt dixi lib. 4. tr. 2. c. 4. n. 4. §. Alia verò.

TITVLVS XXVI.
DE OFFICIO SACRISTÆ.

CAPITVLVM VN.

Vt sciat.

AD Sacristam spectat custodia sacrorum vasorum, vestimentorum, & omnis thesauri Ecclesiastici, atque luminarium cura.

TITVLVS XXVII.
DE OFFICIO CVSTODIS.

CAPITVLVM I.

Custos.

EAdem, quæ superiore tit. ad Sacristæ munus pertinere dicta sunt, hoc tit. custodis officio tribuuntur. Quare idem videtur esse custodis officium, quod Sacristæ, qui etiam thesaurarius dicitur c. 1. d. 26. Atque ita notauit Hostiens. & Azor. tom. 2. lib. 3. c. 16. q. vlt. & colligitur ex c. 2. hoc tit. in fine.

CAPITVLVM II.

Custos.

DEscribitur custodis officium: Etepilogus adiungitur, quòd in his tribus, Archidiacono, Archipresbytero, & Custode, inter se secundùm charitatem conspirantibus, veluti tribus columnis Ecclesia niti debeat.

Hinc itaque apparet, quòd Custos non differat à Sacrista, licèt titulorum horum compilator pro diuersis habuisse videatur

TITVLVS XXVIII.
DE OFFICIO VICARII.

CAPITVLVM I.

Ad audientiam.

GEorgius Presbyter à Vicaria sua viginti annis abfuerat, atque interim personatus, quin & curam animarum alibi consecutus est: postea autem reuersus Vicariam suam repetere volebat. Quo intellecto Alexander III. respondit, Presbyterum illum non admittendum: cùm sacris canonibus repugnet, vt qui curam animarum gerit, alio loco Vicarius existat.

NOTANDVM Vn. Vicarius perpetuus, cùm ius reale ac titulum beneficij obtineat, inter eos numeratur, qui curam habent animarum. Quare vacat ipso iure eius Vicaria.

ria, per adeptionem alterius curati beneficij, iuxta c. de multa, 28. de præb. & extrau. exerabilis, eod. tit. Et Vicariam consequi nemo potest ante xxv. ætatis annum cœptum, c. cùm in cunctis, 7. de elect. & prouisus amittit Vicariam, nisi intra annum Sacerdos ordinetur, c. licèt canon, 14. de elect. Habentur hæc in Clem. vn. de officio Vicarij.

CAPITVLVM II.

Prouideas.

PLures Vicariæ eidem conferri non debent: Cùm enim (si in titulum, seu in perpetuum conferantur) curam animarum habeant; non potest aliquis duabus deseruire.

CAPITVLVM III.

Ad hæc.

PARAPHRASIS.

Si personatum obtinens (v. g. Cathedralis Ecclesiæ Decanatum) cui parochialis Ecclesia vnita est, Vicarium inibi instituerit, eique cum Episcopi assensu & auctoritate certam redituum portionem assignauerit, atque mortuo Decano, seu Persona, alius successerit; non potest is Vicarium amouere, aut pensionem ipsi designatam minuere: Sin verò ob crimen priuationem mereatur, tum à Iudice suo condemnandus erit.

SVMMARIVM.

1. *Nominatio seu institutio Vicarij perpetui pertinet ad Rectorem principalem; portio redituum ei designanda ad Ordinarium.*
2. *Institutus vix quicquam pendet à Rectore principali, ita vt exercitium iuris parochialis in pertinentibus ad curam animarum spectet ad Vicarium; in pertinentibus autem ad externam defensionem, vindicationem, &c. pertinet ad principalem, saltem si is maiorem redituum partem accipit.*
3. *Si Parochialis ecclesia vnita est prælaturæ vel beneficio electiuo in institutione Vicarij perpetui; non est requirendus consensus patroni.*
4. *Erit autem patroni consensus requirendus in aliis casibus.*

NOTANDVM I. Nominatio, ac veluti institutio Vicarij perpetui pertinet ad Rectorem principalem, v. g. qui parochiam beneficio suo, aut prælaturæ vnitum habet; præcedente tamen examine & consensu Episcopi, seu Ordinarij, cuius etiam est congruentem fructuum portionem designare. Consentit Trident. Synodus sess. 7. c. 7. de reformat. iun. declarat. Cardinal. num 5. Porrò portio Vicario designanda plerumque est tertia reddituum, interdum maior, vel minor, sicuti Ordinario visum fuerit, vti videre est in cit. c. 7. 1

NOTANDVM II. Postquam Vicarius perpetuus cum congrua portione institutus est, vix quidquam dependet à Rectore principali, cùm ius reale beneficij curati ordinaria auctoritate consecutus sit; quo spoliari nō potest, nisi per Iudicis sententiam ob crimen. Quare ob eandem rationem admonet Rebuffus in praxi, p. 1. tit. de Vicarijs perpetuis, n. 1. Azor tom. 2. lib. 3. c. 6. q. 2. in fine. Quòd ipso Vicario inuito, Rector principalis in Ecclesia deseruire, seu Sacramenta ministrare non possit; quia tota cura actualis Vicario commissa est; principalis autem non nisi in habitu curam retinet, vt dixi in c. 2. de suppl. negl. Prælat. & in c. Michaël, 13. de filijs Presbyter. & docet Rebuffus n. 11. Abb. in c. extirpandæ, repet. §. Qui verò, n. 15. de præb. Cardinal. Zabarella in cit. Clem. vn. de offic. Vicarij, quæst. 10. vbi doctè distinguit: Quòd exercitium iuris parochialis in pertinentibus ad curam animarum pertineat ad Vicarium: sed exercitium iuris parochialis in pertinentibus ad externam defensionem, vindicationem, & forum contentiosum, (sicuti & ad fabricæ reparationem) pertineat ad principalem; saltem si is maiorem reditui partem accipiat. Quam obrem inquit, capellæ seu parochiæ, quæ Monasterijs 2

eijs vnitæ sunt, Monachorum dicuntur, non Vicariorum. Cęterùm pro ipso iure Vicariatûs retinendo, aut recuperando, ipsemet Vicarius aget, si intitulatus est, vti docet Syl. ver. Vicarius, q. 2. dicto 4.

QVÆRIT hîc Gl. ver. Episcopi: Vtrùm in constituendo Vicario perpetuo non tantùm nominatio Rectoris principalis interuenire
3 debeat, sed etiam consensus patroni? Inprimis consentiunt DD. si parochialis Ecclesia vnita sit prælaturæ, seu beneficio electiuo, in institutione Vicarij, patroni consensum requirendum non esse: quia is per vnionem, saltem si cum eius consensu facta fuerit, censetur amisisse ius præsentandi, nisi id specialiter sibi reseruarit, vti docet hîc Innocent. Gl. ver. Episcopi, Lapus in Clem. vn. hoc
4 tit. & docui lib. 4. tr. 2. c. 9. n. 9. Sed in alijs casibus quæstio procedit, vti si v. g. propter amplitudinem parochiæ, constituta sit capella seu Ecclesia filialis, principaliori seu matrici subiecta, ita vt in ea Vicarius à principali Rectore cum Episcopi approbatione ponendus sit; vtrùm etiam patroni consensus & præsentatio requiratur. Negatiuè respondet Gl. hîc, ver. Episcopi. Sed contrarium colligitur ex c. 3. de Ecclesiis ædific. vbi id docet Gl. ver. Rectoris, Alanus, Innocentius & Antõ. super hoc c. Lapus, & Zabarella in Clem. vn. hoc tit. Syl. cit. q. 2. dicto 3. Nam patrono competit præsentare ad titulum parochiæ à se fundatæ, dotatæ, aut ædificatæ; Vicarius autem in parochia in perpetuum institutus canonicum titulum acquirit (saltem vtilem: nam directus titulus est penes Rectorem principalem.) Ergo à patrono præsentari debet: Vel potiùs ab vtroque, id est, cùm Rectore principali, tum patrono, præsentabitur Episcopo.

CAPITVLVM IV.

Clericos.

PARAPHRASIS.

Permitti non debet, vt Vicarius alium sibi Vicarium substituere possit.

SVMMARIVM.

1. *Vicarius, etsi perpetuus, non potest alium Vicarium perpetuum substituere: potest tamen temporalem.*
2. *Vicarius temporalis, si solus officio non sufficit, potest sibi adiungere cooperatorem; non potest autem alteri totum Vicariæ officium demandare.*
3. *Vicarius alium sibi similem Vicarium substituere prohibetur.*

DIsputant hîc Canonistæ, an, vniuersim loquendo, Vicarius Vicarium substituere prohibeatur? Resp. & Dico I. Vicarius, etiamsi perpetuus sit ac titulum habeat, non potest alium Vicarium perpetuum instituere. De hac assert. nemo dubitat: Quandoquidem neque ipsemet Parochus seu Rector ordinarius Ecclesiæ talem Vicarium instituere possit, cùm per seipsum deseruire debeat, exceptis casibus iure concessis, iuxta c. extirpandæ, 30. §. Qui verò, de præb.

Dico II. Vicarius perpetuus non prohibetur Vicarium temporalem ad tempus breue ex causa iusta substituere, tradendo illi totum officium seu administrationem suam. Ita docet Hostiensis hoc tit. n. 5. Anton. in fine huius c. Zabarella in cit. Clem. vn. q. 11. Nam Vicarius perpetuus veluti ordinariam curam & iurisdictionem habet, vti notauit Innoc. in c. seq. arg. l. 2. C. de officio eius, qui vicem alicuius Iudicis, vel Præsidis obtinet. Ergo sicuti alijs parochis, seu curatis, ita & ipsi concessum est, propter necessariam absentiam, vel infirmitatem alium sibi idoneum sacerdotem ad tempus breue substituere. Sin autem impedimentum diu duraturum sit, Episcopus admonendus erit, vt interim Vicariũ constituat, arg. c. cùm ex eo, de elect. in 6.

QVÆRES: Quod tempus breue, vel longum censeri debeat. Resp. Si curatus vltra duos menses à parochia abesse debeat, necesse est, vt ab Ordinario licentiam habeat, & Vicarium eiusdem auctoritate constitutum relinquat, vti expressè habetur in Trid. sess. 23. c. 1, de reform. Sin autem præsens sit Curatus, attamen infirmitate detentus, probabile

bile est, quòd etiam vltra duos menses Vicarij, v.g. Cooperatoris sui operâ vti possit, totum ei officium suum commendando, & consilijs suis adiuuando. Sin autem impedimentum diu, v.g. pluribus mensibus duraturum sit, Ordinarium certiorem reddere debet Curatus.

2. Dico III. Vicarius qui titulum non habet, sed ad tempus ab Episcopo constitutus est, (v.g. dum parochus in studijs versatur, donec Sacerdos factus sit, professionem in Religione fecerit, aut ob senium, aliámue infirmitatem ineptus vitam finierit) talis, inquam, Vicarius temporalis, si officium solus explere non possit, Cooperatorem seu Coadutorem asciscere non prohibetur: sed totum Vicariæ officium alteri demandare nequit, spectato communi iure. Ita ex communi Sanchez lib. 3. disp. 31. n. 2. & 15. Ratio reddi debet, quia tanta, & non maior commendandi, aut substituendi potestas Vicario temporali ab Ordinario concessa censetur. Et confirmatur inde: Quia sicuti delegatus ad vniuersitatem causarum, cùm quasi ordinariam seu æquiparatam ordinariam iurisdictionem habeat, vnam vel alteram causam, aut partem iurisdictionis delegare potest, vti colligitur ex l. 1. §. ab eo. ff. Quis, & à quo, & docet Gl. communiter recepta in l. à iudice, 5. ver. non habet, C. de Iudicijs, Gl. in c. cùm causam, ver. delegatus, de appellat. Ita etiam Vicarius temporalis, cùm & ipse quasi ordinaria iurisdictione, videl. sibi concessa, ac veluti commendata vtatur, ideo & ipsi alteri non totum officium, sed partem eius ex causa iusta commendandi potestas permissa censetur. Limita assertionem; quibusdam locis consuetudinem interpretari, quòd Ordinarius instituens in parochia Vicarium, etiam temporalem, seu amobilem permittat ipsi facultatem, ob causam necessariæ absentiæ, vel infirmitatis, ad breue tempus alium substituere, totum ipsi officium suum commendando. Qua de re lege, quæ dixi lib. 5. tr. 6. c. 10. assert. 6. n. 13.

3 NOTANDVM Vn. Vicarius alium similem sibi Vicarium substituere prohibetur. Si enim perpetuus est, alium perpetuum Vicarium instituere nequit: cùm idem titulus Vicariæ ad duos spectare non possit. Si autem temporalis Vicarius est, alium, etiam temporalem, Vicarium substituere nequit; nisi ex licentia ab Ordinario expressè, vel tacitè accepta: adeò vt non suo, sed potiùs Ordinarij iure & auctoritate alium substituat. At verò Vicarius perpetuus, etiam suopte, seu proprio iure ad tempus modicum, & ob causam iustam Vicarium substituere potest, vt dictum est.

CAPITVLVM V.

Sua.

VIcarius Papæ iurisdictionem extra Vrbem exercere non potest, nisi ei specialiter concessum sit. Quare literæ iustitiæ ab ipso impetratæ ad loca prouinciæ Romanæ, quæ est inter Capuanam & Pisanam prouincias, subreptitiæ censeri debent, præsertim si ipsemet Pontifex in particulari sua prouincia commoretur.

De Vicario Vrbis Romæ, qui siue præsente, siue recedente Pontifice, constitutus est, nihil certum dici posse, annotauit hîc Ioann. Andreas, n. 7. Quia eius potestas pendet ex voluntate & commissione Papæ. Ait verò P. Gregor Tholosanus in syntagm. iuris, lib. 47. c. 35. n. 9. Quòd Vicarius Papæ non tantùm in Vrbe Roma, sed in tota diœcesi Romana iurisdictionem ecclesiasticam in Clericos, & Religiosos, qui exempti non sunt, exerceat. Plura de Vicario Vrbis legere potes apud Francisc. de Pauinis de potest. Capituli sede vacante, p. 2. princ. q. 10. n. 35.

CAPITVLVM VLT.

Ex parte.

VIcarij perpetui in suis Ecclesiis personaliter residere, & ad sacerdotium promoueri per fructuum subtractionem compelluntur. Ratio est: quia curam animarum, ac veluti curatum beneficium obtinent.

Nunc verò Vicarij perpetui, si intra annum, post pacificam vicariæ possessionem,

legitimo impedimento cessante, sacerdotium non accipiant, ipso iure priuationem incurrunt, iuxta c. licèt canon, 14. de elect. iun. Clem. vn. hoc tit. & dixi suprà c. 1.

CAPITVLVM PRIMVM. eod. Tit. in 6.

Romana.

PARAPHRASIS.

Archiepiscopus Rhemensis ob causam iustam excommunicauerat Officialem, seu Vicarium generalem Suffraganei sui. Dubitatum fuit, vtrùm hæc sententia afficiat etiam eos, qui ab eodem Generali Vicario in officio eius gerendo (vel in totum, vel in partem) substituti sunt: Et an acta ita substitutorum à Generali Vicario, seu Officiali valida essent. Ad primum respondet Innocent. IV. Quòd Vicarij substituti, seu vicem gerentes ipsius Officialis, propter eius excommunicationem, censurâ eâdem non afficiantur: cùm exercendo officium, seu ministerium sibi commissum, non ideo communicent in crimine, ob quod excommunicatio in Officialem lata est. Ad alterum respondet; Acta Vicariorum substitutorum irrita esse, si ab ipso tantummodo Officiali, qui excommunicatus est, iurisdictionem acceperint.

SVMMARIVM.

1. *Vicariorum tres species sunt: prima eorum, qui à lege seu canone constituũtur, secunda, qui ab homine; tertia, qui substituti in eâdem iurisdictione dicuntur.*
2. *Generalis in spiritualibus Vicarius Episcopi habet ordinariam potestatem.*
3. *Vicarij temporales nec ordinariam, nec delegatam iurisdictionem habent; sed veluti ordinariam.*
4. *Discrimen inter Vicarium Episcopi Generalem in spiritualibus tantùm, & Vicarium eiusdem Generalem in temporalibus tantùm.*
5. *Vt Vicarius in spiritualibus generalis sit, debet ei esse commissa generalitas locorum seu totius diœcesis, & causarum.*
6. *Requiritur etiam, vt sit Vicarius seu Officialis principalis.*

   Quandoque duo sunt Vicarij seu Officiales in diœcesi, quorum vnus principalis est, alter verò minùs principalis, qui tantùm in quibusdam casibus præest Consistorio: & iste non potest esse delegatus Sedis Apostolicæ, nisi aliam dignitatem habeat, vel Ecclesiæ Cathedralis Canonicus sit.
7. *Si duo sunt Officiales æquè principales, rescriptum gratiæ v. g. dispensationis faciendæ, præsentari potest vni ex illis, cui impetrans maluerit; eritq; locus præuentioni, ita vt post præsentationem vni factam, alter se immiscere non possit.*
8. *Vicarius Generalis seu Officialis Episcopi, vt ei in episcopali tribunali substitutus est, eadem cum Episcopo persona censetur; vnde, sicut Episcopus, Metropolitano subiectus est secùs est, si vt priuata persona delinquat; tunc enim Episcopus iudex est.*
9. *Potest Episcopus de delicto aut negligentia Vicarij in officio suo commissa cognoscere, eúmque punire; ita vt Archiepiscopus se immiscere non queat, nisi Episcopus requisitus cognoscere, & factum emendare negligat.*
10. *Vicarius Generalis alium sibi non similem substituere in officio Vicariatus potest; eius tamen excommunicatio in substitutum non redundat, nisi in crimine, ob quod ille excommunicatus, scienter illi communicaret.*
11. *Ex causa necessitatis propter absentiam, vel infirmitatem, Vicarium etiam sibi similem, hoc est, cum simili iurisdictione substituere potest.*
12. *Si iussu seu auctoritate Episcopi alium sibi substituat, absolutè, & ad tempus longum, valet substitutio.*
13. *Vicarius delegare potest non suo iure, sed iure ac potestate sibi commissa ab Ordinario.*

14. Vi-

14. *Vicario Generali excommunicato, atque vitando, si is ab eo solo iurisdictionem accepit, eâ vti non potest, si res adhuc integra sit, & causa nondum cœpta: secus autem, iurisdictio respectu eius causæ non suspenditur, sed absolui potest.*
15. *Per mortem, vel renunciationem Episcopi extinguitur omnis iurisdictio Vicarij.*
16. *Mortuo Episcopo Capitulum Cathedrale Vicarium confirmare debet: vel eo remoto, alium substituere, idq; intra decem dies post mortem, qui vacante sede Episcopalem iurisdictionem loco & iure Capituli exerceat.*

PRo pleniore doctrina inprimis dubitari potest: Quotuplex sit Vicarius. Resp. ex doctrina Roberti Maranta de ordine iudiciorum, p. 4. d. 5. n. 6. In iure potissimùm reperiri tres species vicariorum, seu locum tenentium. Prima species eorum est, qui à lege, seu canone constituti dicuntur, ita vt propriam & ordinariam iurisdictionem obtineant, quamuis subiectam & subordinatam principaliori. Talis Vicarius est Archidiaconus, iuxta c. 1. de offic. Archidiaconi.

Altera species Vicariorum est, qui ab homine, videl. Superiore ordinario constituũtur, ita vt potestatem, vel iurisdictionẽ diuersam obtineant à constituente: Et horum aliqui iurisdictionem habent delegatam ad vniuersitatem causarum; aliqui verò ordinariam. Exemplum huius distinctionis, quod attinet ad iurisdictionem etiam externi fori, habes in Vicarijs ruralibus, de quibus dixi in c. 1. de offic. Archipresbyteri. Sin autem sermo sit de Vicarijs in foro internæ iurisdictionis tantùm, exemplum habes in Vicarijs parochiarum: Alij enim iurisdictionem seu curam animarum quasi ordinariam habent; intellige secundùm exercitium, seu vtilem, non directam, vti explicaui in c. 3. extrà, hoc tit. Alij verò sunt Vicarij habentes iurisdictionem, seu potiùs partem iurisdictionis delegatam: Et hi dici solent Cooperatores Parochorum; cùm enim iurisdictione aliqua præditi sint, & non ordinaria, vt constat; sequitur, quòd habeant delegatam ab ipsis Parochis, seu Curatis.

Tertia species Vicariorum est, qui ab homine ita constituuntur, vt iurisdictionem non diuersam, sed eandem habeant cum constituente, quamuis alio modo. videl. cum dependentia ab ipso constituente. Et hi proprio nomine *substituti* in eadem exercenda iurisdictione dici solent: Quare licèt ordinariam iurisdictionem sibi concessam habeant, tamen nullum in ea ius vel titulum obtinent, sed veluti opera locata deseruiunt: ideóque temporales sunt, & amobiles.

Ex hoc genere Vicariorum inprimis est 2
generalis in spiritualibus Vicarius Episcopi: habet enim iurisdictionem ordinariam, non delegatam, sicuti contra Goffredum tit. de offic. vicarij, docet Innoc. in c. sua, eod. tit. Gl. in c. 2. eod. in 6. ver. officialem, & alia Gl. in c. Romana, 3 de appellat. in 6. ver. generaliter, Specul. lib. 1. speculi, p. 1, tit. de offic. ordinar. n. 2. Felinus in rubr. de offic. delegati, n. 4. Et probatur inde: Quia Vicarius generalis eandem habet iurisdictionem cum Episcopo, in cuius tribunali causas cognoscit, & iudicat: Episcopus autem ordinariam habet: Ergo & Vicarius eius generalis, seu principalis Officialis. Ita inter alios ratiocinatur Bertachinus tract. de Episcopis, lib. 4. p. 7. q. 9. n. 11. Præterea; Iurisdictio delegata licèt ab ordinaria iurisdictione derivata sit atque dependens, tamen est diuersa, seu distincta; sicuti lumen v. g. à sole distinguitur: quamobrem à iudice delegato ad delegantem appellari potest, c. super quæstionum, 27. §. Porrò, de offic. delegati. Sed à Vicario generali ad Episcopum appellari non potest, propter rationem, quæ affertur in c. Romana 3. de appellat. in 6. & c. 2. de consuet. in 6. quia non est appellatio ab eodem ad eundem. Ergo Vicarius generalis delegatus non est, sed ordinarius, seu potiùs substitutus Ordinario in eadem iurisdictione. Interim verò non prohibetur Episcopus, vel similem iurisdictionem obtinens, Vicario suo quædam specialiter delegare, vt infrà dicam.

Cæterùm, qui in parochijs Vicarij tem- 3
porales loco alterius absentis, aut infirmi con-

constituuntur, iurisdictionem in foro interno habent; & non ordinariam. Quia ordinariam iurisdictionem habens proprio iure vtitur, officiúmque administrat, iuxta l. more, 5. de iurisdict. At verò Vicarius temporalis ius nullum in parochia habet, sed vt mercenarius deseruit, pro libitu amobilis. Sed neque delegatam iurisdictionem obtinet; cùm non diuersam, sed omnino eandem exerceat eius, cuius locum aut vicem gerit: Igitur habet iurisdictionem veluti ordinariam; cùm sit substitutus in ordinaria iurisdictione, officio, aut cura.

Secundò dubitatur: Vtrùm discrimen sit inter Vicarium generalem, & Officialem principalem Episcopi, vel similem iurisdictionem gerentis. Resp. In iure canonico appellationes istas pro eodem accipi, vti colligitur ex c. vlt. iun. Gl. margin. infrà hoc tit. & Trid. sess. 24. c. 16. de reform. & docet Syl. ver. Vicarius, in princ. Sbrozius de Vicario Episc. lib. 1. q. 7. Sanchez lib. 3. de matrim. disp. 29. n. 11.

Est autem Vicarius Episcopi alius simpliciter generalis, cui administratio tam in spiritualibus, quàm temporalibus commissa est. Alius autem generalis secundùm quid: Et tum vel in spiritualibus tantùm, vel duntaxat in temporalibus. Inter vtrumque horum duplex discrimen est: I. Vicarius seu Administrator generalis Episcopi in temporalibus laicus esse potest, spectato hodierno iure, vti ex communi docet Sbroz. lib. 1. q. 31. n. 5. Sanchez lib. 7. de matrim. disp. 46. n. 14. Sed Vicarius in spiritualibus Clericus esse debet, cùm spiritualia negotia laicis committi non possint, cap. 2. de iudicijs. Alterum discrimen: Vicarius in temporalibus tantùm delegatus sum. Pontificis esse non potest, nisi alia ratione dignitatem, ac præeminentiam in Ecclesia habeat. 4

Sed ad generalem Vicarium Episcopi in spiritualibus frequentes literæ iustitiæ, & gratiæ à Curia Romana destinantur, vti testatur Sbroz. lib. 1. q. 49. Verùm cùm ad has regiones vltramontanas literæ Apostolicæ destinantur, Officiali inscriptæ sunt. Cùm enim Vicarius generalis, seu Officialis iurisdictionem Episcopalem in eodem tribunali exerceat, inde præeminentiam trahit, vt eius officium inter dignitates numeretur.

Requiritur tamen ad generalem vicariatum, vt tum generalitas locorum, seu totius diœcesis, tum verò generalitas causarum ipsi commissa sit. Sin verò Vicarius, aut Officialis Episcopi solùm constitutus sit pro ciuitatensibus: non potest censeri generalis. Sed iurisdictio eius censebitur diuersa à iurisdictione Episcopali, non absimilis iurisdictioni Vicariorum ruralium: vt proinde nec ipse Sedis Apostolicæ delegatus esse possit, argum. Clem. 2. de rescript. & docet Sbrozius lib. 2. de Vicario Episc. q. 29. Garcias de benefic. p. 5. c. 8. n. 36. 5

Deinde requiritur, vt sit Vicarius seu Officialis principalis: Interdum enim duo sunt in diœcesi officiales, vnus principalior, & alter ei subordinatus; vel alter eorum præest Consistorio Episcopi tantùm in quibusdam casibus, v. g. matrimonialibus, decimalibus. Et ille non potest esse Sedis Apostolicæ delegatus, nisi aliunde præeminentiam vel dignitatem habeat, vt si Ecclesiæ Cathedralis Canonicus sit. Ita colligitur ex cit. Clem. 2. & ijs quæ docet Garcias cit. c. 8. n. 120. 6

Quòd si autē duo Officiales æquè principales & in solidū cōstituti sint, an, & à quo causæ Officiali delegatę expediri debeāt, tradit Zabar. Clem. 2. de reser. Anton. & Imola in c. quoniā, de off. deleg. n. 15. Barbatia col. 9. quòd rescriptum propter incertitudinem vitietur, ideóque ad Papam rescribendum, vt nouam commissionem faciat, arg. c. ad hæc, 10. de rescriptis. Sed ex hoc c. nihil ostendi potest, quia loquitur in casu, quo Iudex omnino incertus datus est; hîc autem loquimur in casu, quo Iudex incertus ex certis delegatus fuit. Et arbitror valde probabiliter dici posse cum Gl. in c. quoniam, ver. substituto, ibid. Beroio n. 74 Sanchez lib 8. de matrim. disp. 27. n. 37. rescriptum ipso iure validum esse, ita vt si aduersarius consentiat, vel nihil opponat; is iudex expedire possit, cui impetrans priùs præsentauit. Sin autem aduersarius excipiat, tum ne præiudicium illi fiat, si fortè huic Papa non commisit, eius declaratio- 7

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

tio petenda est. Veruntamen declarando non nouum delegationis ius conferret, sed prius explicaret, iuxta ea, quæ docet Bartol. in l. Duo sunt Titij, 30. ff. de testam. tutela. Consequenter dicendum est cum Sanchez cit. loco, Quòd rescriptum gratiæ v. g. dispensationis faciendæ in tali casu præsentari possit Vicario, cui impetrans maluerit: cùm de nullius præiudicio agatur, & beneficia Principis latam ac benignam interpretationem habere debeant, c. quamuis, 4. de præb. in 6. Et erit in hoc casu locus præuentioni, vt post præsentationem vni factam, alter se immiscere non possit. Siquidem hæc est institutio iudicij externi, vt si plures iudices in solidum concurrant, detur locus præuentioni.

Veruntamen in foro conscientiæ si v. g. à sacra pœnitentiaria Confessario in Theologia aut iure Canonico Magistro committatur facultas dispensandi, quòd dimisso, qui v. g. iudicat dispensationem fieri non posse, vel non nisi cum magno onere, aut imposita longa pœnitentia, impetrans alterius iudicio se submittere possit, probabiliter docet Sanchez lib. 8. disp. 27. n. 40. contra Nauar. consil. 8. de offic. delegati edit. 2. Ratio est: Quòd delegans seu committens causam, censetur id facere secundùm naturam & institutionem fori: Atqui non, vt in externo foro, vbi iudicium cœptum est, etiam finiri debet, l. 30. ff. de iudicijs; ita etiam se res habet in foro conscientiæ: quin potiùs concessum est pœnitenti, si habeat priuilegium v. g. eligendi Confessarium pro vna vice, atque vnus eum absoluere noluit, iterum se eidem, vel alteri subijcere: dummodò absolutio priùs collata non fuerit, seu causa consummata non sit, iuxta ea, quæ tradit etiam Suarez p. 3. tom. 4. disp. 27. s. 4. dub. 2.

His præmissis sequuntur Notanda, quæ ex isto c. colliguntur: Primum. Vicarius Generalis seu Officialis Episcopi, quatenus consideratus Iudex in eius tribunali iurisdictionem exercens, sic eadem cum Episcopo persona censetur. Quare sicuti Episcopus ita & ipse, Metropolitano subiectus est, qui proinde illum ratione officij malè administrati, aut iniustæ sententiæ latæ punire, & excommunicare potest, vt in hoc c. apparet, & notauit Gl. hîc, ver. rationabili causa, Ioann. Monachus, n. 2. vbi aiunt, si Vicarius Episcopi delinquat vt persona priuata, quòd Archiepiscopus se immiscere non possit, nisi ad ipsum appellatum sit; secùs, si deliquerit in pertinentibus ad officium seu iurisdictionem suam. Et Pauinus de potest. Capituli Sede vacante, p. 2. princ. q. 10. n. 24. Sbrozius lib. 3. de offic. Vicarij, q. 57. n. 6. Quòd Episcopus teneatur exhibere Vicarium Archiepiscopo poscenti. Veruntamen Officiali Archiepiscopi nulla competit potestas in Coëpiscopũ aut Vicarium Generalem eius, ob dignitatem & eminentiã iurisdictionis Episcopalis, sicuti DD. comuniter annotant.

g

Declarandum tamen est hoc Notandum. Quòd Episcopus possit de delicto aut negligentia Vicarij in officio suo commissa cognoscere, eúmque punire, si ipse extra culpam fuit, vti docet Speculator lib. 2. partic. 1. tit. de competentis Iudicis additione, §. Sequitur videre, n. 3. & Sbrozius cit. q. 57. n. 11. Imò aiunt, quòd Archiepiscopus in hoc casu se immiscere non possit, nisi Episcopus requisitus cognoscere recusset. Ratio huius declarationis afferri debet, quòd Vicarius etiam ratione officij sui quodammodo subiectus & subordinatus sit Episcopo suo: quia licèt eius potestas & iurisdictio eadem sit cum iurisdictione Episcopali, alio tamen modo in Vicario residet, & aliter in Episcopo; in illo videl. cùm dependentia à voluntate, & imperio Episcopi. Quamobrem Episcopus inuigilare debet Vicario, & quæ malè ab eo acta sunt, rescindere: neque enim culpa Officialis, aut Vicarij domino nocere debet, ait Rebuffus in praxi, de Vicarijs n. 41. arg. l. vn. §. Si Procurator, ff. Si quis ius dicenti non obtemperet; & tit. de forma Vicariatus, 140. vbi exemplum affert: Si Vicarius beneficium Ecclesiasticum personæ indignæ contulit, ideóque priuationem pro ea vice incurrit, ecùm in cunctis, §. Clerici, de elect. quòd id

Episcopo, si nec mandarit, nec ratum habuerit, obesse non debeat, quò minùs digno conferre possit. Quia sicuti culpa, ita & pœna proprias debet tenere auctores, l. sancimus, 22. C. de pœnis. Et Episcopus committens Vicario conferendi facultatem, censetur mandasse, vt idoneæ personæ conferatur: quare si indigno contulit, transgressus est limites mandati. Sed neque potest Vicarius, rescissa priore collatione, alteri cõferre: cùm functus sit officio suo, ideóq; potestas redeat ad committentem, videl. Episcopum, argum. c. Si compromissarius, 37. §. Si verò eligat, de elect. in 6. Quotiescunque Episcopus in culpa fuit, vt quia imperitum Vicarium constituit, aut negligentem sciens tolerauit, tum tenetur ex maleficio, aut quasi maleficio eius, etiam ad damnorum resarcionem, vti docet idem Rebuffus de forma Vicariatus, n. 189. Sbrozius lib. 2. q. 30. Pauinus de potest. Capit. Sede vacante, p. 2. princ. q. 10. n. 23. Piasecius in praxi Episc. p. 2. c. 4. n. 15.

Corollarium. Tametsi à Vicario Generali ad Episcopum appellari nequit, tamen supplicari potest, vt acta eius rescindantur, vel de nullitate sententiæ cognoscatur: quia talis supplicatio seu petitio etiam ad ipsummet Vicarium dirigi potest, vti annotauit Cardinal. super Clem. 1. de rescript. q. 7.

10 NOTANDVM II. Vicarius Generalis Episcopi alium sibi substituere non prohibetur. Id enim supponitur in hoc c. quando quæritur; Si Vicarius ab Archiepiscopo excommunicatus sit, vtrùm excommunicatio etiam in substitutum eius, siue vices illius gerentem redundet.. Poterat enim esse ratio dubitandi, secundùm Ancharanum hic. Quia Archiepiscopus excommunicauerat Vicarium sub nomine officij: Ergo videbatur censurâ afficere eum omnem, qui officium Vicarij gerebat. Sed contrarium asserendum est; quia excommunicatio, cùm grauissima pœna sit, non afficit nisi personas delinquentes: Quòd si verò substitutus Vicarij communicauit excommunicato in crimine, ob quod excommunicatus fuit; si videl. propter excommunicationem Episcopi Vicario sub excommunicationis censura interdictum sit, ne officium Vicariatûs exerceret, tum si quis ab eo commissionem aliquam scienter acciperet, communicaret illi in crimine, ob quod excommunicatus est, ideóque & ipse similem excommunicationem incurreret, iuxta c. si concubinæ, 55. de sent. excommun. & notat hîc Ioann. Monachus num. 6.

Sed obstare videtur c. Clericos, extrà hoc tit. vbi dicitur: Quòd Vicarius alium Vicarium substituere non possit. Respond. sicut ibi, & Dico primò cum Ioann. Andr. & Ancharano hoc c. Roberto Maranta de ordine iudiciorum, p. 4. distinct. 5. q. 1. Sbrozio lib. 2. q. 66. Vicarius Generalis non potest absolutè loquendo officium suum alteri cõmittere, seu alterum similem sibi Vicarium substituere, argum. Authent. Vt nulli Iudicum liceat &c. collat. 9. Imò neq. Episcopus suum officium ordinariũ alteri committere potest, nisi id à lege concessum esset: cùm inferior Principe Vicarium constituere non possit, iuxta cit. Auth. Vt nulli Iudicum, & Authent. de collatoribus, §. Ad hæc prohibemus: quandoquidem Vicarius ordinariam potestatem habere censetur, vti constat ex tit. ff. de officio eius cui alterius vices.

Dico II. Vicarius Episcopi ex causa necessitatis propter absentiam, vel infirmitatem Vicarium simili iurisdictione substituere potest secundùm Gl. receptam in Clement. 1. ver. locum, de Regular. 11

Dico III. Si Vicarius iussu, seu auctoritate Episcopi alium sibi substituat, absolute, & ad tempus longum, valet substitutio. Quia non tam ipsius Vicarij generalis quàm Episcopi substitutus seu Vicarius censetur, vti notat Rebuffus de forma Vicariatûs, n. 77. & seqq. Sbrozius cit. c. 66. n. 17. Siquidem, vt suprà dictum, Episcopus præter officialem principalem, alium minùs principalem, vel subordinatum principali creare potest. 12

QVÆRITVR hoc loco; Vtrùm Vicarius generalis causam vnam vel plures alteri delegare possit? Affirmat Sbroz. lib 2. cit. q. 66, n. 20. & seqq Quia omnis Iudex ordinarius alteri delegare potest, vti docent DD. in l. more, ff. de iurisdict. Sed Vicarius 14

ge nera-

generalis, saltem in causis ratione Vicariatûs sui ipsi competentibus, ordinarius Iudex est: Ergo tales causas delegare potest. Et addit Sbrozius n. 16. Etiam ad vniuersitatem causarum delegatos in diœcesi instituì posse à Vicario, v.g. rurales Decanos. Sed contrà est. Quòd quicunque iure non suo, sed alieno iurisdictionem obtinet, alteri demandare seu delegare non possit, vti habetur expresè in cit. l. more. Vicarius autem Generalis non iure proprio, sed sibi commisso iurisdictionem Episcopalem obtinet: nam alioquin titulum in Episcopali officio haberet. quod nemo dixit: Ergo delegare non
13 potest. Respond. igitur ad q. & Dico. Quòd Vicarius delegare possit non suo iure, sed iure ac potestate sibi commissa ab Ordinario; sicuti suprà dixì de Vicarijs temporalibus parochiarum, quòd Cooperatores sibi adsciscere possint, eis partem iurisdictionis delegando, ex facultate & permissione ipsis ab Ordinario concessa. Neque id mirum videri debet, quandoquidem de Vicario Generali generatim dici potest, eius potestatem amplius non extendi, quàm ipsi fuerit concessum, vti notauit Piasecius in praxi p. 2. c. 4. n. 12. Qui exinde colligit, Vicarij iurisdictionem esse quasi delegatam; mallem dici, esse ordinariam, quamuis in Vicario existat per modum eiusdem delegationis, seu commissionis, iuxta voluntatem committentis. Neq; dubitari potest, quin in generali commissione Vicariatûs potestas delegandi ad vnam vel alteram causam comprehendatur, cùm id pænè necessarium sit ad officium Vicarij generale, præsertim si diœcesis ampla sit. Sed vtrùm delegare possit ad vniuersitatem causarum in foro externo sine speciali Episcopi mandato, id ex consuetudine diœcesis colligi debet: Si enim Episcopus talia fieri sciat, & patiatur, tacitè eam potestatem committere censebitur.

14 NOTANDVM III. Si Vicarius generalis excommunicatus sit, atque vitandus, ita vt iurisdictione priuatus censeatur, tum etiam acta vices gerentis irrita erunt, si ab eo solo iurisdictionem acceperit. Ita Gregor. X. in hoc c. Sed variè explicant hîc Canonistæ, vti videre est in Gl. magna, & apud Ioann. Monachum, & Ancharanum hîc, Ioann. Andr. n. 2. Abbatem in c. licèt, n. 8. de offic. iudicis delegati. Communior autem responsio est, si Vicarius generalis excommunicatus sit, qui ab ipso solo (non accedente Episcopi auctoritate) iurisdictionem acceperunt, non posse eâ vti, si res integra sit, seu causa nondum cœpta: Sin autem res integra non sit, sed reus v. g. citatus, tum non suspendi iurisdictionem respectu iuris causæ, sed absolui posse, nihil obstante, quòd Vicarij excommunicatio superuenit. Atque hæc sententia verissima est, si loquamur de delegatis à Vicario, quòd sicuti morte delegantis eorum iurisdictio extinguatur, si res integra sit, non item si causa cœpta; ita etiam suspendatur eorundem iurisdictio per delegantis excommunicationem: quæ quasi mors ciuilis est, sicuti docent DD. in c. licèt, 30. vbi Abb. n. 8. de offic. delegati. Verùm Gregor. X. in hoc c. loqui non videtur de delegatis à Vicario, sed de substitutis, seu vicem gerentibus; aitque absolutè, & sine distinctione, quòd per excommunicationē Vicarij substituentis eorum quoq; iurisdictio suspensa sit.

Est autem magnum discrimen inter delegatum & substitutum. Quia substitutus v. g. à Vicario ad tempus modicum propter absentiam suam, idem tribunal, eandémque iurisdictionum obtinet, vti optimè notauit Robertus Maranta cit. p. 4. dist. 5. n. 18. Quare mirum non est, si excommunicato Vicario substituente, adeóque suspensa eiusdem iurisdictione, etiam substituti ab ipso iurisdictio suspēdatur, tametsi causa cœpta sit; quandoquidem non diuersam iurisdictionem obtinet, vti bene notauit Innoc. in cit. c. licèt, in fine, Sbrozius de Vicario Episc. p. 3. q. 18. n. 10. At verò delegatus habet iurisdictionem deriuatam, & distinctā à iurisdictione subdelegantis: quare mirum non est, quòd subsistere possit, causâ iam cœptâ, tametsi delegantis iurisdictio per mortem naturalem, aut ciuilem sublata sit. Nam pari etiam ratione, si Episcopus excommu-

nicatus

nicatus sit, aut suspensus, vel interdictus (intellige si denuntiatus fuerit, vel notorius Clerici percussor) tum suspenditur iurisdictio Vicarij etiam quoad causas iam cœptas:
15 Per mortem verò, vel renuntiationem Episcopi extinguitur omnis iurisdictio Vicarij, quippe qui eandem cum Episcopo habet, vti dixi lib. 1. tr. 4.

Corollarium. Mortuo Episcopo Capi-
16 tulum Vicarium Generalem seu Officialem confirmare debet, vel eo remoto, alium constituere; idq; intra decem dies post mortem Episcopi, secundùm Trident. Constit. sess. 24. c. 17. de reformat. Atque iste à Capitulo vacante Sede constitutus vel confirmatus Vicarius Episcopalem iurisdictionem loco & vice Capituli exercet. Quare eiusdem Vicarij potestas vnà cum Capituli iurisdictione iterum exspirat per noui Episcopi cõfirmationem, & Episcopatûs possessionem, ita vt denuo confirmari debeat, sicuti tradit Franc. de Pauinis de potest. Capituli, Sede vacante, p. 2. q. 10. n. 19. Sbrozius lib. 3. q. 42. n. 9.

Porrò ex his colligit Felinus c. eam te, n. 17. ver. Faciunt hæc, de rescript. Quòd causa à Sede Apostolica delegata Vicario seu Officiali Episcopi, ab illo cognosci non possit, si Episcopus mortuus sit cùm à Capitulo assumptus & confirmatus iam non sit Vicarius Episcopi, sed Capituli. Contrarium tamen probabiliter tradit Sanchez lib. 8. de matrim. disp. 27. n. 33. Cùm enim Episcopalẽ iurisdictionem vice Capituli exerceat, quodammodo est Vicarius Episcopi, sicuti eum etiam appellat Zabaralla Clem. 2. de rescript. q. 13. Accedit, quòd in his commissionibus ad mentem potiùs Summi Pontificis, quàm ad iuris rigorem attendere oportet. Accedit id, quod bene annotauit Beroius in c. quoniam, n. 81. de offic. delegati, ex Baldo in l. 4. C. de emancip. liberorum; Tametsi rescripta ad lites strictam interpretationem habeant, quatenus concernũt iura ex præiudicio partium; tamen amplam interpretationem merentur, quatenus concernunt potestatem seu facultatem Principis concedentis aut delegantis. Qua simili ratione probabiliter dicitur cum Flaminio de resignat. benefic. lib. 1. q. 11. n. 17. Sbrozio lib. 3. q. 49. in fine. Sanch. lib. 8. disp 27. n. 41. & alijs apud Franc. Pauinum de potest. Capituli, Sede vacâte p. 2. q. 10. n. 13. Si causa à Sede Apostolica delegata sit Officiali sub nomine officij sui, neque ex coniecturis appareat, quòd delegans intentionem ad personam singularem direxerit, Vicario mortuo, aut depositio, causam à successore expediri posse, sicuti & à substituto: Licèt plerique contrarium sentiant, Dominicus in c. statutum, col. 3. de rescript. in 6. Decius, in c. quoniam, 14. n. 9. Beroius n. 100. Felinus n. 7. de offic. delegati, & alij apud Pauinum l. c. Sanchez citata disput. 27. n. 8. propter regulam ex Bartolo acceptam in l. quòd Principi, ff. de legibus; Si dignitas alicui competat non proprio, sed alieno iure, commissionem illi factam ratione dignitatis, non transire ad successorem. Quod enim causa alicui delegata ratione dignitatis ad successorem deuoluatur, ratio est, quia dignitas, (competens alicui iure proprio) nunquam moritur, ideóque ad successorem transit, c. si gratiosè, de rescript. in 6. Hæc autem ratio cessat in Vicario: Cùm enim ius nullum dignitatis habuerit, dignitas eius extinguitur per mortem aut depositionem, ideóque propriè successorem non habet. Quæ sententia spectato iuris rigore vera est: Sed prior, vt dixi, probabilis, & in praxi tuta, propter præsumptam mentem Pontificis delegantis illi, qui officiũ Vicariatûs exercet, vti bene aduertit Abb. in cit. c. quoniam, n. 11.

Sed numquid etiam, vice versa, Episcopus causam Vicario suo sub nomine officij delegatam cognoscere potest? Respond. & dico I. Dum Vicarius in officio est, Episcopus se intromittere, aut quoad talem causam Vicario quidquam imperare nequit. Ita ex omnium sententia docet Rebuff. in forma Vicariatus, n. 161. Sanch. cit. disp. 27. n. 30. Nauar. lib 1. consil. 5. de offic. delegati, edit. 2. Quia quoad hanc causam sibi à Sede Apo-

Apostolica delegatam nullam habet Vicarius cum Episcopo communionem; neq; ipsi subordinatus est, sed potiùs maior Episcopo, iuxta c. sanè, 11. de offic. del.

Dico II. Neque mortuo, aut deposito Vicario Episcopus causam expedire potest. Ita ex communi Decius cit. c. quoniam, n. 9. Nau. & Sanchez ll. cc. contra Bertachinum de Episcopis lib. 4. p. 7. q. 4. Ratio est: Quia licèt mortuo, aut deposito Vicario, officium Vicariatus ad Episcopum redeat, non tamen iurisdictio à Papa delegata ad Episcopum deuoluitur: cùm ea omnino diuersa ac separata sit.

CAPITVLVM II.

Licèt.

PARAPHRASIS.

Si Episcopus Generalem Vicarium instituat, tametsi vi huius generalis commissionis ad ipsum causarum Episcopalium cognitio pertineat, non tamen in delinquentes inquirere, eosdémque punire, vel à beneficijs aut officijs suis amouere potest, nisi talis potestas ei specialiter committatur.

SVMMARIVM.

1. *Licèt aliquis vt Vicarius Generalis, seu principalis Officialis constitutus sit, non potest tamen ea expedire, quæ specialem commissionem desiderant.*
   Habet interim præsumptionem pro se, quòd omnes causas episcopalis iurisdictionis expedire possit, nisi iure scripto, vel recepta ecclesiarum consuetudine inter speciales numerari constet.
2. *Enumerantur causæ speciales, quæ in generali officio Vicariatûs non comprehẽduntur; & inter eas primum locum tenent causæ criminales.*
3. *Secundum locum tenent matrimoniales.*
4. *Tertium tenent casus seu peccata in foro pœnitentiæ Episcopo reseruata; ab his enim (& multòminùs à reseruatis Sedi Apostolicæ) absoluere non potest, neque absoluendi potestatem alijs committere, absque speciali commissione.*
5. *Sunt & alij casus, qui quòd graues & ardui sint, Vicario commissi nõ censetur.*

NOTANDVM Vn. Qui Officialis principalis seu generalis Vicarius Episcopi constitutus est, non potest ea præstare, quæ specialem commissionem desiderant. Simile quiddam legimus in c. 5. de Procurator. in 6. *Qui generaliter constituitur ad negotia Procurator, agere & experiri potest, exceptis his casibus, qui mandatum exigunt speciale.* Habet tamen Vicarius generaliter institutus præsumptionem pro se, quòd omnes causas iurisdictionis Episcopalis expedire possit, nisi constet vel ostendatur iure scripto, aut recepta Ecclesiarum consuetudine inter speciales numerari, vti ex communi docet Garcias p. 5. de benefic. c. 8. n. 65. Rebuffus in praxi p. 1. tit. de forma Vicariatus, n. 152. Adeò quidem, vt si in aliquo can. dicantur, quippiam ad Episcopi, vel diœcesani potestatẽ pertinere, nisi inter casus exceptos sit, censeri debet etiam Vicario Generali competere: cùm eàdem ipse iurisdictione præditus sit. 1

Inter causas autem speciales, quæ in officio Vicariatus generaliter commisso non veniunt, primum locum tenent criminales; adeò, vt si absque speciali Episcopi commissione Vicarius se intromittat, processus irritus sit, ob iurisdictionis defectum. Sed limitari debet primò: Quòd Vicarius, absque speciali commissione, inquirere & cognoscere possit de delictis, non vt puniat, sed vt Episcopo referat, vti docent hìc Lapus, n. 1. Ancharanus ante q. 1. Franc. de Pauinis de potest. Capituli p. 2. q. 10. n. 31. & alij apud Sbrozium lib. 2. q. 143. qui addit n. 8. quòd Vicarius eum, de quo inquisiuerat, sine Episcopi mandato absoluere possit, si absoluendum esse existimet. 2

Secundò: Quòd Vicarius sine speciali commissione inquirere possit non in ordine ad puniendum, sed ad emendandum, scandala cauenda, &c. vti docent DD. citati.

Tertiò: Si ciuiliter tantùm, non criminaliter agatur de crimine, Vicarius cognoscere poterit. Exempli causa: Abbas nõ exemptus, qui ius instituendi habet, Clericum aliquem instituit ad beneficium patronatum, sine patroni præsentatione. Patronus petit, institutionem irritam iudicari, & institutum amoueri. Vicarius hanc causam cognoscere potest; cùm non tendat ad punitionem, sed ad damni illati, seu iuris violati amotionem. Ita docent hic Ioann. Andr. & Geminianus, qui tamen rectè monet, huic doctrinę locum non esse, si Clericus absque patroni consensu ab Episcopo institutus sit: quia inferior non potest cognoscere de facto Superioris sui: Vicarius autem Episcopo inferior est. Ergo, &c.

Quartò: Vicarius absque speciali commissione leues pœnas, v.g. pecuniarias multas propter excessus non graues imponere potest, sicuti docet Sbrozius lib. 2. quæst. 143. n. 12. Nam modicæ coërcitionis potestas cuilibet, præsertim ordinariam iurisdictionem exercenti, necessaria est, vti dixi lib. 1. Th. mor. tr. 4. c. 5. n. 9. & dicam tit. seq. c. 4.

Cæterùm si excessus grauis sit, non potest Vicarius pœnam leuem infligere, sed Episcopo referre debet, vt dignè & canonicè puniatur. Sed etsi specialem commissionem habeat, causas criminales cognoscẽdi, ac iudicandi, non tamen potest pœnam canone, vel statuto diœcesali definitam in leuiorem, v. g. pecuniariam commutare. Nisi etiam in talibus dispensandi specialem ab Episcopo licentiam habeat, posito, quòd Episcopus dispensare possit, vti colligitur ex c. licèt, iun. Gloss. ver. pœnam pecuniariam, de pœnis.

3 Alterum locum tenent causæ matrimoniales, quæ inter maiores & arduas, atque ad Episcopalem tantùm dignitatem ordinario iure pertinentes numerantur, c. penult. de in integrum restit. c. accedentibus, 12. de excess. Præl. & Concil. Trid. sess. 24. c. 20. de refor. Nihilominus potest Episcopus causarum matrimonialium cognitionem Vicario generali specialiter committere, vel alteri perito & idoneo delegare, ex communi docent Bertachinus tract. de Episc. p. 7. lib. 4. q. 20. Rebuffus de forma Vicariatus, n. 155. Sbrozius p. 2. q. 43. Sanchez lib. 3. de matrim. disp. 7. n. 20. Quia Episcopus committere, seu delegare alteri potest, quæ ad Episcopalem ordinariam iurisdictionem spectant, vti ex communi docet Syl. ver. Episcopus n. 9. Sanchez lib. 2. de matrim. disp. 40. n. 17. Sed cognitio causarum matrimonialium pertinet ad Episcopalem ordinariam iurisdictionem, cit. c. accedentibus, ex quo habetur, quòd alij inferiores Episcopo de talibus causis cognoscere non possint, nisi ex speciali commissione, vel alia legitima causa, videl. consuetudinis præscriptę, vti Gl. fin. interpretatur. Sed & ipsemet Sum. Pontifex causas matrimoniales quandoque non Episcopis, v.g. Officiali, vel Abbati alicui committit, vt constat ex c. ex literis, 4. de in integr. restitut. Vide, quæ dicam in c. 3. de offic. delegati, not. 3. §. Quæres.

Tertium locum tenent casus, seu peccata 4
in foro pœnitentiæ reseruata Episcopo. Ab his enim Vicarius absoluere non potest, neque alijs absoluendi potestatem committere, absque speciali commissione. Multo minùs Vicarius, absque speciali commissione absoluere potest à peccatis, seu casibus Sedi Apostolicæ reseruatis, sed ea ratione Episcopalibus, quia si occulti sint, Episcopali absolutioni in foro conscientiæ demandantur in Trident. sess. 24. c. de reformat. Potest tamen Episcopus non tantùm in casu particulari potestatem absoluendi Vicario suo, vel alteri idoneæ personæ delegare, vti Henriq. arbitratus est lib. 14. de irregul. c. 19. in fine, sed etiam generatim: vti bene docuit Nauar. lib. 5. consil. 11. de priuil. n. 4. Garcias p. 7. c. 8. n. 48. Sanchez lib. 2. de matrim. disp. 40. n. vlt. Nam ea, quæ ordinariæ iurisdictionis sunt, possunt absolutè ac generaliter delegari: Absolutio autẽ à casibus occultis Papalibus cùm sit Episcopis in perpetuũ concessa, in ordinariam transit: Ergo, &c. Neq; repugnant verba Trid. c. 6. quia ijs solũ significatur, potestatem absoluẽdi eo loco Episcopis concessam, non cõpetere Vicarijs ratione

ratione officij seu Vicariatus sui, sed opus esse speciali delegatione seu commissione. Alioquin verò ab alijs casibus seu peccatis Episcopo, aut Sedi Apostolicæ non reseruatis diœcesanos omnes Vicarius Generalis absque speciali mandato absoluere potest, & alijs sacerdotibus absoluendi potestatem conferre: cùm sit parochorum Superior ordinarius totius diœcesis. Et ita ex probabiliore & in praxi recepta sententia tradit Syl. ver. confessor, 1. q. 1. Henriq. lib. 6. c. 13. n. 3. in comment. lit. m.

5 Alij casus sunt, qui quòd graues & arduí sint, Vicario commissi non censentur: Quia in generali commissione non veniunt ea, quæ quis verisimiliter in specie non concederet: Vti sunt diœcesin visitare, Synodum congregare, vltimas pias voluntates exequi, &c. de quibus Rebuffus tit. de forma Vicariatus, n. 100. Sbrozius lib. 2. q. 46. 49. 119. 120.

CAPITVLVM Vlt.

Cùm in generali.

Paraphrasis.

Vicarij Generalis potestas non se extendit ad donandum. Quia in generali concessione seu commissione non veniunt ea, quæ quis verisimiliter in specie concessurus non esset. Accedit, quòd neque administrator cum libera constitutus, ordinariè loquendo, donationes facere queat. Sed neque beneficia conferre Generali Vicario concessum est, nisi ea potestas ab Episcopo specialiter commissa fuerit.

Svmmarivm.

1. *In generali officio Vicarij spiritualis non continetur potestas donandi, dispensandi, beneficia conferendi, &c. nisi ei specialiter commissum sit.*
2. *Per commissionem autem hanc conferendi beneficia non adimit sibi Episcopus conferendi potestatem, sed concurrit cum Vicario suo.*
3. *Certi beneficij nondum vacantis collatio, aut respectu certæ personæ committi non potest Vicario.*
4. *Potest ei committere Episcopus facultatem accipiendi resignationem beneficij determinati, eáque admissa, denuo eidem committere facultatem conferendi; simul autem & coniunctim non potest.*
5. *Non prohibetur Episcopus ius instituendi aut præsentandi ad certum beneficium, cum Capituli sui assensu annectere dignitati, alteriue beneficio in perpetuum.*
6. *Si alicui iure debitum sit beneficiũ in ecclesia, Episcopus mandare potest Vicario, vt in eadem Ecclesia morte aut resignatione vacaturum beneficium Canonico illi conferatur.*
7. *Si data sit Vicario ab Episcopo facultas beneficiorum resignationes accipiendi, non ideo etiam destituere seu priuare potest beneficiatos.*

Nec vice versa data facultate priuandi, etiam resignationes liberas accipere potest; vti nec concessâ potestate destituendi, concessa est potestas conferendi, aut vice versa.

8. *Canonicè electos confirmare, & præsentatos instituere potest; non autem ecclesias & alia beneficia vnire, diuidere, vel supprimere absque speciali commissione.*
9. *In generali officio Vicarij non comprehenditur potestas dispensandi in votis, iuramentis, legibus, in quibus concessum est Episcopo dispensare, nisi ipsum ius generali officio Vicariatus eam annectat, aut Vicarius sciente & tolerante Episcopo dispenset in casibus frequenter occurrentibus.*
10. *Episcopus potest Vicario suo committere potestatem dispensandi in casibus sibi ratione dignitatis suæ à Sede Apostolica generaliter commissis.*
11. *Causam item sibi à Sede Apostolica delegatam eidem suo Vicario subdelegare potest.*
12. *Si Episcopus Vicario suo generalem fa-*

cultatem det expediendi omnia quæ poteſtatis ſuæ ſunt, ſeu plenam omnia expiendi facultatem, excepta beneficiorum collatione, hac formulâ cenſentur reliqua ſpecialia comprehendi.

15. *Si eidem det facultatem plenam & liberam expediendi omnia, quæ ipſe facere poteſt, nõ comprehenduntur ea, quæ ſpecialem delegationem deſiderant: ſufficit tamen, ſi vnum ſpeciale exprimatur, vt per id ad alia extenſio fiat.*

1 NOTANDVM I. Licèt Vicarius Generalis cùm ordinaria iuriſdictione conſtitutus ſit, non tamen ea præſtare poteſt, quæ vel ſuapte natura, vel ex iuris diſpoſitione ſpecialem comiſſionem deſiderant: Vti ſunt donare, diſpenſationes, aliáſque meras gratias facere, beneficia conferre, dimiſſorias dare, &c. Ratio eſt: quia officium Vicarij Generalis in ſubſidium Epiſcopi inſtitutum eſt propter quandam neceſſitatem: ideo ea ſine ſpeciali commiſſione præſtare non poteſt, quæ ad liberalitatem, aut qualemcunq; alienationem ſpectant.

Quædam autem horum in ſpecie explicabimus. Primò: In generali officio, ſeu iuriſdictone Vicarij non comprehenditur beneficiorum collatio. Poteſt tamen confe-
2 rendi poteſtas ei ſpecialiter committi. Quod tamen non ita intelligendum eſt, quaſi per hanc commiſſionem Epiſcopus ſibi adimat conferendi poteſtatem. Quin potiùs Epiſcopus tunc concurrit cum Vicario ſuo: imò ſi non conſtet, vter priùs contulerit, præferenda eſt collatio Epiſcopi, tanquam ampliorem poteſtatem habentis; ſicuti ſimili ratione de Papa dicitur comparatione inferiorum in c. dudum, 14. §. nos igitur, de præb. in 6. Et docent. DD. apud Sbroz. lib. 2. q. 93 94.

3 Deinde non ita intelligendum eſt, quaſi Epiſcopus, ſeu inferior Papâ, Vicario committere poſſit poteſtatem conferendi certum beneficium, antequam vacet, ſed tantùm generalem facultatem conferendi, quæ alioquin ipſi ratione Vicariatûs non competeret, ſpecialiter concedere, vti docent DD. in c. conſtitutus, 11. de conceſs. prębendæ, Gl. recepta in c. deliberatione, §. prohibemus, ver. cuicunque; de offic. legati, in 6. Rebuffus tit. de Vicarijs Epiſcoporũ, n. 15. vbi generalẽ regulâ tradit: quòd Epiſcopus non poſſit Vicario generali collationem cõmittere ſine reſpectu certi beneficij, ſiue reſpectu certæ perſonæ: v. g. Titio conferas beneficium in hac Eccleſia vacaturum, ſiue per mortem ſiue per reſignationem. Tum quia talibus commiſſionibus præbetur occaſio modis inconceſſis aperiendi viam beneficijs vacaturis, ſiue, vt clariùs dicam, periculum eſt, ne modis illicitis, videl. mortis machinatione, aut reſignaturi circumuentione, vacatio beneficij procuretur, contra prohibitionem c. 2. de conceſs. præb. Tum quia per huiuſmodi commiſſiones determinatas inducuntur beneficiorum reſeruationes, vel expectatiuæ, quæ odioſæ ſunt, & Epiſcopis non conceſſæ, ſecundùm Gl. in c. cùm dilectus, 27. ver. quempiam præſentare, de iure patronatus, & videri poteſt Trident. ſeſſ. 24. c. 19. de reform.

Sed limitari debet hæc doctrina primò: Quòd Vicario generali conferri poſſit poteſtas conferendi beneficia reſtricta ad certum locum, ſeu partem diœceſis, modò ibi plura beneficia exiſtant, ſicuti tradit Rebuffus n. 24. Sbroziuslib. 1. q. 53. n. 5. poſt Gl. cit. §. prohibemus, ver. cuicunque. Data opera loquor de Vicario generali. Nam alteri neque in ſpecie, nec in genere vacatura beneficia conferendi poteſtatem Epiſcopus, aliúſue pręter Papam ordinarius cõmittere poteſt, vti colligitur ex cit. §. prohibemus, iun. Gl. ver. prohibemus, & tradit alia Gl. in c. ſtatutum, 3. ver. id canonicè, de præb. in 6. Abb. in c. conſtitutus, n. 5. de conceſſ. præb. Rebuffus tit de forma Vicariatus n. 6. & alij plerique apud Sbrozium lib. 1. q. 52. n. 2.

Limitatur ſecundò: Quòd Epiſcopus cõ- 4
mittere poſſit Vicario facultatem accipiendi reſignationem beneficij determinati; eaque admiſſa, eidem committere facultatem, conferendi, ſicuti tradit Gl. communiter recepta in cit. §. prohibemus, ver. cuicumque. Nam hoc caſu Epiſcopus non committit collationem

nem beneficij vacaturi, sed vacantis. Sed simul ac coniunctim potestatem resignationem accipiendi, ac conferendi beneficij certi, committi non posse, plerique docent, vti videre est apud Abb. cit. n. 5. Sbrozium cit. q. 52 n. 25.

5 Limitatur tertiò: Quòd Episcopus non prohibetur ius instituendi, aut præsentandi ad certum beneficium cum Capituli sui assensu annectere dignitati, alteríue beneficio in perpetuum: cùm hæc nõ sit commissio seu delegatio, sed transeat in potestatem ordinariam. Atque ita notauit Rebuffus tit. de Vicarijs Episc. n. 27. ex c. 3. de Eccles ædific.

6 Limitandum videtur quartò: Si alicui iure debitum sit beneficiũ in Ecclesia, quia v. g. canoniá siue præbẽdam consecutus fuit, quòd Episcopus Vicario mandare possit, vt in tali Ecclesia vacaturum beneficiũ, cùm commodè fieri potest, eidem conferatur. Quia sicuti conditiones, quæ de iure insunt, in pactum deduci possunt, iuxta l. 3. ff. de rebus creditis; ita etiam quod de iure faciendum est, vt fiat, mandari, seu committi potest. Vide quæ dixi lib. 4. tr. 2. c. 10. n. 2.

Ampliari autem debet tradita doctrina: Quæ de collatione beneficiorũ dicta sunt, simili ratione locum habere in præsentatione; cùm & hæc liberalis gratia, ac veluti donatio sit. Imò concessa Vicario potestate conferendi beneficia, non ideo censetur concessa facultas præsentandi, nec eligendi. Quia à diuersis non fit illatio; conferre autem & præsentare diuersa sunt, c. cùm in illis, 16. de præb. in 6. & docet Rochus de iure patron. ver. honorificum, n. 25. Garcias p. 7. c. 8. n. 83. Sed neque concessa Vicario facultate beneficia conferendi, resignationes accipere potest, seu absolutas, seu causâ permutationis, vti ex communi Zabar. in Clem. vn. de rerum permutat. Flamin. Parisius de benefic. resign. lib. 7. q. 24. n. 15. Sbrozius lib. 2. q. 71. Multò minus concessa Vicario potestate resignationes accipiendi, beneficia conferre potest, quia conferre plus est, quàm resignationes accipere, vti docet Flamin. cit. q. 24. n. 8. 17. Nam Capitulum v. g. sede vacante beneficiorum resignationes accipere, sed nõ conferre potest, quæ liberæ collationis sunt ad Episcopum spectantis. Ergo multò minùs Vicarius: quandoquidem Capitulum sede vacante maiorem potestatem exercet, quàm Vicarius Episcopi possit, absque specialibus ei factis commissionibus. Si tamen commissa sit Vicario potestas resignationes accipiendi causâ permutationis, quòd possit etiam conferre; cùm collatio non sit libera, tradit Dominic. c. vlt. hoc tit. in fin. vti docet Flamin. Præterea si data sit Vicario facultas resignationes accipiendi, non tamen potest destituere, seu priuare beneficiatos: cùm id maioris potestatis sit. Sed neque vice versa, data potestate priuandi, resignationes accipere potest: cùm à diuersis non fiat illatio, teste Flamin. n. 19. Quòd si Vicario data sit potestas de- 7
stituendi, non ideo conferre potest: sicuti nec vice versa concessa potestate conferendi, venit potestas destituendi. Tametsi enim hæc fermè coniuncta sint in potestate ordinaria, non tamen in delegata seu commissa: cùm hæc dependeat à voluntate committentis. Denique si data sit Vicario facultas conferendi omnia beneficia ad collationem Episcopi spectantia, tamen conferre non potest ea, quæ Episcopus confert iure speciali seu deuoluto, vti docet Rebuff. in forma vicariatus n. 98. Flamin. de resign. benefic. lib. 1. q. 24. n. 64.

Veruntamen, cùm Vicarius ratione offi- 8
cij generatim commissi expedire possit ea, quæ iustitiæ ac necessitatis sunt, ideo canonicè electos confirmare, & à patronis præsentatos instituere potest, absque speciali commissione, arg. c. ex frequentibus, de instit. & docet Gl. hic ver. non possunt, Ioan. Andr. n. 2. Ancharanus in fine, Bertachinus de Episc. lib. 4. p. 7. q. 16. Sbrozius lib. 2. q. 70. & 111. Garcias cit. c. 8. n. 84. Flamin. lib. 7. q. 24. n. 27. & dixi lib. 4. tr. 2. c. 10. n. 6. quãuis contrarium sentiat Rebuff. in forma vicariatus, n. 126. Sed Ecclesias aut beneficia vnire, diuidere, aut omnino supprimere, Vicarijs concessum non est, absque delegatione speciali: cùm hæ causæ inter arduas numerentur.

Secundò: In generali officio Vicarij spi- 9
rituа-

ritualis non comprehenditur potestas dispensandi in votis, in iuramentis, in legibus, quibus concessum est Episcopo dispensare. Ita ex communi Rebuffus in forma vicariatus, n. 44. Gutierez lib. 1. canon. qq. c. 19. n. 15. Sanchez lib. 2. de matrim. disp. 40. n. 12. Quia dispensatio est species quædam gratiæ, ac remissionis, quæ in generali commissione Vicariatus non comprehenditur. Accedit quòd dispensatio æquiparatur restitutioni in integrum, quæ in generali mandato, aut commissione non continetur, l. illud, 25. §. si talis, ff. de minoribus.

Limitari debet primò: Nisi ipsum ius Vicario generali dispensandi potestatem committat. Ita probabiliter docent non pauci DD. inter quos Gutierez l. c. Sbrozius lib. 2. q. 101. Sanchez lib. 3. disp. 7. n. 10. contra Henriq. lib. 11. c. 5. n. 5. Garciam p. 7. c 8. n. 60. Quòd Vicarius ex officio suo ob causam iustam dispensare possit circa matrimonij denuntiationes. Quia in Concil. Trident. sess. 24. c. 1. de reform. matrim. talis dispensandi potestas Ordinario committitur: Nomine autem Ordinarij etiam Vicarius intelligi debet, vti ex communi docet Flamin. Parisius de resign. benefic. lib. 3. q. 11. n. 22. Imò etiam nomine Episcopi, aut diœcesani: vt in casu Trident. sess. 23. c. 15. de reform. vbi de approbatione Confessariorum, quam à Vicario etiam fieri posse probabiliter docet Suarez tom. 4 disp. 28. sect. 5. Item in casu Trid. sess. 25. c. 3. de reform. vbi agitur de excommunicatione, quæ intentari solet ad inuentorum restitutionem faciendam, licèt dicatur à solis Episcopis promulgandam non esse, tamen eo nomine etiam Vicarium comprehendi, docent multi apud Sanchez lib. 3. de matrim. disp 29. num. 16. Garciam p. 5. q. 8. num. 94. Nihilominus verò poterit Episcopus eiusmodi facultatem v. g. dispensandi in renuntiationibus, approbandi Confessarios, sibi ipsi reseruare, vti ex communi docent Gutierez cit. n. 15. Sanchez suprà cit. disp. 7. n. 10. Sbrozius lib. 2. q. 112. n. 6. Cùm enim Episcopus generalem Vicarium pro voluntate sua instituat, & amoueat; ideo vel amplam, vel restrictam potestatem ei conferre, aut semel datam extendere, aut restringere non prohibetur, vti ex recepta doctrina tradit etiam Piasecius in praxi Episcopali, p. 2. c. 4. n. 12. Garcias p. 5. c. 8. n. 89. Igitur, an Vicarius in matrimonij denuntiationibus dispensare possit, ex mente cuiusque Episcopi & Ecclesiæ consuetudine colligi debet.

Limitatur secundò: Nisi Vicarius generalis, sciente & tolerante Episcopo, dispenset in casibus frequenter occurrentibus v. g. circa ieiunia, festa, & similia. Nam vbi diœceses amplæ sunt, & negotia multa, difficile est talia omnia ad Episcopum referri. Idémque sentiendum, si Episcopus absens sit, aut in Ecclesia Cathedrali, vbi frequentior populus est, non resideat. Quamuis enim absentia Episcopi maiorem Vicario potestatem non tribuat, per se loquendo, vt notauit Sbrozius lib. 2. q. 30. n. 16. consuetudo tamen, & antecedentium Vicariorum praxis interdum ostendit, Episcopum contentum esse, ideóque tacitè committere tantam potestatem. Imò si Episcopus valde remotus sit, vt consuli & responsum haberi non possit, quodammodo necessaria ac debita est Vicario aliqua dispensandi potestas, arg. c. 3. §. Episcopo, de tempor. ordinat. in 6.

Restant qq. aliquæ. PRIMA: Vtrùm Episcopus Vicario suo committere possit potestatem dispensandi in casibus sibi à sede Apostolica commissis, aut concessis? Respondeo & dico I. Posse, si generalis commissio, seu delegatio à Sede Apostolica, vel Concilio generali facta sit Episcopis ratione dignitatis suæ, v. g. dispensandi in omnibus irregularitatibus & suspensionibus ex delicto occulto prouenientibus, excepto casu homicidij voluntarij, sess. 24. Trident. c. 6. de reform. Quia talis potestas per generalem commissionem facta dignitati Episcopali transit in ordinariam: consequenter alteri committi potest.

Dico II. Etsi Episcopus Vicario suo cómiserit dispensandi facultatem in casibus Episcopalibus, eà tamen commissione non comprehenduntur casus à Sede Apostolica etiam generaliter delegati Episcopali dignitati; nisi aliquid addatur, ex quo colligi possit,

sit, mentem Episcopi esse committere omnem suam potestatem quatenus delegabilis est. Ita docet Rebuffus in forma Vicariatus, n. 46. Idémque sentiendum erit de casibus Papalibus, qui per accidens ad Episcopum deuoluuntur ob difficultatem adeundi Papam, vti colligitur ex ijs, quæ docet Sanchez lib. 2. disp. 40.

11 Dico III. Episcopus causam à Sede Apostolica sibi delegatam generali Vicario subdelegare potest. Ita DD. communiter, ex c. 3. de offic. delegati.

Sed limitatur primò: Si nudum ministerium, seu executio, sine causæ cognitione mandata sit, ea subdelegari non potest, c. vlt. §. cæterùm, de offic. delegati.

Secundò: Si personæ delegati industriam specialiter electam esse, vel ex adiunctis, vel ex causæ arduitate cognosci possit, cit. c. vlt. §. is autem. Nihilominus hoc casu articulus aliquis causæ v. g. testium examen, alteri cõmitti potest, vti docet Felinus in c. si pro debilitate, n. 4. de offic. delegati, Sbrozius lib. 2. q. 43. n. 31.

Limitatur tertiò: Quòd Episcopus, vel alius Sedis Apostolicæ delegatus causas sibi commissas, ordinariè loquendo, subdelegare possit, non item in futurum committendas. Quia non potest aliquis iurisdictionem alteri committere, quam non habet, vti notat Felinus cit. c. vlt. n. 8. Sbrozius cit. q. 34. num. 6.

Altera. Si Episcopus Vicario committat generalem potestatem ad omnia expedienda, excepta beneficiorum collatione, vtrùm reliqua, quæ specialem delegationem desiderant, expedire possit, v. g. dispensare, absolue re à casibus Episcopali dignitati specialiter commissis. Affirmat Domin. de Geminiano in c. 2. hoc tit. Euerardus loco 9. ab except. ad regulam, & alij apud Couar. 2. resol. c. 5. n. 9. Quia exceptio apposita regulæ vniuersali, eam confirmat in alijs. Contrarium docet Ancharanus in cit. c. 2. ver. quero Episcopus, & alij apud Sbrozium lib. 1. q. 65. num. 13. Quia exceptio rei quæ sub regula non comprehenditur, non debet esse ampliatiua, sed diminutiua; cùm itaque secundùm iuris dispositionem collatio beneficiorum in generali mandato non comprehendatur, ideo exceptio illa non videtur apposita ad comprehensionem reliquorum specialium, sed solùm ad significandam diminutionem, adeóque supplet particulam aduersatiuam, vt sensus sit: Quòd Vicarius omnia exercere possit, quæ iure ordinario ad eius officium spectant, sed beneficia conferre nõ possit. Atque hæc sententia magis placet, ea tamen declaratione, quam adhibet Garcias cit. c. 8. n. 79. Si Epi- 12
scopus omnia, quæ potestatis suæ sunt, Vicario committat, absque beneficiorum collatione, hac commissionis formula reliqua specialia comprehendi. Cùm enim collatio beneficiorum contineatur in regula seu propositione vniuersali, ideo eius exceptio alia eiusdem generis confirmare censetur, sicuti etiam docet Gl. in c. 2. ver. committantur, hoc lib. & tit.

Tertia. Si Episcopus Vicario generalem 13
facultatem det expediendi omnia, quæ potestatis suæ sunt, siue quæ ipse facere potest, seu plenam & liberam det expediendi omnia facultatem, vtrùm comprehensa censeantur ea, quæ specialem delegationem requirunt, vt beneficiorum collatio, dispensatio, &c. Responsio est negatiua ex communi DD. sententia apud Couar. 1. resol. c. 6. n. 3. ver. sextò, Sbroz lib. 1. q. 66. n. 5. quæ sumitur ex c. qui ad agendum, 4. de Procurat. in 6. ex quo regulam colligunt DD. Quòd specialia non censeantur commissa, aut mandata, nisi exprimantur. Sufficit tamen, si vnum speciale exprimatur, & per id ad alia extensio fiat. Exempli causa: Committimus tibi in spiritualibus Vicario generali facultatem dispensandi, & alia specialem commissionem postulantia; nam ex vi talis cõmissionis poterit Vicarius alia, quæ vel minora, vel quę æqualia sunt expressis, non item maiora expedire, secundùm doctrinam Baldi communiter receptam in l. aliquando n. 8. q. 15. ff. de officio Proconsulis, quam explicaui in c. sedes, 15. not. 4. de rescript. vbi tamen annotaui, ante omnia attendendum esse ad intentionem cõmit-

mittentis : cùm hæ iuris præsumptiones sint, quibus locus non est, si de contraria veritate constet.

QVARTA. Quæ Episcopus Vicario suo specialia, seu in generali & ordinaria Vicariatus potestate non comprehensa committit, pertinéntne ad iurisdictionem eius ordinariam, an delegatam? Interest autem id scire; quia si ad delegatam iurisdictionem spectant, ab eius sentétia appellari potest ad Episcopum: Et mortuo, vel deposito Episcopo, non extinguitur iurisdictio Vicarij, si causa cœpta sit: Secùs autem dicendum, si ordinariæ iurisdictionis censeantur. Resp. cum Sbrozio lib. 2. q. 55. Garcia p. 5. c. 8. n. 41. Sanchez lib. 3. disp. 29. n. 8. Si ea quæ specialia sunt vel initio commissionis generalis Vicariatus officio annectantur, vel postea tanquam Vicario Generali, seu intuitu Vicariatus committantur, in ordinariam iurisdictionem transire censebuntur: quia accessorium sequitur naturam principalis. Sin autem Vicario quæ specialia sunt, seorsim & non intuitu, aut sub nomine Vicariatus committentur, pertinebunt ad delegatam.

TITVLVS XXIX.

DE OFFICIO ET POTESTATE IVDICIS DELEGATI.

CVm superioribus Titulis dictum sit de Ecclesiæ Ministris, qui principaliter ad diuina tractanda instituuntur; sequitur, vt de ijs agatur, qui ad causas externas iudiciales destinati sunt: Et primò de Iudice delegato, seu extraordinario, postea de ordinario: eò quòd delegatus à Principe maior, ac dignior sit alijs ordinarijs iudicibus, quibus in causa sibi delegata imperare potest, c. sanè 11. hoc tit. Videri potest Franc. Coscius.

Pro Tituli autem huius declaratione duo quæri possunt: I. Quomodo differant officium, & potestas. Alterum Quis sit Iudex delegatus. Ad 1. resp. Sub hoc tit. tractari, quidnam Iudex delegatus præstare obligatus sit, & quidnam præstare possit. Nam alia sunt quæ possumus, alia verò quæ etiam facere debemus. Hæc officij dicuntur, illa potestatis. Hanc interpretationem innuit Abbas in rubr. & traditur à Bartol. Cartagena ead. rubr. obser. 2. Aliam affert Felinus in rubrica ex Ioan. Andrea; Quòd officiũ significet ipsum actum secundum seu exercitium; potestas autem sit in habitu, seu in actu primo.

Ad alterum resp. Delegare significat, alterum in locum suum sufficere. videl. Vt si Titius, qui meus debitor est, debitorem suum Caium substituat, vt pro ipso mihi soluat, dicitur is debitor delegatus à Titio, l. Si Titius, 33. ff. de nouationibus. Itaque Iudex delegatus (qui extraordinarius appellatur c. de cætero, de transactionibus) est, cui causa iudicialis concessa est, alterius vice, & auctoritate cognoscenda, ita vt iurisdictionem habeat deriuatam à committentis iurisdictione. Ita fermè definit Hostiensis hîc, & sumitur ex l. 1. §. Qui mandatam, ff. de officio eius, cui mandata est iurisdictio. Atque in eo differt à Iudice ordinario, quòd is propriam iurisdictionem habere censeatur, ideóque suo iure causas cognoscere, ac definire possit. l. more, 5. iun. Gl. ver. suo iure, ff. de iurisdict. Iudex autem delegatus non suo iure, sed alieno vtitur, cit. §. Qui mandatam. Solùm mouet difficultatem; quòd Vicarius Generalis seu Officialis Episcopi iurisdictionem ordinariam habere dicatur, & tamen pro-

propriam non habeat. Respond. Iurisdictio Vicarij Generalis, ab alijs ordinarijs multùm differt, & quibusdam modis conuenit cum iurisdictione delegata ad vniuersitatem causarum, sicuti notauit Piasecius in praxi p. 2. c. 4. n. 11. Absolutè tamen potiùs dicenda est ordinaria, quàm delegata; propterea quòd distincta non sit ab Episcopali iurisdictione: Et ob hác ipsam causam addidi verba vltima definitioni, quòd Iudex delegatus iurisdictionẽ deriuatã habeat, per quod differt à iurisdictione Vicarij Generalis, quippe qui propriè deriuatam non habet, sed eandem. Delegatus autem Iudex diuersam iurisdictionem obtinet, quamuis dependentem, ac veluti cessam, seu vtilem. Videri potest Gl. in cit. §. Qui mandatam, & Bertachinus tract. de Episcopis lib. 4. p. 7. q. 9. n. 11.

CAPITVLVM I.

Quia quæsitum.

Paraphrasis.

Accidit interdum, vt impetrantes à Sede Apostolica rescriptum iustitiæ, minis ac terroribus impediantur, quò minùs eo vti possint, & reos in ius vocare; ac proinde mandatum Apostolicum eludatur. Hoc casu respondit Alexander III. Iudicem delegatum per Ecclesiasticam censuram coërcere posse non tantùm eos, qui in iudicium venire detrectant, sed etiam eorum fautores principales, si manifestè cognitum sit, quòd processum causæ impedire conentur: Eò quòd malè facientes, & consentientes pari pœna, etiam scripturæ testimonio, digni sint. ad Roman. 1.

Svmmarivm.

1. *Potentium minæ plerumque iustum metum inferunt, si spectata personæ qualitate efficaces existimentur.*
2. *Iudex delegatus iurisdictionem exercet non tantùm in partes contendentes, sed etiam in eos, qui eius iurisdictionem, siue causæ processum impedire vel turbare volunt.*
3. *Ordinarium remedium, quo iudices ecclesiastici ordinarij & delegati contra contumaces, & iura ecclesiastica violare attentantes vti debent, est censura ecclesiastica, præsertim excommunicationis. Extraordinarium est inuocatio brachij secularis.*
4. *Malè faciens & consentiens pari pœnâ digni sunt. Est autem consensus quatruplex; negligentiæ, consilij, cooperationis, auctoritatis seu mandati.*

Notandvm I. Potentium minæ iustum plerumque metum seu terrorem inferunt. Quod tamen intelligi debet, si spectata qualitate personæ, aliisq; circumstantijs, minę efficaces existimẽtur, quia qui minas intentat, eas exequi solitus est. Quæ de re Abb. hic n. 3. Felinus n. 2. & dixi de hac re lib. 5. Th. mor. tr. 10. p. 2. c. 5. n. 3. 1

Notandvm II. Iudex delegatus non tantùm iurisdictionem exercet in partes cõtendentes, sed etiam in alios, qui iurisdictionem eius, siue processum causæ impedire, vel turbare volunt, tametsi id in delegatione expressum non fuerit. Ita Gloss. marg. hic, quam Canonistæ communiter sequuntur. 2

Sed obijci potest: Quòd iurisdictio delegata stricti iuris censeatur, neq; extendenda aut proroganda vltra causam, vel personas in rescripto expressas, c. cùm olim, 32. & c. P. & G. 40. hoc tit. Cùm delegatus non propria, sed demandata iurisdictione vtatur: fines autem mandati diligenter custodiendi sunt, nec vltrà prorogandi, l. diligenter, 5. ff. mandati, c. cùm dilecta, 22. de rescript. Respond. cum Francisco Coscio super hoc c. n. 21. Delegatum non excedere fines mandati, si ea præstet, quæ necessaria sunt ad causæ executionem, & mandati impletionem. Nam qui mandat principale, censetur etiam accessoria mandare; seu qui executionem finis cõmittit, etiam media, quę necessaria sunt, committere censetur, c. præterea, 5. hoc tit.

Notandvm III. Ordinarium remedium, quo Iudices Ecclesiastici tam ordina- 3

rij, quàm delegati, contra contumaces & inobedientes, aut iura Ecclesiastica violare attentantes, vti debeant, esse censuram Ecclesiasticam, præsertim excommunicationis: Extraordinarium autem seu in subsidium datum remedium, esse inuocationem brachij secularis. Hoc autem extraordinario vtendum non est, nisi propter necessitatem, si ordinarium, & propriè Ecclesiasticum remedium sufficere non videatur. Ita sumitur ex cit. c. vn. de statu Regular. in 6. & c. 1. c. quoniam, 14. in fine, de offic. Ordin. c. dilecto, 6. de sent. excommun. in 6.

4 NOTANDVM IV Malè faciens, & consentiens, pari pœna digni sunt. Sed quod attinet pœnam à iudice infligendam, aptè distinguit hîc Gl. ver. pari pœna, Innoc. n. 1. consensum esse quatruplicem; Primus negligentiæ, si quis delictum impedire possit, ac negligat. Requiritur tamẽ, saltem in ciuili foro, vt aliquis ex aliqua iustitiæ, nõ solius charitatis, obligatione impedire teneatur, v. g. famulus mortem domini, aut filius patris, sicuti dixi lib. 3 Th. mor. tr. 3. p. 3. c. 3. n. 5. Sin autem alius quispiam specialiter non obligatus impedire negligat, si dolus absit, in ciuili foro non punitur, teste Gl. reg. 50. ff. Felino hîc n. 4. Alter est cõsensus consilij. Nam consilium delinquendi præbens, delicti particeps fit, atque pari pœna puniendus est, si consilium efficax fuit; quia hominem permouit ad malum patrãdum, qui alioquin id non patrasset, l. non solùm, §. si mandato, ff. de iniurijs, c. sicuti dignum, 6. §. Qui verò, de homic. iun. Gl. ver. prouocassent. Sin autem etiam absque dato consilio patrasset, mitiùs puniendus est, quàm patrator. Ita distinguit Dynus reg. 62. in 6. n. 3. Abb. hîc n. 5. Felin. n. 8. Tertius est consensus cooperationis, si furantem v. g. vel occidentem quis adiuuet, illi claues, huic ensem præbendo. Et talem crimine participantem pari pœna afficiendum esse docet Bartol. in l. si quis opem, 34. ff. de furtis, Abb. hîc membr. 3. dummodò auxilium socij efficax fuerit, & causa delicti, sicuti hanc doctrinam limitat Felinus hîc n. 14. & dixi lib. 3. Th. mor. tr. 2. c. 5. n. 6. §. Nomine participantis. Quartus est consensus auctoritatis, seu mandati: Si is, qui imperandi auctoritate præditus est, vt Prælatus, Pater, Dominus malum patrari iubeat. Talis censetur principalis delinquens, ideóq; maiore etiam pœna dignus, quàm executor, secundùm Gl. hîc, & dixi de hoc lib. 3. Th. mor. tr. 2. c. 6. n. 2.

CAPITVLVM II.

Sanè.

PARAPHRASIS.

Si quis literas iustitiæ à Sede Apostolica impetrauit ad Iudices delegatos, & postea aliæ literæ (ad eosdem Iudices) destinatæ sunt, oppositum quiddam cõtinentes, nulla facta mentione priorum literarum; tum Iudices supersedere debent, donec consulto Sum. Pontifice, eius voluntatem pleniùs cognoscant: ne alioquin literarum varietas commissæ causæ terminationem impediat.

SVMMARIVM.

1. *Cùm diuersæ literæ ad eosdem Iudices destinatæ sunt, & dubium sit de mente Pontificis, petenda est priùs eius declaratio, quàm causa definiatur.*
2. *Quotiescunque iudex dubitat de rescripto Apostolico, vtrùm per aliud reuocatum, vel immutatum sit, Sedes Apostolica consulenda est.*
3. *Non censetur derogatum Apostolico rescripto priori, per posterius, si de priori mentio nulla fit.*

HOc c. variè explicant Canonistæ, vti videre est apud Abbatem hîc. Sed nulla est difficultas, si sequamur explicationem Gl. in c. 3. ver. priores, de rescript. Andr. Barbatiæ hîc prope finem c. Quòd literæ posteriores ad eosdem iudices destinatæ sint: Tali casu, si dubium sit de mente Pontificis, eius declarationem petendam priùs esse, quàm

quàm causa definiatur. Sin autem ad diuersos iudices rescripta veniant, quid agendum, seu quomodo res componenda sit, alibi decisum reperitur, videl. in c. si autem 9. c. pastoralis, 14. de rescript. Nam hoc casu diuersitatem duorum rescriptorũ expediebat certis legibus definiri, ne alioquin vel vtriq; Iudices seorsim contraria iudicent, vel contentio aut dissidium inter eos oriatur: quæ non ita locum habent, si diuersa rescripta ad eosdem, vel eundem iudicem dirigantur. Accedit, quòd non multum ad causæ iustitiam interfit, vtra pars iudicum delegatorum cognoscat; cùm id extrinsecum & accidentale sit. Sin autem circa ipsam substantiam, aut processum causæ oppositа mandata Apostolica veniunt, apparet necessarium esse, vt Papa priùs consulatur: cùm alioquin commissarius exequi non possit, quod mandatum est, si mandantis voluntas ipsi cognita non sit.

2 NOTANDVM I. Quod ex hoc textu generatim colligunt Abb. hic n. 1. Felinus n. 1. Barbatia col. 1. Specul. tit. de offic. legati, §. sexto, Quotiescunque Iudex dubitat de rescripto Apostolico, vtrùm per aliud rescriptum reuocatum, vel immutatum sit, Sedem Apostolicam consulendam esse. Neque Legatum, etiam à latere, se intromittere posse, Felinus docet, ac Speculator n. 33. Quia eiusdem est vti legem, ita & rescriptum interpretari, cuius & condere. Et consentit hìc c. si quando, 5. de rescript. c. cùm veniissent, 12. de iudic.

3 NOTANDVM II. Sicuti lege aut rescripto Pontificis contrario non censetur derogatum statuto, vel consuetudini speciali, si de ea mentionem non faciat, c. 1. de constitut. in 6. ita neque derogatum censetur rescripto priori, si de eo mentio nulla fiat. Quia tam multa à Sede Apostolica rescripta promanant, vt ea, eorumque contenta singula reminisci Pontifex non possit. Ex quo tamen non inferas, idem de alijs inferioribus Ordinarijs sentiendum esse: Sed de his interdum, consideratis circumstantijs, præsumi poterit, quòd posteriore contrario rescripto prius reuocare aut immutare velint, tametsi de eo mentionem non faciant.

CAPITVLVM III.

Si pro debilitate.

PARAPHRASIS.

Delegatus à Sum. Pontifice, si causam expedire impeditus sit, potest eam alteri idoneo subdelegare, qui orta aliqua difficultate delegatum principalem consulere debebit. Excipitur verò, nisi causa delegata grauis, & ardua sit; talis enim alteri subdelegari non potest.

SVMMARIVM.

1. *Delegatus à Principe subdelegare potest; alterúmque cogere ad acceptandam subdelegationem.*
2. *Subdelegare autem debet personis discretis & idoneis, qui sunt bonæ conscientiæ, & rerum iuriúmque peritiâ praditi.*
3. *Non potest tamen delegatus Principis subdelegare causam grauẽ seu arduam.*
4. *Iudex alteri causam subdelegare potest, reseruato sibi hoc iure, vt consilium suũ requirendum sit, quo casu eo non requisito, sententia lata nulla est.*

NOTANDVM I. Delegatus à Principe subdelegare potest, seu alteri causam delegare. Ita etiam habetur in l. à iudice, 5. C. de iudicijs. Dicitur autem subdelegatus, cui causa vel tota, vel pars seu articulus, v. g. testium receptio, à delegato committitur, secundùm Guil. de offic. delegati, §. 1. princ. Ratio alia reddi non debet, nisi quòd hoc speciale priuilegium delegatis Principum, ob eminentiam eorum, à lege datum sit, c. pastoralis, 28. hoc tit. Ex quo còlligit hìc Gl. ver. liberum, Barbatia. col. 4. Abb. n. 1. Hippolytus Riminaldus. n. 6. quòd delegatus Principis, etiam partibus inuitis, causam alteri delegare possit: Imò tametsi nulla eum 1

cogat necessitas, vti apertè constat ex cit. c. pastoralis: Sed necessitatem ad id inseruire; vt delegatus per Principis auctoritatem alterum cogere possit ad acceptandam delegationem, arg. c. 1. c. præterea, 5. hoc tit.

2 NOTANDVM II. Delegatus subdelegare debet personis discretis, & idoneis. Per discretionem indicatur viri boni, ac prudentis conscientia per idoneitatem iurium peritia, atque rerum experientia. Nam hæc duo in iudice requiruntur, bona conscientia, & rerum iuriumque peritia, secundùm doctrinam Baldi l. hac lege, C. de sententijs ex periculo recitandis, Barbatiæ hîc col. 3.

3 NOTANDVM III. Delegatus Principis causam sibi commissam alteri subdelegare non potest, si grauis seu ardua sit. Ratio reddi debet ex c. vlt. §. is autem, hoc tit. iuncto c. is cui, 12. eod. in 6. Quia causæ grauitas persuadet, industriâ personæ delegatæ singulariter electam fuisse. Hoc loco Barbatia plura specialia affert, propter causæ arduitatem.

Primò: In causa graui si quis ipsemet se sistere non possit, non tenetur procuratorem mittere. argum. c. 2. de procurat. & docet Gl. in Clement. vn. ver. fautores, de foro compet. Innoc. in c. 1. n. 1. de procurat.

Secundò: Quæ ardua & magni momenti sunt, Prælatus expedire non potest sine consensu aut consilio Capituli, secundùm Innoc. in c. edoceri, n. 4. de rescript. & c. causam, de iudic. Abb. in c. at si Clerici, §. de adulterijs n. 16. de iudicijs. Qua de re dixi lib. 1. Th. mor. tr. 4. c. 7. n. 9.

Tertiò: Inferiores iudices, aut commissarij, quæ ardua sunt, expedire non debent sine relatione ad Superiorem, argum. c. ad hæc 8. de offic. Archidiaconi, & Exod. 18. vbi Moyses iuxta consilium Iethro cognati sui constituit Iudices inferiores, qui quæ maioris momenti erant, ad ipsum referre deberent.

Quartò. Papa, quæ ardua sunt, absque consilio Cardinalium agere non debet, teste Ioann. Monacho, c. super eo, 4. n. 3. de hæret. in 6. Tametsi enim Papa plenitudinem potestatis vniuersalis habere dicatur, iuxta Clement. 1. vt lite pendente; tamen & ipse canones ac rationabiles Ecclesiæ consuetudines seruare debet; alioquin peccabit. Ita bene ex Paulo Castrensi notauit Probus in addit. Ioann. Monachi cit. c. super eo, n. 26.

QVÆRES: Quænam causæ arduæ censendæ sint. Respondent communiter hîc Canonistæ, Decius n. 5. Felinus. col. 3. & alij apud Menoch. in arbitrariis Iudicum qq. casu 205. Iudicis arbitrio id relinquendum esse. Sed idem Decius considerans verba huius c. probabiliter docet; Tametsi causa aliqua absolutè grauis sit, v. g. matrimonialis, quam Episcopo Sum. Pontifex delegauit; si tamen, vt ordinariè fieri solet, non adeò grauis videatur, vt sine ipsius præsentia expediri nequeat, posse eam alteri personæ peritæ, v. g. Officiali delegari. Idémque tradunt Abb. c. ex literis, 4. not. 2. ibid. Imola n. 1. de in integr. restit. Quod maximè hoc tempore verum videtur, postquam causæ matrimoniales doctissimis multorum commentarijs explicatæ sunt. Quamuis contrarium doceat Sbroz. lib. 2. de Vicario Episc. q. 43. n. 18.

4 NOTANDVM IV. Iudex alteri causam subdelegare potest, reseruato sibi hoc iure, vt consilium suum requirendum sit. Quo casu consilium necessariò petendum, & debito tempore expectandum erit: ita vt sine eo aliter sententia lata irrita haberi debeat: quia delegatus formam delegationis transgressus fuit, vti docet hîc Abb. n. 6. Decius n. 8. & dixi in c. venerabili extrà 37. Cesetur autem delegans reseruare sibi, vt consilium eius adhibeatur tanquam viri boni, ac prudentis, non tanquam iudicis: cùm Iudex causæ huius cognitionem iurisdictionalem à se amouisse, & alteri imposuisse censeatur, ideóque vnà cum illo iudicare non possit, ait Gl. hîc communiter recepta, ver. te consulere. Etenim vniuersim loquendo, tametsi alicuius consilium de iure, statuto, vel pacto requirendum sit, non tamen necesse est consilium sequi. Veruntamen, si quis alteri causam committat, eo expresso, vt consilium eius sequendum sit, tunc facit se participem iudicij, ita vt sententia lata non valeat, nisi ipso assentiente, vti bene hîc docet Decius

n. 9.

n. 9. Abb. n. 7. vbi regulam tradit ex Bartol. l. 1. §. si plures, ff. de exercitoria actione, vbi consilium requirendum est ab eo, qui officij particeps est, absque eius assensu gesta non valent.

CAPITVLVM IV.

De causis.

Paraphrasis.

Si causa alicui delegetur, intra certum tempus expedienda, post lapsum eius temporis expirat iurisdictio delegati, nisi partes communi consensu præfixi temporis terminum prorogarint.

Svmmarivm.

1. *Si causa committitur iudici delegato intra certum tempus definienda, eo lapso expirat iurisdictio & commissio eius: non item, si iudici ordinario Superior eius ita talem causam decidendam præcipiat.*
2. *Possunt tamen partes terminum à delegante præfixum prorogare, nisi delegans prohibuerit, vel ob bonum publicum terminus sit præfixus.*
3. *Iudex delegatus reum ob contumaciam excommunicare potest.*
4. *Iudex tenetur delinquentibus pœnam imponere, quæ legibus definita est, neq; potest in aliam mitiorem commutare, aut diſpensare, si sit inferior Principe.*
5. *Potest tamen propter particulares circumstantias minuentes, vel aggrauantes pœnam arbitrari, seu interpretari.*

1 Notandvm I. Si Iudici delegato tempus præscriptum sit, intra quod causam definire debeat, censetur esse forma substantialis, qua non obseruata expirat mandatum & commissio eius. Sin verò Iudici habenti iurisdictionē ordinariam Superior eius præcipiat, vt talem causam intra certum temporis terminum expediat, malè agit differendo, sed valet sententia etiam postea lata. Ita notauit hîc Decius n. 9. Ratio discriminis: Quia in priore casu Superior delegato dat iurisdictionem eius causæ, & quidem limitatè secundùm formam commissionis ac mandati. In posteriore autem casu Superior Iudici dat iurisdictionem eius causæ, sed modum tantùm tempestiuæ expeditionis præscribit. Qui modus seu conditio substantialis censeri non debet, cùm non facilè existimandum sit, Superiorem iurisdictionem concessam alicui adimere, seu ad se reuocare velle. Videri potest Gl. in Clem.

2 Notandvm II. Tametsi terminus expediendæ causæ à delegante præfixus sit, tamen partes communi consensu vlterius prorogare seu extendere possunt. Ita habetur in l. 2. §. Si & Iudex, ff. de iudic. & docent Canonistæ in c. super eo, 12. de appell. Ratio est. Quia terminus causæ citiùs expediendæ in fauorem partium constitutus videtur: ergo huic suo fauori renuntiare possunt, arg. c. ad Apostolicam, 16. de Regular.

Excipe primò: Nisi delegans prohibuerit, ne terminus prorogaretur, cit. l. 2. §. Si & Iudex.

Excipe secundò: Si appareat, non ob partium fauorem, sed ob bonum publicum terminum temporis præfixum esse, quia specialiter interſit v. g. Ecclesiæ, vt controuersia aliqua beneficialis citò expediatur, sicuti Decius notauit cit loco. Quæ ipsa causa est, quòd terminus à iure communi definitus litibus seu controuersiis ciuilibus expediendis, à partibus prorogari non possit, cùm iurium communium publicus fauor sit, vti docent DD. in l. properandum, 13. C. de Iudicijs. Est autem tempus litibus finiendis cōstitutum triennium, cit. l. properandum. Idque etiam secundùm ius canonicum obseruandum esse, existimat Barbatia hîc col. 2. quandoquidem l. illa *properandum* correcta non reperitur; atq; Reip. vtile est, vt controuersiæ, quàm fieri potest, celeriter definiantur, c. 2. de sent. & re iudic. Sed contrarium docet Gl. in cit. l. properandum, verſ. Item quid, arg. c. penult. de iudic. quæ difficultas ibi examinabitur cum Gl. ver. non obstante.

His verò addendum: Si Iudici delegato

tempus definitum sit, intra quod causam definire, seu expedire debeat, id trahendum non esse ad executionem sententiæ: Quin etiam post lapsum eius temporis exequi poterit; cùm iurisdictio eius omnino finita non sit, arg. c. significasti, 7. hoc tit. & tradit hîc Ioan. Andr. n. 19. Abb. cit. c. significasti n. 2. & sumitur ex c. quærenti, 26. infrà eod. Sed secùs dicendum, si terminus præfixus sit iurisdictioni delegati; cùm etiam executio sententię iurisdictionis actus sit.

§. Illis etiam.

SI partes à delegato Iudice legitimo modo citatæ, accedere vel eiusdem mandato parere recusent, pœnam eis infligere debet, si quæ iure canonico definita sit; alioquin pro qualitate delicti, & causæ, arbitrariam imponere.

3 NOTANDVM I. Duplex esse potest contumacia rei; vna in non veniendo, cùm citatus fuit; altera in non parendo Iudicis mandato. Et esse priorem ac veluti duplicem contumaciam, quæ in non veniendo est, ex communi tradit Decius super rubr. de iudic. not. 7. Barbatia hîc col. 7. Ob vtramque autem, si reus in contumacia perseueret, excommunicationis sententia infligi potest, teste Decio vbi suprà, Barbatia col. 8. & Felino num. 9. vbi ait, omnem delegatum Iudicem coërcitionem aliquam habere, ita vt si aliæ pœnæ, aut mulctæ non sufficiant, excommunicare possit, arg. c. ex literis, 29. hoc tit.

4 NOTANDVM II. Iudex tenetur delinquentibus pœnam imponere, quæ legibus definita est. Neque potest in aliam mitiorem commutare, aut dispensare, si sit inferior Principe. Et habet id locum etiam in Iudice ordinario, si dispensandi potestas in lege Superioris concessa ei non sit, vti constat ex l. 1. ff. ad SC. Turpillian. & contra Gl. hîc ver. eandem infligas, docet Ioan. Andr. n. 4. Abb. n. 16. Barbatia col. 8. Menoch. in arbitrarijs qq. casu 96. n. 10. & seqq. Farinac. in praxi criminali, tract. 13. q. 17. n. 3. S. Th. 2. 2. q. 67. a. 4. Porrò tametsi Iudex pœnam legibus decretam minuere non possit dispensando, multò minùs augere; nihilominus, propter particulares circumstantias minuentes, vel aggrauantes, arbitrari seu interpretari potest, non recedendo à mente legislatoris (quippe qui omnes casus particulares præuidere non poterat) seueriorem aut mitiorem pœnam inferendam esse, vti bene docet Abb. cit. n. 16. & sumitur ex l. aut facta, 16. ff. de pœnis.

CAPITVLVM V.

Præterea.

PARAPHRASIS.

Si causa alicui delegata sit, tametsi partes nullum à delegâte mandatum acceperint, neque in literis expressum sit, quòd Iudex delegatus contumaces punire, eisque censuram inferre possit, nihilominus ea auctoritate delegantis exercere potest: Nam eo ipso quòd causa alicui commissa est, censentur alia omnia commissa, quæ ad causam expediendam pertinent, seu necessaria sunt.

SVMMARIVM.

1. *Iudex ordinarius & delegatus pœnas imponere potest iuxta causæ ac delicti qualitatem.*
   Non tantùm partibus contendentibus, sed etiam testi falsum dicenti in iudicio, si per hoc iurisdictio delegati impediatur, vel retardetur.
2. *Concesso vno, censentur concessa alia omnia, sine quibus illud expediri nõ potest.*
3. *Et vice versa prohibito vno censentur etiam prohibita reliqua, per quæ peruenitur ad illud.*

NOTANDVM I. Non tantùm Iudex ordinarius, sed etiam delegatus pœnas imponere potest, iuxta causę ac delicti qualitatem, Quia alioquin eius potestas inefficax foret, ac parum timeretur. Neque de hoc dubitari potest, si sermo sit de partibus con-

tem-

tendentibus, erga quas iurisdictio delegata est. Sed dubium est de alijs personis, v. g. si testis falsum dixisse coram delegato conuincatur, vtrùm eum punire possit, an verò cognitionem ac punitionem ad delegantem remittere cogatur. Ad hoc respondent Abb. hîc n. 4. Felinus in c. 1. n. 15. hoc tit. Si per hoc, quòd testis in iudicio falsum dixit, iurisdictio eius impediatur, aut retardetur, à delegato puniri posse; alioquin non posse: cùm in eum iurisdictionem directè non acceperit; sed solùm in consequentiam, quatenus ea necessaria est ad causæ expeditionem, sicuti etiam indicat Gl. fin. in l. quæsitum, 13. ff. de testibus. Arbitratur autem Decius n. 5. in fine; quòd testis falsum deponens regulariter puniri possit à Iudice delegato; quia, nisi tali potestate præditus esset, non timeretur, sed facilè eluderetur eius potestas, arg. l. nullum, 14. C. de testibus.

NOTANDVM II. Concesso vno, censentur concessa alia omnia, sine quibus illud expediri nô potest. Consentit c. prudentiam 21. §. Sexta, in fine hoc tit. Quia alioquin frustranea & inefficax esset facultas, nisi etiam ad necessaria media seu adminicula se extenderet. Exempla huius regulæ affert Felinus hic n. 4. Si Papa concesserit Episcopo, vt charitatiuum subsidium, aliámue collectam petere possit, concessum illi est recusantes cogere. Legatus missus ad componendam pacem inter subditos Regis, potest rumpenti pacem statuere pœnam. Et Procurator ad vendendum equum, potest de euictione eius cauere: non autem potest terminum solutionis faciendæ prorogare, ac veluti mutuò dare. Quia mandati fines seruandi sunt, neque ad diuersa, & non connexa extendendum, de quo dicam infrà c. cùm olim, 32. hoc tit.

Deinde excipi debet: Quòd ea commissa non censeantur, quæ specialia esse solent, & sine speciali atque expressa commissione exerceri non possunt, v. g. absolutio ab excommunicatione Papæ reseruata, vt habetur in eit. c. prudentiam. §. adijcimus.

Sed quæstio est: Si id, quod mandatum fuit, absque altero expediri possit, absolutè loquendo, sed non facilè; seu, vt aliter dicam, si aliquid non simpliciter necessarium sit, sed secundùm quid, vt causa commodiùs expediatur, num eò vsque mandatum se extendat. Negat hîc Felinus cit. n. 5. Contrarium verò docet hîc Decius n. 6. Sed præstat, vt dicamus cum Barbatia hîc col. 6. Nullam de hac re generalem regulam tradi posse; sed in eiusmodi commissionibus ac mandatis, inprimis attendendum esse ad mentem, seu voluntatem committentis; tum verò ad qualitatem negotij, & capacitatem aliásque circumstantias ipsius delegati, aut mandatarij. Denique sciendum, in gratijs seu meris beneficijs ampliorem interpretationem fieri posse, iuxta l. 3. ff. de Constit. Principum, vt ea etiam concessa censeantur, quæ cum vsu rei concessæ communiter coniuncta esse solent: Vt si alicui singulari personæ concessa sit facultas tempore interdicti Missam audiendi, potest etiam domesticorum suorum comitatum adhibere, iuxta c. licèt, 11. §. 1. de priuil. in 6. & tradunt DD. apud Sairum in thesauro lib. 3. c. 5. n. 29.

His addit Gl. fin. hîc; Quòd & vice versa, *prohibito vno, censentur etiam reliqua prohibita per quæ peruenitur ad illud.* 3

Exempli causa: Cùm clerico in sacris matrimonium prohibitum sit, etiam sponsalia prohibita censeri debent, vti constat ex l. oratio, 16. ff. de sponsal.

Quòd si ponamus plura esse media perueniendi ad rem prohibitâ, tum exactè discerni debet, vtrùm vnum eorum in prohibitione expressum fuerit causa restrictionis, an causa exemplificationis: v. g Si prohibitum sit, ne aliquod personarum genus ad prælaturam eligatur, intelligi etiam debet de postulatione ac præsentatione. Quia principalis intentio statuentis est prohibere, ne tales minùs idoneæ personę promoueantur. id autem perinde est, siue fiat per electionẽ, siue per præsentationem. Sin autem Pontifex Legato à latere, alioquin speciali facultate prædito dispensandi cum illegitimis, etiam ad prælaturas, prohibeat, ne illegitimè natorum electiones confirmet, non debet prohibitio extend ad postulationem: cùm dispar ratio sit electio-

ctionis & postulationis in ordine ad impetrandam admissionem, vel confirmationem.

CAPITVLVM VI.

Quamuis.

PARAPHRASIS.

Duobus Iudicibus causa à Sede Apostolica commissa erat, sed non addita clausula; Si vnus cognoscere non possit, aut nolit, vt alter solus cognoscat. Dubitatum est, an hoc casu alter Iudicum causam alij, etiam ipsi Coiudici suo, subdelegare possit. Ad hoc respondet Alex. III. affirmatiuè.

SVMMARIVM.

Iudex iudicare potest, vt delegatus & subdelegatus; non debet tamen variam, sed vnam sententiam proferre: quod locum habet in omnibus casibus pendentibus à iudicio intellectûs; secùs probabiliter est in casibus pendentibus ab arbitrio voluntatis.

NOTANDVM Vn. Iudex duplici iure, ac veluti duas personas agendo iudicare potest, videl. vt delegatus, & vt subdelegatus. Sed necesse est, vt vnam, non variam sententiam proferat, vti bene hic monet Abb. n. 2. Decius prope finem, iun. addit. Quia qua conscientia iudicat aliquid iustum esse vt delegatus, eâdem quoq; vt subdelegatus, arg. c. penult. §. Porrò, iun. Gl. ver. nihil agit. Et admonet Decius post Abbat. ex c. cùm olim, de sent. & re iudic. id locum habere in omnibus negotijs pendentibus à iudicio intellectûs: Vt si quis duplici iure fungatur in præsentando clerico ad beneficium, v. g. vt Ecclesiæ Præpositus, & vnus ex Canonicis; vel si Procurator à duobus constitutus ad præsentandum, vel eligendum, quod in talibus casibus diuersos nominare non possint. Sed in pendentibus ab arbitrio voluntatis secùs dicendum, ait Decius, contra Lapum: v. g. si duæ electiones in discordia factæ sint, quòd contemptus, seu ad eligendum non vocatus, possit vni earum se opponere, vt rescindatur, alteri se non opponere. Quod probabiliter dictum videtur, saltem si rationem afferat contemptus, cur huic, non alteri electioni se opponat, ne alioquin ex inuidia vel æmulatione procedere videatur.

QVÆRES. Quæ fuerit ratio dubitandi in hoc c. Ea fuit: Quia si duobus Iudicibus causa commissa fuit non in solidum, sed vt simul cognoscant, non addita clausula, *Si non omnes*, vnus sine altero cognoscere non potest. c. causam, 16. hoc tit. Sed solutio est: quia alter, cui socius partes suas committit, non censetur solus, seu iure singulari iudicare, sed tam suo, quàm socij nomine. Et cùm à iure concessum sit delegato Principis partes suas alteri subdelegare, fauor iste seu priuilegium ob Principis honorem datum restringi non debet, sed potiùs amplè interpretandum, vt etiam ipsi coiudici commissio fieri possit.

CAPITVLVM VII.

Significasti.

PARAPHRASIS.

Si Iudex à Sede Apostolica delegatus executionem sententiæ à se latæ Ordinario committat, is verò vel nolit, vel non possit (alijs sibi resistentibus) exequi, non prohibetur delegatus ipsemet, Apostolica sibi commissa auctoritate exequi, & eos qui resistunt, Ecclesiastica censura coërcere.

SVMMARIVM.

1. *Delegatus Principis, cui absolutè causa commissa est, habet potestatem cognoscendi, decidendi, exequendi, vel executionem alteri committendi.*
2. *Delegatus Papæ, si Ordinarius vel Princeps laicus inuocatus nolit, vel possit succurrere, potest ipse manu armata sententiam suam executioni mandare.*
3. *Episcopus temporali iurisdictione carens potest habere armatos officiales pa-*

ratos

ratos ad executionem iustitiæ, si opus sit aduersus contumaces.

1 NOTANDVM I. Cui causa à Principe absolutè delegata est, is non solùm potestatem habet cognoscendi, ac decidendi, sed etiam exequendi, vel alteri executionem committendi. Consentit c. ex literis, 29. hoc tit.

NOTANDVM II. Delegatus Papæ sententiæ à se latæ executionem frequenter committit Ordinario loci; quippe per quem id melius fieri potest, cùm Officiales idoneos habeat, qualibus ipse Iudex delegatus fermè caret. Si tamen velit, & possit, non prohibetur exequi per se, vel proprios Ministros, vti hic docent Innocent. Abb. Barbat. Decius & alij, contra Gl. magnam not. 1.

QVÆRITVR hîc primò: Quæ fuerit ratio dubitandi in hoc c. Respond. Eam fuisse; Quia si Iudex delegatus executionem sententiæ alteri mandauit, censetur functus officio suo, & iurisdictionē à se abdicasse, vt eam reassumere non possit, saltem si alter exequi cœperat, iuxta c. in literis, 9. hoc tit. Respõsio est facilis, si dicamus cum Abb. hîc n. 7. Barbat. col. 3. Quòd in casu huius c. delegatus iurisdictionem non abdicarit, quia ordinarium non constituit subdelegatum, sed solùm ministrum ac veluti Officialem suum, implorando auxilium eius ad sententiæ executionem.

QVÆRITVR secundò: Vtrùm delegatus Papæ manu armata sententiam executioni mandare possit? Respondeo & Dico 1. Certum esse debet, quòd delegatus brachium seculare in subsidium inuocare possit, si aliter causam sibi commissam expedire, aut sententiam à se latam exequi non possit. Ita docent hic Innoc. & Ioann. Andr. n. 7. Abb. n. 8. Barbat. col. 6. Decius n. 4. Zabar. in Clem. vn. de offic. delegati. Prob. addit. ad Ioann. Monachum in c. vn. n. 4. de statu Regul. in 6. D. Martha de iurisdict. p. 1. c. 50. Cùm enim Episcopo talis potestas inuocandi brachij secularis concessa sit, argum. c. Administratores, 26. causa 24. q. 3. cur non etiam delegata Papæ, cùm in causa sibi commissa maiore illo potestate & auctoritate fungatur, c. sanè, 11. hoc tit. Neque refert, quòd in Apostolicis mãdatis interdum clausula illa addi soleat; *Inuocato etiam, si opus sit, auxilio brachij secularis.* Nam etiamsi non exprimatur, tacitè intelligitur: cùm non rarum id sit, vt quæ de iure insunt conditiones, exprimantur; quia expressa magis apprehenduntur, quàm subintellecta. Hæc autem facultas, si opus sit, inuocandi brachij secularis de iure inesse videtur; cùm alioquin potestas iudici delegato commissa sæpe inutilis esset, nec executioni mandari posset.

Dico II. Delegatus Papæ, ordinariè lo- 2
quendo, manum armatam ipsemet conducere non debet, sed aliunde accersere, inuocando auxilium in primis Ordinarij Ecclesiastici, si sufficiens sit; alioquin Principis laici: Sed si isti succurrere ei non possint, aut nolint, adeóque in defectum etiam ipsemet delegatus manum armatam conducere poterit. Ita hîc docet, & DD. conciliat Decius cit. n. 4. Ratio est: Quia delegatus non potest aliquid, præsertim quod arduum sit, agere, nisi in mãdato eius comprehendatur. Sed vt manum armatam delegatus conducat ad causæ expeditionem, non censetur comprehensum in mandato, si modo faciliore, magísque consueto vti possit, videl. inuocando auxilium potestatis ordinariæ, ecclesiasticæ inprimis, deinde secularis. Sed in defectum, id est, si ordinarius seu magis consuetus iste succursus haberi non possit, tum non prohibetur ipsemet remedium adhibere, argum. c. præterea, 5. hoc tit.

QVÆRITVR tertiò: Vtrùm Episcopus, qui 3
tẽporali iurisdictione caret, Officiales armatos habere possit, paratos ad executionē iustitiæ, si opus sit, aduersus cõtumaces. Negat Abb. hic n. 10. Sed alij cõmuniter affirmant post Bald. in l. nam salutem, §. fin. ff. de offic. præfecti Vigilum, vti videre est apud Barbatiam hic col. 7. Decium n. 6. D. Martham cit. c. 50. Quia licèt Clericis armorum vsus prohibitus sit, excipi tamen debet casus necessitatis, si aliter iura sua contra impedientes exercere aut defendere non possint, arg. c. dilecto 6. de sent. excom. in 6.

CAPITVLVM VIII.

Si quando.

PARAPHRASIS.

Quidam Clerici Prælatos quarundam Ecclesiarum ad iudicium coram delegato Papæ trahebant, ostendere conantes, dictas Ecclesias ob causam transactionis, vel similē ad ipsos de iure pertinere: Iudex delegatus causa cognita eisdem Clericis adiudicauit Ecclesias. Verùm Ordinarius loci pro certo sciuit, dictos Clericos canonica institutione carere. Hoc casu dubitatur, an Ordinarius delegato violenter resistere non possit, quò minùs sententiam exequatur, Clericos in possessionem mittendo. Respondet Alex. III. Quòd resistere non debeat; sed apud ipsum instare, vt executionem differat, donec Sedes Apostolica super ea re consulatur.

SVMMARIVM.

1. *Iudici publica auctoritate vtenti inferior violenter resistere non potest.*
2. *Nisi iudicialiter notoriā iniuriam inferret; tunc enim per se loquendo, ei resisti potest, si grauamen per appellationem reparabile non sit.*
3. *Compositio, transactio, vel Iudicis sententia in causis beneficialibus & matrimonialibus non tribuit ius, ita vt aliquis ad opponendum & contrarium probandum non admittatur.*

1 NOTANDVM I. Iudici, quatenus publica auctoritate quippiam agit, aut decernit, inferior violenter resistere nō potest. Qua in re plenè distinguunt Abb. hîc, n. 2. Decius n. 2. Primò, Si Iudex extraiudicialiter, seu vt priuata persona iniuriam alicui inferat, tum ei, sicuti alteri, violenter resisti potest. Quod intellige, per se loquendo, nisi maius scandalum, aliúdue malum oriturum sit. Ita docet Gl. in l. 3. ver. vt vim, ff. de iustit. & iure, Innocent. hîc, argum. l. prohibitum C. de iure fisci, lib. 10. vbi habetur, quòd etiam Principis Officialibus resisti possit, si aliquid agant, aut exigant, cuius cōmissionem, seu mandatum non habent.

Secundò: Si Iudex iudicialiter, seu vt publica persona iniuriam inferat, volens v. g. iniustam sententiam exequi; tunc vel notoria est iniustitia, vel non notoria, licèt parti læsæ certò cognita sit. Priore casu resistere potest, non item secundo. Ratio discriminis est: Quia si iniustitia processûs notoria sit, Iudex non tantùm secundùm veritatem, sed etiam secundùm fori externi apparentiā potestatis suæ limites excedit: At verò in secundo casu non excedit secundùm externam apparentiam: Ergo publica potestas sæpe contemni videretur, si palàm resistere liceret.

Tertiò: Si Iudicis iniustitia, seu processus iniustus notorius non est, tum iterum distinguendum. Vel grauamen, quod Iudex inferre vult, est reparabile per appellationē. Hoc casu appellatio ad Superiorem interponi debet. Sin autem Iudex appellationem nō admittat, cùm debeat admittere (si videl. nullo rationabili prætextu vt friuolam reijcere possit) iniuriam notoriam infert, vt ei resisti possit. Sin autem grauamen, quod Iudex actualiter infert, non sit reparabile per appellationem; quia v. g. in causa criminali nō cōsuetum est appellationem admitti: vt si iniustè damnatus à Iudice ad mortem trahatur, non solùm ipse se defendere, vti expressè docet S. Th. 2. 2. q. 69. a. 4. in corp. sed etiam alij opem ferre, secundùm doctrinam Gl. in c. Non in inferenda, 7. causa 23, q. 3. Imò alios succurrere, & eripere posse, tametsi auxilium ipsorum non imploretur, tradit Bartolus in cit. l. prohibitum. Decius hîc n. 5. Felinus col. 2. & sumitur ex cap. 24. Prouerb. *Erue eos, qui ducuntur ad mortem.* Hæc tamen intelligi debent, per se loquendo, nisi maioris mali, aut scandali periculum timeatur, vti bene monet S. Th. cit. loc. Quare si Iudex secundùm publica allegata condemnārit hominem re ipsa innocentem, neque ipse per violentiam resistere, neque alij opem ei ferre poterunt; cùm ea res publicæ potestatis contemptum præ se ferat, & grauiscan-

scandalo non careat, vti dixi lib. 3. Th. mor. tr. 6. p. 3. c. 2. q. 1. in fine.

NOTANDVM II. Quamuis Iudicis auctoritate trãsactio aliqua in lite beneficiaria facta sit, non tamen inde consequens est, beneficium ad eum pertinere, cui adiudicatum est, vel cui Aduersarius voluntariè cessit. Ita hîc singulariter notat Barbatia col. 3. Quòd compositio, transactio, vel Iudicis sententia in causis beneficialibus (similitérque in matrimonialibus, de quibus Sanchez lib. 7. disp. 100. n. 13. & lib. 8. disp. 27. n. 39.) non conferat ius, ita vt aliquis ad opponendum ob contrarium probandum non admittatur. Ratio est: Quia beneficium Ecclesiasticum non potest absque canonica institutione obtineri, reg. 1. in 6. Quomodocunque igitur partes inter se componant, aut Iudex vel arbiter pronuntiet, si nõ præcessit canonica institutio, non acquiritur titulus beneficij. Præterquam si quis triennio cum bona fide in colorata possessione fuerit, iuxta reg. Cancell. 33.

Exemplum habes: Caius contra Titium inualidè, vti putabatur, in beneficio institutum, impetrauit mandatum Apostolicum, vt beneficium sibi conferatur. Iudex delegatus executus fuit, vel simpliciter conferendo impetranti, possessore remoto; vel per amicabilem compositionem grauando illũ, vt vnius vel alterius anni prouentus pristino possessori relinquat, iuxta ea, quæ dixi lib. 4. Th. mor. tr. 10. c. vlt. n. 58. His non obstantibus, si quis ostẽdere velit, impetrationẽ Caij subreptitiam fuisse, audietur, non obstante compositione, aut Iudicis sententia. Quandoquidem non per sententiam iudicialem, sed per canonicam, seu legitimam Superioris institutionem beneficij titulus acquiritur.

CAPITVLVM IX.

In literis.

PARAPHRASIS.

Postquam Iudex delegatus sententiam per se, vel per alium (veluti Ministrum suũ) executus est, vel alteri exequendam mandauit, seu delegauit, eius potestas, & iurisdictio cessat; cùm sit functus officio suo.

SVMMARIVM.

1. *Iudicis potestas & iurisdictio finitur, postquam sententia executioni mandata est, nisi hanc alteri v. g. Ordinario commisisset, ita vt eum subdelegatum suum constituisset, & is executionem iam cœpisset.*
2. *Si Iudex delegatus functus est suo officio, ita finita est eius iurisdictio, vt absque noua commissione assumi amplius non possit.*
3. *Iudex ordinarius à se latam sententiam, si ipso iure irrita non est, reuocare non potest: secùs est, si ipso iure irrita sit.*
4. *Affertur causa disparitatis in hoc inter Iudicem ordinarium & delegatum.*

NOTANDVM I. Potestas, & iurisdictio Iudicis delegati non finitur post latam sententiam; sed cùm sententia executioni mandata est. Præterquam si executionem alteri, v. g. Ordinario loci committat, ita vt eum subdelegatum suum (non merum Ministrum suum) constituat. Tunc iurisdictionem à se amouisse censetur. Id verò intelligi debet, si subdelegatus negotium exequi cœperit. Sin autem nondum cœpit, sed res integra sit, tum subdelegans executionem reassumere potest; quia iurisdictio nõ censetur efficaciter transijsse in subdelegatum, si eà vti non cœpit, c. quamuis. 6. eod. tit. in 6. Ita explicant hîc Abb. n. 2. Barbatia col. 2. Imola n. 4. & 5. licèt aliter sentiat Gloss. hic ver. præcepit. 1

NOTANDVM II. Si Iudex delegatus functus sit officio suo, finita est eius iurisdictio, vt assumi amplius non possit, absq; noua commissione. Quare docent hîc Canonistæ plerique, cum Innocent. n. 2. Dynus in reg. 21. in 6. Abb. in c. 1. n. 28. de re iudic. & alij apud Sanchez lib. 8. de matrim. disp. 27. n. 39. Quòd Iudex delegatus, postquam sententiam tulit, siue bene siue malè, non possit eam reuocare, aut iterum iudicare: quia functus est officio sibi com- 2

missio, argum. c. si compromissarius, 37. §. si verò eligat, de elect. in 6. & habetur expressiùs in l. si vt proponis, 4. C. Quomodo, & quando Iudex &c. vbi Legistæ aiunt; Si sententia à Iudice delegata nulliter lata sit, v. g. die festo, vel contra absentem non contumacem, finitam esse eius iurisdictionem, ideóque causam alterius Iudicis cognitioni committi posse.

Excipitur primò: Nisi delegati sententia ideo nulla sit, quia formam mandati non obseruauit. Tunc enim veluti non vsus iurisdictione sua censetur, vti Abb hîc notat n. 4. argum. l. quid tamen, 21. ff. de recept. arbitris.

Excipitur secundò: Nisi Iudex delegatus sit ad vniuersitatem causarum: quia is Ordinario æquiparari solet, secundùm Gl. in c. cùm causa, 62. ver. delegatus, de appellat. Zabar. Clem. 2. de rescript. q. 24. Felinus in rubr. de offic. delegati, n. 4. Nam exceptionem affert Barbatia hic, Imola n. 7. contra Decium n. 5.

Excipe tertiò: Quòd executor gratiæ, v. g. beneficialis, si ob iuris vel facti errorem prouisionem fecit, quæ irrita fuit, aliam validè facere possit, secundùm Innoc. in c. 1. ibid. Abb n. 28. de re iudic. Cùm enim gratia effectum consecuta non sit, ideóque permaneat, etiam executio eius permanere debet, arg. c. si super, 9. de offic. delegati in 6. Plures limitationes affert Decius, & Barbatia hîc.

3 Sed quid de Iudice ordinario, an sententiam à se malè latam reuocare, & denuò iudicare possit? Respondeo cum Innocent. hîc n. 1. Abb. n. 3. Dyno cit. loco, ac alijs. Vel sententia est ipso iure irrita, vel non est irrita ipso iure. Hoc casu eam reuocare non potest; quia nisi ab ea appellatum, ideóque iurisdictio ad Superiorem deuoluta sit, transit sententia in rem iudicatâ. Si tamen Iudex perperam iudicãdo partim damnum intulit, ad eius resartionem cogi potest, vti dixi in princip. c. 15. Sin autem ipso iure sententia irrita sit, videl. lata contra legem manifestam, potest eam reuocare, atque nouam sententiam pronuntiare, l. si præses, 6. C. Quomodo & quando. Quia, vt tradit Gl. communiter recepta in l. Iudex, 55. ff. de re iudic. quod nullum est, nullum effectum producit, argum. l. Si se, §. condemnatum, ff. de re iudic. & l. si expressim, 19. ff. de appellat. Potest tamen in hoc casu sententiæ nulliter latæ à Iudice inferiori, etiam Superior adiri, vt reuocata sententia, aliter iudicet, sicuti docet Bartolus in cit. l. si expressim, n. 34. vbi regulam affert n. 15. Sicuti appellatio deuoluit totam causam ad Superiorem, ita etiam nullitas sententiæ latæ deuoluere potest. Idque singulariter hic monet Abb. n. vlt. locum etiam habere in Archiepiscopo comparatione Coëpiscopi; si is sentẽtiam ipso iure irritam dixerit, tametsi ab ea appellatum non sit, posse nihilominus adiri per viam nullitatis: cùm hæc æquiualeat appellationi. Quæ est probabilis doctrina, quam hîc amplectitur Felinus n. 4. Sed displicet Decio n. vlt. argum. c. pastoralis; de appellat.

Quæret aliquis causam disparitatis inter ordinarium & delegatum; Cur iste officio suo functus censeatur, si sententiam, quamuis ipso iure nullam pronũtiauit; vel si alteri delegauit exequendam, ita vt eam reassumere non possit, si eam subdelegatus exequi cœpit, tametsi perficere nolit, aut non possit: Ordinarius verò non censeatur his casibus officio functus, vt ampliùs se immiscere nequeat. Respondeo, causam esse, quam indicat Felinus ex Baldo in cit. l. si vt proponis; Quia Iudex ordinarius ampliorem, magisq; stabilem iurisdictionem habet, quam alteri delegando, aut semel sententiam proferendo, saltem in habitu & radice retinet: Sed iudex delegatus censetur habere potestatem valde angustam, & restrictam, ita vt si semel egit, quod mandatum est, omni potestate ac iurisdictione exutus sit. Quæ res multùm etiam pendet ex iuris positiui constitutione.

* * * *
* * *

CAPI-

CAPITVLVM X.

Consultationibus.

PARAPHRASIS.

Titius asserens se à Caio Ecclesia Parochiali, alióue beneficio extra iudicium iniustè spoliatum, impetrauit à Papa rescriptum ad Iudices, quibus mandabatur, si eis constiterit, ita spoliatum fuisse, ei beneficium intra duorum mensium spatium restituant. Sed Caius studiorum, vel peregrinationis causa tunc aberat, vt intra dictum tempus Iudicibus se sistere non posset. Hoc casu tametsi Titius per testes idoneos ostendere paratus sit, se à possessione iniustè deiectum fuisse, restitui non debet: nisi Caius, qui tum possidet, per contumaciam se absentarit.

SVMMARIVM.

Contra reum absentem, non tamen per contumaciam, iudex non iudicat, licet possessionem probare volentem, etiam iudicio possessorio recuperandæ.

NOTANDVM Vn. Contra reum absentem, nisi contumax sit in comparendo, Iudex iudicare non debet, etiam iudicio possessorio recuperandæ. Exinde tamen per sensum contrarium inferre non licet; Quotiescunque reus in comparendo contumax est, ad sententiam definitiuam, vel quasi definitiuam procedi posse, quamuis lis contestata non sit: sufficit ad exceptiuam *nisi* tuendam, si quibusdam casibus, etiam lite non contestata, ad receptionem testium, & sententiam definitiuam procedi possit aduersus contumacem: Videlicet si Caius, qui in parochiam se intrusisse dicitur, post habitam Apostolicam literarum notitiam, fraudulenter se absentauit, atque per edicta citatus non compareat, vt Ecclesiæ parochiali prouisum sit, tum testes etiam contra absentem recipi, & si causa actoris liquida sit, possessio ei restitui potest, vti ex hoc c. colligitur, ex c. quoniam, 5. §. porrò, vt lite non contestata, &c.

Quæ verò hic Gl. ver. restitutionem, Imola n. 3. & seqq. & alij congerunt, ea pertinent ad cit. c. quoniam, §. In alijs.

CAPITVLVM XI.

Sanè.

PARAPHRASIS.

Delegatus Sedis Apostolicæ vices ipsius Pontificis gerit in causa sibi delegata: quamobrem maior, ac superior illis censeri debet, quorum causam terminandam suscepit; adeò, vt si Episcopus, vel alia quæuis persona, in causa illa rebellis, vel contumax fuerit, à Iudice delegato, secundùm facti qualitatem, seu suspensionis, seu interdicti, illata sententia, compelli possit: ita videl. vt temperatè procedens, Episcopo ingressum Ecclesiæ, vel officium sacerdotale interdicat, vel terram eius iurisdictioni specialiter subiectam, interdicto subijciat.

SVMMARIVM.

1. *Delegatus in iurisdictione sua vices delegantis gerit; vnde pari ferme honore dignus est.*
2. *Pœnæ sunt temperandæ secundùm facti & personarum qualitatem.*

NOTANDVM I. Eadem persona, quæ absolutè loquendo subiecta est alteri, secundùm quid, seu in certa causa potest esse Superior. Exemplum est: Si controuersia, quam Clericus cum Episcopo Augustano habet, à Sede Apostolica delegata sit Ecclesiæ Cathedralis Decano. Ita Abb. hic notat n. 3. Decius n. 2.

NOTANDVM II. Delegatus in iurisdictione sua vices delegantis gerit: quare pari ferme honore dignus est, vti sumitur ex c. vlt. d. 93. & notat hic Abb. n. 2. Ex quo tamen non rectè inferes, delegato iurisdictionis tantùm exercitium, seu vsum competere: quin imò iurisdictionem habet, eámque diuersam, quippe inferiorem & subiectam 1

iurisdictioni delegantis, vti constat ex l. vlt. ff. de iurisdictione eius, cui mandata est iurisdictio, & tradit Gl. in c. ait Prætor, 5. ver. non habent, ff. de sent. & re iudic. Quamobrem delegatus, sicut & legatus, honorandus quidem est tanquam repræsentans delegantem, cuius deriuata auctoritate ac potestate fungitur; nō tamen æquè honorandus, vt principalis, sicuti Barbatia hîc scribit col. 2. Decius col. 1. Tametsi enim potestatem aliquam delegans delegato impartiuit, tamen ampliorem sibi reseruauit.

2 NOTANDVM III. Pœnæ temperandæ secundùm facti, & personarum qualitatem; Ita vt Episcopo, quamuis contumaci, propter statûs, ac dignitatis excellentiam, non facilè pœna excommunicationis infligenda sit. Qua de re in c. 2. eod. tit. in 6.

Quod denique in hoc c. dicitur, quòd delegatus ob contumaciá vel rebellionem Episcopi, ficausæ grauitas exigere videatur, terram, quę ad iurisdictionē eius pertinet interdicto subijcere possit, id Abbas hîc n. 6. Barbatia col. 5. secuti Vincentium explicant locum habere, si terra temporali iurisdictioni subiecta sit, non item si spirituali. Alij communiter tenent contrarium, Felinus n. 2. Decius n. 5. Couar. in c. alma, p. 2. §. 1. n. 4. Suarez de censur. disp. 36. sect. 3. n. 7. post Archidiaconum in c. si sententia, 16. de sent. excommun. in 6. Sed mihi non displiçet sententia Abbatis. Eam enim indicant ver. c. Quòd delegatus terram ad Episcopi iurisdictionem *specialiter* pertinentem interdicto subijcere possit. Quasi diceretur, si terra alium dominum non habeat, sed Episcopi propria sit, tum interdiçi posse, propter Episcopi grauem contumaciam, arg. cit. c. si sententia, & c. 1. de postul. Prælator. Neque licet ita inferre in materia pœnali. Propter delictum Rectoris seu Domini temporalis interdictum terræ eius imponi potest: Ergo etiam propter delictum Rectoris spiritualis, seu Episcopi. Cùm illud iure expressum sit; hoc non sit: quare standum est regula communi, vt nemo propter alterius culpam puniatur.

CAPITVLVM XII.

Ex parte.

PARAPHRASIS.

Nicolaus ab Alexandro III. Pontifice literas impetrauit ad Episcopum Conuentrensem; vt Archidiaconatum primò in Ecclesia eius vacaturum conferret. Sed Rabanus, æmulus eius, alias ab eodem Alexandro literas ad Archiepiscopum Eboracensem, nulla priorum literarum facta mentione, attulit, quibus mandabatur, si Melchior Auunculus eius Archidiaconatum dimittere vellet, vt ipsi Rabano conferretur. Dubitabatur, vtri duorum impetrantium Archidiaconatus, cui Melchior absolutè cesserat, conferri deberet; respondit Pontifex, quòd priori: quia si memor fuisset priorum literarum, posterius mandatum non dedisset.

SVMMARIVM.

1. *Pontifex non præsumitur rescriptis suis derogare iuri alteri priùs concesso.*
2. *Obliuiscì is potest rescriptorum suorum, ita vt posterius emanet sine recordatione prioris.*
3. *Si dispositio generalis in certa specie verificari debet, dispositio posterior specialis ei non derogat.*

NOTANDVM I. Pontifex non præsu- 1
mitur rescriptis suis derogare iuri alteri priùs concesso, vti etiam colligitur ex c. quamuis, 18. de rescript. in 6. & l. 2. §. merito, & §. Si quis à Principe, ff. Ne quis in loco publico, & notat hîc Barbatia col. 1. Imola n. 1, & dixi lib. 1. tr. 4. c. 23. n. 27. in sublimitat.

NOTANDVM II. Transuersalis v. g. nepos auunculo, vel patruo suo immediatè succedere potest in beneficio: quia Pontifex dispensationis nullam mentionem facit; Ergo signum est, id iure communi concessum esse, vti apertè etiam colligitur ex c. 2. de arbitris,

bitris, & notat Imola hîc n. 1. Ratio reddi debet, quia inter collaterales minor est successionis necessitudo, quàm sit filij, aut nepotis erga ascendentem, iuxta ea quæ dicta sunt c. ad extirpandas 11. de filijs Presbyter.

2 NOTANDVM III. Pontifex obliuiscì potest rescriptorum suorum, ita vt posterius emanet, sine recordatione prioris; idque propter multitudinem & varietatem agendorum, ait Barbatia hîc col. 2. Licèt alioquin in facto proprio non præsumatur obliuio, nisi tempus diuturnum intercesserit.

Contra resp. Alexandri obijcitur: Rescriptum speciale derogat generali, tametsi de eomentionem non faciat, c. 1. de rescriptis. Atqui Nicolaus impetrauerat rescriptum generale de conferendo Archidiaconatu, qui primò in Ecclesia vacaturus esset. Rabanus verò rescriptum speciale, vt ad auunculi Archidiaconatum promoueretur, si vacaret: Ergo huius rescriptum derogare debebat priori. Resp. Maiorem esse veram, si speciale rescriptum non sit propriè oppositum generali, sed cum eo consistere possit, vti explicaui in cit. c. 1. In proposito autem casu rescriptum posterius propriè ac directè oppositum est priori, saltem secundùm determinationem euentûs, vti Gl. hîc notauit, ver. non obstantibus, & Abb. num. 6. Nam Nicolao mandatum erat conferri Archidiaconatum primò vacaturum: Primò autem vacabat Archidiaconatus Melchioris, per liberam eius renuntiationem: Ergo Pontifex directè repugnat, dum eundem Archidiaconatum alteri, videlicet Rabano, conferri iubet. Eodémque recidet, si dicas, prius rescriptum in effectu non esse generale, sed speciale. Quamobrem regulam tradit Abb. ex doctrina Bartoli in l. si domino 99. n. 1. ff. de
3 legatis 1. Si dispositio generalis in certa specie verificari debet, dispositio posterior specialis ei non derogat: quandoquidem etiam prior secundùm euentum specialis est. Exemplum: Si Papa Titio mandet conferri beneficium primò vacaturum in diœcesi; postea mandet Caio conferri primò vacaturum in ciuitate diœcesis; si accidat primitus vacare beneficium in ciuitate, debetur Titio, non Caio; nisi appareat, quòd Pontifex voluerit derogare iuri Titij.

CAPITVLVM XIII.

Ex parte.

PARAPHRASIS.

Si Iudici delegato à Papa certa procedendi, vel iudicandi forma præscripta sit, eo non obstante, exceptiones rationabiles admittere, & secundùm iuris æquitatem procedere debet: Nisi in literis exprimatur, vt nullæ exceptiones admittantur; quòd tamen Pontifex apponere non solet.

SVMMARIVM.

1. *Si Iudici delegato certa forma procedendi præscripta sit, non debet eam obseruare cum magno præiudicio partis.*
2. *Nihilominus debet procedere, ac iudicare secundùm æquitatem iure informatam, seu ita, vt legibus non repugnet.*
3. *Si casus lege definitus non est, Iudici, quod æquum ipsi videtur, arbitrari permissum est.*
4. *Vbi de contraria voluntate Principis non constat, iudex inferior rationabiles exceptiones admittere debet.*

NOTANDVM I. Si Iudici delegato certa forma procedendi præscripta sit, non debet eam obseruare cum magno præiudicio partis: quare exceptiones rationabiles admittere debet. Vt si Iudici tempus præfixum sit, intra quod causam definire debeat, Reus autem dilationem petat, quia propter grauem infirmitatem instruere causam non possit. Ratio est: Quia Pontifex non censetur præiudicare velle iuri partium, præsertim naturalis defensionis, c. super eo, 15. hoc tit. adeò quidem, vt quomodocunque, etiam impropriè, verba explicanda sint potiùs, quàm vt alterius iuri derogetur, sicuti hîc Decius docet num 4. exemplum afferens: Si Papa mandet Titio conferri beneficium, non obstante

stante collatione priùs alteri facta, explicandum esse de collatione inualida.

2 NOTANDVM II. Etsi certa forma Iudici delegato præscripta sit, nihilominus debet procedere ac iudicare secundùm iuris æquitatem. Quia Pontifex in rescriptis ad lites, quæ propriè ad iustitiam administrandam tendunt, non censetur derogare iuri communi, vti etiam constat ex c. causam quæ, 18. de rescriptis.

NOTANDVM III. Iudex procedere debet secundùm æquitatẽ, quæ iure informata est; seu ita, vt legibus non repugnet. Non enim *Iudex clementior lege esse debet*, sed eius verbis standum, Authent. de Iudicibus, §. oportet, iun. Gl. Si tamen casus lege definitus non
3 sit, tum Iudici, quod æquum ipsi videtur, arbitrari permissum est, c. vlt. de transact. in fine, iun. Gl. ver. æquitate.

NOTANDVM IV. Si Princeps scribat, in causa procedendum esse, nulla admissa exceptione, intelligi debet de exceptione irrationabili, aut quæ solùm ad prorogandum iudicium apposita videtur, de quo hîc videri
4 potest Barbat. col. 2. Sin autem expressè additum, nulla *quamuis rationabili* exceptione admissa, tum standum est formâ mandati, quando nullus dubitandi locus relinquitur: quia Princeps ex plenitudine potestatis iuri communi, aut partis derogare censetur. Quod in ciuilibus causis ob grauem causam facere potest, præsertim si aliud defensionis remedium parti litiganti supersit, præter id quod ei adimitur. Ita docet Barbatia hîc col. 6.

Exemplum habes: Si Papa causam Iudici committat, eo addito, vt recusari non possit, explicari debet de friuola & irrationabili recusatione: Sin verò addat, vt recusari non possit quantumuis rationabiliter, id seruari debet: cùm aliud remedium parti non desit, videlicet appellandi aut Iudicis officium implorandi.

* * *

CAPITVLVM XIV.

Quoniam.

PARAPHRASIS.

Alexander III. causam quandam delegauit Abbati Leicestriæ, & Abbati Vnicestriæ: mortuo isto, Abbas ille partes citauit, & cùm interim in locum demortui alius substitueretur, mandatum Apostolicum successori illi porrexit, & cum eo causam definiuit. Quærebatur, an id rectè factum fuerit, & sententia à duobus lata rata esse deberet. Affirmat Alexander Papa; Eò quòd delegatio Abbatibus sub nomine non propriarum personarum, sed dignitatum ac locorum facta sit.

SVMMARIVM.

1. *Delegatio facta dignitati, non expresso nomine proprio, transit ad successorem in dignitate, non autem administratorem, qui pro tempore ecclesiæ vacantis constituitur.*
2. *Si causa alicui commissa est expresse tum proprio nomine, tum dignitatis v. g. Henrico Episcopo Augustano committimus, in dubio censenda est personalis commissio, nisi ex aliis coniecturis voluntas delegantis cognoscatur.*
3. *Si commissio facta est intuitu Archidiaconi, v. g. dignitatis, ea amissa, non potest is causam cognoscere.*
4. *Potest autem eam cognoscere, si commissio facta est intuitu personæ; modò non ob crimen depositus sit.*
5. *Mandatum Principis censetur expeditum & efficax, etsi delegato nondum innotuerit, priuilegium è contrà & beneficium motu proprio concessum non censetur ratum ante acceptationem.*
6. *Commissio legato Sedis Apostolicæ facta sub nomine dignitatis, non transit ad successorem; transit autem illa, quæ facta est Vicario Episcopi.*

NOTAN-

NOTANDVM I. Si duobus Iudicibus causa delegata sit, adiecta clausula, *Si non omnes*, atque eorum vno impedito, vel mortuo alter solus procedere cœperit; cessante impedimento recuperat is, qui impeditus erat, aut successor eius iurisdictionem sibi commissam: quippe quam nunquam omnino amisisse censetur, quamuis suspensam habuerit. Ita notat hic Gl. ver. præfixit, & sumitur ex l. cùm alijs, C. de curatore furiosi, vbi curator datus furioso dilucida interualla habenti, nõ desinit esse curator, dum homo ille rationis vsu pollet, licèt eo temporis intervallo suspensa sit tutoris administratio, cùm ipsemet, cui curator datus est, omnia per se agere possit. Videri potest Decius hîc n. 3. in Gl. 1.

NOTANDVM II. Si delegatio, seu cõmissio alicui fiat sub nomine dignitatis, v. g. Episcopo Augustano, tum eo mortuo, vel renuntiante, ad successorem in eadem dignitate transit: Sin autem facta sit sub nomine proprio, Titio hanc causam committimus, ad successorem non transit. Simile quiddam docẽt DD. de beneficijs, ac priuilegijs Principum, quòd alia sint realia, videl. quæ intuitu loci, aut dignitatis data sunt, ac proinde ad successorem transeunt: alia verò personalia, quæ personæ intuitu concessa sunt; de quibus dicitur in reg. 68. *In omnibus causis id obseruatur, vt vbi personæ conditio locum fecit beneficio, ibi deficiente ea, beneficium quoq; deficiat.* Qua de re dixi lib. 1. tr. 4. c. 23. n. 4.

Hæc doctrina declaranda est: Primò, Quòd commissio vel priuilegium datum nomine dignitatis, transeat ad successorem in dignitate, tanquam qui æquali iure fungitur; non autem transeat ad administratorem, qui pro tempore Ecclesiæ vacantis constituitur. Quamobrem ex communi docet Abb. in c. verbum n. 9. de foro compet. Decius hîc n. 3. Quòd nec ad Capitulum vacante Sede deuoluantur ea, quæ Episcopo ratione dignitatis suę speciali iure data, aut commissa sunt. Veruntamen, si quę speciali iure delegata sint Episcopis, in ordinariam eorum iurisdictionem transeant, v. g. dispensandi atque absoluendi potestas in casibus Papalibus occultis, de quibus Trident. sess. 24. c. 6. de reform. ea ad Capitulum vacante sede transit, vt colligitur ex doctrina Felin. in c. eam te, 7. n. 17. de rescript. & tradunt Rodriq. tom. 1. regul. q. 61. a. 9. Sanchez lib. 8. de matrim. disp. 61. n. 10. contra Suarez in 3. p. tom. 4. disp. 41. sect. 2. n. 13.

Secundò: Quòd commissio facta intuitu dignitatis transeat ad successorem, tametsi res integra sit, seu causa nondum cœpta. Ita Abb. hic n. 3. Decius n. 3. & alij fermè communiter apud Sanchez lib. 8. disp. 27. n. 7. Quia siue res integra sit, siue cœpta, militat eadem ratio, quòd dignitas, & quæ ratione dignitatis competunt, ob mutationem personæ non mutantur, c. si gratioſe, 5. de rescript. in 6.

Tertiò: Vt cognoscamus, num dispositio, vel delegatio facta sit intuitu loci, ac dignitatis, an verò intuitu huius personæ; non ad sola verba attendere debemus, sed potiùs ad præsumptam voluntatem committentis vel disponentis, quatenus ea tum ex materia subiecta, tum ex adiunctis colligi potest. Quia præsumptionem vnam (quæ videl. ex verbis desumitur) alia maior & vrgentior superat, iuxta Gl. fin. in c. transmissæ. Qui filij sint legitimi. Et ita singulariter hîc notant Imola n. 23. Abb. n. 8. quam hîc sequitur Felinus n. 3. Beroius n. 83. communem esse ait Decius concl. 1.

Exempli causa: Si Papa expresso nomine dignitatis, Abbati alicui deleget causam aliquam adijciens rationem, quæ ad ipsum propriè spectat; vt quia in hoc genere ob diuturnam experientiam, ac doctrinam versatus esset: tum censeri potest personæ industria singulariter electa, arg. c. mandata, 6. de præsumpt. Addunt aliqui apud Sanchez cit. disp. 27. n. 15. Si delegatus sit amicitiâ vel sanguine coniunctus deleganti, quòd delegatio censeatur facta ex singulari affectione erga personam, vt ad successorem non transeat, arg. c. requisisti, 15. de testamentis, vbi habetur; Si Episcopo aliquid per vltimam voluntatem legatum sit, id factum præsumi non Ecclesiæ, sed personæ intuitu: contrarium verò præsumendum, si ab extraneo le-

gatum sit. Verùm rectè monet Sanchez cit. loco, discrimen apertum esse inter hos casus: quia in causarum delegationibus plerumq; non attenditur ad sanguinis, vel amicitiæ coniunctionem, sed ad auctoritatem, & peritiam, quæ plerumque etiam in successoribus reperitur. Legata autem specialiter fieri solent propinquitatis ratione. Simile quid docet Gl. in c. 2. §. sanè, ver. expresserit, de testam. in 6. Si testator hæreditatis executorē dixerit, vel scripserit Abbatem sancti Proculi, qui propinquus eius erat, affectione personæ id factum videri, vt ad successorem non transeat. Sed hæc præsumptio minùs certa videtur; cùm testamenti executores sæpenumero deputantur propter auctoritatem ac fidelitatem, quæ etiam in successoribus inesse solet.

Contrà verò ex materia subiecta cognosci quandoque potest, tametsi in rescripto expressum fuerit nomen personæ, tamen eâ mortuâ ad successorem, vel hæredem eius transire: Ita v. g. successor alicuius Prælati, vel hæres alicuius Comitis conueniri potest ex rescripto Principis, quod de pecuniario soluendo debito sub proprio nomine ad antecessorem datum fuit, vt dixi in c. significauit, 36. de rescript. & c. dilecti, 17. de foro comp.

2 QVÆRITVR autem I. Si causa alicui cōmissa sit, expresso tum proprio nomine, tum dignitatis, v. g. Henrico Episcopo Augustano committimus, num in dubio existimandum sit, commissionem factam esse personæ, an dignitati. Communiter fermè respondent, Bartol. l. more, in fine, ff. de iurisdict. Ancharanus c. si gratiosè, post medium, de rescript. in 6. Si nomen proprium præponatur, censeri personæ intuitu commissum; saltem si ea nota sit, vti distinguit Abb. hîc num. 8. & alij apud Imolam, hîc n. 23. Mihi verò magis placet, vt dicamus cum Imola, n. 25. si ex alijs coniecturis voluntas delegantis non cognoscatur, censendam esse personalem commissionem. Quandoquidem vniuersim verum est, quòd species determinet genus, siue ea antecedat, siue sequatur. Accedit, quòd appositio nominis proprij inutilis esset, & nullum effectum haberet, nisi commissionem faceret personalem. Verba autem rescripti aliquid operari debent, ait Sanchez cit. disp. 27. n. 20. Et videtur hæc doctrina colligi ex c. si is cui, 10. eod. tit. in 6.

QVÆRITVR II. Si commissio facta sit Archidiacono huius Ecclesiæ, is autem dignitatem amittat per resignationem aut promotionem, vtrùm nihilominus cognoscere eam possit? Resp. & dico I. Si commissio facta esse videatur intuitu dignitatis, ea amissa non potest causam cognoscere. Ita Innoc. hîc n. 1. Ioan. Andr. n. 4. & esse communem ait hîc Abb. n. 8. in fine, contra Ioan. Monachum, in c. statutum, n. 8. de rescript. in 6. vbi contrarium docet, si dignitas per promotionem amittatur. Ratio est clara. Nam talis commissio adhæret dignitati; ergo depositā dignitate amittitur, & ad successorem pertinet. Debet autem ampliari assertio, vt locum etiam habeat, tametsi causa cœpta sit, vti signatè monent Innoc. & Ioan. Andr. ll. cc. Sanchez cit. disp. 27. n. 24. & 28.

Dico II. Si commissio facta sit personalis, seu personæ intuitu facta, depositā dignitate, vel officio, (dummodò non ob crimen depositus sit, l. 2. ff. de senatoribus) eam exequi potest delegatus, tametsi causa nondum cœpta fuerit. Ita Gl. in c. statutum, 11. ver. canonicis, de rescript. in 6. ibidem Monachus n. 7. Ioan. Andr. n. 20. Cardinal. Zabarella Clem. 2. de rescript. q. 6. Decius hîc col. 6. Ancharan. in c. si gratiosè, prope finem, eod. tit. in 6. Tabiena ver. delegare, q. 12. n. 13. Flamin. de resignat. benefic. lib. 1. q. 11. n. 6. Ratio est: Quia sicuti priuilegium, ita & rescriptum personale personæ adhæret, & cum ea perpetuatur, dummodò statum contrarium seu incompossibilem non assumat. Atque Gl. illa communiter recepta; si tempore commissionis, seu datæ literarum delegatus capax fuerit, videl. in dignitate constitutus, tametsi tempore præsentationis resignarit, quòd eam exequi possit. Sed vice versa, si tempore præsentationis dignitatem obtineat, vel Ecclesiæ cathedralis canonicus existat, non item tempore commissionis, quòd com-

commissionem personæ, non dignitatis intuitu exequi non possit: quare in talibus initium spectandum est, arg. c. si eo tempore, 9. de rescript. in 6.

5 Corollarium. Ex hac communi doctrina sequitur, quòd mandatum Principis censetur expeditum, & efficax, tametsi delegato nondum innotuerit: In quo differt à priuilegio aut beneficio, quod motu proprio concessum est, & ante acceptationem ratum non censetur, vti dixi lib. 1. tr. 4. c. 23. n. 9. Ratio discriminis est: Quia priuilegium aut beneficium, cùm species quædam donationis sit, non debet dari inuito, sed consentienti: At verò Principis mandatum etiam nolentes obligat ad acceptandum, iuxta c. pastoralis, 11. de offic. Ordinarij, vt bene docet Felin. c. prudentiam, 21. §. adijcimus, hoc tit. Quare ita argumentari licet: *Factum legitimè retractari non debet, tametsi casus postea eueniat, à quo non potuit inchoari*, reg. 73. in 6. At verò Principis commissio constitit, ac rata fuit, tempore expeditionis literarum. Ergo tametsi commissarius postea ad statum deueniat, in quo ipsi commissio secundùm iura fieri non potest, si videl. dignitati, aut canonicatui Ecclesię Cathedralis renuntiauit, nihilominus commissionem exequi poterit. Quandoquidem dicta personæ conditio seu qualitas tempore commissionis faciendæ requiritur, non tempore executionis, c. statutum, 11. de rescript. in 6. Cæterùm si Canonicus delegatus à Sede Apostolica statum incompossibilem, seu contrarium Ecclesiasticis negotijs assumat, vt si vxorem ducat, tum commissionem exequi haud poterit, sicuti cit. locis docent Zabarella, Decius, Tabiena, Francus in cit. c. statutum n. 8. & alij. Sed quid si Religionem ingressus sit? Resp. Exequi eum posse; Nisi talis Religio sit, cuius instituto eiusmodi causarum expeditiones specialiter repugnent, iuxta ea quæ dixi in eod. c. statutum.

6 Qværitvr III. Si commissio legato Sedis Apostolicæ facta sit sub nomine dignitatis, vtrùm ad successorem eius transeat. Resp. negatiuè cum Abb. hic n. 11. Augustin. Beroio n. 102. & seqq. Felino n. 8. Quia Legatus pro arbitrio Papæ creatur, ac reuocatur, ideóque eius dignitas propriè non vacat, nec successorem habet. Sed alia ratio esse videtur de Vicario Episcopi: Cùm enim ordinarium ac veluti debitum sit, vt Episcopus Vicarium seu Officialem habeat: quamobrem Papa committendo causam Officiali, videtur ad officium eius, non ad personam respexisse, vti dixi c. 1. de offic. Vicarij, in 6.

CAPITVLVM XV.

Super eo.

PARAPHRASIS.

Ortâ controuersiâ inter Titium & Caium de iure præsentandi Presbyterum ad Ecclesiam Parochialem, Papa commisit causam alicui Abbati, hac forma: vt si constiterit ipsi, ius præsentandi ad partem alterutram pertinere, ad præsentationem eius de persona idonea factam, Ecclesiam illâ, appellatione remota, ordinet, seu prouisionem faciat. Dubitabatur hoc casu, vtrùm delegatus Episcopo inscio, aut Archidiacono, vel Archiepiscopo reclamante prouisum in possessionem mittere possit: Et si Episcopus, vel Archidiaconus, ad quem de iure institutio pertinet, contra delegatum instituere volentem appellet, vtrùm appellationi deferendum sit. Respondet Alexander III. Non esse Pontificis intentionem dictâ commissionis formulâ præiudicium generare Episcopo, Archidiacono, vel Archipresbytero: quamobrem si ad ipsorum aliquem institutio pertinet, præsentationem ipsi faciendam esse: Atque appellationem eorundem admittendam esse, si iuri suo præiudicium generari prætendant: cùm appellatio non eorum, sed partium contendentium respectu in rescripto Apostolico inhibita fuerit.

SVMMARIVM.

1. *Rescriptum Principis non ita intelligi debet, vt alteri præiudicium inferatur, nisi id exprimatur.*

2. *Executio latæ sententiæ à delegato iudice differri debet propter appellationem eius, cuius interest, ne executioni mandetur, nisi appareat, quòd malitiosè, aut solùm differendæ executionis causa interponatur.*

1 NOTANDVM I. Reſcriptum Principis non ita intelligi debet, vt alteri præiudicium inferatur, niſi id exprimatur. Ita etiam habetur in l. 2. §. ſi quis à Principe, ff. Ne quis in loco publico, & videri hîc poteſt Abb. n. 2. Decius col. 1. Vbi id ampliat, tametſi Princeps motu proprio, ſeu ex certa ſcientia reſcribat: Item, tametſi tantùm agatur de iure ad rem, & nondum plenè acquiſito.

Neceſſe tamen eſt, vt verba reſcripti aliquam, quamuis impropriam ſignificationem retineant Vt in caſu huius c. verba illa *Eccleſiam ordines*, ita explicari debent; cura, vt Eccleſia ordinetur, videl. per eum, qui ius habet. Quòd ſi autem reſcriptum, alium, quamuis improprium intellectum habere non poſſit, niſi vt aliquid agatur cum præiudicio alterius; tunc ſeruanda ſunt verba reſcripti, atque exiſtimandum Principem ex plenitudine poteſtatis derogare voluiſſe iuri tertij, præſertim ſi motu proprio, ſeu ex certa ſcientia promanauit. Sic enim ex recepta doctrina tradit Decius in c. quoniam, col. 5. limit. 2. hoc tit. Licèt Princeps in dubio non cenſeatur vti plenitudine poteſtatis, ſecùs tamen eſſe, ſi aliàs diſpoſitio eius aut reſcriptum inutile redderetur.

Sed quid ſi inſtitutio eius beneficij ad Pontificem tum pertinuiſſet, v.g. per deuolutionem, potuiſſétne delegatus præſentatum inſtituere vigore eorum verborum, *ordines Eccleſiam*. Reſponſio eſt affirmatiua apud Abb. hîc n. 5. Quia licèt reſcriptum Principis, quatenus partibus, vel alijs perſonis præiudicare poteſt, ſtrictæ interpretationis eſſe debeat, tamen amplam potiùs interpretationem meretur eum reſpectu ad ipſum committentem, vti etiam ſuprà dictum in c. 1. de officio Vicarij, in 6. Imò etiam ex textu colligitur, quòd delegatus inſtituere potuiſſet, vel in poſſeſſionem mittere, ſi is, ad quem de iure pertinebat, conſenſum dediſſet, ſaltem tacitum, vt quia ſciens id agi non prohibuiſſet, vti idem Abb. notauit.

NOTANDVM II. Executio ſententiæ latę à delegato Iudice differri debet, propter appellationem eius, cuius intereſt, ne executioni mandetur. Niſi appareat, quòd malitiosè, aut tantummodo differendæ executionis cauſa interponatur, vti Gloſs. hîc aduertit ver. tenebit. Quamuis hæc malitiæ præſumptio tolli poſſit, ſi opponens ſeu appellans incontinenti probationes offerat, iuxta Gl. in c. ſuſcitata, 6. ver. ſententiæ, de in integr. reſtitut.

CAPITVLVM XVI.

Cauſam.

PARAPHRASIS.

Cauſam diuortij inter duos coniuges Pontifex duobus Epiſcopis commiſerat: ij iudicarunt mulierem viro reſtituendam eſſe. Quod cùm factum eſſet, vir mulierem adeò flagellauit, vt in confeſſionem eruperit, inter ipſos conſanguinitatis impedimentum intercedere. Hoc intellecto, alter eorum Epiſcoporum iudicauit, illos ſeparandos eſſe. Sed Alexander III. poſtea declarat, ſententiam vnius Iudicis delegati, abſque ſocio pronuntiatam irritam fuiſſe, ideóque viro mandandum, vt vxorem ſuam recipiat, & maritali affectu tractet. Poſtea verò, ſi quis matrimonium accuſare, ſeu impedimentum eius oſtendere voluerit, ab eiſdem Iudicibus audiendum eſſe.

SVMMARIVM.

1. *Confeſſio graui metu extorta, non valet.*
2. *Si plures Iudices delegati ſint, non habent iuriſdictionem in ſolidum; vnde vnus ſine altero procedere non poteſt, niſi in forma commiſſionis aliter expreſſum ſit: ſecùs eſt in iudicibus ordinarijs, v. g. duobus conſulibus ciuitatis.*
3. *Si Iudex contra formam mandati iudicauit, ſententia irrita eſt.*
4. *Si in ſententia ferenda eandem mandati formam non ſeruauit, non cenſetur eſſe functus*

functus suo officio; vnde iterum iudicare potest.

1 NOTANDVM I. Confessio metu extorta non valet: Sed debet esse metus grauis, spectata conditione personæ metuentis. Minor enim requiritur in muliere, quàm in viro, ad hoc vt iustus, seu grauis censeatur, secundùm Gl. in c. cùm locum, 14. ver. metus, de sponsal. & dixi lib. 1. Th. mor. tr. 2. c. 6. n. 5. Vide quæ hîc scribit Barbatia, statim à principio.

2 NOTANDVM II. Si plures Iudices delegati sint, non habent iurisdictionem in solidum: Quare vnus sine altero procedere non potest, nisi in forma commissionis aliter expressum sit, vti dicam in c. cùm plures, 8. eod. tit. in 6. Qua de re infrà dicetur in c. prudentiam, 21. hoc tit. Secùs est in iudicibus ordinarijs, si plures iurisdictionem actualem habeant, v. g. duo consules in ciuitate: poterunt enim & simul, & seorsim iudicare, vti colligitur ex l. vn. ff. de officio consulis, vbi Bartol. n. 1. & 2. & Gl. in c. vt officium, 11. de hæret. in 6. Gl. in c. prudentiam, 21. ver. teneatur, ibid. Abb. de off. deleg. Idémque communiter docent de Iudicibus delegatis ad vniuersitatem causarum, v. g. duobus visitatoribus diœcesis, quòd habeant iurisdictionẽ in solidum. Quia eorum iurisdictio ordinariæ æquiparatur. Quæ est communis sententia apud Decium hîc, col. 4. Barbat. col. penult. arg l. 1. §. si plures, ff. de exerc. act. Quamuis repugnet Abb. hîc n. 7. arg. cit. c. vt officiũ: quasi ibi specialiter constitutũ fuerit, vt hæreticę prauitatis inquisitores (qui ad vniuersalem causarũ in hæresis materia delegati sunt) & simul, & seperatim cognoscere possint. Verùm ex textu non satis colligitur, id specialiter constitutum fuisse: cùm plura eo c. demandata sint, & hoc ipsum, de quo loquimur, à Pontifice speciali ter declarari potuerit, ne dubitationi locus esse posset.

3 NOTANDVM III. Si Iudex delegatus contra formam mandati iudicauit, irrita est sententia: Quare si eam executioni mandauit, deijciendo aliquem de possessione, ante omnia restituendus est spoliatus. Ita etiam habetur in c. cùm causa, 22. hoc tit. Et in c. conquerente, 17. de restit. spoliatorum, ex quo habetur, quòd etiam is, qui à iudice, ordinario aut delegato, ordine non seruato spoliatus est, ante omnia restituendus sit.

4 NOTANDVM IV. Si Iudex delegatus in sententia ferenda formã mandati non seruauit, non censetur esse officio suo functus: quare iterum iudicare potest. Ita colligitur ex hoc textu, & dixi etiam suprà cit. c. in literis, 9. not. 1. hoc tit.

CAPITVLVM XVII.

Causam.

PARAPHRASIS.

Controuersiam quandam, quæ erat inter Franciscum & Romanum, Alexander III. tribus Episcopis delegauit. Sed quia Franciscus vnum horum Episcoporum, tãquam suspectum sibi recusauit, eò quòd dominus esset dicti Romani, ideo Pontifex loco illius subrogauit Herfordensem.

SVMMARIVM.

1. *Iudex vt suspectus recusari potest, si suspicio seu causa recusandi probabilis afferatur.*
2. *Et potest recusari etiam vnus ex collegio iudicum, si consideratis circumstantijs probabile sit periculum peruersionis, aut iniustitiæ.*
3. *Iurisdictionem voluntariam dispensationis, legitimationis &c. potest exerceri erga familiares domesticos, consanguineos, filios etiam proprios.*

1 NOTANDVM I. Iudex vt suspectus recusari potest, si suspicio, seu causa recusandi probabilis afferatur, c. suspiciones, 39. hoc tit. & c. licèt, 10. de foro compet. Vel si ea iure expressa sit, vt hîc: Videl. Si Iudex sit dominus aduersarij, quocum contendere debes, vti etiam colligitur ex l. qui iurisdictioni, 10. ff. de iurisdict. omnium iudic. Quia censetur illum peculiariter dilige-

re, aut defendere velle. Nomine autem domini intelligitur quicunq; Superior, etiam paterfam. comparatione domesticorum suorum, vti hîc notant Abb. n. 2. & constat ex c. insinuante, 25. hoc tit. Decius col. 1. Barbat. col. 1. Sed limitationes aliquę afferuntur, vt videre licet apud Felinum hic n. 3. Prima: Si Iudex sit dominus partis vtriusque, vti colligitur ex c. ex transmissa, 6. de foro comp. quia par affectionis causa suspicionem affectionis tollit, ait Gl. in c. 1, ver. parentes, causa 3. q. 5. Secunda. Si contra iudicem, qui recusari possit, nihil excipiatur. Quam esse communiorem doctrinam, testatur Decius hîc n. 2. Idque similiter locum habet in testibus consanguineis, aut familiaribus accusatoris, & si reus nihil contra eos excipiat, eorum testimonium valere debeat, secundùm Gl. in cit. c. 1. Multò magis si quis domesticum conueniat coram domino, aut patre suo, is ius dicere poterit, teste Gl. in l. qui iurisdictioni, 10. ff. de iurisdict. Tertia. Si Iudex desijt esse dominus partis contendentis: quia cessat causa suspicionis. Quarta. Si tanta sit, & tam perspecta viri iustitia, vt omnem affectionis suspicionem tollere videatur, vt si sit Monachus Cistertiensis, ait Speculator super hoc tit. §. Superest, n. 7. & Commentator eius ibid. ver. lit. 1. Sed de hac limitat. non immeritò dubitat Decius in fine c. Quia cùm hæc causa recusationis iure expressa sit, præsumptio est pro recusante, quę difficulter infringi poterit per præsumptionem oppositam: cùm nemo fermè hominum adeò constantis virtutis sit, vt eius iudicium nulla singulari affectione aut amore inclinari possit: nam amor etiam prudentum iudicia peruertit. Videri etiam potest Specul. tit. de iudice delegato, §. Superest.

QVÆRITVR: Si vnus ex Collegio iudicum parti contendenti sit suspectus, vt quia ipsius inimicus est, an recusari possit. Et similis quæstio est de Candidato, an contra vnum ex Collegio Examinatorum vt suspectum sibi excipere possit. Ita affirmat Abb. hîc n. 2. quem sequitur ibi Gl. marginalis, & Felinus n. 1. Sed contrarium tenet hic Barbatia col. 1. Quia tametsi vnus è Collegio ex siniſtro affectu iudicaturus sit, præualebunt tamē aliorum plurium suffragia. Sed contrà est primò: Quia etiam in casu huius c. tres erant Iudices delegati, & vnus, qui suspectus esse poterat, remouebatur. Deinde, si tres, aut quatuor testes adducantur, etiam vnicus à principio, tanquam suspectus (vt quia inimicus v. g. est) recusari poterit, tametsi ex vnius testimonio sententia contra reum ferēda non sit, vti bene Felinus hic admonet. Negari enim non potest, quin malignus affectus etiā vnius ex Iudicibus, Examinatoribus, aut testibus homini periculum generare possit; cùm facilè sit ab vno etiam alios peruerti.

Arbitror itaque, veram esse Abbatis doctrinam, ita tamen, vt vniuersim locum non habeat. Quia consideratis circumstantijs, apparet quandoque, nullum esse periculum peruersionis, aut iniustitiæ, tametsi vnus v. g. ex vniuersitate Iudicum sit dominus aut consanguineus aduersarij, quocum litigas; vel vnus Examinatorum sit consanguineus, aut dominus eius, quocum procathedra contendis. Porrò iurisdictionem voluntariam v. g. dispensationis, legitimationis &c. nihil obstat, quò minùs aliquis erga familiares, domesticos, consanguineos, etiam proprios filios exerceat, vti ex communi hic notat Felinus, & Glossator marginalis.

CAPITVLVM XVIII.

Cùm te.

PARAPHRASIS.

Si delegatus à Papa aliquam causæ partem, seu articulum, v. g. inquisitionem, ac testium depositiones, vni aut pluribus Ecclesiasticis personis (vt laboribus, & sumptibus partium parcatur) subdelegauit, sententia sibi reseruata; hoc casu si contingat à subdelegatis Iudicibus appellari, per eam appellationem non suspenditur iurisdictio delegati.

SVMMA.

SVMMARIVM.

1. *A subdelegato delegati Papæ, qui subdelegauit causam non totam, sed aliquam eius partem, non ad Papam, sed ad delegantem appellãdum est, nisi huius iurisdictio fuerit impedita, v. g. diuturna infirmitate, absentiâ, &c.*
2. *Delegatus Papæ causam sibi commissam personæ Ecclesiasticæ vni, aut pluribus, non laicis delegare potest.*
Delegatus Principis aliis subdelegare non potest, nisi quibus Papa subdelegare solet, scil. in dignitate constitutis, aut Cathedralis ecclesiæ Canonicis.
3. *Si subdelegati in sententia ferenda inter se discordent, statur sententiæ partis maioris; si autem illorum duo tantùm sint subdelegati, tum neutrius sententia valet, sed ad delegantem principalem recurrendum, si subdelegatio in totum facta fuit.*
4. *Si subdelegati ab vno in sententia discordent ab altero delegato, recurrendum est ad subdelegantem, qui si in totum subdelegauit, non ad ipsum, sed ad subdelegantem primum recurri debebit.*
Debebit etiam in hoc casu maior pars subdelegatorum consentire in altero delegato.
5. *Expedit, vt Iudex ordinarius & delegatus articulum aliquem causæ, v. g. testium examinationem alteri committat, ne è longinquo euocari debeant.*

1 NOTANDVM I. Licèt, ordinariè loquendo, ad Papam appellari poterit, omisso medio, v. g. ab Episcopo statim ad Sedem Apostolicã, intermisso Metropolitano, argum. c. Ad Romanum 8. causa 2. q. 6. Limitari tamen debet: Si delegatus Papæ causam non totam, sed aliquam eius partem subdelegauit, hoc casu non ad Papam, sed ad delegantem appellandũ esse, vti etiam habetur in c. super quæstionũ, 27. §. porrò, hoc tit. Rationẽ dant Abb. hîc n. 1. Decius n. 1. Cùm enim Pontifex totam hanc causam delegato commiserit, ita vt vices ipsius gerat, frustraneum videri potest, si ad Papam appelletur, cùm in delegato Papalis potestas adsit. Abb. hic, n. 1. Sed excipi debet: Nisi iurisdictio delegati fuerit impedita, v. g. propter diuturnam infirmitatem, aut absentiam; aut si inutilis reddita per excomunicationem, aut mortem delegati, c. si cui, eod. in 6.

NOTANDVM II. Delegatus Papæ causam sibi commissam personæ Ecclesiasticæ vni, aut pluribus, non laicis delegare potest. Ita Gl. hic ver. à personis. Sed hodie prouisum est in c. statutum, 11. §. in nullo, de rescript. in 6. vt delegatus Principis alijs subdelegare non possit, nisi quibus Papa delegare solet, videl. in dignitate constitutis, aut Cathedralis Ecclesiæ Canonicis. 2

NOTANDVM III. Delegatus Principis causam subdelegare potest vni, vel pluribus. Sed quid si subdelegati in sententia ferenda discordẽt vel inter se, vel cum altero delegato. Respondeo & Dico I. Si subdelegati inter se discordent, statur sententiâ partis maioris: sin autem duo tantùm sint, qui concordare non possint, tum neutrius sententia valet, sed ad delegantem principalem recurrendum, si subdelegatio simpliciter siue in totum facta fuit, argum. c. vlt. de sentent. & re iudic. Tametsi enim textus ille loquatur de delegatis, eadem tamen ratio est de subdelegatis, sicuti hîc monet Decius prope finẽ. 3

Dico II. Si subdelegati ab vno in sententia discordent ab altero delegato, tum recurrendum est ad subdelegantem; si non in totum subdelegauit: sin autem in totum, ad delegantem primum, argum. cit. vlt. Quin imò necessarium est hoc casu, vt maior pars subdelegatorum consentiat cum altero delegato. Sin autem duobus existentibus subdelegatis vnus consentiret cum altero delegato, alter non consentiret: Hoc casu non valeret sententia, propter ea quæ in simili dixi in c. pastoralis, 14. de rescript. & videri hîc potest Abb. n. 5. Felinus n. 2. not. 2. de rescript. Quamobrem admonet hîc Ioann. Andr. consultum non esse, vt delegatus pluribus subdeleget, maximè si socium habeat, cum quo iudicare debeat: nisi illos subdelegatos in solidum constituat, sicuti in simili habetur c. 4

penult.

penul. princ. de elect. in 6. Alij tamen, vt Imola hîc n. 4. Abb. n. 3. hoc consilium non recipiunt.

5 NOTANDVM IV. Vt laboribus & expensis parcatur, expedit, vt Iudex ordinarius, vel delegatus articulum aliquem causæ, v. g. testium examinationem alicui committat, ne è longinquo loco euocari debeant. Quamobrem ex Petr. Ancharano referunt hîc Barbatia col. 2. Decius n. 3. Si Episcopus amplam diœcesin habens causam subditorum in loco nimis remoto ab illis cognosci velit, partes petere posse, vt alijs Iudicibus in propinquo delegetur; alioquin eos tanquam grauatos appellare posse. Id verò declarari debet, si causa magni momenti non sit, vti constat ex l. cùm post, 26. C. appellat. Secùs, si ardua, seu alicuius momenti, ita vt tractari debeat in loco, vbi peritorum copia est, iuxta c. statutum, 11. de rescript. in 6. Quare id frequens est, vt in causis non leuibus partes etiam è loco remoto ad Consistorium Episcopi citentur.

CAPITVLVM XIX.

Relatum.

QVæsitum fuit ex Lucio III Si causa ab antecessore eius Iudicibus delegata sit, & priusquam illi eam terminauerint, Papa mortuus sit, vtrùm in causa procedere possint. Respondet Lucius: Si lis ante obitum antecessoris contestata sit, morte eius non extinguitur mandatum, seu delegatio. Sin autem contestata non sit tempore obitûs, tum Iudices delegati in causa illa procedere non possunt.

CAPITVLVM XX.

Gratum.

PARAPHRASIS.

VRbanus III. de duobus consultus erat. Primum: Si Iudex delegatus per edictum partes citarit, ante delegantis obitum, sed lis post eiusdem mortem contestata sit, vtrùm Iudex in causa procedere possit, cognita delegantis morte. Alterum: Si Titius à Iudicis sententia appellauit, sed postea inducias petijt ad producendos testes, ac denique renuntians huic productioni, receptas attestationes publicari postulauit; vtrùm hæc agendo appellationem deseruisse censendus sit. Ad I. respondet Papa; Cùm per citationem causa sit veluti cœpta, potest Iudex, imò debet in ea procedere, ac definire: præsertim, si (tempore litis contestandæ) de obitu delegantis certus non fuerat. Ad II. respondet, Quòd Titius per ea, quæ narrata sunt, ab interposita appellatione recessisse censeatur.

SVMMARIVM.

1. *Mortuo delegante, si citatio iam facta, iurisdictio delegati perpetuatur; extinguitur autem, si citatis facta non sit.*
2. *Ad perpetuandam eiusdem delegati iurisdictionem sufficit citationem ab ipso emanasse, etsi ad partes non peruenerit.*
3. *Requiritur autem, vt citatio ab ipso delegato vel subdelegato facta fuerit; aliàs nunquam iurisdictio perpetuatur.*
4. *Iurisdictio ordinaria non expirat per mortem Principis, à quo concessa est, si ordinarius eâ vti non cœpit.*
5. *Mandatum à Superiore datum ordinario Iudici, aut Officiali, illo Superiore mortuo, mandatum non expirat, sed potest, re licèt adhuc integra, executum mandari.*
6. *Intelligi hoc debet in ordine ad iura, seu facultates, quæ per negotij inchoationem acquisitæ censentur; non item in ordine ad imponendam obligationem.*
7. *Si commissiones seu facultates habent rationem gratiæ seu beneficij acceptati, morte concedentis non expirant: secùs est, si habent rationem meri mandati, & negotium cœptum non est.*
8. *Iurisdictio contentiosa ad vniuersita-*

tem

tem causarum delegata, mortuo delegãte non expirat, postquam vnum earum tractare cœpit.

9. *Iurisdictio delegata, si nondum cœpta sit, non expirat per mortem delegantis, posito, quòd mors in eo loco ignoretur, etiamsi Iudex delegatus priuatim eam non ignoret; & in hoc casu acta valent.*
10. *Ita valent etiã dimissoriæ datæ à Vicario post mortem Episcopi publicè ignoratã.*
11. *Reuocatione nõ aufertur potestas delegati aut Vicarij, priusquã ipsi ea intimata fuerit ab ipsomet reuocãte, vel nomine eius per nunciũ, procuratorẽ, literas.*
12. *Quo signo cognoscatur, vtrùm alicui sit commissa iurisdictio ordinaria, an verò delegata.*
13. *Appellationi renunciare censetur, qui actum contrarium exercet.*

CONtra prius responsum obijcitur c. præcedens, quod directè contrarium est. Hæc cc. conciliare conatur Abb. hic n. 1. Imola n. 3. Sanchez lib. 8. disput. 28. n. 10. Sed mihi magis placet, quod Decius hîc ait, n. 1. & alij apud Abb. cit. c. 8. Præcedens Lucij III. responsum, ab Vrbano III. fuisse correctum. Pro cuius intellectu aduerte, quòd canones, quantum id fieri licet, ciuilibus legibus conformentur, c. 1. de noui operis nuntiatione. Legibus autem ciuilibus expressè statutum est, quòd iurisdictio delegata expiret per mortem, aut amotionem delegantis, si res integra, seu causa nondum cœpta sit; non item expiret, si causa cœpta sit, l. & quia, 6. ff. de iurisdict. Nam id vniuersim verum est, quòd mandatum morte mandantis, si res integra, seu negotium nondum cœptum sit, expiret. l. mandatum, 15. C. mandati. At verò ciuilibus legibus expressum satis non est, vtrùm iurisdictio delegata primùm per litis contestationem cœpta censeatur; an verò solam citationem. Nam prius illud non pauci affirmant, vt Bartol. in cit. l. Et quia, Gl. ib. ver. antequã, Gl. in cit. l. mandatum, ver. finitur, & alij apud Sanch. cit. disp. 28. n. 9. At verò Bartolus in ead. l. Et quia, & alij plures arbitrantur, etiã ciuili iure sufficere citationem à Iudice factã esse, vt iurisdictio cœpta & idcircò perpetuanda censeatur. Imò non pauci existimant, neq; citationem requiri; sed satis esse, si aliquis iudicialis præparatio antecessit, vt infrà dicam.

Hinc itaque orta est diuersitas decretorum, quòd Lucius III. priorem sententiam tãquam tutiorem secutus aliter responderit, quàm Vrbanus III. secutus sententiam posteriorem, quæ & benignior est. Igitur est

NOTANDVM I. Mortuo delegante, si citatio iam facta est, iurisdictio delegati perpetuatur: sin autẽ facta nõ est citatio, extinguitur. Ita hîc expressè docet Vrbanus III. Ratio est: Quia iurisdictio delegati per mortem delegantis non extinguitur, si illà vti cœperit; c. licet, 30 hoc tit. Atqui principium & fundamentum iudicij, seu contentiosæ iurisdictionis est citatio, §. vlt. Instit. de pœn. temerè iudicantium, iun. Gl. c. vlt. de off. legati, & docet Gl. in c. quoniam, 11. ver. citationes, de probat. Ergo &c. 1

NOTANDVM II. Ad perpetuandam iurisdictionem Iudicis delegati, sufficit, si citatio ab ipso emanârit, tametsi ad partes non peruenerit. Gl. magna communiter recepta in Clem. 2. Vt lite pendente, Abb. hîc & alij apud Sanchez lib. 8. disput. 28. n. 13. contra Cardinal. Zabarell. in cit. Clem. 2. oppositum. 6. Colligitur ex verbis huius c. *Propositio citationis edicto.* Nam olim citationes fieri solebant per edicta publica: sed hodiè fieri debent per literas, aut nuntium destinatum ad personam citandam: nisi fraudulenter lateat, vel impediat, quò minùs citatio peruenire queat, vel si locus aut domicilium tutò adiri non possit, deniq; quotiescunque nescitur, vbi sit, qui citari debet; tum publicis edictis locus est, Clem. 1. de iudicijs, & docet hîc Abb. n. 4. Robertus Maranta de ordine iudiciorum, p. 6. n. 82. Ratio autem traditę doctrinæ est: Quia citatio habet vim præcepti, quod quatenus à Superiore, seu Iudice procedit, effectum consecutum censetur, atque quatenus est ex se, potentiam obligandi continet; tametsi per accidens, videl. propter ignorantiã, non obliget, donec alteri intimetur, vti in simili dixi de legis obligatione in lib. 1. Th mor. tr. 4. c. 2. n. 1. 2

QVÆRITVR primò: Vtrùm iurisdictio delegata eo ipso perpetuari censeatur, etiam superueniente morte delegantis, quia delegatus alteri subdelegauit. Affirmant Hostiensis in cit. c. licet, Gl. in c. penult. ver. processum, eod tit. in 6. Syl. ver. delegatus, q. 6. Nam iurisdictio perpetuatur, cùm primùm delegatus eâ vti cœpit, cit. c. licet. Atqui eam subdelegando vtitur iurisdictione sibi delegata: Ergo &c. Et simili ratione aiunt Hostiensis & Syl. ll. cc. Barbatia c. relatum, col. 8. & alij apud Sanchez n. 8. si qualitercunque iudicium etiam extrinsecè, seu præparatoriè cœptum sit, vt si Iudex delegatus locum iudicio exercendo elegit, Notarium vocauit,
3 aut citationem fieri iussit. Sed contrarium est dicendum, nisi citatio ab ipso delegato, seu à subdelegato facta fuerit, nunquam perpetuari iurisdictionem. Ita Ioann. Andr. in cit. c. penult. n. 1. Dominicus col. 1. Felinus in c. relatum, n. 12. Sanchez. cit. disp. 28. n. 18. Ratio est: Quia delegare & subdelegare, sicuti & Notarium eligere non sunt actus iudiciales: quamobrem etiam extra territorium Iudicis ordinarij, aut delegantis fieri possunt, teste Felino l. c. consequenter per exercitium talis actûs non est cœptum iudicium. Confirmatur hæc doctrina ex c. penult. eod. tit. in 6. & c. vlt. de offic. legati. Ad argum. pro parte contraria resp. maiorem veram esse, si delegatus actum iurisdictionis intrinsecum seu substantialem exercuit; secùs, si extrinsecum, & accidentalem tantùm, cuiusmodi est subdelegare.

Corollarium. Si delegatus Principis causam subdelegârit, sicuti ei cõmuni iure concessum est, & postea re integra moriatur, superstite principali delegante, expirat potestas subdelegati. Secùs verò est, si alius delegatus subdelegauit per potestatem specialiter sibi à delegante concessam. Ita Sanchez n. 36. in fine. Ratio discriminis est: Quia in priore casu subdelegatus immediatè accipit potestatem à subdelegante: at verò in posteriore potiùs à delegante principali, cuius nomine & auctoritate subdelegatio, seu substitutio fit, arg. c. 1. de officio Vicarij in 6.

4 QVÆRITVR secundò: Vtrùm etiam iurisdictio ordinaria expiret per mortem Principis, à quo concessa est, si Ordinarius ille iurisdictione vti non cœpit. Responsio est negatiua, ex l. & quia, 6. ff. de iurisdict. & c. 2. de offic. legati, in 6. Ratio est, quam Abb. affert. in c. relatum, n. 4. hoc tit. Quia iurisdictio ordinaria à lege, aut Principe concessa, cùm primùm acceptata est, tanquam gratia seu ius quoddam adhæret personæ, conferens illi statum ac dignitatem Iudicis, ac Superioris. Gratia autem, ius, seu beneficium alicui à Principe concessum, morte concedentis non expirat, c. si super, 9. eod. tit. in 6. Ergo neq; iurisdictio ordinaria. Imò firmiùs radicata est ordinaria iurisdictio, quàm aliæ gratiæ Principis. Hæ enim ordinariè per morte Principis expirant, si cõcessæ sint ad beneplacitum concedentis, c. si gratiosè, 5. de rescript. in 6. Sed iurisdictio ordinaria tali formula concessa, per mortem Principis non extinguitur: Idque propter publicum fauorem, ait Sanchez lib. 8. disp. 28. n. 5. & plures refert, ac sequitur Menoch. de arbitrarijs Iudic. qq. casu 69. n. 9. At verò iurisdictio delegata cùm sit instar mandati, quod in gratiam mandantis fieri solet, potiùs censetur esse aliquid spectans ad mandantem, seu delegantem, quàm delegatum. Quousque iste causam aggredi cœperit, ex eo tempore iurisdictionis potestas veluti ossibus eius inhæret, seu, vt clariùs dicam: ex eo tempore, non antè Iudex esse incipit, vti colligitur ex c. quamuis, 6. hoc tit. in 6.

Corollarium I. Si quid à Superiore man- 5
datum sit ordinario Iudici, aut Officiali, illo mortuo, non extinguitur mandatum, sed potest executioni mandari, tametsi res integra sit. Ita intelligenda est doctrina Bartoli in cit. l. & quia, n. 5. Abb. in c. relatum, n. 9. hoc tit. ex Auth. Vt nulli iudicum, §. Et hoc verò iubemus. Aliorum apud Sanchez cit. disp. 28. n. 42. Ratio est: Quia tale mandatum censetur esse accessorium iurisdictioni, aut officio ordinario, iuxta c. licet, 12. de offic. ordinarij. Accessorium autem sequitur naturam principalis, argum. c. 9. hoc tit. in 6.

Corollarium II. Quod dictum est, man- 6
datum non extingui morte mandâtis, si negotium

gotium cœptum est, id intelligi debet in ordine ad iura, seu facultates, quæ per negotij inchoationem acquisitæ censentur: Non item in ordine ad imponendam obligationē. Quamobrem docent Syl. ver. mandatum, q. 3. Sanch. cit. disp. 28. n. 47. quòd præceptum Superioris, morte præcipientis omnino extinguitur, tametsi res integra sit: v.g. si Prælatus tibi præceperit, vt peregrinationē instituas, atque dum in via procedis, certior reddaris de morte illius, illico recedere potes, neque perficere cogeris. Si tamen tuâ interest, vt perficias, non prohiberis perficere, ne officium mandati à te susceptum damno tibi sit.

7 Corollarium III. In quibuscunque commissionibus, aut facultatibus considerandum est, num habeant rationem gratiæ, seu beneficij acceptati, tum non expirant morte concedentis: an verò habeant rationem meri mandati, & censeri debent expirare morte mandantis, si res integra sit. Hanc doctrinam tradidi lib. 5. Th. mor. tr. 6. c. 10. q. 4. Exempla plurima sunt: videl. Potestas absoluendi à casibus reseruatis, dispēsandi in impedimentis matrimonij, in votis, assistendi matrimonio, suscipiendi ordines ab Episcopo alieno, eligendi Confessarium, vescendi ouis, aut carne tempore Quadragesimæ, in beneficio non residendi, testamentum faciendi. Tales, inquam, facultates seu à Papa concessæ sint, seu ab alio potestatem habente, morte concedentis non extinguuntur; cùm sint gratiæ. Ita præter alios docet Henriq. lib. 7. c. 21. n. 6. Syl. ver. dispensatio, n. 11. q. 6. Quare si Papa v.g. committat Ordinario loci, alterive personæ, vt cum certa persona dispenset in matrimonij impedimento, si preces veritate nitantur, censetur gratia iam facta Titio, & Ordinario solùm executio demandari, quam is petenti negare non potest, etiamsi qui gratiam concesserat, mortuus sit, sicuti bene docet idem Henriq. n. 7. Sà ver. dispensatio n. 6. Sanchez cit. disp. 28. n. 87. Sin verò gratia facta non sit, sed facienda; quia commissum seu mandatum erat Ordinario loci, vt cum Titio causà cognitâ dispenset, si ipsi videatur, tum expirat mors mandantis, si causa cœpta non sit; secùs, si cœpta: Vt si Commissarius informationem de veritate precum acceperit, superueniente morte delegantis, causam exequi poterit, vti docet Sanchez cit. disp. 28. n. 20.

Simile quiddam est: Si Titius famulo suo mandauerit, vt Caio præsenti, & seu expressè seu tacitè consentienti 100. aureos donet, & ante executionem moriatur Titius, potest ac debet famulus exequi; cùm Caius ius suum exigere possit. Sin verò Titius famulo mandauerit, vt Caio absenti, & nondum acceptanti 100. aureos donet, sed ante mortem non exequatur, postea exequi non potest: quia mandatum morte mandantis extinguitur: Et donatio hæc nondum erat facta, sed facienda. Ita docet Baldus in l. & quia, ff. de offic. Proconsulis, Ludouic. Molina to. 2. disp. 263. 264. §. iuxta hactenus, & dixi lib. 3. Th. mor. tr. 4. c. 1. n. 5.

8 QVÆRITVR tertiò: Vtrùm iurisdictio contentiosa ad vniuersitatem causarum delegata, mortuo delegante expiret? Videtur esse negandum; quia iurisdictioni ordinariæ æquiparatur, vt dixi. Sed contrarium communiter docent DD. apud Sanchez cit. disp. 28. n. 34. argum. c. ne aliqui, 10. de hæret. in. 6. iun. Gl. magna, & dixi de hoc lib. 5. Th. mor. tr. 6. c. 10. q. 4. Ad rationem in contrarium respondet Abb. in c. relatum, n. 7 hoc tit. Non in omnibus æquiparari ordinariæ. Sed arbitror, faciliùs responderi posse; Iurisdictionem ad vniuersitatem causarum ordinariæ æquiparari, postquam ea in Iudicem delegatum transijt, ipsique plenè acquisita censetur. Adeò quidem, vt etiam in hoc casu, postquam Iudex ad vniuersitatem causarum delegatus, vnam causam tractare cœpit, iurisdictio eius etiam quoad alias nondum cœptas stabilita & perpetuata maneat; idque propter earum connexionem in ipsa commissione factam: Secùs enim foret, si plures causæ in commissione specificè expressæ fuissent, tum vnà earum cœptà, iurisdictio quoad alias non cœptas, morte delegantis cessaret, vti ex communi docet Sanchez cit. disp. 28. n. 27. argum. l. scire, 29. ff. de verb. obligat. Præterquam si causæ inter

se connexionem habeant; ita vt vna alteram secum trahat, iuxta l. vlt. C. de duobus reis, & notauit Abb. in c. licet, 30. n. 5. hoc tit. Exinde tamen nemo inferat, si cui à Papa, Episcopo vel Parocho commissa seu delegata sit facultas audiendi confessiones fidelium omnium, aut diœcesanorum, aut parochianorum, quòd mortuo delegante, facultas expiret, si delegatus eâ vti non cœperit. Contrarium enim asserendum, cùm hæc sit gratia, quæ morte concedentis non expirat. Qua de re lege, quæ dixi cit. c. 10. q. 4. n. 22. & docet Sanch. lib. 8. disp. 28. n. 72.

QVÆRITVR quartò: Vtrùm iurisdictio delegata, si nondum cœpta sit, ipso iure expiret per mortem delegantis, tametsi ea in loco, vbi iurisdictio exercenda est, ignota sit. Respondeo & Dico I. Parum aut nihil refert, vtrùm ipsemet delegatus mortem sciat, an nesciat. Ita ex communi docet Specul. tit. de offic. delegati, §. Restat, n. 5. Sanchez lib. 3. disp. 22. n. 59. resp. ad I. Cùm enim iurisdictio nondum inhæreat delegato, ideo cum suo auctore, videl. delegante expirat, siue sciat siue ignoret delegatus: præsertim cùm iura nihil distinguant.

9 Dico II. Si mors publicè in eo loco ignoretur, tametsi Iudex delegatus priuatim sciat, valent, quæ ab ipso acta sunt, argum. l. Barbarius, ff. de offic. Prætorum. Concurrunt enim hîc titulus coloratus, seu præsumptus, cùm literæ commissionis à legitimo Superiore, aut qui pro tali publicè habebatur, exhiberi possint, atque publica ignorantia, defectus, ex morte proueniens: quare, cùm impedimentum istud ex iure tantùm positiuo proueniat, ius supplere censetur ob publicam vtilitatem, iuxta ea quæ dixi lib. 1. Th. mor. tr. 4. c. 22. n. 9. Et ita contra Abbat. hîc. n. vlt. docet Sanchez cit. loco, post Flamin. Parisium lib. 7. de resignat. benefic. q. 24. n. 33. ampliat. 4. vbi idem docent de Episcopi Vicario, valere acta eius, si mors Episcopi publicè in eo loco ignoretur. Quod etiam tradit Henriq. lib. 6. c. 13. n. 3. lit. A. in comment. & lib. 10. c. 22. n. 3. in
10 comment. lit. P. qui loquitur de dimissorijs datis à Vicario post mortem Episcopi, publicè ignoratam. Idémque eadem ratione dicendum, si potestas delegati, vel Vicarij reuocata sit, sed reuocatio publicè ignoretur, vti docet idem Sanchez & Flaminius locis citat. Anastasius Germonius de indultis Cardinal. §. Tibi quoad vixeris, n. 63. Imò 11
hoc peculiare est, quòd reuocatione non auferatur potestas delegati, aut Vicarij, priusquàm ipsi intimata fuerit ab ipsomet reuocante, seu nomine eius per missum nuntium, procuratorem, literas, vti ex communi tradit Rebuffus in praxi benefic. tit. de forma vicariatus, n. 212. Sanchez lib. 3. disp. 30. n. 11. & seqq. argum. l. si fortè, 17. ff. de off. Præsidis, iun Gloss. ver. cognouerit aduenisse.

QVÆRITVR quintò: Quo signo cognosci 12
possit, vtrùm iurisdictio alicui commissa, sit ordinaria, an delegata? Respondeo ex doctrina Bartoli in l. & quia, n. 8. ver. iuxta hoc, ff. de iurisdict. Abb. in c. relatum n. 5. hoc tit. Vel committitur causa vna, vel plures specificè ac determinatè, & censetur esse iurisdictio delegata. Vel committitur vniuersitas causarum à Principe: & censeri debet ordinaria, nisi aliud exprimatur, vel ex adiunctis colligatur esse delegatam, vt si Princeps dicat, *auctoritate nostra cognoscas*. Vel denique causarum vniuersitas committitur ab inferiore, videl. ab Episcopo, & distinquendum, vtrùm fiat ex lege, aut consuetudine vim legis habente, aut ex electione vniuersitatis. Qua ratione in diœcesibus Parochi, Archidiaconi, vel Archipresbyteri seu Decani cum certa iurisdictione eorum officio annexa ab Episcopis instituí debent, & eorum iurisdictio ordinaria est, iuxta l. & quia, iun. Gl. ver. nec legem, ff. de iurisdict. Vel denique instituuntur ab homine, videl. ipso Episcopo, designante illis iurisdictionem arbitratu suo, & censeri debent delegati. Quandoquidem inferior Papa Iudices ordinarios in foro externo, aut interno instituere non potest, vti etiam dixi suprà.

QVÆRITVR sextò: Si delegans in excommunicatione, aut suspensione sit, non tolera-
tus, vtrùm iurisdictio delegati cesset. Resp.
cum

cum Host. & Dominico in c. 1. col. 2. de offic. Vicarij in 6. Tabiena, ver. Vicarius, n 8. Abb. in c. licet, 30. n. 8. hoc tit. Sanchez lib. 3. disp. 30. n. 7. Non omnino cessare, sed suspendi iurisdictionem delegati, quoad negotia nondum cœpta. Sed quoad negotia cœpta radicata est iurisdictio in delegato: quamobrem non suspenditur per inhabilitatem delegantis: in quo differt iurisdictio delegati à iurisdictione Vicarij generalis, quippe cùm diuersa non sit ab Episcopi iurisdictione, vti dixi in c. 1. de offic. Vicarij, in 6.

13 NOTANDVM II. Appellationi interpositæ censetur quis renuntiare, si actum appellationi contrarium exerceat: vt si inducias petat ad respondendum obiectis, vel testium publicationem fieri. Idémque est, si Iudicem quis recusarat, & postea tale quippiam ab eodem petat, censetur iterum consentire in Iudicem, adeóque reuocare recusationem. Cæterùm si grauatus, post grauamen illatum, coram Iudice litigare pergat, non censetur renuntiare appellationi interponendę: quia fieri potest, vt de ea deliberet. Vide Gl. hic ver. recessum, Abb. n. 6. Decium n. 4.

CAPITVLVM XXI.

Prudentiam.

PARAPHRASIS.

Inter alia ex Cœlestino III. quæsitum fuit: Si causa tribus Iudicibus commissa sit, ita, vt si omnes interesse nequeant, duo exequantur, vtrùm reus comparere teneatur, quando à duobus tantùm citatus fuit. Præterea, si à tribus Iudicibus citatus comparuerit, vtrùm duo in causa procedere possint, si tertius nec veniat, nec per literas, vti fieri solet, se excuset. Respondet Papa, Nisi duobus Iudicibus seu ex certo nuntio, vel excusatore cum literis destinato, aliunde constiterit, quòd tertius adesse non possit (vel nolit) duo illi procedere haud possunt: si procedant, acta irrita erunt. Nam ex antiqua consuetudine Pontifex mauult causam committere duobus, quàm vni; tribus, quàm duobus: quia integrum magis iudicium æstimatur, quod plurium sententijs confirmatur. Quare si aliter, quàm ipsis mandatum. Iudices procedant, præter formam mandati iudicare censendi sunt.

Atque per hoc etiam satisfactum videtur primæ dubitationi, vti hîc Gl. magna in fine annotauit. Si enim Iudices duo sine tertio procedere non possint, sequitur quòd citatus à duobus tantùm comparare non teneatur, cùm ius citandi non habuerint. Nisi in citatione exprimant impedimentum, aut excusationem tertij: tum fidem habere debet citatus, atque comparere, vti Abb. hîc docet n. 17.

SVMMARIVM.

1. *Plures iudices ad terminandam causam delegati non habent iurisdictionem in solidum, nisi id in forma exprimatur.*
2. *Vnde si duo iudices absq; tertio iudicassent; tertius postea acta ratificare non potest.*
3. *Si plurium cognitio, vel consensus, aut similis forma seu conditio requiritur ob fauorem priuatorum, ij, quorum interest, renunciare possunt; non item, si conditio ob publicum fauorem apposita sit.*
4. *Delegatus compelli potest ad acceptandam delegationem; & si nolit, puniri potest à delegante, vel ab immediato etiam suo Ordinario.*
5. *Si reus coram delegato obijcit excommunicationem actori, quam non probat intra tempus debitum, auditur actor.*
6. *Si verò de excommunicatione constiterit, delegatus absoluet actorem, nisi ob aliam causam, quæ in iudicium non deuenit, excommunicatus fuerit: tunc ad excommunicatorem remittendus erit, qui si malitiosè nolit, delegatus Papæ eum absoluet, in commodum partis, non autem eius proprium.*
7. *Absolutus à delegato, posita cautione, ob causam, pro qua fuerat excommunicatus, ab excommunicatore compellendus*

erit ad satisfaciendum; sin autem is nolit, ab ipso delegato.

NOTANDVM I. Si plures iudices ad causam terminandam delegati sint, non habent iurisdictionem in solidum, nisi id in forma exprimatur. Qua de re in c. cùm plures, 8. eod. tit. in 6.

Sed contrà obijci potest, quòd iurisdictio sit indiuisibilis, secundùm Gl. hîc ver. teneatur, Abb. n. 6. Gl. in c. loquitur, 18. ver. in solidum, causa 24. q. 1. Ergo non potest pluribus partialiter competere. Resp. Dictum illud duplicem declarationem requirit.

Prima est. Tametsi iurisdictio secundùm se diuidi nō possit, ita vt pluribus secundùm diuersas sui partes competat: potest tamen pluribus ita competere iurisdictio, vt eam singuli totam habeant, sed non totaliter. Quemadmodum, ait Gl. cit. si plures vnam trabem furentur, quam vnus auferre nequit, singuli totam furantur, licèt non totaliter.

Pro cuius rei pleniore intellectu sciendum est, ex doctrina Abb. hîc n. 6. & seqq. Decij n. 7. Vel iurisdictio aut similis potestas v. g. præsentandi, Doctores creandi, competit pluribus collegialiter, tunc singuli iurisdictionem, aut potestatem illam non exercent, sed Collegium: Quamobrem sententia aut decretum eorum non valet, nisi sit ex consensu maioris partis Collegij legitimè congregati, l. quod maior, 19. ff. ad Municip. Quòd si autem obijciatur, reliquam partem, quæ non consensit, saniorem esse, etiam de hoc cognosci debet, vti Gl. margin. notauit in l. quod maior, 19. ff. ad municip. Abb. hîc n. 10. Quamuis Decius hîc dicat, in profanis, seu non Ecclesiasticis causis semper sufficere, quòd pars maior Collegij consenserit. Vel iurisdictio, aut similis potestas competit pluribus vt singulis, tunc differentia est: Quòd interdum eis competat totaliter, seu in solidum: vt si sint duo generales Vicarij Episcopi, hi tum simul, tum seorsim causas cognoscere possunt. Quòd si vnus præoccupet, alter se immiscere nequit, nisi illi, qui cœperat, impedimentum incidat, vti notat Bartolus in l. 1. ff. de offic. consulis, Abb. hîc n. 11. Barbatia col. 11. constat ex c. cùm plures, 8. hoc tit. in 6. vbi plures iudices à Papa delegantur, sub ea forma, vt coniunctim & diuisim procedere possint, ideóque detur locus præuentioni. Idémque dicendum de pluribus tutoribus, quòd singuli administrationem habent in solidum; ita vt vnus sine altero pupilli negotia gerere possit: præterquam si de eo agatur, vt tutela finiatur, l. vlt. C. de auctor. præstanda. Denique idem dicendum de pluribus hæredibus, quòd ante factam diuisionem, in oppida & castra habeant iurisdictionem in solidum; quamuis vnus sine altero statuere aut immutare non possit cum illius incommodo, vti hîc Abb. docet n. 12. post Bartol. in l. Pomponius, ff. de re iudic. quam doctrinam examinat Barbatia col. 30. Interdum verò iurisdictio, seu potestas competit pluribus, ita vt singuli totam habeant, sed non totaliter, vt initio dixi.

Altera declaratio est. Licèt iurisdictio secundùm se diuidi nequeat, tamen per accidens diuidi potest, videl. ratione temporis, aut loci. Exemplum primi: Si duo Consules ciuitatis alternis annis officium administrent, seu iurisdictionem exerceant. Hoc casu officium, seu iurisdictio consulis per accidens diuiditur in ordine ad exercitium, secundùm varia tempora. Secundi: Si territorium ex hæreditate fratribus proueniens inter ipsos diuidatur, consequenter etiam iurisdictio in ordine ad loca illa diuiditur. Potest autem talis diuisio semper institui, nisi terra vinculo primogenituræ astricta sit, aut ex feudi specialis concessione, aliáue dispositione hanc conditionē habeat, vt indiuisa maneat. Qua de re Abb. hîc n. 13. Felin. n. 3. Lud. Molina tom. 3. de iust. p. 1. disp. 581. Porrò admonet Felinus n. 5. Quandoquidem communio, præsertim in iurisdictione exercenda, discordias ponere solet, ideò quandoque cogi posse socios ad talem diuisionem instituendam.

NOTANDVM II. Duo modi sunt, quibus aliquid denuntiari alteri possit, vt is fidem habere debeat: Videl. per nuntium certum, ac fidei probatę, cuiusmodi potissimùm esse solent officiales iurati. Et per literas sigillo

gillo proprio, seu authentico munitas. Ita notat hîc Barbatia col. 42.

2 Quærit hic Gl. Si duo Iudices absque tertio procedant, vtrùm tertius postea ratificare possit acta. Videtur affirmandum arg. c. quod sicut, 28. de elect. vbi dicitur, quòd Capitularis contemptus, seu non vocatus ad electionem, eam, si rescindere nolit, ratificare possit. Sed bene respondet negatiuè: quia quod ab initio nullum est, non potest postea conualescere, reg. 29. ff.

Sed vt hæc quæstio, An consensus subsequens sufficiat ad confirmandum, seu ratificandum actum præcedentem, plenius tractetur, ita dicendum videtur: Vel actus propter defectum consensus omnimodè, seu omni iure irritus est: Et tum consensus subsequens non potest actum efficere validum; cùm ad præteritum non detur potentia. Si v.g. Confessarius non approbatus, vel non expositus pœnitentes absoluit, non potest Episcopus, vel Pontifex postea, quod actum est, ratum habendo, absolutionibus valorem tribuere, sicuti docui lib. 1. tr. 4. cap. 22. n. 8. Excipe: Nisi specialis fictio, aut dispositio iuris subueniat. Quo modo si quis meo ignorantis nomine quippiam egerit, possum deinde ratum habere, perinde ac si initio mandassem, iuxta reg. 10. in 6. *Ratihabitionem retro trahi, & mandato nō est dubium æquiparari.* Vel actus aliquo modo, v. g. spectato naturali iure, validus est, licèt secundùm ius positiuum irritus. Tunc ad duo potissimùm attendi debet. Primum est. Vtrùm actus, qui ob defectum præstiti consensus, iure positiuo irritus est, subsit adhuc potestati, ac dispositioni eius, qui consensum postea supplere, seu ratificare cupit. Nam hac ratione docent DD. Quòd Capitulum rata habere possit, quæ à Prælato non requisito eius consensu acta sunt, vti dixi lib. 3. tr. 4. c. 10. n. 4. Prælatus quoque nouiter electus, contractus, quos Capitulum vacante Sede instituit, si Ecclesiæ expedire videantur, ratificare, vti dix lib. 1. tr. 4. c. 7. n. 15.

Quamobrem generalem regulam tradit Abbas hîc num. 19. ex Innocent. num. 7. Si omissio alicuius conditionis, vel solemnitatis ex mea potestate non dependentis efficiat actum ipso iure nullum, non possum eum postea ratificare: secùs si pendeat à mea potestate. Quare sententiam nulliter latam v. g. die feriato partes ratificare non possunt, vt valeant tanquam sententia; quáuis possint, vt valeat in vim parti seu transactionis, ait hîc Decius n. 20. Sed Papa potest ipsam sententiã ratificare, & approbare.

Alterum est, ad quod attendi debet. Vtrùm plurium cognitio, vel consensus, aut similis forma, seu conditio requiratur potissimùm ob fauorem priuatorum: tum ij, quorum interest, renuntiare possunt; adeò vt si nihil contra actum vel processum opponatur, adeóque tacitè consentiant, validus censeri debeat, arg. c. vlt. §. is autem, hoc tit. Secus, si conditio ob publicum fauorem apposita sit, vt in casu proposito: quia sæpè expedit magis Reipubl. vt causæ à pluribus iudicibus cognoscantur, vti bene docet Abb. hîc cit. n. 19. contra Innoc. n. 4. Quare patet etiam responsio ad c. quod sicut: Nam quòd omnes, nemine prætermisso, ad electionem vocari debeant, id principaliter decretum est ad iura ipsorum Capitularium tuendum: cùm alioquin ad valorem actorum sufficiat duas partes curiæ aut Capituli congregari. 3

§. Adijcimus.

SI in rescripto adiecta sit clausula, *Si non omnes poteritis, tum duo, aut vnus procedat*; tum si vnus aliquis, vel plures eorum, tametsi possint, tamen interesse nolint, alter vel reliqui in causa procedere possunt. Ratio est: Quia licèt noluntas non sit impossibilitas ex parte nolentis, est tamen ex parte coiudicis, qui cum nolente causam cognoscere non potest, vt rectè aduertit Abb. n. 2.

NOTANDVM Vn. Delegatus compelli 4
potest ad acceptandam delegationem. Ita etiam habetur in l. vn. C. Qui pro sua iurisdict. Id verò declaratur, si sit subditus delegantis, iuxta c. pastoralis, 11. de offic. Ordinarij. Secundò: Si sine graui suo detrimento possit: alioquin, ordinariè loquendo, non censetur Superior subdito mandare velle, quod sine graui rei familiaris periculo exequi non possit.

sit, secundùm Gl. ver. cùm possit. Si tamen Princeps ita declaret, etiam grauia iubenti obediri debet, arg. c. 3. d. 19. dummodò non sint impossibilia de iure, aut de facto.

Quærit hîc Gl. ver. redarguendus, Quisnam Superior punire debeat delegatum, si mandatum Apostolicum exequi nolit; Et respondet, quòd delegans, ad quem ea causa pertinet. Eámque Gl. communiter receptam esse, ait Imola hîc n. 40. Quamuis Abb. hîc in fine velit, quòd etiam ab immediato suo Ordinario, perinde vt alij criminosi puniri possit, eò quòd mandatum Superioris sui exequi contempserit.

§. Sexta.

5 IID quoque quæsitum fuit ex Cœlestino III. Si coram delegatis Iudicibus reus Actori excommunicationem obijciat, ob quam in iudicio is stare impediatur, vtrùm actor nihilominus audiendus sit, quando reus quod obiecit, statim probare non vult, aut non potest. Ad hoc respondet; Si Reus obiectionem, seu exceptionem illam Actori de excommunicatione eius oppositam statim, vel intra terminum competentem (videlicet octo dies postea, cap. 1. de except. in 6.) non
6 probauerit, Actorem audiendum esse. Verùm si ex confessione eiusdem Actoris, aut aliàs legitimè constiterit de excommunicatione illius post Apostolicum rescriptum incursa, tum à Iudicibus delegatis absolui debet: quia Pontifex ipsis causam delegando etiam alia commisisse censetur, quæ accessoria sunt, & ad causæ expeditionem necessaria. Sed excipitur primò: Nisi Actor ob aliam causam, quæ in iudicium non deuenit, excommunicatus fuerit, tum ad auctorem excommunicationis, Iudicem ordinarium, vel delegatum pro absolutione mittendus erit: qui si absoluere per malitiam recusset, tum delegati Iudices secundùm formam Ecclesiæ absolutionem conferant. Secundò: Nisi excommunicatio Sedi Apostolicæ specialiter reseruata sit.

NOTANDVM I. Reus Actorem repellere potest obijciendo illi excommunicationem maiorem, propter quam in iudicio stare non possit: quandoquidem excommunicatio priuat hominem forensi seu iudiciali communicatione, vti dixi lib. 1. tr. 5. p. 2. c. 4. n. 14. Quare necesse est, vt Actor excommunicatus, excipiente contra illum Reo, aut repellatur à Iudice, aut (si iudicet causam terminandam esse, v. g. ad mandatum Papæ) absoluatur abeo, ad quem vt auctorem pertinet. Veruntamen, si absolutio (vt sæpè fit) conferatur homini non absolutè, sed tantùm ad præsentem actum iudicialem exercendum, cuius alioquin incapax esset, illam Iudex delegatus semper conferre poterit, cùm eà re excommunicatoris iurisdictioni nihil omnino præiudicet; siquidem quoad alia omnia, adeóque absolutè loquendo, hominis excommunicatio permanet, vti constat ex ijs, quæ dixi lib. 1. tract. 5. p. 1. c. vlt. n. 8. & quæ tradit Abb. in c. veniens, 18. n. 18. de testib. Suarez de censur. disp. 7. sect. 8. num. 19. & 20.

NOTANDVM II. Tametsi Iudex delegatus etiam quæ accessoria causæ sibi commissæ sunt, expedire possit, iuxta c. præterea, 5. hoc tit. duplex tamen est limitatio. Prima. Quòd quæ specialia sunt, seu specialem commissionem exigunt, ea expedire nequeat: Quamobrem, vt in hoc c. dicitur, Iudex delegatus actorem absoluere non potest ab excommunicatione Papæ reseruata. Quod intelligit hîc not. 5. Si excommunicatio ob aliam causam, quę delegata non est, contracta fuerit.

Altera. Si quod expediri debet, ad causam delegatam propriè ac directè non spectat, sed ad alterius iurisdictionem, ac potestatem: tum is moneri priùs debet, vt officium præstet: sin autem malitiosè recuset, tum ob necessitatem ad ipsum delegatum potestas deuoluitur. Vt in casu huius Capituli; Si actor causam delegato Papæ prosecuturus dicatur excommunicationem Episcopalem incurrisse, ad Episcopum, tanquam auctorem & proprium Superiorem mittendus est, vt absoluatur, præstita cautione, seu promissione parendi mandatis Ecclesiæ. Quòd si Epi-

Episcopus absoluere malitiosè recusat, tunc delegatus absoluere eum poterit.

Sed quid? si Episcopus ideo non absoluat hominem, quia dignus non est, videl in pertinacia persistens. Resp. Hoc casu neque delegatus absoluere potest absolutè; sed vel repellere debet actorem, & Pontificem de statu causæ informare; vel, si necessitas postulet, vt causa v. g. matrimonialis terminetur, tum hominem absoluere potest ad reincidentiam, id est, tantùm ad præsentem actum iudicialem exercendum, ita vt postea is in eandem excommunicationem reincidat. Nam tali absolutione, seu potiùs habilitatione aut dispensatione nihil præiudicatur iurisdictioni excommunicatoris, cùm quoad alia omnia, adeóque absolutè, excommunicatio hominis permaneat, vti constat. Dixi autem, si necessitas id postulet: Sed, ordinariè loquendo, verum est, quod Decius hîc docet not. 4. Licèt testis ad reincidentiam absolui possit ab excommunicatione, in commodum partis; non tamen ipsum actorem in commodum proprium.

§. Si verò.

SI excommunicatore per malitiam denegante absolutionem, iudices delegati excommunicatum præstita cautione, quod mãdatis Ecclesiæ parebit, absoluerint; tum ad eundem excommunicatorem (si Papa specialiter alijs nõ delegauerit) pertinebit causam illam finire, & iusta præcepta imponere, quibus absolutus obedire debet. Sin autem excommunicator malitiosè differat causam illam finire, tum ipsi delegati iurisdictionem in eadem illa causa exercere poterunt: eò quòd accessorium ad principale trahatur.

Casus, & dubitatio hæc est: Papa cuidam Canonico causam aliquam delegauit: Sed Reus coram delegato excepit contra Actorem, quòd excommunicationem Episcopalem contraxisset. Iudex delegatus petijt ab Episcopo, vt exacta cautione parendi Ecclesiæ mandatis, absolueret Actorem. Illo pertinaciter abnuente, ipsemet delegatus absolutionem contulit, cautionêmque accepit. His positis, restat dubium; Vtrùm Episcopus, qui excommunicarat, an verò delegatus, cui cautio præstita est, ad satisfaciendum cõpellere possit; Respondet Pontifex, quòd excommunicator: Sin autem is noluerit, tum demum delegatus. Ratio est: Quia ad excommunicatorem per se spectat tota causa illa, ob quam excommunicatio lata est: At verò ad delegatum eadem spectat per accidens, seu ob incidentiam alterius sibi delegatæ causæ: Quod autem per se est, principalius est, quàm id, quod est per accidens.

CAPITVLVM XXII.

Cùm causa.

PARAPHRASIS.

Innocent. III. controuersiam super decimis, quæ inter duos Archiepiscopos erat, tribus Iudicibus commisit. Vnus Archiepiscoporum ad citationem duorum Iudicum accessit, atque excipiendo proposuit, quòd iudicio illorum se submittere non cogatur; partim quia cùm causa tribus commissa esset, à duobus tantùm, tertio inconsulto, neque vices suas committente, citatus fuerit: partim quia ante eorundem citationem, & literarum notitiam, nuntium ad Sedem Apostolicam propter eandem causam destinârit: quod ipsi suffragari debeat, iuxta Alex. III. constitutionem infrà de appellat. c. adhæc, 30. Sed Iudices exceptiones istas admittere nolentes, interlocutoriam sententiam protulerunt, quòd dictus Archiepiscopus coram ipsis respondere teneatur. Quamobrem is ad Sedem Apostolicam appellauit. Sed eo non obstante, Iudices processerũt, atque Actorem in possessionem decimarum introduxerunt. Hoc intellecto Papa alijs constitutis Iudicibus mandauit, si ita res se habeant, sicuti narratum fuit, vt decimas Archiepiscopo, (siue per potentiam laicalem, siue per dictos Iudices spoliatus fuerat) vnà cum fructibus

inde perceptis restitui faciant ; præsertim cùm decimæ illæ Archiepiscopo antehac à Sede Apostolica confirmatæ fuerint: Quòd si autem contra dictum Archiepiscopum quippiam de iure seu proprietate decimarum oppositum fuerit, ijdem Iudices cognoscere ac definire debeant.

Svmmarivm.

1. *Si ex tribus iudicibus delegatis tantùm vnus, aut duo citent, partes non tenentur comparere, nisi vnus suas vices alteri commiserit, aut in citatione insertum sit, vnum ex iudicibus se excusasse.*
2. *Spoliatus à iudice contra ius, restituendus est, & postea de iure seu proprietate spoliati cognoscendum.*
3. *Trina monitione opus est, vt propter negligentiam Superioris potestas procedendi ad inferiorem deuoluatur.*

1 Notandvm I. Si ex tribus Iudicibus delegatis, tantùm vnus, aut duo citent, partes non tenentur comparere. Ita etiam habetur in c. prudentiam, 21. hoc tit. Sed limitari debet: Nisi vnus suas vices alteri cõmiserit, c. quamuis, 6. hoc tit. Vel nisi in citatione insertum sit, vnum Iudicum se excusasse, cit. c. prudentiam. Deinde, si citatus non ab omnibus, cùm non teneatur, tamen compareat, quando omnes tres præsentes sunt, respondere tenetur, secundùm Innoc. hîc, quem sequitur Barbat. hîc col. 4. Decius not. 3. Nam cùm plures præsentes sunt, citatione opus non est, arg. l. de vnoquoque 47. ff. de re iudic. Licet aliter Hostiensis apud Abb. hîc n. 3. sentiat.

2 Notandvm II. Sicuti spoliatus à priuato ante omnia restituendus est, c. 1. de restitut. spoliat. ita etiam spoliatus à iudice contra ius; & postea de iure seu proprietate spoliati cognoscendum. Consentit cap. 3. de procurator. & conquerente, de restit. spoliator. Sed in hoc puncto ita distinguendum cum Abb. n. 4. Barbat. col. 5. Decio in 4. not. Felino col. 1. Vel Iudex incompetens est, seu non præditus potestate, vt in casu huius c. tunc simpliciter vera est doctrina. Vel est Iudex competens, tum ordinariè est præsumptio pro illo, quòd iustè processerit, quare spoliatus ostendere debet, sibi iniuriam illatam; alioquin restituendus non est, arg. c. dilectus, 26. de rescript. vbi id dixi not. 2. & docet Glos. communiter recepta in c. præsentium, 3. causa 7. q. 1. in fine. Excipe l. Nisi Iudex non seruato iuris ordine hominem spoliarit, cit. c. conquerente. II. Nisi notorium sit, Iudicem iniustè condemnatum spoliasse.

Quærit I. hîc Gl. ver. ab illis: Quo iure duo Iudices delegati tertium ad causam tractandam citare possint; cùm par in parem non habeat imperium, c. innotuit, 20. de elect. Et bene respondet, quòd non possint eum citare cum imperio; sed admonere, vt veniat. Qua etiam ratione qui in Capitulo senior est, aut Decanus, reliquos Canonicos conuocat ad electionem, vel consultationem; & tamen venire recusantes punire non potest; cùm spectato communi iure Capitulum, vel Decanus in singulos Canonicos iurisdictionem non habeat, ait Abb. hic n. 7. ex Innoc. c. cùm nobis, 19. n. 4. de elect. Simili modo, qui in liga aliqua, seu inter confœderatos potentior est, socios vocat ad conuentum: sed venire nolentes punire non potest; nisi pœna conuentionalis inter ipsos constituta sit. Qua de re Decius hîc col. 2.

Secundò quærit Gl. Vtrùm sufficiat vna citatio, seu monitio, cõstituto termino competente, intra quem si non rescribat, nec accedat tertius delegatus, potestas ad alios deuoluatur, si rescriptum clausulam habeat; *Quòd si non omnes.* Et respondet non sufficere vnam, sed requiri trinam monitionem. Sed alij plerique contrarium sentiunt, vti videre est in Gl. margin. huius c. Gl. in Clem. 1. ver. requisierit, de hæreticis, ibi Zabarel. q. 18. Abb. n. 8. Felin. col. penult. argum. c. si Episcopus, 13. d. 18. iun. Gl. vbi generatim, quòd in citatione extraiudiciali, (imò etiam iudiciali, si citatus, v. g. cuius id interest, cõparere non teneatur) vna citatio, seu vocatio sufficiat, dato tempore ad veniendum sufficiente. Sed limitari debet cum Dominico in

c. si

c. si contra, 4. ver. Sed an sufficiat, hoc tit. in 6. Nisi iura trinam requisitionem expressè requirant, vt in c. 1. de suppl. negl. Prælatorum, ex quo textu generalem regulam hîc tradit Abb. & Imola, trina monitione opus esse, vt propter negligentiam Superioris, potestas procedendi ad inferiorem deuoluatur.

CAPITVLVM XXIII.

Cùm super.

PARAPHRASIS.

Controuersia erat inter Conuẽtum de Conchis, & Simonem, qui ex Abbatia electus erat, Rogerio in locum eius substituto. Quam causam Innoc. III. commisit Episcopo Lesionensi, & Abbati de Becco, adiectâ clausulâ; Vt vno nolente aut non valente, alter solus procedat. Partibus in conspectu Iudicum constitutis, Rogerius qui intrusus in Abbatiam dicebatur, alterum Iudicem, vid. Episcopum recusauit, tribus de causis: I. Quia idem Episcopus cum Monasterio suo controuersiam habebat. II. Quia redeuntem se ex Curia Romana ad osculum pacis non admisit. III. Quia ipsimet Rogerio dixit, quòd ei in hac causa impedimento esse vellet, si posset; Et obtulit se coram altero Iudice, vel coram arbitris, quos partes elegerint, singula probaturum. Sed cùm Episcopus admittere hæc nollet, Rogerius appellauit. Sed duo isti Iudices interloquendo pronuntiarunt, appellationem friuolam, nec admittendam esse; atq; in causa principali procedentes definierunt, Simonem ad Abbatiam restituendum, ipsi Rogerio perpetuum silentium indicentes. Hoc intellecto processu, idem Innocent. III. ita rescripsit: Tametsi Abbas de Conchis absque Episcopo, qui recusatus erat, solus procedere potuisset, antequam appellatum fuit; postea verò quàm cum dicto Episcopo, tanquam coiudice interlocutus est, appellationem illam non valuisse; ex eo tempore nec solus, nec cum socio procedere potuit. Non solus; quia admittendo alterum vt Coiudicem, confessus est, se nec velle, nec posse Apostolicæ Sedis commissionem solus exequi. Sed neque cum Episcopo, licèt voluerit, procedere potuit, quippe cùm is post legitimas excusationes, & appellationem cõtra ipsum, iudicandi potestatem non habuerit. Sequitur itaque, quòd acta eorum duorum delegatorum iudicum, omnimodè irrita sint. Hic est casus huius c. secundùm integram eius lectionem ex Bern. vt Gl. magna testatur.

SVMMARIVM.

1. *Non tantùm partes contendentes, sed etiam tertius, cuius interest, recusare iudicem potest.*
2. *Sunt autem tres causæ iudicem recusandi. 1. Si litem quis habeat cum iudice. 2. Si iudex signum beneuolentiæ, quod aliis eiusdem statûs & conditionis exhibere solet, sibi deneget. 3. Si iudex minas intentet.*
3. *Vno ex delegatis recusato; alter solus procedere potest.*
4. *Vt actus sit legitimus & validus, duo copulatiuè requiruntur: Agendi potestas & voluntas.*
5. *Qui actum liberè exercet, censetur confiteri pertinentia & consecutiua ad illum.*
6. *Non valet actus eo modo, quo potest valere, nisi ad id se intentio operantis, saltem implicita & interpretatiua extendat.*
7. *Iudex delegatus dubitans de potestate socij, aut eum repellere non valens, protestetur, quòd velit sententiam valere, vt latam à se solo; si non valeat, vt latam à duobus coniunctim; si autem non protestetur, & sententia collectiuè feratur, præsumptio est contra ipsum, quòd nolit solus iudicare, maximè si putet eum priuatum non esse.*

NOTANDVM 1. Non tantùm partes ipsę contendentes, sed etiam tertius, cuius

intereſt, excipere poteſt contra Iudicem, eúmque vt ſuſpectum recuſare. Nam Simon controuerſiam mouit Conuentui, à quo Abbatiâ deiectus erat, poſtulans ſe reſtitui: Sed quia Rogerij ſubſtituti cauſa per accidens agebatur, ideo comparens alterum ex Iudicibus recuſauit. Ita notauit Butrio hîc & Abb. n. 2. Barbat. col. 1. & ſumitur etiam ex c. cùm ſuper, 17. de ſent. & re iudicata.

2 Porrò ex textu iſto iun. Gl. tres cauſas Iudicem recuſandi colligit Abb. n. 3. Barbat. col. 2. Felinus n. 3. Prima. Si litem ſeu controuerſiam iudicialem cum Iudice habeas. Nam animi partium contendentium plerumque aduerſus ſe mutuò exaſperantur: quare qui tecum in iudicio contendit, aduerſarius tuus dicitur, cap. 1. de iudic. Secunda. Si Iudex ſignum beneuolentiæ, quod alijs eiuſdem conditionis, & ſtatûs hominibus exhibere ſolet, tibi deneget, ea res offenſionem, aut inimicitiam præ ſe fert; iuxta ea quæ docui lib. 2. tract. 3. cap. 4. num. 2. Tertia. Si Iudex tibi minetur, ſi occaſio ſe offerat nocendi, aut vindicandi, ſe eà contra te vſurum.

3 NOTANDVM II. Si vnus ex delegatis Iudicibus vt ſuſpectus recuſetur, & cauſa ſuſpicionis probabilis videatur (quod iudicare ad alterum non ſuſpectum pertinet, c. ſi contra 4. eod. in 6.) tum ille ſolus procedere poteſt, ob clauſulam, *ſi non ambo poteſtis*. Ita notat hîc Imola n. 4. Barbat. col. 3.

4 NOTANDVM III. Vt actus legitimus ac validus ſit, duo copulatiuè requiruntur: Agendi poteſtas, & voluntas. Conſequenter, ſi quod potes agere, nolis; & quod vis agere, non poſſis, nullus ſequetur effectus. Ita Abb. hîc n. 8. Barbat. col. 4.

NOTANDVM IV. Confeſſio non tantùm ore fit, ſed etiam facto, iuxta c. nullus, 4. de
5 præſumpt. Adeò, vt qui actum liberè exercet, cenſeatur confiteri, quæ pertinent, aut conſecutiua ſunt ad actum, ſecundùm doctrinam Innoc. in c. cùm venerabilis, n. 3. & 4. de except. Quemadmodum qui inſtrumẽtum coram Iudice producit, cenſetur confiteri omnia, quæ continentur in eo: cùm non poſſit vnam partem recipere, & alteram reijcere, ſicuti tradit Innoc. loco cit. & in c. cùm olim, n. 5. de cenſib. Abb. hîc num. 7.

Contra reſp. Innoc. in hoc c. obijcitur cum Gl. ver. mutuò aduerſantibus. In l. 1. §. 1. ff. Quod falſo tutore, &c. reſpondit Iureconſ. Si duo tutores auctoritatem præſtent pupillo v.g. contrahenti, verus & falſus, valere quod agitur, ex perſona veri tutoris; licèt non valeat ex perſona falſi. Ergo ſimili ratione, ſi ſint duo Iudices delegati, quorum vnus poteſtatem retinet, alter priuatus eſt: eorum ſententia valebit ex parte habentis poteſtatem. Ratio reddi poteſt: quia cenſetur eſſe voluntas agentis, vt ſi actus valere non poteſt, ſicuti agitur, valere tamen debeat, ſicuti poteſt, arg. c. vn. Idem quoque de deſponſ. impuber. in 6. vbi dicitur, Si impuberes matrimonium contrahant, quod facere non poſſunt, valere eorum contractum vt ſponſalia, quę celebrare poſſunt. Reſpondeo; Regulam illam, ſi non valet, quod ago, valeat ſicuti valere poteſt, in præſumptione voluntatis fundari. Quæ præſumptio in cit. c. vn. ex iure adiuuatur, in matrimonij fauorem. Alioquin adalias circumſtantias & coniecturas in dubio confugiendum, quæ in vtramq; partem variæ eſſe poſſunt. Qua de re dixi aliquid lib. 3. tr. 5. c. 8. n. 4. Id verò certum eſt, ſi appareat, nó valde aliquem agere alio modo, niſi eo, quo non poteſt, nihil effici. Quare neque impuberum contractus ſubſiſtet, ſi exprimant, vel ex coniecturis appareat, noluiſſe eos aliter contrahere, niſi vt matrimonium inter eos ratum ſit. Quia actus humani extendi non poſſunt vltra eorum intentionem, ſaltem implicitam, aut interpretatiuá, l. nõ omnis, 19. in princ. ff. de rebus creditis. Sed neq; tutor auctoritatẽ validè interponet, ſi nolit valere negotium niſi per vtriuſque auctoritatem. Cæterùm talis intentio in tutore non præſumitur, cùm ex iuris communis diſpoſitione habeat poteſtatem in ſolidum, ſeu ſine altero auctoritatem interponendi, l. vlt. C. de auctorit. præſtanda.

At verò in ꝓpoſito caſu cõſtabat, quòd Abbas noluerit cauſam definire, vt ſolus, ſed vnà cũ ſocio, ſeu coiudice. Quare rectiſſimè infert Inno-

Innoc. acta eius irrita esse: quia quomodo potuit procedere, videl. solus, noluit; eo autem modo, quo voluit procedere, videl. cũ socio,
6 nõ potuit. Quare ita argumentari licet: Non valet actus eo modo, quo valere potest, nisi ad id se intentio operantis saltẽ implicitè aut interpretatiuè extendat: Sed intentio Abbatis nequaquam fuit, vt in causa illa procederet solus: Quia interlocutoriè pronuntiauit, Coiudicem suum immeritò recusatum esse, atque iudicandi potestatem retinere, ideóq; sine ipso se procedere non posse: Consequenter noluit aliter procedere. Ita bene notat hic Decius col. 3.

7 Corollarium. Iudex delegatus dubitans de potestate socij, vel eum repellere non valens, protestari potest; si non valeat sententia vt lata à duobus coniunctim, quòd valere debeat vt lata à se solo, vti singulariter hîc notat Abb. n. 10. & sequitur Barbat. col. 7. Sin verò nihil protestatur, & sententia nomine collectiuo feratur. *Nos condemnamus &c.* præsumptio est contra illum, quòd nolit solus iudicare præsertim si existimet, eum priuatum non esse, argum. l. qui in aliena, 6. §. Si is qui, ff. de acquir. hæred. Qua simili ratione, si duotantùm sint Capitulares, quorum vnus suspensus, vel inhabilis, & nomine amborum, seu collectiuè decretum electionis sine protestatione formetur, *Nos eligimus*, puto irritá fore electionem: Alia verò ratio est, si plures electores sint, & vnus eorũ suspensus, vel inhabilis: tum valebit decretum Capitulare cõparatione plurium. Quia locus est regulæ, reg. 37. in 6. Quòd inutile accedẽs vtili illud vitiare non debeat, vti notat Abb. n. 11.

CAPITVLVM XXIV.

Consuluit.

Paraphrasis.

Quæsitum erat ex Innoc. III. Si partes ad testium depositiones, aut earundẽ publicationes, vel sententiam definitiuam, peremptoriè citatæ sunt ad diem definitum, & altera ad vesperam diei non aduenerit, vtrùm eadem die Iudex in negotio procedere debeat, vel differre in diem sequẽtem. Deinde, si vsque in sequentem diem expectatum sit, vtrùm contumax iterum citari debeat, eò quòd in die partibus designata processum non fuerit. Ad hoc respondit Papa: Si Iudicis delegati iurisdictio die illo, ad quem partes citatæ sunt, non finiatur, secundùm æquitatem expectandum erit in diem alterum: tum verò necesse non est, contumacem iterum citari; nisi gratiam ei Iudex facere velit. Sin autem potestas Iudicis vltra eum diem non extendatur, tum expectandum non est in diem sequentem, ne iudicialis potestas frustranea sit. Cauendum quoque, ne iudicium Ecclesiasticum ad noctem differatur: Tametsi enim secundùm morem Romanum, dies (naturalis) à media nocte incipiat, & sequentis noctis media parte finiatur; ita vt quod etiam in dimidiatis noctibus actum est, perinde sit, ac si quauis hora lucis actum esset, l. more 8. ff. de ferijs; tamen quod attinet ad iudicia, congruum nõ videtur, vt ea de nocte exerceantur. Porrò Iudex discretus, quando partes peremptoriè citat, non debet terminum nimis coarctare; nisi necessitas cogat.

Svmmarivm.

1. *Iudex citans partem ad certum diem, si in eo non compareat, expectare potest ad diem sequentem; non tamen tenetur, sed etiam absente parte procedere potest ad definitiuam sententiam contra contumacem.*
2. *Tenetur autem pars altera, quæ præsens est, expectare, si sequenti die iudicis iurisdictio non expirat; expensæ tamen maiores resarciri debent, si propterea maiores factæ essent.*
3. *Omnia negotia, v. g. contractus, transactiones, beneficiorum collationes, &c. ordinariè de nocte geri possunt, nisi ius scriptum aut consuetudinarium repugnet.*
4. *Iudex malè agit, de nocte iudicium in-*

stituendo: si tamen partes nihil excipiant, actu valent.

NOTANDVM I. Iudex peremptoriè citans partem ad certum diem, si in eo
1 non compareat, expectare potest ad diem sequentem: Sed secundùm iuris rigorem, expectare non tenetur; sed etiam absente ad definitiuam sententiam procedere potest cõtra contumacem. Ratio prioris partis est. Quia secundùm benignitatem tota dies parti citatæ tribui potest ad cooperandum: consequenter iudicium differri in diem sequentem. Veruntamen si partibus præsentibus ad diem constitutam Iudex non procedat, quia v. g. impeditus est, tum noua citatione opus erit, vti hîc notant Abb. n. 4. Decius col. 2. Barbat. col. 6. Ratio posterioris est: Cùm enim congruum non sit iudicia de nocte peragi, ideo pars citata ad certum diem, maturè se sistere debet. Quare si in citatione ad certam diem, hora expressa non sit, ea intelligi debet secundùm qualitatem peragẽdi negotij: Vt si Canonici citentur ad electionem faciendam XXIV. die Augusti, manè adesse debent: quia eo tempore electio peragi solet post decantatum officium de S. Spiritu. Et simili ratione, inquit Innocent. in c. cùm nobis, de elect. n. 5. Abb. hîc n. 5. Decius n. 4. Barbat. col. 6. Si Iudex consuetudinem habet certa diei parte, v. g. post meridiem iudicare, citatus ad certum diem eo tempore adesse debet.

Hinc inferunt idem Abb. & Decius, n. 2. Quòd expediat parti contendenti, si Iudicem benignum ac sibi fauentem habeat, præsertim in istis arbitrarijs. Quare malè agere ait Procuratores & Aduocatos, si Iudicem verbis exasperent.

Secundò infert idem Abb. n. 7. & 8. Cùm
2 Iudici hoc casu à iure concessum sit in diem sequentem iudicium prorogare, quòd pars altera, quæ præsens est, expectare teneatur: adeò, vt si absq; Iudicis licentia discedat, tanquam contumax puniri possit. Neque obijci potest, talem termini productionem cedere in præiudicium alterius partis, quæ præsens est. Quia huius modici præiudicij ratio habenda non est, l. si debitori, 21. ff. de iudicijs. Sed æquum videtur, vt expensæ resarciantur, si propterea maiores fieri debeant, vti Gl. hîc obseruat ver. gratiam fecerit, & sequitur Abb. n. 9.

NOTANDVM II. Si negotium speciali re-
1 tione non requirat, vt lucis tempore fiat, rectè dicitur factum die x. Aprilis, dummodò ante medium noctis fiat. Et ordinariè, inquit Decius hîc col. 4. omnia negotia de nocte geri possunt, nisi ius scriptum, aut consuetudinarium repugnet, sic v. g. contractus, transactiones, testamenta, beneficiorum collationes nocte institui non prohibentur, vti Decius loco cit. exemplificat. Sed numquid
4 iudiciarius processus irritus censeri debet, si de nocte adhibitis sufficientibus luminaribus institutus sit? Respond. Partes opponere se possunt, ne iudicium de nocte instituatur. Sin autem nihil excipiant, adeóque tacitè consentiant, licèt malè agat Iudex, si secluſa necessitate, de nocte iudiciarium processum peragat, tamen acta valere videntur: cùm nullo iure irrita esse legamus. Multa enim fieri prohibentur, quæ tamen si facta sint, subsistunt, c. ad Apostolicam, 16. de regul. & monet hîc Gl. ver. tenebras, & Hostiensis apud Barbat. in hoc c. post medium. contra Innoc. hîc n. 5.

CAPITVLVM XXV.

Insinuante.

PARAPHRASIS.

Robertus controuersiam habebat cum Thoma de iure parochiali: Eam Innoc. III. commiserat Episcopo Vigorienſi, eiusdem Officiali, & tertio cuidam, hac formula, vt si non omnes possent, Episcopus cum eorum altero cognosceret. Accidit autem, vt lite iam contestata, ante definitiuam sententiam Episcopus Robertum in familiarem suum asciſceret, ex quo etiam dicti Officialis familiaris effectus est; ita vt vterque tanquam suspectus à Thoma recusari potuerit. Quamobrem is intelligens,

gens, quòd tertius Iudex sine Episcopo, iuxta formam rescripti Apostolici, procedere non posset, alios Iudices sibi dari postulauit; eiúsque petitioni Papa assensus est, ideóque scripsit ad quendam Abbatem, ac Priorem, si ita est, vt ipsi narratum fuit, & Thomas, postquam aduersarius eius Episcopi familiaris factus est, in eundem Iudicem non consensit, ipsi in causa secundùm prioris rescripti tenorem procedant; alioquin partes ad priores Iudices reuertantur.

SVMMARIVM.

1. *Si vnus litigantium factus est familiaris seu domesticus Iudicis, hic vt suspectus recusari potest, nisi alia adsint, quæ suspicionem excludant.*
2. *Facilius est recusari Iudicem, vt suspectum, quàm testem.*
3. *Pars litigans non tantùm in causa propria, sed etiam in causa ecclesiæ potest recusare Iudicem, eò quòd sit dominus, vel consanguineus aduersæ partis.*

NOTANDVM I. Si vnus litigantium post litem contestatam factus est familiaris seu domesticus Iudicis, is vt suspectus recusari potest. Excipe: Nisi considerata persona Iudicis, & circumstantijs reliquis, appareat, sinistræ suspicioni locum non esse. Ita Barbat. hîc col. 1. & consentiunt, quæ dixi in c. causam, 17. hoc tit. 1

NOTANDVM II. Si Episcopus tanquam suspectus recusari possit, consequenter etiam Officialis eius, propter affectionem, quam erga Episcopum gerit, & causas & acta eius defendenda. Ita Abb. hîc n. 2. Barbat. col. 2. Imò ait Gl. hic ver. familiarem, quam Barbat. col. 3. & alij sequuntur. Si dominus suspectus sit, totam eius familiam recusari posse: Et simili ratione si Iudex inimicus domini tui sit, potes eum vt suspectum recusare; quia videtur etiam te odisse, vt Abb. hîc docet n. 6. argum. l. vn. C. Si quacunque præditus potestate &c. Veruntamen, vt suprà dictum, eiusmodi suspicio contrarijs maioribus coniecturis seu præscriptionibus superari & elidi potest, vt notat etiam Gl. hîc ver. familiarem, & alia Gl. in c. cùm H. 35. quam ibi commendant Abb. n. 4. Felinus n. 4. eod. tit. facilius recusari Iudicem, vt suspectum 2
quàm testem; cùm etiam frater contra fratrẽ testari possit, c. literas, de præsumpt. Cuius rei rationem afferunt ex necessitate: Quia plures plerumque Iudices haberi possunt; sed non testes. Addi potest, quòd testes à Iudice examinentur, vt appareat, num vera dicant; sed Iudex in iudicio non habet, à quo examinetur: vt proinde ipsi facilius sit iniuriam inferre, quàm testis. Vide Barbat. hîc col. 4.

NOTANDVM III. Pars litigans non tantùm in 3
causa propria, sed etiã in causa Ecclesiæ recusare potest Iudicẽ, eò quòd sit dominus, vel cõsanguineus aduersarij. Ita Abb. hîc n. 3. Imola n. 8. Neque obstat, quòd aliquis in causa Ecclesiæ suæ Iudex esse potest, secundùm Gl. in c. 1. ver. punire, de pœnis, in 6. Ergo multò magis consanguineus, vel Dominus Rectoris ecclesiæ in causa eiusdem ecclesiæ Iudex esse potest. Rectè enim respondet Abb. Posse esse Iudicem, & valere eius senetentiam, nisi vt suspectus repellatur.

CAPITVLVM XXVI.

Quærenti.

PARAPHRASIS.

Dubitatum erat; si delegatus Papæ aliquem excommunicarit, eò quòd sententiæ à se latæ parere noluerit, vtrùm eum, si postea parere velit, absoluere possit. Aliqui respondebant, quòd absoluere eum non possit, cùm officio functus sit: Alij verò, quòd semper absoluere possit, cùm iurisdictionem non amittat; donec sententiæ eius pareat. Sed Innocent. III. ita secundùm æquitatem decernit; Quòd delegatus Papæ non tantùm tempore quadrimestri, quod Reo ad soluendum debito à Iudice concessum est, sed integro anno post

post latam à se sententiam iurisdictionem retineat ad eius executionem. Qua simili ratione si ob contumaciam Rei ante litis contestationem Actor in possessionem missus sit causa custodiæ, annus conceditur contumaci, intra quem si appareat, possessionem recuperare possit; sed postea non restituitur, licèt de proprietatis iure audiendus sit, c. quoniam, 5. §. in alijs, Vt lite non contestata &c.

SVMMARIVM.

1. *Iudex delegatus habet iurisdictionem, & eam distinctam à iurisdictione delegantis.*
2. *Condemnato actione personali ad soluendum quatuor menses conceduntur; in realibus autem actionibus sententia, vbi in rem iudicatam transiit, executioni mandari debet; in criminalibus statim executio, nec appellationis remedium admittitur in Imperio.*
3. *Iudex delegatus integrum annum habet ad executionem sententiæ à se latæ.*

1 NOTANDVM I. Iudex delegatus habet iurisdictionem, eámq; distinctam à iurisdictione delegantis. Ita hîc notant Abb. n. 2. Barbat. col. 2. & alij, & dixi suprà contra quosdam, qui in l. ait Prætor, 5. ff. de re iudicata, aiunt, quòd Iudex delegatus iurisdictionem non habet, sed duntaxat cognitionem, seu notionem.

2 NOTANDVM II. Condemnato actione personali ad soluendum quatuor menses hodie cõceduntur, c. quod ad consultationẽ, 15. de re iudic. l. 2. & 3. C. de vsuris rei iudicatæ. Et numeratur hoc tempus à die latæ sententiæ, vel si ab ea appellatum sit, à die confirmationis prioris sententiæ, cit. l. 2. Cæterùm in arbitrio Iudicis est, tempus hoc à lege concessum ex causa iusta arctare, vel prorogare, iuxta cit c. quod ad consultationem. & l. 2. ff. de re iudic. & videri potest Barbatia hîc col. 5. In realibus autem actionibus, latâ sententiâ, mox vt in rem iudicatam transiit, (videl. post decendium, si appellatum non est) executioni mandari debet: nisi possessor statim restituere non possit, tum designato illi termino sufficienter cauere debet de restitutione faciẽda, Instit. de off. Iudicis, ff. Et si in rem, & docet Gl. hîc ver. quadrimestre tempus. Deniq; in criminali actione indulgeri nõ solet, sed statim executio fieri, l. cùm reis, 18. C. de pœnis. Adeò, vt nec tempus decendij, quod communi iure ad appellandum conceditur, necessariò expectandum sit. Quam praxin vt non alienam à iure defendit Barbatia hîc col. 8. contra Gl. in cit. l. cùm reis, ver. iuris sententiam, Abb. hîc n. 4. post Bartolum in l. qui vltimo, ff. de appellat. Verùm in Imperio criminaliter condemnatis appellationis remedium non conceditur.

NOTANDVM III. Iudex delegatus integrum annum habet ad exequendam sententiam à se latam. Sed ad pleniorem doctrinam ita distinguendum cum Gl. hîc, Abb. n. 7. Barbatia non longè à fine: Vel Iudex delegatus sententiam nondum tulit, & durat eius iurisdictio semper; quia rescripta sunt perpetua, nisi reuocentur, c. si autem, 9. de rescript. vbi id dixi not. 1. Vel tulit sententiam, sed executus non est; & conceditur illi annus ad exequendum. Idque intelligitur de anno continuo, qui continet dies 365. argum. l. cùm hæres, 4. §. Stichus, ff. de statu liberorum, ex quo textu sumitur regula, quam hîc tradit Abb. n. 3. Si in iure anni tempus definitum reperiatur, in dubio accipiendum esse de continuo. Vel denique sententiam executus est, & iurisdictio eius expirat, c. in literis, 9. hoc tit. dummodò sententiæ eius paritum sit: Sin verò condemnatus paulò pòst ab executione recessit, iterum turbans victorem, perinde est, ac si non paruerit, argum. c. diuortium, 21. d. 1. de pœnit. Quære hoc casu delegatus reassumere potest iurisdictionem, non vt iterum de causa cognoscat, sed vt ad veram & stabilem executionem compellat, si annus nondum finitus sit, secundùm doctrinam Gloss. hîc ver. ad integrum annum.

Quærunt hîc, vtrùm etiam delegatus ab inferiore Ordinario, vel subdelegatus à delegato Principis sententiam à se latam exe-

qui

qui possit, videl. intra annum. Negat Imola hîc, in fine, post Bartol. l. à Diuo Pio, 15. ff. de re iudic. Sed Abb. hîc n. 8. affirmat cum Gloss. in c. si quis contra, 4. de foro compet. Quia cùm causa alicui absolutè committitur, censentur omnia commissa, quæ ad eius executionem spectant. Quæres ibi pleniùs examinanda erit.

CAPITVLVM XXVII.

Super quæstionum.

PARAPHRASIS.

Delegatus Papæ audientiam causæ commisit Titio, cognitione ac sententia sibi reseruata. Titius citauit Reum, qui comparere noluit, quòd sine consensu suo deputatus esset auditor. Et pro defensione sua allegauit quandam Innoc. III. Constitutionem, in qua continebatur; Si alicui à Papa causa, remota appellatione, delegata sit, quòd ipse eam subdelegare non possit, adempto remedio appellationis. Verùm si delegatus ad nõ iurisdictionalẽ articulum aliquem v.g. ad testium examinationem meram deputauerit auditorem, quòd ab eo nequeat appellari, si de partium consensu datus fuerit. Vnde ex sensu contrario colligi videbatur, si de cõsensu partium datus nõ sit (vt in casu proposito) quòd ab eo appellari possit. Per hanc suam cõstit. in primis ait Innoc. nequaquam derogari constitut. Alex. III. in c. cùm te, 18. hoc tit. Nam Alexander locutus est in casu, quo delegatus Apostolicæ Sedis cognitionem alicuius articuli, seu articulum iurisdictionalem alteri, sententiâ sibi reseruatâ, subdelegauerit: quòd per appellationem à subdelegato subdelegantis iurisdictio nequaquam suspendatur. Innoc. autem locutus est in casu, quo non causæ cognitio, sed nudum ministerium circa aliquem articulum, seu articulus nõ iurisdictionalis alicui à delegato Papæ, aut quocunq; alio Iudice committitur, quòd ab eo appellari non possit; nisi formam mandati excedat, vel vt suspectus recusetur, dummodò hoc casu non sit datus ex consensu partium.

SVMMARIVM.

1. *Delegatus Papæ potest principium, medium, & finem totius causæ coniunctim & diuisim subdelegare. quo casu à subdelegatis appellari potest.*
2. *Sin medium tantum causæ, v.g. testium depositiones alicui vt mero auditori cõmittantur sine iurisdictione. ab eo nequit appellari; nisi fines mandati excedat, vel meritò suspectus sit.*
3. *A subdelegato in totam causam appellari debet ad Papam; à subdelegato autem non in totum, ad subdelegantem.*
4. *Auditor datus à delegato recusari non potest à partibus, nisi causâ iustâ coram delegato ostensâ.*
5. *Nemo præter Principem causam committere potest, remoto appellationis remedio.*
6. *Appellari ab Auditore non potest; recusari tamen potest, vt suspectus.*
7. *Delegatus ab inferiore ordinario, v.g. ab Episcopo, subdelegare non potest.*
8. *Potest tamen is, cui vniuersitas causarum commissa est, vnam aut plures causas alteri committere, non tamen totam vniuersalitatem causarum.*
9. *Facultas delegata Parocho v.g. absoluendi à casibus reseruatis ab Episcopo, si ei ratione officij competat, transit ad successorem, & in certis casibus subdelegari poterit; non item, si ea competat vt priuilegium personale, & propter industriam, vel singularem eius fauorem.*
10. *Inferior Principe non potest committere suo delegato, vt suo nomine subdeleget, potest tamen ei concedi, vt subdeleget nomine ipsius ordinarij delegantis.*

Quo casu appellabitur non ad delegatum, sed ad primum delegantem.

11. Delegatus à non Principe alteri causam, vel articulum causæ iurisdictionalem subdelegare nequit; potest tamen articulum non iurisdictionalem.

12. Si vnus ex duobus à Principe, remota appellatione, delegatis, v.g. Filius Caio cõdelegato vices suas committat, Caius non potest alteri causam delegare.

13. Neque potest procedere, remoto appellationis remedio.

14. Et si ab eo appellatur, ad primum delegantem appellari debet.

1 INnoc. III. non negauit à subdelegato appellari posse, si principium litis, videl. litis contestatio, vel finis litis, videl. sententia definitiua, aut tota causa ei commissa sit: Enimuerò indubitatum esse debet, quòd Papæ delegatus non tantùm totam causam, sed etiam partes singulas causæ diuisim subdelegare possit: nihil obstante quòd dicitur, Iudicem, antequam sententiam ferat, debere per se ipsum cognoscere & principium, & medium, & finem litis: Nihilominus enim, si sententiam sibi reseruauit delegatus, omnia quæ à subdelegatis acta sunt, diligenter inuestigare, & perpendere debet.

§. Verùm.

2 SI delegatus Papæ causam totam vel partem eius alteri vt Iudici subdeleget, ab eo appellari potest. Sin autem medium causæ v. g. testium depositiones alicui vt mero auditori committat, ab eo appellari nequit: nisi fines mandati excedat; vel meritò suspectus sit. Quare ne recusari possit, consultum est, vt ex partium consensu deputetur.

§. Porrò.

3 IN casu, quo delegatus Papæ alteri tanquam Iudici subdelegat, distinguendum est, vtrùm totam causam committat: tum non ad ipsum, sed ad Papam appellari debet. An verò non totam, sed sententia ipsi subdeleganti reseruata sit, tum ad subdelegantem appellabitur. Atque simili ratione si ab auditore in casu, quo id licitum est, appelletur, ad delegatum prouocari debet. Et bene monet Gl. hîc, hæc locum etiam habere, tametsi delegato Principis causa cognita sit, appellationis remedio non sublato.

§. Quem verò.

4 AVditor à delegato deputatus recusari non potest à partibus, nisi coram eodẽ delegato causam recusationis iustam ostendant.

NOTANDVM I. Iura iuribus consentire, &, quantum fieri potest, conciliari debent; exponendo, & interdum per alia iura supplendo; cùm non omnia eadem lege, aut canone contineri, & explicari possint. Ita sumitur ex c. cùm expediat, 29. de elect. & l. non est nouum, 26. l. sed & posteriores, 28. ff. de legibus.

5 NOTANDVM II. Nemo, præter Principem, causam committere potest, remoto appellationis remedio.

NOTANDVM III. Delegatus Principis potest vel totam causam alteri delegare, vel aliquam eius partem. Sed si deleget partem, tum distinguitur, an sit articulus iurisdictionalis, v. g. litis contestatio, receptio testium, & articulorum, de quibus examinandi sunt testes; vel non est articulus iurisdictionalis; ita vt nudum ministerium v. g. testes examinandi, eorúmque depositiones annotandi, committatur. Discrimen est, quòd in priore casu commissarius censetur esse Iudex subdelegatus; in posteriore non est Iudex, sed merus auditor, & quodammodo executor.

QVÆRITVR hîc primò: Vtrùm ab auditore appellari possit ad Iudicem delegantem? Respondeo & Dico I. Appellari ab eo 6 non potest, tanquam à Iudice, cùm Iudex non sit. Sed locus est appellationi extraiudiciali, si indebitè grauet, aut limites commissionis suæ excedat, sicuti etiam de mero executore dicitur in c. nouit, 43. de appellat.

Dico II. Si datus auditor meritò suspectus

ctus sit, tum à partibus recusari potest, atque ad Iudicem prouocari, à quo deputatus fuit. Quare, ne recusari possit, consultum est, vt auditor (v.g. testium in partibus remotis) non detur, nisi ex consensu partium. Ita hìc Innocent. §. verùm. Cæterùm an merus sententiæ latæ executor, tanquam suspectus recusari possit, dicetur in cit. c. licèt.

7 QVÆRITVR secundò: Vtrùm delegatus ab inferiore Ordinario, v.g. ab Episcopo subdelegare, seu causam sibi commissam alteri delegare possit. Responsio est negatiua ex l. more, 5. ff. de iudicijs, l. à Iudice, 5. C. de Iudicijs, c. cùm causam, 62. de appell. ex quibus iuris regula generalis traditur, quòd delegatus ab alio, quàm à Principe, subdelegare non possit. Ratio est: Quia delegatus non plus iuris habet, quàm ipsi mandatum est: est autem ipsi mandata tantùm iurisdictio, siue vt iurisdictionem exerceat: Ergo non potest alteri committere; cùm à diuersis non fiat illatio. Confirmatur: Quia ne quilibet onus sibi mandatum in alium conijcere posset, rectè prouisum est, vt Iudex delegatus per se causam cognoscere debeat: excepto Principis delegato, cui id subdelegandi priuilegium ipso iure concessum est.

Aliæ exceptiones sunt, quas breuiter discutiam: Prima est, quòd delegatus Proconsulis subdelegare possit, secundùm Baldum, cit. l. à Iudice, Gloss. ibid. ver. Sed est contra, in 1. solut. argum. l. legatus, 12. ff. de offic. Proconsul. Ex quo inferunt cum eod. Baldo, quòd delegatus à Legato à Latere subdelegare possit: quia Legatus à latere, dum in prouincia est, Proconsuli comparatur, c. 2. de offic. Legati, in 6. Sed præstat, vt dicamus cum Gl. in cit. l. legatus, fol. 3. Felino in c. 3. col. 1. Decio ibid. n. 5. hoc tit. Quòd Legatus Proconsulis ideo vnam, vel alteram causam subdelegare possit, quia est delegatus ad vniuersitatem causarum: Sin autem seu à Proconsule, seu à Legato à latere vna causa commissa sit, is eam subdelegare haud potest.

8 Secunda: Cui causarum vniuersitas delegata est, is vnam aut plures causas in particulari alteri committere potest: quia censetur veluti ordinariam iurisdictionem habere. Ita sumitur ex l. 1. §. ab eo, ff. Si quis, & à quo &c. & docet Gl. communiter recepta in l. Legatus, 12. ver. fol. 3. ff. de officio Proconsulis, Gl. in cit. c. cùm causam, 62. ver. delegatus, in fine, de appellat. & alij D D. apud Sanchez lib. 3. de matrim. disp. 31. n. 2. Sed totam vniuersitatem causarum alteri cõmittere nõ potest: quia id vniuersim verum est, quòd officium sibi commissum vnus in alterum conijcere non potest, absque iuris vel Principis licentia.

Dicitur autem aliquis delegatus ad vniuersitatem causarum, si non vna, vel plures particulares, sed omnes, saltem in aliquo genere, v.g. decimarum, matrimonij, mutui alicui commissæ sint; quamuis restrictio fiat ad certum locum, aut tempus, v.g. intra hoc territorium, ad vnum annum omnes controuersias decimales cognoscas, & definias. Si tamen causæ restringantur ad personas certas & particulares, v.g. controuersias, quæ sunt inter Titium & Caium iudicialiter dirimas, potiùs particularis, quàm generalis delegatio esse videtur, vti ex Baldo in l. à Iudice, n. 4. C. de Iudicijs, & aliorum ferè communi docet Sanchez cit. disp. 31. n. 4.

Corollarium. Si Guardiano v.g. à Prouinciali, aut Generali suo, aut Parocho ab Episcopo suo delegata sit facultas absoluendi à casibus reseruatis, distinguendũ est, vtrùm ei facultas hæc cõpetat ratione dignitatis & officij sui, ita vt sit veluti ordinaria, & ad successorem transeat, tum alteri in certis casibus delegare poterit, iuxta c. vlt. iun. Gl. ver. casibus, de offic. ordinar. & annotauit Nau. c. 27. man. n. 45. An verò ipsi concessa sit talis facultas vt priuilegium personale, propter industriam eius, vel specialem erga ipsum fauorem, tum alteri subdelegare non potest; cùm sit ius specialiter concessum personæ, sicuti etiam docui lib. 5. Th mor tr. 6. c. 10. n. 12, in fine. Hæc etiam causa est, quòd Cooperatores Parochorum, quibus delegata est facultas absoluendi à peccatis, alteri Sacerdoti absolutionem committere non pos-

sint absque speciali consensu Ordinarij, propterea quòd illis facultas absoluendi non ratione officij, sed merè delegato seu commisso iure competat. Idémque eadem ratione dicendum est de facultate assistendi matrimonijs, tametsi ea à Parocho generaliter delegata sit Cooperatori, quòd sine expressa aut tacita licentia Parochi, seu Ordinarij alteri Sacerdoti, etiam in speciali casu, committere non possit, licet cõtrarium senserit Sanchez cit. disp. 31. n. 21. Sed quod dixi, probatur ex Concil. Trident. sess. 24. c. 1. de reform. matrim. Ratio autem est; Quia delegatus ad vniuersitatem causarum non potest subdelegare, nisi ratione eius delegationis sibi factæ censeatur officium veluti ordinarium habere. Quod de Cooperatoribus operam suam veluti locantibus Parocho præsenti dici non potest. Accidit, quòd facultas illa subdelegandi, quæ delegatis ad vniuersitatem causarum competere dicitur, ex iure vel consuetudine vim iuris habente prouenire debet. Non est autem consuetudo in ecclesijs, vt Cooperatores Parochorum sine eorum præsentium consensu alicui committant eiusmodi potestatem.

Tertia limitatio est Gl. in c. is cui, 12. ver. per alium, eod tit. in 6. Bartol. in l. more, 5. ff. de iurisd. Abb. in c. cùm causam, 62. n. 4. de appellat. Syl. ver. delegatus, q. 8. dicto 3. & aliorum apud Sanchez cit. disp. 31. n. 6. Quòd delegatus ab inferiore ordinario subdelegare possit, si ipsi id concessum fuerit. Contrarium verò docet Archidiaconus, in c. quamuis, eod. tit. in 6. Cardinal. Zabarella in Clem. 1. hoc tit. q. 12. Quia Iudicem dandi potestas nemini competere debet, nisi id à lege vel Principe cõcessum sit: siquidem iurisdictionem à superioribus ad inferiores gradatim descendere oportet. At qui leges, & Principes nõ nisi ordinarijs, & à se delegatis Iudicibus facultatem tribuunt Iudices constituendi, l. more, 5. ff. de iurisdict. l. à Iudice, C. de iudicijs, & cit. c. cùm causam: Ergo delegatis à non Principe talis facultas competere non potest. Hæc sententia non inani fundamento nititur: Sed quia prior in praxi recepta est, vti testatur Gl. margin. in cit. c. is cui, quòd frequenter Episcopi causam committant cum clausula, *per te, vel per alium*, ideo præstat, vt dicamus cum Dominico in cit. c. is cui, in fine, Felino in hoc c. §. Si verò, n. 18. Licèt inferior Principe committere non possit delegato suo, vt suo nomine subdeleget; posse tamen ipsi facultatem dare, vt subdeleget nomine ipsius ordinarij delegantis: Vt proinde tertius non accipiat iurisdictionem à secundo, sed à primo: quamobrem ab illo nunquam appellabitur ad secundum, seu ad delegatum, sed ad primum delegantem, vti bene colligit Zabarella loc. cit. & docet Abb. in c. cùm Bertoldus, n. vlt. de re iudic. Felinus in hoc c. §. Porrò, n. 12. Atque hæc doctrina, & praxis probari potest ex l. vnum ex familia, 61. §. Si de Falcidia, ff. de Legat. 2. vbi habetur, si hæres iussus sit eligere vnum ex familia Titij, quem ipse voluerit, ad legatum fundum capiendum, legatarium nõ ab hærede, sed à testatore beneficium capere. Item ex l. non distinguemus. 32. §. Quæsitum, ff. de receptis qui arbitrium, vbi dicitur, quòd arbiter arbitrium, vel partem eius alteri delegare non possit, ne in infinitum abeatur, & vix vnquam arbitrium dicatur, si vnus alteri committere velit; posse tamen alterum ex partium cõsensu, seu compromisso alterum statuere, seu designare, per quem arbitrium dicatur. Simili itaq; ratione Episcopus v. g. delegare potest causam Titio, adiecta facultate, si per se cognoscere nolit, vt aliam idoneã personam designare possit, per quã cognoscatur, seu tota, seu pars eius.

Neque obstat huic doctrinæ, quod obijcit Zabarella cit. q. 12. Quòd Iudex certus, non incertus delegari debeat, argum. c. ad hæc, 10. de rescriptis. Respondetur enim cum Felino cit. §. Si verò, n. 13. ad 2. Iudicem certum fieri per designationem delegati: nam per eam designationem, tanquam conditionem cum qua & sine qua non, cõfertur illi iurisdictio à primo delegante. Quamobrem consultum est addere in commissione: Committo tibi hanc causam exercendam per te,

te, vel per alium, quem ad id elegeris, cui ex tunc potestatem cognoscendi committo. Ad c. ad hæc respondetur, ibi solùm caueri, ne optio seu electio Iudicis delegati vni partium committatur.

Corollarium. Tametsi Cooperatores Parochorum alteri facultatem confessiones audiendi committere non possint; quandoquidem absoluendi potestas ipsis commissa est, non item potestas delegandi, vti bene notauit Suarez p. 3. t. 4. disp. 26. sect. 1. n. 4. tamen nihil obstat, quin Parochus Cooperatori suo mandare possit, si v. g. in hac Ecclesia sua, ad quam ipsum mittit, confitentium copia requirat, vt quemcunque approbatum sacerdotem nomine ipsius Parochi constituat ad confessiones ibi excipiendas, vti etiam dixi lib. 5. tr. 6. c. 10. n. 14. Eandémque potestatem dare poterunt Vicarij, quibus loco absentis Parochi cura totius Parochiæ commissa est, de quibus dixi suprà, & videri potest Tabiena ver. absolutio, 1. §. 14. in fine, & ver. excommunic. 5. casu 15. n. 4.

11 Quartò limitatur. Licet delegatus à non Principe alteri causam, vel articulum causæ iurisdictionalem subdelegare nequeat, potest tamen committere articulum non iurisdictionalem, constituendo v. g. aliquem meum auditorem, seu examinatorem testium. Ita habetur in hoc c. ver. Nos autem, vbi significatur, quòd non tantùm Papæ delegatus, sed quicumque Iudex auditorem, vel executorem ad aliquem causæ articulum cõstituere possit. Dicitur autem articulus iurisdictionalis, qui causæ cognitionem continet, ideóque iudicis personam requirit: articulus verò non iurisdictionalis, qui non causæ cognitionem, sed nudum ministerium, vel executionem aliquam habet, ideóque etiam in alia, quàm Iudicis persona fundari potest, secundùm doctrinam Gl. communiter receptam in Clem. vn. ver. Iudices, hoc tit. vbi exemplum affert: Si testes recepti sint, atque iurati, & articuli, super quibus producuntur examinati, & interrogatoria formata, tum ipsa testium examinatio & auditio, cùm nudum ministerium contineant, adeò vt etiã festo die exerceri possit, à quolibet seu ordinario seu delegato Iudice committi potest. Qua de re Abb. hîc n. 9. Sed ipsam testium receptionem, cùm nondum approbati sunt, nec interrogatoria formata, non potest Iudex alteri committere; nisi sit ordinarius, vel à Principe delegatus, quia continent articulum iurisdictionalem, vti colligitur ex cit. Clem. vn.

Corollaria. Ex his defendi potest, quod docuit Viualdus in Appendice Candelabri c. 14. n. 40. Licèt Regulares v. g. qui ex Pontificio priuilegio dispensare vel commutare possunt vota, alteri committere, seu subdelegare non possint, quia eiusmodi facultates dispensandi, aut absoluendi non habent ratione officij, aut quasi ordinariam, sed iure speciali: posse tamen eos, si causa rationabilis, v. g. multitudo confitentium cogat, ita dicere confitenti suo: *Commuto tibi hoc votum in opera, quæ vir ille doctus tibi designarit, cuius sententiâ te stare volo.* Quia mera operum designatio, adeóque nudum ministerium alteri committitur: Sicuti si Confessarius virtute clauium iniungat pœnitẽti ea pœnitentiæ opera, quæ vir ille iusta esse arbitratus fuerit. Quamuis huiusmodi facultatibus, tanquam in Ecclesia non vsitatis, rarò & non nisi ob aliquam necessitatem vtendum sit.

Huc etiam spectat, quod tradit Nauar. in man. c. 27. n. 45. quòd delegatus ab Episcopo, vel subdelegatus à delegato Papæ, postquam causam excommunicationis v. g. sibi commissam cognouit, & Reum absoluendum esse decreuit, simplex ministerium absoluendi cuique sacerdoti committere possit, arg. c. huius

Denique huc spectat, quod docet Sanchez cit. lib. 3. disp. 31. n. 20. Si Vicarius generalis alicui sacerdoti committat, vt receptis testibus, ac informatione de habilitate personarum assistat matrimonio earum, licet hanc testium receptionem alteri delegare non possit; cùm sit actus iurisdictionalis, ipsam tamen assistentiam & coniunctionem sponsorum alteri committere non prohibetur; cùm sit nudum ministerium, non actus ali-

cuius iurisdictionis, vti docui lib. 5. tr. 10. p. 2. c. 4. n. 5.

§. Si verò.

12 SI vnus ex duobus à Principe, remota appellatione, delegatis, v. g. Titius Caio condelegato vices suas commisit; Caius non potest alteri causam delegare: Neque potest procedere, remoto appellationis remedio: quòd si ab eo appelletur, non ad Titium condelegatum, sed ad primum delegantem appellari debet.

Tria sunt asserta. Primum ita probari debet: Licèt delegatus Principis subdelegare possit, non tamen potest hanc iterum subdelegandi potestatem in subdelegatum transfundere. Atqui Caius in proposita causa est subdelegatus à Titio Principis delegato: Ergo alteri committere non potest. Maior probatur: Tum quia facultas subdelegandi est priuilegium personale Principis delegato specialiter concessum: Ergo non potest ad alterum transfundi. Tum quia priuilegium non debet extendi ad casum diuersum: est autem aliud subdelegare, & aliud dare facultatem subdelegandi: Ergo ex eo, quod prius concessum est Principis delegato, non sequitur, etiam posterius concessum esse.

Dices. Cùm Caius hoc casu duplici iure Iudex sit, vt delegatus, & vt subdelegatus, poterit iurisdictionē in hac causa alteri committere vt delegatus Principis, & retinere vt subdelegatus. Respondeo, Id fieri nō posse. Partim, quia iurisdictio, quando in vnam personam translata est, indiuidua manet, vt non possit vna ratione transferri, & altera retineri. Partim quia Titius voluit vices suas delegare Caio Coiudici suo, & Caius ita acceptauit. Si autem Caius iurisdictionem suam alteri committat, tum desinet esse Iudex, atque fieri poterit, vt alter ille discordet in sententia ab ipso Caio: quod repugnat priori subdelegationi factæ à Titio. Cæterùm Caius iste non prohibetur sibi adhibere assessorem, non conferendo illi partes iudicandi, sed consilium dandi, iura explicandi.

Alterum ita declaratur ab Innoc. III. in hoc §. Licèt delegatus à Principe, propter ei adiunctas clausulas, solus procedere posset, remota appellatione, si videl. alter delegatus impeditus fuisset; non tamen potest ita procedere, si subdelegationem à socio acceptauit. Cùm enim iurisdictio eius indiuidua sit, vnámque sententiam proferat, si ab ea appellari non posset, consequens foret, quòd subdelegatus procederet remota appellatione: Id verò absurdum est, cùm priuilegium istud soli Principis delegato vt personale, & alteri incommunicabile competere possit.

Tertium ita probari debet: Cùm iurisdictio indiuidua sit in persona Caij, necesse est absurdum sequi, si dicamus ab eo ad Titium subdelegantem appellari posse. Vel enim tota causa ei à Titio commissa est, vel pars. Si primum, cessauit eius iurisdictio: Ergo ad ipsum non appellatur, iuxta §. Porrò, hoc c Si secundum, iterum appellari non potest: quia appellatio est ad superiorem Iudicem, non ad parem, vti hîc Gl. docet ver. si non possunt, & DD. in l. 1. §. si quis, ff. de appel. Titius autem & Caius sunt pares in hac causa: Ergo, &c.

Corollarium: Transferri huc potest axioma Philosophorum. Quòd effectus sequitur deteriorem partem suæ causæ. Seu, quòd *perfectum ex integra causa: Imperfectio autem ex quolibet defectu existit.* Diximus enim quod delegatus Principis, propter admixtionem imperfecti, videl. subdelegationis acceptatæ à socio, ea præstare non posset, quæ alioquin ratione delegationis suæ posset. Videri hîc potest Abb. & Barbat. col. 2. huius §.

§. Eius ergo.

COntinet repetitionem eorum, quæ dicta sunt princ. huius c. & §. verum. Videl. Tametsi Auditor absque partium consensu datus sit, non esse locum appellationi: nisi is vt suspectus recusetur, vel partes iniuste grauet, tum causa recusationis, vel grauamen coram delegato probari debet: quod si eam, cùm iusta sit, admittere recuset, & ad auditorem

te, vel per alium, quem ad id elegeris, cui ex tunc potestatem cognoscendi committo. Ad c. ad hæc respondetur, ibi solùm caueri, ne optio seu electio Iudicis delegati vni partium committatur.

Corollarium. Tametsi Cooperatores Parochorum alteri facultatem confessiones audiendi committere non possint; quandoquidem absoluendi potestas ipsis commissa est, non item potestas delegandi, vti bene notauit Suarez p. 3. t. 4. disp. 26. sect. 1. n. 4. tamen nihil obstat, quin Parochus Cooperatori suo mandare possit, si v. g. in hac Ecclesia sua, ad quam ipsum mittit, confitentium copia requirat, vt quemcunque approbatum sacerdotem nomine ipsius Parochi constituat ad confessiones ibi excipiendas, vti etiam dixi lib. 5. tr. 6. c. 10. n. 14. Eandémque potestatem dare poterunt Vicarij, quibus loco absentis Parochi cura totius Parochiæ commissa est, de quibus dixi suprà, & videri potest Tabiena ver. absolutio, 1. §. 14. in fine, & ver. excommunic. 5. casu 15. n. 4.

11 Quartò limitatur. Licet delegatus à non Principe alteri causam, vel articulum causæ iurisdictionalem subdelegare nequeat, potest tamen committere articulum non iurisdictionalem, constituendo v. g. aliquem meum auditorem, seu examinatorem testium. Ita habetur in hoc c. ver. Nos autem, vbi significatur, quòd non tantùm Papæ delegatus, sed quicumque Iudex auditorem, vel executorem ad aliquem causæ articulum cõstituere possit. Dicitur autem articulus iurisdictionalis, qui causæ cognitionem continet, ideóque iudicis personam requirit: articulus verò non iurisdictionalis, qui non causæ cognitionem, sed nudum ministerium, vel executionem aliquam habet, ideóque etiam in alia, quàm Iudicis persona fundari potest, secundùm doctrinam Gl. communiter receptam in Clem. vn. ver. Iudices, hoc tit. vbi exemplum affert: Si testes recepti sint, atque iurati, & articuli, super quibus producuntur examinati, & interrogatoria formata, tum ipsa testium examinatio & auditio, cùm nudum ministerium contineant, adeò vt etiã festo die exerceri possit, à quolibet seu ordinario seu delegato Iudice committi potest. Qua de re Abb. hîc n. 9. Sed ipsam testium receptionem, cùm nondum approbati sunt, nec interrogatoria formata, non potest Iudex alteri committere; nisi sit ordinarius, vel à Principe delegatus, quia continent articulum iurisdictionalem, vti colligitur ex cit. Clem. vn.

Corollaria. Ex his defendi potest, quod docuit Viualdus in Appendice Candelabri c. 14. n. 40. Licèt Regulares v. g. qui ex Pontificio priuilegio dispensare vel commutare possunt vota, alteri committere, seu subdelegare non possint, quia eiusmodi facultates dispensandi, aut absoluendi non habent ratione officij, aut quasi ordinariam, sed iure speciali: posse tamen eos, si causa rationabilis, v. g. multitudo confitentium cogat, ita dicere confitenti suo: *Commuto tibi hoc votum in opera, quæ vir ille doctus tibi designarit, cuius sententiâ te stare volo.* Quia mera operum designatio, adeóque nudum ministerium alteri committitur: Sicuti si Confessarius virtute clauium iniungat pœnitẽti ea pœnitentiæ opera, quæ vir ille iusta esse arbitratus fuerit. Quamuis huiusmodi facultatibus, tanquam in Ecclesia non vsitatis, rarò & non nisi ob aliquam necessitatem vtendum sit.

Huc etiam spectat, quod tradit Nauar. in man. c. 27. n. 45. quòd delegatus ab Episcopo, vel subdelegatus à delegato Papæ, postquam causam excommunicationis v. g. sibi commissam cognouit, & Reum absoluendum esse decreuit, simplex ministerium absoluendi cuique sacerdoti committere possit, arg. c. huius

Denique huc spectat, quod docet Sanchez cit. lib. 3. disp. 31. n. 20. Si Vicarius generalis alicui sacerdoti committat, vt receptis testibus, ac informatione de habilitate personarum assistat matrimonio earum, licet hanc testium receptionem alteri delegare non possit; cùm sit actus iurisdictionalis, ipsam tamen assistentiam & coniunctionem sponsorum alteri committere non prohibetur; cùm sit nudum ministerium, non actus ali-

cuius iurisdictionis, vti docui lib. 5. tr. 10. p. 2. c. 4. n. 5.

§. Si verò.

12 SI vnus ex duobus à Principe, remota appellatione, delegatis, v. g. Titius Caio condelegato vices suas commisit; Caius non potest alteri causam delegare: Neque potest procedere, remoto appellationis remedio: quòd si ab eo appelletur, non ad Titium condelegatum, sed ad primum delegantem appellari debet.

Tria sunt asserta. Primum ita probari debet: Licèt delegatus Principis subdelegare possit, non tamen potest hanc iterum subdelegandi potestatem in subdelegatum transfundere. Atqui Caius in proposita causa est subdelegatus à Titio Principis delegato: Ergo alteri committere non potest. Maior probatur: Tum quia facultas subdelegandi est priuilegium personale Principis delegato specialiter concessum: Ergo non potest ad alterum transfundi. Tum quia priuilegium non debet extendi ad casum diuersum: est autem aliud subdelegare, & aliud dare facultatem subdelegandi: Ergo ex eo, quod prius concessum est Principis delegato, non sequitur, etiam posterius concessum esse.

Dices. Cùm Caius hoc casu duplici iure Iudex sit, vt delegatus, & vt subdelegatus, poterit iurisdictionē in hac causa alteri committere vt delegatus Principis, & retinere vt subdelegatus. Respondeo, Id fieri nō posse. Partim, quia iurisdictio, quando in vnam personam translata est, indiuidua manet, vt non possit vna ratione transferri, & altera retineri. Partim quia Titius voluit vices suas delegare Caio Coiudici suo, & Caius ita acceptauit. Si autem Caius iurisdictionem suam alteri committat, tum desinet esse Iudex, atque fieri poterit, vt alter ille discordet in sententia ab ipso Caio: quod repugnat priori subdelegationi factæ à Titio. Cæterùm Caius iste non prohibetur sibi adhibere assessorem, non conferendo illi partes iudicandi, sed consilium dandi, iura explicandi.

Alterum ita declaratur ab Innoc. III. in hoc §. Licèt delegatus à Principe, propter ei adiunctas clausulas, solus procedere posset, remota appellatione, si videl. alter delegatus impeditus fuisset; non tamen potest ita procedere, si subdelegationem à socio acceptauit. Cùm enim iurisdictio eius indiuidua sit, vnámque sententiam proferat, si ab ea appellari non posset, consequens foret, quòd subdelegatus procederet remota appellatione: Id verò absurdum est, cùm priuilegium istud soli Principis delegato vt personale, & alteri incommunicabile competere possit.

Tertium ita probari debet: Cùm iurisdictio indiuidua sit in persona Caij, necesse est absurdum sequi, si dicamus ab eo ad Titium subdelegantem appellari posse. Vel enim tota causa ei à Titio commissa est, vel pars. Si primum, cessauit eius iurisdictio: Ergo ad ipsum non appellatur, iuxta §. Porrò, hoc c Si secundum, iterum appellari non potest: quia appellatio est ad superiorem Iudicem, non ad parem, vti hîc Gl. docet ver. si non possunt, & DD. in l. 1. §. si quis, ff. de appel. Titius autem & Caius sunt pares in hac causa: Ergo, &c.

Corollarium: Transferri huc potest axioma Philosophorum. Quòd effectus sequitur deteriorem partem suæ causæ. Seu, quòd *perfectum ex integra causa: Imperfectio autem ex quolibet defectu existit.* Diximus enim quod delegatus Principis, propter admixtionem imperfecti, videl. subdelegationis acceptatæ à socio, ea præstare non posset, quæ alioquin ratione delegationis suæ posset. Videri hîc potest Abb. & Barbat. col. 2. huius §.

§. Eius ergo.

COntinet repetitionem eorum, quæ dicta sunt princ. huius c. & §. verum. Videl. Tametsi Auditor absque partium consensu datus sit, non esse locum appellationi: nisi is vt suspectus recusetur, vel partes iniuste grauet, tum causa recusationis, vel grauamen coram delegato probari debet: quod si eam, cùm iusta sit, admittere recuset, & ad auditorem

rem partes compellat, tum appellare possunt ad Principem delegantem; & quod interim actum fuerit, pro irrito haberi.

NOTANDVM Vn. Ab auditore non appellatur, cùm Iudex non sit: sed causa recusationis, vel grauamen defertur ad Iudicem, qui Auditorem dedit. Sin autem is iustam recusationis vel grauaminis amouendi causam admittere nolit, tum ab eo ad superiorem Iudicem appellari potest.

CAPITVLVM XXVIII.

Pastoralis.

PARAPHRASIS.

Cùm delegato Principis ipsa lege concessa sit iurisdictio ad subdelegandum alteri, ideo recipere recusantem compellere potest; modò non malitiosè se ipsum subtrahere, & exonerare intendat. Alioquin, nisi delegatus coërcitionem aliquam haberet, eius in hac re potestas ac iurisdictio inutilis foret. Cauere tamen debet delegatus, vt, si postulante necessitate, personis superioribus causam delegandam arbitretur, in coactione inferenda dignitatis rationem habeat.

SVMMARIVM.

1. *Delegare vel subdelegare causam contentiosam est actus iurisdictionis.*
2. *Delegatus Principis, id est, Superiorem nullum agnoscentis, causam sibi commissam delegare potest cuicunque personæ habili, cui ipse delegans committere posset.*
   Imò subdelegatum compellere potest ad suscipiendam subdelegationem; nisi malitiosè onus in ipsum exoneret.
3. *In coactione tamen, & pœnæ illatione haberi debet ratio dignitatis personæ.*
4. *Delegatus causam totam, & partem eius alteri subdelegare potest; renitentem autem acceptare, potest ad acceptandum compellere & punire.*
5. *Rescriptum posterius contrarium priori, nulla facta mentione reuocationis, subreptitium censetur, nisi Papa ex certa scientia posterius rescriptum mittat.*
6. *Iudex appellationis, qui confirmat sententiam, quam alius tulit, non mandat eam executioni, sed prior iudex, vt iudicium, vbi cœptum est, etiam perficiatur.*
7. *Ordinarius, & alius, qui merus exactor est, ad mandatum delegati sententiam exequi debet, nisi manifestè iniustam esse ei constet, saltem in causa criminali; tunc enim non debet exequi, sed ad Superiorem seu iudicem referre.*
8. *Delegatus eum, à quo impeditur malitiosè, vt nequeat die statuta procedere, puniet, & causam alteri iudici, neutri parti suspecto, ad eandem diem cognoscendam, remota appellatione, committet; nisi partes litem prorogent.*

NOTANDVM I. Delegare, vel subdelegare causam contentiosam est actus iurisdictionis, vti habetur in l. 3. ff. de iurisdict. *Iurisdictio est Iudicis dandi licentia.* Quare nemini competere potest, nisi iudiciaria potestate præditus sit: quia nemo alteri dat, quod ipse non habet, seu nemo plus iuris in alterum transferre potest, quàm ipsi competere noscatur, reg. 79. in 6. 1

NOTANDVM II. Delegatus Principis, id est, Superiorem nullum agnoscentis, causam sibi commissam delegare potest cuicunque personæ habili, cui ipsemet delegans secundùm iura committere posset, iuxta c. statutum, in princ. & §. in nullo, de rescript. in 6. Imò si causa aliqua subdelegandi appareat, aut præsumi queat, cogi potest alter ad suscipiendum: Præterquam si videat, quòd ille malitiosè onus, v. g. odium seu periculum offendendæ partis in ipsum deriuare intendat: tunc acceptare non cogitur. Imò generatim dici potest, quotiescunque eadem causa recusandi militat in subdelegando, quę est in delegato, quod subdelegandus acceptare non cogatur. Vide quæ dixi in c. 3. not. 1. hoc tit. 2

Porrò

Porrò maior necessitas requiritur, vt delegatus superiorem suum cogere possit ad causam sibi à Principe commissam suscipiendam: Et in ea ipsa coactione, aut pœnæ il-
3 latione dignitatis rationem habere debet, iuxta ea quæ dicta sunt suprà in c sanè, 11. hoc tit. Et videri possunt, quæ hîc congerunt Barbatia col. 4. Felinus n. 1. & seqq. de personis nobilibus, aut in dignitate constitutis plerumque mitiùs puniendis, saltem pœna corporali, aut simili: nam talis pœna in maiore seu dignore persona maior censetur. Verùm in quibusdam casibus delictum specialiter aggrauatur, propter delinquentis dignitatem & auctoritatem, vt in perfidia, periurio: quare & pœna augeri debet, iuxta c. cùm quidam, de iureiur. 12. iun. Gl. ver. dignitate. Rectè autem Gl. hîc ver. si coërcitionem, ostendit, quòd Princeps delegatus ex iusta causa cogere possit subdelegatum, & acceptare renitentem punire. Quia delegare est mandare, seu præcipere: quamobrem fieri non potest, nisi erga personam iurisdictioni delegantis subiectam, vti habetur in l. vn. C. Qui pro sua iurisdictione, &c. Atqui potestas præcipiendi sæpe inutilis esset, & illusoria (vt in seq. etiam c. habetur) nisi adiunctam haberet potestatem pœnam inferendi, saltem modicam, seu leuem. Est enim alia punitio maior, quæ directè infertur personæ per tormenta, carcerem, cibi subtractionem; alia modica, quæ est pecuniaria mulcta, vti ex Baldo hîc refert Imola n. 16. Abb. n. 9. Sed & Ecclesiastica censura, præsertim excommunicatio ad maiorem coërcitionem spectat: Imò etiam bonorum confiscatio, aut magnæ bonorum partis priuatio: siquidem quia etiam ea in personæ notabilem afflictionem redundat.

§. Item cùm.

4 SIcuti delegatus causam totam alteri subdelegare potest, ita & partem seu articulum aliquem v.g. partium citationem, & renitentem compellere, ac punire.

Probatur: Quia quod iuris est in toto quoad totum, idem iuris est in parte quoad partem, l. quæ de tota, 76. iun. Gl. ver. dicta sunt, ff. de rei vindic. Et habet hæc regula locum, inquit Abb. hîc, si eadem sit ratio partis, quæ totius: v.g. Qui mala fide fundum alienum possidet, debet eum cum fructibus omnibus restituere, ergo etiam qui partem fundi alieni mala fide possidet, cum fructibus eius restituere cogitur.

§. Præterea.

PApa aliquibus commisit causam, remota appellatione. Sed Titius conuentus nihilominus appellauit ad Pontificem, isque causam alijs iudicibus postea delegauit, quærebatur, vtrùm priorum Iudicum iurisdictio & sententiæ eorum executio suspensa censeri debeat? Respondet Papa Innoc. Si Papa ex certa scientia appellationis causam alijs Iudicibus committat, tum censendum esse reuocare iurisdictionem priorum Iudicum, vt interim executio sententiæ suspensa esse debeat, donec de causa appellationis cognitum fuerit.

NOTANDVM Vn. Licèt rescriptum posterius, quod est contrarium priori, nulla facta mentione reuocationis, subreptitium censeatur, iuxta c. 3. de rescript. tamen hæc regula limitari debet; nisi Papa ex certa scientia posterius rescriptum mittat, tum censetur priori derogare, quatenus contrarium est. Vt in proposito casu; Papa delegauerat causam, appellatione remota: postea admissa appellatione rescripsit ad alios Iudices, vt de eius iustitia cognoscerent, hoc casu, si vel in rescripto posteriore addita sint verba, *ex certa scientia*, vel ex adiunctis seu alijs narrantibus appareat, Pontificem sciuisse, quòd causa priùs commissa fuerit, appellatione remota, priorum iudicum iurisdictio, & sententiæ latæ executio interim suspensa esse debet.

QVÆRES I. Si tantùm suspensa est iurisdictio priorum iudicum, donec posteriores cognoscant, quare dicit hîc Pontifex, iurisdictionem priorum Iudicum reuocari? Respondeo; Reuocari non absolutè, sed secundùm quid, quatenus ipsis concessa erat remota appellatione.

QVÆRES II. Si posteriores Iudices contra

contra appellantem cognoscant, vtri iudices latam priùs sententiam exequi debeant? Resp. Hanc q. tractat hîc Innoc. n. 7. ver. donec, Imola n. 14. Resp. cum Abbat. hîc n. 7. Barbat. col. 2. arg. c. cùm in Ecclesia, 38. de appellat. vbi Gl. ver. alioquin, regulam tra-
6 dit, Quòd *Iudex appellationis, qui confirmat sententiam, quam alius tulit, non mandat eam executioni, sed remittit ad priorem*: vt videl. iudicium, vbi latum est, etiam perficiatur. quamuis aliter docuerit idem Abb. in cit. c. cùm in Ecclesia, n. 8. sed tu vide Gl. magnam, & quæ ibi dicentur in c. 1. de appellat. in 6. Tholosan. de appell. lib. 2. c. 14. n. 19.

§. Quia verò.

7 SI iudex delegatus sententiæ à se latę executionem Ordinario demandet, is autem sciat iniustam esse, nihilominus exequi tenetur, nisi obtinere possit, vt onus executionis sibi auferatur. Ratio est: Quia non cognitio, sed mera executio ei demandata est: Ergo obsequi debet delegato, tanquam qui ipso in hac causa maior seu superior est.

Aduerte, quòd iudex differat ab executore. Nam Iudex principaliter datur ad cognoscendum, & sententiam ferendam; accessoriè autem, & consequenter ad exequendum. Executor verò principaliter datur ad exequendum; quamuis interdum accessoriè cognoscere debeat, vt mox dicam. Est enim alius executor merus, & alius mistus, secundùm Gl. hîc ver. etsi sciat, Imolam n. 19. Merus executor dicitur, cui nulla cognitio, sed sola executio causæ plenè cognitæ, & decisæ committitur, & ipse nullas exceptiones admittere potest; vti colligitur ex l. sicut proponis, 6. C. de executione rei iudicatæ, & docet Gl. communiter recepta in c. de cætero, 5. de re iudic. Si tamen manifestò constet, errorem commissum esse, aut fraudem interuenisse, non debet exequi, sed ad Superiorem, seu Iudicem referre, iuxta c. 2. de crimine falsi, & videri potest Suarez de censuris disp. 3. sect. 15. n. 6. Executor mistus dicitur, cui non mera executio, sed etiam cognitio de facienda executione committitur. De hoc sermo est in l. 4. C. si contra ius, &c. *Etsi non cognitio* (causę principalis) *sed executio mandatur, de veritate precum inquiri oportet, vt si fraus interuenerit, &c.* Talis est executor, qui à Papa per rescriptum deputatus est ad conferendum alicui beneficium, vti colligitur ex Clem. vn. hoc tit. iun. Gl. ver. executores, quæ inde colligit, quòd isti deputati ad exéptionem habeant iurisdictionem delegatam. Et de hoc executore misto dicendum, quòd exceptiones admittere, & de ijs cognoscere, quæ sunt ad impediendam, aut minuendam executionem; vt si deputatus sit ad executionem imperatæ solutionis, & reus conuentus compensationis factæ exceptionem obijciat, de ea cognoscere poterit. At verò de exceptionibus, quæ sunt de iustitia causæ, cognoscere ipse non potest, nisi in eum finem, vt intelligat, an ob eam causam ad Superiorem remittere debeat, iuxta c. de cætero, 5. de re iudic.

Quòd si verò Iudex de statu rei informatus nihilominus executionem imperet, obedire debet executor, etsi sciat sententiam iniustam esse, sicuti hîc Innoc. docet.

Sed pro pleniore huius doctrinæ intellectu ita distingue: Vel sententia iniustè lata est in causa ciuili, vel criminali: Si hoc secundum, ita vt agatur de occisione, vel mutilatione hominis innocentis, executor, v. g. Minister Iudicis, exequi non potest, vti hîc Felinus notat n. 24. & docui lib. 3 tr. 6. c. 2. n. 8. §. ob eandem, quamuis aliqui nullum discrimen agnoscant inter causam ciuilem, & criminalem, vti videre licet apud Imolam hîc n. 32. & seqq.

In causa ciuili iterum distingue: Vel sententia Iudicis non tantùm iniusta est, sed etiam irrita, quia lata est contra iura manifesta, vel nullo iuris ordine obseruata: Et tum executioni mandari non debet; quia tunc non agit vt Iudex, arg. c. forus 10. de verb. signif. & ex communi docet Imola hîc n. 28. Abb. n. 4. Suarez loco cit.

Vel sententia valida est, quamuis iniusta seu contra ius partis litigantis, tum denuo distinguendum: Vel enim sententia est tantùm materialiter iniusta, quia Iudex secun-

dùm publica acta & allegata iudicauit; tunc executor, si facilè errorem ostendere non possit, rectè eam exequitur, iuxta ea quæ dixi cit. c. 2. n. 8. & tradit Suar. cit. sect. 15. n. 7. vbi id declarat in sententia excommunicationis, si executori mandetur, vt eam denuntiet, qui scit materialiter iniustam esse; latam tamen secundùm allegata & probata: imò etiamsi de hoc dubitet, & executionem subterfugere non possit. Quia in causa dubia Superiori parendum est, arg. huius §. *Quia non cognitio, sed executio mandatur eidem.* Vel est formaliter iniusta, quia Iudex ex imperitia, aut dolo ita iudicauit, tum deputatus ad exequendum, si onus à se reijcere non possit, neque etiam tanquam grauatus ad Superiorem facilè appellare, tum exequi potest. Ratio est: Quia veluti iure debitum est, vt postquam sententia in rem iudicatam transiit, executioni mandetur. Condemnatus autem partim sibi imputare debet, quòd intra tempus ipsi concessum non appellarit: partim verò adhuc remedium habet, vt contra Iudicem agat ad damni illati resartionem, vti hìc Gl. notat ver. sciat, in fine, Abb. num. 5. & docui cit. cap. 2. quæst. 3. num. 10. Quia sententia Iudicis, à qua appellatum non est, non ita transit in rem iudicatam, vt naturalis obligatio tollatur, iuxta l. Iulianus, 60. ff. de condict. indebiti, vbi dicitur, quòd sententia judicis debitorem absoluendo, nõ faciat, vt non sit debitor.

Porrò quod Syl. monet ver. Iudex, 1. in fine, Iudicem delegatũ, qui ex necessitate cogitur causam suscipere, si per imperitiã erret in iudicando, excusatũ esse, quando assessoris, seu consiliarij, qui pro idoneo haberi solet, consilium secutus fuit; hoc non ita locum habet in delegatis Papæ, quippe quibus ratione dignitatis suę, in qua constituti sunt, incumbit, vt se idoneos reddant ad causarum sibi delegatarum cognitionem. Verum tamen est, quòd delegatus, sicuti & ordinarius Iudex, quandoque excusetur, si in re dubia aliorum Doctorum, seu Consiliariorum sententiæ bona fide acquiescat.

§. Cùm autem.

ACcidit interdum, vt partes malitiosè procurent Iudicem ad eum diem, ad quẽ citati sunt, à Rege vel Archiepiscopo euocari; docernit Innoc. si Iudici delegato talis fraus partis litigantis perspecta fuerit, eam competenter puniat, &, ne commodum ex malitia sua reportet, causam alteri iudici neutri parti suspecto ad eundem diem cognoscendam, remota appellatione committat: nisi vtraque litigantium pars consentiat, vt lis prorogetur.

NOTANDVM Vn. Casus est specialis, in quo subdelegatus à delegato Papæ procedere potest, remotâ appellatione, ipso iure talem facultatem committente. Ratio affertur: Quia æquum non sit, vt pars vna ex propria fraude commodum ferat, cum alterius partis incommodo. Quæ ratio tum maximè locum habet, si etiam Iudici delegato causa commissa fuerat, remoto appellationis remedio.

CAPITVLVM XXIX.

Ex literis.

PARAPHRASIS.

Controuersia de canonicatu erat inter Antonium, & Canonicos S. Iustinianæ: Eam Pontifex ad petitionem Canonicorum commisit Primicerio Grandensi, & Plebano S. Sophiæ: Postea verò Antonius alias literas super eâdem causâ impetrauit ad Archipresbyterum Paduanum. Is procedens in ea causa, in Canonicos S. Iustinianæ excommunicationem promulgari curauit, eò quòd Antonium in Canonicum recipere nollent. Sed priores illi deputati Iudices mandarunt Patriarchæ Grandensi, vt dictos Canonicos excommunicatos non esse declararet, ac denuntiaret; eò quòd literæ posteriores, in quibus de prioribus nulla mentio fiebat, subreptitiæ essent, per quas nulla Archipresbytero potestas collata sit. Cùm verò Patriarcha mãdatum exequi vellet,

Archi-

Archidiaconus Castellanus obstitit, & impediuit, ne literæ eius pro publica concione legi possent: quamobrem à Patriarcha, vnà cum Ecclesia eius, interdicto subiectus est. Hac quæstione ad Papam Innoc. III. relata, alijs delegatis Iudicibus mandat, vt si veritate inquisita, ipsis constiterit, quòd in literis secundis expressa mentio facta non sit de prioribus, tum sententiam interdicti latam à Patriarcha confirment, & obseruari faciant, donec eidem Patriarchæ de illata iniuria sufficienter satisfactū sit: Quandoquidem priores iudices potuerunt causæ illum articulum subdelegare Patriarchæ, consequenter is coërcitionem habuit erga volentes eum impedire; cùm alioquin iurisdictio inutilis & illusoria foret. Sin autem constiterit, priores literas per secundas legitimè reuocatas fuisse, tum sententiam interdicti irritam pronuntient: propterea quòd priores iudices, potestate sua in hac causa priuati, nullam iurisdictionem, aut coërcendi potestatem deriuare potuerint in Patriarcham. Ita habetur secundùm integram huius c. lectionem.

Svmmarivm.

1. *Subdelegatus Papæ, non merus executor, potest coërcere seu punire inobedientes & impedientes eum in exercitio iurisdictionis.*
2. *Qui ob manifestam iniuriam contraxit censuram, non debet priùs ab ea absolui in externo foro, quàm parti læsæ satisfecerit.*

Notandvm I. Literæ posteriores in eadem causa impetratæ ad alios iudices, censentur subreptitiæ, si in ijs non fiat mentio literarum priorum. Ita etiam habetur in cap. 3. de rescript. & cap. 2. de dolo, & contumacia.

His addi debet, quòd non sufficiat fieri mentionem literarum, *non obstantibus literis, si quas aliàs dedimus*, sed opus esse mentione speciali literarum ad priores Iudices in hac causa datarum, vti constat ex c. bonæ, 3. de confirmat. vtili & inutili: Nam reuocatio potestatis delegatæ censetur esse odiosa; quia cedit in cõtemptum priorum iudicum, nisi causa afferatur, cur talis mutatio facienda sit, arg. c. vt debitus, 69. de appellat. & videri potest Barbat. hic col. 1. & 2. Imola n. 6.

Notandvm II. Subdelegatus Papæ potest coërcere, seu punire inobedientes, atque impedire eum volentes in exercitio iurisdictionis. Id verò intelligi debet, si non nudum ministerium aut mera executio alicui demandata sit, sed articulus aliquis iurisdictionalis. Quare colligere debemus, Patriarchæ non fuisse mandatum, vt declarationem à prioribus Iudicibus de nullitate excommunicationis factam duntaxat promulgaret; sed vt post causam ab ipso cognitam promulgaret. Alioquin enim, si Patriarcha merus executor seu Minister fuisset, non potuisset dicere Innoc. eum iurisdictionem à Iudicibus ipsi hanc causam delegantibus accepisse, & ideo coërcitionem habuisse, cùm iurisdictio sine potestate coërcendi delusoria sit. Ita bene notauit hîc Barbat. col. 8. 1

Notandvm III. Qui ob manifestam iniuriam censuram contraxit, non debet priùs ab ea absolui in externo foro, quàm parti læsæ satisfecerit. Ita habetur etiam in c. ex parte, 23. & seq. de verb. signif. & c. 2 de sent. excom. in 6. & notat Gl. hîc ver. satisfactum. Abb. in c. cùm contingat, 36. n. 1. hoc tit. Sed vide quæ dixi lib. 1. tr. 5. p. 2. c. 6. q. 2. dicto 4. 2

CAPITVLVM XXX.

Licèt vndique.

Paraphrasis.

Papa tribus Iudicibus causam commiserat adiectâ clausulâ, si omnes interesse non possint, vt duo exequantur: Postea vnus Iudicum alteri vices suas commisit; tertius autem vt suspectus meritò recusatus fuit. His positis, ille qui vices suas commisit, è vita excedit; quæritur hoc casu, an superstes collega in causa procedere possit tum suo, tum defuncti nomine. Respon-

det Innocent. III. distinguendum esse: Si ante mortem illius iurisdictione vti non cœpit, non potest solus iudicare: quia mandatum seu delegatio ipsi facta morte mandantis expirauit, cùm res integra esset: sin autem ante mortem mandantis iurisdictione mandatâ vti cœpit, procedere potest iudicando suo, & alterius iam defuncti, nomine.

SVMMARIVM.

1. *Iurisdictio delegata, aut subdelegata morte committentis expirat, si res tunc integra sit.*
2. *Expirat etiam subdelegati iurisdictio, re integra, si causa delegata sit à Principe alicui ratione dignitatis suæ, eo deposito, vel renunciante, aut ad aliam dignitatem translato.*
3. *Idem est si alicui à Papa causa delegata sit intuitu personæ, si ea deposita sit à dignitate, vel Canonicatu secùs est, si dignitati, vel Canonicatui renunciauit; vel alò translatus est.*
4. *Si primus delegans mortuus est, viuat verò delegatus; subdelegati iurisdictio non expirat, causâ nondum cœptâ: mortuo autem delegato, & superstite primo delegante, extinguitur subdelegati iurisdictio, si eâ nondum vti cœperat.*

NOTANDVM I. Etsi in rescripto positum sit, vt duo procedant, nihilominus vnus alteri vices suas committere potest, ita vt ille duplici iure ac nomine in causa procedat. Qua de re dictum est suprà.

1 NOTANDVM II. Iurisdictio delegata, aut subdelegata morte committentis expirat, si causa tunc integra sit, seu nondum cœpta per citationem partis, vti dictum est suprà in c. gratum 20.

QVÆRITVR primò: Si iudex delegatus à dignitate depositus sit, vel renuntiarit, vtrùm subdelegatus procedere possit, si res
2 integra sit. Respondeo & dico I. Si causa à Principe delegata sit intuitu dignitatis suæ, eo depositò, vel renuntiante, aut ad aliam dignitatem translato, expirat iurisdictio subdelegati ab ipso, si res integra sit. Ita docet Gl. hîc ver. re integra, quam sequitur Imola hîc num. 25. Quia mors naturalis & ciuilis æquiparantur, quando eadem militat ratio, vt in casu proposito: Quandoquidem æquè per depositionem, ac per mortem naturalem iurisdictio delegato aufertur, si in dignitate eius fundata sit.

Contrarium tamen ex Hostiensi docent hîc Abb. num. 7. Barbat. col. 10. Nam hoc casu delegatus censetur eo iure causam subdelegare, quo eam accepit: accepit autem eam iure dignitatis, non personali: quare cùm dignitas per depositionem non expiret, consequens est, vt nec subdelegatio eius intuitu facta expiret, argum. c. si gratiosè, 5. de rescript. Resp. maiorem esse negandam. Quia, ordinariè loquendo, delegatio, aut subdelegatio non procedit à dignitate, sed à persona; adeò, vt etiam Papæ mandata atque commissiones ab auctoritate personæ procedere censeantur, non ab ipsa dignitate, aut sede, quæ semper permanet; alioquin falsum esset, eas morte Pontificis extingui, si res integra sit, c. relatum, 19. hoc tit. c. si cui, 36. de præbend. in 6. Verum quidem est, quòd dignitas, seu sedes v. g. Apostolica sit causa & radix potestatis seu auctoritatis, ex qua promanant rescripta; proximè tamen procedunt ab auctoritate personæ, non dignitatis: nisi expresè addatur, *Sedes Apostolica tibi committit.* Hoc enim casu per mortem Pontificis non expiraret commissio, tametsi res integra esset. Qua de re videri potest Sanchez cit. Disp. 28. num. 44. Accedit his, quod idem Sanchez eodem loco annotauit; Inferiores Principe non posse iurisdictionem contentiosam alijs delegare, ita vt sit perpetua, seu vt mortuo delegante non expiret, si res integra sit.

Dico II. Si causa alicui à Papa delegata sit intuitu personæ, tunc eâ depositâ à dignitate, vel Canonicatu, expirat iurisdictio subdelegati, si res integra sit:

secùs

secùs verò dicendum, si dignitati, vel canonicatui renuntiauit, vel aliò translatus est. Ratio vtriusque partis est: Quia dum res integra est, iurisdictio delegata censetur potiùs pertinere ad delegantem, vel subdelegantem, ab eóque dependere sicuti dixi in c. gratum, 19. hoc tit. Consequenter si ille deponatur, vel alia ratione statum incompossibilem assumat, vt iurisdictio ipsi auferatur, non poterit amplius in persona delegati, vel subdelegati fundari. Sin autem delegatus renuntiet, aut transferatur, nihilominus retinet iurisdictionem in ordine ad illam causam, vti dixi eod. c. gratum, q. 19. consequenter etiam in subdelegato eius iurisdictio fundari potest.

QVÆRITVR secundò: Vtrùm subdelegatus procedere possit, si primus delegans mortuus sit, viuat verò delegatus; aut vice versa, delegatus mortuus sit, viuat verò primus
4 delegans. Respondeo & Dico I. In priore casu refert, vtrùm causa (si tota subdelegata fuerat) cœpta sit, nécne. Si nondum cœpta, expirat iurisdictio: Quia subdelegatus subrogatur delegato: ergo sicuti huius iurisdictio cessat per mortem delegantis, re integra; ita & subdelegati, argum. c. penult. eod. in 6. Sin autem cœpta est causa à subdelegato, non expirat eius iurisdictio; quppe quæ in ipso radicata est, argum. c. penult. hoc tit. & docet Sanchez lib. 8. disp. 28. n. 37.

Dico II. In altero casu, si nimirum mortuo delegato, superstes sit primus delegans, extinguitur iurisdictio subdelegati, si eâ nõdum vti cœperat, sicuti valdè probabiliter docet idem Sanch. n. 36. ex ratione l. more, 13. de iurisdict. Cùm enim Principis delegatus potestatem subdelegandi ex lege, adeóque veluti ordinariam habeat, vti notauit Abb. hîc n. 4. sequitur, quòd ipse sit radix ac fundamentum potestatis subdelegatæ, quæ proinde extinguitur ruente delegato, seu eo qui subdelegauit. Excipe. Nisi delegatus non suo nomine, sed auctoritate ac potestate sibi tradita à primo delegante subdeleget, tunc ipso mortuo, siue viuat siue non viuat delegatus, expirat iurisdictio, si causa integra seu nondum cœpta sit.

CAPITVLVM XXXI.

Cùm in iure.

PARAPHRASIS.

Aliquis asserens se Apostolicæ Sedis delegatum, mandat Ordinario loci hoc modo: Auctoritate, qua fungor, iniungo tibi, vt Titium denunties excommunicatum: Sed Ordinarius dubitat de commissione illi à Sede Apostolica facta, vtrùm mandatum sibi iniunctum exequi teneatur. Respondet Innoc. III. quòd non teneatur exequi, nisi de mandato Apostolico certa ipsi fides fiat.

SVMMARIVM.

1. *Nisi delegatus de delegatione sua fidem authenticam faciat, non est ei necessariò parendum.*
2. *Ante litis contestationem pars litigans opponere potest defectum iurisdictionis, seu delegationis.*
3. *Si delegatus intelligat oppositionem friuolam esse, aut malitiosè opponi, cogere potest ad parendum.*
4. *Is, pro quo delegatus sententiam tulit, curet etiam mandatum seu commissionẽ coram Iudice, præsente parte, à Notario registrari ac transcribi.*

NOTANDVM Vn. Nisi delegatus de delegatione sua fidem authenticam faciat, non est ei parendum. Consentit c. cùm contingat 24. de rescript. Ratio est: Quia factum non præsumitur, sed probari debet; præsertim si allegetur in alterius præiudicium, vti hic docet Barbat. col. 2. & 4. & dixi lib. 1. Th. mor. tr. 1. c. 5. n. 30. Idémque dici debet de quibuscunque mandatarijs, procuratoribus, sed & legatis Apostolicis circa speciales facultates, vt ijs fides haberi debeat, mãdatum vel cõmissionem exhibendam esse. Qua de re Felinus hîc n. 11. 1

Sed declarari debet primò: Quòd aliquis possit quidem exigere literas delegationis, aut mandati, sed non debeat, si sine illis fi-

dem habere velit asserenti, vti hìc docet Abb. n. 4. Secundò: Si dominus qui potestatem delegat, præsens sit, vt facilè ex ipso quæri possit, tum literæ plerumque non exhibentur, vti hìc notat Barbatia col. 4. Tertiò:
2 Quòd pars litigans ante litis contestationem opponere possit defectum iurisdictionis, seu delegationis; sed non postea, nisi cum onere probandi seu ostendendi defectum, vti hìc notat Abb. n. 7. Barbatia col. 8. arg. c. inter Monasterium, 20. de re iudicata. Tametsi verò talem negatiuâ ostendere difficile sit, tamen nõ dicitur impossibile, saltem vt indirectè probetur, v.g. delegantem eo tempore non fuisse in loco, vbi & quando delegatio facta narratur, sicut Imola hìc notat n. 7.

Sed quid? Si exhibito mandato, Ordinarius, vel pars citata, nolit parere, inficiando iurisdictionem delegati prætextu falsitatis in rescripto apparentis, alterius ve defectus. Respond. Si delegatus intelligat oppositionem
3 friuolam esse, aut malitiosè opponi, cogere potest ad parendum, vti ex Hostiensi docet hìc Abb. n. 5. Barbat. col. 5. Quia Iudex non tantùm Ordinarius, sed etiam delegatus, exorto dubio, cognoscere potest, num sua sit iurisdictio, vti ex communi docet D. Martha de iurisdict. p. 2. c. 4. ex l. 2. ff. Si quis in ius vocatus non ierit, iun. Gloss. Videtur tamen discrimen hoc esse inter Iudicem ordinarium, ac delegatum, quòd ille iurisdictionem fundatam habeat, ideóque etiam in causa verè dubia ipsi parendum sit: cùm in dubio inter Superiorem, ac subditum præsumptio sit pro Superiore, argument. c. quid culpatur, 4. causa 23. q. 1. At verò delegatus Iudex non habet fundatam iurisdictionem: ideóque nisi eam ostendat, ita vt rationabiliter dubitari nõ possit, non competit ei vis compellendi, vti ex Hostiensi hìc annotauit Barbatia col. 5. & docet etiam Innocent. hìc n. 3. Ad extremum notanda est doctrina Gl. hìc ver. super mandato, quam explicant hìc Barbatia col. 11. Abb. n. 6. Felinus n. 8. & in c. vlt. de fide Instrumentorum. Tametsi in publico instrumento exhibeatur lata sententia à delegato Iudice, non tamen exinde ostendi, quòd is habuerit mãdatum ac iurisdictionem: quare cautus esse debet is, pro quo delegatus sententiam tulit, vt etiam mandatum, seu commissionem coram Iudice, præsente parte, à Notario registrari, ac transcribi curet. Nam alioquin si in actis publicis à Notario mentio tantùm facta sit delegationis, aut mandati procuratorij transumpti, ea res probat quidem productionem mandati, sed non tenorem, eius, vti singulariter Innoc. hìc notauit n. 4. Cæterùm, si constet, partem à Iudice delegato citatam, ac præsentem iudicio, ante ipsa contestationem nihil opposuisse, præsumptionem nasci pro iurisdictione eius, supra dixi, & tradunt DD. citati.

CAPITVLVM XXXII.

Cùm olim.

Paraphrasis.

Abbas quidam & Conuentus eius conquerentes de Comite Altisiodorense, quòd in eorum territorio stagnum, molendinum, & domum extruxisset, impetrarunt à Papa causam hanc quibusdam iudicibus delegari. Coram his lite contestata, receptis ab vtraque parte testibus, & testimonijs eorum publicatis, Comes opposuit quòd Iudices de damnis in nemoribus & alijs rebus illatis, testimonia recipere, aut cognoscere non debeãt, cùm in rescripto commissionis Apostolicæ nulla de damnis mentio facta sit. Sed Iudices de exceptione hac cognoscentes, interlocuti sunt, etiam de damnis cognoscere ad ipsos pertinere: Quo audito Comes à sententia ista ad Sedem Apostolicam appellauit. Iudices reiecta appellatione tanquam nõ legitima, Comitem denuo ad iudicium citarunt; sed cùm is neque per se, neq; per alium compareret, ipsum excommunicarunt. Hoc processu ad Papam Innoc. III. delato, respondet is; Cùm ad Iudices non spectarit cognitio de damnis illatis, eò quòd de his in rescripto mentio facta non fuerit, neq. Iudices iurisdictionem suã ex-

exten-

extendere seu prorogare potuerint; quemadmodum nec Procurator ad alia, quàm quæ in procuratorio mandato expressa sunt, constitutus esse censetur; ideo rectè egit Comes, quòd statim ac publicatis attestationibus intellexit testes super damnis illatis examinatos deposuisse, cõtradixerit: Iudices autem perperam interlocuti fuerunt; consequenter appellatio Comitis contra interlocutoriam legitimè interposita, sententia autem excomunicationis nullius roboris censeri debet.

SVMMARIVM.

1. *Qui violant immunitatem ecclesiasticam, etiam coram ecclesiastico Iudice conueniri possunt.*
2. *Non tantùm ædificans in alieno solo, sed etiam præparatoria faciens, v. g. locum adaptando, nemora succidendo &c. obnoxius est noui operis denunciationi.*
3. *Rescriptum delegationis est strictæ interpretationis; vnde non est extendendum de causa expressa ad non expressam, si ea connexa non sit, sed separabilis.*
4. *Iudex delegatus ex partium consensu iurisdictionem prorogare potest, si prorogatio sit dubia, & Iudice pro sua iurisdictione iudicante, parties appellando non contradicant.*

Si autem manifesta sit prorogatio quoad substantialia, ea fieri non potest; secùs est, si tantùm sit prorogatio quoad accidentalia; modò restrictionem factam esse constet principaliter in fauorem partium.

5. *Procurator ad lites mandatum suæ procurationis prorogare non potest, domino ignorante.*
6. *Mandatum procuratoris ad lites & negotia strictæ interpretationis est.*

1 NOTANDVM I. Qui violant iura & immunitatem Ecclesiasticam, vt Comes iste volens stagnum & molendinum in terra Ecclesiæ ædificare, ij coram Ecclesiastico etiam Iudice conueniri possunt: quare talia crimina censentur mixti fori, si Reus laicus sit. Ita sumitur ex c. cùm sit, 8. de foro compet. & docet hîc Barbat. col. 3.

2 NOTANDVM II. Non tantùm si quis re ipsa in alieno solo ædificet, sed etiam si præparationem faciat, v. g. locum adaptando, nemora succidendo, materiam aduehendo, locus est noui operis denuntiationi, de qua tit. 32. lib. 5. decret. Vel interdicto *Vti possidetis*, vt à violentia desistatur, sicuti Innoc. hîc docet princ. & Barbat. col. 4.

3 NOTANDVM III. Rescriptum delegationis est strictæ interpretationis: quare extendẽdum non est de causa expressa ad non expressam, si ea connexa non sit, sed separabilis. Sicuti in casu proposito: Mandatum cognoscendi, vtrùm Comes ius ædificandi habeat, & cognoscendi de damno illato diuersa, & separabilia sunt, cùm diuersas actiones requirant.

Cæterùm, si commissum sit alicui, vt iudicet de iure ædificare volentis, consequenter etiam prohibere & repellere potest ædificatorem, si ius non habere iudicatum fuit: quia id ad sententiæ executionem spectat, c. significasti, 7. hoc tit. Item si alicui commissum sit, vt de illata iniuria, damno, aut spoliatione iudicet, potest partem lædentem compellere ad restitutionem, aut satisfactionem: quia hæc connexa sunt, vt eadem actione peti soleant. Ita notat hîc Innocent. n. 2. Ioann. Andr. n. 8. Abb. n. 7. Cæterùm si post litis contestationem Comes ædificationis prosequendæ causa damnum in nemoribus dedisset, tunc causæ commissæ annexum fuisse, vti per sensum contrarium ex textu colligitur.

4 NOTANDVM IV. Iudex etiam delegatus, interloquendo pronuntiare potest, iurisdictionem sibi competere; adeò, vt si pars non appellet, sententia illius transeat in rem iudicatam. Qua de re Gl. fin. in Auth. habita, C. Ne filius pro patre, Barbat. hîc col. 9. Imolan. 9.

Quòd verò ijdem Doctores, & Abb. n. 3. Felinus n. 3. hîc disputant, vtrùm Iudex delegatus ex partium consensu iurisdictionem

nem prorogare possit, arbitror distinguendum: Vel enim prorogatio, seu extensio iurisdictionis vltra commissionis formam, manifesta est, vel dubia. Si dubia, & Iudex pro iurisdictione sua iudicet, nec partes appellando contradicant, tum fieri potest, vt iurisdictio prorogetur, sed per accidens propter ignorationem, & rei iudicatæ auctoritatem. Sin autem manifesta prorogatio, tum vel est quoad substantialia, cuiusmodi est prorogatio de casu ad casum, aut de persona ad personam. Et hæc fieri non potest etiam de partium consensu, vti sumitur ex hoc c. & ex c. P. & G. 40 hoc tit. vbi id docet Abb. n. 12. Ratio est: Quia delegatus habet iurisdictionem non absolutam (nisi sit ad vniuersitatem causarũ delegatus, vt dicam in cit. c. P. & G.) sed secundùm quid, seu limitatam ad causas & personas: quæ limitatio exactè seruari debet. Vel est prorogatio, quoad accidẽtalia, videl. locum, tempus, quantitatem rei. Tum prorogatio fieri potest ex partium cõsensu, dummodò appareat, limitationem seu restrictionem in earundem partium fauorem principaliter factam esse. Et quidem de prorogatione temporis, intra quod iuxta formã rescripti causa expedienda esset, leges in c. de causis, 4. hoc tit. De prorogatione loci in c. statutum, 11. § cùm verò, de rescript. in 6. vbi tamen expressus partium consensus requiritur. Quod speciale censeri debet; cùm alioquin expressi, & taciti eadẽ vis sit, iuxta Gl. in c. 1. ver. opera, d. 43. Deinde necesse est, vt locus, ad quem iurisdictio transfertur, subiectus sit iurisdictioni delegantis, vel saltem vt Ordinarius illius loci contentus sit, sicuti monet Abb. in cit. c. P. & G. n. 15. Denique de prorogatione ad qualitatem cõstat ex l. de qua re, 74. §. 1. iun. Gl. ver. iussus, ff. de iudicijs.

9 Veruntamen Procurator ad lites neque mandatum suæ procurationis prorogare potest domino ignorante; quippe cuius interest, nihil vltra commissionem suam agi, vti Imola hîc notat n. 10. Neque consentire potest Procurator, quamuis generale mandatum habeat, vt rescriptum, quod in domini sui fauorem ad locum, tempus, aut quantitatem restrictũ est, prorogationem consequatur; nisi dominus sciat, ac tacitè consentiat; vel nisi mandatum generale habeat cum libera, vti ex communi docet Felinus cit. c. P. & G. n. 11. Denique, vt suprà monui, necesse est restrictionem iurisdictionis factam esse in fauorem partium: Sin autem in vtilitatem mandantis, alteriúsue personæ, vel ob fauorem publicum, tum mandati fines exactè seruari debent, neque vltrà extendi possunt, vti hîc Abb. monet n. 9. ex c. cùm dilecta, 22. de rescript. & c. venerabili, 37. hoc tit,

Notandvm V. Mandatum procuratoris ad lites strictè etiam interpretandũ, 6
neque extendendum est ad ea, quæ non expressa, vel expressis necessariò cohærentia non sunt. Et eadem est ratio de procuratore ad negotia, sicuti hîc exemplificant Abb. & Felinus. Si Titius à Caio mandatum acceperit pecunias debitas recipiendi, confessio procuratoris de pecunia numerata non præiudicat domino, quando ille nõ ad confitendum, sed ad recipiendum duntaxat mandatum accepit. Verum quidem est, quòd confessio recepti debiti, v. g. ex causa mutui probet solutionem factam, c. si cautio, 14. de fide instrumentorum, sed non nisi eius respectu, qui confessus est, aut confessionem ficti mandauit.

Deinde: Si quis constitutus sit ad vendendum rem certam, pretio certo ipsi constituto, nõ potest fidem habere de pretij solutione; nisi sit consuetudo mandantis, vt emptoribus fidem habeat de solutione ad aliquod tempus differenda; vel si mandatarius prudenter rem domini agat, vt si is præsens esset, facilè consensum daret. Qua de re Mol. tom. 2. disp. 552. Vide quæ dixi lib. 3. Th. moral. tr. 4. c. 27. n. 6.

CAPITVLVM XXXIII.

Cùm olim.

Paraphrasis.

Cùm Sebastianus & Benedictus dignitatum suarum permutationẽ instituere vellent, contro-

controuersia inter eos orta fuit, quam Innocent. III. quibusdam Iudicibus delegauit: Ii acta per Benedictum ad eundem Pontificem transmiserunt. Sed lator Benedictus non sine iniuria delegatis Iudicibus, imò ipsi Pontifici illata, sigillis amotis, literas aperuit. Hac re postea ipsi coram Pontifice obiecta, excusauit, quòd Iudices acta non fideliter annotarint, ideóque se veritum, ne literas Vriæ deferret, eas aperuisse, & quod suspicatus erat, comperisse. Verùm, si Benedictus sibi consultum voluisset, literas sibi suspectas non recipere debuisset; aut, si recepit, integras afferre, & suspicionis suæ causas coràm exponere. Accedit, quòd Pontifex non proprio motu Iudicem Benedicto constituerit, sed quē ipsemet petierat. Quamobrem Innocentius obiecta eius contra Iudicum literas, quas temerè violarat, audire noluit: Ne ex proprio dolo commodum ferat; sed potiùs in eo ipso puniatur, in quo peccauit.

SVMMARIVM.

1. *Iniuria vel inobedientia Iudici delegato illata redundant in personam delegantis.*
2. *Qui literas, vel instrumentum malitiosè aperuit, aut falsauit, audiendus non est, si eas de falsitate arguere velit.*
3. *Iudicem à Principe datum pars litigans recusare potest vt suspectum, probabili allegata causa suspicionis; nō item eum, quem ipsamet pars petiuit, nisi causa recusationis superuenerit, aut incognita apparuerit.*
4. *Literas alterius aperiens, vt falsarius puniri non potest.*
5. *Falsarius autem est, qui à literis vel instrumento authentico sigillum, vel plūbum signatum auellit; vti & ille, qui instrumentum, quod partibus commune non est, ideo aperit, vt aduersario ostendat, & reipsa ostendit.*

1 NOTANDVM I. Iniuria vel inobedientia Iudici delegato illata, censetur redundare in personam delegantem, cuius auctoritate fungitur in officio ac potestate sibi commissa. Ita notant hîc Abb. n. 1. Barbat. col. 1. in confirmationem allegans dictum Christi Lucæ 10. *Qui vos audit, me audit; & qui vos spernit, me spernit*: Item praxin Iudicum delegatorum, ita procedentium; *Cùm N. mandatis nostris, imò veriùs Apostolicis non paruerit, &c.* Videtur autem, quòd hoc casu vterque, tum delegatus tum delegans iniuriam prosequi possit. Sed videri potest Barbatia hîc col. 2.

2 NOTANDVM II. Qui literas, vel instrumētum malitiosè aperuit, aut falsauit, postea audiendus non est, si eas de falsitate arguere velit. Tum quia æquum nō est, vt quis ex propria iniquitate cōmodum ferat, c. sedes, 15. c. ex tenore, 16. de rescript. Ille autem commodum ferre, tex literarum apertione, si postea eas de falsitate arguere posset. Tum quia æquum est aliquem in eo puniri, in quo peccauit: Ille autem peccauit in literis violandis & quodammodo falsandis: ergo meritò punitur, vt literas tanquam supectas, aut falsas arguere nō possit. Ex quo infertur, secundùm Abb. n. 3. Quòd qui clàm fecit sibi testiū depositiones manifestari, postea audiendus nō sit, si eas impugnare velit: Accedit, quòd cū semel deceperit, minor ipsi fides haberi debet, iuxta iuris reg. 8. in 6. *Semel malus semper præsumitur esse malus.* Nihilominus verò Iudex ex officio potest, ac debet cognoscere, num falsitas aliqua subsit, vti bene Barbatia hîc annotauit col. 6.

3 NOTANDVM III. Iudicem à Principe datum pars litigans recusare potest vt suspectum, illata causa probabili suspicionis: Sed Iudicem, quem ipsamet pars petiuit, recusare deinde non potest: nisi causa recusationis postea superuenerit, vel antea incognita apparuerit, vti colligitur ex c. insinuante, 25. hoc tit. & notat Barbatia hîc col. 6.

4 Quærunt hîc Doctores: Vtrùm iste literas aperiens, tanquam falsarius puniri potuerit. Affirmat Gl. hîc ver. sigilla, quam sequitur Barbatia hîc col. penult. Sed contrarium docent Innocent. & Abb. hîc, quos secutus sum lib. 3. Th. mor. tr. 3. p. 1. c. 4. n. 2.

Non esse propriè falsarium, neque vt talem puniendum esse, sed mitiùs, spectata qualitate facti. Quia crimen falsi continet veritatis peruersionem, vti dixi in cit. c. 4. Qui autem literas aperit, vt legat, is veritatem non peruertit.

5 Sed limitari debet primò: Qui à literis vel instrumento authentico sigillum, vel plumbum signatum amouet, falsarius censeri debet: quia peruertit veritatem, & auctoritatem literarum, vti hìc Felinus significat col. vlt. Idémque eadem ratione Syl. ver. falsarius, q. 3. tradit de eo, qui scripturas lacerat, vel comburit, vel dolosè abscondit, ne earum veritas apparere possit.

Limitari debet secundò: Nisi literas seu instrumentum, quod partibus commune non sit, ideo quis aperiat, vt Aduersario ostendat, secuto effectu, censetur falsi crimen commisisse, vti docent DD. citati; eò quòd hæc sit iuris, seu iustitiæ peruersio cum dolo, & alterius damno iuncta.

CAPITVLVM XXXIV.

Cùm olim.

Paraphrasis.

Quidam Presbyter intra fines Parochiæ S. Mariæ Rauennatensis Capellam seu Ecclesiam construxit in honorem S. Agathæ: Rector S. Mariæ se opposuit, & impetrauit causam quibusdam Iudicibus committi. Ii pro Ecclesia S. Mariæ sententiam pronuntiarunt: Sed Cappellanus S. Agathæ parere recusans, alias literas à Sede Apostolica impetrauit ad Ferrariensem Episcopum: Et cùm diu coram eo litigasset, postea obtinuit, vt dicto Episcopo Ludouicus Bononiensis Canonicus adiungeretur, hac adiecta clausula; Si non ambo interesse possint, vt solus Episcopus cognoscat. Accidit autem, vt Ludouicus causam cognoscere impeditus, alteri vices suas subdelegàrit: quem Episcopus recipere noluit, quòd clausula: *Si non ambo* verificata fuerit; ideóque solus iudicando, suprà dictorũ Iudicum sententiam contra Capellanum confirmauit. Sed quia Capellanus, qui etiam appellarat, sententiam Episcopi obseruare noluit, denique causa ad Sedem Apostolicam delata est, cui Innoc. III. Cardinalem quédam auditorem, seu cognitorem designauit; qui cùm videret, Clericum, seu Capellanum S. Agathæ cum instrumentis Ecclesiæ aduenisse, sed literas ratihabitionis non attulisse, eam de rato habendo per fideiussores cauere iussit, & postea Ferrariensis Episcopi sententiam confirmauit, atque Innocentius Papa approbauit.

Svmmarivm.

1. *Intra fines parochiæ non est noua capella seu parochialis ecclesia ædificanda, ædificata destruenda est.*
2. *Alterius causam agere permittitur coram iudice, etsi mandato procurationis careat; si secum causæ instrumenta afferat, & cautionem fideiussoriam de rato habendo præstet.*
3. *Delegatus subdelegatum collegæ impediti non tenetur admittere, si in rescripto est clausula; si vnus non potest, alter solus procedat.*

Notandvm I. Intra fines Parochiæ non est noua Capella, seu parochialis Ecclesia ædificanda: Et, si ædificata sit, destrui debet, c. 1. & 2. de noui operis nuntiat. Præterquam si Ordinarius ex causa iusta id necessarium iudicet, c. 3. de Ecclesijs ædif.

Notandvm II. Qui ad iudicium venit pro alio causam acturus, licèt mandatum procurationis, seu literas, quòd dominus rem ratã habiturus sit, secum non afferat, si tamen habeat secum instrumẽta causæ, præsumptio est pro eius mãdato, vt saltem cum cautione fideiussoria, quòd dominus, seu principalis rem ratam habiturus sit, admittatur. Ita sumitur ex l. 1. C. de Procuratoribus; *Cautio ratihabitionis tunc exigitur à procuratore, quoties incertum est, an res negotium mandatũ sit,* & tradit Gl. hìc ver. absq; literis, Innoc. princ. Abb. n. 2. & alij plerique. Verùm alius intellectus, quem affert Anton. hìc,

hic, Imola n. 9. Barbatia col. 11. improbabilis non est: quòd Capellanus ideo sine mandato ad agendum admissus fuit, præstita cautione *de rato*, quia prosequebatur causam Ecclesiæ suæ, iuxta doctrinam Gl. receptam in c. cùm olim, 34. de testibus, ver. per exceptionem. Quòd clericus ad agẽdum pro Ecclesia sua etiam sine mãdato admittitur, si caueat de rato. Vide quæ dixi in c. nonnulli, 28 not. 2. de rescript.

3 NOTANDVM III. Si duo Iudices dati sint, adiecta clausula, si vnus non possit, tum alter solus procedat; hoc casu si impedimentum incidat non voluntarium, sed necessariũ seu ineuitabile, quò minùs ille procedere queat, statim censetur purificata clausula, & totum procedendi ius alteri acquisitum: Consequenter impeditus subdelegare nequit, aut certè subdelegatus ab ipso per exceptionem repelli potest. Ita Gl. ver. quod non intelligitur, Innocent. n. 2. vbi ait, quòd hoc casu delegatus impeditus subdelegare quidẽ possit, sed collega non teneatur eum recipere: Idémque docet Imola n. 31. Ratio est: Quia rescripta Principum intelligi debent secundùm ea, quæ frequenter, non quæ rarò contingunt: sicuti hoc ipsum de legibus dicitur in l. Nam ad ea, 5. ff. de legibus: Id autem frequẽs est, vt delegatus ipsemet causam cognoscere nõ possit; id autem perrarò accidit, vt Iudex neq; per se, neq. per aliũ cognoscere queat: Ergo clausula illa, *Si non ambo &c.* secundùm priorem, nõ posteriorẽ intellectum accipi debet. Veruntamen cùm delegatus Principis ius habeat causam alteri subdelegandi, si impeditus sit, hoc iure vti poterit, nisi propter clausulam illam, quæ in fauorem collegæ adiecta censetur, contra subdelegationem excipiatur.

CAPITVLVM XXXV.

Cùm R.

PARAPHRASIS.

Raphaël Canonicus Ianuensis Ecclesiæ in controuersia, quam habebat cum Publio ciue Ianuensi, à Papa impetrauit Præpositum S. Dominici: Sed cùm is ciuem tunc absentem citasset, is excusauit, quòd propter multas & graues inimicitias ciuitatis suæ se coram Iudice illo sistere non posset. Quo intellecto Innoc. III. rescripsit Præposito, quatenus dicto Raphaëli permittat, vt seu in ciuitate, seu in diœcesi Ianuensi eligat virum prudentem (exceptis canonicis fratribus suis) coram quo causa cognoscatur; eidémque Iudici Apostolica auctoritate præcipiat, vt dictam causam, secundùm prioris tenorem remota appellatione definiat.

SVMMARIVM.

1. *Iusta causa non comparendi est, si citatus ad locum securè accedere non possit.*
2. *Conceditur iuxta stylum Curiæ certus Iudex à parte vna postulatus, si pars aduersa non contradicat.*
3. *Recusari potest Canonicus vt suspectus Iudex in causa Canonici.*
4. *Si principalis iusserit alicui, vt Iudicem aliquem constituat, constitutus is censebitur à mandante, non ab exequente.*

NOTANDVM I. Iusta causa non com- 1
parendi est, si citatus ad locum securè accedere non possit. Interdum verò saluus conductus securitatem præstare poterit. Interdum opus erit Procuratorem mittere, si is tutum accessum habeat, & causa ardua non sit. Qua de re vide, quæ hic scribit Felinus n. 2.

NOTANDVM II. Si pars vna certum 2
Iudicem in causa delegari postulet, stylus Curiæ est, vt concedatur; dummodò aduersarius contentus sit, aut iustam contradicendi causam nõ afferat. Ita sumitur ex c. nõnulli 28. de rescript. & notat hìc Abb. in fine. Barbat. col. penult. Monet tamen Imola hìc n. 15. & Gl. in l. obseruandum 47. ff. de Iudicijs, si vtraq; pars præsens sit in Curia, non dari Iudicem secundùm vnius tantùm partis petitionem. Quòd verò in hoc casu potestas

eligendi Iudicem quemcunque facta sit Raphaeli, ea secũdùm Gl. fin. in hoc c. specialis gratia fuit, ideo fortasse concessa: quia priùs etiam Aduersario gratia facta fuit, quãdo ad petitionem eius prior Iudex remotus est.

3 NOTANDVM III. Canonicum in causa Canonici aduersarij tui tanquam Iudicem suspectum recusare potes: propter præsumptionem affectionis singularis erga socium & fratrem. Qua de re dixi in c. causam, 17. & c. insinuante, 25. hoc tit.

4 NOTANDVM IV. Si principalis iusserit alicui, vt Iudicem aliquem constituat, constitutus is censebitur à mandante, non ab exequente. Ita notat hîc Felinus n. 3. cum Gl. in Clem. dudum, §. Huiusmodi, ver. obuentionibus omnibus, de sepulturis, Abb. in c. in causis. 30. n. 5. de elect. vbi ait, Quod fit per executorem, aut commissarium (secundùm committentis voluntatem) id censetur fieri ab ipso committente, argum. l. vnum ex familia, 67. §. 1. ff. legat. 2. vbi Bartolus exemplum affert: Si testator aureorum summam legarit ad pias causas arbitrio executoris applicandas, is verò applicet ad Ecclesiæ fabricam, ornamenta, aut luminaria, non exigi posse portionem canonicam, dummodò non fiat in fraudem Episcopi, iuxta c. vlt. de testament. & dixi de hoc lib. 3. Th. mor. tr. 5. c. vlt. n. 13.

CAPITVLVM XXXVI.

Cùm contingat.

PARAPHRASIS.

Si aliquis questus fuerit apud Pontificem, quòd ab Episcopo suo post appellationem legitimè interpositam, vel aliàs iniustè excommunicatus fuisset, Pontifex autem Iudicibus delegatis mandarit, si ita se res habeat, vt hominem absoluant; vel sententiam excommunicationis irritã esse declarent: verùm Episcopus contrarium ostendere paratus sit, quòd videl. ante appellationem interpositam, vel aliàs iustè excommunicauerit; quid tum agendum? Respondet Innoc. III. Hoc casu vtriusq; partis probationes admittendas esse, nam ex ijs apparebit, vtrùm excommunicatio iusta, an iniusta, vel omnino nulla fuerit. Cæterùm si quis proponat se iniustè excommunicatum fuisse, tum ordinariè statim absoluendus est, antequam eius probationes admittantur: Præterquam si asserat, in sententia errorem intolerabilem expressum fuisse; idque se mox ostensurum. Et in hoc ipso casu, si videl. quis dicat, iniustè se excommunicatum esse, Episcopus ad probationes, quòd iustè excõmunicarit, admittendus non est, antequã homo ille absoluatur: quia tametsi constaret rectè excommunicatum fuisse, tamen humiliter petenti absolutio impertienda foret: quare non nisi post absolutionem vtriusq; partis probationes admittendæ sunt, vt appareat iustè, an iniustè excommunicatio illata fuerit.

SVMMARIVM.

1. *Excommunicatus super sententia excommunicationis triplicem petitionem ponere potest; & quis cuiusq; effectus.*
2. *Testium depositiones cõcordandæ, si fieri potest, aliàs fides habenda maiori numero, digniori, aut qui verisimiliora & magis consona deponunt.*
3. *Exceptiones & probationes non admittidæ, si inutiles & nihil profuturæ sunt, vel tempore non competente proponantur.*

PRo intellectu huius c. aduerte, quòd excommunicatus triplicem petitionem super sententia excõmunicationis proponere possit: Prima est, dicendo sententiam esse ipso iure nullã, vt quia post interpositam appellationem lata fuit, vel quia intolerabilem iuris errorem continet, sicuti explicaui lib. 1. Th. mor. tr. 5. p. 2. c. 6. n. 2. Et hoc casu ante omnia Iudex cognoscere debet de valore excommunicationis: quia si irrita esset, frustra absolutio conferretur. Altera est, dicendo sententiam esse iniustè seu illicitè latam; non negando tamen validè latam esse: Et hoc casu ante omnia à Iudice absoluẽdus erit, si promittat Ecclesiæ mandatis se paruturum: postea autem receptis vtrinque proba-

bationibus cognoscendum, iustè ne, an iniustè excommunicatus fuerit. Quia siue vnum siue alterum ostendatur, parùm refert ad absolutionem; cùm vtroque casu conferenda sit, si satisfacere Reus paratus sit. Tertia est simplex petitio absolutionis, non allegando iniustam, vel irritam esse: Et hoc casu censetur supplicans fateri excommunicationem suam, vti bene hìc docet Barbat. col. 2. arg. l. ad solutionem, 5. C de re iudic. vbi dicitur, quòd à iudice petens solutionis dilationem, sententiæ eius acquiescere conuincitur.

2 Extextu autem NOTANDVM est I. Quòd interdùm ab vtraque parte litigantium testes recipiantur, quorum depositiones, si fieri possit, ad concordiam redigi debent, ne periurij crimine notentur, c. cùm tu, 16. de testibus. Sin id fieri nequeat, quia prorsus contraria inter se dicunt, tum fides habenda est testium numero maiori, digniori, aut qui verisimiliora, & magis consonantia deponunt, de qua re Gl. hìc ver. vtriusque partis, Barbatia col. 11. Abb. n. 7.

3 NOTANDVM II. Exceptiones, & probationes admittendæ non sunt, si vel inutiles, & nihil profuturæ sint, l. ad probationem, 21. C. de probat. Vel tempore nõ competente proponantur, vt hìc. Si tamen Iudex, exceptiones, quæ suapte natura prosunt, licèt non debito tempore afferantur, earundémque probationes, sine protestatione, admittat, tum sententiam super eis proferre debet, vti Gl. hìc docet, & sequitur Abb. n. 8. afferens exemplum, Si quis contra executionem sententiæ, posteaquam ea transiit in rem iudicatam, excipiat esse iniustam, licèt hæc exceptio tunc repellenda sit, iuxta c. inter Monasterium, de re iudic. si tamen ea à Iudice admittatur, & cognoscatur, tum etiam sententia proferri debet super iniustitia. Et hunc esse vnum casum, inquit, in quo sententia, posteaquam in rem iudicatam transiit, retractari debeat. Alterum verò casum esse, si pars victrix fateatur, sententiam fuisse iniustam, secundùm doctrinam Innoc. in c. quia plerique, n. 3. de immunit. Ecclesiar. Et tertius casus esse debet, si notorium sit aut fiat, sententiam iniustè latam esse. Quorum omnium ratio est; quia præsumptio iuris, & de iure, quæ pro iustitia rei iudicatæ esse solet, cedere debet contrariæ veritati cognitæ, aut probatæ. Videri tamen possunt, quæ contra dictam Abb. doctrinam objicit Barbat. hìc.

CAPITVLVM XXXVII.

Venerabili.

PARAPHRASIS.

Cùm Cephaludensis Episcopus à Friderico II. Imperatore spoliatus esset, Honorius III. mandauit Archiepiscopo Cusentino, vt illũ ad Episcopatum, & alia sibi erepta restitui curaret; eóque plenè restituto, atque corporalem & pacificam possessionem adepto, si Episcopus ob dilapidationem bonorum meritò suspectus est, virum prouidum & honestum coadiutorem eidem adiungat, sine cuius consilio nihil circa temporalia administrare debeat; donec Pontifex, veritate plenius perspecta, aliter prouideat: interim verò vtrique omne genus alienationis interdictum sit.

Sed quia Archiepiscopus corporis infirmitate impeditus erat, causam hanc primùm Abbati Panormitano, postea Thesaurario Cusentino subdelegauit. Vtriusque autem processus Pontifex Honorius cassauit: Abbatis quidem, quia contra Apostolici rescripti formam, priusquam Episcopus restitutus esset, inquisitionem de ipso instituit, an de dilapidatione suspectus sit. Thesaurarij verò; quia Archiepiscopus non poterat illi causam committere, posteaquam officio suo functus fuerat.

SVMMARIVM.

1. *Spoliatus iniustè ante omnia plenè restitui debet.*
2. *Si Episcopus & alius Prælatus ecclesiasticus suspectus de dilapidatione bonorum est, Coadiutor ei interdum datur, ita vt non omnis administratio, bono-*

rum tamen alienatio ei penitus interdicatur; interdum si maius periculum sit, interdicitur ei administratio in temporalibus.

3. *Si delegatus Principis causam totam subdelegauit, functus est officio suo, postquam subdelegatus causam agere cœpit.*

4. *Delegans delegatam à se potestatem reuocare potest validè & licitè, si iustam reuocandi causam habeat.*

5. *Princeps aut quicunque Ordinarius iurisdictionem, etiam ad vniuersitatem causarum contentiosam aut voluntariam in externo vel interno foro delegans, eam pro libitu suo reuocare potest.*

6. *Reuocare possunt etiam inferiores Ordinarij, eorumque Successores priuilegia & facultates, si merè gratuitò concessæ sint, ita vt non transierint in donationem aut pactum propter aliquid vicissim receptum.*

1 NOTANDVM I. Spoliatus iniustè ante omnia plenè restitui debet, ita vt corporalem possessionẽ rerum ereptarum, mobilium & immobilium, vnà cum fructibus recuperet. Ita habetur etiam in causa 2. q. 2. c. 1. & seqq. & tradit Gl. hîc ver. plenariè, Innocent. n. 1. Abb. n. 2. Barbat. col. 3. Videri potest c. 1. de restit. spoliat. in 6.

2 NOTANDVM II. Si Episcopus, aliúsue Ecclesiæ Prælatus de dilapidatione bonorum non immeritò suspectus esse summaria inquisitione ac processu cognoscatur, interdum à Superiore (qui comparatione Episcopi, Summus Pontifex est) Coadiutor ei datur, ita vt licèt non omnis administratio, tamen bonorum alienatio ei penitus interdicatur, sicuti hîc notat Abb. n. 8. Imola n. 2. Barbat. col. 4. & 18. Gl. in c. licet Heli, 31. ver. de dilapidatione, de Simon. Interdum verò, si maius periculũ esse videatur, statim suspenditur, seu interdicitur ei administratio in temporalibus, iuxta cit. c. licet Heli, & c. vlt. de accusat. & videri potest Archidiaconus in c. Vulteranæ, 25. causa 12. q. 2. Postea verò plenus, & ordinarius processus instituitur, vt appareat, quomodo Ecclesiæ prouidendum; & num Prælatus omnino deponendus sit. Sed potest etiam, non præmissa inquisitione, an suspensus sit, statim fieri processus super veritate, videl. dilapidatione, si de ea infamatus sit, vel accusator aut denuntiator adsit, qui ob Ecclesiæ periculum amouendum, per testes, aliáue indicia veritatem demonstrare paratus sit, vti hîc Abb. notat n. 8.

NOTANDVM III. Si delegatus Principis causam totam alteri subdelegauit, censetur functus officio suo, postea quam subdelegatus causam agere cœpit. Quamobrem ex eo tempore non potest se ampliùs immiscere, aut commissionem factam ad se reuocare, aut alteri committere. Ita notat Gl. hîc communiter recepta, ver. vices suas. Sed dum res integra erat, seu subdelegatus nondum iurisdictione vti cœperat, poterat subdelegans potestatem reuocare, vti Gl. mone. ver. non potuit. Quia id commune est omni commissioni ac mandato, vt dum res integra est, potestas commissa ad mandantem magis spectare censeatur, ideóque arbitratu eius reuocari possit. Consentit c. quamuis, 6. eod. in 6.

Sed obijci potest: Quòd processus Abbatis contra formam rescripti Apostolici (quæ perinde à subdelegato, vti à delegato obseruanda erat) institutus, omnino irritus fuerit; Ergo eo non obstante, poterat se immiscere Archiepiscopus, qui ei commiserat. Respondeo, cum Imola hîc n. 28. Quòd Abbas causam sibi commissam agere cœperit quando eos, qui violentiam Episcopo intulerunt, citauit, licèt postea perperam processerit. Vide quæ dicta sunt suprà c. gratum, 20. hoc tit.

QVÆRES: An ipsemet delegans delegatam à se potestatem reuocare possit. Resp. & dico I. Certum est, quòd reuocare possit, si res integra sit, seu iudicium nondum cœpit. Sed etsi cœptum fuerit, saltem validè reuocabit; quin etiam licitè, si iusta reuocandi causa subsit: vt quia, sublato impedimento, ipsemet causam cognoscere vult: dummodò delegatum indemnem seruet; ne ipsi officium

cium suum damnosum sit. Nam ita etiam de alijs mandatarijs, ac procuratoribus, docent DD. in §. rectè, Instit. de mandato, & videri potest Mol. tomo 2. disp. 552. n. 6. & quæ dixi lib. 3. tr. 4. c. 26. n. 6.

5 Dico II. Si Princeps, aut quicunque Ordinarius iurisdictionem, etiam ad vniuersitatem causarum, contentiosam aut voluntariam, in externo vel interno foro delegarit, eam arbitratu suo reuocare potest. Ita ex cõmuni docet Suarez in 3. p. tom. 4. disp. 26. sect. 3. Sanchez lib. 8. de matrim. disp. 33. n. 6. vbi monet, hanc doctrinam maximè veram esse, si Princeps iurisdictionem alicui etiam gratiosè commiserit v. g. ad dispensandum, legitimandum, à peccatis absoluendum. Quia, vt Baldus monet in l. 3. n. 10. C. de bonorum possess. vnde liberi, in concessione iurisdictionis semper intelligitur excepta suprema potestas Principis. Sed & inferiores

6 Ordinarij eorúmque successores priuilegia & facultates reuocare possunt, si merè gratuitò datæ sint, ita vt non transierint in donationem aut pactum, propter aliquod vicissim receptum, sicuti idem Baldus monet, & legi possunt, quæ docui lib. 1. tr. 4. c. 23. n. 25. & seqq.

CAPITVLVM XXXVIII.

Significantibus.

Paraphrasis.

Iuliana nobilis vidua, mentiens se pauperem literas à Sede Apostolica ad quosdam Iudices impetrauit super controuersia, quâ habebat cum Margaretha & filio eius. Hi citati coram Iudicibus excipiendo proposuerunt, quòd literæ subreptitiæ essent, quippe per suggestionem rei falsæ obtentæ; cùm Iuliana dines esset: quamobrem coram Domino, sub cuius iurisdictione erant, se conueniendos esse, & non coram alijs Iudicibus, illo non requisito. Hoc audito, Iudices illi delegati interloquendo pronuntiarunt, se vigore earum literarum procedere non posse. Deinde verò partes compromiserunt in arbitros, hac conditione, vt si ij intra tempus ipsis constitutum, causam non deciderent, ad eosdem illos Iudices denuo deuolueretur. Cùm autem arbitri intra tempus definitum non pronunciarent, iudices delegati iurisdictionem, iuxta compromissi formam, resumpserunt: Sed cùm partes se grauari ab illis sentirent, ad Sedem Apostolicam appellarunt: Eóque cognito processu Gregor. IX. respondit, acta eorum Iudicum irrita declaranda esse.

Svmmarivm.

1. *Iudex ecclesiasticus in causis ciuilibus personarum, alterius temporali iurisdictioni subiectarum, ordinariè se non intromittit, nisi in extraordinarijs casibus, videl. propter defectum & negligentiam secularium Iudicum; item in causis personarum miserabilium, quales sunt pauperes, & oppressi, & ope destituti.*
2. *Si Iudex delegatus pronunciat, sibi nullam iurisdictionem competere, parte non appellante à sententia hac interlocutoria, transit ea in rem iudicatam.*

PRo intellectu huius c. aduerte; Quòd 1
Iudex Ecclesiasticus in causis ciuilibus personarum, alterius temporali iurisdictioni subiectarum ordinariè se non intromittat, iuxta c. nouit, 13. de iudic. c. causam, 7. Qui filij sint legitimi: sed in quibusdam casibus extraordinarijs, videl. propter defectum, seu negligentiam Iudicum secularium, c. licet, 10. de foro compet. Item in causis personarum miserabilium, cuiusmodi sunt pauperes, & oppressi, atque ope destituti, c. super quibusdam, 26. in fine, de verb. signif. c. 1. & 2. d. 87. Hæc itaque causa fuit, cur rescriptum & delegatio Apostolica subreptitia iudicata sit, quia eam causam Pontifex nõ suscepisset, sed ad proprium seculare forum ablegasset, si viduam nobilem ac diuitem esse sciuisset. Vide quæ dixi lib. 4. tr. 9 c. 2. n. 2. & 3.

Notandvm Vn. Si Iudex delegatus 2
pro-

pronuntiet, sibi nullam iurisdictionem, seu ius de causa hac cognoscendi competere, & pars litigans à sententia hac interlocutoria non appellet, iuxta c. dilectus 34. de prębend. transit ea in rem iudicatam: vt postea officium Iudicis in eadem causa, sine noua commissione assumere non possit: Ne quidem ex partium consensu; cùm partes nullam habenti iurisdictionem conferre non possint, l. priuatorum, 3. C. de iurisdict. Ita Gl. hîc ver. procedere, Barbat. col. antepen. Quemadmodum enim, inquit hîc Abb. n. 7. Si orto dubio de valore rescripti, Iudex pronuntiet iurisdictionem sibi competere, & pars non appellet, processus validus cēseri debet, propter rei iudicatæ auctoritatem, vti idem docuit in c. super literis, 20. in fine, de rescript. Ita & vice versa, si Iudex delegatus iudicet contra valorem rescripti, & pars impetrans non appellet, non poterit deinde Iudex procedere, quia officio functus censetur.

Obijcies: Si Iudex iurisdictionem aliquā habet, tum partes in ipsum consentiendo iurisdictionem eius prorogare possunt, l. 1. ff. de Iudicijs. Sed rescriptum ad lites subreptitium, cùm non sit ipso iure nullum, sed tantùm ope exceptionis, c. 3. & c. plerumque 23. de rescript. Iudici delegato iurisdictionē aliquam confert, vti hîc Abb. docet n. 8. Ergo partes consentiendo in hos Iudices potuerunt illius iurisdictionem confirmare, & quodammodo prorogare. Resp. Licèt partes consentiendo in Iudices delegatos possint supplere defectum iurisdictionis, qui est ex parte rescripti subreptitij; non tamen eum, qui est ex parte obiecti, ipsiúsque veritatis; quandoquidem in casu nostro causæ ciuiles personarum non miserabilium non pertinent ad Iudicem Ecclesiasticum, nisi ob negligentiam Iudicis laici. Sed vtrùm interueniente postea negligentia Domini secularis, Iudices in huius rescripti, saltem ex partium consensu procedere potuerint, meritò dubitari potest. Affirmat Abb. loco cit. Sed arbitror, probabiliùs negari: cùm non sit consuetudo Ecclesiasticorum Prælatorum, vt causas seculares committant, antequam ad ipsos deuolutæ sint, vti bene annotauit Innoc. hîc n. 1. Igitur hoc rescriptum ex errore substantiali promanans, omni iure irritum fuisse videtur, per quod nulla omnino iurisdictio collata fuerit.

CAPITVLVM XXXIX.

Suspicionis.

PARAPHRASIS.

Quidam Iudex delegatus à Reo vt suspectus, recusatus erat. Ad causam hanc suspicionis cognoscendam arbitri à partibus electi sunt: Sed dubitabatur, vtrùm Iudex recusatus arbitris terminum præfinire posset, intra quem cognoscere debeant. Respondet Gregor. IX. Quòd nō possit, cùm ipse in hac causa suspectus sit, ne fortè noceat: sed ipsimet arbitri partibus terminum ad probationes suas afferendas statuere, sicut & alia omnia agere debent, quæ ad hunc suspicionis articulū spectant. Verùm Iudex delegatus (cui vnà cum iurisdictione, reliqua etiam, sine quibus ea exerceri nequit, commissa censentur) arbitros compellere potest, vt vel concordent in eadem sententia, vel tertium arbitrum aduocent, cum quo vnus, vel ambo consentiant: ne alioquin causæ principalis definitio plus iusto differatur.

SVMMARIVM.

1. *Si Iudex recusetur, eligendi sunt arbitri ad causam recusationis cognoscendam, nisi ea in iure expressa, aut aliàs notoria sit, aut recusatio manifestè iniusta vel friuola.*
   Item si duo Iudices delegati sint cum clausula: Si non ambo potestis, &c. *alter de alterius recusatione cognoscit.*
2. *Si arbitri duo non concordent, tertius ab ijs eligendus est, qui eorum discordiam dirimat.*
3. *Etsi arbitri voluntarij non cogantur arbitrium suscipere; cogi tamen possunt, qui ex iuris necessitate eligi debent.*

No-

1 NOTANDVM I. Si iudex vt suspectus recusetur, ex causa probabili, quæ si probata fuerit, legitima reputabitur (ait Gl. hîc ver. suspicionis causa) tum ex partium consensu arbitri eligendi sunt, qui de tota causa suspicionis cognoscant, per potestatem ipsis à iure collatam, vti Imola hîc obseruat n. 11. Ita etiam habetur in c. cùm speciali, 61. de appellat. & c. 2. eod. in 6. & videri potest Ioann. Andr. hîc.

Excipe primò: Si causa recusationis in iure expressa, aut aliàs notoria, seu indubitata sit; aut si recusatio Iudicis manifestè iniusta, aut friuola est, his casibus opus non est, vt in arbitros cõpromittatur, sicuti Gl. notat incit. c. cùm speciali, ver. iustæ suspicionis.

Excipe secundò: Si duo Iudices delegati sint cum clausula, *si non ambo potestis, &c.* tum de causa suspicionis, vni obiectæ, alter cognoscere potest, c. si contra 4. eod. in 6.

2 NOTANDVM II. Si duo electi arbitri non concordent, cogi debent à Iudice ad eligendam personam tertiam, cuius auctoritate discordia eorum dirimatur. Ita etiam de voluntarijs arbitris habetur in l. Item si vnus, 17. §. principaliter, ff. de recept. qui arbitrium, c. innotuit, 12. de arbitris. Posteaquam verò arbitri sententias suas in discordia dixerunt, videntur esse functi officio suo, vt tunc nihil amplius agere possint: quamobrem hoc casu ad Superiorem recurrendum est, arg. c. vlt. de sent. & re iudic. & tradit hîc Ioan. Andr. n. 9. Abb. n. 11. contra Speculatorem in tit. de recusat. §. vlt. ver. Quid si arbitri electi, Imolam hîc n. 21. qui dicunt, arbitros, etiam post latas à se diuersas sententias posse tertium vt diremptorem eligere, cùm textus c. huius nihil distinguat, num sententia lata sit, an ferenda. Quam sententiam ob auctoritatem Speculatoris probabilem, imò & æquitati consonam esse, ne causa delegata maneat indiscussa, censet Abb. hîc, quamuis prior, vt dixi, de iure verior.

3 Denique notat Gl. communiter recepta ver. Ad quos, Tametsi arbitri voluntarij non cogantur arbitrium suscipere, l. 3. §. 1. ff. de receptis, qui arbitrium, &c. secùs tamen sentiendum de his arbitris, qui ex iuris necessitate eligi debent, eos ad suscipiendum id munus compelli posse.

CAPITVLVM XL.

P. & G.

PARAPHRASIS.

Publius, & Gaspar Mercatores, literas Apostolicas contra Episcopum Londonensem impetrarunt ad Abbatem S. Genouefæ, in causa mutui, quod suo loco & tempore ipsis persolutum non fuerit. Pendente hoc iudicio, ad eundem Abbatem, Apostolicum delegatum, Innocentius laicus accessit, qui & ipse mercatori pecuniam debebat, asserens coram Abbate, nisi debitum intra terminum constitutum solueret, vt excommunicationis & interdicti sententiam in ipsum, & terram eius promulgaret. Re hac intellecta, respondit Gregor. IX. censuras ea occasione latas ab Abbate in dictum Innocentium irritas esse: Cùm enim is Abbatis iurisdictioni subditus non esset, non potuit eius iurisdictionem prorogare: quia delegata iurisdictio de persona in personam non extenditur: tametsi Iudex ille delegatus, videl. Abbas, ordinariam etiam iurisdictionem aliquam habeat.

SVMMARIVM.

1. *Promittens certo loco, aut tempore solutionem, si in mora sit, compensare debet, quatenus creditoris interest, solutionem iuxta conuentionem factam non esse.*
2. *Reus obligare se potest coram iudice suo, nisi intra tempus definitum præstiterit, ad quod de iure obligatus est, vt excommunicationis vel interdicti pœnæ subiaceat.*
3. *Iurisdictio delegata non potest prorogari seu extendi de persona in personam, nisi in duobus extraordinariis casibus.*
4. *Etiam si ea concurrat cum ordinaria.*

1 NOTANDVM I. Qui promiſit certo loco, aut tempore ſe ſoluturum, ſi eo loco, aut tempore (dummodò is in mora ſit) nõ ſoluat, compenſare debet tum damnum inde emergens, tum lucrum ceſſans, adeóque quatenus intereſt creditoris, ſolutionem, vti conuentum erat, factam non eſſe. Ita habetur in l. 2. ad finem, & l. 3. ff. de eo quod certo loco, & docet hîc Gl. communiter recepta, ver. loco, & termino.

2 NOTANDVM II. Reus obligare ſe poteſt corã Iudice ſuo, niſi intra tempus definitũ præſtiterit, ad quod de iure obligatus eſt, vt excommunicationis, vel interdicti pœnæ ſubiaceat. Ita docet Gl. hîc ver. promulgares, quam DD. communiter ſequuntur, vti videre eſt apud Abb. num. 6. Imolam n. 25. Quemadmodum, inquit Gl. aliquis ſe obligare poteſt ſub pœna beneficij amittendi, c. cùm dilectus, 32. prope finem, de elect. & c. vlt. iun. Gl. ver. cauſæ, de crimine falſi.

Verùm hæc dicta declaratione indigent: Nam ad pœnam amittendi beneficij clericus ſe obligare poteſt, cum ordine ad Superioris voluntatem, per quam priuari poſſit, vti bene admonet hîc Gl. marginal. Quòd verò attinet ad cenſuræ, v. g. excommunicationis ſententiam inferendam, niſi debitum v. g. intra definiti temporis terminum ſolutum fuerit, diſtinguendum eſt: Vel enim Reus ſubijcit ſe *ſententiæ* poſtea *ferendæ*; tunc intelligi id debet ſecundùm iuris communis diſpoſitionem, vt antecedat monitio, & cognoſcatur de contumacia. Quare hoc caſu promittens non nouam obligationem contrahit, ſed priorem grauiorem facit, quando cum excommunicationis ſibi inferendę mẽtione ſe obligat, iuxta c. Ego Berengarius, 42. d. 2. de conſecrat. Vel Reus ſubijcit ſe *ſententiæ latæ* ſub conditione, ſi non ſatisfecerit. Et hoc fieri non poteſt, niſi Iudex velit, & exprimat, ſe ea ſeueritate præcipere Reo, vt ſi intra tempus præfixum non ſatisfecerit, ipſo facto excommunicationis ſeu ſententiam incurrat. Quo caſu opus non erit alia monitione: quia ipſum præceptum, iuſta de cauſa ita latum perpetuò admonet, vti ex communi tradit Suarez de cenſur. diſp. 3. ſect. 8. n. 5. Neceſſe tamen eſt, vt Iudex, priuſquam hominem pro excommunicato habeat, ac denuntiet, eodem ad ſe cito, de crimine contumaciæ cognoſcat: quia fieri poteſt, vt aliquid ante terminum ipſum ſuperuenerit, quod eum excuſarit, & inculpatum reddidit; vt quia ſoluere non potuit; aut non debuit, eò quòd creditor ipſi condonarit. Qua de re legi poteſt Innocent. hîc, Ioan. Andr. n. 3. Felinus n. 2. Suarez cit. diſp. 3. ſect. 6. n. 8.

NOTANDVM III. Iuriſdictio delegata non poteſt prorogari, ſeu extendi de perſona in perſonam. Ratio eſt: Quia iuriſdictio delegata, cùm potiùs ad delegantem pertineat, quàm ad delegatum, ſuapte naturâ ſtrictæ interpretationis eſt, & vltra terminos commiſſionis non extendenda. Excipe primò: Quòd ad perſonas, quæ per accidens, ſiue acceſſoriè veniunt, extendi poſſit iuriſdictio delegati, vt ſi tertia perſona, cuius intereſt, ius ſuum ponat coram delegato, vt etiam ſuprà indicaui in c. cùm ſuper, 23. not. 1. hoc tit. vel ſi coram delegato fideiuſſor datus compellendus ſit ad ſatisfaciendum. Qua de re Felinus hîc num. 5. Excipe ſecundò: Quòd iuriſdictio delegati ad vniuerſitatem cauſarum prorogari poſſit, ſecundùm probabilem doctrinam Gl. in l. 1. ver. qui tribunali, ff. de iudicijs, quam hîc ſequi videtur Felinus num. 6. fallent. & contra Abb. n. 5. Nam hæc iuriſdictio ordinariè æquiparatur, ſecundùm Gl. in c. cùm cauſam, 62. ver. delegatus, in fine, de appellat. Iuriſdictio autem ordinaria cum partium, ipſiúſque Iudicis conſenſu ad perſonas alioquin non ſubiectas prorogari poteſt cit. l. 1. iun. Gl. Verùm ad hanc prorogationem requiritur tum voluntas, tum poteſtas ſe ſubijcientis Iudici. Defectu voluntatis inutilis eſt prorogatio, ſi quis ideo reſpondeat coram Iudice, quia falsò exiſtimat, ſe eius iuriſdictioni ſubditum eſſe, vti notat Gloſ. hîc, ver. prorogatio nulla. & Felinus hîc, conſtátq; ex l. ſi per errorem, 15. ff. de iuriſdict. vbi & ratio aſſignatur: *Cùm non conſentiant, qui errant: quid enim tam contrarium conſenſui eſt, quàm error?* Defectu poteſtatis clerici ſubijcere ſe non poſſunt laicorum iuriſdictioni, cùm exemptio Clericorum ob publicum

blicum Ecclesiæ fauorem constituta sit, c. si diligenti, 12. de foro compet. Sed neque in Ecclesiasticum Iudicem alienum, absque Ordinarij sui licentia, Clerici consentire possunt, iuxta c. significasti, 18. eod. tit. & tradit Innoc. in c. de causis, 4. n. 1. hoc tit. Ratio afferri debet: quia quòd iurisdictio ad personas Iudici non subiectas ex earundem consensu prorogari possit, id Cæsareis legibus introduci potuit quoad subditos Imperij; non item quoad subditos alienos; cuiusmodi sunt Clerici. Ex quo resoluit Rodriq. tom. 1. regul. quæst. 36. art. 5. ibid. Abb. num. 10. Quòd exempti à iurisdictione Episcopi, & immediatè subiecti Papæ, tanquam proximo suo Ordinario, sine eiusdem consensu, Episcopali iurisdictioni subijcere se non possint. Quod tamen intelligi debet secundùm forum contentiosum. At verò in foro sacramentalis pœnitentiæ, ad absolutionem accipiendam à peccatis; & in actibus iurisdictionis voluntariæ ad petendam dispensationem in votis, legibus ieiuniorum &c. accedere possunt exempti ad Episcopum diœcesanum; ne alioquin cedat exemptionis priuilegium in ipsorum incommodum, contra iuris regulam 61. in 6. *Quod ob gratiam alicuius conceditur, non est in eius dispendium retorquendum.* Idque notat Syl. ver. absolutio, 5. n. 2. & dixi lib. 1. tr. 4. cap. 23. num. 7. §. Denique.

4 His adde: Tametsi in eandem personam concurrant ordinaria iurisdictio, & delegata, vt si Episcopo causa aliqua à Sede Apostolica commissa sit, non posse prorogari iurisdictionem eius delegatam, vti ex textu huius c. constat.

CAPITVLVM XLI.

Cùm vicesimum.

PARAPHRASIS.

Qui vicesimum ætatis annum compleuit, iudex delegatus esse potest. Sed ante eam ætatem nemo delegari potest, præterquam à Principe: Aut nisi partes scienter consentiant, vt alicui, qui tamen decimum octauum annum excessit, delegatio fiat.

SVMMARIVM.

1. *Iudex ordinarius in externo foro constitui non potest minor* XXV. *annis; nisi loci consuetudo aliud, vel Princeps minorem natu constituat.*
2. *Delegatus esse potest, qui vicesimum annum compleuit; minoris adhuc ætatis esse potest, si à Principe ex certa scientia detur; vel in talem partes consentiant.*
3. *Minor* XX. *annis arbiter constitui nequit.*
4. *Mortuo Rege aut Principe successori regni, vel principatûs administratio permittitur subinde, modo pubes sit. in quibusdam tamen prouinciis plena pubertas, hoc est, ætas 18. annorum expectanda est.*

CIrca quæstionem hanc, quanta ætas in iudice requiratur, distinguere oportet, vtrùm sit Iudex ordinarius, an delegatus. Et num à Principe datus, an ab inferiore: Denique vtrùm ex partium consensu, an sine eo.

Igitur Dico I. Iudex ordinarius in externo foro constitui non potest minor XXV. annis, l. cùm lege, 41. ff. de recept. qui arbitrium, &c. l. Ad Rempubl. 8. ff. de muneribus, l. non tantùm, 11. ff. de decurionibus. Cùm enim minores natu ad propria administranda non satis idonei iudicentur, multò minùs ad Rempublicam administrandam, inquit Abb. hîc n. 5. Excipe primò: Nisi consuetudo loci permittat, vt ante legitimam ætatem Iudices ordinarij creentur, vti significatur in cit. l. non tantùm. Excipe secundò: Quòd minor natu à Principe Iudex constitui possit; quia censetur dispensare in ætate; dummodò ex certa scientia egerit, l. quidam, 57. iun. Gl. ver. decreuit, ff. de re iudic. & tradit Gl. communiter recepta in

l. cùm Prætor, 16. ver. & impubes, ff. de iudic. Vide Imolam hìc & Abbatem.

2 Dico II. Minor xxv. annis potest esse Iudex delegatus; adeò vt partes ratione solius ætatis recusare ipsum non possint: dummodò annum vicesimum compleuerit. Ita sumitur ex hoc c. & cit. l. quidam. Id verò speciale est, quòd inuitus non cogitur delegationem vel arbitrium acceptare: sin autem acceptauit, cogitur sententiam dicere: sed potest petere restitutionem in integrum, si ex imprudente acceptatione læsus sit, cit. l, cùm lege.

Porrò requisitum illud, quòd Iudex delegatus vicesimum ætatis annum compleuisse debet, limitandum est primò: Nisi Iudex à Principe datus sit, quippe qui in ætate dispensare potest. Requiritur tamen, vt Princeps ex certa scientia minorem annis xx. iudicem dederit: alioquin rescriptum subreptitium censebitur. Deinde valde probabiliter dicitur cum Imola hìc n. 12. Abb. num. 2. quòd Princeps impuberem ad iudicandum inter partes habilitare non possit. Nam Principi concessum non est iura naturalia, & quæ gentium omnium communia sunt, mutare, §. naturalia, Instit. de iure natural. gent. & ciuili. Sed vt impuberes Iudices constituantur, à natura & omnium gentium consuetudine alienum est, cùm iudicij maturitatem consecuti non sint, vti constat ex l. cùm prætor, 12. de iudic.

Limitandum est secundò: Nisi partes consentiant, vt minor xx. annis, dummodò octodecim annos compleuerit, iudex à non Principe delegetur, vt hìc, & in cit. l. quidam. Sed compromissarius, vel arbiter, 3 à partibus constitui non potest, qui minor est xx. annis, vti constat ex cit. l. cùm lege. Rationem leges in Gl. hìc ver. ætatem: quia multa sunt remedia in iudicio, vt supplicatio, appellatio, quæ in arbitrio non sunt. Cæterùm, si arbiter eo tempore, quo sententiam inter partes præsentes fert, ætatem legitimam habeat, etsi ante assecutus non fuerat, valet quod agitur: quia partes denuò in illum compromittere censentur, dummodò scienter agant, vt Imola hìc notat num. 8. Barbat. col. antepen. vbi benè monent, secùs esse in iudice, quippe qui à partibus iurisdictionem accipere non potest.

Quærunt hìc Abb. & Barbat. Si mortuo 4 Rege, aut Principe successor legitimam ætatem non habeat, quamuis pubes sit, num regnum administrare possit, an verò administrator seu curator statuendus. Quam q. in vtramque partem disputat Ioan. Andr. in addit. speculi, quæst. 1. posteriorem eam partem eligens. Sed contrarium tenet Abb. & ita obseruari solet, vt regni administratio natu minori relinquatur, si pubes factus sit: In quibusdã verò prouincijs plena pubertas expectanda est, quæ 18. ætatis anno contingit, l. adrogato, 40. ff. de adoption. Neque refert, quòd minor natu ad graues controuersias decidendas idoneus non sit. Nam etiam fœmina ad iudicandum idonea non censetur, reg. 2. ff. & tamen si ex successione ei regnum debeatur, administrationem habet; cùm possit Iudices idoneos constituere.

CAPITVLVM XLII.

Vno.

PARAPHRASIS.

Si vnus ex Iudicibus delegatis, vel arbitris vità excesserit, etiam aliorum officium expirat: nisi in delegatione, vel compromisso clausula adiecta sit, *si non ambo, aut si non omnes*, &c.

SVMMARIVM.

1. *Potestas plurium delegatorum & arbitrorum expirat per mortem vnius: nisi clausula* si non omnes, &c. *adiecta sit, vel res integra non sit, &c.*
2. *Secùs est in arbitratoribus.*

NOTANDVM Vn. Sicuti mortuo vno 1 delegatorum, aliorum potestas expirat, si res integra sit, sic etiam se res habet in arbitris, quòd mortuo vno delegato Iudice, alterius vel aliorum plurium iurisdictio expi-

rat,

rat, constat etiam ex c. licet, 30. hoc tit. & c. Raynaldus 18. de testament. Ratio verò est, quæ affertur in l. duo ex tribus, ff. de re iudic. Quia *omnes* simul *iudicare iussi sunt*. Excipitur verò primò: Nisi clausula, *si non omnes &c.* adiecta sit. Secundò, Si res integra non sit, sed iudicium agitari cœptum, tum vnius morte non extinguitur iurisdictio aliorum, cit. c. licet, & notat Gl. hîc, ver. delegatorum. Tertiò, Si vnus alteri vices suas commiserit, illo mortuo iurisdictio manet, etiamsi res integra sit, c. quamuis, 6. hoc tit. Quartò. Si delegatio facta sit intuitu dignitatis: quia morte delegati non extinguitur, sed ad successorem transit, c. quoniam, 14. hoc tit.

Ampliari autem debet tradita doctrina, vt locum etiam habeat, si alter Iudicũ iudicandi potestate priuatus sit, vt quia infamis redditus est iuris infamiâ, vti colligitur ex c. sciscitatus, 14. de rescript. & docet Gl. cit. Vel si ob crimen à dignitate, quam habet, per sententiam depositus, sicuti dixi in cit. c. quoniam, & c. licet,

1 Quæri solet; Quod hîc dicitur de arbitris, vtrùm etiam locum habeat in arbitratoribus? Et respondet affirmatiuè Ioann. Andr. n. 2. Abb. n. 4. Quia generali arbitrorum appellatione etiam arbitratores comprehenduntur, vti constat ex. l. societatem, 76. §. arbitrorum, ff. pro socio. Quare regulam hîc tradit Abbas: Quod iura facientia mẽtionem de arbitris, etiam ad arbitratores referri debeant, nisi ratio diuersitatis appareat. Verùm si per arbitratorem intelligamus eum, qui ius partibus non dicit, sed amicabiliter eas componit, eum nomine arbitri non comprehendi, dicitur in l. Pomponius, §. recepisse, ff. de receptis qui arbitrium, & notat Bartol. ibi, *Arbiter est*, inquit, *qui inter partes Iudicis officium assumit, non qui amicabiliter componit*. Quare quæ his cc. de arbitris dicuntur, transferri non posse ad arbitratores, qui ius partibus non pronuntiant, annotauit Barbat. hîc col 2. Vide quæ dixi lib. 4 Th. mor. tr. 5. c. 11. n. 6.

* * *

CAPITVLVM VLT.

Quoniam.

PARAPHRASIS.

Si præter duos Iudices, Papa ex officio, aut partium consensu tertium delegat, is potest alteri subdelegare: propterea quòd Pontifex delegans non intendat personæ prouidere, sed causæ. Idem quoque dicendum, si Papa committat Episcopo, Si non omnes potestis, tu frater, Episcope, cum altero Coiudicum cognoscas, quòd Episcopus vices suas subdelegare possit, ita vt alij sine subdelegata procedere non valeant.

SVMMARIVM.

1. *Delegatus Principis ordinariè subdelegare potest.*
2. *Delegatus Papæ, cui personaliter executio mandata sit, potest partibus consentientibus alteri delegare, nisi ei commissa sit inquisitio, vel prouisio de Prælatis aliisue ministris Ecclesiæ.*
3. *Si clausula aut conditio commissioni adiecta sit in partium fauorem, ab ea recedi potest cum earundem consensu; non item, si adiecta sit ob publicam vtilitatem.*
4. *Delegatus Principis, si eius industria ac fides electa est subdelegare non potest. Et quando censeatur eius industria & fides electa.*
5. *Cui nudum ministerium personaliter exequendum committitur, ipse plerumque exequi debet.*
6. *Quòd si sub nomine dignitatis alicui cõmittatur, transit ad successorem.*
7. *Et si extra Curiam alicui talis commissio fiat nudi ministerij, vt hominem excommunicet, vel absoluat, ratione illius competitei iurisdictio.*

PRo intellectu notant hîc Imola n. 2. Abb. 1
n. 3. Barbat. col. 2. Si partes in Curia

præsentes sint, non dari Iudicem ad petitionem vnius, iuxta Gl. in l. obseruandum 47. ff. de iudic. Sed vtrique parti permitti, vt Iudicem sibi delegent; atque ad faciliorem causæ expeditionem, tertium superaddi ex partium communi consensu, aut, si consentire nequeant, ex officio Papæ. Præterea Pontifex interdum ex tribus deputatis Iudicibus vnum præeligere solet, *Si non omnes, tu Episcope &c.* Quo casu, Episcopus vno collega mortuo procedere potest cum altero: sed non vice versa ambo illi absque Episcopo.

Ait itaque Pontifex, non obstante hac præelectione, posse præelectum alteri subdegare: Item, non obstante, quòd Iudex tertius communi partium consensu electus sit, posse eum alteri vices suas committere: quod intelligendum videtur, etiam non requisito consensu ipsarum partium, secundùm Gl. hîc ver. negotijs. Ioann. Andr. & Abbat. hîc n. 5. contra Specul. hoc tit. §. Sequitur, princ. Id verò probabilius est, quod idem Specul. tradit, quòd Iudex tertius, qui veluti diremptor ex partium cõsensu, vel ex officio Papæ deputatus est, non possit vices suas committere alterutri Iudicũ, quem pars sibi delegit.

NOTANDVM Vn. Delegatus Principis ordinariè potest causam alteri subdelegare: Neque præsumendum facilè est, quòd in commissione electa fuerit industria personæ. Quia Princeps attendere nõ solet ad personas, quibus committitur; sed potiùs ad causas, vt citò expediatur. Quare alia ratio est de gratijs ac priuilegijs, quæ in fauorem personarum conceduntur, atque idcircò in alias personas transfundi non possunt, vti dixi etiam suprà in c. super quæstionũ, 27. hoc tit.

§. Is autem.

2 SI cui à Papa causa commissa sit, ita vt eam personaliter exequatur, nihilominus eam partibus consentientibus alteri delegare potest: præterquam si mandatum sit, vt inquisitio aliqua fiat, vel Ecclesijs prouideatur de Prælatis, aliisue Ministris: tum enim, singulariter censetur electa industria, ac fides personæ, cui commissio fit.

NOTANDVM I. Si clausula, aut conditio commissioni adiecta sit in partium fauorem, ab ea recedi potest cum earundem consensu expresso, aut tacito. Sin autem ob publicam vtilitatem adiecta sit, tum locum habet regula: Quòd forma rescripti exactè seruari debeat, alioquin acta irrita sint, c. venerabili, 37. hoc tit c. cùm dilecta, 22. de rescript. Ita bene hîc docet Innocent. n. 1. Quia partes, inquit, renuntiare his possunt, quæ pro ipsis introducta sunt; non autem ijs, quæ pro publica vtilitate, aut Iudicis officio decreta.

NOTANDVM II. Si Princeps industriam ac fidem à se delegati elegisse censeatur, non potest is alteri causam subdelegare. Consentit c. 3. hoc tit. Porrò industria Iudicis delegati specialiter electa censetur: Primò; Si ipsa verba expressè significent; vt si dicatur, *Per te ipsum*, seu *personaliter exequaris*; item, *confidimus de industria, ac discretione tua*; dummodò appareat, quòd hæc verba referantur ad ipsam causæ cognitionẽ, & non ad expeditionem quamcunque. Quia si delegatus idoneæ personæ subdeleget, satis prudenter prouidisse censetur causæ expeditioni. Secundò: Si grauitas negotij requirere videatur; seu quia iure expressum est, vt grauis & nõ subdelegabilis causa censeatur, vt in c. is cui, 12. in 6. seu quia qualitas negotij talis est, vt non facilè ab alio expediri possit, vti Innoc. hîc docet, n. 2. Abb. n. 6. & plura leges apud Felinum super hoc §. n. 2. & 4.

§. Cæterùm.

SI cui à Sede Apostolica commissum sit, vt crucem prædicet (pro recuperatione terræ sanctæ) vel excommunicet, aut absoluat aliquos, vel cum irregularibus dispenset, vel pœnitentias iniungat, non potest tale quippiam alteri committere: quia non iurisdictio, sed certum aliquod ministerium ei commissum est: Excipitur verò Legatus Apo-

Apostolicus, qui talia per alium exercere potest. Idque propter multitudinem negotiorum, ait Felinus hîc, quæ solis expedire non potest.

NOTANDVM. Quòd dicitur, Principis delegatum causam sibi commissam alteri demandare posse, intelligitur de iurisdictionalibus: Sed nudum ministerium, seu executionem sibi à Principe delegatam personaliter plerumq; exequi debet. Tametsi verò casus in specie hîc exprimantur, tamen ratio adiecta ostendit, de omnibus casibus similibus idem de iure dicendum esse, per regulam quam tradunt DD. in l. cùm pater, 77. §. dulcissimis, ff. de legatis, 2. Quòd ratio adiecta dispositioni eam restringat, vel extēdat: Siue, vbi eadem omnino dispositionis ratio est in lege expressa, idem ius censeri debet. 5

Hæc verò non ita intelligenda sunt, quasi in nullo casu ministerium nudum Commissarius alteri delegare possit: Nam interdum talis est commissio, vt appareat æquè per alterum præstari posse, vti constat apertè ex c. is cui, 12. eod. tit. in 6. Sed dicendū est, Principem causæ alicuius executionem, aut nudum ministerium committendo, frequentissimè attendere ad industriam personæ, vt in exemplis prædictis, & alijs similibus, quæ in executore industriam, & rerum peritiam requirunt. Rationem affert Abb. hoc c. §. is autem, n. 6. Cùm in articulo iurisdictionali secundùm publicas leges procedendum sit, perinde fermè esse solet, quisnam Iudex constituatur, dummodò legum peritus sit. At verò in nudo ministerio, & executione potiùs operatur hominis industria, & auctoritas: quare sæpe ad eam Princeps respicere solet.

6 Sed quærunt hîc primò: Si nudum ministerium alicui commissum sit, sub nomine dignitatis, vtrùm ab eo ad successorem transeat. Affirmari debet cum Imola hîc n. 36. Abb. n. 7. Felino n. 8. Menochio lib. 1. arbitr. qq. q. 68. Sanchez lib. 7. de matrim. disp. 27. n. 15. contra Bartolum in l. more ff. de iudicijs, & alios apud Sanchez. Nam ideo Episcopo v. g. sub nomine dignitatis causa exequenda committitur, quia præsumptio est, quòd etiam successores idonei ad executionem futuri sint, vti bene notauit Ioan. Andr. hîc n. 25. Videri etiam potest Innocent. hîc, n. 3.

Quærunt secundò: Si nudum ministerium, seu vera executio alicui commissa sit, vt hominem excommunicet, vel absoluat, num ratione huius commissionis iurisdictio aliqua ei competat. Gl. margin. hîc, & Abb. n. 5. negant. argum. huius textus: Præterquam si literis Apostolicis clausula adiecta sit, *contradictores compescendo*. Sed arbitror probabiliter dici posse cum Gl. hîc ver. commissum, Ioan. Andr. n. 33. Imola n. 19. Si alicui commissio talis extra Curiam Pontificis fiat, quòd compescere & punire possit, tametsi clausula illa adiecta non sit; cùm de iure insit, argum. c. præterea, 5. & c. ex literis, 29. hoc tit. vbi regula traditur, quòd commisso vno, censentur etiam alia commissa, sine quibus illud expediri nequit. Id verò maximè locum habet in Pontificijs mandatis, quarum expeditionem, propter Apostolicæ Sedis auctoritatem non conuenit impediri, aut retardari: Et specialiter, quòd executor Papæ in prouisionibus beneficiorū, iurisdictionem habeat, quatenus ea neeessaria est ad mandatum implendum. Ad argum. in contrarium respondetur; Licèt nudum ministerium v. g. excommunicationis inferendæ, aut promulgandæ, iurisdictionem per se non cōtineat; posse tamen per accidens adiunctam habere iurisdictionem, quæ etiam in hoc casu subdelegari poterit; licèt ipsa executio non possit, vti docent hîc Innoc. n. 4. Abb. n. 4. Et in simili tradit Specul. tit. de iudice delegato, §. vlt. n. 24. Licèt Iudex conseruator quatenus sine indagine iudiciali de iniurijs manifestis tantùm cognoscit iuxta c. 1. eod. tit. in 6. alteri vices suas committere nequeat, posse tamen committere cognitionem causæ, si dubitetur, an iniuria manifesta sit. 7

* * * *
* *

CAPI-

CAPITVLVM I. eod. Tit. in 6.

Statuimus.

PARAPHRASIS.

Conseruatores, qui à Sede Apostolica dedeputantur, à manifestis iniurijs ac violentijs defendere debent eos, quorum defensio ac conseruatio ipsis commissa est: Sed ad alia, iudicialem cognitionem exigentia, se intromittere non debent.

SVMMARIVM.

1. *Conseruator est, qui à Papa datus ad defendendum aliquos aduersus iniurias & violentias manifestas, absque indagine iudiciali.*
2. *Recusari non potest, si requisitas qualitates habet.*
3. *Dari solent Iudices Conseruatores super quibuscunque violentijs & iniurijs.*
4. *Nec possunt tantùm defendere ab iniurijs & violentijs illatis, sed etiam ab inferendis.*
5. *Regulares Ordines iniuriam passi in causis tam ciuilibus, quàm criminalibus, siue actores, siue rei sint, Conseruatorem eligere possunt, qui non tantùm in causa manifesta, sed etiam si iudicialem indaginem requirat, sine strepitu iudicij procedat.*

1 COnseruare idem est, quod seruare ius pristinum, vti notauit Cardin. Tuschus ver. conseruare, concl. 759. Quare Iudex conseruator proprijssimè dicitur ad seruanda & tuenda iura & priuilegia, quæ v. g. Regularium Ordinibus à Sede Apostolica concessa sunt.

Generaliùs autem, Iudex conseruator dicitur, qui à Sum. Pontifice datus est, ad defendendum aliquos aduersus iniurias, & violentias manifestas, absque indagine iudiciali. Est quidem controuersia inter Canonistas, vtrùm ab inferiore Ordinario Conseruator dari possit: Affirmant enim cum Archidiacono Ancharanus hîc q. 3. Dominicus col. 2. Negant verò cum Ioann. Andr. Syl. ver. Conseruator, q. 1, Azor. tom. 1. lib. 5. q. 6. Rodriq. tom. 1, regul, q. 65. a. 1. argum. c. huius, & c. vlt. eod. tit. Et verò secundùm formam, quâ hodie Conseruatores dari solitos esse, dicam in fine huius c. & secundùm amplissimam potestatem, vt à nemine, ne quidem à Legatis à latere, aut quibusuis Ordinarijs in suo officio impediri queant, sed contra ipsos impedire volentes procedere possint, vti Cardin. Tuschus refert ver. Conseruator, Hac, inquam, forma, & potestate certum est, Conseruatores à solo Papa dari posse.

Dantur autem, spectato communi iure, Conseruatores ad arcendas violentias, & iniurias manifestas, sine indagine & inquisitione iudiciali. Nomine iniuriæ intelligi debet quodcunque damnum iniustè illatum, vti bene docet Rodriq. a. 12. Manifestum autem dicitur, quod vel ita patens est in publico, vt nulla tergiuersatione celari possit; vel si in iudicio notorium sit, vt si reus à Iudice Conseruatore citatus, secundùm Gl. hîc ver. cõseruatores, Syl. ver. conseruata, q. 3. dicto 3. Rodriq. cit. a. 12. ver. aduertendum, & sumitur ex c. vestra, 7. ver. non diffitetur, de cohabit. Cleric. & mulierum. Etenim vtroq; casu, siue iniuria notoria sit euidentiâ facti, siue confessione Rei coram Iudice, cessat dubium & iudicialis inquisitio seu examen.

Quòd si verò Reus citatus, mox obijciat iniuriam notoriam non esse, aut quod fecit, se iure fecisse; tunc Conseruator hoc ipsum cognoscere potest, an videlicet crimen notorium sit, adeóque num in hoc casu iurisdictio sibi competat, hîc docet Ioann. Andr. paulò post princip. Lapus n. 2. Ancharan. col. 1. Dominic. ad 1. Gl. Syl. cit. q. 3. argum. l. si quis ex aliena, 5. ff. de Iudicijs, vbi generatim docent DD. quòd Iudex cognoscere possit, an sua sit iurisdictio. Nam alioquin inutilis fermè esset potestas Cõseruatoris, si criminoso obijciéte defectum notorij, de hoc ipso cognoscere non posset: Cùm autem Princeps potestatem alicui cõmittit,

mittit. censetur etiam ea committere, sine quibus res expediri non potest. c. præterea, 5. extrà, hoc tit.

2 Corollarium I. Licèt alioquin Iudex delegatus tanquam suspectus recusari possit; id tamen speciale habet Conseruator, quòd recusari non possit, si alias à iure requisitas qualitates habeat, de quibus in c. vlt. hoc tit. Ita Gl. communiter recepta ver. Conseruatores, in fine. Ratio est: Quia in notorijs non admittitur recusatio, vel appellatio: Sed Iudex Conseruator de notorijs tantùm cognoscit. Ergo &c.

Cæterùm si dubium sit de notoreitate, & de hoc dubio Conseruator cognoscere velit, tanquam suspectus recusari poterit: sicuti & appellari à sententia interlocutoria, si factum notorium esse Iudex pronuntiet, vti bene notauit Cardin. Tuschus ver. Conseruator. concl. 760. ex Abb. p. 1. consil. 100. n. 3. vbi singulariter notat; Licèt in facto notorio appellari non possit, c. cùm sit. 5. §. præterea, iun. Gl. de appellat. tamen à sententia Iudicis declarantis esse notorium, appellari potest.

Corollarium II. Licèt alioquin generalitas causarum præsentium, & futurarum à Papa delegari non soleat, cùm per eiusmodi delegationem Ordinariorum potestati multùm derogetur, vti Gl. aduertit in c. ad hæc 10. de rescript. Multò minùs Iudex incertus delegari soleat, quem pars sibi elegerit: cùm possit propitium seu fauentem sibi deligere, cum alterius partis detrimento, cit. c.
3 ad hæc. Tamen Iudices Conseruatores à Papa dari solent super quibuscunq; violentijs, & iniurijs. Neq; enim obstat primò; quòd ordinariorũ Iudicum iurisdictioni derogetur. Quia fauor pauperum, & oppressorum, præsertim Ordinum Religiosorum, id persuadet, vt in speciale Sedis Apostolicæ patrocinium recipiantur. Neque obstat secundò; quòd oppressores, si laici sint, ad Ecclesiasticì Conseruatoris forum trahantur: Cùm enim Ecclesiasticas personas opprimunt, & vexant, eorúmque crimen sit mixti fori, vt etiam ad Ecclesiasticum tribunal citari queant, c. cùm sit, 8. de foro compet. & tradit Couar. in pract. qq. cap. 6. Non obstat tertiò: quòd causarum generalitas delegetur, & quidem Iudici Conseruatori electo v. g. Regularibus secundùm eorum priuilegia. Cùm enim spectato communi iure, Conseruator in causis dubijs iurisdictionem non habeat, sed tantùm in manifestis iniurijs, non est periculum, ne in fauorem partis læsæ iniustè procedat, vti Ancharanus hîc notat. col. 1. Deinde, si in causa dubia, aut iudiciale examen requirente procedere debeat, vt suspectus, iusta suspicionis allata causa, recusari poterit: ab eóque siue iudicialiter, siue extraiudicialiter grauante ad Sedem Apostolicam appellari. Denique Sum. Pontifex ex plenitudine potestatis suæ, ob fauorem publicum personarum, quæ se ipsas defendere non possunt, & sæpe opprimi solent, specialia iura & priuilegia, vltra communes canones concedere non prohibetur, vti Rodriq. notat, cit. q. 65. a. 1.

His addendum est primò: Quòd Iudex 4
Conseruator non tantùm defendere possit ab iniurijs & violentijs illatis per censuras compellendo iniuriantem ad satisfactionem cõpetentem; sed etiam ab iniurijs ac violentijs inferẽdis. Vt si aliquis paratus sit ad vim, aut bellum iniustum inferendum Ecclesiasticis personis, earum Conseruator sub censura excommunicationis præcipere illi potest, vt obsistat, argum c. Romana, 5. ver. Caueant, de sent. excommun. in 6.

Addendum secundò: Quòd Summorum 5
Pontificum priuilegijs ampla supra ius cõmune facta sit potestas Regularibus Ordinibus, vt iniuriam passi in causis tam ciuilibus, quàm criminalibus, & siue actores sint, siue rei, Iudicem Conseruatorem eligere possint, qui non tantùm in causa manifesta, sed etiam si iudicialem indaginem requirat, sine strepitu iudicij procedat, vti videre licet apud Syl. ver. Conseruator, q. 3. in fine, Rodriq. cit. q. 65. a. 12. Erasm. Cokier de Conseruator. q. 1. & in comp. priu. Soc. Iesv, ver. Conseruator, §. 1. Imò admonet Gl. magna hîc, Dominicus in c. vlt. hoc lib. & tit. §. Conseruatores, ver. Quæro, an indistinctè, Nauar. c. 27. man. n. 125. Rodriq. cit. a. 12.

quòd hodie plerumque Conseruatores dari soleant, vt iudicialem cognitionem habeant: Idque ex plenitudine Pontificiæ potestatis, ait Rodriq. hîc a. 1. quæ canonum decretis ita alligata non est, quò minùs ex iusta & publica causa recedere possit. Plura dicentur infrà c. vlt. hoc tit.

CAPITVLVM II.

Quia Pontificali.

PARAPHRASIS.

Iudices, & Conseruatores à Sede Apostolica deputati, in coactione ac punitione Episcoporum mandata ipsorum violantium, moderatione vti debent, propter reuerentiam Episcopalis culminis: Ita vt Episcopo contumaci primò Ecclesiæ ingressus interdicatur, postea officium sacerdotale, deinde ab officio absolutè suspendatur, & sic deinceps aggrauetur censura: nisi contumacia Episcopi nimis accrescat, vt excommunicatio inferenda videatur. Consentit c. sanè, 11. & c. pastoralis, 28. extrà, eod. & videri potest l. vlt. C. Vbi Senatores &c.

SVMMARIVM.

1. *In censuris ferendis, præsertim contra personas ecclesiasticas, gradatim procedendum est, ita vt leuiores priùs inferantur.*
2. *Episcopus contra Iudicem excommunicare volentem, non obseruato hoc ordine, appellare potest, tanquam grauatus; si autem non appellet, sententia erit valida, licèt Iudex malè agat, & puniri possit.*

1 NOTANDVM Vn. In censuris ferendis, præsertim contra personas Ecclesiasticas sublimes, gradatim procedendum est, ita vt leuiores priùs inferantur, vti etiam significatur in c. vlt. in fine, vt lite non contestata, & dixi lib. 1. Th. mor. tr. p. 2. c. 1. n. 6. Ratio est: Quia censura est pœna medicinalis, quæ ideo infertur, vt reus à cõtumacia & culpa recedat, & Ecclesiæ obediat, iuxta c. 1. de sent. excom. in 6. Quare si finis iste per leuiora remedia obtineri potest, non est ad seueriſſimam excommunicationis pœnam descendendum: nisi grauis, aut diuturna contumacia talem seueritatem exigere videatur, vt ecclesiæ auctoritas, & disciplina Ecclesiastica conseruetur.

QVÆRITVR I. Quæ hîc dicuntur de Episcopis, an etiam locum habeant in electis ac confirmatis, sed nondum consecratis? Respondendum est affirmatiuè cum Ioann. Andr. hîc princ. Dominico, ver. Quæro an iste textus. Nam generalis regula tradi potest ex Abb. in c. accedentibus, n. 3. de excess. Prælatorum; Quæ Episcopis ratione dignitatis Episcopalis concessa sunt, & non ratione ordinis, ea ab electis & confirmatis, quamuis non consecratis, exerceri posse, vti est dispẽsare, indulgentias dare, Confessarios approbare, exponere &c.

QVÆRITVR II. Si delegatus Papæ non obseruato hoc ordine, Episcopum sibi inobedientem ac contumacem statim excommunicet, num valeat sententia? Resp. Quòd Episcopus contra Iudicem excõmunicare volentem appellare possit, tanquam grauatus. Sin autem non appellet, videtur sententia valida, licèt Iudex malè agat, & puniri possit, secundùm Gl. hîc ver. aliter, Dominic. circa Gl. fin. Tametsi enim prætermissio ordinis ab homine mandatæ præscripti vitiet processum, c. venerabili, 37. extrà, hoc tit. c. Pisanis, 19. de restit. Spoliatorum; non ita tamen, si ordo à iure præscriptus violetur, nisi is substantialis sit: Ordo autem ille substantialis censeri non potest, dummodò contumacia Episcopi grauis & absolutè loquendo, capax sit tantæ censuræ,

CAPITVLVM III.

Si duo.

PARAPHRASIS.

Papa tribus Iudicibus causam aliquam delegauerat; duo eorum partem seu articulum

lum causæ iurisdictionalem alijs commiserit: Quòd si tertius delegatus cum duobus delegatis ad articuli eius cognitionē procedat, & pars litigans appellet, ad cuius tribunal appellatio tendere debet? Respondet Bonifacius VIII. In hoc casu non ad subdelegantes, sed ad Papam, vt primum delegantem, appellandum esse.

SVMMARIVM.

1. *Si tota causa alicui committatur, appellandum est ad primum delegantem; si autem tantùm articulus causæ, ordinariè à subdelegatis ad subdelegantem appellari debet; nisi cum subdelegato vno vel pluribus cognoscat delegatus.*
2. *Si Iudex ordinarius, v. g. Episcopus causam delegârit, semper à delegato appellabitur ad delegantem.*

1 ADuerte, quòd dubitatio ista moueatur, si non tota causa alijs Iudicibus commissa sit, sed pars siue articulus. Quia si tota causa committatur, constat ex c. super quæstionum, 27. §. Porrò, appellandum esse ad primum delegantem. Sin autem articulus causæ delegatus sit, ordinariè à subdelegatis appellari solet ad subdelegantem, cit. §. Porrò. Sed ab hac regula exceptio ponitur, nisi cum delegato vno vel pluribus cognoscat delegatus. Tunc enim si ad condelegatū appellaretur, absurdū hoc sequeretur, quòd à pari appellaretur ad parem, cùm tamen appellatio omnis ad maiorem seu superiorem tendere debeat, l. 1. §. Si quis, ff. de appell. c. anteriorum 28. §. illud, causa, 2. q. 6. Videri potest Ioann. Monachus hîc n. 2.

2 Cæterùm, si Iudex Ordinarius v. g. Episcopus causam delegarit, semper à delegato appellabitur ad delegantem. Ratio discriminis est: Quia tametsi Ordinarius causam in totum deleget, non potest tamen à se iurisdictionem abdicare; cùm eam propriá & stabilem habeat: At verò delegatus, cùm propriá non habeat iurisdictionē, sed concessam, eam in totum abdicare, & alteri committere non potest. Quæ ipsa etiam causa est, cur Ordinarius delegatam iurisdictionem semper reuocare possit: non item delegatus, si subdelegauit, & subdelegatus iurisdictione vti cœpit. Ita notat Ancharanus c. si is cui, hoc lib. & tit.

CAPITVLVM IV.

Si contra.

SVMMARIVM.

1. *Cùm recusatur vnus ex duobus delegatis à Papa cum clausula:* quòd si ambo &c. *Iudex non recusatus debet cognoscere: si non adsit ea clausula, ad arbitros recurrendum est.*
2. *Si vnus ex duobus iudicibus causam totam alteri subdelegauit, is autem vt suspectus recusetur, poterit de causa suspicionis proposita ante citationem factā subdelegans cognoscere.*
3. *Cùm recusatur delegatus Episcopi, vel eius Officialis, de causa recusationis cognoscit Episcopus.*
4. *Si subdelegatus ad partem tantùm causæ a parte iam citata tanquam suspectus recusetur, causam suspicionis etiam subdelegans cognoscet. Si autem subdelegatus sit ad totam causam, arbitri eligendi sunt, vel condelegatus iudex debebit cognoscere, si adiecta sit clausula,* quòd si ambo &c.
5. *Iudex ordinarius vel delegatus cognoscere potest, an sua sit iurisdictio, nisi dubium existat circa ipsam iudicis personam.*

1 SI duobus à Papa Iudicibus delegatis, contra vnum eorum causa suspicionis obijciatur, quæ si probata fuerit, legitima cēseri debet ad recusandum Iudicem, quæritur, quis probationes admittere, & de causa recusationis cognoscere debeat. Respondet Bonifac. VIII. Si in commissione adiecta sit causula, *Quòd si ambo non possint, vnus in causa procedat*, tunc Iudex non recusatus debet cognoscere: Sin autem clausula illa non adsit, tum ad arbitros recurri debet.

Vide quæ dicta sunt in c. suspicionis 39. extrà, eod.

2 Sed quæri hîc potest? Si vnus ex duobus Iudicibus causã alteri subdelegauit, is autem vt suspectus recusetur, quis de causa suspicionis cognoscere debet? Respondeo & Dico I. Si tota causa alteri subdelegata sit, & antequam citatio facta, partes suspicionis causam proponant subdeleganti, poterit is de ea cognoscere, iuxta c. super quæstionum, 27. §. Porrò, extrà eod. & tradit. Dominic. hîc col. vlt. post Innoc. quem refert & sequitur Gl. hic ver. Episcopi.

Dico II. Si subdelegatus à parte iam citata tanquam suspectus recusetur, distinguẽdum est, vtrùm tota causa subdelegata sit, an pars: Si pars tantùm siue articulus, subdelegans cognoscet, vti Gl. hîc docet cit. ver. Episcopi. argum. cit. c. super qq. §. Si verò. Sin tota causa alteri commissa sit, tunc arbitri eligendi sunt: Vel Iudex condelegatus cognoscet, si adiecta sit clausula, *Quod si non ambo*; vti colligitur ex hoc c.

§. Cùm autem.

3 SI contra delegatum ab Episcopo suspicionis causa opponatur, de ea Episcopus cognoscere debet. Idémque seruari debet, si Officialis Episcopi tanquam suspectus recusetur. Tametsi enim ab Officiali ad Episcopum appellari impossibile sit, c. 2. de consuet. in 6. potest tamen ad eum recurri, vt de causa suspicionis cognoscat.

Rationem discriminis dat Gl. fin. Quia de substantia appellationis est, vt tendat ad aliud tribunal maius, siue Iudicem maiorem. At causa recusationis etiam à pari, v. g. condelegato; imò etiam à minoribus, videl. arbitris, cognosci potest. Aliam rationem affert Gl. marginal. ex Ancharano hîc not. vlt. Quia appellatio respicit iurisdictionem, quæ eadem est in Episcopo & Officiali eius. At verò recusatio respicit personam, quæ diuersa est; ideo appellatio ab Officiali ad Episcopum fieri nequit: Sed recusato Officiali, non ideo etiam Episcopus recusatur.

Sed quid si causa suspicionis perinde Episcopum, ac Vicarium afficiat, vti videre est in c. insinuante, 25. extrà, eod. quis tum cognoscet? Respond. cum Dominico in fine huius c. Arbitros eligendos esse, iuxta c. cùm speciali, 61, de appellat. Quod ipsum quoque agendum esse ait hîc Ioann. Andr. & Ancharanus, not. 4. si Episcopus in remotis partibus sit, vt ad ipsum quæstio referri facilè non possit. 4

NOTANDVM Vn. Tametsi Iudex ordinarius, vel delegatus cognoscere possit, an sua sit iurisdictio, l. 2. ff. Si quis in ius vocatus, l. si quis in aliena. 5. ff. de iudicijs, limitari tamen debet: nisi dubium existat circa ipsam Iudicis personam; vt si obijciatur, quòd sit excommunicatus, infamis, amens & similiter, si vt suspectus recusetur; de tali exceptione Iudex cognoscere non potest, quia sicuti suspectus, aut deficiens censetur in causa principali, ita & in accessoria. Quare hoc casu Superior adeundus est, vel arbitri eligendi. Ita docet Bartolus in l. quidam consulebat, n. 3. & seqq. ff. de re iudic. Ancharan, hîc not 3. Probus addit. 1. in Ioann. Monchum, contra Innoc. c. cùm super, 23 n. 3. extrà, hoc tit. Imò generaliùs loquuntur DD. in l. de iure, 37. ff. Ad Municipalem, quòd Iudex, cuius iurisdictio in dubium reuocatur, si inde cõmodum percepturus sit, non possit ipsemet pro se sententiam ferre. 5

CAPITVLVM V.

Iudex.

PARAPHRASIS.

Si à Papa delegatus Iudex legitimè recusari possit (quia v. g. dominus est impetrantis) non prohibetur causam sibi commissam alteri subdelegare, priusquam recusatio contra eum proponatur. Adeò vt si in totum causam subdelegarit, commissio ex hoc capite impugnari aut recusari non possit: Sin autem partem tantùm siue articulum causæ alteri commisit delegatus, tum recusari potest, & commissio eius oppugnari.

SVM.

SVMMARIVM.

1. *Si causa probabilis suspicionis contra Iudicem delegatum proponatur, suspensa est iurisdictio & potestas eius; consequenter alteri subdelegare non potest.*
2. *Minus est aliquid in iudicio probatum esse; maius autem & efficacius quid secundùm legitimas probationes esse iudicatum.*
3. *Partes non possunt in iudicem delegatum, cuius iurisdictio finita, aut omnino extincta est, consentire.*

RAtio prioris responsi est: Quia Iudex quamuis suspectus, tamen reuerà Iudex est: quare sicuti causam ipsemet cognoscere potest, si contra eum non excipiatur; ita etiam alteri committere, antequam recusetur. Ratio posterioris est: Quia causa suspicionis personam delegati afficit, ideóque vitium personale est, quod ad successorem seu substitutum non transmittitur, argum. l. an vitium, 5. ff. de diuers. & temporal. præscript. Sed alia ratio est, si ipsa iurisdictio, aut commissionis valor secundùm se in dubium reuocetur, vti constat ex c. penult. hoc lib. & tit. & notat Ioan. Andr. hîc n. 1. Dominicus in princip.

Cæterùm, si delegatus partem causæ duntaxat committat alteri, dum iurisdictionem sibi ipsi reseruat, atque per sinistram affectionem nocere potest parti litiganti: quamobrem contra eum recusationis causa proponi potest. Ita Gl. hîc ver. aliquid.

§. Post recusationem.

PRoposita, aut etiam probata recusationis causa; Iudex delegatus vices suas alteri committere potest, si pars consentiat: sed eâ nolente non potest. At postquam sententia lata est contra Iudicem recusatum, ne quidem cum partium consensu subdelegare poterit; cùm Iudex esse desierit.

1 NOTANDVM I. Si causa probabilis suspicionis contra Iudicem delegatum proponatur, suspensa est iurisdictio & potestas eius: consequenter alteri subdelegare non potest. Ita docet hîc Ancharan. not. 4.

2 NOTANDVM II. Minus est aliquid in iudicio probatum esse; maius autem & efficacius quid secundùm legitimas probationes iudicatum esse, vti Gl. hîc monet ver. super ea. Quâ de re habes Gl. elegantem in l. sed si possessori, ff. de Iureiurando. 11. §. vlt. ver. probatum esset; vbi ait, quòd ex sola probatione non noscitur actio in factum, nisi sequatur sententia; nec furto probato irrogatur infamia, nisi sententia, aut confessio intercedat. Sed iuramentum parti delatum ac præstitum, iudicialis sententiæ vim habet, vt ibidem dicitur. Vide Ioan. Monach. in fine, Ancharan. not. 5.

3 NOTANDVM III. Partes non possunt in Iudicem delegatum consentire, cuius iurisdictio finita, aut omnino extincta est; vt in casu proposito, per sententiam recusationis legitimæ aduersus Iudicem latæ. Ita etiam sumitur ex l. priuatorum, 3. C. de iurisdict. Sed alia ratio est de Iudice ordinario; tametsi enim sententia recusationis contra ipsum ab arbitris lata sit, possunt partes mutatâ sententiâ renuntiare iuri suo, & sponte ipsi se subijcere, vti colligitur ex l. 1. ff. de Iudiciis. Nam iurisdictio, si aliqua subsit, prorogari potest, non autem si nulla subsit: quia quod non est, non extenditur. Quæ ipsa etiam causa est, cur Iudex ordinarius v.g. Episcopus, tametsi vt suspectus recusatus sit, & contra ipsum pronuntiatum, possit ac debeat causam alteri non suspecto delegare, c. si quis contra, 4. iun. Gl. ver. executor, de foro compet. Sed delegatus, post latam sententiam, causam committere non potest, cùm iurisdictionem omnem amiserit, vt hîc dicitur. Potest tamen appellare à sententia contra se lata. Qua de re videri hîc potest Ioan. Monach. n. 3. & 4.

Corollarium. Si Abbas v.g. cui à Sede Apostolica intuitu dignitatis causa delegata est, ante latam sententiam recusationis obiectæ moriatur, successor eius iudicare potest: quia cessat ratio recusationis, si facta fuerat ratione personæ, non ratione dignitatis. Quòd si verò recusatus post latam senten-

tiam mortuus sit, transire iurisdictio non potest, cùm extincta sit. Ita Ioan. Andr. hîc n. 1. Dominic. col. 2. §. Sed pone.

CAPITVLVM VI.

Quamuis.

SI delegatus Papę causam totam alteri subdelegarit, ab eodem reuocare, seu iurisdictionem reassumere potest, si res integra sit, seu iudicium nondum cœptum per partis citationem: Cuius ratio est, quia iurisdictio non censetur efficaciter transiisse in subdelegatum, nisi cùm eam exercere cœpit.

NOTANDVM Vn. Delegatus subdelegans, etiam in totum, re integra comissionem reuocare potest. Consentit l. iudicium, 58. ff. de Iudicijs, vbi dicitur, quòd *Iudicium soluitur vetante eo, qui iudicare iusserat*, vel Superiore eius. Est tamen discrimen inter ordinarium, & delegatum iudicem, quòd ille causam alteri delegatam, etiam postquam cœpta, imò lis contestata est, reuocare, aut reassumere possit, vti Gl. ibid. notat. Sed delegatus si alteri vices suas commisit, censetur officio suo functus, & iurisdictione priuatus, postquam ab eo subdelegatus iudicium cœpit.

CAPITVLVM VII.

Si delegatus.

PARAPHRASIS.

Quidam à Sede Apostolica delegatus alteri commisit vices suas, hac forma, vt in causa procederet, quoties illum abesse contingeret: postea subdelegans moritur, hoc casu ait Bonifac. VIII. subdelegatum, si viuente illo iurisdictione vti cœperat, ad sententiam definitiuam procedere posse. Idémque sentiendum, si delegatus causam subdelegarat, donec eam reuocauerit.

* * *

§. Ad eum.

SI delegatus alteri causam subdelegarit, donec reuocet; aut si sententiæ executionem, vel alium iurisdictionalem articulum sibi reseruarit, his casibus si accidat appellari, etiam post latam sententiam, non ad primum delegantem, sed ad delegatum causa deferenda est.

SVMMARIVM.

1. *Delegatus absolutè & limitatè, aut conditionatè, quoties eum abesse contigerit, aut donec reuocauerit, subdelegare potest.*
2. *Verba commissionis aut delegationis benignè explicanda sunt, potiùs vt valeat & perseueret, quàm vt pereat & cesset.*
3. *Delegatus causam ita subdelegare potest, vt sententiæ executionem sibi reseruet.*

NOTANDVM I. Delegatus non tantùm potest absolutè causam subdelegare, sed etiam limitatè, aut sub conditione, quoties eũ abesse contigerit, aut donec reuocauerit. Cuiusmodi limitatio ad id conducit, vt subdelegans non censeatur iurisdictionem omnino à se abdicare. Ita hîc notat Gl. ver. reuocandas, & ver. committi. Nam qui secundùm priorem formam delegarat, iurisdictionem assumit, si præsens sit, arg. c. si quem, 8. de Procurat. hoc lib. & tit. Qui autem secundùm formam posteriorem, ius reuocandi iurisdictionem retinet; reuocare autè iurisdictionem, sicuti & dare ad eum pertinet, qui iurisdictione præditus est. 1

NOTANDVM II. Verba commissionis, aut delegationis benignè explicanda sunt, potiùs vt valeat, & perseueret, quàm vt pereat, & cesset: quia id inseruit ad causæ velociorem expeditionem. Ita notat hic Gl. marginal. & colligitur ex textu: quia verba delegationis, si abesse me contingat, latè accipiuntur, vt etiam morte interueniente, procedere possit subdelegatus. Nam abesse etiam dicitur, qui in humanis esse desinit, l. mulieris, 13. in fine, ff. de verb. signif. 2

No

1 NOTANDVM III. Delegatus causam ita subdelegare potest, vt sententiæ executionem sibi reseruet: quo casu non censetur iurisdictionem omnino à se abdicare; adeò, vt si contra latam à subdelegato sententiam appelletur, ad ipsum deferenda sit appellatio. Idémq; dicendum est, si articulum causæ medium, v.g. litis contestationem, aut testium receptionem sibi reseruauit: Veruntamen, si articulus, quem delegatus sibi reseruarat, peractus sit, censetur officio suo functus, vt postea non ad ipsum, sed ad primum delegantem appellari debeat, vti hîc docet Ioan. Andr. n. 1. Dominic. col. 2. §. Sed pone.

CAPITVLVM VIII.

Cùm plures.

PARAPHRASIS.

Si duo, vel plures à Papa dati sint Iudices delegati, aut executores, hac forma; vt plures, vel singuli procedant; censentur habere iurisdictionem in solidum, ita vt etiam vnus solus, qui præoccupauit, mandatum exequi debeat: eóque negotium inchoante, alij se intromittere non possint; nisi ille infirmitate, aliáue causa impeditus sit; vel negotij expeditionem malitiosè differat.

SVMMARIVM.

1. *Si plures in solidum sint delegati, quilibet cognoscere potest, & datur locus præuentioni.*
2. *Et vno illorum causam inchoante censetur iurisdictio perpetuata etiam quoad alios.*
3. *Si tamen simul omnes cognoscere causam incipiant, ab vno sine reliquis expediri non potest.*

1 NOTANDVM Vn. Si plures iurisdictionem habeant in solidum, ita vt etiam seorsim eam exercere possint, datur locus præuentioni: neque alij licitè, aut valide se immiscent, nisi qui præoccupauit, exequi impeditus sit, aut malitiosè differat. Consentit l. 1. ff. de offic. consulis, & dixi de hoc in c. prudentiam, 21. hoc tit. Videri potest Ancharanus not. 3. Ioan. Andr. n. 2. vbi ait, si delegatus, qui inchoauit, in remotas terras abijt, & causa expedienda esse existimetur, quòd collega eam assumere possit.

§. Iurisdictione.

2 SI ex pluribus in solidum delegatis vnus negotium inchoauit, censetur iurisdictio perpetuata etiam quoad alios; ita vt si delegans moriatur, itémque delegatus, qui causam præoccupauit, reliqui delegati eandem finire possint. Ratio reddi debet: Quia ab initio Iudices dati sunt cum quadam communione, vt non solùm coniunctim procedere possint, sed etiam diuisim, & ita quidem, vt si is, qui præoccupauit, impeditus sit, vel longè abeat, aut moriatur, alter in eius locum succedat, & causam perficiat. Vide Ioan. Andr. cit. n. 2.

3 QVÆRES: Si secundùm dictam formam Iudices dati causam simul cognoscere incipiant, potéstne ab vno sine reliquis expediri. Resp. cum Lapo hîc n. 3. Non posse vnum eorum sine alijs non requisitis, nec impeditis procedere, quia sicuti vno inchoante ac præoccupante alij procedere non possunt; ita & omnibus inchoantibus, ac veluti occupantibus causam, vnus sine alijs procedere prohibetur.

Porrò quæ hoc c. dicta sunt, locum non habent, si commissio facta sit sub ea forma; *Quòd si non omnes &c. vnus procedat*: tunc enim singuli procedere non possunt, nisi in defectum aliorum: quare non datur locus præuentioni, cùm non habeant iurisdictionem in solidum.

CAPITVLVM IX.

Si super.

PARAPHRASIS.

Sicuti gratia alicui à Sede Apostolica facta morte concedentis non extinguitur, tametsi

etsi res integra sit, seu executioni non mandata; Ita etiam æquum est, vt si aliquis executor gratiæ deputatus sit, eius potestas morte deputantis non extinguatur: eò quòd accessorium naturam sequi debeat sui principalis. Nam alioquin vel gratia inutilis quandoque omnino fieret, vel eius executio longo tempore, non sine dispendio eius, cui gratia collata est, differetur.

SVMMARIVM.

1. *Gratia, quæ eidem confertur qui eam exequitur, morte concedentis non extinguitur, licèt res integra sit.*
2. *Idem est, si alij etiam gratia facta sit, & alius eam exequitur; secùs autem, si sit gratia facienda.*

1 ADuerte: Quòd gratia interdum eidem confertur, qui eam exequitur; interdum verò gratia confertur alteri; alius verò est, cui executio mandatur. In priore casu, certum est, gratiam non extingui morte concedentis, tametsi res integra sit, seu priuilegiatus priuilegio suo nunquam vsus fuerit. Ita etiam habetur in c. si cui, 35. de præb. in 6. Quòd concessa alicui facultas conferendi beneficia personis idoneis, nullâ nominatim expressâ, non expiret morte concedentis: Idémque eo modo dicendum de facultate absoluendi à peccatis, censuris, dispensandi in votis, &c. Et nō tantùm si eiusmodi facultates à Papa concessæ sint, sed etiam ab alijs Ordinarijs, vti ex cōmuni docet hîc Dominic. col. 1. Ancharanus in fine, Sanchez lib. 8. de matrim. disp. 28. n. 43. Suarez lib. 8. de legibus, c. 31. n. 5. Et hoc signum esse solet, si facultas absoluendi, dispensandi, beneficia conferendi indeterminatè, seu sine personarum determinatione, alicui seu personæ, seu communitati v. g. Religiosorum concessa sit, ipsius gratiam seu fauorem esse, qui morte concedentis non extinguitur, nisi tunc reuocetur, iuxta cit. c. is cui.

In posteriore autem casu distinguendum
2 est inter gratiam factam, & faciendam. De gratia facta duntaxat sermo est in hoc c. vti notat Gl. hîc communiter recepta, Ioan. Monach. n. 5. Ioan. Andr. n. 2. Quare regula notanda est: Quòd sicuti gratia facta morte concedentis non expirat, ita neque executio gratiæ, tametsi res integra sit. Idque ampliari debet primò: Tametsi gratia acceptata nōdum sit; dummodò à Superiore ex debito officij facta, v. g. gratia beneficij Ecclesiastici, dispensationis, absolutionis. Ita docet hic Lapus, & Dominic. col. 2. ver. Quæro an iste textus, Sanchez cit. n. 43. & docui lib. 3. tr. 4. c. 1. n. 6. arg. c. si tibi absenti, 17. de præb. in 6. Ampliari debet secundò: Tametsi non executio mera, sed mixta cum aliqua causæ cognitione alicui mandata sit, vti docent Garcias p. 6. de benefic. c. 2. §. 3. n. 88. Gutierez lib. 2. canon. qq. c. 17. Sanchez cit. disp. 28. n. 43. Vt si Pontifex in forma *Dignum* mandet alicui beneficium iam vacans conferri, si preces veritate nitantur, aut præmissa citatione partis, seu possessoris intrusi. Eadémque ratione probabiliter dicitur cum Sà ver. gratia, n. 3. Garcia cit. §. 3. n. 312. Rodriq. to. 2. regul. q. 47. a. 7. Henriq. lib. 7. c. 21. n. 7. Sanchez n. 87. Si Papa, post intellectas causas dispensandi v. g. super impedimento matrimonij committat Officiali Episcopi, vt dispensationem conferat, si preces veritate nitantur, posse illum exequi, etiam post mortem Pontificis: Quia Pontifex, quatenus est ex sua parte, gratiam iam fecerat: executorem autem (quamuis mixtum, & cum causæ cognitione) Officialem constituit. Idémque dici debet de alijs eiusmodi executoribus necessarijs, qui ad gratiæ executionem deputari debet in prouincia, iuxta Trid. Sess. 22. c. 5. de reform.

Neque obstat huic doctrinæ c. si cui, 36. de præb. in 6. vbi dicitur, si alicui à Sede Apostolica mandatum sit, vt certæ personæ v. g. Titio beneficium proximè vacaturū prouideat, morte mandātis expirare gratiam, si res integra sit. Nam hæc est gratia non facta, sed facienda; cùm ad incertum ac nondum vacans beneficium collata, nullam omnino prouisionem ex parte Pontificis contineat, sed merum prouidendi mandatum, quod morte mandantis extingui solet. Secùs verò

verò dicendum esset, si Papa alicui canoniam ipsemet conferret, atque insuper mandaret Canonicis v.g. aut Officiali Episcopi, vt proximè vacaturam præbendam ipsi assignari faceret, vti bene monet Gl. in cit. c. si cui, Garcias cit. p. 6. §. 3. n. 305. Nam hoc casu gratia est facta à Papa, & executio alteri demandata. Accedit, quòd fortasse c. illud in materia beneficiali, quæ ob fraudis periculum valde odiosa strictissimi iuris esse solet, specialiter constitutum fuerit, ideóque ad alios casus transferri non possit, vti Suarez annotauit cit c. 31. n. 14. Aliter verò sed minùs conuenienter textui cit. c. explicant Sanchez loco cit. num. 87. & alij apud Garciam num. 302.

CAPITVLVM X.

Si is, cui.

PARAPHRASIS.

Episcopo, vel Abbati, nomine proprio non expresso, à Sede Apostolica causa delegata erat: is eam subdelegauit non in totum, sed reseruatâ sibi sententiâ: Cùm autem subdelegatus in causa procederet, interim subdelegans Episcopus, vel Abbas excommunicationem incurrit, aut vitâ excedit: hoc casu si accidat, vt à subdelegati sententia appelletur, ad primum delegantem deferenda est appellatio; ne si diutius expectandum sit, donec absolutio conferatur, vel alius Prelatus substituatur, causæ expeditio cum partium damno nimis prorogetur.

SVMMARIVM.

1. *Propter longinquam absentiam delegati, eo intermisso, appellari potest à subdelegato ad delegantem.*
2. *Si Episcopus, cui à Papa intuitu dignitatis causa demandata fuit, tempore datæ literarum in viuis fuit, mortuus autem est ante præsentationem, substitutus eam exequi potest.*

NOTANDVM Vn. Licèt ordinariè à subdelegato, cui causa non tota commissa erat, appellandum sit ad subdelegantem, &, eo mortuo, ad successorẽ eius in dignitate, (si delegatio intuitu dignitatis facta fuit) vti constat ex c. cùm te, 18. & c. super quæstionum, 27. §. porrò, extrà hoc tit. limitari tamen id debet; Nisi exinde partibus litigantibus dispendium generari possit, quia causa nimis diu protraheretur. Etenim contra iuris communis tenorem, quædam specialiter constitui ad vitandum præiudicium litigantium, vel aliorum, monet Gl. hîc ex c. Abbate, 3, de sent. & re iudic. in 6. Quare eadem ratione docent hîc Ioan. Andr. n. 1. & Ancharanus not. 4. Propter longinquam ab- 1
sentiâ delegati, eo intermisso, appellari posse à subdelegato ad delegantem. Longinquâ, inquam: nam si modicum, aut tolerabile sit impedimentum causæ protrahendæ, non ideo à communi iure recedendum erit. Quare etiam in casu huius c. si mox absolutio conferenda erit delegato, aut post breue tempus successor cum iurisdictione instituẽdus, tum ad eum, non ad primum delegantem appellatio deuolui debebit, vti Ancharanus & Dominicus hîc admonent, post Gl. hîc ver. durante.

QVÆRVNT hîc Lapus, & Dominicus, Si 2
Episcopus, cui à Sede Apostolica intuitu dignitatis causa delegata erat, tempore datæ literarum in viuis fuit, sed mortuus ante præsentationem, vtrùm exequi possit substitutus. Et rectè respondent, quòd possit: Quia rescripta Apostolica, perinde vt leges, vim ac valorem aliquem consequuntur ipsa expeditione, tametsi nondum cognita, vel acceptata sint, vti suprà etiam dictum.

CAPITVLVM XI.

Ab arbitris.

SVMMARIVM.

Ab arbitris iuris ad Papam appellandum est; à voluntariis absolutè appellari non potest, sed supplicari.

SI appelletur ab arbitris, qui ex iuris præscripto à partibus eligendi sunt, vt de causa suspicionis Iudici obiecta cognoscant, iuxta c. suspicionis, 29. extrà, & c. si contra 4. hoc lib. & tit. Item si appelletur ab arbitris, qui ex præscripto c. pastoralis, 14. de rescript. à partibus eligi debent, si diuersi Iudices super reuocatione literarum Apostolicarum discordent: his, inquam, casibus, ad Sedem Apostolicam appellatio deferenda est.

Ratio, cur non ad Iudices appellandum sit, ea dari debet, quia sicuti ipsi dubij ac suspecti sunt circa causam principalem, ita etiam circa accessoriam, à qua appellatur: Vt quia arbitri dilationem nimis breuem concesserunt, c. 1. de dilation. vel sententiam super causa suspicionis iniquam pronũtiarunt.

Cõtra hæc obijci solet, quòd ab arbitris appellari non possit, l. 1. C. de recept. arbitris, c. sanè, 34. caus. 2. q. 6. secundùm verã eius lectionem. Respondet hîc Gl. cõmuniter recepta, ver. appellandum, Ancharan, ibid. Gl. marginalis, in l. arbitrio, 9. ff. Qui satisdare cogantur, Ioach. Mynsinger lib. 4. obseruat. 68. Quòd arbitri alij sunt voluntarij, qui libera partium voluntate eliguntur, & ab his non appellatur: quamuis si iniquum arbitramentum, seu laudum pronuntiasse videantur, Iudici supplicari, seu officium eius implorari possit, vti Gl. margin. hîc notat, ex c. 2. de arbitris. Alij verò sunt arbitri necessarij, qui ex iuris, aut statuti alicuius præscripto vel Iudicis coactione à partibus eligi debent: & ab his appellari potest ad eum, qui iuri aut statuto præsidet, vel qui ad arbitros eligẽdos compulit, vt hîc apparet. Ratio est: Tum quia horum arbitrorum pronuntiatio magis ad iudicialis sententiæ naturam accedit, adeò vt exinde actio in factum nascatur, teste Mynsingero in cit. loco: tum quia æquum est, vt ijs potiùs per remedium appellationis succurratur, qui ad arbitros cõpulsi sunt, quàm vt ijs, qui sponte eos elegerunt: sibi enim imputare debent, quòd in eos vltro consenserint. Ita Gl. fin. hîc, & Ancharanus. Non desunt tamen DD. apud Domin. Geminianum hîc, in fine c. Gl. margin. in cit. l. arbitrio, qui arg. eius l. vniuersim, docent, ab arbitris electis super incidente iniquo iudicium appellari posse.

CAPITVLVM XII.

Is cui.

PARAPHRASIS.

Si cui Papa commiserit, vt personæ certæ in certa Ecclesia, diœcesi, aut prouincia beneficium prouideat, potest is prouisionem hanc alteri committere. Sin autem nullâ certâ personâ nominatâ, alicui mandetur, vt personæ idoneæ certam Ecclesiam vel beneficium prouideat, non potest prouisionem alteri demandare: eò quòd ipsius industriæ specialiter electa censeatur. Præterquam, si in forma commissionis ipsi tactæ contineat, vt per se, vel per alium exequatur.

SVMMARIVM.

Executor datus à Papa vices suas alteri committere potest, nisi persona industria electa fuerit.

NOTANDVM Vn. Executor à Papa constitutus interdum vices suas alteri committere potest. Cui tamen contradicere videtur c. vlt. §. cæterùm, extrà. eod. Resp. vt ibi dictum fuit, Regulam, quę ibi traditur, quòd executor constitutus alteri vices suas delegare non possit, vniuersaliter veram non esse; sed tantùm, si ex qualitate causæ, seu commissionis præsumi possit, personæ industriam electam fuisse. Vt in casu huius c. Si ipsemet cõmittens principalis nominet personam, cui beneficiũ prouidendum sit, si idonea reperiatur, seu, si preces veritate nitantur, tum parum plerumq; refert, vtrùm per se, an per alium exequatur. Sin autem nulla persona nominata, eius arbitrio & electioni committatur, cui prouidẽdum sit, tum committens censeri debet ad industriam, & discretionem respexisse.

Exinde infert hic Dominic. Si testator executores constituit, quorum arbitrio & electio-

electione inter pauperes legata distribuantur, quòd non possint hoc mandatum, seu fideicommissum per alios exequi; cùm censeatur electa industria, & discretio eorum. Secùs autem, si ipsemet testator certos pauperes, aut pias communitates, seu Ecclesias nominauit, quibus legata dari debeant.

CAPITVLVM XIII.

Statuimus.

PARAPHRASIS.

Sicui à Sede Apostolica mandatum sit, vt in certo loco inquisitionem instituat, vel aliud peragat, atque propter malitiam & potentiam eius, contra quem inquiri debet, aut fautorum eiusdem, eo loco securè exequi nequeat, tum alium locum commodum & securum ad executionem eligere potest: ne alioquin malitiosè impedire volens ex fraude sua commodum reportet. Idémque agendum, si alia rationabilis causa subsit, ob quam in loco designato executio mandati perfici nequeat; ne alioquin mandatum Apostolicum impediri, aut nimis differri contingat.

SVMMARIVM.

1. *Locus iudicij debet primò esse idoneus, hoc est, non longè distans à partibus atque personis, à quibus inquisitio capienda. Secundò, securus, ad quem tuto partes, Aduocatus & testes accedere possint. Tertiò, honestus, vt iudicium non fiat in lupanari, taberna, &c.*
2. *Si locus in fauorem partium designatus est pro iudicio ab inferiore Ordinario, cum consensu communi partium, potest iudicium ad alium locum prorogari; modò is subiectus sit delegati, vel accedat consensus eius iudicis, qui iurisdictioni praest.*
3. *Absque consensu partium non potest alium locum deligere iudex delegatus, si non procul absit Ordinarius, vel aliunde periculum in mora non sit.*

QVod Bonifacius VIII. tradidit in c. statutũ, 11. de resc. in 6. §. in nullo; Iudicẽ, cui commissum est, vt causam in certo loco cognoscat, absq; partium consensu non posse aliũ locum eligere: id in hoc c. ab eodem Bonifacio limitatur. Nisi vel ob malitiã aduersarij, vel quamcunq; aliam causam delegatus Papæ impediatur in loco sibi constituto procedere, tunc alium idoneum & securum eligere posse.

NOTANDVM I. Propter necessitatem aliqua permittuntur, quæ alioquin secundùm ius concessa non sunt: cùm necessitas legi non subiaceat, c. 2. de obseru. ieiunij.

NOTANDVM II. Circa locum iudicij * duplex consideratio esse debet: Prima, vt idoneus sit: videl. non longè distans à partibus, atque personis, à quibus iurisdictio capienda est: ne ob itineris longitudinem sumptus magni fieri debeant, arg. cit. c. statutum, §. cùm autem, & l. cùm post, 26. C. de appellat. Deinde, vt sit securus locus, ad quem partes, itémq; Aduocati, ac testes sine periculo accedere possint, c. accedens, 4. Vt lite non contestata. c. ex parte, 47. de appellat. Altera consideratio; vt locus in quo iudicium peragitur, honestus sit, non in taberna, aut lupanari, ait Aneharanus hìc.

QVÆRIT Gl. hìc ver. Apostolica sede. Si ab inferiore Ordinario causa committatur in certo loco tractanda, & ibi non possit, num in alio cõmodo & honesto tractare licitum sit. Respondeo & dico I. Si locus in fauorem 2 partium (vt plerũque fieri solet) designatus sit, possunt partes communi consensu iurisdictionem ad alium locum prorogare, dummodò deleganti subiectus sit, vel accedat consensus eius Iudicis, qui iurisdictioni præest, vti docet Abb. in c. P. & G. n. 12. extrà eod. tit.

Dico II. Absque partium consensu Iudex 3 delegatus non potest alium locum deligere. Quia si impedimentum incidat, quò minùs in loco designato processus institui queat, plerumque Ordinarius delegans, v. g. Episcopus consuli poterit. Ita Gl. cit. Si tamen is longè absit, vel ob aliam causam periculum in mora sit, vt causa diutius differri non

possit, arbitror, quòd delegatus quilibet, spectata qualitate causæ, alijsque circumstantiis, ad alium locum partes citare non prohibeatur. Cùm enim hoc casu eadem ratio necessitatis, & cuiusdam æquitatis, militet in delegato Episcopi v.g. quæ in delegato Papæ, idem ius censeri debet.

CAPITVLVM XIV.

Si à subdelegato.

Paraphrasis.

Papa Titio causam delegarat: is subdelegauit Caio reseruatâ sibi sententiâ, vel executione: Cùm autem Caius partem citasset, ea exceptionem proposuit, quòd non teneatur coram ipso respondere; eò quòd Papa delegans mortuus fuerit, antequam causa vel à delegato, vel subdelegato cœpta esset. Sed Caius reiecta exceptione, procedere volebat: Tum pars ad appellationem confugit. Quæritur ergo, ad quem appellare debeat. Respondet Bonifac. VIII. Quòd ad primum delegantem: Si enim pars litigans appellaret ad delegatum, esset contraria sibi ipsi; quia appellando fateretur delegatum iurisdictione præditum esse, quod tamen antea excipiendo contra eundem negarat. Quare idem quoque dicendum in alijs omnibus casibus, quibus delegatus negatur iurisdictionem habere, quòd non ad ipsum, sed ad primum delegantem appellari debeat.

Svmmarivm.

Si Reo negante iurisdictionem delegati, subdelegatus pro delegato pronunciet, appellandum est ad primum delegantem.

Notandvm I. Etiam ipse Iudex subdelegatus, si negetur ipsi iurisdictio, de hac causa cognoscere potest: præterquam si vt suspectus recusetur, sicuti dixi in c. si contra, 4. hoc lib. & tit.

Notandvm II. Tametsi ordinariè appellatio à subdelegato fiat ad subdelegãtem, si quippiam de iurisdictione sibi reseruarit, c. super quæstionum, 27. §. porrò, extrà, eod. & c. si delegatus, 7. hoc lib. & tit. excipi tamen debet, si Reo inficiante iurisdictionem delegati, subdelegatus pro delegato pronuntiet, tum si à sententia ista appelletur, ad primum delegantem appellandum erit. Porrò causas, ob quas iurisdictio delegato negari potest, recenset Gl. hîc, ver. in alijs casibus. Videl. si dicatur subdelegatum tempore rescripti excommunicatum, aut aliàs subdelegationis incapacem; aut commissionem ab eo reuocatam, &c.

Quærit hîc Gl. ver. processum: Si post quam delegatus causam subdelegauit, moriatur primus delegans ante partium citationẽ, num perpetuata sit iurisdictio, an extincta. Et ipsa respondet; Perpetuatam esse: Cùm enim subdelegare iurisdictionis actus sit, sequitur causam non esse integram, sed cœptã. Sed contrarium est verum, quod docui in c. licet, 30. extrà, hoc tit. & satis colligitur ex textu, ver. antequam in aliquo processum.

CAPITVLVM VLT.

Hac constitutione.

Paraphrasis.

Statuit Bonifac. VIII. vt Conseruatores, quæ à Sede Apostolica concedi solent, vt ab iniurijs ac violentijs manifestis tueantur, deputari non possint, nisi Episcopi, aut Superiores eorum, vel Abbates, vel qui dignitatem, seu personatum in Ecclesia Cathedrali, aut Collegiata obtinent. Neque conseruatorem aliquis habere possit eum, cui ipsemet Conseruator datus fuit. Sed neque aliquis conseruatorem habeat, qui sub ipsius iurisdictione, dominio, vel districtu Ecclesiastico, aut temporali existit: Excipiuntur tamen Reges, ac Regnæ, si ipsis Conseruator datus sit, qui in temporalibus subiectus.

Svmmarivm.

1. *Conseruator iudex delegatus est, differt tamen in aliquibus ab alijs delegatis.*

2. Reli-

2. *Religiosi Ordinum mendicantium præter personas hac constitutione expressas in suos Conseruatores assumere possunt Canonicos Ecclesiarum Cathedralium, & Vicarios Episcoporum.*
3. *Non possunt Conseruatores vltra dietam cognoscere, aut partem citare, exceptis Mendicantibus, quorum Conseruatores per priuilegia eis concessa extra prouincias partes trahere possunt, modo non vltra tres dietas.*
4. *Conseruator non potest causam, vel articulum causæ alteri committere, nisi in literis Apostolicis talis licentia concessa sit; excepta citatione partium, & denuntiatione sententiæ.*
5. *Si Conseruatores de alijs, quàm de manifestis iniurijs & violentijs cognoscãt, seu ad alias, quæ iudicialem indaginem requirunt, se intromiserint, per annum ab officio sunt suspensi; pars autem, quæ hoc fieri procurat, excommunicationem incurrit.*
6. *Conseruatoris officium per mortem concedentis Papæ expirat, quoad negotia nondum cœpta.*
7. *Religiosi, etiam vacante Sede Apostolica, Conseruatores deputare possunt, iq; tenentur causam suscipere, & exequi, etiam inuocato, si opus sit, auxilio brachij secularis.*

1 NOTANDVM Vn. Tametsi Conseruator sit Iudex delegatus, multa tamen peculiaria habet, in quibus ab alijs delegatis differt: Nam delegatus Papæ potest esse Canonicus Ecclesiæ Cathedralis, non item Conseruator: Iudex delegatus impetrari potest ab aliquo, cui & ipse in alia causa delegatus Iudex datus est; sed & ille, qui subditus suus est: saluo in vtroque casu iure recusationis, seu exceptionis: Sed Conseruatoris deputatio in his casibus irrita est ipso iure, sicuti constat ex fine huius c. Ita Gl. in hoc c. ver. edita. Aliæ differentiæ infrà ponuntur.

2 Porrò Religiosis Ordinum Mendicantium Pontificijs priuilegijs concessum est, vt præter personas hac constit. expressas, etiam Cathedralium Ecclesiarum Canonicos, Vicarios Episcoporum (de quibus spectato communi iure dubitari posset) assumere possint, vt videre licet apud Rodriq. tom. 1. regul. qq. q. 65. a. 3. & Compend. priuileg. Societatis IESV, ver. Conseruator, §. 1.

§. Conseruatores.

NOn possunt Conseruatores vltra dietã, 3
seu iter diei mensurandam à finibus diœcesis, aut prouinciæ, in qua deputati sunt, cognoscere, aut partem citare. Idem de delegato Iudice habetur in c. rescriptum, 11. §. cùm verò, de rescript. Differentia autem est secundùm Gl. hic; quòd iurisdictio delegati cum partium consensu de loco ad locum prorogari possit, cit. c. statutum, §. in nullo: Sed non ita iurisdictio Conseruatoris, vti ex fine c. colligitur.

Sed huic Constitut. derogatum esse per priuilegia Mendicantibus concessa, dummodò eorum Conseruatores non vltra tres dietas extra prouincias partes trahant, leges apud Rodriq. cit. q. 65. a. 7. Vide etiam Compend. Priu. Soc. IESV, ver. Conseruator, §. 4.

§. Vices.

IVdex Conseruator non potest causam 4
aut articulum causæ alteri committere, nisi in literis Apostolicis talis licentia concessa sit. Excipiuntur verò citatio partium, & denuntiatio sententiæ: quas Conseruatori alijs personis eiusdem diœcesis ac prouinciæ cõmittere concessum est, dummodò eam qualitatem habeant, vt Sedis Apostolicæ Conseruatores esse queant.

NOTANDVM Vn. Differentia etiam hæc est inter Sedis Apostolicæ delegatum, & Conseruatorem; quòd ille causam totam vel nõ totam liberè subdelegare possit: Non item conseruator, nisi in dictis casibus. Verùm per priuilegia Mendicantibus concessa eorum Conseruatores vices suas alteri committere posse, tradit idem Rodriq. a. 10. &

habetur in Compend. Priuileg. Societ. IESV §. 2.

§. Vt autem.

5 SI Iudices Cõseruatores limites potestatis suæ excedendo, de alijs quàm manifestis iniurijs cognoscant, vel ad ea, quæ iudicialem indaginem requirunt, se intromittant, per annum suspensionem ab officio ipso iure incurrunt. Pars verò litigans, si talem Conseruatori inconcessam cognitionem fieri procurat, excommunicationem incurrit, à qua absolui non potest, priusquam alteri parti integrè restituat expensas, quas ob eam causam facere debuit.

Sed quòd Conseruatores Religiosorum etiam in non manifestis, ac iudicialem cognitionem requirentibus procedere possint, dixi in c. 1. hoc lib. & tit.

§. Officium.

6 COnseruatoris cuiuscunq; officium per mortem concedentis Papæ ipso iure expirat, quoad negotia nondum cœpta. Sed dubium est: Si Religiosi Conseruatorem deputent ad coseruationem priuilegiorum suorum, accidat verò Pontificem vitâ excedere, vtrùm Conseruator ab eis deputatus procedere possit, tametsi ante mortem Pontificis causam non cœperat. Videtur negare Sanchez lib. 8. de matrim. disp. 28. a. 43. argum. huius c. Sed contrarium asserendum est cum Rodriq. cit. q. 65. a. 6.

Si enim priuilegium Conseruatores deputandi à Sede Apostolica Religiosis concessum perpetuò durat, donec reuocetur, sequitur quòd semper, etiam vacante Sede Apostolica, Conseruatores deputare possint, ijq́ue teneantur causam suscipere, & exequi, etiam inuocato, si opus sit, auxilio brachij secularis, sicuti in priuilegijs continetur. Sed verum est antecedens, vti rectè ostendit Rodriq. cit. loco: Eò quòd priuilegia Ordini Regularium alterius Communitati concessa in eo de natura realium priuilegiorum, participent, quòd cum personis extinguatur, vti constat ex l. forma, 4. §. quamquam, ff. de censibus, & dixi lib. 1. Th. mor. tr. 4. c. 23. n. 4.

Confirmatur: Vel Conseruatoris officium ac potestas inutilis & irrita esset, propter mortem v. g. Pij V. qui priuilegia Regularibus concessit; vel inutilis ac irrita fieret per mortem huius Pontificis. Non primum: quia tum fateremur, penitus sublata esse priuilegia illa Regularium, quod nemo ait. Non secundum: Quia in c. hoc dicitur, officium Conseruatoris extingui per mortem concedentis: Pontifex autem qui nunc moritur, Conseruatorem non concessit, vt primus: Ergo &c.

Quare respondetur ad argum. ex hoc §. desumptum; Si Papa ipsemet Conseruatorem specialiter ac directè designauit ad priuilegia Religiosorum in aliquo casu defendenda, eius potestatem extingui quoad negotia non cœpta, per mortem committentis: Secùs, si priuilegium datum sit Regularibus, vt ipsi quocunq; occurrente tempore Conseruatorem sibi eligere seu deputare possint. Cùm enim deputatio Conseruatoris in hoc casu proueniat ex priuilegio perpetuo, eius naturam sequi debet, vt talis Conseruator non auctoritate huius, aut illius Pontificis, sed ipsius Apostolicæ Sedis, quæ semper durat, delegatus censeri debeat, argum. c. si super 9. hoc lib. & tit.

§. Circa.

QVæ in cit. c. statutum, §. Insuper, & seqq. circa Iudices delegatos à Bonifac. VIII. decreta sunt, ea etiam à Iudicibus Conseruatoribus obseruari debent.

TIT V.

TITVLVS XXX.

DE OFFICIO LEGATI.

TItulus iste meritò hîc interponitur, quia Legatus Apostolicus partim cum delegato Iudice cõuenit, partim cum Ordinario; quamuis absolutè loquendo officium eius ordinarium sit, sicuti Proconsulis, aut Præsidis prouinciæ officium, de quo lib. 1. ff. tit. 16. & 18. & videri potest c. 1. eod. tit. in 6. Loquimur autem de Legatis Sedis Apostolicæ, qui ad prouinciam aliquam gubernandam cum iudiciaria potestate destinantur: Non item de legatis seu nuntijs, qui ad certum negotium expediendum mittuntur. De quibus Syl. ver. delegatus n. 16.

CAPITVLVM I.

Cùm non ignoretis.

PARAPHRASIS.

Si Archiepiscopus aliquis dignitati ac sedi suæ Apostolici Legati munus annexum habeat, licèt vt Metropolitanus causas eorum, qui Suffraganeis suis subditi sunt, cognoscere nequeat, nisi per appellationem; tamen vt Legatus Apostolicæ Sedis in omnibus causis, siue per appellationem, siue per simplicem querelã ad ipsum deferantur, procedere potest, cùm in prouincia sua Papæ vices gerat.

SVMMARIVM.

1. *Triplex est Legatus Apostolicus. Vnus à Latere Pontificis, siue Cardinalis; alius non à Latere destinatus in Prouinciam; alius Legatus natus.*
2. *Legati destinati ad Prouinciam dici possunt Vicarij Papæ.*
3. *Legatus à Latere, vel qui cum simili potestate missus est, habet iurisdictionem in exemptos, exceptis casibus Sedi Apostolicæ specialiter reseruatis; alij Legati hanc potestatem non habent.*
4. *Vnde Legatus à Latere beneficia ecclesiastica etiam exempta, & ad exemptos spectantia conferre potest.*
5. *Legatus in Prouincia est ordinarius Iudex, ita vt concurrat cum Episcopo in omnibus causis subditorum: eas tamen suscipere nõ debet, nisi ad ipsum per appellationem deuoluantur, vel Episcopus eas intra biennium à die mota litis definire negligat.*

SVpponendum est, quòd triplex sit Legatus Apostolicus, vti sumitur ex c. 1. eod. tit. in 6. Vnus à Latere Pontificis, siue Cardinalis: alius Legatus non à latere destinatus ad Prouinciam. Alius denique Legatus natus, qui munus Legationis consequitur ipsa consecutione Ecclesiæ Metropolitanæ, cui officium seu dignitas Legati in perpetuũ annexa est. Talis in Germania nostra est Archiepiscopus Salisburgensis, in Anglia Archiepiscopus Cantuariensis, in Italia Archiepicopus Pisanus, in Gallia Archiepiscopus Rhemensis, teste Nicol. Boërio de potestate Legati à Latere, q. 3. In Bohemia Pragensis, vti ex Baldo refert Tuschus ver. Legatus, concl. 157. Videri hîc potest Imola, n. 7. & quæ dixi lib. 1. Th. mor. tr. 4. c. 7. §. 6. 1

NOTANDVM I. Legati Apostolici in Prouincia, ad quam deputati sunt, dici possunt Vicarij Papæ; quia ijs locis Apostolica auctoritate funguntur: Cùm enim Summus Pontifex per totum Christianum Orbem iurisdictionem exerceat, c. cuncta, 17. causa 9. q. 3. ideo in partibus remotis Vicarios suos ponit, qui vice ipsius ordinariam iurisdictionem in omnes de prouincia exerceant, vti videre licet apud Leon. I. epist. 94. Iustinianum collat. 9. tit. 14. Nouel. 131. apud Bellar- 2

Bellarminum lib. 2. de Pontific. c. 20. Ad eum fermè modum, sicuti suprà de Archidiaconis dictum est, quòd quibusdam regionibus in partibus diœcesis constituti sint Vicarij Episcoporum, exercentes ordinariam iurisdictionem Episcopis subordinatam.

Quærit Gl. hîc, ver. vniuersas; Vtrùm Legatus Apostolicæ Sedis iurisdictionem habeat in exemptos? Resp. ex doctrina eiusdem Gl. Abb. hîc, n. 8. Mol. cit. disp. 9. n. 10.

3 Quòd Legatus à Latere, aut qui cum simili potestate missus est, in exêptos iurisdictionem exerceat, exceptis casibus Sedi Apostolicæ specialiter reseruatis; sed alij Legati talem potestatem non habeant. Ita colligitur ex c. 1. de verb. signif. in 6. & c. Si Abbatem, 36. de elect. in 6.

4 Ex quo inferunt DD. communiter, quòd Legatus à Latere conferre possit beneficia, spectantia ad collationem exemptorum, etiamsi ipsamet beneficia exempta sint, vt videre est apud Garc. p. 5. c. 3. n. 19. Non tamen ea conferre potest, quæ Episcopus confert ex Apostolica delegatione & auctoritate, videl. quæ ad ipsum deuoluta sunt, ob negligentiâ Prælati Regularis exempti, Clem. 1. de suppl. negl. Præl. & docet Garcias n. 32.

5 NOTANDVM II. Legatus in Prouincia est Ordinarius Iudex, ita vt concurrat cum Episcopo in omnibus causis subditorum: adeò, vt ab inferioribus Iudicibus sub Episcopo constitutis ad Legatum appellari possit, sicuti ad ipsum Episcopum. Quæ est doctrina fermè communiter recepta Guil. Durandi in speculo, tit. de Legato, §. Ioann. Turrecrematæ in c. Si quis vestrum, 4. causa 2. q. 6. Ioann. Andr. in c. quod translationem, n. 10. hoc tit. Abb. hîc n. 7. Sed nouo iure Concil. Trident. sess. 24. c. 20. de reformat. Legatorum potestas restricta est, vt causas subditorum prouincialium non cognoscant, nisi Ordinarius intra biennium à die litis motæ numerandum negligat; vel si per appellationem à sententia definitiua ad Legatum deuoluantur. Et in ipso appellationis processu seruari debet constitutio Innocent. IV. in c. Romana, 3. de appellat. in 6. vti præcipit Trident. sess. 22. c. 7. de reformat. Item, quod attinet ad appellationes la causa criminali, seruari debet constitut. Trident. sess. 13. c. 3. de reform.

CAPITVLVM II.

Studuisti.

PARAPHRASIS.

Si in Prouincia sit Legatus Generalis, & superueniat delegatus Papæ in causa speciali; quæritur, vtrùm Legatus Generalis super cognitione, aut processu in hac causa se immiscere possit. Negat Cælestinus III. ea allata ratione; Quia mandatum speciale derogat generali. Si tamen sententia à delegato legitimè lata fuit, potest eam legatus confirmare & executioni mandare.

SVMMARIVM.

1. *Commissio specialis derogat generali.*
2. *Potest tamen acta delegati specialis rescindere Legatus generalis, si ille contra formam mandati procedat.*
3. *Potest etiam sententiam delegati specialis rationabiliter latam confirmare.*
4. *Delegatus autem specialis generalem compellere potest ad sententiæ suæ executionem.*

NOTANDVM VN. Commissio specialis derogat commissioni generali: Sensus est; Si aliquis generalem commissionem habeat omnia negotia exequendi, aut causas omnes cognoscendi: Alius verò habeat commissionem specialem super causa certa. Specialis iste Commissarius superat generalem, vt is immiscere se non debeat, nec impedire specialem. Ita simili ratione in c. 1. & c. pastoralis, 14. de rescr. dicitur, quòd rescriptū speciale deroget generali, tametsi de eo mentionem non faciat. 1

Limitat hîc Ioan. Andr. n. 2. Abb. n. 2. Barb. col. 2. Quòd superueniente causa noua, Procurator, aut Comissarius generalis prohibere possit

possit speciali, ne procedat, aut formam procedendi eidem præscribere, argum. l. si hominem, 30. ff. mandati, & docui lib. 1. Th. mor. tr. 4. c. vlt. n. 7. prope finem.

2 Ex hac ipsa limitatione colligitur: Si delegatus specialis contra formam mandati procedat, quòd Legatus se immiscere, & quæ acta sunt, rescindere possit: quia vt Barbatia hic notauit, col. 23. Legatus generalis iurisdictionem in negotio speciali habitualiter retinet, vt processum delegati, si contra formam mandati institutus sit, rescindere possit, aut irritum declarare, vti etiam ex hoc c. ducto argumento ex sensu contrario colligitur: Dicitur enim, quòd Legatus processum delegati specialis, si secundùm formã mandati institutus est, irritare non possit: Ergo poterit irritare, si contra formam mandati actum. Huc etiam pertinet, quod adiungitur, Legatum confirmare posse sententiam delegati, si rationabiliter lata est. Nam huiusmodi confirmatio saltem ad hoc inseruiet, vt eam de nullitate arguere non possit. Alioquin verò, cùm auctoritatiuè & iudicialiter facta non sit, sed tantùm approbationem, ac testimonium quoddam contineat, ideo firmitatem non tribuit, imò parùm confert sententiæ, vti Innocent. hic notat.

4 Quærunt hic DD. Vtrùm delegatus specialis ad executionem sententiæ suæ Legatum generalẽ compellere possit? Negat Gl. hic ver. confirmare valebit, & alij apud Ioann. Andr. in fine huius c. Nisi Legatus ibi sit etiam Ordinarius, vt in casu c. præced. Sed rectiùs affirmatur cum Imola n. 5. Abb. n. 5. Quia delegatus in causa sibi commissa Superior est omnibus alijs Ordinarijs, arg. c. sanè, 11. de offic. delegati. Quare ob hanc ipsam rationem delegatus specialis contra Legatum generalem, iniustè impedire volẽtem, per censuras procedere potest, habita tamen ratione dignitatis, iuxta c. pastoralis, 28. de offic. delegati, & c. 2. eod. in 6. Et tradit Cardinal. Tuschus ver. Legatus, concl. 157. quòd Iudex Conseruator contra Legatum natum, aut Legatum de Latere, iniustè impedire volentem, procedere possit.

CAPITVLVM III.

Nisi.

LEgatus Sedis Apostolicæ, quamuis à Latere sit, translationem Episcopi, sine speciali commissione ac mandato instituere non potest; cùm sacrorum canonum statuta, & generalis Ecclesiæ consuetudo id fieri non permittat. De hac re dictum fuit in c. 1. & toto tit. de translat. Episc.

CAPITVLVM IV.

Quòd translationem.

Paraphrasis.

Legatus Papæ à Latere, quamuis generalis legationis officium in Regno aliquo sibi commissum habeat, non potest tamen sine mandato speciali ea expedire, quæ Summo Pontifici in signum priuilegij, seu prærogatiuæ specialis reseruata sunt. Neque obstat, quòd aliqua huiusmodi, propter longam consuetudinem specialiter committendi, Legati à Latere veluti iure suo expediant, vt cùm percussores clericorum à canonis excomunicatione absoluant; non tamen hinc sequitur, quòd etiam alia specialia, atque Pontificti reseruata exercere queant, v. g. Episcoporum diœceses vnire, aut diuidere, Primatem creare, & Episcopatus ei subijcere, &c.

Svmmarivm.

1. *Quæ Principi specialiter reseruata sunt, ea per diuturnam seu immemorialis tẽporis possessionem cum bona fide vsucapi possunt, modo persona absque priuilegio ac concessione capax sit possessionis.*
2. *Aduersus ea, quæ ad supremam Principis potestatem intrinsecè spectant, præscribi non potest.*
3. *Præscriptio non extenditur de casu ad casum, præsertim maioris præiudicij.*
4. *Potestas Legati & absolutè, & secun-*

dùm extensionem, aut restrictionem pendet ex voluntate Papæ.

5. *Nulli, cuiuscunque dignitatis sit, credendum, si asserat, se cum mandatis Principis venire, nisi scriptis probauerit.*

DE casibus specialiter reseruatis Sum. Pontifici dixi in cit. c. 1. de translat. Episcop. & lib. 1. Th. mor. tr. 4. c. 7. n. 22. cum Gl. hìc ver. reseruata, & plures legi possunt apud Hostiensem in Sum. huius tit. §. Quid pertinet. Durand. in speculo, de offic. legati, §. 6.

1 NOTANDVM I. Quæ Principi specialiter reseruata sunt, ea per diuturnam, seu immemorialis temporis possessionem cum bona fide vsucapi possunt. Ita sumitur etiam ex c. super quibusdam, 26. de ver. signif. vbi Gl. ait ver. non extat; Quòd immemorialis consuetudo ius inducat, ideóque opus non sit titulum, seu concessionem allegare: cùm ipsa talis immemorialis consuetudo priuilegiata sit, vt vim tituli habeat, argum. l. hoc iure, §. ductus, ff. de aqua quotid. & æstiua, & notat Imola hic n. 3. contra Gl. à multis ibi receptam in c. vn. ver. non obstante, de Cler. ægrot. in 6.

Sed limitari debet primò: Dummodò persona absque priuilegio ac concessione possidere possit: alioquin enim vsucapionem, præscriptionémque procedere impossibile est, argum. c. causam, 7. de præscript. Sic v. g. Legati à Latere, cùm sint personæ Ecclesiasticæ, per diuturnam consuetudinem acquirere potuerunt potestatem absoluendi à censura canonis. Sed Reges, seu potestates laicæ talem facultatem nullo vnquam tempore præscribere possunt, cùm eius capaces non sint; nisi ex commissione per Pontificiæ potestatis plenitudinem facta, vti docui lib. 1. Th. mor. tr. 5. p. 1 c. 3. n. 3. §. Controuersia.

2 Limitari debet secundò: Quòd aduersus ea, quæ ad supremam Principis potestatem intrinsecè spectant, præscribi non potest, vti docui lib. 3. Th. mor. tr. 1. c. 8. n. 6. illat. 2. & exemplum affert hìc Abb. n. 2. Quòd nemo Christianus vlla consuetudine obtinere possit, vt Papæ in spiritualibus subiectus non sit: quia ad intrinsecam Papalis potestatis à Christo profectam institutionem spectat, vt omnium fidelium supremus Ordinarius pastor sit.

NOTANDVM II. Præscriptio, cùm sit stricti iuris, non extenditur de casu ad casum, præsertim maioris præiudicij. Vt in proposito: Ex eo, quòd Legati de Latere vnum casum Pontifici reseruatum, videl. absolutionem à canonis sententia, præscripserunt, inferri nō potest, quòd etiam alias, & ipsi maiores causas Sedi Apostolicæ reseruatas expedire possint. Ita notat hìc Abb. n. 5. ex Bartol. in l. 1. ff. de itinere, actúque priuato.

Sed contra textum c. obijcit Abb. hic n. 4. Per actus merè voluntarios, seu gratuitos non introducitur præscriptio iuris, secundùm receptam doctrinam Innocentij in c. cùm Sutrina, n. 5. de causa possess. & proprietate, & docui lib. 3. Th. mor. tr. 1. c. 8. n. 8. Ergo ex eo, quòd Papa Legatis Cardinalibus ex gratia speciali frequenter concesserit facultatem absoluendi à censura canonis, non potuit hoc ius absolutionis generatim introduci. Resp. Rectè ostenditur hac obiectione, quòd præcisè ex repetitis cōcessionibus gratuitis non potuerit introduci ius consuetudinis: Veruntamen, si Princeps Legatis à se missis plerumque facultatem aliquam concesserat, præsumptio esse solet, quòd contentus sit, vt etiam alij, qui cum simili dignitate destinantur, tali facultate gaudeant. Quòd si Princeps id fieri sciat, & non prohibeat, censetur tacitè consentire, vt temporis diuturni præscriptione opus non sit. Sin verò nesciat, ideóque nec consentiat, tum præsumptio illa conducit ad bonam fidem ingrendam, cum qua, concurrente temporis diuturnitate, vsucapio absoluetur, iuxta ea quæ dixi lib. 1. Theol. moral. tr. 4. c. vlt. n. 10. & 11.

Veruntamen per eiusmodi longam consuetudinem, tanquam titulum præsumptum plus non acquiritur Legatis, quàm ipsis acquireretur per titulum expressum, seu priuilegij concessionem; videl. vt nihilominus talis facultas absoluendi ipsis non minùs,

nus, quàm aliæ gratiæ sine iniuria auferri possint, iuxta ea quæ dixi in c. Venerabili, 37. prope finem, de offic. Iud. delegati.

4 Ex dictis infertur, quòd potestas Legati & absolutè, & secundùm extensionem aut restrictionem pendeat ex voluntate Papæ legantis; ad eum fermè modum, sicuti potestas Vicarij generalis pendet à voluntate constituentis Episcopi. Qua de re scribit Guilielm. Durandus in Speculo lib. 1. p. 1. de offic. Legati, §. 4 n. 4. Inprimis, si Legatus in prouinciam veniat, potestatis seu Legationis literas & mandatum Apostolicum exigi posse, argum. c. Ego N. 4. vers. Legatum, de iureiur. & l. vn. C. de mandatis Principum,

5 vbi dicitur, quòd nemini, quacunque dignitate fulgeat, credendum sit, si asserat se cum mandatis Principis venire, nisi scriptis probauerit. Cùm enim Romana Ecclesia nullam legationem suscipiat, nisi exhibitis literis signatis, c. vlt. d. 97. ideo neque alij Legatos Romanos absque literis suscipere cogunt: Quod enim quisque iuris in alios statuit, eodem ipse vti debet l. 1. ff. Quod quisque iuris &c. & c. cùm omnes, 6. de Constitut. Quamobrem solent Apostolicæ Sedis Legati, cùm primùm in Prouinciam venerunt, legationis suæ literas publicare, ne quisquam ignorantiam prætendere possit, argum. c. 1. de postul. Prælator. Et Couar. in pract. qq. c. 35. n. 4. testatur in Hispaniæ & Galliæ regnis nullum Apostolicum Legatum suscipi, nisi priùs literas Regio Senatui exhibuerit, idque improbari nulla ratione posse, ait Molina tr. 5. de iust. disp. 9. n. 4. Licèt aliter sentire videatur Azor tom. 2. lib. 5. c. 27. q. 8. Id verò fatentur hic Canonistæ communiter, & in c. quod super, 7. de Fide instrum. vbi Abb. n. 5. Felin. n. 8. quòd propter excellentiam & auctoritatē personæ, si Ecclesiæ Romanæ Cardinalis vel alius notus ac minimè suspectus legationis officium sibi commissum asseueret, ei credi possit, imò interdum ex æquitatis decore credi debeat, argum. cit. c. vlt. saltem quoad ea, quæ in generali officio Legati continentur; non ita verò quoad ea, quæ specialem commissionem requirunt, & præiudicialia esse possunt; horum enim fidem per literas authenticas Legatus facere deberet, vti etiam docui lib. 1. Th. mor. tr. 4. c. 7. n. 22. Quare admonet Durandus cit. loco, & Petr. Andr. Gambarus de auctor. Legati de Latere lib. 1. §. Ingressus verò, vt qui à Legato à Latere dispensationem aliquam (v. g. super impedimento matrim. in secundo gradu consanguinitatis aut affinitatis impetrant) talem potestatem Legato commissam ex literis eius publica Notarij manu transcribi curent: Quamuis ipsemet Durandus moneat, hæc rarò obseruari, & fidem facilè haberi Apostolicis Legatis.

CAPITVLVM V.

Licèt.

Paraphrasis.

Canonici Tranenses in Episcopum elegerant Guilielmum Fratrem Abbatis Cassanensis: Eam electionem Legatus Apostolicus examinauit, atque examinationem ad Pontificem transmisit: Sed postea nouum super eâdem electione examen instituere ausus est. Quo intellecto Innocent. III. rescripsit, posterius examen irritum esse, & inane; quia Legatus super causa electionis, posteaquam ad Sedem Apostolicam transmisit, iurisdictionem nullam habuit.

Svmmarivm.

1. *Legatus super electione Episcopi potest examen instituere; imò Legatus à Latere, vel qui cum potestate à latere missus est, potest Episcoporum electionem, & aliorum Prælatorum immediatè Sedi Apostolicæ subiectorum confirmare.*
2. *Aliàs examen & informationem ad Sedem Apostolicam mittere debet, & ex eo tempore Iudex esse desinit, neque amplius se immiscere debet.*

NOTANDVM I. Apostolicæ Sedis Legatus super electionis Episcopi examē 1

instituere potest: Imò, si Legatus à latere vel cum potestate Legati à latere missus sit, electiones Episcoporum, & aliorum Prælatorum Sedi Apostolicæ immediatè subiectorum, confirmare potest, c. Si Abbatem, 36. de elect. in 6. Alioquin examen & informationes ad Sedem Apostolicam mittere debet; & ex eo tempore se non amplius immiscere, vt hîc dicitur.

2 NOTANDVM II. Si Iudex, examen causæ, seu causam instructam, ad Principem referre decreuerit, & partes approbarint, suspensa interim est eius iurisdictio, vt procedere, vel immutare aliquid non possit. Ita etiam habetur in l. ex illo, 13. C. de appell. c. nomen, 12. quod est S. August. epist. 137. ad Clerum & populum Hipponensem, causa 2. q. 1. Sed cum partium consensu Iudex causam resumere potest, vti Gl. hîc docet. ver. transtulerat, argum. l. 2. C. de relationibus. Veruntamen postquam relatio seu causa instructa Principi præsentata est, tum neq; cum partium consensu Iudici cognoscere, aut quippiam immutare concessum est, ne illudatur Principi, vti colligitur ex c. bonæ. 4. de postul. Prælator. & monet Ioann. Andr. hîc n. 4. Imola n. 6. Abb. n. 3. Plura de hac materia docet Ioann. Andr. & alij DD. in c. intimasti, 68. de appellat.

CAPITVLVM VI.

Dilectus.

PARAPHRASIS.

Episcopus Prænestinus Apostolicæ Sedis Legatus Roberto Methensi Canonico Ecclesiâ S. Trudonis contulerat: Sed Methensis Archidiaconus molestationes intulit Canonico, non permittens eum pacifica possessione frui, eò quòd ipso inconsulto, ad quem ius præsentandi pertinebat, Ecclesiam adeptus esset. Hoc intellecto, Papa Innocent. III. quibusdam à se delegatis mandauit, vt dictum Archidiaconum, remota appellatione, cogant cessare à molestationibus: propterea quòd Prælatus plus iuris habeat in beneficiorum concessione, quàm patronus: Neq; patrono præiudicium inferatur, si quando ipso inconsulto Apostolicæ Sedis Legatus Ecclesiam aliquam confert.

SVMMARIVM.

1. *Legatus de latere confert beneficium vacans, licèt sint iurispatronatus ecclesiastici; non autem si sint iurispatronatus Laicorum.*
2. *Neque tamen in sex mensibus assignatis per Concordata Germaniæ ordinarijs Collatoribus, eos præueniendo, beneficium conferre potest.*
3. *Plus iuris confertur per institutionem Prælati ad beneficium, quàm per præsentationem patroni.*

NOTANDVM I. Legatus Sedis Apostolicæ, si à latere sit seu Candinalis, cõferre potest beneficia, sita in prouincia sua, tametsi sint de iure patronatus Ecclesiastici. Sed iuripatronatus laicorum, aut etiam clericorum, si ex bonis patrimonialibus acquisitum sit, Legatus derogare non potest. c. cùm dilectus, 28. iun. Gl. magna, de iure patron. Cùm neque Papa huic iuri derogare vnquam censeatur, nisi exprimat, vti docui lib. 4. Th. mor. tr. 2. c. 13. q. 3. & tradit hic Abb. n. 4. cum Gl. recepta in Clem. 2. de præbend. ver. Apostolicis. 1

Id verò dubitatur; An Legatus à latere in sex mensibus assignatis per Concordata Germaniæ ordinarijs Collatoribus, eos præueniendo, beneficia conferre possit. Ita affirmat Ioann. Chokier in reg. Cancel 40. de derogat. iurispatron. n. 75. Garcias. pag. 5. de benefic. c. 3. n. 42. Sed contrarium, vt æquius, magis placet, quod Rotam Rom. sensisse Aduocati referunt apud Gambarum de potest. Legati à latere circa beneficia, lib. 3. n. 207. Quia Concordata Nicolai V. cum natione Germanica censentur trãsijsse in pactum, cui nec Sum. Pontifex derogare solet, licèt ex plenitudine potestatis suæ, absolutè loquendo derogare possit. Sin autem beneficiorum collatio propter inferiorum Collatorum 2

latorum negligentiam ad Papam deuoluta sit, Legatus Apostolica auctoritate conferre poterit, secundùm Gl. fin. communiter receptam in c. 1. eod. in 6.

NOTANDVM II. Plus iuris confertur per institutionem Prælati ad beneficium, quàm per præsentationem patroni. Nam, vt Innoc. hic ait, per collationem, seu institutionem acquiritur prouiso ius in beneficio: non item per præsentationem; sed solùm acquiritur præsentato actio personalis contra Episcopum, vt ipsum instituat, si idoneus sit, c. pastoralis, 29. de iure patronatus. Quare hæc est Innocentij ratiocinatio: Si Legatus à latere ordinario collatori, seu Prælato Ecclesiastico præiudicare potest, præuenendo eum in collatione beneficij, c. si à sede, 30. de præb. in 6. multò magis præiudicare potest patrono Ecclesiastico: cùm is minus ius habeat, quàm collator: partim quia ille ex gratia habet ius patronatus; collator autem ratione officij, seu dignitatis suæ: partim quia, vt dictum est, præsentatio parum iuris tribuit instituendo, sed multum collatio seu institutio.

Accedit, si in aliquo casu Pontifex, vel Legatus eius beneficium conferat patrono inconsulto, ipsi tamen ius patronatus non auferatur; cùm in alijs casibus præsentare possit.

CAPITVLVM VII.

Nouit.

PARAPHRASIS.

Legatus Apostolicæ Sedis mandatum habuerat à Pontifice, vt regnum Franciæ interdicto subijceret; quod etiam executus est. Sed Rex Galliæ putabat irritam esse promulgationem, quòd facta esset à Legato, posteaquam fines regni Franciæ egressus esset, Sed Innoc. III. respondit, id nihil referre: Quia licèt fines regni exierit, non tamen terminos suæ legationis egressum esse: cùm non tantùm in regnum Francorum, sed etiam in Viennêsem, Lugdunensem, & Bisuntinam prouincias Legatus destinatus fuerit.

SVMMARIVM.

1. *Legatus ad plures prouincias in vna earum existens iurisdictionem exercere potest erga alias.*
2. *Non autem exercere iurisdictionem suã potest extra legationis suæ fines, nisi voluntariam dispensando, absoluendo, legitimando, &c.*

NOTANDVM I. Si Legatus ad plures pro- 1
uincias destinatus sit, tum in vna earum existens iurisdictionem exercere potest erga alias. Nam sicuti Pontifex in quacunque orbis terrarum parte existens iurisdictionem erga quoslibet Christianos exercere potest; ita & Legatus in quocunque loco prouinciæ aut prouinciarum suæ legationi attributarum iurisdictionem exercet erga prouinciales quoslibet sibi à Papa subiectos. Sed bene monet Abb. hîc n. 2. quòd Legatus partes non debeat sumptibus grauare, extra prouinciam trahendo; cùm possit causam alteri delegare; imò etiam Vicarium constituere, sicuti Episcopus: Nam etiam proconsules, & Præsides prouinciarum (quibus Legati æquiparantur cap. 2. eod. tit. in 6.) Vicarios constituebant, vti colligitur ex lib. 1. tit. 16. ff. de officio Proconsulis, & Legati.

NOTANDVM II. Legatus extra legationis seu prouinciarum sibi commissarum fines existens, iurisdictionem exercere non potest. Ita etiam de Proconsule statutum est in l. 1. ff. de Proconsule: *Potestatem non exercet, nisi in ea prouincia sola, quæ ei decreta est.* 2

Verùm bene monet ibi Gl. margin. & Gl. hîc ver. terminos, Innoc. n. 2. Abb. n. 3. Quòd Legatus extra prouinciam, sicuti & quilibet alius Ordinarius extra diœcesin existens, possit exercere iurisdictionem voluntariam, dispensando, absoluendo, legitimando, beneficia & gratias conferendo, vti constat ex l. 2. ff. de offic. Proconsul. Rationem dedi in lib. 1. tr. 5. p. 1. c. 4. n. 2. & seqq. Quia vnica causa, cur Ordinarius extra territorium

suum iurisdictionem exercere non possit, ea est, ne iudicij processum instituendo alterius territorij iurisdictionem violare, sibiq́ue arrogare censeatur, c. 2. de constit. in 6. Qua ratione cessante, videl. si nullus iudicij processus, vel causæ cognitio necessaria sit, & in iurisdictione voluntaria, vt in absolutione à peccatis & censuris, in delegatione causarum, aut si causa v.g. excommunicationis inferendæ notoria sit; vel denique si Ordinarius loci consensum præbeat, vti docet Nauar. c. 27. man. n. 6. & dicam in c. vt litigantes, 5. de offic. ordin. in 6.

CAPITVLVM VIII.

Volentes.

Paraphrasis.

Gregor. IX. Pontifex Apostolicæ legationis officium in prouincia sua commisit Patriarchæ Hierosolymitano; ita tamen, vt si accidat Legatum à latere eò destinari, interim dum ibi commoratur, legationis suæ potestatem Patriarcha non exerceat.

Svmmarivm.

1. *Officium Legati Apostolici suspensum est, superueniente alio digniore.*
2. *Misso vno Legato, si mittatur postea adhuc alius, prior non censetur ideo reuocatus.*

Notandvm I. Officium Legati Apostolici, superueniente Legato digniore, videl. qui sit Cardinalis, seu de latere Papæ, non quidem expirat, sed interim suspensum est. Habet itaque iurisdictionem in habitu, non in actu, vti docet Imola hîc n. 4. Ratio est, quæ in textu indicatur: Quia Legatus à latere speciali modo Pontificem repræsentat: ergo æquum non est, vt eo præsente, quispiam Apostolicam, seu Pontificiam auctoritatem exerceat, nisi Legatus ei causam committendam duxerit. Exinde porrò colligitur, quòd neque Legatus à latere iurisdictionem aliquam exercere debeat, si ipse met Pontifex in loco præsens sit, vti docet Dur. tit. de Legato, §. finitur, n. 5. arg. c. antiqua, 23. §. Dominicæ, de priuil.

Notandvm II. Si Pontifex post- 1
quam vnum Legatum ad prouinciam destinauit, alium mittat, non ideo prior reuocatus censetur. Ita docet Dur. in speculo, tit. de Legato, §. Finitur, prope finem. Imola hîc n. 6. Abb. n. 2. post Gl. communiter receptam in c. 3. causa 25. q. 2. ver. prætermitti, arg. l. 2. C. de testam. tutela, vbi dicitur, quòd testator dando alterum tutorem non censeatur reuocare eum, quem priùs dederat. Licèt aliud sit in procuratore, l. si quis cum, 31. §. Iulianus, ff. de procurat. & c. penult. de procur. Discriminis ratione hîc affert Abb. n. 3. & cit. c. penult. n. 4. Quia Procuratores, si plures sint, accidere facilè potest, vt mutuò se impediant, & vnus alteri repugnet: Sed duo Legati, sicuti & duo Vicarij generales & æquales, habent iurisdictionem insolidum; idq́ue interdum necessarium esse potest, vt causæ citiùs expediantur, arg. l. 1. ff. de officio consulis.

CAPITVLVM IX.

Excommunicatis.

Paraphrasis.

Legati, non de latere, ad prouinciam destinati, solos prouinciales ab excommunicatione lata contra Clericorum percussores absoluere possunt, dum in prouincia existunt; At verò Legati nati, seu quibus munus legationis Apostolicæ ratione dignitatis suæ competit, ij neque prouinciales subditos absoluere possunt, nisi talis facultas eis specialiter concessa sit.

Svmmarivm.

1. *Legatus à Latere, vel qui cum potestate à latere missus est, à die egressus suæ Vrbe vsq́ue ad reditum in Vrbem quicunque Clericorum percussores ab excommunicatione absoluere potest, modo non sit reuocatus.*

2. Le-

2. *Legatus non à Latere, sed ratione personæ, tantùm prouinciales absoluere potest, dum in prouincia existit.*

1 NOTANDVM Vn. Legatus à latere, vel qui cum potestate Legati à latere missus est, à die egressus sui ex Vrbe, vsque ad reditum in Vrbem, quoscunque Clericorum percussores ab excommunicatione can. si quis suadente, 17. q. 4. absoluere potest: dummodò à Pontifice reuocatus non sit, iuxta ea quæ dicam c. seq. Ita per sensum contrarium colligitur ex hoc c. & c. quod translat. suprà eod. tit. & tradit Gl. communiter recepta, ver. mittuntur, Innoc. Imola n. 2. Abb. n. 3. Molina tr. 5. de iust. disp. 9. n. 4. Qui tamen rectè monent, quòd ab alijs casibus Papæ reseruatis Legati à latere absoluere non possint, absque speciali commissione, vti constat ex cit. c. quod translationem. Quamuis contrarium doceat Azor tom. 2. lib. 5. cap. 33. q. 6. vers. Item Legatus.

1 NOTANDVM II. Legatus non à latere, cui legationis officium, non ratione dignitatis, sed vt priuilegium personale competit, prouinciales tantùm absoluere potest, dum in prouincia existit. Ita per sensum contrarium colligitur ex hoc c.

Sed dubitatur primò: Vtrùm absoluere possint aliunde aduentantes, seu peregrinos, si ibi canonis censuram contraxerunt. Videtur esse negandum: arg. l. prouinciales, 190. ff. de verb. signif. vbi dicitur, prouinciales eos dicendos esse, qui in prouincia domicilium habent. Nihilominus Hostiens. & Abb. hic n. 6. probabiliter affirmant: Quia in materia fauorabili verbum prouincialium latè accipi potest, vt omnes tum inhabitãtes, tum subditos comprehẽdat. At verò ratione delicti efficitur aliquis subditus iurisdictioni eius loci, in quo deliquit, c. vlt. de foro compet.

Dubitatur secundò: Si subditus seu prouincialis in alieno territorio canonis excommunicationem contraxit, vtrùm ad prouinciam reuersus à Legato absolui possit? Negat Hostiensis in Sum. huius tit. §. Et in quo loco. Sed alij apud eundem, & apud Durand. cit. tit. §. nunc dicamus, n. 11, quos sequitur Vincentius apud Imolam hîc n. 9. & Abbas n. 6. Quia sicuti subditi extra territorium delinquentes ab Ordinario suo puniri possunt, arg. c. cùm contingat, 13. de foro compet. ita & absolui.

Dubitatur tertiò: Vtrùm Legatus subditos alterius prouinciæ absoluere possit cum consensu Ordinarij eorum. Affirmat Durand. cit. §. Nunc dicamus, n. 9. Sed contrarium magis placet, quod hîc Abb. tradit n. 5. vbi generalem regulam tradit, quòd potestas alicui competens ex priuilegio, non possit ita prorogari sicuti quæ communi iure competit. Arbitror verò distinguendum esse; vtrùm restrictio potestatis fiat in fauorem Ordinariorum, tum probabiliter dicitur eos prorogare posse, vt dixi in c. 1. de suppl. negl. Prælator. An verò restrictio potestatis fiat in fauorem publicum, aut in fauorem ipsius principis priuilegiantis, tum inferiores prorogare non possunt: vt in casu proposito, quando nec ipsi Episcopi ab excommunicatione canonis absoluere possunt, consequenter nec alijs potestatem extendere. Quare hoc loco dici potest, quòd qui priuilegium dare non potest, neque extendere possit.

CAPITVLVM VLT.

Nemine.

PARAPHRASIS.

Statuta, quæ Legatus in prouincia condidit, durant tanquam perpetua, tametsi Legatus recesserit. Sin autem causas alijs delegârit, & ante eius discessum citatio facta non sit, iurisdictio delegatorum expirat.

SVMMARIVM.

1. *Iurisdictio Legati expirat cum egressu eius è prouincia.*
2. *In accessu & regressu ad prouinciam, gestat insignia legationis.*
3. *Finitur Legati iurisdictio quatuor potissimùm modis. 1. Si ad certum tempus*

pus datus est, eo finito expirat eius iurisdictio. 2. Si à Pontifice reuocatus sit, vel sponte prouinciâ egressus, non reuersurus. 3. Si dubium negotium retulit ad Papam, quoad illam causam iurisdictio eius extincta est. 4. Morte eius finitur.

4. *Durant Legati statuta, etiam post mortem eius, & legatione finita.*

5. *Non potest Legatus statuta condere contra, sed bene præter ius commune canonicum, quæ ad mores reformandos spectant.*

Ad ea tamen statuta, quæ præiudicialia sunt, requiritur consensus eorum, quorum interest.

6. *Processus iudicialis incipit per citationem expeditam à iudice.*

1 NOTANDVM I. Posteaquam Legatus Apostolicus è prouincia egressus est, iurisdictio eius expirat. Quare ex eo tempore non potest causam alicui delegare: cùm enim ipsemet iurisdictionem non exerceat, neque alteri eam mandare potest, arg. l. obseruare, 3. ff. de offic. Proconsulis. Et idem est in accessu ad prouinciam, quòd iurisdictionis exercitium non habeat, nisi cùm in prouinciam deuenit; nisi quòd ob necessitatem, quia v. g. infirmitate impeditus procedere non valet, alteri demandare possit, sicuti de Proconsule habetur in l. obseruare, 4. ff. de offic. Proconsul. Valere autem argumẽtum à potestate Proconsulis, aut Præsidis prouinciæ ad Legatum Apostolicæ Sedis, colligitur ex c. 2. hoc tit. in 6.

2 Cæterùm in accessu, & regressu ad prouinciam Legatus insignia legationis gestat, atque imperium veluti in habitu tenet, arg. l. 2. & l. vlt. ff. de offic. Proconsul. licèt non quoad exercitium; saltem quod attinet ad iurisdictionem contentiosam. Quid autem in iurisdictione voluntaria possit, antequam in Vrbem aduenerit, ex consuetudine petendum esse, significat Durandus cit. §. Finitur, n. 5. vbi testatur, quòd Legatus in transitu per vias & vicos populo benedicere soleat.

Pro pleniore intellectu, aduerte ex Hostiẽsi in Sum. huius tit. §. vlt. Durando cit. §. Finitur, Gl. in c. præsenti, ver. finitur legatio, eod. in 6. Quòd Legati iurisdictio quatuor potissimùm modis finiatur: Primò: Si ad certum tempus datus sit, eo finito extinguitur illius iurisdictio, arg. c. de causis, ff. de offic. delegati. Secundò: Si Legatus à Pontifice reuocatus sit, vel sponte prouinciã egressus sit, non reuersurus, arg. l. 3. ff. de offic. Præsidis: *Præses prouinciæ in suæ prouincia homines tantùm imperium habet, & hoc dum in prouincia est, nam si excesserit, priuatus est.* Nota autem, quod dixi, *non reuersurum*: Nam si prouinciâ ad tempus excedat, mox reuersurus, iurisdictionem non amittit, licèt contentiosam cum causæ cognitione, ac pro tribunali sedens, exercere nequeat, vt suprà dixi in c. nouit, 7. hoc tit. & docet Gl. in cit. l. 3. ver. priuatus est, Dur. cit. §. Finitur, princ. Tertiò: Postquam Legatus dubium negotium aliquod retulit ad Pontificem, iurisdictio quoad illam causam finita est, c. licet, hoc tit. Quartò: Morte ipsius Legati finitur eius iurisdictio: cùm officium & potestas legationis ipsi personaliter data sit, ita vt successorem propriè non habeat.

NOTANDVM II. Legatus Sedis Apo- 4
stolicæ statuta condere potest, quæ suapte naturâ perpetua & duratura sunt, tametsi eorum auctor mortuus, aut priuatus sit, vti dixi lib. 1. tr. 4. c. 1. condit. 6. Sed non potest 5
Legatus statuta ferre contra ius commune canonicum; sicuti neque Episcopus, c. quod super, de maior. & obed. & monet Innoc. hîc, Imola n. 9. Quia inferior non tollit legem Superioris, arg. c. inferior, d. 21. Sed præter ius commune, quæ ad mores reformandos spectant, statuere potest; cùm sit ordinarius Iudex in prouincia, c. 2. iun. Gl. ver. plantent, eod. tit. in 6. Ad ea tamen statuta, quæ præiudicialia alijs sunt, requiritur consensus eorum, quorum interest, vti colligitur ex doctrina Innoc. hîc, & tradit Abb. n. 7.

NOTANDVM III. Processus iudicialis 6
incipit per citationem expeditam à iudice: quare ex eo tempore perpetuata est iurisdictio delegati; ita vt morte naturali aut ciuili delegantis non expiret. Ita docui in c. gra-

tum:

tum, 20. de offic. delegati, & tradit Gl. hîc ver. citatio, Abb. n. 10. & 11.

CAPITVLVM I.

eod. Tit. in 6.

Officij.

LEgati Sedis Apostolicæ, qui non sunt è latere Pontificis, ratione legationis sibi generaliter commissæ, beneficia conferre non possunt, sed ad hoc specialem licentiam desiderant. At verò Legati à latere, ratione muneris sui, adeóque veluti ordinario iure beneficia conferunt: quia sicuti honoris prærogatiuâ alijs excellunt, ita etiam maiore pari est eos auctoritate pollere.

NOTANDVM Vn. Sicuti secundùm ius Cæsareum nomen præsidis generale est, l. 1. ff. de offic. Præsidis, Proconsul autem maximam inter Præsides prouinciarum potestatem, & maius omnibus in prouincia post Principem imperium gerebat, l. & ideo, 8. ff. de offic. Proconsul. ita nomen Legati Apostolici generale est. Sed Legati Cardinales maximam inter omnes potestatem, & summum in prouincia post Papam imperium gerunt; eò quòd è latere Pontificis assumpti, eum propinquiùs referant, seu repræsentent. Vide quæ dixi lib. 1. tr. 4. c. 7. n. 22. & lib. 4. tr. 2. c. 10. n. 7.

CAPITVLVM II.

Legatos.

PARAPHRASIS.

Legati, qui à Sede Apostolica ad prouincias destinantur, sicuti olim Proconsules ac Præsides, inter ordinarios Iudices numerari debent: quamobrem eorum officium ac potestas morte Pontificis legantis non expirat.

SVMMARIVM.

1. *Legatus Pontificius ad prouinciam destinatus habet iurisdictionem ordinariam; vnde per mortem Pontificis non expirat.*
2. *Est tamen quodammodò extraordinaria, cùm non sit perpetua & stabilis.*
3. *Vacante Sede Apostolica, Cardinales Legatum ordinariè reuocare non possunt.*

NOTANDVM Vn. Legatus Pontificius ad prouinciam destinatus habet iurisdictionem ordinariam, ac propriam, quæ proinde morte Pontificis legantis non extinguitur; tametsi iurisdictione vti non cœperit, imò ad prouinciam non aduenerit ante obitum Papæ, vti bene docet Gl. hîc ver. declaramus, quam referunt, & non improbant Ioan. Andr. & Dominicus, contra Durand. cit. §. Finitur n. 4. Nam Legatus cùm primùm Vrbe egressus est, dignitatem gerit, ac potestatem in habitu, licèt non exerceat ante prouinciæ ingressum, arg. l. 1. & 4. ff. de officio Proconsul. Ergo, sicuti alij Ordinarij, eam non amittit, donec reuocetur. 1

Aduerte tamen ex doctrina Gl. in Clem. 2. ver. nolumus, ibid. Zabar. q. 17. de offic. Ordinarij, Mol. tr. 5. de iust. disp. 9. Tametsi iurisdictio & potestas Legatorum Apostolicorum simpliciter loquendo ordinaria sit, esse tamen quodammodò extraordinariam, & superinductam: cùm non sit perpetua, & stabilis; sed personæ ita inhærens, vt eâ mortuâ, vel reuocatâ extinguatur, & ad successorem transire non censeatur, vti etiam dixi suprà. 2

QVÆRITVR hoc loco: An vacante Sede Papali, Cardinales Legatum reuocare possint? Resp. cum Dur. cit. §. Finitur, n. 5. Gl. cit. & Dominico quòd ordinariè reuocare non possint; cùm Cardinales vacante sede iurisdictionem Pontificalem non exerceant, sed id solùm solicitè curare debeant, vt Ecclesiæ bonum pastorem eligant, sicuti dixi lib. 1. tr. 4. c. 7. §. 7. At verò si causa grauis & vrgens postulare videtur, reuocare poterunt Legatum; præsertim, si nondum prouinciam ingressus sit: ideóque iurisdictio non plenè ipsi acquisita sit. Et verò hoc casu frequentiùs videri poterit necessarium reuocari Legatum, vt à nouo Pontifice cum nouis mandatis, & instructionibus ad prouinciam destinari possit. 3

CAPITVLVM III.

Præsenti.

PARAPHRASIS.

Si Legatus à latere beneficium proximè vacaturum in Ecclesia aliqua sibi reseruet in fauorem certæ personæ, datis executoribus: atque accidat legationem eius priùs finiri, (puta per mortem, reuocationem, aut reditum in Vrbem) quàm collatio beneficij vacantis facta est, tum reseruatio & omnis processus super beneficio irritus censeri debet.

SVMMARIVM.

1. *Legatus à Latere potest beneficia, antequam vacent, suæ collationi reseruare, etiam in fauorem certæ personæ.*
2. *Pendente vna reseruatione sua in ecclesia Cathedrali, vel Collegiata, non potest aliam reseruationem facere, nec si in beneficijs aliis ad vnius collationem spectantibus aliquod reseruauit, potest aliud beneficium in eiusdem Collatoris præiudicium sibi reseruare.*

1 NOTANDVM Vn. Legatus à Latere potest beneficia, antequam vacent, suæ collationi reseruare, etiam in fauorem certæ personæ: Sed non potest ita reseruare, vt personæ ius aliquod conferatur ad petendum; cùm per tale ius expectatiuæ præbeatur occasio mortem alteri machinandi. Ita habetur in c.2.de conces. præb. & docet Zabar. Clem.2.de offic.Ordin. q.3. Anchar. in c. si eum,de præb in 6.Garcias de benefic. p.3.c. 5.n.35.Azor tom.2.lib.5.c.29.q.1.& seqq. & dixi lib.4.tr.2.c.10.n.2.ver.præterea,& videri potest Trident. Sess. 24. c.19. de reformat.

QVÆRIT hîc Gl. ver. finitur legatio: Si Legatus causam alteri delegarit, iurisdictio delegati perpetuata censetur per solam citationem. Cur ergo executoris iurisdictio ac potestas non similiter perpetuatur, si in causa illa procedere cœpit, partes citando, potestatem publicando, &c. Respondet recte, Quia reseruationes beneficiorum odiosæ, ac restringendæ sunt; quippe cùm per eas Ecclesiæ grauentur, & ordinarijs collatoribus præiudicetur. Si tamen Papa, vel Legatus ex mandato speciali Papæ reseruet beneficium in fauorem certæ personæ, non extinguitur potestas executoris, si in negotio progredi cœpit, vti docet Guil. Dur. tit. de Legato, §. Nunc tractemus, n.14. Gl. hic ver. finitur, Dominic. col.3. & constat ex c. si cui, 35. in fine, de præb. in 6. Deinde si Legatus à latere aliquem Canonicum creauit, constituto executore, vt proximè vacaturam præbendam ei conferat, quòd executor exequi possit, etiam finita legatione mandantis, tradit Gl. margin. hîc: propterea quòd Canonico de iure debeatur præbenda, vti dixi cit. c. 10. n. 2. Vide Anchar. in cit. c. si eum.

§. Cæterùm.

SI Legatus à latere in Ecclesia Cathedrali, vel Collegiata beneficium vacaturum suæ collationi reseruauit, non potest ea pendente aliam reseruationem facere. Et si ex beneficijs alijs ad vnius collationem spectantibus aliquod reseruauit, non potest ea adhuc pendente, aliud beneficium in eiusdem collatoris præiudicium sibi reseruare. Vide etiam quæ dicta sunt in c. mandatum, §. de rescript.

CAPITVLVM IV.

Deliberatione.

PARAPHRASIS.

Legatus, etiamsi à latere sit, non potest Ecclesias Cathedrales, aut Collegiatas conferre, aut collationi suæ reseruare. Idemque dicendum de dignitatibus, quæ in Cathedralibus post Episcopatum maiores sunt, videl. apud nos Præposituræ, si per electionem Capitularem prouideri solitæ, quòd Legatus se immiscere, & electores impedire haud possit.

Sum-

SVMMARIVM.

1. *Beneficia electiua conferre, aut sibi reseruare non potest Legatus à latere, nisi deuoluantur ad Papam, & intra prouinciam existant.*
2. *Reseruata Papæ absq; speciali eius mandato conferre non potest.*
3. *Nec alicui potest seu in genere, seu in specie facultatem facere accipiendi resignationes beneficiorum, & ea personis idoneis conferendi.*
4. *Potest tamen alicui committere beneficij resignationem, & hac acceptâ, eidem committere, vt personæ idoneæ conferat.*
5. *Resignationes beneficiorum liberas & absolutas recipere potest, vti & eas, quæ fiunt causâ permutationis; non autem quæ fiunt sub conditione, & in fauorem certæ personæ.*

1 NOTANDVM Vn. Legatus non potest se immiscere beneficijs electiuis, ea conferendo, aut sibi reseruando. Quia id cederet in præiudicium Electorum, quibus nec Papa facilè derogare solet; sed liberam illis eligendi libertatem relinquere, argum. c. cùm in illis. 16. §. Illis verò, de præb. in 6. & videri potest Azor tom. 2. lib. 5. c. 28. q. 16.

Sin autem eiusmodi dignitates electiuæ aliáue beneficia intra prouinciam existentia ad Papam deuoluta sint, ob electorum vel collatorum negligentiam, tunc Legatus ea conferre potest, sicuti ex communi docet Syl. ver. delegatus, quæst. 13. ver. Quærit, Gambarus de auctor. Legati à latere, lib. 3. n. 620. Erasmus Chokier de iurisd. ordinar. erga exemptos, p. 4. q. 30. Garc. cit. p. 5. c. 3. n. 21. post Gl. fin. in c. 1. hoc lib. & tit. vbi ex Goffredo refert, quòd Legatus à latere ea præcipuè beneficia conferre possit, quæ ad Papam deuoluta sunt, quippe cuius vices in prouincia gerit. Imò monent Gambarus & Garcias ll. cc. quòd Legato non currat tempus semestre, sub pœna priuationis pro ea vice constitutum in Concil. Lateranensi, c. 2. de concess. præb. Quandoquidem à Legato, tanquam Apostolicam auctoritatem habente, non fit deuolutio ad Papam.

Cæterùm quæ Sumus Pontifex suæ col- 2
lationi beneficia reseruauit, vti videre est in extrauag. Ad regimen, de præb. ea Legatus absque speciali mandato conferre non potest, arg. c. quod translationem, 4. extrà, hoc tit. & docui lib. 4. tr. 2. c. 10. n. 7.

§. Prohibemus.

LEgato à latere concessum non est po- 3
stestatem alicui seu in genere, seu in specie facere, vt beneficiorum resignationes accipiat, & ea personis idoneis conferat. Ratio prohibitionis est. Quia occasione talis commissionis vacatio beneficiorum modis illicitis procurari potest, contra Conc Lateran. c. 2. de concess. præb. Posset tamen Legatus ali- 4
cui cõmittere beneficij resignationẽ; & postquam resignatio accepta est, eidem committere, vt personæ idoneæ conferat, sicuti Gl. communiter recepta hîc docet, ver. vnicuique, & dixi in c. 2. de Vicario, in 6.

NOTANDVM Vn. Legatus à latere be- 5
neficiorum resignationes liberas & absolutas recipere potest, vti etiam colligitur ex c. si Abbatem, 36. de elect. in 6. Eas quoque resignationes, quæ fiunt causa permutationis, non autem quæ fiunt sub conditione, & in fauorem certæ personæ, sicuti ex communi docet Flamin. Parisius lib. 7. de resignat. benefic. quæst. 13.

CAPITVLVM VLT.

Collatio.

SVMMARIVM.

1. *Collatio beneficij à Legato motu proprio facta alteri aliud habenti, valida est, modò beneficia incompossibilia non sint.*
2. *Collatio Ordinariorum cur ob taciturnitatem prioris beneficij non infirmetur, cùm tamen collatio Legatorum per taciturnitatem prioris vitietur.*

BEneficij collatio irrita est, si à Sedis Apostolicę Legato impetrata sit, non facta alterius beneficij priùs possessi mentione. Consentit Clem. 2. de offic. Ordinarij.

Verùm, si alij Ordinarij beneficia conferant, necesse non est in impetratione beneficij priùs habiti mentionem facere, vti habetur in cit. Clem. 2. Quamuis prius dimitti debeat, si vtrumque simul possideri non possit, vt Gl. hîc notat ver. mentio. Rationem discriminis inter Legatum, & alios Ordinarios affert Gl. ver. nolumus: Quia potestas conferendi beneficia Legatis de latere concessa est quasi extraordinaria & superinducta, cedens in præiudicium aliorum collatorum, consequenter restringenda: sed aliorum Ordinariorum collatio est naturalis ac fauorabilis amplianda.

Aliam rationem dare possumus ex Zabarel. in cit. Clem. q. 17. Quia Legatus de latere Apostolica auctoritate confert, ideo eius collatio imitatur collationem Papæ, quæ per subreptionem impetrata censetur, si prioris beneficij mentio non fiat; propterea quòd Pontifex plerumque nesciat, quæ quisq; Clericus beneficia obtineat. Quæ ratio ferme etiam procedit in Legato à latere: Quare probabiliter dici potest, cùm Gl. hîc, ver. mentio, & Gl. in cit. Clem. 2. ver. facta, Zabar. ibid. q. 4 & alijs apud Ancharan. hîc, contra Ioan. Monachum hîc, & Lapum n. 6. Si motu proprio Legatus beneficium conferat alterum habenti, valere collationem, arg. c. si motu, 23. de præb. in 6. dummodò beneficia incompossibilia non sint. Et quæ dicta sunt de Legatis à latere, eadem dici debent de alijs Legatis, si ex speciali priuilegio aut delegatione Papæ beneficia conferant, vti Gl. tradit in cit. Clem. & ibid. Cardin. Zabarel. q. 1.

Aliorum autem Ordinariorum collationes ideo non infirmantur ob prioris beneficij taciturnitatem, quia ferme notitiam habent, qualia beneficia Clerici singuli possideant.

TITVLVS XXXI.

DE OFFICIO IVDICIS ORDINARII.

CAPITVLVM I.

SVMMARIVM.

1. Episcopus electus & confirmatus est Ordinarius iudex in diœcesi sua in ordine ad Clericos, non exemptos; in ordine ad laicos, si causæ spirituales sint, & mixtæ.

2. Idem est de Prælatis exemptis, qui in subditos suos habent quasi Episcopalem iurisdictionem.

3. Legati Apostolici, Episcopi, & similes Prælati merum & mixtum imperium habentes possunt contra Reos procedere ad pœnam carceris, exilij, triremium, verberum, non tamen ad mutilationem & mortem.

4. Iudex Ecclesiasticus, si opus est, brachium

seu

Pernicioſam.

PARAPHRASIS.

EPiscopi potestatem habent in diœcesibus suis adulteria, aliáque scelera secundùm canones inquirendi, eáque puniendi. Quòd si necesse sit, etiam secularis magistratûs auxilium implorent; non vt vnus Magistratus alteri præiudicet, (cùm discretæ eorum potestates sint) sed vt mutuis auxilijs id quod Deo placitum est, exequantur.

seculare inuocare debet.

5. Eiusdem officij est, ad petitionẽ Magistratus secularis subditos eius cõtumaces per censuras ad obedientiam compellere.

6. Secularis Magistratus requisitus ab Ecclesiastico, si renuat ferre auxilium, censuris ad hoc cogi potest.

1 NOTANDVM I. Episcopus est Ordinarius Iudex in diœcesi sua. Quod intelligitur in ordine ad Clericos, non exemptos. Atque in ordine ad Laicos, si causæ spirituales sint, vel mixtæ, c. cùm sit, 8. c. ex tenore, 11. de foro compet. Nomine autem Episcopi, cui iurisdictio in foro externo cõpetit, intelligitur qui electus, & confirmatus 2 est, iuxta c. transmissam, 15. de elect. Et quod dicitur de Episcopo, locum etiam habet in Prælatis exemptis, qui in subditos suos quasi Episcopalem iurisdictonem exercent.

3 Corollarium. Cùm Legati Apostolici, Episcopi & similes Prælati merum & mixtum imperium habeant, exceptis ijs, quæ ad primum gradum pertinent, & Principi specialiter reseruata sunt, vt dixi lib. 1. Theol. mor. tr. 4. c. 5. n. 11. ideo contra reos procedere possunt ad pœnam carceris, exilij, triremium, verberum; non tamen ad mutilationem, mortem: Sed, si crimen mereatur, degradare debent, & degradatum Iudici seculari tradere. Ita docet Nau. in c. nullam, 18. q. 2. n. 52. seu q. sua, 18. Mol. tr. 5. disp. 7. vbi aiunt, hæc etiam locum habere in Prælatis Ordinum exemptorum; cùm respectu suorum Regularium veluti Episcopalem iurisdictionem obtineant, iuxta c. Abbates, 3. de priuileg. in 6. Verùm in ijs quæ ad hæresis iudicium spectant, Religiosi etiam exempti inquisitori hæreticæ prauitatis, aut, si talis non adsit, Episcopi, tanquam Sedis Apostolicæ delegati, subsunt iurisdictioni, c. ad abolendam, 9. in fine, extrà, de hæreticis.

4 NOTANDVM II. Si Iudex Ecclesiasticus in exercenda iurisdictione sufficiens nõ sit, subsidium à seculari magistratu petere debet, vt etiam infrà habetur c. quoniam, 14. hoc tit. & in c. Princeps, 20. causa 23. q. 5. Quia duæ potestates, Ecclesiastica & secularis, se mutuò adiuuare debent, vti Gl. hìc monet, ver. publicum, argum. c. cùm ad verum, d. 96.

Corollarium: Æquitas postulat, vt Iudex Ecclesiasticus, ad petitionem magistratus secularis subditos eius inobedientes, & contumaces per censuras ad obedientiam cõpellat; sed facta priùs fide, & exhibito proces- 6 su, vti crimen contumaciæ appareat: Secularis autem Iudex, requisitus ab Ecclesiastico vt subsidium afferat pro sententiæ suæ executione, si renuat, etiam censuris cogi potest, secundùm Gl. cit. quam hìc sequitur Innoc. & Abb. n. 11. & sumitur ex c. vt inquisitionis, 18. §. prohibemus, de hæret. in 6. Neque potest Iudex secularis processum iudicij ab Ecclesiastico petere, si crimen merè Ecclesiasticum sit, vt hæresis: cùm de tali crimine nec directè nec indirectè cognoscere possit, sed post latam à Iudice Ecclesiastico sententiam, meram executionem sibi demandatam habet, vti constat ex cit. §. prohibemus, & explicat Abb. cit. n. 11. & 12. Prosp. Farinac. tract. de hæresi, q. 186. §. 9. Secùs verò est, si in alio crimine deprehensus Clericus tradatur Iudici seculari, ita vt efficiatur de foro seu iurisdictione eius, vti tradit Abb. hìc. n. 12. Id verò non placet, quod idem ait n. 167. 168. Iudicem secularem compelli posse ad exequendam Iudicis Ecclesiastici sententiam, tametsi notorium sit, eam iniustam & irritam esse. Vide quæ dixi in tit. de Iudice delegato.

CAPITVLVM II.

Si Sacerdos.

PARAPHRASIS.

Si Sacerdos pro certo sciat (notitiâ occultâ) aliquem esse criminis reum: vel si ex sacramentali confessione cognouit, non debet illum nominatim arguere in publico; sed indeterminatè, sicuti Christus dixit: *Vnus vestrûm me traditurus est*, Matth. 20. Præterquam, si judiciario ordine crimen probatum fuerit Sacerdoti. Deinde,

si is, cui damnum illatum est, petat sibi iustitiam administrari, non prohibetur Sacerdos (qui iurisdictione præditus est, v.g. Vicarius Episcopi) auctorem damni per sententiam generalem ac indefinitam excommunicare; nõ obstante quòd illum ex confessione nouerit: sed nominatim non potest eum à sacra communione remouere, quandoquidem eius crimen scit non vt Iudex, sed vt Deus, id est, Dei locum tenens. Quamobrem neq; Christus Iudam à communione remouit. Debet tamen eum admonere, ne se Sacramentis ingerat.

SVMMARIVM.

1. *Crimen alterius aliquis nosse potest tribus modis, vt persona priuata; vt publica, à populo vel magistratu constituta in foro externo iudicij; & denique vt Vicarius Christi, seu vt publica persona à Deo constituta in foro pœnitentiæ.*
2. *Crimina occultè cognita, in occulto corripi debent.*
3. *Prælatus crimine ex confessione sacramentali cognito, potest accusationem, vel denuntiationem contra criminosum admittere, & conuictum vel confessum in foro externo punire.*
4. *Interrogatus de delicto ex sola confessione cognito, potest etiam iurare se nescire, scilicet, vt personam priuatam, vel vt reuelare sibi liceat.*
5. *Peccatori ex sola confessione cognito negari nequit etiam secretò petenti Eucharistia, vel aliud sacramentum.*
6. *Quâ cautelâ loquendum in publica concione de criminibus in confessione sacramentali cognitis.*
7. *Confessarius in ipsa Confessione monere debet peccatorẽ indispositum, ne ad SS. Eucharistiam sumendam accedat.*
8. *Potest excommunicari per sententiam generalem occultus auctor illati damni ab eo, cui crimen confessus est.*

1 NOTANDVM I. Tribus modis potest aliquis crimen alicuius nosse: Primò, vt persona priuata: Secundò, vt Iudex, seu vt persona publica, à populo, vel magistratu constituta in foro externi iudicij. Tertiò, vt Vicarius Christi, seu vt persona publica à DEO constituta in foro pœnitentiæ. Ita notat hic Abb. n. 4.

2 NOTANDVM II. Crimina, quæ occultè cognoscuntur, in occulto corripi debent, non in publicum euulgando, qua de re dixi l. 3. Th. mor. tr. 3. vbi de denuntiat. fiat.

3 NOTANDVM III. Si Prælatus crimen ex confessione sacramentali cognouerit, non ideo prohibetur accusationem, vel denuntiationem contra criminosum admittere, & cõuictum vel confessum in externo foro punire: dummodò hæc aliunde hausta criminis cognitio nullo modo adiuuetur ex notitia fori pœnitentialis. Ita ex communi docui lib. 5. Th. mor. tr. 6. c. 14. n. 3.

4 NOTANDVM IV. Si Confessarius interrogetur de alterius delicto, quod ex sola confessione cognouit, dicere, imò iurare potest, se nescire, videl. vt personam priuatam, vel eo modo, vt reuelare ipsi liceat; quamuis sciat, vt persona publica, seu vt Vicarius DEI sub sigillo sacramentali. Ita ex communi docui lib. 4. Th. mor. tr. 3. c. 13. n. 6. §. interim.

5 NOTANDVM V. Peccatori ex sola confessione cognito non potest Sacerdos Eucharistiam, aliúdue sacramentum petenti negare. Idque verum est, tametsi peccator secretò petat sacramentum: eò quòd denegatio hæc tacitam peccati ex confessione cogniti exprobrationem contineat, vti ex probabiliore dixi lib. 5. Theol. mor. tr. 4. c. 6. n. 10.

Dubitatur primò: Verúmne sit, quod in hoc c. dicitur, Sacerdotem, si peccatum alicuius in confessione cognouerit, posse eum indeterminatè, ac nulla nominata persona, arguere? Item, quod in fine c. dicitur, vt Sacerdos seu Confessarius admonere peccatorẽ, ne se sacramentis ingerat. Nam talis admonitio exprobrationem peccati cõtinet, à qua Confessarius abstinere debet, ne confessionem odiosam reddat. Ad I. resp. Quòd Confessarius pro publica concione non prohibe-

tur

tur inuehi generatim in crimina, quæ ex cõfessione sacra cognouit: ita tamen, vt nemo meritò suspicari possit, aliquem in particulari sugillari. Sed nec generatim dicere potest, talia in ciuitate aut pago committi peccata, si ex confessione cognita, & aliàs notoria non sint. Ad II. resp. Quòd Confessarius 7 in ipsa cõfessione monere debet peccatorem, ne ad sacram Eucharistiam accedat, si dispositus non sit, vt absolutionem à peccatis mereatur. Deinde, si crimen in publico notorium existat, v. g. Presbyteri cædes, sed auctor ignotus, qui peccatum Sacerdoti cõfessus est; non prohibetur is pro concione admonere auctorem indeterminatè, vt ad Sacramenta non accedat, qui hoc crimen commisit, nisi DEO & Ecclesiæ, quatenus oportet, satisfecerit.

8 Dubitatur secundò: Quo pacto intelligendum sit, quod dicitur, Sacerdotem (si iurisdictione in foro externo præditus sit) petente læso, posse excommunicare occultum auctorem illati damni, non obstante, quòd ipsi crimen confessus fuerit. Respond. Intelligendum id videtur de excommunicatione per sententiam generalem, nisi intra certum tẽpus iniustus raptor v. g. rem ablatã restituerit, vt ipso facto excõmunicationem incurrat. Qua de re dixi lib. 1. Th. mor. tr. 5. p. 1. c. 2. n. 2. §. censura.

CAPITVLVM III.

Cùm ab Ecclesiarum.

PARAPHRASIS.

Si inferior Prælatus sententiam excommunicationis aut interdicti, ex rationabili causa tulit in clericos, vel laicos suæ spirituali iurisdictioni subiectos, Episcopus curare debet, vt censura illa inuiolabiliter obseruetur; neque potest eam relaxare, sine præscientia auctoris, & ante præstitam congruam satisfactionem.

SVMMARIVM.

1. *Explicatur regula: Superior Prælatus relaxare potest censuram latam ab inferiore.*
2. *Episcopus in iurisdictione erga subditos concurrens cum inferiore sibi subordinato, licèt absolutè loquendo, possit excommunicatos, aut interdictos ab inferiore Prælato absoluere, si tamen excommunicatio rationabiliter lata sit, non decet eum hac potestate vti, nisi prius audito Excommunicatore, & debitâ præstitâ satisfactione.*
3. *Excommunicatum ab Episcopi Vicario, vel alijs ab eo delegatis, & ad nutum illius amobilibus, potest Episcopus arbitratu suo absoluere.*
4. *Parochi de iure communi censuras ferre non possunt.*

EXplicanda hîc est regula, quam cum Gl. 1 hîc ver. non relaxes, docet Abb. hîc n. 9. S. Th. in 4. d. 18. q. 2. a. 5. Palud. ibid. q. 5. a. 2. Syl. ver. absolutio 2. in. princ. Couar. in c. alma, p. 1. §. 12. n. 2. Suar. de censur. disp. 5. Quòd superior Prælatus relaxare possit censuram latam ab inferiore. Id verò intelligi debet de ijs superioribus Prælatis, qui iurisdictionem obtinent in ipsos censurâ ligatos, & non tantùm in excommunicatorem.

Ob cuius conditionis defectum Archiepiscopus absoluere non potest excommunicatos à Coëpiscopis; cùm in subditos eorum iurisdictionem nõ obtineat, nisi ad ipsum appellatũ sit, c. Romana, 3. de appell. in 6. & rotat Host. in sum tit. de sent. excom. §. 12. v. est & alia regula. Consequenter, si alicubi cõsuetudine præscripta introductum sit, vt Archidiaconus v. g. iurisdictionẽ exerceat in Clericos sibi subiectos, excluso Episcopo, ita vt Episcopus im̃iscere se non possit, tunc Episcopus excõmunicatos ab Archidiacono absoluere nequit, vti rectè docent Palud. Cou. Syl. cit. ll. argum. c. dilecto, 10. de offic. Archidiaconi, & c. auditis, 15. de præscript. vbi Abb. n. 4. notandum esse ait, quòd totum ius Episcopale ab inferiore contra Episcopum præscribi possit.

Atque sic seu de iure, seu consuetudine in praxi obseruatur, vt excommunicatos à Præ-

à Prælatis Monasteriorum non exemptorum Episcopus absoluere non possit, nisi ad ipsum appellatum sit, vti notat hic Abb. n. 10. Palud. cit. loco: Ratio est, quòd Episcopus non habeat plenam iurisdictionem in regulares: cùm eorum correctio primo loco ad Abbatem spectet, & Episcopus se immiscere non debeat; nisi concurrente negligentia, aut malitia Prælati, vel si crimina grauia sint, præsertim quæ depositionem merentur, secundùm Gloss. in c. quantò, 7. hoc tit. & docui lib. 1. Th. mor. tr. 5. p. 1. c. 7. n. 2. §. De Superiore.

Sin autem subditus duos habeat Superiores cum subordinatione, quibus plenè subiectus sit, ita vt vterque illi præcipere, eúmque punire, consequenter & pœnam relaxare possit, tum verissima est regula: Quòd excommunicatum, suspensum, vel interdictum à Prælato inferiore, Superior absoluere possit: Sed non vice versa. Quamobrem Papa excommunicatos à quibuscunque Ordinarijs absoluere potest. Generalis itē Ordinis eos, quos Prouincialis excommunicauit; Et Prouincialis, quos Guardianus, Prior, aut Rector ei subordinatus excomunicatione, aliáue censurâ irretiuit.

2 Sed quid dicemus de Episcopo, si in iurisdictione erga subditos concurrat cum inferiore sibi subordinato? Respond. & Dico I. Si inferior ordinariam iurisdictionem in foro externo habeat, quia non ab homine, seu Episcopo, sed secundùm legem, aut consuetudinem diœcesis constituitur, vti quibusdá locis Archidiaconi, & Decani, etiam rurales, vti Palud. aduertit loco cit. tum locum habet responsio huius c. iun. Gl. communiter recepta, ver. non relaxes. Quòd licèt, absolutè loquendo, Episcopus possit excommunicatos, aut interdictos ab inferiore Prælato absoluere; tamen, si censura rationabiliter lata sit, hac sua potestate vti eum non deceat, nisi priùs consulto, & audito censuræ auctore, & debita præstita satisfactione. Quæ est communis sententia, bene explicata à Suar. cit. sect. 2. n. 17. & 18.

3 Dico II. Si Episcopi Vicarius, vel alij ab ipso delegati, & ad nutum illius amobiles aliquem excommunicarunt, potest eum Episcopus absoluere arbitratu suo. Ita significat Palud. cit. loco. Ratio est: Quòd tales Vicarij & delegati non proprio iure, sed iure & auctoritate alterius iurisdictione fungantur: Quare neque inter Prælatos numerari possunt, de quibus solis in hoc c. mentio est.

Sed quæritur de parochis, qui & Plebani 4 dicuntur, vtrùm nomine Prælatorum comprehēdantur, ita vt ipsi in Parochianos suos censuras ferre possint. Ita affirmat Gl. magna hic, Ioann. Andr. n. 4. Imola n. 2. arg. huius c. Sed contrarium rectè docet Abb. in c. 2. hoc tit. n. 10. Quòd parochi locorū, spectato communi iure, seu secluso speciali priuilegio, aut præscriptione, censuras ferre non possint, vti etiam ex praxi Ecclesiarum constat. Nam censuram ferre pertinet ad iurisdictionem fori externi, vti apertè colligitur ex hoc c. & c. quærenti, 20. de verb. signif. c. 1. de sent. excom. in 6. Sed Parochi, spectato communi iure, iurisdictionem in foro externo non exercent, sed tantùm in pœnitentiali, vti colligitur ex c. de persona, 38. iun. Gl. ver. non ab alio, causa 11. q. 1. Ergo &c.

Ad argum. ex hoc textu desumptum respondetur; Plebanum istum non fuisse simplicem parochum seu Curatum, cùm inter Prælatos numeretur, ideóque in externo foro iurisdictionem ordinariam ac perpetuam erga parochianos habuerit, Ecclesiæ suæ iure speciali annexam, vel Capituli electione sibi acquisitam, vti singulariter notauit Innoc. in c. quanto, 7. n. 2. hoc tit.

CAPITVLVM IV.

Cùm vos.

Paraphrasis.

Si Patroni Ecclesiarum laici indignos Episcopo præsentent, vel si inter ipsos & Episcopum de iure præsentandi controuersia existat, vel si alia causa obstet, quò minùs Ecclesiæ statim prouideri possit beneficiatus, tum Episcopus, remota appellatione, œconomos interim constituat, qui

Ecclesiæ

Ecclesiæ aut beneficij vacantis fructus percipiant, eósque in Ecclesiæ vtilitatem conuertant, aut successori reseruent.

SVMMARIVM.

1. *Patronus laicus indignum præsentans, pro ea vice iure præsentandi priuatus non est, sed alium idoneum præsentare debet.*
2. *Quòd si intra quadrimestre tempus non sit, libera collatio seu prouisio collatori ordinario relinquitur.*
3. *Capitulum, vacante Sede, nõ potest conferre beneficia, quorum collatio libera ad Episcopum spectat: potest tamen œconomum constituere, & beneficium ad sex menses commendare.*
4. *Patronus Ecclesiasticus, vacante beneficio, potest œconomum constituere; non item patronus laicus, nisi priuilegio populi vel consuetudine legitimè præscripta munitus sit.*
5. *Qui habet ius instituendi beneficiatum, vacante beneficio, potest ibi ponere œconomum, dum idoneus ad præsentationem patroni laici instituatur.*

1 NOTANDVM I. Si patronus laicus indignum præsentet, non ideo pro ea vice priuatus est iure præsentandi, sed iubendus est alium, eúmque idoneum præsentare. Ita Gl. hic, quam sequitur Innoc. hic in princ. Ioann. Andr. n. 2. Imola n. 3. & docui lib. 4. Th. mor. tr. 2. c. 13. n. 7. & colligitur ex textu: Si enim præsentando indignum laicus patronus ea vice priuatus esset, tum Episcopus statim prouidere posset, nec opus foret œconomum, sed administratorem fructuum
2 constitui. Cęterùm, si patronus laicus qui indignum præsentauit, intra tempus quatuor mensium ipsi ad præsentandum designatos (c. quoniam, 3. c. cùm propter 24. de iure patron.) alium præsentare prætermittat, tum libera collatio seu prouisio collatori ordinario relinquitur, sicuti notat Ioann. Andr. cit. n. 12. Eò quòd paria sint nullum præsentari, & indignum seu inhabilem præsentari. Erit tamen necessarium, vt Episcopus seu collator mox significet patrono, præsentatum indignum esse. Si autem patronus contendat dignum & idoneum esse, dum ea lis deciditur, prouidere non potest, sed Episcopus œconomum constituere cogitur, vti constat ex hoc c. & notat Ioann. Andr. n. 2. Imola n. 2.

3 Corollarium. Licèt Capitulum, vacante Sede, conferre non possit beneficia, quorum collatio libera ad Episcopũ spectat, potest tamen interim, dum Prælatus substituitur, œconomum constituere, sicuti & beneficium ad sex menses commendare, vti dixi lib. 1. Theol. moral. tr. 4. c. 7. n. 13. & docet hic Abb. n. 2.

4 NOTANDVM II. Discrimen est inter patronum Ecclesiasticum, & patronum laicum; quòd ille Ecclesiâ, alióue beneficio vacante, redituum administrationem, & custodiam habeat, ideóque œconomum seu redituum administratorem ibi constituere possit, argum. c. 3. §. In Ecclesijs, de Priuileg. & c. in Lateranensi, 31. de præb. & docet hîc Innoc. n. 1. Ioan. Andr. n. 15. Abb. n. 8. At verò Patronus laicus, ne quidem vacante beneficio, redituum administrationem & custodiam sibi vendicare potest, consequenter nec œconomum deputare; præterquam nisi Priuilegio Papali, vel consuetudine legitimè præscripta munitus sit, iuxta c. generali, 13. de elect. in 6. & tradit Ioann. Andr. hîc n. 15. Idque bene notandum monet hîc Abb. n. 4. quia sępe laici patroni administrationes eiusmodi aut custodias fructuum sibi contra iura vendicant.

5 NOTANDVM III. Qui habet ius instituendi beneficiatum, vacante beneficio potest ibi œconomum ponere, donec aliquis idoneus ad præsentationem patroni instituatur. Ita Gl. ver. œconomos, in fine, Ioan. Andr. n. 16. Abb. n. 8. Sed intelligi hoc debet, si patronus laicus sit: Si autem Ecclesiasticus; ipse, non autem Collator œconomum ponere potest, vt suprà dixi. Ratio discriminis est: Quia Ecclesiasticus (non item Laicus Patronus) bonorum Ecclesiasticorum administrationi se ingerere potest:

Qui autem per alium facit, perinde est, acsi faciat per seipsum, reg. 72. in 6.

NOTANDVM IV. Fructus beneficij vacantis in eiusdem vtilitatem expendi, aut successori reseruari debent. Ita habetur in fine huius c.

CAPITVLVM V.

Ex parte.

PARAPHRASIS.

Aliquis ab Episcopo suo excommunicatus, à Pontifice absolutionem impetrauit, causam excommunicationis aliam, quàm re ipsa erat, prætexens; quæritur, vtrùm talis pro absoluto habendus sit. Resp. Alexander III. Si Episcopo certò constet, quòd ille veram excõmunicationis causam supprimendo, & falsam suggerendo Pontifici imposuerit, debet ipsum per censuras compellere, vt cum literis eiusdem Episcopi verum causæ processum continentibus, ad Sedem Apostolicam se conferat. Sin autem non certò constat, sed suspectum duntaxat hominem habet, de suppressa veritate causæ, tunc eum cõpellat ad canonicam purgationem coram ipso præstandam, videl. vt testes idoneos afferat, qui testentur illum causam excommunicationis suæ fideliter exposuisse Pontifici.

SVMMARIVM.

1. *Impetrans absolutionem ab excommunicatione subreptitiam, per suppressionem veræ causæ, & suggestionem falsæ, non debet censeri absolutus.*
2. *Si quis de crimine commisso verisimiliter suspectus sit, potest ei canonica purgatio indici.*

NOTANDVM I. Impetrans absolutionem ab excommunicatione subreptitiam, per suppressionem veræ causæ, & suggestionem falsę, censeri non debet absolutus. Ratio est: Quia ad absolutionem à censura ex parte absoluentis duo requiruntur, potestas & voluntas. Tametsi autem in Papa non desit potestas, validè absoluendi excõmunicatum, non subsistente, aut ignorata iusta absoluendi causa, vti constat ex c. venerabilibus 27. §. sanè, vers. vbi autem, de sent. excom. in 6. tamen præsumendum non est, Papam ita absoluere velle, si per falsa narrata circumuentus sit, arg. c. 2. de filijs Presbyt. in 6. Quòd si verò aliquis ex pluribus causis excomunicatus, v.g. ob Clerici percussionẽ, & Ecclesiasticæ immunitatis violationem, absolutionem impetret expressa vna causa, & altera suppressa, valebit absolutio ab vna excõmunicatione, altera permanente, iuxta c. cùm pro causa, 7. de sent. excom. Sed non rectè Gl. hìc ait, ver. redire, duabus irretitum excommunicationibus indigere duabus absolutionibus: Imò verò sufficit vna absolutio, dummodò absoluentis potestas, & voluntas se extendat ad vtramque. Plerumque tamen in absolutione additur causa, ob quam censura contracta: *Absoluo te ab excommunicatione, quam contraxisti ob clerici percussionem &c.* Vide quæ dixi lib. 1. Th. mor. tr. 5. p. 2. c. 6. n. 10.

NOTANDVM II. Si quis de crimine commisso verisimiliter suspectus sit, potest ei canonica indici purgatio. Ita habetur in c. 51. quis, 4. de purgat. canonica, vbi Gl. ait. Verisimilis suspicio inducit purgationem canonicam, idémque hic tradit Ioann. And. n. 10 Abb. n. 7. Imola n. 7. post Innocent. in fine huius c. qui tamen bene monet, requiri grauem seu vrgentem suspicionem, eámque publicè probabilem; alioquin non indicendam purgationem canonicam, nisi ei, qui publicè apud viros probos infamatus est. Et hoc casu verum est dictum Gl. fin.

CAPITVLVM VI.

Significauit.

PARAPHRASIS.

Aliqui consanguinitate, vel affinitate coniuncti, tanquam veri coniuges sint, conuiuebant: eos Episcopus, cùm separari contumaciter recusarent, excommunica-

uit.

sit. Sed illi conquerentes apud Pontif. de iniusta excommunicatione, impetrarunt literas ad Iudices delegatos, vt si ita esset, absoluerentur, & causa postmodum cognosceretur, iuxta c. cùm contingat, 3 6. de offic delegati. Absoluti fuerunt; sed postea, non vti oportebat, à delegatis in causa processum ad testium receptionem &c. quare illi in nefarij incestûs crimine perseuerant, & causa debitum finem non assequitur. Hoc casu, ait Cælestinus III. posse Episcopum sceleratos illos in crimine persistentes denuo excommunicare, neque iterum absoluendos fore, donec testium receptio, & alia ad causæ processum pertinentia legitimè peracta sint: propterea quòd homines illi ex dolo suo commodum referre nõ debeant; neq; ex delegatorum Iudicum desidia aut malitia peccati sui suffragium consequi.

Svmmarivm.

1. *Quotiescunque agitur de peccato publico & scandaloso tollendo, Ordinarius delegatorum Iudicum desidiam vel malitiam supplere potest, quatenus necessarium est ad amouendum peccatum.*
2. *Abutens beneficio absolutionis ab excõmunicatione, quam ante litem obtinuit, & in eandem reincidens, non est absoluendus, donec causa transacta sit.*
3. *Scienter contrahentes intra quartum consanguinitatis aut affinitatis gradũ, vel cum moniali, ipso facto excommunicationem incurrit.*

Notandvm I. Si causa aliqua ad Ordinarij iurisdictionem alioquin pertinens, per querelam, aut appellationem partis ad Iudices delegatos malitiosè deuoluatur, & illis in causa non procedentibus, ea occasione nutriatur peccatum, potest Ordinarius, non obstante illa deuolutione contra sceleratos procedere, eos, si contumaciter in crimine persistant, excommunicando. Ita ex Hostiensi Ioann. Andr. n. 9. Abb. n. 2. vbi aiunt, tametsi in hoc casus specialis reperatur, tamen ex ratione æquitatis, ac necessitatis generatim dici debet; Quotiescunque agitur de peccato, videl. publicò, & scandaloso tollendo, quòd Ordinarius delegatorum iudicum desidiam vel malitiam supplere possit, quatenus necessarium est ad amouendum peccatum. Nam recursus ab inferiore ad superiorem Iudicem, in subsidium innocentium, & iustitiæ defensionem inuentus, non debet conuerti ad malitiæ defensionem, & patrocinium peccati: cùm Superior iura naturalia & diuina tollere haud possit. Quamobrem existimandum est, idem eadem ratione sentiendum, si ab Episcopo ad Metropolitanum recurratur, atque ipso negligente procedere, reus in crimine persistat cum scandalo, quòd Episcopus per censuras compellere hominem possit ad tollendum peccatum. 1

Notandvm II. Si quis ante litigium promittens parere mandatis Ecclesiæ ab excommunicatione absolutus fuit, iuxta cit. c. cùm contingat; postea verò, quia absolutionis beneficio abutitur, non est denuo absoluendus, donec causa transacta sit. Ita hîc Gl. margin. ex Hostiensi, Imola n. 5. Abb. in fine huius c. & simile habetur in c. quæstioni, 21. de appellat. & c. venerabilibus, 7. §. Porrò, de sentent. excommun. in 6. 2

Id Porrò hîc addendum; Nouiore iure Clem. vn. de consanguinit. & affinit. scienter contrahentes intra quartum consanguinitatis aut affinitatis gradum, vel cum Moniali, ipso facto excommunicationem incurrere. 3

CAPITVLVM VII.

Quanto.

Paraphrasis.

Religiosi quidam, cùm pecuniã collegissent ex reditibus beneficiorum, quę vt obedientiarij administrauerant, à claustro se subducentes, in Principum ac potentum virorum curijs vagabantur. Eo intellecto Innoc. III. scribit Archiepiscopo Ausitano.

si tales in prouincia sua repererit, quòd monere debeat Abbates, vt illos ad claustrum reducant, & quæ vt propria possidebant, in manibus ipsorum resignent, cõuertenda in vtilitatem Monasterij, secundùm eorundem Abbatum consilium: Sin autem Abbates, post monitionem id facere neglexerint, tum ipsemet Archiepiscopus, tanquam Ordinarius loci, Monachos per suspensionem officij ac beneficij, ad ea quæ dicta sunt, remota appellatione, compellat. Videri etiam potest Clem. 1. §. Quia verò, de statu Monach.

SVMMARIVM.

1. *Quæ Religiosus etiam propriâ parsimoniâ acquirit, absque Prælati licentia rationabili seruare non potest.*
2. *Correctio Regularium primo loco ad Abbatem, aliúmue Præpositum regularem spectat, eóque negligente ad Episcopum.*
3. *Exempti Regulares in omnibus causis criminalibus subsunt iurisdictioni & correctioni Prælatorum regularium, exceptis quibusdam specialibus casibus.*
4. *Regulares non exempti duos Superiores habent, Ordinis Prælatum, & Episcopum; illi quidem ratione voti obedientiæ in ijs, quæ regularem obseruantiam & disciplinam concernunt; huic autem subsunt, vt alij clerici legi iurisdictionis*
5. *In ciuilibus causis, vt si Religiosus debitor fiat, coram Episcopo iudicialiter cõueniendus erit.*

1 NOTANDVM I. Quæ Religiosus, etiam propriâ parsimoniâ acquirit, seruare non potest absque Prælati rationabili licentia; cùm ad Monasterium pertineat, c. non dicatis, 11. causa 12. q. 1. c. 2. c. cùm ad Monasterium, 6. de statu Monachorũ. Casus est iste: Religiosus à Prælato suo deputatus est Vicarius alicui parochiæ seculari Monasterio incorporatæ, assignatis ad victum eius certa reditum portione, si postea ad Monasterium reuocetur, pecunias, & alia quæ collegit, etiam genium suum defraudans, retinere non potest, sed Monasterio relinquere debet, secundùm Abbatis voluntatem ac dispositionem distribuenda.

Sin autẽ regularis alicui beneficio seculari, vel regulari, v. g. prioratui præfectus sit, cui reditus nõ sunt incorporati Monasterio aut Abbatis mensæ, tunc reditus superflui seu à Regulari beneficiario non absumpti, pertinent ad beneficium, seu Ecclesiam, cui seruit, vti obseruat hîc Abb. n. 2. Nauar. comment. 2. de Regular. n. 6. & dixi lib. 4. Th. mor. tr. 5. c. 7. n. 17. & 18.

NOTANDVM II. Correctio Regularium primo loco ad Abbatem, aliúmue Præpositum regularem spectat, eóque negligente ad Episcopum. Ita Gl. magna communiter recepta. Sed, vt hæc res plenè intelligatur, ita distinguendum est ex doctrina Innocent. hîc num 1. Abbat. num. 3. Velloquimur de exemptis, vel de non exemptis. Exempti in omnibus causis criminalibus subsunt iurisdictioni, & correctioni Prælatorum regulariũ, exceptis casibus quibusdam specialibus.

I Est in sess. 6. Trident. c. 3. de reformat. Quòd regularis extra Monasterium, seu conuentualem domum aut residentiam degens, ab Ordinario loci, tanquam Apostolicæ Sedis delegato visitari, corrigi, ac puniri possit. Existimat verò Sanchez lib. 7. de matrim. disp. 33. n. 23. Episcopos non posse censuras ferre in Regulares exẽptos, nisi hoc ipsum eis peculiariter concessum sit: idque propter Mendicantium priuilegia, ne à quouis Ordinario loci excomunicari, suspendi, aut interdici possint, arg. c. 1. de priuil. in 6.

II Est in sess. 25. c. 14. de Regul. Si Regularis exemptus in Monasterio degens, extra claustra deliquerit, ita vt populo scandalo sit, Episcopus tempus præfigere potest Prælato Ordinis, intra quod reus ille seuerè puniatur, & de punitione Episcopus certior fiat: sin id intermittat Prælatus, à Superiore suo officio priuetur, & Regularis, qui deliquit, ab Episcopo puniatur. Videri potest Barbosa de offic. Episc. p. 3. alleg. 105. n. 19. & 20.

III. In sess. 25. c. 4. de Regular. Vbi prohibetur, ne Religiosus sine licentia Superioris

oris à suo Conuentu recedat, etiam prætextu accedendi ad Superiores suos, nisi ab ijs vocatus sit: alioquin ab Ordinario loci, tanquam desertor Instituti puniatur. Excipi tamen debet; nisi ex graui & iusta causa ad superiorem Prælatum se conferat, vt quia ab immediato Prælato iniustè grauatur, vti docet Nau. comment. 2. de Regul. n. 61. Rodriq. tom. 2. Regul. q. 30. a. 3.

IV. Est in eodem c. 4. Quòd qui studiorum causa ad Vniuersitates mittuntur, in Conuentibus habitare debeant; alioquin ab Ordinarijs cõtra eos procedi possit. His adde; Quòd professus, seu Religiosus quilibet excommunicationis sententiam ipso facto incurrat, si absque Prælati licentia, cum consilio Conuentûs, aut maioris partis, ad quæuis studia extra Monasterium se conferat. c. 2. Ne Clerici, vel Monachi, in 6. De quo videri potest Sanch. tom. 2. moral. lib. 7. c. 8. n. 72.

V. Est in sess. 7. c. 15. de reform. In ciuilibus causis mercedum, & personarum miserabilium, Regulares, etiam exempti, si extra monasterium, seu Conuentum regularem degant, coram locorum Ordinarijs tanquam à Sede Apostolica delegatis, conueniri, & ad debitum soluendum iustitia exigente compelli possunt.

VI. In causa hæresis, aut similibus criminibus ad tribunal sanctæ inquisitionis pertinentibus Regulares exempti subsunt iurisdictioni Ordinariorum, si in ijs locis Inquisitores non sint, vti suprà dixi.

VII. Ordinarij locorum, etiam Regulares exemptos, si Ecclesias curatas quantumuis exemptas obtineant, compellere possunt, si ipsis videatur, etiam per censuras, vt diebus saltem Dominicis, & festis solemnibus plebem sibi commissam salutari verbo pascant.

Additur I. Quòd Regulares cuiuscunque Ordinis, neque in ipsis Ordinum Ecclesiis prædicare possint, nisi se Episcopo, cum licentia & approbatione Superioris sui se præsentarint; & quòd benedictionem accipere teneantur, antequam prædicare incipiant.

Additur II. Si Prædicator errores, aut scandala disseminet in populum, Episcopus ei prædicationem interdicere; sin autem etiam hæreses prædicauerit, Episcopus contra eum, si exemptus sit, tanquam Apostolicæ Sedis delegatus procedere debet. Vide etiam Sess. 24. c. 1. de reform. vers. nullus. & decretum Gregor. XV. quod incipit: *Inscrutabili.*

VIII. In Trident. Sess. 24. c. 1. de reform. matrim. Si regularis alterius parochiæ sponsos sine proprij parochi licentia matrimonio coniungere, aut benedicere ausus fuerit, ipso iure tamdiu suspensus manet, donec ab Ordinario eius loci absoluatur.

IX. In Trident. Sess. 25. c. 16. de Regular. Quòd Episcopi regulares quoscunque etiam per censuras compellere possint, ne quidquam ex bonis Nouitij accipiant, & vt acceptum abeunti ante professionem restituant. Ita Rodriq. tom. 2. q. 64. a. 11. Sanchez lib. 7. de matrim. disp. 33. n. 23.

X. Eadem Sess. 25. c. 5. de Regularibus; Episcopi, tanquam Sedis Apostolicæ delegati, etiam per censuras compellere possunt Moniales exemptas ad clausuram seruãdam. Neque ipsis post professionem ex Monasterio egredi concessum est, nisi ex causa legitima ab Episcopo approbanda.

XI. In Trident. Sess. 22. decreto de vitandis, & obseruandis circa celebrat. missæ: Quòd Episcopi & Sedis Apostolicæ delegati, etiam per censuras procedere possint contra exemptos, si in oratorijs priuatis, aut horis non debitis celebrent; & cogere eos, vt quascunque superstitiones ablegent.

XII. In Sess. 24. c. 2. de reform. Quòd ad synodum, quę quotannis ab Episcopis institui deberet, exempti omnes, qui aliàs cessante exemptione, interesse deberent, nec Capitulis generalibus subduntur, accedere teneantur. Ratione verò Ecclesiarum secularium, annexarum Monasterijs exemptis, quicunq; illarum curam gerunt, Synodo interesse cogantur. Vide quod dixi in c. 2.

XIII. In Trident. Sess. 25. c. 12. de reform. Censuræ & interdicta, à Sede Apostolica emanantia, vel ab Ordinarijs promulgata Regulares in Ecclesiis suis, Episcopo præcipiente, publicare ac seruare debent. Dies

item festos, quos in diœcesi seruandos Episcopus præceperit, Regulares etiam exempti obseruare coguntur. Vide Rodriq. tom. 2. q. 71. a. 1.

XIV. Regulares etiam exempti ad publicas processiones vocati, accedere debent. Controuersias quoque, quæ in processionibus, aut defunctorum corporibus sepeliendis cum scandalo interdum oriuntur, Episcopi componere debent.

XV. In Regulares confessarios, & Administratores Bonorum Monasteriorum, Monialium, etiam exemptarum, Episcopis potestas concessa est à Greg. XV. Papa cit. decreto Inscrutabili: Et vt Episcopus vnà cum Prælatis seu superioribus Regularibus electioni Abbatissæ, seu Præpositæ per se vel suum delegatum præsidere possit.

XVI. Regulares, etiam exempti, si sint testamentorum executores, ab Episcopo compelli possunt ad rationem ipsi reddendam, &, si malè gesserint, ab eodem puniri, iuxta Clem. Vn. de testam. & tradit ex communi Barbosa p. 3. allegat. 82. n. 34.

Quod verò attinet ad Regulares non exemptos, ij duos Superiores habent, Ordinis Prælatum, & Episcopum. Sed discrimen est, quòd Prælato Ordinis obedire teneantur ratione voti obedientiæ, in ijs videl. quæ ad regulares obseruationes, & disciplinam Monasterij pertinent: quare in his magis est obediendum Prælato, quàm Episcopo, iuxta doctrinam S. Th. in 2. d. 44. in fine, in expos. literæ, ad 3. Innoc. hîc n. 2. Abb. n. 5. & explicant Syl. ver. obedientia, q. 9. Sanch. lib. 6. moral. c. 1. n. 12. & dixi de hoc in c. ad aures, 5. de tempor. ordinat. Atque adeò Prælatus Ordinis potestatem habet subditos suos regulares ad regularem disciplinam adigendi, vt contumaces & incorrigibiles eijcere queat, vti Innoc. Abb. Syl. tradunt cit. locis. At verò Episcopo Regulares subsunt non ratione voti, sed vt alij Clerici iurisdictionis legi subiecti sunt, vti dixi in qq. disput. de elect. q. 227. Quare in ijs, quæ ad ecclesiasticam disciplinam attinent, & quoad punitionem criminum grauiorum, præsertim quæ depositionem merentur, propriè & directè subiciuntur Episcopo; cùm etiam ipsi Prælati non exempti in his subsint, vti aduertit Syl. ver. obedientia, q. 10. dicto 2, Abb. in c. repet. si quis contra, n. 51. de foro compet. Sanch. cit. loco, & alij.

Cæterùm, si Prælatus Monasterij non exempti negligens sit in regulari disciplina cõseruanda, & quotidianis lapsibus puniendis, nemo dubitat, ad Episcopum pertinere iurisdictionis huius exercitium. Nam ob eam causam monasteria visitat, & inquirit, vtrùm regula Ordinis obseruetur, morum ac disciplinæ integritas vigeat: alioquin frustranea fermè esset subiectio Monasteriorum erga Episcopum, nisi tali potestate præditus esset, sicuti rectè ostendit Suar. de Reg. tom. 3. lib. 10. c. 11. n. 15. Quòd verò ibidem ait, quamuis dubius, Religiosos non exemptos Episcopo subesse non tantùm secundùm potestatem iurisdictionis, quam habet erga omnes ecclesiasticas personas, vt eas ad officiũ, & quæ ad salutem conuenientia sunt, adigat, sed etiam ratione voti obedientiæ, quod probabiliter arbitratur, non tantùm Ordinis Prælato fieri, sed etiam Episcopo, id à DD. alijs non recipitur; quare nec credibile est, talem esse vouentium intentionem, aut Ecclesiæ praxin.

In ciuilibus autem causis, si Religiosus v. g. in Academia studiorum causa degẽs debitor fiat, coram Episcopo potiùs iudicialiter conueniri debet, quàm coram Abbate, quia is esset iudex in facto proprio, cùm solutio ex bonis monasterij fieri debeat. Sin autem monasterium, ad quod professus pertinet, & ex cuius bonis solutio fieri debet, subiectum sit Abbati alterius monasterij, coram ipso æquè ac coram Episcopo conueniri poterit. Quare hoc casu Episcopus & Abbas concurrunt in iurisdictione, vti Innoc. & Abb. hîc n. 5. docent. Videri potest idem Abb. in c. repetit. si quis contra, num. 50. de foro compet.

CAPI-

CAPITVLVM VIII.

Ad reprimendam.

PARAPHRASIS.

Si Episcopus diœcesanum suum excommunicauit, alij etiam Episcopi, ipseque Metropolitanus hominem pro excommunicato habere debent. Quia sicuti ipsi latas à se sententias seruari volunt, ita etiam oportet, vt ab alijs canonicè promulgatas censuras obseruari faciant. Sin verò excommunicatus ab Episcopo, de iniusta excommunicatione apud Archiepiscopũ conqueratur, quandoquidem excommunicationis sententia per appellationem non suspenditur, ideo Archiepiscopus deferens Coëpiscopo mittere debet excommunicatum ad excommunicatorem suum, vt ab eo secundùm Ecclesiæ formam absoluatur: sin is recuset, tunc Archiepiscopus eundem absoluat, recipiens ab eo (nisi legitimè constiterit, iniustè excommunicatum fuisse) iuratoriam cautionem, quòd Episcopo competentem satisfactionem præstare velit. Quòd si facere contempserit, eàdem, qua antè tenebatur, excommunicationis sententiâ, remota appellatione, eum constringat.

SVMMARIVM.

1. *Excommunicatus in vno loco, vbique excommunicatus est.*
2. *Appellatio à sententia excommunicationis, alteriúsue censuræ non parit effectum suspensiuum, sed tantùm deuolutiuum.*
3. *Excommunicatos ab Episcopo Metropolitanus, tametsi ad ipsum appellatum sit, ordinariè non ipsemet absoluere, sed ad Excommunicatorem remittere debet; nisi periculum in mora sit, vel Episcopus absoluere renuat, aut legitimè constet, excommunicationem iniustè illatam esse.*
4. *Ante absolutionem ab excommunicatione in externo foro cautio de satisfaciendo exigenda est.*

NOTANDVM I. Excommunicatus in vno loco, vbique excommunicatus est, quia excommunicatio afficit personã, eámque comitatur sicuti lepra, ait Abb. hîc n. 2. Idémque dicendum de Iudicis, aut legis sententia infamiam, aut inhabilitatem aliquam inuehente, iuxta l. non potest, 63. ff. de furtis, vbi dicitur, impossibile esse, vt furti damnatum non sequatur infamia. Vtrùm verò excommunicatus non toleratus, si aliò se conferat, vbi eius excomunicatio publicè ignoratur, vitandus sit ab ijs, qui eam priuatim sciunt, dixi lib. 1. tr. 5. p. 1. c. 4. n. 3. 1

NOTANDVM II. Appellatio à sententia excommunicationis, alteriúsue censuræ non parit effectum suspensiuum, sed tantùm deuolutiuum. Ita etiam habetur in c. is cui, 20. §. sanè, de sent. excomm. in 6. & docent DD. in c. pastoralis, 53. §. verùm, de appellat. & dixi lib. 3. tr. 6. c. 6. n. 5. & explicat hîc Abb. n. 9. Sensus est: Quòd sententia excommunicationis, alteriúsue ecclesiasticæ censuræ (dummodò ipso iure irrita non sit) executionem secum trahat, hominémque reipsa priuet bonis communibus Ecclesiæ, adeò vt non obstante appellatione, homo priuatus maneat, & vt priuatus denuntiari possit, vti expresè habetur in cit. §. verùm. Interim hunc saltem effectum parit appellatio, vt Iudex, ad quem appellatum, causam & iustitiam excommunicationis cognoscat; atque hominem, si ipsi videatur, absoluendum esse declaret. 2

Ratio, cur appellatio ab excommunicatione, aliáue censura, effectum suspensiuum non pariat, affertur in Gl. hîc, ver. suspenditur, & clarè habetur in cit. §. verùm, quia *executionem excommunicatio secum trahit.* Contra quam rationem, tanquam insufficientem, obijcit Gl. in cit. verùm, §. cùm executionem. Etiam sententia condemnationis de furti crimine v. g. executionem secum trahit, vti habetur in cit. l. non potest: Et tamen per appellationem effectus eius suspenditur, vti habe-

habetur expresè in l.furti, 6. ff. de his qui notantur infamiâ; *Si furti,vel aliis famosis actionibus condemnatus prouocauit,pendente iudicio, nondum inter famosos habetur.* Resp. Ita iure ciuili statutum esse, vt tametsi sententia absolutè lata sit, tamen non omnino efficaciter censeatur afficere personam, donec elapsum sit tempus decendij, quod pro appellationis subsidio conceditur. At verò censuræ,præsertim excommunicationis sententiæ, quæ ex ecclesiastica à Christo tradita potestate,seu claue procedunt, si absolutè alicui imponantur, efficaciter in eum transeunt, iuxta verbum Christi Domini Matth. 18. *Quæcunque alligaueritis super terram, erunt ligata & in cælo.* Neque alium decet esse modum liberandi se à vinculo per Ecclesiam iniecto, nisi per eiusdem absolutionem: quare subiungitur: *Et quæcunque solueritis, erunt soluta & in cælo.* Exinde verò prouenit commune Canonistarum pronuntiatum; Excommunicationis sententiam, aliámue propriè dictam censuram alio modo tolli non posse, nisi per canonicam absolutionem.

3 NOTANDVM III. Excommunicatos ab Episcopo, Metropolitanus, tametsi ad ipsum appellatum sit, ordinariè non ipsemet absoluere,sed ad excommunicatorem remittere debet. Excipitur primò: Nisi periculum in mora sit, iuxta c.sacro 48.de sent.excommun. Secundò: Si Episcopus absoluere renuat, tunc Archiepiscopus absoluet, vt hîc. Tertiò: Si legitimè constet,excommunicationem iniustè illatam esse, vt hîc. Verùntamen si de hac iniustitia cognoscendum sit,excommunicator Episcopus citari debet, vt eo præsente cognitio fiat,sicuti monet Gl. in cit.c.sacro,ver.constituet, & sumitur ex c. Romana,3.§.sententias,de appellat.in 6. Videri potest Syl.ver.absolutio,2.q.7. Tabiena ver.Archiepisc.n.3. Suarez de censur. disp.7. sect.2.n.32.& quę scribit Quaranta in Summa Bullarij, ver. Archiepiscopi auctoritas 18.

4 NOTANDVM IV. Ante absolutionem ab excommunicatione in externo foro cautio de satisfaciendo exigenda est, saltem iuratoria. Quod intelligitur, si absoluendus de violando iuramento suspectus non sit, vti hîc notat Abb. c. 4. & dixi lib.1.tr.5.p.2.c.6. q.2.dicto 4.

CAPITVLVM IX.

Duo simul.

PARAPHRASIS.

Primates, ac Patriarchæ, licèt honoris prærogatiuas inter alios habeant, tamen non exercent iurisdictionem erga subditos Archiepiscoporum; nisi vel sacri Canones concedant (vt in causis appellationum) vel diuturna consuetudo, vel speciale Apostolicæ Sedis priuilegium; seu id Ecclesiæ, seu personæ datum sit.

SVMMARIVM.

De causis eorum, qui Archiepiscopis, & Episcopis subditi sunt, nec Patriarcha, nec Primas cognoscit, nisi per appellationem legitimam, aut vigore consuetudinis seu priuilegij.

NOTANDVM I. Sicuti plures Episcopi sunt sub vno Archiepiscopo, seu Metropolitano, ita plures Metropolitani sunt sub vno Primate seu Patriarcha, vti colligitur etiam ex c.1.d.99.Quare sicuti Metropolitanus spectato communi iure causas eorum,qui Coëpiscopis subiecti sunt, non cognoscit,nisi per appellationem ad ipsum deuoluantur, c. pastoralis, 11. hoc tit. Ita nec Patriarcha, aut Primas cognoscere potest causas eorum, qui eiusdem regni, aut regionis Archiepiscopis subiecti sunt, nisi per viam appellationis. Ita Gl.magna hîc,Imola hîc n.2.Abb.n.1.

NOTANDVM II. Iurisdictio ordinaria tribus modis comparari potest, Vel ex lege, seu canone: Vel ex consuetudine legitimè præscripta: Vel ex Principis priuilegio,dato dignitati, aut personæ. Ita Imola hîc n.1.

Quærunt hîc,quod discrimen sit inter Patriarcham, & Primatem. Resp. Omnis Patriar-

triarcha etiam Primas dici potest, seu primæ, aut primariæ Sedis Episcopus, vti colligitur ex c. primæ, d. 99. & docet Petr. Greg. Tholos. lib. 15. syntag. c. 10. Sed non omnes Primates Patriarchæ dici possunt; quia maius Patriarcharum nomen ac dignitas censetur, vti bene docet Guil. Dur. in specul. tit. de iurisdict. omnium Iudicum, n. 8. & Ioan. Andr. hic n. 8. Nam primis seculis, vsque ad Iustinianum Imperatorem, eæ tantùm Ecclesiæ Patriarchales dicebantur, quas S. Petrus Episcopus ac Pater fundauit, ijsque vt proprius Episcopus præfuit, videl. Romana, Alexandrina, & Antiochena: sed temporis successu obtentum, vt etiam Constantinopolitana, Hierosolymitana, & aliæ quædam principales Patriarchales Ecclesiæ dicerentur: De quibus rectè intelligitur, quod hìc Gl. docet ver. Patriarcha, diuersitatem (inter Patriarcham & Primatem) in nomine esse, sed dignitatem eandem.

CAPITVLVM X.

Quod sedem.

PARAPHRASIS.

Iuronensis Archiepiscopus quæsiuit ex Innocent. III. Si infirmitate, aliàue causa impeditus esset, quò minùs Suffraganeum seu Episcopum prouinciæ suæ conseruare posset, vtrùm alteri Coëpiscopo vices suas committere concessum sit. Respondet Papa, id licitum esse; dummodò Episcopus ille Catholicus sit, & in gratia communionis cum Sede Apostolica constitutus

SVMMARIVM.

1. *Munus consecrandi Episcopos ad Archiepiscopum secundùm Canones pertinet; consuetudo apud nos obtinuit, vt ad consecrationem Episcopi vicinus Episcopus adhibeatur, assistentibus duobus alijs Episcopis, saltem titularibus.*
2. *Episcopi & Archiepiscopi etiam ea, quæ meri imperij sunt, alteri committere possunt.*

NOTANDVM I. Munus consecrandi Episcopos secundùm Canones ad Archiepiscopum pertinet, iuxta c. 1. & seqq. d. 65. quoniam, d. 75. Ita vt ipse sit principalis consecrans, assistentibus sibi duobus Episcopis, c. porrò, d. 66. Apud nos verò consuetudo obtinuit, vt ad consecrationem Episcopi, vicinus aliquis Episcopus adhibeatur, assistentibus ei alijs duobus Episcopis, saltem titularibus. 1

NOTANDVM II. Episcopi, & Archiepiscopi etiam ea, quæ meri imperij sunt, alteri committere possunt. Ita Gl. hìc communiter recepta, ver. committere, quam commendans Abb. n. 4. ait: Quòd de iure canonico omnia delegari possunt ab Ordinarijs, etiam quæ sunt meri, & mixti imperij. Secùs autem est de iure ciuili, vti constat ex l. 1. ff. de officio eius, cui mandata est iurisdictio, vbi habetur; Ea, quæ ad merum, & mixtum imperium spectant, maioribus tantùm iudicibus, in speciale eorum priuilegium, concedi; ideóque delegari non posse, (ordinariè, & secluſa absentia, aliòue impedimento) sed eatenus tantùm delegabilia esse, quæ iure magistratûs, id est, cuilibet magistratui, seu iurisdictionem ordinariam habenti, competunt. At verò delegati à Principe, tam ciuili quàm canonico iure, causas quascunque, etiam criminales delegare possunt; nisi appareat personæ industriam specialiter electam esse, vti constat ex l. 1. in fine, C. qui pro sua iurisdict. iun. Gl. margin & docet Innoc. in c. venerabili, princ. de offic. deleg. Porrò quid sit imperium merum, quid mixtum, quid simplex iurisdictio, legi potest apud Guil. Durá. lum in specul. tit. de iurisdict. omn. Iudic. Bartol. in l. Imperium, ff. eod. tit. Abbat. hìc n. 5. & lib. 1. moral. tr. 4 c. 6. 2

NOTANDVM III. Cùm conceditur facultas accipiendi ordinationem ab Episcopo, intelligitur de Catholico, & qui Sedis Apostolicæ communionem habet; ideóque schismaticus non sit, neque excommunicatus, aut suspensus. Ita Gl. hìc ver. gratiæ. Consentit c. quia, 5. de elect. c. 2. de ordinatis ab Episcopo, &c. c. 1. & 2. de Schismaticis.

CAPITVLVM XI.

Pastoralis.

PARAPHRASIS.

Si ad Archiepiscopum causa aliqua per appellationem deuoluta sit, potest eam Coepiscopi sui subdito (v.g. Collegiatæ Ecclesiæ Decano, aut Canonico) delegare; non tamen eundem ad suscipiendam delegationem compellere; cùm in subditos Coëpiscoporum, exceptis quibusdam articulis, iurisdictionem nullam habeat; sed tantùm in ipsos Coëpiscopos.

SVMMARIVM.

1. *Si causa ciuilis inter Episcopum & eius Clerum agitetur, eligendi sunt arbitri ex partium consensu. Si criminalis, ad Archiepiscopum in Synodo residentem causa deferenda est; quæ si non habeatur, nec in Prouincia ab Vrbe remota adsit Apostolicus Legatus, ea ad Archiepiscopum deuoluitur.*
2. *De iure canonico causa appellationis delegari potest, non autem de iure ciuili.*
3. *Superior causam delegare potest etiam non subdito suo.*
4. *Excommunicatum nemo absoluere potest præter excommunicationis Auctorem, Superiorem, aut Successorem, excepto articulo mortis.*
5. *Qui ob contumaciam Rei missus est in possessionem, causâ rei seruandæ, Reo intra annum non comparente, nec præstante cautionem de iudicio sisti, verus possessor constituitur.*
6. *Si quid agendum coram suo iudice v.g. cautio præstanda de iudicio sisti, in eius absentia coram alieno iudice, aut alia publica & honesta persona, v.g. tabellione, id agi potest.*
7. *Non sufficit cautio oblata, sed præstanda est, nisi per aduersarium stet, quò minùs oblata recipiatur.*

NOTANDVM 1. Licèt Archiepiscopus sit Ordinarius Superior Coëpiscoporum, tamen in subditos eorundem iurisdictionem exercere non potest, præterquam in casibus iure expressis. De hac re dixi in c. 1. de suppl. negl. Prælat. in 6. & lib. 1. Theol. moral. tr. 4. c. 7. §. 3.

QVÆRES: Si inter Episcopum, & Clericum sibi subditum controuersia existat, vtrùm Archiepiscopus Iudex esse possit. Causa quærendi est: Quia cùm ipsemet Episcopus in propria causa Iudex esse nequeat, videtur consequens, vt ea ad proximum Ordinarium deuoluatur; quandoquidem Metropolitanus ordinarius Iudex est totius prouinciæ suæ, vti constat ex c. 2. causa 9. q. 2. Quamuis habeat iurisdictionem potiùs habitualem, & non expeditam, nisi in casibus iure expressis, vti Gl. hîc monet, ver. exceptis.

Resp. ad q. Si causa ciuilis inter Episcopum, & Clericum agitetur, eligendi sunt arbitri ex partium consensu, vti habetur in c. si Clericus, 46. causa 11. q. 1. Vbi Gl. communiter recepta ver. arbitros, ibidem Ioan. Turrecremata, Gl. item in c. irrefragabili, 15. §. cæterùm, hoc tit. aiunt, quòd Episcopus compellere possit subditum, quocum controuersia ipsi est, ad arbitros eligendos. Sin autem criminalis causa inter Episcopum & subditum suum agitetur, ait Gl. hîc ver. exceptis, Hostiensis in sum. huius tit. ver. crimen, Abb. in cit. §. Cæterùm, n. 1. ibid. Vincent. & Ioan. Andr. n. 29. Syl. ver. Archiepiscopus, q. 1. casu 6. ad Archiepiscopum in Synodo residentem causam deferendam esse, vti colligitur ex c. 2. causa 9. q. 3. & c sicut, 25. de accusat.

Verùm, si Synodus prouincialis non habeatur, (sicuti apud nos in Germania intra hominis memoriam Synodus prouincialis celebrata non fuit) & ponamus v.g. Episcopum à Clerico non exempto iniuriâ, aut damno iniusto affectum esse, nullúmque in prouincia ab Vrbe remota esse Apostolicum Legatum seu Vicarium; quis erit iudex in hac causa? Episcopus esse non potest in causa pro-

sa propria: Ad arbitros autem consuetum non est confugere in causa criminali, c. causa, 9 de in integrum restit. & notat Gl. in c. irrefragabili, §. cæterùm ver. super hoc delegatus, hoc tit. Profectò necessarium est dicere, quòd ad Archiepiscopum causa deuoluatur, cùm alioquin Ecclesiastico statui non satis prouisum esset. Et ita docet hîc Imola n.10 addition. ad Io. And. in cit. c. irrefragabili. Confirmatur: Archiepiscopus secundùm sacros canones, est ordinarius prouinciæ Iudex: quòd autem eius iurisdictio erga subditos Coëpiscoporum suspensa, seu impedita sit quoad exercitium, id potissimùm in gratiam Coëpiscoporum introductum est. Quæ ratio si cesset, quia Episcopus cupit, imò res ipsa postulat, vt Archiepiscopus iudicium suum interponat, rectè dicitur, Archiepiscopum in tali casu iudicem esse posse, ita tamen, vt allata causa suspicionis probabili, recusari, atque ab eo ad Papam appellari possit.

2 NOTANDVM II. Secundùm ius canonicum causa appellationis delegari potest. Secùs autem est de iure ciuili, vti videre est in Auth. ad hæc. C. de Iudicijs, & notat hîc Abb. n. 3.

3 NOTANDVM III. Superior causam delegare potest non tantùm subdito suo, sed etiam non subdito. Sufficit enim causam esse de iurisdictione delegantis, licèt is, cui delegatur, non sit de iurisdictione. Discrimen autem est, quòd subditum compellere potest ad suscipiendum, vti constat ex c. præced. Non subditus autem cogi non potest ad acceptandam causam, vti hîc dicitur, & docet Gl. in l. vn. C. Qui pro sua iurisdictione. Gl. huius c. ver. nullam habeat.

§. Prærerea.

PARAPHRASIS.

IUdex à Papa delegatus, reum citauit, & cùm in comparendo contumax esset, eum excommunicauit, atque actorem in possessionem misit causa rei seruandæ: postea verò idem delegatus è viuis excessit. Quæritur hoc casu, vtrùm Ordinarius loci Reum satisfacere volentem absoluere possit, eique possessionem restituere, recepta cautione sufficiente. Respondet Innocentius III. Cùm delegatus in causa illa maior sit Ordinario, ideo ab illo excommunicatum absoluere non potest; sed solus Papa, vel si delegatus successorem habeat in onere ac honore, neque item amissam possessionem per alium, quàm Sum. Pontificem (aut per Legatum eius) recuperare poterit. Verùm ne actor vltra annum retinens possessionem per præscriptionem tutus reddatur, verámque possessionem acquirere censeatur, id consilij datur, vt reus coram Ordinario loci, vel publicis personis cautionem afferat, quòd iuri pariturus sit. Sic enim veluti interrumpetur præscriptio annalis, vt etiam post annum possessionem recuperare per Sedem Apostolicam mereatur.

4 NOTANDVM I. Excommunicatum ab homine nemo absoluere potest, præter excommunicationis auctorem, superiorem, aut successorem: excepto articulo mortis. De hac re dixi suprà, & lib. 1. tract. 5. p. 1. c. 7. num. 2.

Porrò per mortis articulum, in quo omnis casuum reseruatio cessat, ita vt quilibet Sacerdos à quacunque excommunicatione, etiam Papæ reseruata absoluere possit, non est intelligendus quasi vltimus vitæ spiritus, sed quodcunque periculum moriendi probabile, vti bene hîc declarat Abb. n. 3. & dixi lib. 5. tr. 6. c. 12. n. 13. §. His adde.

NOTANDVM II. Si causa commissa sit Prælato, v. g. Episcopo, intuitu dignitatis, tum successor eius in dignitate succedit etiam in onere delegationis, vti dictum est in c. quoniam, 14. de offic. delegati. Vocatur autem onus delegationis, quia non gratiam continet, sed mandati obligationem imponit, vti dictum.

5 NOTANDVM III. Qui ob contumaciam Rei missus est à Iudice in possessionẽ, causa rei seruandæ, spatio anni custodiam potiùs, quàm veram ac stabilem possessio-

nem habere censetur; eo autem finito, si reus, ante tempus illud, præstita cautione de iudicio sisti, & exhibita satisfactione pro damno ex absentia sui illato non repetiuerit, efficitur verus possessor, ita vt fructus ex re percipere, & eam vsucapere possit, aliáque possessionis commoda habere. Ita legitur etiam in c. quoniam, 5. §. in alijs, iun. Gl. ver. effectus. Vt lite non contestata &c. & c. 2. iun. Gl. ver. distrahunt, de sequestratione possess. & fructuum. Videri potest Durand. in spec. lib. 2. p. 1. tit. de primo decreto, §. Iam de effectu, col. 3. & seqq.

6 NOTANDVM IV. Si quid coram Iudice suo agendum sit, v.g. cautio præstanda de iudicio sisti, illo absente aut mortuo, agi hoc ipsum potest coram Iudice alieno, aut alia publica & honesta persona, videl. tabellione, aut, si nec is adsit, coram duobus aut tribus testibus tabellionis vicem supplentibus, vti colligitur ex l. 2. C. de annali except. & docet Imola hîc n. 17.

7 NOTANDVM V. Non sufficit se offerre ad cautionem præstandam, nisi etiam præstetur. Præterquàm si per aduersarium stet, quò minùs cautio oblata recipiatur. Ita notat Gl. fin. hîc, & constat ex c. 1. & 2. de eo qui mittitur in possessionem, &c.

CAPITVLVM XII.

Licet.

PARAPHRASIS.

Innocentius III. mandauerat Episcopo Parisiensi, vt instituta inquisitione de criminibus, si quos seu Religiosos, seu seculares Clericos deliquisse deprehenderit, eos secundùm canonicas sanctiones remota appellatione puniat, & quæ ad morum reformationem pertinere videntur, constituat. Dubitatum verò fuit, num per hoc Metropolitani iurisdictioni derogauerit Pontifex, quò minùs ad ipsum à sententia, aut grauamine Episcopi appellari possit in casibus, quibus id alioquin permissum est. Respondet Pontifex, derogatum non esse: cùm Parisiensis Episcopus non propterea tanquam Sedis Apostolicæ delegatus, sed vt ordinarius Iudex procedat.

SVMMARIVM.

1. *A correctione legitima non potest fieri appellatio, nisi in eius modo excedatur.*
2. *Episcopus habet iurisdictionem ordinariam in inquirendis & puniendis criminibus, nō tantùm secularium clericorum, sed etiam Religiosorum non exemptorum, saltem si grauia delicta sint.*
3. *Superior inferiori iudici ordinario mandans, quæ ad ordinarium eius officium spectant, non constituit eum delegatum, sed tantùm excitare vult iurisdictionem ordinariam.*
4. *Quòd si autem inferior nihilominus procedat vt delegatus, processus & acta non valent.*

PRo intellectu sciendum est, quòd à correctione legitima, seu quæ fit secundùm canones, non possit fieri appellatio, nisi in corrigendo modus excedatur, sicuti habetur in c. seq. & in c. ad nostram, 3. c. reprehensibilis, 26. c. cùm speciali, 61. §. Porrò, de appellat. Nam talis correctio est veluti executio canonis: ab executore autem, nisi metas excedat, appellare non licet, l. ab executione, 5. C. Quorum appellationes non recipiuntur. Cum hac doctrina consentit Synodus Trident. sess. 22. c. 1. de reformat.

NOTANDVM I. Episcopus habet iurisdictionem ordinariam in inquirendis, & puniendis criminibus, non tantùm secularium Clericorum, sed etiam Religiosorum non exemptorum, saltem si grauia delicta sint, vti etiam dixi in c. quantò, 7. hoc tit.

NOTANDVM II. Si Superior inferiori Iudici ordinario ea mandet, quæ ad ordinarium eius officium spectant, non censetur eum facere delegatum; sed excitare tantùm iurisdictionem, seu commonere & impellere ipsum ad officium præstandum. Ita notauit Gl. in c. in aliquibus, 4. de rescript. in 6. Innocent. hic n. 1. Imola n. 8. Sed limi-

tari

tari debet primò: Nisi expresse addatur, vt Episcopus v.g. auctoritate Apostolica, vel vt delegatus Sedis Apostolicæ procedat, sicuti Gl. cit. monet. Secundò: Nisi ex adiunctis aliud colligatur; vt quia Papa formam procedendi præscribit, quæ ordinariæ iurisdictionis limites excedit; v.g. vt in causa, in qua appellare licitum est, remota appellatione procedatur, sicuti Inn. notat, & Abb. n. 3.

In dubio autem potiùs existimãdum est Principem voluisse excitare iurisdictionem ordinariam; adeò vt verba rescripti, si id fieri possit, secundùm ius commune, & non vt specialem cõmissionem continentia intelligi debeant: præsertim si secundùm alium intellectum verborum, alteri præiudicium fieret, vti etiam habetur infrà c. pen. hoc tit. & notat Gl. magna hic in fine. Innoc. in hoc c.

4 Quærit hic Abbas: Si Papa per rescriptum noluerit causam delegare, sed iurisdictionem Episcopi ordinariam exercere; is autem per errorem procedat vt delegatus, num processus & acta valent. Negatiuè respondet, & rectè: Quia auctoritate ordinaria, qua procedere potuit, noluit: qua autem procedere voluit, auctoritate delegata, non potuit, cùm ea commissa non sit: Ergo irrita sunt acta, argum. c. cùm semper, 23. de offic. delegati. Vide eundem Abb. in c. cùm ex officij, n. 29. de præscript.

CAPITVLVM XIII.

Irrefragabili.

PARAPHRASIS.

Prælati Ecclesiarum ad corrigenda crimina, & reformandos mores subditorum, maximè clericorum, prudenter ac diligenter attendere debẽt; ne alioquin subditorum peccata ipsis imputentur. Atque vt correctionis, ac reformationis officiũ liberè exercere possint, decernit Innoc. III. in Concilio generali Lateranensi, quòd nec cõsuetudo, nec appellatio executionẽ ipsarum valeat impedire, præterquàm si modũ in corrigendo excedant. Quòd si in aliqua Ecclesia consuetudo obtineat, vt Canonici à Capitulo puniantur, tum eo negligente, Episcopus moneat, iubeat, ac competentem terminum statuat, intra quem correctio fieri debeat: alioquin ipsemet Episcopus, prout animarum eius cura requirit, corrigere per censuras Ecclesiasticas non intermittat.

SVMMARIVM.

1. *Prælati Ecclesiarum ex officio tenentur subditorum, præsertim clericorum crimina corrigere.*
2. *Inferior Episcopo v.g. Capitulum Cathedrale aut Decanus vel Archidiaconus, contra Episcopum præscribere potest iurisdictionem in diœcesanos v.g. Canonicos, aliósue clericos, etiam priuatiuè.*
3. *Neq; tamen vlla consuetudine Episcopo omne ius corrigendi, etiam in habitu, adimitur.*
4. *Si inferior negligens fuit in officio suo, & illud definito tempore non faciat, ipse facit superior.*
5. *Canonici seu Capitulum Cathedrale non potest vigore vllius consuetudinis cessationem à diuinis imponere absque causa rationabili & manifesta.*

NOTANDVM I. Prælati Ecclesiarum ex officio tenentur subd.torum, præsertim Clericorum, crimina corrigere: alioquin peccata ipsis imputantur, tanquam indirectè voluntaria: cùm ea, vt supponimus, possint impedire, & ratione officij sui, adeóque ex iustitia impedire obligati sint. Vide quæ dixi lib. 1. Th. mor. tr. 2. c. 3. n. 8. 1

NOTANDVM. II. A correctione Prælati non appellatur, nisi is modum excedat. Qua de re dixi c. præc.

NOTANDVM III. Inferior Episcopo, v.g. Capitulum Cathedrale, aut Decanus, vel Archidiaconus, contra Episcopum præscribere potest iurisdictionem in diœcesenos, v.g. Canonicos aliósue Clericos; etiam priuatiuè, seu excluso Episcopo, vti apertè colligitur ex textu, & docet Abb. hìc n. 1. & in c. pastoralis, n. 7. hoc tit. 2

3 **Limita**: Quòd consuetudo non valeat, per quam Episcopo omne ius corrigendi, etiam in habitu adimitur; ita vt tametsi Capitulum, Decanus, vel alius, ad quem de consuetudine pertinere debet, id negligat, Episcopus se immiscere non possit. Nam talis consuetudo esset Ecclesijs damnosa; imò contra institutionem officij Episcopalis, quod se ad totam diœcesin, seu omnes diœcesanos, qui specialiter exempti non sunt, extendit, argum. c. cùm non liceat, 12. de præscript.

4 NOTANDVM IV. Si inferior in officio suo negligens sit, modus compellendi illum est, vt definiatur tempus, intra quod rem expedire teneatur; alioquin ipsemet Superior, quod iustum ac debitum est, statuat, & exequatur. Atque hac ratione in iurisdictionalibus Superior supplet negligentiam inferioris; v. g. Episcopus negligentiam Capituli, vel Decani Cathedralis: sed non vice versa. Tametsi enim in beneficiorum collatione propter negligentiam Episcopi potestas ad Capitulum deuoluatur, c. 2. de concess. præbend. non ita tamen in exercenda iurisdictione. Quia maior vnio est inter Episcopum & Capitulum in beneficiorum collatione: At verò iurisdictio, spectato cõmuni iure, Episcopi propria est, licèt consilium Capituli requiri debeat. Vide Abb. hic n. 3.

§. Cæterùm.

PARAPHRASIS.

Si Canonici absq; causa rationabili & manifesta cessauerint à diuinis, præsertim si id agant in Episcopi contemptum, is nihilominus, si voluerit, in Ecclesia Cathedrali officia diuina celebrare potest. Et Metropolitanus, ad querelam Episcopi, tanquam Sedis Apostolicæ delegatus, per censuram Ecclesiasticam, cognita veritate Canonicos compescat.

5 NOTANDVM Vn. Etsi Canonici, seu Capitulum Cathedrale iurisdictionem in Ecclesiasticis alicubi per præscriptam cõsuetudinem exerceat, non potest tamen cessationem à diuinis imponere absque causa rationabili, & manifesta: Alioqnin Episcopus ad obseruationem non tenetur, & de eo conqueri potest apud Metropolitanum.

Sed quare dicitur, quòd Metropolitanus tanquam delegatus Sedis Apostolicæ procedere debeat; cùm ordinario, seu metropolitano iure, Episcopo conquerente, cognoscere possit, saltem si causa ipsius Episcopi agitetur, ita vt ipsemet Iudex esse nequeat, iuxta ea quæ dixi suprà in c. pastoralis. Respondeo cum Ioann. Andr. hic n. 29. Quia causa ardua est, ex cuius tractatione scandalum atque perplexitas oriri potest, meritò visum fuit, eam à Metropolitano auctoritate Apostolica, ideóque efficaciùs expediendum esse. Vide c. quamuis, 8. eod. tit. in 6.

CAPITVLVM XIV.

Quoniam.

PARAPHRASIS.

Si in aliqua ciuitate aut diœcesi, populi diuersarum linguarum ac rituum degant, præcipit Concilium Lateranense sub Innocent. III. vt Episcopus loci idoneos Ministros ipsis constituat, qui secundùm diuersitatem rituum, ac linguarum sacramenta ministrent, ac Verbum Dei prædicent. Id verò omnino prohibetur, ne in vna ciuitate aut diœcesi duo sint Episcopi. Sed si ob dictas causas necessarium videatur, poterit Episcopus Suffraganeum Episcopum constituere, tanquam Vicarium suum, qui ipsi in omnibus obediat, ac subiectus sit. Alia autem ratione si quis ad Episcopalia munera se ingesserit, ipso facto excommunicatus sit, & ab omni ministerio ecclesiastico deponendus; inuocato etiam, si opus sit, auxilio brachij secularis.

SVMMARIVM.

1. *Valde conueniens est, vt Romanæ Ecclesiæ ritus reliquæ ecclesiæ sequantur.*

2. *In vna diœcesi non possunt esse duo Episcopi principales, seu potestate æquales; potest tamen Episcopus constituere sibi Suffraganeum.*
3. *Ordinarius, si vrgeat necessitas, potest brachium seculare inuocare ad iustitiæ defensionem aut executionem.*

1 NOTANDVM I. Fieri potest, vt in eadem ciuitate diuersi ritus obseruentur in Sacramentorum administratione. Ex quo colligit Abb. hîc n. 2. & c. pastoralis, n. 9. hoc tit. non esse necessarium, vt Clerici omnes in diuinis officijs, & sacramentorum ministratione conformẽt se Ecclesiæ metropolitanæ: cùm possint etiam proprium ritum retinere, argum. c. de trina, 80. d. 4. de consecr. Id verò valdè conueniens est, vt Romanæ Ecclesiæ ritus reliquæ ecclesiæ sequantur, vti dixi lib. 5. Th. mor. tr. 2. c. 8. n. 4. & 5.

2 NOTANDVM II. In vna diœcesi non possunt esse duo Episcopi principales, seu potestate æquales. Rationem attuli in c. Michaël, 13. de filijs Presbyt. Potest tamen Episcopus constituere Suffraganeum: Id verò indubitatum, ac valdè frequens est circa ea, quæ ad Ordinis potestatem spectant. Sed hîc sermo etiam est de potestate iurisdictionis, quia dicitur, quòd Episcopus, propter necessitatem, Catholicum Præsulem, tanquã Vicarium sibi subiectum, constituere possit. Atque talis Vicarius Episcopus, secundùm Gl. communiter receptam, ver. Vicarium, habebit iurisdictionem ex canone ordinariã, ac perpetuam, Episcopo subordinatam, sicuti de Archidiacono suprà dictum est. In quo plurimùm differt à generali Vicario, de quo dictum est tit. de officio Vicarij, in 6. Porrò ad Sedem Apostolicam pertinebit examinare, num ob aliam similem necessitatis causam opus sit Episcopo perpetuum Vicarium ac Coëpiscopum in iurisdictione exercenda subordinatum adiungere. Cùm id à iure communi exorbitans, & non nisi dispensatiuè permitti possit, vti Gl. notat ver. necessitas, ibid. Innocentius.

3 NOTANDVM III. Ordinarius, si necessarium sit ad iustitiæ defensionem, aut executionem, brachium seculare in subsidiũ inuocare potest. Qua de re dixi in c. 1, de offic. delegati.

CAPITVLVM XV.

Inter cætera.

PARAPHRASIS.

Sicut corpus cibo materiali indiget, vt conseruetur, & augeatur; ita omnino necessarius est cibus spiritualis, quod est verbũ Dei. Quare cùm sæpe accidat, vt Episcopi, quibus id ex proprio officio incũbit, populis, præsertim per diœceses amplas, ob multas eorum occupationes, & alia impedimenta, verbum DEI per seipsos ministrare non possint; decreuit Concil. Lateranense sub Innoc. III. vt Episcopi per diœceses, viros idoneos, potentes in opere ac sermone, ad prædicationis officiũ assumant; ijsq; ad victum necessaria prouideant.

§ Vnde.

In Cathedralibus, & Collegiatis Ecclesijs viri idonei cõstituì debent, tanquam Coadiutores Episcoporum, tum in officio prædicationis, tum in audiendis confessionibus, & pœnitentijs iniungendis, ac cæteris, quæ ad salutem pertinent animarum.

SVMMARIVM.

1. *Episcopus est ordinarius pastor totius diœcesis, cui proinde ex officio incumbit populum verbo Dei pascere, & Sacramenta eidem ministrare.*
2. *Concurrit cumulatiuè in administratione Sacramentorum cum omnibus Curatis ecclesiarum non exemptarum.*
3. *Ad eundem de communi iure spectat ius Cathedræ, contra quod nulla consuetudine ita præscribi potest, vt omnis ei cura circa munus prædicandi auferatur.*

NOTAN-

1 NOTANDVM I. Episcopus est ordinarius pastor totius diœcesis, cui proinde ex officio incumbit populum verbo DEI pascere, & Sacramenta eidem ministrare. Quia verò per se ipsum solus omnia efficere non potest, ideo curam solicitam gerere debet, vt viri idonei per parochias, aliásque Ecclesias ordinentur ad talia populo ministranda.

2 Corollarium I. Episcopus cum omnibus Parochis, aliísque Curatis Ecclesiarum non exemptarum concurrit cumulatiuè, ita vt ipse, vel Vicarius eius, à peccatis absoluere, & Sacramenta fidelibus ministrare possit, iuxta c. 2. de offic Archipresbyt.

3 Corollarium II. Spectato communi iure, ad Episcopum pertinet ius Cathedræ seu munus prædicandi ad plebes, personis idoneis committendi. Quòd si hoc ius alij inferiores per consuetudinem præscripserunt, non propterea omnis cura & solicitudo Episcopo ablata est: sed nihilominus attendere debet, &, si inferiores in ea re negligentes repererit, tempus constituere, intra quod Ecclesijs bene prouideatur; sin minùs, ipse prouidere poterit, vti hic Ioann. Andr. annotauit n. 9. & sumitur ex c. irrefragabili, hoc tit.

Rectè interim aduertit Abb. hic n. 1. Quòd etiam Parochi, aliique Curati cumulatiuè (id est, Episcopo non excluso) officiũ prædicandi in Ecclesia habent. quòd proinde ipsis ab Episcopo auferri non debet, si ad hoc munus idonei sint, & rectè præstare possint. Quia Verũ DEI prædicare (sicuti & confessiones audire, aliáque Sacramenta ministrare) pertinet ad Curam animarum, iuxta Clem. Dudum, §. verùm, de sepult. Religiosis autem, sicuti & alijs quibusdam, cõpetit hoc ex priuilegio Papæ, aliorúmque Ordinariorum concessione, cit. Clem. dudum, & c. excommunicamus, 13. §. Quia verò nonnulli, de sent. excommun. & videri potest Sebast. Sapia addit. ad Abbat. hîc, Barbosa de potest. Episc. p. 3. allegat. 76.

Concil. Trident. sess. 5. c. 2. de reformat. & sess. 24. c. 4. de reform.

CAPITVLVM XVI.

Conquerente.

PARAPHRASIS.

Ecclesiæ parochiales Monasterio S. Benedicti montis Subasij incorporatæ erant. Episcopus Assisinatensis præter alia iura Episcopalia, etiam procurationes ratione visitationis exigebat. Sed œconomus Monasterij, asserens Capellas, seu Parochias ad has exactiones nõ sufficere, petebat specificari, quænã ratione iuris Episcopalis deberentur: quibusdam verò specificatis, lis inter partes mota, & legitimè contestata fuit. At verò Honorius III. inspectis probationibus, quæ ab vtraque parte allatæ sunt, decreuit, vt Episcopus in Capellis seu parochijs illis habeat ius tum legis iurisdictionalis, tum etiam diœcesanæ; ita tamen, vt habita ratione facultatum, moderata à dictis capellis exactio fiat.

SVMMARIVM.

1. *Monasteria quantumuis exempta, ratione tamen parochiarum secularium, quæ ipsis incorporatæ sunt, obligantur lege iurisdictionali, & diœcesana.*
2. *In quibus consistat lex iurisdictionalis.*
3. *In quibus lex diœcesana.*
4. *Procurationes tempore visitationis ab ecclesijs moderatè accipiendæ, neque vltra vires grauandæ.*

NOTANDVM I. Licèt Monasteria, quæ alioquin iurisdictioni Episcoporum subijciuntur, exempta sint à lege diœcesana, quod attinet ad cathedraticum, subsidium charitatiuum, & quartam decimarum; tamen hæc exemptio non extenditur ad capellas, seu parochias seculares ipsis incorporatas: Nam ratione harum parochiarum, nisi & ipsę ab Episcopo exemptæ sint, Monasteria omnia, quomodocunque secundùm se exempta sint, obligantur tum lege iurisdictionali, tum diœcesali. Hac de re dixi in qq. disput. de elect. q. 209 & 227. & videri potest

potest Gl. finalis in c. dilectus, 18. hoc tit. Hostiensis in sum. huius tit. §. sunt autem quædam.

2 NOTANDVM II. Lex iurisdictionalis, ad quam Ecclesiæ omnes, etiam Monasteria, quæ exempta non sunt, obligantur, in his consistit: I. In præstanda obedientia, ac subiectione, seu in parendo mandatis Episcopi. II. Institutio, & destitutio in beneficijs, spectato communi iure, ad Episcopum spectat, c. cùm ex iniuncto, 12. in fine, de hæret. III. Correctio, visitatio, morum reformatio, censura Ecclesiastica, iurisdictio causarũ ad forum externum Ecclesiasticum spectantium. IV. Publicæ pœnitentiæ impositio, c. accedentibus, 12. de excess. Prælatorum; Sacramentorum receptio, absolutio, item indulgentia, dispensatio.

3 NOTANDVM III. Lex diœcesana, cui Monasteria omnia ratione capellarum sibi incorporatarum, si eæ exemptæ nõ sint, subijciuntur, in his consistit: I. Exactio annua cathedratici, videl. duorum solidorum, c. inter cætera, 8. causa 10. q. 3. II. Subsidij charitatiui petitio secundùm facultates Ecclesiæ, alteriusue beneficij, vt hic, & in c. cùm Apostolus, 6 §. Prohibemus, de censibus, & dixi de hoc lib. 3. p. 1. c. 3. §. vn. III. Quarta portio decimarum Episcopis præstanda, spectato communi iure, c. de quarta, 4. de præscript. Hæc tamen præstatio pluribus locis per desuetudinem abolita est, vti dixi lib. 4. Theol. moral. tr. 6. c. 4. n. 6. IV. Portio canonica ex legatis, & funeralibus oblationibus, vbi ea in vsu est: Imò ad hanc Monasteria, etiam exempta, obligantur. Qua de re videri potest Trident. sess. 25. c. 13. de reformat. & quæ dixi lib. 3. Th. mor. tr 5. c. vlt. n. 13. V. Procurationes, seu victualia præstari solita, dum Episcopus, vel alius eius iussu visitat. Ad eiusmodi procurationes etiam Monasteria, quæ Episcopo subiecta sunt, obligantur, c. sopitæ, 14. de censibus: quandoquidem procuratio annexa est visitationi, c. cùm venerabilis, 21. eod. tit. Quamobrem aliqui procurationes has ad legem iurisdictionalem reuocant. VI. Ad Synodum conuocatio, eam enim ad legem diœcesanã spectare, dicitur in c. quod super, 9. de maior & obed. Verùm neq; à Synodo Abbates Monasteriorum hodierno iure liberantur, vt ibi dicam. De lege diœcesana, & iurisdictionali vide plura apud Canonistas in c. dilectus, hoc tit. vbi Abb. n. 4. Imola. n. 6.

NOTANDVM IV. Procurationes tempore visitationis ab Ecclesijs accipiendæ sunt, habita ratione facultatum, & ita moderatè, vt nequaquam grauentur. Qua de re Concil. Trident. sess. 24. c. 3. de reformat. Paulus Piasecius in praxi Episc. p. 2. c. 3. n. 14. Paulus Salodius de visitat. p. 2. c. 1. §. Nec videtur, Ioann. Franciscus Paunus de visitationibus, p. 1. q. 6. n. 8. & 9. vbi monent, si Ecclesiæ omnino pauperes sint, quòd Episcopus proprijs sumptibus eas visitare teneatur. Quod vt communiter receptum tradit etiam Zerola in praxi ver. visitatio, p. 1. dub. 7. Barbosa de potest. Episc. p. 3. alleg. 73. n. 51. 52. Syl. ver. visitatio q. 5. 4

CAPITVLVM XVII.

Vt iuxta.

PARAPHRASIS.

Ne dissolutionis materia præbeatur, Archiepiscopus (vel Episcopus) cùm Monasteria sibi subiecta visitat, non debet seculares secum ducere ad Capitulum, in quo visitatio peragitur; præter duos aut tres Canonicos, adiunctis etiam personis Religiosis, quatenus id expedire videbitur.

SVMMARIVM.

1. *Ad visitationem Religiosorum pauci adhibendi, iique idonei, præsertim Canonici, si Episcopus ipse visitet.*
2. *Decens est, vt non soli seculares adhibeantur, sed vnus, aut plures Religiosi.*

NOTANDVM I. Ad visitationem Religiosorum oportet adhibere paucos viros idoneos, qui Ecclesiastici esse debent, præsertim Canonici Ecclesiæ Cathedralis. Id verò intelligendum est, si Episcopus per se ipsum visitet: decens enim est, vt duos ca- 1

nonicos, tanquam consiliarios & laterales suos secum ducat, argum. c. ad audientiam, 15. de cleric. non resident. Sin autem alij, quàm Canonici, ad visitandum magis idonei sint, eos adhiberi posse, ex Hostiensi docent Ioann. Andr. hîc n. 7. Imola n. 2.

2 NOTANDVM II. Decens est, vt ad visitationem Religiosorum non soli seculares Clerici adhibeantur, sed vnus, aut plures Religiosi: quippe cùm hi maiorem regularis disciplinæ cognitionem atque experientiam habentes magis idonei censeantur, vti Gl. hîc monet, ver. adiunctis, argum. c. in singulis, 8. de statu Monachorum, & consentit Extrauagans, Bonifac. VIII. quæ incipit: *Debent* hoc tit. iun. Gl. ver. Religiosa.

CAPITVLVM XVIII.

Dilectus.

PARAPHRASIS.

Cùm Abbas Monasterij Rothomagensis cõtenderet, tertiam partem multarum pecuniariarum, quas Parochiani in quinque parochijs soluere cogerentur, ex consuetudine antiqua ad ipsum Monasterium spectare; Innocentius III. quibusdam mãdauit, vt auditis ijs, quæ tum ex parte Abbatis, tum ex parte Episcopi Venetensis proponerentur, causam instructam ad ipsum remitterent. Sed Episcopus processum iudicij impedire volebat, ex allegatione sententiæ, quæ pro ipso contra Monasterium lata esset, quòd circa legem diœcesanam in Ecclesijs quibusdam nullum eidem Monasterio ius competeret. Quamobrem conquestus est Abbas Honorio III. qui Innocentio successerat; cùm hîc non agatur de lege diœcesana, sed de lege iurisdictionali, videl. de citatione, causarum examinatione, definitione ac prouisione, quam ad se quadãtenus pertinere Abbas contendebat, ideo ne patiatur, prætextu sententiæ illius, causæ processum vlterius impedire. Hoc intellecto, Honorius mandat dictis Iudicibus, vt non obstante illa sententia, in negotio ipsis commisso procedant.

SVMMARIVM.

1. *Iudex ecclesiasticus potest imponere mulctas non tantùm subiectis sibi clericis, sed etiam laicis, in causis ad forum ecclesiasticum spectantibus.*
2. *Consuetudo antiqua, præsertim immemorialis, sufficit ad obtinendum & retinendum ius v. g. iurisdictionis in præiudicium Episcopi, licèt titulus allegari nequeat.*
3. *Exceptio rei iudicatæ opponi potest ad impediendum actionis processum.*

NOTANDVM I. Iudex Ecclesiasticus (qualis erat hic Abbas ratione Monasterij sui) potest imponere mulctas pecuniarias non tantùm subiectis sibi clericis, sed etiam laicis; intellige in causis ad forum ecclesiasticum spectantibus. Ita sumitur ex c. statuimus, 55. causa 16. q. 1. & tradit ibi Gl. ver. bannum, Ioann. Andr. hîc n. 7. Abb. not. 1. Imola n. 1. & 10. Felinus in c. irrefragabili, §. Cæterùm, n. 6. hoc tit. Hostiensis in sum. huius tit. n. 4. Zerola in praxi, p. 1. ver. compositio, n. 2. Couar. lib. 2. ver. resol. c. 9. vers. quartum, Barbosa p. 3. allegat. 107. n. 18. Qui etiam addunt, quòd Ordinarius, videl. Episcopus, vel similis Prælatus pœnam suæ Cameræ seu fisco applicare possit, argum. huius c. Quamuis meliùs agat, si ad alium pium vsum applicet. Sed vide, quæ ex Concil. Trident. sess. 25. c. 3. de reformat. dicam infrà.

NOTANDVM II. Consuetudo antiqua, præsertim si immemorialis sit, sufficit ad obtinendum, ac retinendum ius v. g. iurisdictionis in præiudicium Episcopi, tametsi titulus allegari non possit. Ita Imola hic n. 3. Abb. n. 3. & dixi de hoc in c. quòd translationem, 4. de offic. Legati.

NOTANDVM III. Exceptio rei iudicatæ, tanquam litis finitæ, opponi potest ad impediendum actionis processum. Ita Imola hic n. 4. Sed requiritur, vt sit causa eadem,

non

non diuersa, sicuti constat ex hoc c. & tradit Gl. in c. penult. ver. sine dolo, ad finem, de except.

CAPITVLVM XIX.

Graue.

Paraphrasis.

Gregorius X. Pontifex scripserat Episcopo Suanensi, vt clericorum diœcesis suę correctioni intenderet. Occasione eius mãdati idem Episcopus in Ecclesias quasdam intra diœcesin suam existentes, atq; ad Monasterium quoddam pertinentes interdicti sententiam, atque in clericos earundem suspensionem promulgauit; tametsi nullam ordinariam seu delegatam iurisdictionẽ haberet, & Abbas Monasterij per se ipsum paratus esset corrigere. Quamobrem præcipit Pontifex Episcopo, si ita se res habeant, vt per seipsum corrigens, quæ imprudenter attentauit, dictas sententias seu censuras relaxet.

Svmmarivm.

1. *Si Papa mandat Episcopo, vt corrigat Clericos suos, nõ facit eum delegatum, sed excitare vult officium eius ordinarium.*
2. *Si eidem mandat, vt beneficium proximè vacaturum in diœcesi, Apostolica auctoritate conferat Titio, extendi debet hoc mandatum etiam ad beneficia diœcesis exempta.*

DVobus modis casus huius c. intelligi potest: Primus est Gl. fermè communiter receptæ, quòd Ecclesiæ istæ vnà cum Clero, aut etiam populo fuerint exemptæ ab Episcopo. Et huic intellectui fauet, quod dicitur, Episcopum nullam iurisdictionem habuisse. Sed obstat argumentum à sensu contrario: Æstimatur enim in textu, quòd Episcopus iurisdictionem in Ecclesias, & Clericos exercuerit, tametsi Abbas per se ipsum corrigere paratus fuerit: quasi negligente Abbate, seu in defectum Abbatis, corripiendi potestas ad Episcopum deuoluta esset. Id verò dici non potest, si Abbas ab Episcopo exemptus fuit, ideóque iurisdictionem quasi Episcopalem habuit, vti Gl. hîc notauit argum. c. 2. de suppl. negl. Prælator.

Alter intelligendi modus, qui mihi magis placet, est Abbat. hic n. 7. Quòd Abbas per consuetudinem, aut priuilegium speciale in Ecclesias quasdam diœcesis, & Clericos aut etiam parochianos earum iurisdictionẽ acquisiuerit, excluso Episcopo; ita vt se eis immiscere non possit, nisi in defectum seu propter negligentiam Abbatis, vti dixi in c. irrefragabili, 13. hoc tit. Neq; obstat, quod dicitur hîc, Episcopum nullam iurisdictionẽ habuisse; id enim verum est secundùm exercitium, & effectum, dum Abbas per se corrigere paratus esset. Quamobrem sententiæ eiusdem Episcopi ipso iure irritæ erant, iuxta ea quæ dixi in c. cùm ab Ecclesiarum, 3. hoc tit. Verbum autem istud *relaxes*, licèt secũdùm propriam significationem supponat actum validum esse; tamen ex subiecta materia sæpe apparet, sermonem esse de relaxatione facti, quæ aliud nõ est, quàm reuocatio sententiæ, vti notat hîc Gl. ver. relaxes, Imola in fine huius c. Abb. n. 10. & in simili tradit Gl. in c. 2. ver. cassauimus, Vt lite non contestata &c.

Notandvm Vn. Si Pontifex mandet Episcopo, vt corrigat Clericos suæ diœcesis, non censetur eum facere delegatum, sed excitare officium eius ordinarium, iuxta ea quæ dicta sunt in c. licèt, 12. not. 2. hoc tit. 1

Quærunt hîc DD. Si Papa mandet Episcopo, vt beneficium, quod proximè vacaturum est in diœcesi, Apostolica auctoritate conferat Titio, an istud mandatum extendi etiam debeat ad beneficia diœcesis, quæ ab Episcopo exempta sunt. Probabiliter affirmatur cum Ioann. Andrea in c. Abbatem, 40. n. 6. de rescript. Gl. in Clem. vn. §. Præterea, ver. primi anni, de excess. Prælatorum, Abbate hîc n. 5. Quia ex commissione apparet, quòd Papa non excitet ordinarium of- 2

ficium Episcopi; sed quòd faciat illum delegatum suum: quamobrem sicuti alius quilibet vi talis mandati Apostolici quodlibet beneficium in diœcesi situm conferre posset; ita & Ordinarius seu Episcopus; cùm officium ordinarium conferendi per accidens se habeat. Sed alius & diuersus casus est, de quo dixi in c. si propter, 10. de rescript. in. 6.

CAPITVLVM Vlt.

His, quibus.

Paraphrasis.

Iis, quibus ex officio competit in certis casibus à canonis excommunicatione, propter Clerici percussionem absoluere, possunt hanc absoluendi facultatem, si quando expedire iudicant, alteri committere.

Svmmarivm.

1. *Cui competit iure communi, aut priuilegio speciali aliqua potestas, v. g. absoluendi à peccatis, censuris, dispensandi &c. ratione officij sui transmissibilis ad successores, vel quasi successores, is eam potestatem alijs delegare potest.*
2. *Et quidem non tantum particulatim, sed generaliter.*
3. *Nec tantùm ministerium absolutionis alteri committere potest sed etiam causæ cognitionem &c. nisi specialiter industria & discretio personæ electa fuisset.*
4. *Delegatus, vel etiam subdelegatus nudũ ministerium absolendi sine causæ cognitione committere alteri potest, dummodò ipse iurisdictione aliqua præditus, & non nudum ministerium ei commissum sit ad absoluendum, dispensandum, &c.*

PRo intellectu huius c. aduerte primò; Sermonem hîc esse de ijs, quibus ex officio, siue iure proprio & ordinario competit absolutio à censura canonis. Videl. Legatis Sedis Apostolicæ: Item quibusdam Prælatis, quibus per speciale priuilegium talis absoluendi potestas ratione Sedis, ac dignitatis suæ, ideòque in perpetuum competit: Etenim talis perpetua commissio in ordinariam transit, sicut docet Baldus in l. 1. q. 9. de offic. Consulis, Felinus in c. licèt, n. 4. hoc tit. Sanch. lib. 2. de matrim. disp. 40. n. 14. Item in casibus iure concessis, & quotiescunque Papa pro petenda absolutione, adiri nequit, potestas absoluendi ad Episcopum, tanquam proprium Ordinarium deuoluitur, vti hìc notat Gl. recepta, ver. casibus. Quin & Prælatis regularibus à canonis excommunicatione propter Clerici aut Monachi percussionem incursa, absoluendi potestas in certis casibus, tanquam ordinaria competit; cùm dignitati eorum annexa sit, c. cùm illorum, de sentent. excommun.

Aduerte secundò; Quod hic dicitur de absolutione à canonis censura, id exempli causa dictum est; generaliter autem intelligi debet de quacunque potestate absoluendi à peccatis, aut censuris, item dispensandi in votis aut iuramentis; aut in matrimonij impedimentis propter difficultatem adeundi Papam. Ita indicat Ioann. Andreas hîc n. 3, Felinus in princip. Ratio est: Quia si alicui iure communi, aut priuilegio speciali competat aliqua potestas ratione officij sui, transmissibilis ad successores, aut quasi successores (quod dico propter Legatos Apostolicos, & Vicarios Episcoporum) tunc non potest censeri electa industria personæ; Ergo nihil obstat, quò minùs alteri delegetur, vti ratiocinatur Iason in l. more, n. 65. ff. de iurisdict. omn. Iudicum, Sanch. cit. disputat. 40. n. 17. Nauar lib. 5. consil. 11. n. 4. de priuileg. edit. 2.

His adde I. Quòd dictæ potestates absoluendi non tantùm particulatim committi queant, sed etiam generaliter, propter regulam communiter receptam: Ea quæ iure ordinario alicui competunt, absolutè, & generatim delegari posse, vti docent Nauar. lib. 5. consil. 15. de sentent. excomm. edit. 1. Sanchez cit. loco

Adde II. Ex eodem Nauarr. in cit. consil. 11. n. 4. Non tantùm nudum ministerium absolutionis alteri committi posse, sed etiam causæ

causæ cognitionem, ac pœnitentiæ impositionem, &c.

Excipe: Nisi ex commissione, seu priuilegij concessione appareat, eam specialiter factam esse Prælato, eò quòd propter officij auctoritatem, & discretionem ad hoc munus absolutionis magis idoneus reputatus sit, vt in casu c.2. & c. cùm illorum, de sent. excommun. vbi absolutio Monachi à censura canonis Abbati, propter discretionem & prouidentiam (quæ in tali persona inesse præsumitur) specialiter committitur.

4 Veruntamen id generatim dici potest, quòd quicunque delegatus, aut etiam subdelegatus, tametsi iurisdictionem alteri committere nequeat, tamen nudum ministerium absoluendi sine causæ cognitione committere possit, sicuti ex Nauar. c. 27. man. n. 45. annotaui in c. super quæstionum, 27. §. porrò, limit. 4. Dummodò iurisdictione aliqua præditus sit, & non nudum ministerium ipsi commissum ad absoluendum, dispensandum, &c. Id enim plerumque personaliter exequi, & non alteri delegare debet, vti constat ex c. vlt. §. cæterùm, de offic. delegati, & notat Gl. fin. hîc, Innoc. & Ioan. Andr. n. 3. Imola n. 2.

CAPITVLVM I.

cod. Tit. in 6.

Romana.

PARAPHRASIS.

Archiepiscopo concessum non est in Coëpiscoporum diœcesibus cõstituere Vicarios, Officiales foraneos, ad quos causæ appellationum deferri debeant. Quia cùm ipsimet Archiepiscopo secundùm Canones (extra casus speciales in iure concessos) non liceat diœceses Suffraganeorum ingredi, & in ijs iudicare, aut quælibet ordinare, sequitur, quòd neque alium loco suo constituere possit. Verum quidem est, quòd Archiepiscopus causam ad se viâ appellationis deuolutam, alicui in diœcesi sui Suffraganei delegare possit, quia ex eo tempore iurisdictionem acquisiuit in appellantem, & appellatum, quæ proinde delegabilis est. Sed antequam ad eum appellatum sit, nullam iurisdictionem habet in subditos Suffraganeorũ: ergo non potest aliquos cõstituere, qui in futuris appellationum causis citationes partiũ faciant, aut inhibitiones erga Iudicem à quo, ne in causa procedat. Cæterùm si legitimè præscripta cõsuetudo vigeat, vt Archiepiscopus in diœcesibus Coëpiscoporum Vicarios habeat, ea subsistere potest; ita tamen, vt inhibitiones, ne in causis procedatur, non faciant, priusquam ad Curiam Archiepiscopalem appellatum sit.

SVMMARIVM.

1. *Archiepiscopus in diœcesibus Suffraganeorum iurisdictionem nullam exercet; vnde non potest in ijs Officiales seu iudices constituere super causis in futurum emergentibus, nisi immemorialis & bona consuetudine id præscriptum esset.*
2. *Delegatus ab Archiepiscopo censuram in Coëpiscopum ferre potest.*
3. *Officialis eius nec validè nec licitè id potest, nisi specialiter ei, vel Vicario causam aliquam Archiepiscopus deleget.*

1 NOTANDVM I. Archiepiscopus in diœcesibus Suffraganeorum iurisdictionem nullam exercet: cùm non sit Iudex ordinarius diœcesanorum, nisi in habitu, seu respectu quorundam emergentium euentuum, v.g. si ad ipsum appelletur, vti dixi in c. pastoralis, 11. extrà, hoc tit. Consequenter non potest Archiepiscopus in diœcesibus Coëpiscoporum Officiales, aut Iudices creare super causis in futurum emergentibus: quia hæc institutio Officialium ad eos propriè pertinet, qui actualem in loco iurisdictionem obtinent, & exercent.

Idque aduertere deberent locorum defensores, præsides, & patroni, quibus iurisdictio nulla competit, nisi in certis casibus, quod loco suî constituere non possint Officiales, seu Vicedominos, quippe per quos perturbatio-

nes & grauamina maiora inferri solent, iuxta Authent. de defensor. ciuitatum, §. nulla existente licentia, col. 3. & ex doctrina Hostiensis notata hîc Dominic. col. 1.

Permittitur tamen consuetudo, si immemorialis & bona præscripta sit, vt tales Officiales in diœcesibus Coëpiscoporum constituãtur; ita tamen vt se diœcesanorum causis non immiscеant, priusquam ad Archiepiscopum appellatum sit: nam alioquin iurisdictiones diœcesium confunderentur, quod sacris Canonibus, & Ecclesiasticæ hierarchiæ institutioni aduersatur.

§. Officiales.

PARAPHRASIS.

Generalis Vicarius seu Officialis Archiepiscopi, dum ipsemet Archiepiscopus in prouincia est, aut non longè distans, in neminem Suffraganeorum seu Coëpiscoporum, interdicti, suspensionis, aut excommunicationis sententiam proferre potest; idque propter reuerentiam officij ac dignitatis Episcopalis.

2 QVÆRITVR primò: An idem sentiendum sit de delegatis ab Archiepiscopo, quòd censuram in Coëpiscopum ferre non possint? Ita affirmat Gl. fin. hîc, Petr. Ancharan. in fine c. & alij. Sed contrarium magis placet; Quia de delegatis id cautum non est: ergo stamus regula communi, quòd delegatus in causa sibi commissa erga subditum delegantis (qualis est Episcopus comparatione Metropolitani sui) maiorem illo potestatem habeat, atque si necessitas postulare videatur, etiam per censuram eum compellere possit, arg. c. sanè, 11. de offic. delegati. Accedit, quòd diuersa sit ratio in delegatis & Officialibus: Nam hi idem habent consistorium cum Archiepiscopo; at verò ab illis, si seueriùs procedant, appellari potest ad Archiepiscopum, vti Ioan. Andr. annotauit in fine huius c.

3 QVÆRITVR secundò: Vtrùm sententia seu censura valida sit, licèt iniusta, si in Episcopum feratur à Vicario seu Officiali Archiepiscopi. Esse validam, affirmat Gl. hîc ver. non attẽtent, quam sequitur Ioan. Andr. n. 4. Petr. Ancharan. ver. Quæro, si contra prohibitionem. Sed contrarium rectiùs, vt arbitror, docent Archidiaconus, & Ioan. Monachus hîc n. 11. Moueor hac ratione: Quia Officiales Episcoporum & Archiepiscoporum nihil validè præstare possunt, nisi quod ipsis communi iure, vel speciali voluntate constituentis concessum est, vti ex communi dixi in c. 2. de offic. Vicarij, in 6. Cùm itaque ius commune Officiali neget potestatem ferendi censuras in Coëpiscopos; consequenter neque Archiepiscopus talem potestatem vicariatui eius contra Canonum statuta annectere possit, sequitur, quòd Officialis in Coëpiscopum nec licitè, nec validè censuras ferre queat.

Cæterùm, si Archiepiscopus causam aliquam specialiter deleget Vicario, tum valde probabile est, valituram sententiam censuræ; quamuis tali potestate vti non debeat, nisi necessitas postulet; idque propter reuerentiam Episcopalis officij, arg. huius textus.

4 QVÆRITVR tertiò: Quæ hîc dicuntur de Coëpiscopo, vtrùm etiam locum habeant in electo & in confirmato, licèt nondum consecrato.

Affirmandum est cum Ioan. Monacho hîc n. 13. Petr. Ancharano q. penult. contra Dominicum, ver. Quæro, quia prohibentur. Nam Episcopus confirmatus gerit officium Pontificale, quoad iurisdictionalia, c. transmissam, 15. de elect. atque in culmine honoris constitutus est, vt reuerentia præ aliis ipsi debeatur, arg. c. 2. de transl. Episcopi, & c. accedentibus, 12. de excess. Prælatorum.

CAPITVLVM II.

Si Canonici.

PARAPHRASIS.

Si Canonici cessationem à diuinis ponere velint in Ecclesiis, in quibus id ipsis ob consuetudinem, vel aliàs (videl. per concessionem, seu priuilegium) concessum est,

est, cessationis causam publico, & authentico instrumento exprimere, & ei, contra quem cessare volunt, exhibere tenentur. Alioquin si id omiserint, aut causa cessandi non fuerit inuenta canonica, fructus ex ea Ecclesia prouenientes pro tempore, quo à diuinis cessatum est, percipere non possunt, atque perceptos restituere debent, eidem Ecclesiæ applicandos: atque insuper ei, contra quem cessatio instituta fuit, de illato damno, & iniuria satisfacere coguntur. Sin autem causa cessandi canonica reperta fuerit, tum is, cuius culpâ cessatio instituta est, obligatur Canonicis ad præstandum interesse, & Ecclesiæ ad mulctam Superioris arbitrio taxandam

SVMMARIVM.

1. *Beneficiatus culpabiliter negligens officium in Ecclesia præstare, fructus percipere non potest.*
2. *Iniustè læsus duplicem ciuilem actionem instituere potest; vnam merè ciuilem, ad compensationem damni; alteram ad pœnam seu mulctam applicandam actori.*
3. *Duns causam culpâ vel dolo cessationi à diuinis, obligatur ministris, ipsique ecclesiæ ad compensationem damni, aut lucri cessantis; deinde compelli potest ad pœnam pecuniariam ecclesiæ dandam in satisfactionem.*

DE cessatione à diuinis, quid sit, à quo, & ob quam causam ferri possit, dixi in lib. 1. Th. mor. tr. 8. p. 4. c. vlt.

1 NOTANDVM I. Si beneficiatus culpabiliter negligat officium in Ecclesia præstare, fructus inde prouenientes percipere nō potest. Nam beneficium datur propter officium, c. vlt. de rescript. in 6. Ergo si officium non præstetur, beneficij fructus denegari, aut repeti possunt, tanquam dati ob causam, causa non secuta, tit. ff. de conditione causa data, causa non secuta.

2 NOTANDVM II. Iniustè læsus duplicem actionem ciuilem simul instituere potest: Vna est merè ciuilis ad compensationem damni illati, quæ actio etiam ad hęredes & contra hæredes transit. Alia est actio, quæ dicitur ciuilis iniuriarum, ad pœnam seu mulctam applicandam actori, vt pro illata iniuria ipsi satisfiat. Et hæc actio pœnalis est, ideóque hæredi non conceditur, nec contra hæredem iniuriantis, si lis cum eo contestata non fuerat, l. iniuriarum, 13. ff. de iniurijs, & dixi lib. 3. tr. 3. p. 2. c. 6. n. 6. Videri hic potest Gl. ver. damnis, Petr. de Ancharano not. 6. & 7.

3 NOTANDVM III. Si quis culpâ, vel dolo causam præbuit, cur in Ecclesia diuina officia non celebrarentur; inprimis obligatur ministris, ipsique Ecclesiæ ad interesse, seu compensationem damni, aut lucri cessantis, si videl. oblationibus, & eleemosynis interim priuati fuerunt, vti Ancharanus notat col. 2. Deinde qui iniuriam Ecclesiæ, aut ecclesiasticæ immunitati intulit, ab Ecclesiastico Iudice compelli potest ad pœnam pecuniariam exhibendam Ecclesiæ, in satisfactionem.

CAPITVLVM III.

Ordinarij.

PARAPHRASIS.

Qui plures dignitates seu personatus, vel beneficia curata, vel vnà cum dignitate beneficium curatum obtinent, ab Ordinarijs suis compelli debent, vt intra tempus iuxta facti qualitatem ipsis definiendum, dispensationem Pontificiam exhibeant, cuius vigore plura, alioquin incompatibilia beneficia, possidere queant. Quòd si dispensationem, iusto impedimento cessante, exhibere intermittant, Ordinarij collatores beneficia, tanquam non canonicè acquisita, & ipso iure vacantia personis idoneis conferre debent, iuxta c. de multa, 28. de præb. & extrauag. execrabilis, eod. tit. Sin autem dispensatio super pluralitate beneficiorum incōpatibilium sufficiens exhibeatur, tum nihilominus attendere debet Ordinarius,

vt pro-

vt prouisus officio suo in pluribus beneficijs satisfaciat, neque cura animarum aut alia debita seruitia negligantur. Quòd si denique exhibita dispensatione dubitetur, num ea sufficiens sit, tum Sedes Apostolica consulenda erit.

§. In conferendis.

Habenti duo, vel plura incompatibilia beneficia, (cuiusmodi sunt curata, ac dignitates seu personatus) aliud simile conferri non debet; nisi priùs ostendat, se super prioribus simul possidendis legitimam dispensationem Papalem obtinuisse. Eâ autem ostensâ, tum demum aliud simile dispensato conferri potest, si vel vnà cum obtentis vi eiusdem dispensationis aliud consequi valeat; vel si priùs obtenta dimittere paratus sit. Alioquin noui beneficij collatio irrita erit.

Svmmarivm.

1. *Ordinarij est inquirere, an beneficiatus ad beneficia canonicè institutus sit.*
2. *Si iuris præsumptio est contra possessorem, cogi is potest ad exhibendum titulum.*
3. *Ordinarius tenetur admittere dispensationem Papæ super pluralitate beneficiorum, aut incompatibilitate; dubitans tamen de eius valore, ad Papam recurrere debet, & compellere dispensatos ad beneficia rectè administranda, vel dimittenda.*

QVænam sint beneficia incompatibilia, vt simul possideri non possint, absque Sum. Pontif. dispensatione, dixi in c. dudum, 54. de elect. & lib. 4. Th. mor. tr. 2. c. 8. assert. 2.

Notandvm I. Ad Ordinarium spectat inquirere, num beneficiati ad beneficia canonicè instituti fuerint. Nomine autem Ordinarij secundùm materiam subiectam intelligitur hoc loco, qui institutionem ac destitutionem in beneficijs habet, vti Gl. hic notat ver. locorum.

Notandvm II. Si notorium sit, aliquem ipso iure priuationem beneficij, vel pœnam aliquam incurrisse, Ordinarius iudex tempus aliquod statuere potest ad excusationem afferendam, quam si non attulerit reus, absque aliâ iudicis sententiâ, sententia à lege decreta executioni mandari potest. Ita cum Domin. in c. cùm secundùm, §. confiscationi, de hæret. in 6. notauit Alex. de Neuo in c. peruenit, n. 14. de appell.

Notandvm III. Si iuris præsumptio sit contra possessorem, cogi potest ad exhibendum titulum; vt in casu huius c. ad exhibendam dispensationem Papalem super pluralitate beneficiorum incompatibilium. Ita hîc Archidiac. & Petr Ancharanus not. 2. vbi addunt, & colligitur ex textu huius c. Si intra terminum præfinitum titulus non exhibeatur, quòd possessor iniustè detinere præsumatur, ideóque per sententiam priuari, aut priuatus declarari, ac beneficium alteri conferri possit.

Vtrùm verò beneficium vnum, vel plura compossibilia possidens, ad ostendendum titulum ab Ordinario cogi possit, disputant Ioan. Andr. & Gl. super c. 1. de reg. iuris, in 6. & alij Canonistæ in c. dilecto, 25. num. 8. de præb. Ancharanus hîc oppos. 3. Summa est: Quòd non possit compellere ad titulum exhibēdum, si beneficiatum in possessione pacifica aliquamdiu tolerauit; cùm sit præsumptio pro possessore: Nihilominus contra eum procedere potest, ostendendo non canonicè inuestitum fuisse, vti sumitur ex cit. c. dilecto.

Notandvm IV. Licèt Ordinarius dispensationem Papę super beneficiorum pluralitate, aut incompatibilitate admittere teneatur; atque orto dubio de dispensationis valore, illud discutere ipse non possit, sed ad Sedem Apostolicam, vnde emanauit, remittere debeat, vti habetur in hoc c. §. Si verò; nihilominus compellere potest dispensatos, ad beneficia rectè administranda, aut dimittenda. Quandoquidem Papæ intentio nec est, nec esse potest ita dispensandi, vt animarum cura, aut diuina officia negligantur: Neque per dispensationem Papalem adimitur Ordinarijs potestas, imò officium & obligatio, per quam prouidere tenentur, vt beneficia

neficia sibi subiecta rectè administrentur. Ita notat hic Petr. Ancharan. not. 5. Ioan. Andr. in addit. Gl. ver. cura.

CAPITVLVM IV.

Quia plerique.

Paraphrasis.

Perperam agunt Prælati, & castigatione digni sunt, qui subditos suos sub censuræ comminatione, aut iuramento astringunt, ne superioribus Prælatis, vel Apostolicis Legatis, aut Inquisitoribus statum Ecclesiarum, vel personarum inquirentibus exponant. Atque eiusmodi sententiæ, promissiones, & iuramenta irrita, & inania esse decernuntur.

Svmmarivm.

1. *Promissio non obligat, si facta sit contra ius publicum, vel contra obedientiam Superiorum.*
2. *Neque obligat facta de re illicita, etiam si iuramentum accedat.*

Notandvm I. Promissio non obligat, si facta sit contra ius publicum, vel contra obedientiam Superiori debitam. Nam *priuatorum* conuentio iuri publico non derogat, reg. 45. ff. & c. si diligenti, 12. de foro compet. Et *in malis promissis fidem non expedit obseruari*, reg. 69. in 6. Cùm impossibile sit, aliquem obligari ad id, quod sine scelere impleri nequit. Cùm itaque subditus legitimè interroganti Superiori veritatem edicere teneatur, ideo non potest ille se obligare ad tacendum. Vide quæ dixi lib. 3. tr. 3. p. 2. c. 4. assert. 8. & tract. 6. c. 2. n. 3.

2 Notandvm II. Promissio de re illicita non obligat, tametsi iuramentum accedat. Nam *iuramentum institutum non fuit, vt esset vinculum iniquitatis*, c. quanto, 18. de iureiur. Et reg. 58 in 6. *Non est obligatorium contra bonos mores præstitum iuramentum.*

CAPITVLVM V.

Vt litigantes.

Paraphrasis.

Vt litigantes à laboribus, & expensis releuentur, statuit Bonifac. VIII. ne Archiepiscopus causas subditorum Coëpiscopi, quæ per appellationem, vel aliàs iure metropolitano ad ipsum deuoluta est, alibi cognoscere, aut cognoscendam delegare possit, quàm in propria ciuitate, aut diœcesi, vel in eadem diœcesi, ex qua causa profecta est: præterquàm si per consuetudinem aliud obtentum sit.

Svmmarivm.

1. *Archiepiscopus de iure communi non potest causam cognoscere in diœcesi Coëpiscopi, nisi ex ea ad ipsum deuoluta sit.*
2. *Causa appellationis secundùm ius canonicum delegari potest etiam à non Principe, seu supremo iudice.*

Notandvm I. Discrimen est inter Legatum ad plures prouincias destinatum, & Archiepiscopum pluribus diœcesibus præsidentem: Quòd ille in quouis prouinciarum loco causas cognoscere possit per se, vel per alium, c. nouit, 7. de offic. Legati. At verò Archiepiscopus, spectato iure ordi- 1
nario, non potest causam cognoscere in diœcesi Coëpiscopi, nisi ex ea ad ipsum deuoluta sit. Ratio discriminis est: Quia Legato in omnes legationis suæ prouincias iurisdictionis exercitium competit: Sed Archiepiscopus iurisdictionem non exercet in diœcesibus Coëpiscoporum, præter casus iure ipsi permissos. Ita notat hic Ancharanus not. 2. Dixi autem, iure ordinario non posse Archiepiscopum causas cognoscere in qualibet diœcesi prouinciæ.

Excipitur enim primò; Nisi consuetudine aliud receptum sit: Secundò, Nisi partes consentiant, vt in alio loco, seu diœcesi causa tractetur, arg. c. statutum, 12. §. in nullo, de

reſcript. in 6. Dummodò etiam Ordinarius loci contentus ſit, vti conſtat ex c. 1. eod. de offic. Ord. in 6. & notauit Gl. hîc ver. expenſis, Dominic. Gl. 2.

Sed in diœceſi, vnde cauſa profecta eſt, Archiepiſcopus eam iudicare poteſt, per ſe, vel per alium. Imò addendum eſt, quòd cauſæ mediocritas, & itineris longinquitas ſæpe non permittat, vt cauſæ appellationum in Metropolitana Curia audiantur, ideóque in diœceſi litigantium per delegatum expediri debeant, arg. l. cùm poſt, 26. C. de appellat.

2 NOTANDVM II. Cauſa appellationis ſecundùm ius canonicum delegari poteſt etiam à non principe, ſeu ſupremo Iudice. Ita hîc, & c. ſuper quæſtionum, 27. ver. Nos autem, de offic. delegati, & docent Imola, & Abb. in c. ex literis 4. paulò poſt princ. de in integrum reſtit.

CAPITVLVM VI.

Si Epiſcopus.

PARAPHRASIS.

Si Epiſcopus diœceſin non per ſe, ſed per alium viſitet, viſitatori ipſemet prouidere debet neceſſaria, videl. famulos, equos, ſalarium, iuxta c. inter cætera, 15. extrà, hoc tit. Viſitati autem ſolùm præbere coguntur neceſſaria ad victum, iuxta c. 1. & ſeqq. de cenſibus, in 6.

SVMMARIVM.

1. *Nomine victualium comprehenditur cibus & potus, non famuli, veſtes, &c. nomine autem alimentorum præter victum etiam alia ad ſuſtentationem neceſſaria comprehenduntur.*
2. *Epiſcopus non perſonaliter viſitans, à viſitatis per alium nil poteſt exigere.*

1 NOTANDVM Vn. Nomine victualium non comprehenduntur famuli, veſtes, equi, ſalaria: ſed cibus, & potus, iuxta l. Diarijs, 21. ff. de alimentis, vel cibarijs legatis: Quare & diarium appellari ſolet, quod in vnum diem alicui ad victum miniſtratur. Sed nomen alimentorum præter victum, etiam alia ad ſuſtentationem neceſſaria, vt veſtes, habitationem, &c. comprehendit, l. legatis, 6. ff. eod. & dixi lib. 5. tr. 10. p. 3. c. 5. n. 7. §. Tertium.

§. Idem.

2 EPiſcopus ob id, quòd perſonaliter non viſitat, à viſitatis per alium non poteſt quidquam exigere. Ratio eſt; Quia procurationes ſeu victualia debentur ratione viſitationis, iuxta c. cùm venerabilis, 21. & c. procurationes, 23. de cenſibus: Ergo ſi Epiſcopus perſonaliter non viſitet, nihil exigere poteſt: ſed ille accipiet, per quem Eccleſiæ viſitantur.

Simile quiddam eſt: Subditi in Germania, præſertim coloni originarij, domino ſuo aduentanti, aut prætereunti angarias ſeu vehiculares præſtationes debent, obſequij cauſa. Quòd ſi verò accidat, vt nunquam, aut rariſſimè ad aliquem locum accedat, non poteſt loco eiuſmodi angariarũ aliud quippiam exigere: Multò minùs ius angariarum vicino alicui domino vendi poteſt; partim quia hæ angariæ obſequij cauſa domino perſonaliter præſenti ex antiquiſſima conſuetudine debentur, non alteri: partim quia angariæ inter regalia numerantur, quæ vendi, ſeu alienari non poſſunt.

CAPITVLVM VII.

Cùm Epiſcopus.

PARAPHRASIS.

Epiſcopus tanquam Ordinarius Iudex, per ſe vel per alium in quouis loco diœceſis ſuæ non exempto, pro tribunali ſedens, cauſas ad forum eccleſiaſticum ſpectantes audire poteſt; atque perſonas eccleſiaſticas, cùm earum exceſſus ita merentur, capere, & incarcerare; atque reliqua, quæ ad eius officium ſpectant, liberè exercere.

Sum-

SVMMARIVM.

1. *Episcopus in diœcesi sua ordinariam generalem iurisdictionem obtinet; non item Archidiaconi, & inferiores Prælati.*
2. *Locus intra diœcesin exemptus æquiparatur loco extra diœcesin quoad exclusionem iurisdictionis Episcopi, non autem quoad alia.*
3. *Iudex Ecclesiasticus per suos ministros criminosum capere, & incarcerare potest, etiam laicum, non tantùm ob crimen hæresis, sed etiam ob alia, quæ vel merè ecclesiastica sunt, vel mixti fori, vt periurium, blasphemia, &c.*

1 NOTANDVM I. Episcopus in diœcesi sua ordinariam generalem iurisdictionem obtinet. Quod Gl. magna hîc not. 1. ait esse proprium Episcopi; adde tu, vel alterius Episcopalem iurisdictionem in territorio omnimodè exempto exercentis. Non ita verò Archidiaconi, & alij inferiores Prælati territorium iurisdictionis suæ habere censentur. Quod eò inseruire, admonet Glossa; Quòd si Clericus peregrinus in Archidiaconatu delinquat, Archidiaconus eum suâ auctoritate punire non possit, sed Episcopus, tanquam proprius & generalis loci Ordinarius.

2 NOTANDVM II. Locus intra diœcesin exemptus æquiparatur loco extra diœcesin; quod attinet ad excludèdam iurisdictionem Episcopi: Non autem quoad alia, secundùm Gl. in Clem. frequens, ver. primo anno, de excessib. Prælat. Habet autem Episcopus intentionem iurisdictionis sibi competentis ex communi iure fundatam erga loca, & personas intra diœcesin consistentes: vt si exemptio aliqua prætendatur, ea ostendi debeat, vti hîc notauit Gl. ver. habere, Petr. Ancharan. not. 1. & sumitur ex c. cùm personæ, 7. de priuil. in 6.

3 NOTANDVM III. Iudex Ecclesiasticus, videl. Episcopus, vel simili potestate præditus, per ministros suos criminosum capere, & incarcerare potest. Id verò indubitatum est, quoad personas ecclesiasticas; imò etiam laicos in crimine hæresis, iuxta c. vt commissi, 12. & c. vt inquisitionis, 18. de hæreticis, in 6. Sed dubium est de laicis, vtrùm ab Episcopo capi & incarcerari possint ob alia crimina, quæ vel merè ecclesiastica sunt, vt simonia, &c. vel mixta, seu vtriusque fori, vt periurium, blasphemia, sacrilegium, &c. Negant hîc Ioan. Andr. & Ancharanus, Felinus in c. cùm sit, n. 20. de foro compet. arg. huius c. Quia Pontifex ait, Episcopum ecclesiasticas personas capere posse propter delicta: Ergo idipsum negare videtur de laicis. Sed contrarium rectè docet hîc Dominic. Geminianus col. 2. Felinus, seu additio eius loco cit. Did. Couar. in pract. qq. c. 10. n. 2. Iulius Clarus in pract. crimin. q. 37. n. 8. testantes ita in Gallijs & Hispanijs obseruari, Cardinal. Tuschus ver. Episcopus, concl. 253. D. Martha de iurisdict. p. 1. c. 50. n. 8. Nam Episcopus in foro suo ecclesiastico exercet imperium merũ, ad quod pertinet ius facinorosos capiendi, incarcerandi, puniendi, vti constat ex c. 1. extrà, hoc tit. & docent DD. in l. imperium, 3. ff. de iurisdict. omn. iudicum, Mol. tr. 5. de iust. disp. 7. Atqui non tantùm Clerici, sed etiam laici in quorundam criminum causis foro ecclesiastico Episcopi subduntur, vti constat ex ijs, quæ dixi lib. 4. tr. 9. c. 2. Ergo, &c.

Ad argum. ex hoc textu desumptum, respondet Dominic. Argumentum à sensu contrario efficax non esse, si in oppositum habeantur iura expressa: sed quòd Episcopus ius habeat incarcerandi, & castigandi laicos propter crimina ecclesiastica, apertè sumitur ex c. contra idolorum, 10. iun. Gl. causa 26. q. 5. & alijs iuribus.

Responderi etiam potest; Ideo Bonifacium personarum ecclesiasticarum mentionem fecisse, quia in eas generatim & indifferenter iurisdictionem Episcopus exercet; non item in laicos, sed tantùm respectu certarum causarum, seu criminum, quæ hoc loco specificare ac distinguere Pontifici propositum non erat.

Confirmatur: Ideo contrariæ sententiæ Doctores negant Episcopo erga laicos ius capturæ, & carceris; quia ipse spirituali pœ-

na contentus esse debeat, & temporalem Iudici seculari relinquere, saltem si loquamur de criminibus mixti fori. Quæ doctrina si vera esset, neque pœnam seu mulctam pecuniariam Episcopus laico inferre posset, v. g. ob blasphemiam, clerici percussionem, aut immunitatis Ecclesiasticæ violationem: cùm tamen oppositum seruetur in praxi, & consentiant DD. communiter apud Tuschum ver. Episcopus, concl. 253. & alios allegatos suprà: & consentit Trident. sess. 25. c. 3. de reform. vbi tamen adiungitur, quòd mulctæ causis pijs applicari debeant.

CAPITVLVM VIII.

Quamuis.

PARAPHRASIS.

Canonici regulares, aut seculares, quibus per consuetudinem, aut priuilegium competit, cessationem à diuinis officijs indicere, non possunt id agere, nisi omnes, etiam absentes vocentur, sicuti mos est conuocandi ad electionem Prælati: Tum verò præmissa deliberatione, si cessandum esse iudicetur, Episcopo aut alteri Clerico, vel laico, ob cuius iniuriam cessatio indicenda est, insinuare debent, vt iniuriam, vel offensam emendet. Quod si fecerit, intermittenda erit cessatio. Sin recuset, & Capitulum ad cessationem procedendum esse arbitretur, vtraque pars, videlicet cessans, & contra quam cessatur, intra mensis spatium iter ad Sedem Apostolicam per se ipsos, vel per Procuratores arripere debent, acta & munimenta simul afferentes; &, quamprimùm fieri potest, coram Papa se præsentantes, vt negotio finis imponatur: Alioquin, si hæc non seruet pars cessans, non obstante cessationis seu organorum suspensionis edicto, diuina officia, vti priùs, celebranda erunt. Vide Gl. hîc ver. mittendo.

* * *

SVMMARIVM.

Canonici ex tribus causis cessationem à diuinis instituere possunt. 1. Propria auctoritate, si id eis consuetudo permittat. 2. Ex decreto Comitij prouincialis. 3. Ex mandato Episcopi, seu superioris Ordinarij.

ADuertendum cum Petr. Ancharano in fine huius c. Dominico in vers. Quæro, an forma. Quòd Canonici ex tribus causis cessationem instituere possint: Primò; Propria auctoritate, si id eis consuetudo permittat: tunc seruare debent formam in hoc c. traditam.

Secundò; Ex decreto Concilij prouincialis, tunc obedire tenêtur, absq; vlla mora, & antecedente discussione, vti colligitur ex Clem. 1. de sent. excomm.

Tertiò, Ex mandato Episcopi, seu Superioris Ordinarij: Id verò dupliciter fieri potest; Vel enim Superior cessationem fieri imperat, cùm negotium antè non discusserit, consequenter discussionem ipsis Canonicis relinquit, tum obseruare debent formam hìc traditam. Vel Superior cognitâ causâ cessationem à diuinis indicendam esse decreuit, solámque executionem mandat Capitulo; tum obseruari non debet forma hîc tradita. Sed nec ipsemet Superior eam obseruare tenetur; cùm Capitulo speciatim præscripta sit, ideóque tanquam exorbitans à iure communi, & ius speciale, ad alios casus aut personas extendenda non sit.

CAPITVLVM VLT.

Præsenti.

PARAPHRASIS.

Prælati, aliæque Ecclesiasticæ personæ vacantium dignitatum, personatuum, aut Ecclesiarum, ad suam collationem, præsentationem, vel custodiam pertinentium reditus occupare, vel in vsus proprios conuertere prohibentur; cùm ij ad vtilitatem earundem Ecclesiarum seu beneficium applicari, vel successori reseruari debeant.

beant. Alioquin Episcopi ab ingressu Ecclesiæ, alij verò ab officio & beneficio tamdiu suspensi manent, donec acceptum restituerint. Excipitur tamen, nisi Prælatis, aut alijs personis ex speciali priuilegio, aut legitimè præscripta consuetudine, aut alia rationabili causa ius cõpetat reditus beneficij vacâtis accipiendi: Id verò ita intelligi debet, vt ante omnia deducantur debita, necessariæ item expensæ, aliáque onera beneficio incumbentia.

SVMMARIVM.

1. *Mortuo Prælato, aut Beneficiato, fructus ab ipso collecti, & qui vacante Ecclesia, aut personatu percipiuntur, in eiusdem ecclesiæ, aut personatûs vtilitatem, vel futuro successori cedunt; aliud est de fructibus à beneficiato collectis.*
2. *Bona alicuius censeri debent, deductis debitis; annui autem prouentus, deductis expensis necessarijs, & præstandis oneribus.*

1 NOTANDVM I. Mortuo Prælato, aut beneficiato, fructus ab ipso collecti, & qui vacante Ecclesia, aut personatu percipiuntur, ad eiusdem Ecclesiæ, aut personatûs vtilitatem conuerti, vel futuro successori reseruari debent. Sed quod attinet ad fructus à beneficiato collectos distinguendum est, cum Petr. Ancharano hîc: Vel beneficiatus habuit tantùm administrationem redituum, qualem habere solent Episcopi, & aliarum Ecclesiarum collegiatarum Prælati, tum indistinctè seruari solet, quod in hoc c. dicitur. Vel beneficiatus habuit dominium redituum, sicuti Parochi, Canonici, & similes beneficiati habent: tum variæ sunt ecclesiarum cõsuetudines. Quibusdam enim locis liberè testantur de Ecclesiasticis reditibus, quos collegerunt; imò ijs ab intestato morientibus proximi consanguinei succedunt. Qua de re dixi in lib. 4. Theol. moral. tr. 2. c. 3. q. 1. Aljs locis Episcopus huiusmodi reditus accipit: quod per consuetudinem licitũ esse potest, vt ex hoc c. constat.

2 NOTANDVM II. Bona alicuius censeri debent, deductis debitis; & prouentus annui æstimantur, deductis necessarijs expensis, & præstandis oneribus, l. fructus, 7. ff. soluto matrimonio.

TITVLVS XXXII.

DE OFFICIO IVDICIS.

POstquam de Iudicibus tum delegatis, tum ordinarijs dictum est, subijcit Compilator tit. de Iudicibus in communi, imitatus nimirum ordinem ff. veteris, in quo post specialium Magistratuum ac delegatorum Iudicum officia, agitur in communi de omnium Iudicum iurisdictione, lib. 2. tit. 1.

CAPITVLVM I.

Ex literis.

PARAPHRASIS.

Controuersia orta erat inter Abbatem ac Conuentum Fossæ nouæ, & Abbatem ac Conuentum Monasterij Canensis, su-

per quibusdam possessionibus Monasterij S. Petri, quod erat subiectum Monasterio Fossænouæ. Sed quia pars ista Aduocatum habere non poterat, officium Archiepiscopi implorauit: Is Magistrum Romanum Clericum suum constituit ad patrocinium in causa illa præstandum. Sed Stephanus Canensis Monachus se opposuit excipiendo, quòd is esset domesticus Iudicis delegati, vid. Archiepiscopi. Hæc oppositio cùm ad Sedem Apostolicam perlata esset, respondet Honorius III. ea nihil obstante in negotio procedendum esse.

Svmmarivm.

1. *Monasterium agere potest pro iuribus ac possessionibus Monasterij sibi subiecti.*
2. *Ad officium Iudicis pertinet, vt prouideat Aduocatum Parti, quæ habere eum non potest. Et si pauper sit, etiam gratis ille patrocinari debebit.*
3. *Prouidendum ab eodem, vt æqualitas sit inter Aduocatos; ne pro vna parte perituissimi, ex altera rudes & minùs versati constituantur.*
4. *Religiosus in causa sui Monasterij, iubente Prælato, potest esse Aduocatus, vel Procurator.*
5. *Subditus, vel familiaris Iudicis potest esse Aduocatus partis litigantis, nec recusari debet.*
6. *Testis produci potest ex domo Iudicis ad instantiam partis. Is tamen tantam fidem non meretur, si Iudex ex officio procedat.*

1 Notandvm I. Monasterium agere potest pro iuribus ac possessionibus Monasterij sibi subiecti: quemadmodum Episcopus agere potest pro iuribus Ecclesiæ sibi subiectæ, vti colligitur ex c. sancimus, 21. iun. Gl. ver. Episcopos, C. de sacros. Ecclesijs c. vlt. de success. ab intestato, iun. Gl. magna, & tradit hîc Abb. n. 1. Adeò, vt si Ecclesiæ parochiali v. g. quippiam iniustè ademptum sit, cùm Parochus seu Rector, tum etiam Episcopus actionem instituere possit. Vide quæ dicam in tit. 1. de iudicijs.

2 Notandvm II. Si pars litigans Aduocatum idoneum habere non possit, ob paupertatem, iudicij imbecillitatem, Aduersarij potentiam, aliámue causam, Iudex (siue is ordinarius sit, siue delegatus) ex officio illi prouidere debet, l. 1. §. ait Prætor, ff. de postulando, l. nec quicquam, 9. §. Aduocatos, ff. de offic. Proconsulis, l. prouidendum, 7. C. de postulando. Et hoc casu Aduocatus compelli potest ad causam suscipiendam; alioquin, nisi iustam excusationem adferat, munere aduocandi priuandus, cit. l. prouidendum. Non tamen gratis officium suum præstare tenetur, sed cõstituto salario, quod clientulus hodie dare solet, cùm olim ex publico Aduocatis salaria statuta essent, vti Gl. monet in cit. l. Vide l. 1. §. Honorarijs, ff. de varijs, & extraord. cognitionibus, ex c. vlt. 14. q. 5.

Sed quid, si clientulus pauper sit, qui salarium dare non possit, aut ægerrimè possit, debétne gratis patrocinari Aduocatus, & ad hoc à Iudice compelli? Ita affirmandum cum Gl. hîc ver. implorando, Hostiensi, & Abbate hîc n. 5. Imola n. 6. Syl. ver. Aduocatus, q. 16. Idémque de Medico dicendum esse monet Imola, n. 7. si inops, qui curatione indiget. Idque manifestum est ex charitatis, ac misericordiæ lege.

3 His adde, quod in cit. l. prouidendum præcipitur Iudici, vt attendat, ne pro vna parte peritissimi Aduocati sint, ex altera rudes ac minùs versati: Sed *in iudicantis officio sit, vt par causidicorum distributio fiat, & exæquetur partibus auxilium.* Ad id verò Iudices parum attendere solent; quamuis deberent, si inæqualitas nimia sit, præsertim ob vnius partis potentiam.

4 Notandvm III. Religiosus in causa sui Monasterij, iubente Prælato, potest esse Aduocatus, vel Procurator, vti etiam dixi lib. 3. Th. mor. tr. 4. c. 26. n. 12.

5 Notandvm IV. Subditus, vel familiaris Iudicis potest esse Aduocatus partis litigantis; neque ob eam causam recusari debet.

Si

Si obijcias: Iudex vt suspectus recusari potest, si sit dominus partis litigantis, c. causam, 17. c. insinuante, 25. de offic. delegati: Ergo recusari etiam potest, si sit dominus Aduocati. Respondetur neg. conseq. Nam causa magis pertinet ad partem litigantem, quàm ad Aduocatum: quare maius periculum est subuertẽdi iustitiam Iudicis, si pars litigans sit familiaris Iudici, quàm si Aduocatus sit. Fatentur enim Hostiensis, & Abb. hîc n. 6. Imola n. 9. Si Aduocatus versutus perpetuò assisteret Iudici non satis cordato, sed deceptioni atque affectioni obnoxio, iustam esse posse causam recusandi Iudicem.

Sed potéstne testis produci ex domo Iudicis? Respondet Abb. hîc n. 6. Vel Iudex procedit sua sponte, seu ex officio, tunc testis ab ipso productus ex familia sua, non tantam fidem meretur, vt alius quispiam: Vel Iudex procedit ad instantiam partis, tum nihil refert, ex illius domo seu familia testes produci.

CAPITVLVM II.

Iudicis.

Paraphrasis.

Cùm Iudicis officium, loco actionis imploratur, vt cùm restitutio in integrũ principaliter imploratur, tum litis contestatione opus est: Sin autem incidenter tantùm ante, vel post ingressum causæ, Iudicis officium imploretur, tum litis contestatio non requiritur.

Svmmarivm.

1. *Duplex est Iudicis officium; mercenariũ, & nobile: & hoc iterum duplex; interdum enim Iudex motu proprio, & ex mero officio procedit, interdum autem à parte, v. g. læsa, eius officium imploratur.*
2. *Discrimen inter actionem, & imploratorium officii.*
3. *Cùm imploratur Iudicis officium nobile, principaliter contra certam personam, & cum causæ cognitione, fit litis contestatio; secùs contingit in mercenario.*

PRo intellectu aduerte, quòd duplex sit Iudicis officium. Vnum actioni deseruiens, quod mercenarium dicitur; quia illud impartiri Iudex non potest, nisi præcedente actione, per quã petitur, quod sibi ab altero debetur, vti explicaui lib. 1. Th. mor. tr. 4. c. 5. n. 7. Aliud verò est Iudicis officium per se stans, & actioni non alligatum, quòd & nobile appellatur. Id verò duplex est: Nam interdum Iudex à partibus non adactus, nec rogatus, motu proprio, & ex mero officio suo procedit, v. g ad inquirẽdum, & crimina punienda. Interdum verò procedit, quia à parte, v. g. læsa, eius officium imploratur: Et hoc casu imploratum officium instar actionis est. 1 2 Differunt verò actio, & imploratio officij: Nam actio supponit ius ex parte agentis, & debitum seu obligationem ex parte eius, contra quem actio tendit, Instit. de actionib. in princ. At verò qui Iudicis officium implorat, ius propriè nullum prætendit, sed æquitatem, propter quam Iudex succurrere potest, & quandoque debet. Quamobrem hæc officij imploratio extraordinarium remedium censetur, aliàs non instituendum, nisi cùm ordinarium actionis remedium deficit, arg. l. in causæ, 16. ff. de minoribus, & dixi lib. 1. Th. mor. tr. 4. c. 11. princ. Videri potest Bartol. in l. 1. n. 10. ff. de iurisdict. omnium Iudicum, Durand. in speculo, tit. de officio omnium Iudicum, §. 2. Imola hîc col. 1. Abbas n. 2.

His intellectis, duæ ex textu nostro doctrinę notandæ sunt. Prima. Si officium Iudicis principaliter imploratur contra certam personam, & necessaria sit cognitio causæ, tum post exhibitum libellum, fieri debet litis contestatio. 3 Aduerte, quod dico, si contra certam personam, à qua aliquid petitur: Alioquin enim, si Minor natu, v. g. petat se restitui, quia læsus est ex hæreditate adita, à qua abstinere mauult, opus non est litis cõtesta-

testatione, vti colligitur ex Auth. si omnes, C. si minor ab hæreditate abstineat, & docet Gl. hîc ver. pro actione. Deinde dico; Si necessaria sit cognitio: Nam in causa notoria, vt si filius à patre alimenta petat, non est necessaria litis contestatio: sed de plano procedendum est, iuxta l. nec quicquam, 9. §. de plano, ff. de offic. Proconſ.

Altera. Si officium Iudicis, ante, vel post litis ingressum, seu contestationem, incidenter imploratur, necesse non est, vt ideo litis contestatio instituatur. Exemplum prioris: Si quis ante litis contestationem petat Aduocatum sibi à Iudice dari; vel ex parte aduersa amoueri, iuxta ea quæ dixi c. præced. Exemplum posterioris: Si quis post litis contestationem, aut etiam post sententiam latam pars alleget errorem facti, per quem necessariam probationem intermisit, ad quam proponendam rogat se admitti Iudicis officio, iuxta c. 3. de in integr. restitut. Videri potest Durandus in cit. §. 2. Abb. hîc n. 5. & 19.

TITVLVS XXXIII.

DE MAIORITATE ET OBEDIENTIA.

POsteaquam de Ecclesiasticorum Ministrorum ordinatione, officijs, ac potestate dictum est, subiungitur hic tit. ad ostendendum, inter illos non esse honoris ac potestatis æqualitatem, sed subordinationem; vt alij maiores ac digniores sint, alij minores, ac subiecti. Quemadmodum enim in cælesti hierarchia inter Angelos, & Archangelos, & superiores potestates ac virtutes, quidam ordines, & gradus reperiuntur, ita similiter, in hierarchia, siue bene à Christo fundata & ordinata Ecclesia, vti habetur in c. vlt. d. 89.

CAPITVLVM I

Cùm certum.

HOnoris prærogatiuâ alios antecedit, qui priùs canonicam in Ecclesia ordinationem accepit. Hæc honoris prærogatiua, quæ Ministris Ecclesiæ antiquioribus (non ætate, sed secundùm tempus ordinationis, institutionisue debetur) consistit in prioritate sessionis, processionis, subscriptionis, responsionis conuentualis &c. Ita enim meritò obseruari solet, vt inter Parochos, aliósque Sacerdotes, Canonicos, ac Religiosos Professos, si cæteroquin pares sint in ordine ac gradu, reliquos antecedant, qui priùs instituti, aut Ordinem professi sunt. Idem quoque inter seculares Congregationes obseruatur, v. g. Consiliarij, Assessores in curijs Principum; Professores, & Magistri in Academijs, prout quisque eorum ante, vel post alios institutus, vel creatus est, locum inter eos sibi vendicet: Siquidem hoc cõducit ad multas lites euitandas. Quòd si verò contingat, eodem tempore institutos esse, qui ceteroquin etiam antè gestis officijs pares sint, tum ætati meritò deferendũ erit. Qua ratione inter nobiles & illustres eiusdem gradûs personas quibusdam regionibus receptum, vt in conuentibus ac congressibus maiores natu antecedant.

Ratio horum reddi debet: Quia honor maior in republica ijs debetur, qui & plus meriti, & sapientiores peritioréſque sunt. Sed

Sed qui diutius in Ecclesiæ, alterius ue Reip. obsequijs extiterunt, horum & merita maiora sunt; & maior sapientia, ac peritia. Hæc enim per experientiam acquiritur: Experientia autem per vsum diuturnum comparatur. Atque adeò quidem quod antiquius, idem & venerabilius esse censetur, vt hæc etiam pro Synonimis linguâ Romanâ habeantur, vti constat ex l. postliminium, §. filius, ff. de captiuis, & postlim. reuersis, atque annotauit Andr. Tiraquell. de iure primigeniorum, in præfat. n. 86.

Corollarium. Ex doctrina huius c. infert Innocent. hîc. Abb. n. 4. Quòd in Conuentibus, in quibus v. g. vacante dignitate nemo est, qui Capitulo præsit, senior Capitulares conuocare soleat; (non item punire non accedentes, cùm iurisdictione præditus non sit) item congregato Capitulo, propositionem facere; præsentium sententiam exquirere; & in electione Prælati suffragium ante alios dare, denique electionis decretum promulgare. Qua tamen in re cuiusque Ecclesiæ consuetudo attendenda est: cùm in iure nihil specificè statutum sit. Videri etiam potest Felinus hîc.

CAPITVLVM II.

Si quis.

QVi Episcopi mandato repugnauerit, excommunicari debet.

Intelligitur hoc, si diœcesanus (præsertim Clericus) contumaciter se opponat Episcopi præcepto, atque in re, quæ vel secundùm se, vel propter circumstantias, ipsásque repetitas monitiones grauis appareat, tantæque obligationis capax, vti explicaui lib. 1. Theol. moral. tr. 4. c. 14. n. 2. & 3. Et quod hîc dicitur de Episcopo, secundùm proportionem intelligi etiam debet de alijs Ecclesiasticis Superioribus, seu Prælatis.

* * * *
* *

CAPITVLVM III.

Legebatur.

PARAPHRASIS.

Veluti iniuriam infert Episcopus Clerico sibi subiecto, si ab eo sponsionem obedientię in scripto exigat (vel iuramentum) cùm sufficiat verbalis, seu manualis promissio. Ita communiter hunc textum intelligunt Canonistæ.

SVMMARIVM.

1. *Iniuria infertur obligato, si cautiones superfluæ ab ipso exigantur.*
2. *Clerici nullam administrationem habentes ad iuramentum obedientiæ Episcopo præstandum non tenentur, nisi inobedientes & rebelles sint, vel excommunicati.*

NOTANDVM I. Quasi iniuria inferri censetur obligato, si cautiones superfluæ ab ipso exigantur. Vt si debitor, qui fide dignus est, & ad soluendum idoneus, pro leui debito, supra simplicem promissionem, ad cautionem iuratoriam, vel fideiussoriam adigatur: Multò magis iniuria infertur debitori, si, cùm fideiussores vel pignora exhibere paratus sit, in carcerem propter debita ciuilia conijciatur, vti hîc Abb. notat n. 1. Felinus in princ. Etenim Iudicem quoque, & Magistratum iniuriam facere posse, & contra eum iniuriarum actione agi, constat ex l. Nec Magistratibus, 32. ff. de iniurijs. 1

NOTANDVM. II. Non est consuetum, vt simplices clerici, ac beneficiati, seu qui administrationem nullam habent, ad iuramentum obedientiæ Episcopo præstandum compellantur, c. nullus, 5. de iureiur. Præterquàm si inobedientes ac rebelles reperti sint, vel excommunicati, vti Abb. hîc monet, n. 3. & in cit. c. nullus, n. 2. Porrò, num Parochi seu Curati, cùm inuestiuntur, Episcopo iurare debeát, id pendet ex cuius- 2

que Ecclesiæ consuetudine, secundùm eundem Abb. in. Gl. 1

CAPITVLVM IV.

Omnes.

PRincipes ipsi, sicuti & alij omnes, Episcopo suo obedire debent.

NOTANDVM Vn. Rex seu Princeps, sicuti & reliquus populus Christianus, Episcopo tanquam Ordinario suo, in spiritualibus subiectus est; nisi quòd in quibusdam speciali priuilegio, aut immemoriali consuetudine Principes personæ eximantur, v. g. quod cuilibet sacerdoti approbato de peccatis confiteri possint.

Porrò, si Princeps in prouincia, aut regno suo plures Episcopos habeat, eius loci, seu ciuitatis Episcopus, in qua Princeps principalem sedem tenet, erit quoque ipsius Ordinarius, vt v. g. matrimonium contrahenti assistere possit; non item alterius ciuitatis Episcopus, in qua Princeps ordinariè non habitat, sicuti bene hic Gl. monet, ver. omnes Principes.

Adde pro doctrina huius c. S. Ignatium Martyrem in epist. ad Philadelphienses: *Clerus, vnà cum populo vniuerso, militibus, Principibus, atque Cæsare, ipsi Episcopo pareant.* S. Nazianzen. orat. 17. ad ciues: *Vos quoque* (Principes ac Præfecti) *lex Christi imperio meo, ac throno subiecit: Imperium enim nos quoque gerimus: addo etiam præstantius, ac perfectius: nisi verò æquum est, spiritum carni fasces submittere, & cælestia terrenis cedere.* Vide plura in hanc sententiam lib. 4. Theol. moral. c. 9. n. 1.

CAPITVLVM V.

Illud.

EPiscopus Hildesheimensis relictâ suâ Ecclesiâ, propria auctoritate transtulit se ad Ecclesiam Herbipolensem, vt suprà legimus in c. 3. & 4. de translat. Episcopi: In excusationem attulit, quòd ea translatio cederet in commodum temporale eiusdem Ecclesiæ Herbipolensis. Sed id reijcit Papa Innocent. III. Quia propter commodum temporale, non est abijciendum obedientiæ bonum; cùm id præstantius sit, quippe spirituale, quod temporali præferendum est.

NOTANDVM Vn. Non est sufficiens causa legem violandi, quòd inde bonum aliquod euenturum sit. Quia non sunt facienda mala, vt eueniant bona, vti dixi lib. 1. Theol. moral. tr. 2. c. 9. n. 7.

CAPITVLVM VI.

Solitæ.

PARAPHRASIS.

Innocentius III. Imperatorem Constantinopolitanum perliteras reprehenderat, quòd Patriarcham Constantinopolitanum in scabello iuxta pedes suos ad lævâ partem considere faciat. Id ægrè accipiens Imperator, rescripsit; Imperatoriam potestatem præferendam esse Sacerdotio; huius suæ opinionis non veram causam seu argumentum, sed occasionem accipiens ex dicto S. Petri epist. 1. c. 2. *Subiecti igitur estote omni creaturæ propter Deum sive Regi tanquam præcellenti.* Ad hoc respondetur; Apostolum loqui ad subditos, vt omnibus Superioribus, seu potestatem supra se habentibus obediant; ne videl. aliquis existimet, Christianos per susceptam Christi legem ab humanis potestatibus exemptos, aciberos esse. Neque enimuerò Imperatori, aut Regi denegatur imperium, ac potestas; sed in temporalibus duntaxat; atque in illos Christianos, qui ab ipso suscipiunt temporalia. At verò Pontifex in spiritualibus excellit; quippe quæ temporalibus digniora sunt, sicuti anima corpori præfertur. Potest etiam prærogatiua Sacerdotij ex eo intelligi, quod Ierem. cap. 1, non Regi, vel ex regia

gia stirpe oriundo, sed ex Sacerdotali prosapia descendenti dictum legimus: *Ecce constitui te hodie super gentes, & super regna &c.* Ex quibus apparet, quòd Pontifex, quamuis potiùs monuerit Imperatorem, tamen iustè etiam increpare potuisset; cùm Imperator se non possit à iurisdictione Pontificis, B. Petri successoris, eximere, si Ecclesiæ filius esse velit: quandoquidem B. Apostolo oues generatim, & sine differentia commissæ sunt, dicente Domino: *Pasce oues meas*, Ioann. 21. Sicut & generatim dictum est Petro, & successoribus Matth. 18. *Quidquid ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis.*

Svmmarivm.

1. *Potestas ecclesiastica maior & dignior est seculari potestate, vt anima corpore.*
2. *Principes ac Domini seculares reuerentiam debent Sacerdotibus, maximè Prælatis, decet etiam, vt in Conuentibus Episcopi dexteram, Duces seculares sinistram occupent.*
3. *Personæ ecclesiasticæ subsunt Imperatori ratione feudalium bonorum, quæ in Imperio obtinent.*

1 Notandvm I. Potestas Ecclesiastica maior ac dignior est seculari potestate, sicuti anima dignior est, quàm corpus: & temporalia omnia subsunt, ac subordinata sunt spiritualibus, atque æternis: Sic ergo Respubl. & Magistratus secularis subordinatus esse debet Reipubl. & Magistratui Ecclesiastico, eiúsque imperium accipere in ordine ad finem supernaturalem, sicuti explicaui lib. 1. Theol. moral. tr. 4. c. 6. princ.

2 Notandvm II. Principes, ac Domini seculares reuerentiam debent Sacerdotibus, ijs maximè, qui in Ecclesia potestatem exercent, vt Episcopi, & similes Prælati. Idque obseruari decet, vt Episcopi in conuentibus ad dexteram collocentur, Duces seculares verò ad sinistram, vti hic notauit Ioann. Andr. n. 18. Abb. n. 7.

3 Notandvm III. Personæ ecclesiasticæ subsunt Imperatori ratione feudalium bonorum ac iurium, si quæ in Imperio obtinent. Qua de re in c. verum, 7. de foro compet. & dixi lib. 4. Theol. moral. tr. 9. c. 5. n. 2.

CAPITVLVM VII.

Per tuas.

Qvæsitum fuit ex Innoc. III. Vtrùm clericus, qui ordinem Subdiaconatus à Pontifice accepit, idcircò ab obedientia Episcopi exemptus sit. Respondit Papa, tametsi decens sit, vt tales, si cætera paria sint, plus inter alios clericos honorentur, quos Summus Pontifex ordinatione sua dignos iudicauit, tamen per eam ab obedientia, & subiectione, quam alioquin Episcopo debet, haud liberari.

Contra responsionem Innocent. obijci potest: Quòd baptizatus, vel ordinatus à Ministro digniore, non plus accipiat, quàm baptizatus, aut ordinatus à Ministro vili; cùm omnes conferant Sacramentum in virtute Christi, tanquam principalis baptizantis, ordinantis, iuxta doctrinam S. Augustini relatum in c. cùm tantùm, 45. d. 4. de consecr. Ergo non rectè dicitur, Subdiaconum magis honorandum esse, quòd à Summo Pontifice ordinatus fuerit. Respond. Hoc non ideo dici, quòd ampliùs quid per sacramentalem ordinationem, à Papa collatam, acceperit; sed quia Pontifex eum dignum sua ordinatione iudicauit, testimonio huic meritò deferendum esse, vt tales præ alijs honorentur, ac promoueantur.

Quærunt hîc Canonistæ, Vtrùm Episcopus ordinatum à Papa ob crimen in perpetuum ab ordine susceptо suspendere, aut deponere possit. Negat Gloss. ver Subdiaconatus, Innocent. ibid. & alij apud Ioann. Andr. n. 5. Fundamentum esse potest: Quia tales non possunt ab Episcopo ad vlteriorem ordinem promoueri, c. cùm in distri-

buendis, 12. de tempor. ordinat. Ergo neque ab ordine deponi. Sed contrarium placet, quod tradit Abb. hic n. 2. Felinus col. 1. Cùm enim Episcopus in clericos à Papa ordinatos iurisdictionem retineat, sequitur quòd eos ob crimen punire, &, exigente causa, suspendere, ac deponere possit; cùm id nullibi interdictum reperiatur. Quemadmodum & clericum à Papa prouisum, & institutum, Episcopus ob commissum crimen suspendere, vel beneficio priuare potest. Ad argum. respondetur, neg. conseq. Quòd enim ordinatum à Pontifice Episcopus proprius ad altiorem ordinem promouere non possit, id priuilegium quoddam est cedens in præiudicium potestatis ordinariæ: Ergo extendi non debet ad alium non expressum; præsertim cùm ordinatus, priuilegio suo abutens, hanc extensionem fauorabilem non mereatur, argum. c. priuilegium, 63. causa, 11. q. 3.

CAPITVLVM VIII.

Inter quatuor.

PARAPHRASIS.

Constantinopolitana Ecclesia in schisma, ac rebellionem inciderat: quamobrem Catholicæ, quæ antè subiectæ erant Ecclesiæ, se ab illa separarunt, obedientiam & subiectionem denegantes. Sed postea quam à Venetis Constantinopolis recepta, & Catholicus Patriarcha institutus fuit, is petijt ab Innocent. III. vt Ecclesiæ, atque Episcopi, qui tempore schismatis pro liberis habebantur, nunc mutato rerum statu ad pristinam subiectionem obligati declarentur. Ad hoc respondit Papa; In absentia illorum Episcoporum, qui nec citati, nec conuicti sunt, nihil se in eorundem præiudicium statuere posse: Quòd si verò Patriarcha iudicialiter contra illos agere velit, iustitiam se ipsi non negaturum.

SVMMARIVM.

1. *Ecclesia in hæresin aut schisma lapsa, ecclesiasticis iuribus ac priuilegijs priuatur.*
2. *Ad conseruationem tamen iurium Ecclesiæ sufficit ex Conuentu vnum contradicere.*
3. *Ecclesia vbi ad fidem Catholicam rediit, potest restitutionem petere amissorum iurium: quæ si vacantia sunt, ijs so iure ea recuperabit; si autem ab aliis possidentur, per iudicis sententiam Ecclesia restituenda est.*
4. *Si translatio iurium per Principis, v. g. Papæ auctoritatem in alium absolutè facta est, Ecclesia priuata restitui non debet.*

NOTANDVM 1. Si Ecclesia aliqua in hæresin, aut schisma labatur, iuribus ac priuilegijs Ecclesiasticis priuatur, ita vt alias inferiores in spiritualibus antea subiectæ Ecclesiæ, ac populi Christiani immunes ab illa efficiantur, saltem post sententiam declaratoriam hæresis, aut schismatis incursi. Ita de hæresi colligitur ex c. vt commissi, 12. §. priuandi, de hæret. in 6. De Schismate verò ex c. Nouatianus, 6. causa 7. q. 1. c. didicimus, 31. causa 24. q. 1. S. Th. 2. 2. q. 39. a. 3. Ratio est manifesta: Cùm enim hæretici, & Schismatici extra Ecclesiam sint, non decet eos Ecclesiæ iuribus ac priuilegijs gaudere.

Sed vt hæc res pleniùs declaretur, ita distingue: Vel solus Prælatus, v. g. Episcopus, in hæresin, aut schisma lapsus est; tum ipso excommunicato, & priuato, Ecclesia iura sua retinet: quandoquidem *delictum personæ non debet in Ecclesiæ detrimentum redundare*, reg. 76. in 6. Et cùm Prælatus iura Ecclesiæ absque consensu Capituli per pactum alienare ac perdere non possit, multò minùs poterit per proprium delictum, vti tradunt Anton. de Butrio, & Felinus hic n. 10. Idémque dicendum, si Capitulares defecerint, sed Prælatus Catholicus maneat, quòd iura Ecclesiæ suæ retinere possit. Vel vnà cum Prælato, v. g. Episcopo, etiam Capitulum & cle-

rus.

rus ab vnitate Ecclesiæ deficit: Hoc casu amitti iura ac priuilegia, etiam secundùm proprietatem, docet hic Imola, cit. n. 10. Felinus n. 3. ver. secundus casus. Quia delictum Prælati, si Conuentus consentiat, Ecclesiæ obesse potest, arg. c. 2. iun. Gl. ver. ipsius dolum, de ordine cognit. & l. iubemus, 10. vbi Bartol. n. 4. de sacrosanctis Ecclesiis, & consentit Gl. in cit. reg. 76. Sed contrarium asserunt Ioan. Andr. hic n. 4. Abb. n. 5. Tametsi Episcopus vnà cum clero, & populo vniuersus in hæresin aut schisma labatur, iura & priuilegia manere penes ecclesiam; sicuti si omnes peste aut ruinà extincti sint, priuilegia loco adhærebunt. Nihilominus prior sententia mihi magis placet; cùm id in quibuscunque vniuersitatibus receptum sit, quòd totum corpus delinquèdo iura perdere possit.

2 Limita primò cum addit. Alex. ad Bartolum in cit. l. iubemus; Quòd sufficiat vnum ex Conuentu contradicere; tunc enim alijs priuatis, iura Ecclesiæ penes ipsum remanebunt. Et bene hoc aduertendum est; Tametsi gesta à maiore parte Capituli valeant ad vtilitatem Ecclesiæ, alijs contradicentibus; tamen vnius contradictio impedire potest, quò minùs valeant gesta ad delictum, & damnum ecclesiæ imputandum.

3 Limita secundò: Quòd Ecclesia, cùm ad fidei Catholicæ vnitatem reuersa est, restitutionem amissorum iurium petere possit. Qua in re iterum distinguere oportet: Vel enim iura amissa ab alijs possidentur, vel vacant. Si vacantia sunt, tum ipso iure illa recuperabit Ecclesia, veluti postliminij iure, vti tradit hic Imola n. 10. Felinus n. 4. arg. c. quia, 5. de elect. Sin iura ab alio possessa, v. g. ius conferendi ecclesias & beneficia, ius præsentandi, immunitas à decimis, à subiectione: tunc per Iudicis sententiam ecclesia restituenda est, vti ex hoc c. colligitur. Indicat enim Innoc. iustam esse petitionem Patriarchæ, vt Ecclesia Constantinopolitana ad pristina iura restituatur; sed hanc restitutionem fieri non posse, nisi citata & audita parte, cuius id interest. Ita Innoc. hic notat. & Abb. not. 1.

4 Sed quid? si per Principis, videl. Papæ auctoritatem, iurium translatio in aliam ecclesiam interim facta sit, fierine debet restitutio ecclesiæ priuatæ, posteaquam ad fidei vnitatem reuersa est? Negatiuè respondendum est; Si translatio in aliam absolutè facta fuit; & non tantùm sub conditione dependente ab ecclesiæ rebellione. Sic docent Imola hic, & Felinus, post Bartol. in l. Gallus, 29. §. Et quid si tantum, n. 11. ff. de liber. & posthumis, vbi ait; Quòd *in integrum restitutio facta à Principe non aufert ius alterius: Et sic debet limitari l. 1. & seqq. C. de sententiam passis, qua dicunt, quòd restitutus recuperet bona; Intelligitur enim de bonis, quæ in alium translata non sunt.* Eodem modo, inquit Abb. hic n. 2. Si ciuitate in perduellionem lapsa, Princeps in criminis pœnam, pagos vel castra ab illius iurisdictione liberarit, restituta postea ciuitate, ius immunitatis, si absolutè concessum fuit, retractari non debet: quandoquidem restitutio fieri debet sine præiudicio aliorum, quibus interim ius quæsitum est, arg. l. 2. ff. de decurionibus, ex qua Bartolus ibid. responsum fuisse inquit; quòd Doctor ex Collegio absolutè ac in perpetuum exclusus, si postea restituatur, non pristinum locum obtinere debeat; sed post alios, quibus ius post ipsius priuationem acquisitum erat.

CAPITVLVM IX.

Quod super.

PARAPHRASIS.

Abbates, & Sacerdotes, lege diœcesana subiecti Episcopo, si ad Synodum vocati, venire contemnant, per censuram ecclesiasticam compelli possunt, dummodò Episcopus non ideo Synodum congregare intendat, vt aliquid sacris canonibus contrarium statuat.

SVMMARIVM.

1. *Abbates & Sacerdotes diœcesani ad Synodum Episcopalem venire debent.*

2. *Episcopus nil contra sacros Canones statuere potest.*
3. *Subditus non tenetur se sistere Superiori, si in citatione exprimatur causa iniusta; vel si notorium sit, eum ad opus illicitum vocari.*

VTrùm Abbates Episcopo subiecti ad Synodum, perinde vt alij Sacerdotes, præsertim curati, accedere debeant, olim dubitatum erat. Negat enim Gratianus in causa 18. q. vlt. c. vlt. Gl. hîc ver. diœcesana, arg. c. Episcopus, 11. d. 18. Innoc. & Felinus in hoc c. Henricus Bottæus de Synodo Episc. p. 2.
1 n. 4. Sed contrarium, quòd videl. Abbates venire debeant ad Synodum, apertè dicitur in hoc c. & in c. penult. & vlt. eâd. d. c. Abbates, 16. causa 18. q. 2. c. ex ore 17. de priuil. & docuit Hugo apud Abb. hîc in Gl. 1. Innoc. in c. graue, n. 1. de præb. Syl. ver. concilium, q. 6. Zerola in praxi, p. 1. ver. Concilium, ad 3. Et ita consuetudine in his regionibus obseruatur, quæ planè conformis est Constit. Trident. sess. 24. c. 2. de reform. vbi etiam hoc adiunctum est; *Quòd exemptiomnes, qui aliàs, cessante exemptione, Synodo diœcesanæ interesse deberent, neq; Capitulis generalibus subduntur, accedere teneantur:* Si tamen & hi, vel quicunq; alij secularium Ecclesiarum etiam incorporatarum curam gerant, Synodo interesse coguntur. Ex quo loco manifestè apparet, quòd Concil. Trident. tanquam indubitatum supponat, Abbates non exemptos ad Synodum obligari: Sicuti & Clemens IV. supponere videtur in c. vt Apostolicæ, 6. de priuil. in 6. vbi statuit, vt Abbates non exempti in Synodis vtantur mitris simplicibus, albis, ac planis; Exempti autem, qui interesse tenentur, mitris auratis, sed sine gemmis, ac laminis aureis, vel argenteis.

De secularibus quoque Sacerdotibus, ac beneficiatis, qui curati non sunt, vtrùm ad Synodum venire teneantur, dubitari solet, vti videre hîc est apud Abb. not. 1. Henricum Bottæum de Synodo Episc. p. 2. n. 17. & 18. Sed respondetur, Quòd ad Synodum Episcopalem, institutam ad cleri totius reformationem, vel statuta generalia edenda, omnes Sacerdotes, & clerici venire teneantur, si vocentur, vti habetur expressè in c. vlt. d. 18. & tradit Innoc. in c. graue, n. 1. de præb. Non tamen debent vocari v. g. Canonici omnes; sed aliqui, qui nomine omnium veniant: ne alioquin Ecclesiæ debito seruitio, & cultu diuino priuentur, vti notauit Barbosa de potest. Episc. p. 3. alleg. 93. n. 11. Quamobrem in his regionibus, vbi amplæ diœceses sunt, neque omnes Curati aduocantur, sed tantùm præcipui. Videri potest Paulus Piasecius in praxi p. 2. c. 2. a. 1. Henricus Bottæus de Synodo p. 2. n. 18. & seqq.

Porrò ex hoc c. duo notanda existunt: 2
I. Episcopus nihil contra sacros Canones statuere potest, vti etiam indicatur in c. institutionis, 7. causa 25. q 2. Quamuis Ducibus secularibus contra Cæsareas leges quandoque statuere concessum sit, vti dixi lib. 1. tr. 4. c. 7. §. 2. vers. ex his, & tradit Abb. hîc, n. 1.

NOTANDVM II. Subditus non tenetur 3
se sistere Superiori, si in citatione exprimatur causa iniusta, vel si notorium sit, eum ad opus illicitum accersiri. Ita notat hîc Abb. prope finem c. & videri potest Innoc. in c. 2. col. 1. de dilationibus.

CAPITVLVM X.

Cùm in Ecclesiis.

PARAPHRASIS.

Quatuor regulares Canonici contra Priorem suum superbè se erigentes, licèt corporale ipsi de præstanda obedientia iuramentum ediderint, tamen per omnia ipsi restiterunt. Quamobrem ab eodem Priore excommunicati fuerunt. Volebat quidem Prior à censura illos absoluere, si de parendo mandatis eius iuramentum præstare vellent; (sicuti Imola, & Abb. ex antiqua lect. referunt) sed Canonici spreto Priore, ad Sedem Apostolicam se contulerunt. Simul autem Innocent. III. Papa plurium Prælatorum authenticis scriptis certior factus erat de Canonicorum contumacia, qui eosdem, exacto prius corporali iuramento, ab excommunicatione absol-

absoluit, præcipiens, vt ad clauſtrum ſuum redeuntes Priori obedientiam debitam præſtent: Hic verò mandat quibuſdam Abbatibus; vt Canonicos illos ad obediendum Priori ſuo per cenſuras ecclesiaſticas compellant: Inſuper, ne de pertinacia & malitia ſua gloriari poſſint, cogant eos, (ſi expedire videatur) ad iuramentum præſtandum Priori, quod antè ſuperbè ipſi negauerant, de parendo mandatis eius. Sin hæc facere recuſent, de fratrum conſortio penitus excludantur.

SVMMARIVM.

1. *Prælatus regularis ſubditis ſuis regularibus ob eorum contumaciam excommunicationem & alias cenſuras inferre poteſt.*
2. *Regulares & ſimplices Beneficiati cogi poſſunt ad iuramentum de obedientia præſtanda.*
3. *Periurus iterum ad iurandum compelli poteſt, quatenus id cedit in obligationem iurantis, non autem quatenus id cedere poteſt ad iurantis honorem, vel aliorum præiudicium.*
4. *Religioſus Prælato inobediens ac contumax, à fratrum conſortio ſeparari debet; quòd ſi Monaſterio graue ſit, & contumacia atque incorrigibilitas mereatur, eijci poteſt ex ordine, non citiùs recipiendus, quàm reſipiſcat.*

1 NOTANDVM I. Prælatus regularis ſubditis ſuis regularibus, propter contumaciam eorum, excommunicationem, aliáſque cenſuras inferre poteſt, vti etiam habetur in c. ſicut, 33. vbi id notat Gl. ver. ſub interminatione anathematis, de ſimonia.

2 NOTANDVM II. Licèt Regulares, ſicuti & ſeculares beneficiati, qui animarum curam, & adminiſtrationem non gerunt, ad iuramentum Prælato præſtandum compelli non ſoleant, iuxta c. legebatur, hoc tit. Excipi tamen debet; niſi inobedientes, ac contumaces aut de inobedientia ſuſpecti extiterint, tum cogi poſſunt ad iuramentum de obedientia, vt ibi etiam annotaui, & tradit addit. Gl. ſuper c. ſeq. ver. obedientiam.

3 NOTANDVM III. Qui iuramentum ſuum violando periurium incurrit, iterum ad iurandum compelli poteſt, quatenus id cedit id obligationem ipſius, non autem quatenus id cedere poteſt ad iurantis honorem, vel aliorum præiudicium, iuxta c. teſtimonium, 54. de teſtibus. & poſt Gl. hîc ver. iuramento, notat Abb. hîc n. 4.

4 NOTANDVM IV. Religioſus Prælato inobediens, ac contumax à Fratrum conſortio ſeparari debet; ne & ipſos, tanquam ouis ſcabioſa, inficiat. Intelligunt autem id Ioan. Andr. & Imola hîc n. 8. quòd in ergaſtulum includi debeat. Sin autem id graue ſit Monaſterio, & contumacia atque incorrigibilitas mereatur, eijci poſſe ex Ordine, non iterum ſuſcipiendum, donec ad mentem redierit, conſtat ex ijs, quæ dixi lib. 4. tr. 5. c. 13.

CAPITVLVM XI.

His quæ.

PARAPHRASIS.

In controuerſia, quæ erat inter Cardinalem tituli S. Laurentij in Damaſo, & parochias eidem ſubiectas, ſententiam tulit Honorius III. vt Presbyteri, ac Clerici earundem parochiarum Cardinali obedientiam, ac reuerentiam deferant, pro ſcrutinio, (ſeu examine Cathecumenis ſuis adhibendo) Baptiſmo, & Capitulo celebrādis ad Eccleſiam eiuſdem tituli, temporibus conſuetis, veniant, correctionem Cardinalis, ſicuti & cenſuras, quas fortè in ipſos, aut eccleſias eorum tulerit, recipiant, ac obſeruent. Cùm autem Eccleſia tituli eiuſdem Cardinalis vacauerit, tunc ipſi Capellani ac Clerici ea, quæ dicta ſunt (de ſcrutinio, Baptiſmo, Capitulo, &c. celebrandis) præſtabunt, præterquàm quòd correctionem, excommunicationis, ac ſuſpenſionis ſententiam, ob bonum pacis, Pontifex ſibi ipſi reſeruare voluerit.

SVM-

SVMMARIVM.

1. *Cardinales Romanæ Ecclesiæ ordinariam & quasi Episcopalem iurisdictionem obtinent in ecclesias sui tituli.*
2. *Mortuo Prælato, seu vacante prælatura, administrat & iurisdictionem exercet Capitulum Cathedrale, ecclesiæ, & ecclesiarum aliarum omnimodè exemptarum.*
3. *Exercent eandem iurisdictionem Capitula ecclesiæ Collegiatæ, si ipsis & Prælato simul iurisdictio competit.*
4. *Si Prælatus ecclesiæ Collegiatæ secularis non exemptæ, in Clericos iurisdictionem obtinet, vacante prælatura, non transit ea in Capitulum, sed in Episcopum.*
5. *Idem fit vacante prælatura regulari; si Monasterium enim Episcopo subiectum est, ad ipsum etiam, & non ad Capitulum seu Conuentum transit.*
6. *In absentia Prælati, eius potestas alteri delegari potest, cui perinde obediendum, atque ipsi Prælato; in huius autem præsentia, an Prior claustralis, Decanus, Rector chori, & similes Officiales habeant propriam iurisdictionem & potestatem præcipiendi in virtute obedientiæ, pendet ex cuiusque Religionis statutis & consuetudine.*

Iure tamen communi talem potestatem hi non habent, licèt habeant aliquam, vi cuius in conscientia eis obediri debet.

1 NOTANDVM I. Cardinales Ecclesiæ Romanæ ordinariam, & quasi Episcopalem iurisdictionem obtinent in Ecclesias sui tituli; & consequenter in parochias, ac capellas, & Clericos earundem, quæ ecclesiæ illi principali pleno iure subiectæ sunt. Ita notauit Innoc. in c. 2. de Capellis Monachorum, Ioan. Monachus in c. vn. hoc tit. in 6. Abb. hîc n. 1.

2 NOTANDVM II. Mortuo Prælato, seu vacante prælatura, Capitulum administrat, & iurisdictionem exercet. Id verò indubitatum est de Capitulo Cathedrali, & habetur in c. cùm olim, 14. hoc tit. Sed ex textu nostro colligitur, idem sentiendum esse de Capitulo Ecclesiæ non Episcopalis, adeò, vt nisi Papa sibi specialiter hîc reseruasset, spectato ipso communi iure, Capitulum etiam excommunicationis sententiam, aliásue censuras ferre potuisset in subditos contumaces, sicut rectè hîc obseruat Abb. n. 2. Sed aduerte; id solùm ex textu isto ostendi de Capitulis Ecclesiarum omnimodè exemptarum, & quasi Episcopalem iurisdictionem habentium, de quibus proinde affirmádum est, quòd vacante Sede omnem iurisdictionem, & administrationem habeant, sicuti Capitula Cathedralia. Idque etiam in praxi obseruatur.

Sed dubium restat de Capitulis Ecclesiarum non exemptarum, seu illæ seculares sint, seu regulares, vtrùm vacante prælatura, iurisdictio transeat ad Capitulum, seu Conuentum: v. g. Si Abbas mortuus sit, vtrùm Conuentus, vel qui Conuentui præest, claustralis Prior aut Decanus, regularem inobedientem censurâ contingere, vel quippiam in obedientiæ virtute eidem præcipere possit. Eadémque difficultas est, si Præpositus aut Decanus Collegiatæ Ecclesiæ secularis iure communi, aut speciali iurisdictionem dignitati suæ annexam in clericos priuatiuè, ita vt Episcopus, in prima instantia, dummodò officium suum præstet, immiscere non possit, an vacante prælatura, talis iurisdictio transeat ad Capitulum.

Hanc q. latè tractat Felin. in hoc c. & pluribus rationibus ostendit, spectato iure communi, negatiuè respondendum esse; nihilominus affirmátem partem magis communiter teneri, quòd etiam in his inferioribus, & Episcopo subiectis Ecclesiis, vacante Sede, Capitulum seu Conuentus iurisdictionem exerceat, sicuti inter alios docuerunt Dominic. in c. 2. col. de testam. in 6. Ioann. Franciscus Pauinus de potestate Capituli, vacante Sede, prælud. 6. n. 16. Respondeo & Dico I. Si iurisdictio Prælato & Capitulo Ecclesiæ Collegiatæ competat simul & coniunctim, tunc mortuo Prælato, Capitulum iurisdictionem exercet. Ita bene docet Felinus hîc, vers. Secundus casus, & sumitur ex c. vn. Ne Sede vacante, in 6. 3

Dico

4 Dico II. Si Prælatus Ecclesiæ secularis Collegiatæ, quæ exempta non est, iurisdictionem in Clericos obtineat, vacante prælatura, non transit ea in Capitulum, sed in Episcopum. Hæc videtur esse sententia Innoc. in c. cùm accessissent, n. 3. de Constit. Felini in 4. & 5. motiuo. Probatur: Si enim Prælatus inferior, Episcopo subiectus iurisdictionem per consuetudinem legitimè præscriptâ comparauit, cùm præscriptio sit stricti iuris, dicendum est, potestatem, quam Prælatus acquisiuit, ad Capitulum non transire; nisi & ipsum in præscripta consuetudine sit, vt vacante sede iurisdictionem exercere queat. Sin autem speciali iure seu priuilegio Prælato concessa sit iurisdictio, tum nota est regula Canonistarum, ad Capitulum transire ea, quæ Prælato non communi, sed speciali iure concessa sunt, vti hîc Felinus notat mot. quinto, & dixi lib. 1. tr. 4. c. 7. n. 14.

5 Dico III. Neque vacante Prælatura regulari Capitulum seu Conuentus iurisdictionem exercet, sed ea ad Episcopum spectat, si Monasterium ipsi subiectum sit. Ita sentit Imola hîc, Ioan. Andr. in c. 2. n. 3. de testam. in 6. ibid. Archidiaconus, quem allegat Felinus hîc, motiuo 4. vbi ait, incautè locutum fuisse Dominic. in c. 2. de testam. in 6, quòd secundùm iura Conuentus succedat Abbati in iurisdictione; nam secundùm Archidiac. & Ioan. Andr. *Episcopus habet curam status Monasterij, vacante sede, & ipse dat administrationem in temporalibus, & spiritualibus.*

Id verò probatur primò: Quia Episcopus habet omnem iurisdictionem in Monasteria non exempta: tametsi verò eam exercere non possit in ijs, quæ pertinent ad disciplinam regularem, dum Prælatus officio suo fungitur: eo tamen deficiente, ad ipsum Episcopum deuoluitur iurisdictionis exercitiũ, iuxta ea quæ dicta sunt in c. quanto, 7. & c. penult. de offic. Ordinarij.

Secundò: Prælato Ordinis Religiosi potissimùm subduntur ratione voti obedientiæ, secundùm S. Th. in 2. d. 44. in fine. Atqui obedientiæ votum præstatur ipsi Ordinis Prælato, non autem Capitulo, aut Priori claustrali. Ergo mortuo Prælato, potestas & iurisdictio Prælati, per quam in virtute obedientiæ, vel sub pœna excommunicationis præcipere potest, non transit ad Capitulum, vel Seniorem, seu Priorem.

QVÆRET aliquis: Vtrùm Prælatus Ordinis potestatem & iurisdictionem suam alteri delegare possit, cui proinde etiam ex vi voti obediri debeat. Resp. In absentia Prælati 6 haud dubiè potestatem delegari posse alteri, cui tanquam vices tenenti in Monasterio perinde obediendum sit, atque Prælato ipsi. At verò in præsentia Prælati, vtrùm videl. Prior claustralis, Decanus, Rector chori, & similes Officiales seu Vicarij propriè dictam iurisdictionem, atque potestatem præcipiendi in virtute obedientiæ habeant, id ex cuiusque Religionis statutis, & consuetudine cognoscendum est. At verò iure ordinario, & communi negandum est, in his esse talem potestatem, vti bene tradit Suarez cit. c. 11. n. 19. Nihilominus negari non debet, quin dictæ personæ iuxta potestatem sibi commissam, vim aliquam gubernandi ac præcipiendi habeant, ita vt obediri illis etiam in conscientia debeat; sicuti & Ludimagistro in schola, patrifam. in domo; licèt propriè dicta iurisdictione careant. Idémque sentiendum, si plures Religiosi simul mittantur ad peregrinationem, vel ad studia literarum, & vnus tanquam senior, aut maturior alijs præficiatur. Quare hinc etiam infertur, quòd mortuo Prælato, qui Prior, Senior, aut Decanus est in Capitulo, iuxta cuiusque Ordinis, aut Monasterij consuetudinem, alios gubernare, ijsque præcipere possit, tametsi propriè dictam iurisdictionem non exerceat; cùm neque verè Prælatus, aut Viceprælatus sit: nisi moris esset in Religione, seu regula, & statuta Ordinis exigant, vt vacante Prælatura, seu Prior, seu alius locum Prælati teneat, interim dum alius constituatur. Ratio reddi debet: Quia Religiosi promittunt obedientiam secundùm Ordinis regulam, atque statuta laudabiliter recepta.

CAPITVLVM XII.

Dilecta.

PARAPHRASIS.

Licèt Abbatissa Canonicas suas, & Clericos iurisdictioni suæ subiectos excommunicare nequeat, potest tamen ipsis præcipere, atque ob inobedientias, & culpas punire, etiam interdicendo eis officium, atque fructibus beneficiorum priuando.

SVMMARIVM.

1. *Abbatissæ & Priorissæ iurisdictionis spiritualis, eius præsertim, quæ clauis est ad ligandum & soluendum, incapaces sunt.*
2. *Vsum tamen quendam iurisdictionis huius habent ex commissione Prælatorum; adeò, vt Clericos ad beneficia pleno iure sibi subiecta instituere possint.*
3. *Potest etiam Abbatissa, seu regularis Præposita, Monialibus suis præcipere in virtute S. Obedientiæ, seu S. Spiritûs.*
4. *Iurisdictio spiritualis differt à potestate gubernatiua spirituali; hanc, non illam prædictæ Præpositæ habent.*

1 NOTANDVM Vn. Abbatissæ, & Priorissæ iurisdictionis spiritualis, eius præsertim, quæ est clauis Ecclesiasticæ ad ligandum & soluendum, incapaces sunt: quamobrem nec excommunicare, nec aliam propriè
2 dictam censuram ferre queunt. Nihilominus ex commissione Prælatorum, habent vsum quendam, seu exercitium spiritualis iurisdictionis; adeò, vt Clericos ad parochias, & alia sibi pleno iure subiecta beneficia instituant, & alia præstent, de quibus plenè dixi in lib. 1. tr. 5. p. 1. c. 3. n. 3. & 4. & legi potest Syl. ver. Abbatissa, q. 2. & 3. Azor tom. 1. lib. 13. c. 10. quæst. 6.

Hic quæstio tractanda est; Vtrùm Abbatissa, seu regularis Præposita Monialibus suis præcipere possit in virtute S. Obedientiæ, seu in virtute S. Spiritûs. Negat Sanchez lib. 6. moral. c. 1. n. 21. & alij apud ipsum. Nam præceptum imponere in virtute sancti Spiritûs, vel in virtute S. Obedientiæ, pertinet ad gubernationem spiritualem, Atqui Abbatissa non habet gubernationem spiritualem, sed tantùm temporalem, & politicam, sicuti quæuis materfamilias, vti etiam Sotus in 4. d. 20. q. 1. a. 4. Rodriq. tom. 1. regul. qq. q. 15. a. 1. & alij communiter tradunt. Exinde infert Sanchez n. 30. Tametsi aliqua materia capax esse possit obligationis sub mortali, si præcipiatur à Prælato Ordinis, vel Episcopo, quippe qui finem altiorem supernaturalem spectat; non ideo consequens esse, vt eadem materia sufficiens sit, si præcipiatur à Præposita seu Abbatissa, quippe minùs præstantem, vid. temporalem finem per se, ac directè intendente. Nam ob hanc ipsam causam auditio Missæ v. g. ab ecclesiastica potestate præcipi potest sub peccato mortali, cùm omissione etiam vnius diei grauis iactura spiritualis animæ inferri possit. Sed in ordine ad finem politicum, quem per se ac directè spectat, v. g. Magistratus Academicus, & similiter Abbatissa, seu Præposita, non potest hæc res adeò grauis videri, & tantæ obligationis capax. Contrarium docet Azor tom. 1. lib. 13. c. 10. q. 7. & meliùs Suarez tom. 3. de Relig. lib. 10. c. 11. n. 20. quæ sententia mihi nunc placet. Nam reuerà Moniales vouent obedientiam Abbatissæ, tanquam Præfectæ, ac matri suæ spirituali. Quare negari debet, quòd gubernatio, seu potestas præcipiendi in Abbatissa residens, per se ac directè non spectet finem supernaturalem, seu quòd Abbatissa Moniales suas ad regulæ, & votorum suorum obseruationem compellere non possit, per se atque directè propter perfectionem earum spiritualem.

Si obijcias: Abbatissa non habet propriè spiritualem iurisdictionem, quamobrem excommunicare non potest: Ergo neque habet potestatem seu gubernationem spiritualem, ita vt præcepta spiritualia, seu in ordine ad finem spiritualem imponere queat. Resp. negando conseq. Pro cuius intellectu aduerte, 4 iurisdictionem spiritualem differre à potestate gubernatiua itidem spirituali; & has

potes-

potestates interdum coniunctas, interdum verò separatas esse. Coniunctæ sunt in Prælato Ordinis: Nam is inprimis ob votum obedientiæ, sibi vt patri spirituali præstitum, potestatem habet Regularibus imponendi præcepta spiritualia, ac præcipiendi in virtute S. Spiritûs, &c. Deinde verò habet iurisdictionem spiritualem atque ecclesiasticam; cuius fundamentum, seu potiùs occasio est trium votorum ab Ecclesia acceptatorum editio: sed proximè ac directè ea potestas non prouenit à vouentibus, sed à Superioribus Ecclesiæ Prælatis, ipsóque Sum. Pontifice, vnde omnis ecclesiastica iurisdictio, ligandi ac soluendi potestas conueniente ordine deriuatur. Separatæ autem essent istæ duæ potestates in casu, si laicus v.g. aut clericus secularis Confessario, tanquam spirituali Patri suo, obedientiam voueret, tum Confessarius licèt iurisdictionem ecclesiasticam in eum nõ haberet, vt v.g. eum excommunicare posset, aut in eius votis dispensare, &c. quamobrem neque Prelatus eius esset; nihilominus spiritualia ei præcepta imponere, atque in virtute S. Obedientiæ ipsi, quæ ad salutem animæ spectant, præcipere posset. Ita nos dicimus de Abbatissis ac Prioríssis; quamuis ipsæ habeant saltem vsum quendam seu exercitium iurisdictionis spiritualis, ita vt quodammodo Prælatæ dici mereantur: quamuis earum prælatura & potestas multùm dependens, & subordinata sit Prælatis viris.

CAPITVLVM XIII.

Dilecti.

Paraphrasis.

Archiepiscopus, & Patriarcha Grãdensis exigebat à Castellano Episcopo iuramentũ ad plura se extendens, quàm alioquin Suffraganei Episcopi Metropolitanis suis iurare cõsueuerunt. Quod cùm viderent Archidiaconus, & Capitulum Castellanum, attendentes exinde Ecclesiæ suæ præiudicium generari posse, ad Sedem Apostolicam appellarunt. Recepta appellatione mandat Gregor. IX. vt Grandensis Patriarcha contentus formâ canonicâ iuramenti, quod Pontifex ab Episcopis immediatè sibi subiectis recipere solet, c. Ego N. 4. de iureiur. nihil vltra eam formam prætextu iuramenti, quod propter consuetudinem se recepisse asserit, à dicto Episcopo exigat; sciens, quòd Papa illum à iuramento, quoad alios vltra communem formam contentos articulos absoluerit, vel potiùs non obligatum esse declararit.

Svmmarivm.

1. *Si Episcopus ecclesiam alteri subiicere, vel onus quodlibet imponere attentet, Capitulum se opponere, & appellare potest. Imò quiuis eius ecclesiæ Clericus, & in horum defectu Superior ex officio succurrere debet.*
2. *Simile est, si dominus loci territorium aut iurisdictionem alteri subiicere velit: subditi enim & vasalli contradicere possunt.*
3. *Si quis contra grauamen extraiudicialiter appellauit, quæ postea contra appellationem acta, vel attentata sunt, iudicis officio rescinduntur, si quidem causa appellationis iusta & probabilis fuerat.*
4. *Iuramentum non obligat cedens in præiudicium Ecclesiæ, vel personæ tertiæ.*
5. *Vi consuetudinis diuturnæ obtineri potest, vt Metropolitano Coëpiscopus iuramentum obedientiæ præstare debeat.*

PRo intellectu duo aduertenda sunt: I. Quòd olim Episcopi Metropolitano suo, à quo confirmationem accipiebant, iuramentum obedientiæ ac fidelitatis præstare soliti sint, nunc verò id iuramentum præstant Pontifici, vti Abb. hîc notat n. 3. II. Non satis ex textu apparet, vtrùm Patriarcha ab Episcopo Castellano iuramentum receperit ante interpositam appellationem; an verò post appellationem. Si postea accepit, tum

verbum *exigeres* propriè afficit ipsum iuramentum, vt sensus sit; cùm Capitulum & Archidiaconus viderent, quòd Patriarcha postularet sibi tale iuramentum præstari, appellarunt, ne id fieret: Sed non obstante appellatione præstitum fuit iuramentum. Sin autem iuramentum fuit factum ante appellationem, tum verbum *exigeres* refertur ad effectum iuramenti, vt sensus sit; cùm viderent exigi, quod iuratum erat, cum Ecclesiæ suæ præiudicio, ad Sedem Apostolicam appellasse.

1 NOTANDVM I. Si Episcopus Ecclesiam alteri subijcere, aut quodlibet onus imponere attentet, Capitulum se opponere, & appellare potest: Imò non tantùm Capitulum, sed etiam alius quilibet eius Ecclesiæ Clericus, c. si quis, 6. de rebus Ecclesiæ non alienandis. Quòd si omnes tacuerint, Superior ex officio succurrere debet: cùm agatur causa publica Ecclesiæ, sicuti notat Imola hîc n. 7. Abb. n. 3. Felinus §. Quilibet
2 de Clero. Et simile esse aiunt, si Dominus loci territorium, aut iurisdictionem alteri subijcere velit, quòd subditi & vasalli contradicere possint, cùm ipsorum interest, ne pluribus dominis seruiant, maioribúsque oneribus grauentur, vti Imola hîc notat n. 5. Abb. n. 1. arg. c. vlt. hoc tit. iun. Gl. vbi idem Abb. ait: Quòd dominus non potest componere super iure superioritatis in præiudicium subditorum, atque consensu eorundem. Nam interest eorum non habere multos dominos, aut dominum non mutari. Meritò autem opponebant se hoc loco Canonici, quia iuramentum exigebatur ab Episcopo prætextu consuetudinis; consequenter ita, vt esset onus reale ipsius Sedis Episcopalis, atque ad successores transiens, sicuti ex Goffr. idem Imola aduertit hîc n. 8.

3 NOTANDVM II. Si quis contra grauamen extraiudicialiter appellauit, quæcunque postea contra appellationem acta vel attentata sunt, Iudicis officio rescinduntur, si causa appellationis iusta ac probabilis fuerat. Ita tradit Imola hîc n. 12. Felinus n. 4. vbi latè prosequitur, quòd remedium reuocandum attentorum melius sit, quàm interdictum vnde vi, seu possessionis recuperandæ: nam appellanti sufficit ostendere, quòd tempore appellationis fuerit in possessione; nam hoc ostenso, etiam summaria cognitione, contra quemcunque possessorem reducendus est in pristinum statum, reuocatis omnibus attentatis post appellationem. Dixi de hac re in qq. disput. de elect. q. 115. & docent DD. in c. causis, 30. de elect.

4 NOTANDVM III. Iuramentum non obligat, quatenus cedit in præiudicium, seu iniustam læsionem Ecclesiæ, vel personæ tertiæ. Nam sicuti simplici promissione seipsum quisque obligare potest, non alium, neque Ecclesiam suam sine debita solemnitate; ita neque accessione iuramenti: Nam iuramentum retinet naturam actus, cui adiungitur, vti docent DD. in l. vlt. C. de non numerata pecunia.

5 Quæri potest hoc loco: Num Metropolitanus per consuetudinem diuturnam obtinere possit contra Coëpiscopum, vt in sui institutione iuramentum obedientiæ secundùm certam formam præstare cogatur. Arbitror esse affirmandum, cum Abb. hîc, in Gl. penult. Verùm in hoc casu opus erat consuetudine immemoriali, qualis hic defecerat, aut ostendi nõ poterat: Cùm enim canones certam formam iurandi præscriberet, ideo Metropolitanus aliud iuramentum exigens habebat sibi ius commune cõtrarium; consequenter opus erat ostendere consuetudinem, cuius initij nulla memoria existeret, iuxta c. 1. de præscript. in 6.

CAPITVLVM XIV.

Cùm olim.

PARAPHRASIS.

Vacante Prælatura Monasterij Saluatoris Messanensis, Conuentuales in Abbatem elegerunt personam indignam: quamobrem pro ea vice eligendi potestate priuati erant. Sed Gregor. IX. ex gratia speciali concessit illis eligendi, seu postulandi facultatem; Adijciens mandatum, vt, quia eo tempore Ecclesia Cathedralis

Messa-

Messanensis vacabat, Abbatem à se electum præsentent Capitulo Messanensi, vt electionem confirmet, vel infirmet, sicuti de iure fieri oportet.

SVMMARIVM.

1. *Capitulares etiam inferiorum ecclesiarum eligentes indignum in Prælatum, ipso iure pro vna vice priuantur eligendi potestate.*
2. *Vacante Sede Episcopali, Capitulum confirmat & infirmat electionem Abbatum, & aliorum Prælatorum, qui non exempti sunt.*
Instituit etiam præsentatos ad beneficia præsentata, non autem ea conferre potest, quæ liberæ ad Episcopum spectantis collationis sunt.
3. *Neque eorum beneficiorum collationes, aut Prælatorum electiones instituere potest, quæ ad Episcopum deuoluta sunt.*
4. *Capitulum Cathedralis ecclesiæ, Sede Episcopali vacante, exercet omnem iurisdictionem Episcopalem ordinariã, tam temporalem, quàm specialem, præterquàm quòd alienationes & donationes facere, & quæ ardua ac præiudicialia esse possint, expedire nequeat.*
5. *Potest Capitulum, vacante Sede, in casibus Episcopalibus dispensare & absoluere, & per consequens Pœnitentiarium constituere, qui à peccatis reseruatis absoluat.*
6. *Potest Statuta obligantia totam diœcesin facere, quæ perpetua sint, & durent etiam constituto Prælato, qui tamen ea reuocare potest, si velit, modò in ea non iurarit.*
7. *Potest etiam compellere executores testamentorum ad exequendum, eos punire, & ab ijs rationes exigere.*
8. *Indulgentias dare non potest.*
9. *Neque onerare Episcopatum pecunijs mutuò acceptis, nisi vtilitas & magna necessitas ac euidens ad hoc cogat.*
10. *Non potest Capitulum ecclesiæ regularis Cathedralis Religiosos ad Monasterium Sede vacante admittere; per consuetudinem tamen hanc potestatem acquirere potest.*
11. *Resignationes beneficiorum absolutè factæ à Capitulo, vacante Sede, recipi non possunt.*
12. *Potest Capitulum dare Abbati, vel simili Prælato licentiam transeundi ad Prælaturam alterius diœcesis.*
13. *Nomine causarum arduarum, quæ vacante Sede à Capitulo expediri non possunt, intelliguntur ea, quæ grauia, & secundùm consuetudinem ecclesiarum solis Episcopis competere censentur; vti sunt Synodum congregare, diœcesin visitare, Capitulum instituere &c. & hæc extra necessitatis casum Capitulo non competunt.*

NOTANDVM I. Non tantùm Ecclesiæ Cathedralis, sed etiam inferiorum Ecclesiarum Capitulares ipso iure eligendi pro vna vice potestate priuantur, si personam indignam in Prælatum eligant. Ita sumitur ex hoc c. secundùm communem eius intellectum. 1

NOTANDVM II. Vacante Sede Episcopali, Capitulum ordinariam Episcopalem iurisdictionem exercet: quamobrem electos Abbates, & alios Prælatos non exemptos confirmat, vt hìc apparet; & præsentatos à patronis instituit, c. 1. de instit. Sed quæ liberæ ad Episcopum spectantis collationis beneficia sunt, Capitulum vacante Sede conferre non potest, cit. c. 1. Quia electos confirmare, & præsentatos instituere, si idonei sunt, necessitatis actus sunt: Sed libera collatio donationem magis continet, quæ Sede vacante Capitulo interdicta est. Quam rationem affert Gl. in cit. c. 1. ver. non possit. Abb. hìc col. 2. argum. c. vlt. de offic. Vicarij, in 6. Rebuffus in praxi tit. de deuolut. n. 101. Garcias de benef. p. 5. c. 7. & seqq. vbi generalem limitationem comprobat: Quotiescunque collatio beneficij, alioquin non patronati, necessaria est, vt quia certæ personæ, aut alicui ex 2

certa familia conferri debet, à Capitulo fieri posse.

3 NOTANDVM III. Capitulum vacante Sede beneficiorum collationes aut Prælatorum electiones instituere non potest, quæ ad Episcopum deuolutæ sunt. Id docui in qq. de elect. q. 102. & tradit hîc Abb. col. 2. Lapus in c. vn. hoc tit. in. 6. Franc. Pauinus de potestate Capituli vacante Sede p. 2. q. 2. Rebuffus in praxi tit. de deuolution. n. 93. contra Ioann. Andr. c. quamquam, de elect. in 6. Anchar. in c. vn. hoc tit. in 6. Et sumitur ex hoc c. Nam alioquin Pontifex non præiudicasset Capitulo Messanensi, si propter delictum Conuentûs electio Abbatis ad ipsum pertinuisset: Non enim facilè gratiam Pontifex conferre solet cum derogatione iuris alieni. Sed quia Sedes tunc vacabat, ideo ne Abbatis electio diu differretur, Pontifex ex gratia permisit Cõuentui nouam electionem. Et confirmatur hæc doctrina ex c. vn. Ne Sede vacante, in 6. vbi regula negatiua habetur; quòd beneficia ad Episcopi collationem spectantia Sede vacante Capitulum conferre non possit: neq; in iure reperitur exceptio aliqua quoad casum istum deuolutionis. Accedit, quòd Pius V. in Bulla 161. quæ incipit: *Sanctissimus*, omnia beneficia, quorum collatio ad Episcopum quomodolibet pertinet, vacante Sede sibi reseruauit.

Cæterùm, cùm de potestate Capituli varia dicant Doctores, vt videre licet apud Abb. & Felinum hîc, Ioann. Franc. Pauin. de offic. & potest. Capituli Sede vacante, Quarantam in Bullario, ver Capitulum Sede vacante, Barbosam de potest. Episc. p. 3. alleg. 73. placet de ea re generalem Regulam statuere. Capitulum Sedis Cathedralis vacante Sede exercet omnem administrationem, & iurisdictionem Episcopalem ordinariam tam temporalem, quàm spiritualem; præterquàm quòd alienationes, & donationes facere non possit, neque quæ ardua, & præiudicialia esse possunt, absq; necessitate ab eo expediri. Videri potest Ioan. Franc. Pauinus de potest. Capituli Sede vacante. q. 1. & seqq. Dixi primò; Quòd possit Capitulum exercere iurisdictionem Episcopi ordinariam; siue ea ex iure communi competat, siue per consuetudinem acquisita sit, vt hîc Abb. docet q. 10. siue ea speciali iure ac priuilegio in perpetuum concessa sit Episcopis, ita vt in ordinariam transeat, cuius exemplum habes in Concil. Trid. sess. 24. c. 6. de reform. Nam in tali potestate, quæ Episcopis iure speciali ordinario competit, Capitulum succedere, plerique DD. docent apud Sanchez lib. 8. de matrimon. disp. 2. n. 10. Barbosam in remiss. super cit. c. 6. Trident. Secùs est, si Episcopis absolutè & in perpetuum aliquid commissum sit, vt expediant authoritate Apostolica, seu vt delegati Sedis Apostolicæ; talis potestas ad Capitulum non transit; nam Capitulum succedit Episcopo in iurisdictione ordinaria, non in delegata. Si autem Episcopis per viam iuris in perpetuum quippiam commissum sit, vt tanquam Sedis Apostolicæ delegati expediant, censetur esse potestas non ordinaria, sed delegata, secundùm Gl. in c. ad abolendam, 9. ver. delegatis, de hæreticis, Abb. hic dub 5 Barbosa cit. ver. Capitulum in princip. & de potest. Episcop. p. 3. alleg. 92. Garcias de benefic. p. 5. c. 7. n. 39. & alij apud Pauinum p. 1. q. 10. Sanchez cit. n. 10. Nam hoc ipso quòd authoritate Apostolica procedere debent Episcopi, non agunt ex proprio seu ordinario Episcopali officio, adeóque non iure ordinario, sed delegato, argum c. vlt. de offic. Ordinarij. Exemplum afferunt Lapus, & Ancharan. in c. vn. hoc tit. in 6. ex Clem. 2. de statu Monachorum, vbi statuitur, vt Ordinarij locorum Monasteria Monialium, quæ exempta non sunt, authoritate ordinaria, quæ autem exempta sunt, tanquam Sedis Apostolicæ delegati, singulis annis visitent: Et plura alia per Trident. Concil. Episcopis concessa sunt, vt in Religiosos exemptos exercere valeant, tanquam Sedis Apostolicæ delegati, de quibus dixi in c. quantò, 7. de offic. ordinarij.

4

Potest autem Capitulum vacante Sede in casibus, qui vel per se, vel per accidens, (videl. propter difficultatem adeundi Pontificem)

5

tificem) Episcopales, seu ordinariæ Episcopalis iurisdictionis sunt, dispensare, & absoluere; consequenter Pœnitentiarium constituere, qui à peccatis reseruatis absoluat, vti notauit Abb. in c. his quæ, in fine, hoc tit. Quaranta cit. ver. Capitulum Sede vacante, q. 3. & constat ex c. vn. hoc tit. in 6.

Potest item Capitulum vacante Sede facere statuta obligantia totam diœcesin, ita vt perpetua sint, & durent etiam constituto Prælato, qui tamen, si velit, eadem reuocare poterit: cùm pari, videl. Episcopali iurisdictione præditus sit; nisi in illa iurarit: dummodò honesta & laudabilia sint, neque Ecclesiæ, aut Episcopalibus iuribus iustè acquisitis præiudicantia: alioquin enim non valet iuramentum; cùm Canoniti vacante Sede nihil possint statuere de rebus Episcopatûs, in ipsius præiudicium, c. sicut, 27. iun. Gl. ver. in c. damnum, de iureiur. & tradit Felinus in c. cùm omnes, n. 10. de Constit. Pauinus p. 1. q. 6. n. 8.

7 Potest etiam Capitulum vacante Sede compellere executores testamentorum ad exequendum, & negligentes punire, atque rationes ab eisdem exigere, sicut Episcopi possunt: cùm hæc ad ordinariam eorum iurisdictionem spectent, c. tua, 17. c. Ioannes, 19. vbi Couar. n. 1. de testament. Cardinal. Zabarel. in Clem. vn. col. 2. ver. Quæro cum vario modo, de testament. Ancharan. in. c. vn. hoc tit. in 6. Pauinus in cit. tract. p. 2. Quaranta q. 7.

8 Idverò magis dubitatur; Vtrùm Capitulum vacante Sede Cathedrali indulgentias dare possit. Affirmat Abbas hîc q. 13. Pauinus de potest. Capituli Sede vacante, p. 1. q. 4. Sed alij Canonistæ, vt Pauinus testatur, communiter negant: Quia, vt Ecclesiæ praxis testatur, potestas dandi indulgentias Episcopis concessa est ratione dignitatis, ac præeminentiæ Episcopalis; quare alijs qui Episcopi non sunt, licèt Episcopalem vel quasi Episcopalem iurisdictionem exerceant, non conceditur, vti notauit etiam Suar. p. 3. t. 4. disputat. 54. s. 4. n. 5.

Dixi secundò: Quòd Capitulum donationes, & electiones bonorum, seu iurium Episcopalium Sede vacante instituere non possit, c. si qua de rebus, 42. causa 12. q. 2. & dixi lib. 1. Theol. moral. tr. 4. c. 7. n. 14. Sed neque pecunijs meritò acceptis Capitulum onerare potest Episcopatum; nisi vtilitas, ac necessitas magna & euidens sit: tunc id facere potest, ita vt successor obligetur; tanquam cuius negotium vtiliter gestum fuerat; vti docet Gl. recepta in c. cupientes, 16. §. ad hæc. ver. aliunde, de elect. in 6. Pauinus p. 2. q. 8. n. 20. Gutierez lib. 1. canon. qq. c. 1. n. 132. Quaranta loco cit. q. 6. 9

Deinde, sicuti Capitulum Sede vacante non potest beneficia secularia conferre, quæ ad Episcopi collationem, præsentationem, vel electionem spectant, c. 2. Ne Sede vacante; ita nec potest Religiosos ad Monasterium admittere, si Ecclesiæ regularis Cathedralis Capitulum sit, argum. c. vn. Ne Sede vacante in 6. & tradit Gl. in c. vlt. ver. creari, de regular. in 6. ibid. Dominicus in fine, Syl. ver. religio, 3. q. 13. Sanch. lib. 5. moral. c. 4. n. 67. Pauinus in cit. tract. p. 1. q. 8. n. 8. Quòd Capitulum, seu Conuentus regularis siue Ecclesiæ Cathedralis sit, siue non Cathedralis, vacante Sede seu Prælatura, non possit Religiosos ad professionem admittere: quandoquidem talis admissio seu creatio Monachi, spectato communi iure, ad solum Abb. spectat, argum. c. nullam, 9. causa 18. q. 2. & c. Ad Apostolicam, 16. de Regular. & ex communi docet Sanchez cit. c. 4. n. 64. Verùm per consuetudinem Conuentus acquirere potest ius ad professionem admittendi: Quod maximè locum habet, si Ecclesia Cathedralis sit, eiúsque Episcopus non professus: vel si Monasterium incorporatum, vel commendatum sit Prælato seculari, qui fortasse nec residet in Monasterio, facilè, inquam, seu consuetudine seu priuilegio, acquiri potest Cõuentui, vel ei, qui Prior aut Præpositus est Conuentui, vt Monachos creet, seu ad professionem admittat. 10

Denique resignationes beneficiorum, si absolutè & simpliciter fiant, à Capitulo vacante 11

vacante Sede recipi non possunt, spectato communi iure. Ita docet Flaminius de resignat. lib. 7. q. 23. n. 37. Rebuff. in praxi, tit. de deuolut. n. 59. q. 9. limit. 5. argum. c. vn. §. cùm verò, Ne Sede vacante, in 6. vbi dicitur, quòd Capitulum in beneficijs ad Episcopi collationem spectantibus se intromittere non possit: Accedit, quòd resignationem beneficij accipere, est gratia seu remissio obligationis, argum. c. admonet, 4. de renunt. & ex communi tradit Garcias de benef. p. 5. c. 7. n. 2. Ergo à Capitulo fieri non debet; cùm vacante Sede iura Episcopalia diminui non debent. Secùs verò dicendum, si collatio beneficij ad Episcopum & Capitulum simul pertineat, vel si resignatio accipiatur propter crimen commissum, seu in pœnam; aut ob aliquam necessitatem; vel si causa permutationis: his casibus Capitulum potestatem dare poterit, vt ijdem DD. notant. Atque ob eandem causam Capitulum, vacante Sede, beneficiorum vniones instituere, quin & beneficia diuidere potest: quia eiusmodi propter vtilitatem Ecclesiæ, seu ob causam rationabilem fieri solita ad Episcopalem iurisdictionem spectant: Ergo à Capitulo, vacante Sede, expediuntur; dummodò eiusmodi vnio, aut diuisio non per se tendat in Capituli vtilitatem; neque per eam iuri Episcopali præiudicetur, vti dixi lib. 4. Theol. moral. tr. 2. c. 9. n. 6.

12 Sed numquid Capitulum vacante Sede licentiam dare potest Abbati, vel simili Prælato transeundi ad Prælaturam alterius diœcesis. Gl. hîc negat ver. Capitulo, eò quòd hæc sit veluti species quædam alienationis. Sed præstat, vt affirmemus cum Abb. hîc dub. 2. Ioann. Andr. c. si Abbatem, 36. de elect. in 6. Pauino in cit. tract. p. 1. q. 8. n. 2. Nam hæc non est propriè alienatio, vti colligitur ex c. si Religiosus, 27. §. Quia verò, de elect. in 6. Ergo locus est regulæ, quòd Capitulum succedat in potestate ista; cùm ad Episcopalem iurisdictionem spectet.

13 Tertiò dixi in regula; Quòd quæ ardua sunt, &c. Capitulum absque necessitate expedire non possit. Quod non ita generaliter accipi debet: quasi causas arduas Capitulum vacante Sede expedire nequeat; cùm talem absolutam prohibitionem in iure non reperiamus. Etenim causæ matrimoniales graues, & arduæ censentur, c. 1. de consang. & affinit. & tamen vacante Sede Capitulum eas cognoscit, argum. c. veniens, 7. de eo qui duxit, & docet Pauinus q. 10. n. 8. Quaranta ver. Capitulum Sede vacante. q. 5. Sed debet intelligi, quòd quæ grauia, & secundùm consuetudinem Ecclesiarum, solis Prælatis seu Capitulis Ecclesiarum Episcopis competere censentur, vt Synodum congregare, diœcesin visitare, charitatiuum subsidium postulare, Capitulum instituere non possit; nisi necessitas cogat, sicuti de visitatione in necessitatis casu tradit Pauinus p. 1. q. 7. Barbosa de potest. p. 3. allegat. 73. n. 24. Et de subsidio charitatiuo docet idem Pauinus p. 1. q. 10. n. 18. De Synodo verò, num à Capitulo vacante Sede congregari possit, tractat idem Pauinus p. 1. q. 7. n. 3. Henricus Bottæus de Synodo Episc. p. 1. q. 6. n. 40. & vterque affirmat. Sed arbitror, eodem modo dicendum esse de Synodo, sicut de visitatione, absque necessitate instituendas non esse à Capitulo, si paulò pòst Episcopus instituendus spretur: Secus, si Sedes diu vacatura sit, vt quia Episcopus ab hostibus captus sit; vel si alia necessitas ingruat, vt res moram non patiatur.

CAPITVLVM XV.

Statuimus,

PARAPHRASIS.

Statuit Gregor. IX. vt in Ecclesia S. Mariæ maioris in Vrbe Clerici alij alios antecedant secundùm ordinum gradus, & non quatenus priùs recepti sunt: Et similiter in portione beneficiali percipienda qui maiores in ordine sunt, etiamsi posteriùs recepti alijs potiores sint; denique vt qui in minoribus ordinibus sunt, seruitia consueta peragant.

SVM-

SVMMARIVM.

1. *Consuetudo Vrbis fuit, vt Clerici minores in Canonicos assumerentur, nulla redituum portione seu beneficio assignato vsque ad tres vel quatuor annos. Et qui maior in his erat ordine, licèt posteriorem esset assumptus, in loco, & portione præferebatur.*
2. *Contraria est multarum ecclesiarum consuetudo, vt Canonici priùs recepti, licèt maiores sint ordine, in loco, & qui tempore antiquiores, in præbenda præferantur, non habita ratione, an Sacerdotes sint, Diaconi, an Subdiaconi tantùm.*

1 HÆc Constitutio localis est, pro Ecclesia Vrbis; in qua consuetum erat, vt Clerici minores in Canonicos reciperentur, nulla eis redituum portione, seu beneficio assignato, vsque ad tres, vel quatuor annos: atque interim seruitia Ecclesiæ peragere debebant, videl. ecclesiam purgare, campanas pulsare, lampades accendere. Cùm verò in promotione horum ad præbendas, seu beneficia antea haberetur ratio antiquitatis; ita vt qui priùs receptus esset, in consequenda præbenda, seu portione beneficiali præferretur; item vt inter ipsos præbendatos, qui tempore priores erant, alios antecederent; sustulit hoc Gregor. IX. & statuit, vt in his non temporis, sed suscepti ordinis ratio haberetur; vt ita ad promerendum ac desiderandum ascensum in ordinibus excitentur, iuxta c. quæris, 6. de ætat. & qualit. ordin. Ita explicat Innoc hîc, & Ioan. Andr. n. 7.

2 Sed contraria est multarum Ecclesiarum consuetudo, vt Canonici priùs recepti alios antecedant, licèt hi maiores in ordine existant: Item vt qui tempore antiquiores sunt, in assecutione præbendarum alijs præferantur, non habita ratione, vtrùm Sacerdotes sint, Decani, an Subdiaconi tantùm. Hanc consuetudinem damnat Abb. hîc, quòd sit contra Ecclesiæ honestatem. Sed non est audiendus: Tametsi enim consuetudine introduci non possit, vt, si cætera æqualia sint, Diaconi Presbyteris, & Subdiaconi Diaconis anteferantur, tamen si aliqua honesta & rationabilis prærogatiua adsit, adeóque cætera paria non sint, tum nihil obstat, consuetudinem talem introduci: Est autem temporis, seu antiquitatis prærogatiua admodum rationabilis; vti constat ex reg. 54. *Qui prior tempore, potior est iure*, & docet hîc ex Hostiensi Felinus, argum. c. vlt de consuet. in 6. vti approbatur consuetudo, vt vacante aliqua præbenda antiquiores Canonici ius optandi habeant, nulla habita ratione sacræ ordinationis suæ.

Sed contra textum obijci potest; quòd is, qui priùs in Canonicum receptus est, alijs postea receptis in assecutione præbendæ sit præferendus, iuxta c. quia sæpe, 15. de præb. in 6. & c. dilectus, 27. extrà, eod. vbi additur, si secùs factum fuerit, quòd Canonici interim ex ecclesiæ reditibus prouidere teneantur, donec ei beneficialis præbenda designetur: Quibus constitutionibus repugnare videtur hoc c. Resp. Non repugnare: Loquitur enim de clericis minoribus, qui secundùm eius ecclesiæ consuetudinem in Canonicos recipiebantur, ea conditione, vt præbendam assequerentur citiùs, aut tardiùs, prout spectatis eorũ meritis, & ordinis gradu, Ecclesiæ Prælato visum esset. Sed iura superiùs allegata loquuntur, in casu, quo aliquis in Canonicum assumitur, ita vt vel statim ei præbenda assignanda sit, vel cùm proximè vacatura est. Videri potest Innocent. hîc, & Abb. in fine cap.

CAPITVLVM XVI.

Cùm inferior.

PARAPHRASIS.

Cùm Archiepiscopus Colocensis ex mandato Pontificis Monasterium quoddam in Firmiensi Archidiaconatu Colocensis diœcesis constitutum erexisset in Ecclesiam Cathedralem, Archidiaconus Firmiensis in Episcopum inibi consecratum, & Ec-

cleſiam eius, iuriſdictionem exercere auſus fuit. Id abſonum eſſe iudicans Gregorius IX. eò quòd inferior Superiorem ſoluere, & ligare non poſſit, ſed Superior inferiorem; mandat Archiepiſcopo, vt id Archidiacono erga Epiſcopum & Eccleſiam eius inhibeat, quippe cùm à iuriſdictione illius ipſo facto exempta ſit. Si verò per hoc Archidiaconi iura diminuuntur, ipſi aliunde in diœceſi eàdem, vbi expedire iudicauerit Archiepiſcopus, compenſionem facere debet, tamen ſine præiudicio iuris alieni.

SVMMARIVM.

1. *Monaſterium erigi poteſt in Eccleſiam Cathedralem, ita vt eius Prælatus regularis, vel ſecularis, Epiſcopus exiſtat, qui hoc ipſo exemptus eſt à iuriſdictione Prælati non Epiſcopi.*
2. *Epiſcopo nouiter inſtituto ſi Archidiaconatus intra fines eius diœceſis exiſtat, Archidiaconus ſubiectus erit.*
3. *Archiepiſcopus delinquens in diœceſi ſui Coëpiſcopi, ab eo puniri non poteſt.*
4. *Puniri tamen poteſt Epiſcopus extraneus à Prælato non Epiſcopo, v.g. Abbate, vel Præpoſito exempto, ſi in huius territorio delinquat; ſitq; ratione delicti eius ſubditus.*
5. *Hæc duo ordinariè connexa ſunt: qui ligare poteſt, poteſt etiam ſoluere, & vice verſa.*

5 NOTANDVM I. Monaſterium Religioſi Ordinis erigi poteſt in Eccleſiam Cathedralem; ita vt Prælatus eius, regularis, aut ſecularis, Epiſcopus exiſtat. Ita etiam habetur in c. 1. Ne Sede vacante, iuncto c. nullus, 28. de elect. in 6.

NOTANDVM II. Si Eccleſia Collegiata, aut Conuentualis in Cathedralem erigatur, ipſo facto eximitur à iuriſdictione Prælati, qui Epiſcopus non eſt. Ita Innocent. & Ioann. Andr. hîc n. 1. Abb. not. vlt. Imola n. 2. contra Gl. ver. exemptum. Ratio eſt: Quia non eſt conueniens, ſed alienum ab Eccleſiaſtica bene inſtituta hierarchia, vt iuriſdictio Epiſcopalis, quæ ſuperior eſſe debet, ac veluti culmen Eccleſiaſticæ poteſtatis, ſubijciatur iuriſdictioni inferiori, videl. Archidiaconali.

Corollarium: Si Epiſcopo nouiter inſtituto aſſignetur diœceſis, intra cuius fines Archidiaconatus exiſtat, tum Archidiaconus illi ſubiectus erit, ſpectato communi iure, argum. c. regenda, 4. cauſa 10. q. 1. c. cùm perſonæ, 7. de priuileg. in 6. Si autem Archidiaconatus non comprehendatur in diœceſi illius, tum nec Archidiaconus Epiſcopo, nec Epiſcopus Archidiacono ſubiectus erit. 2

Corollarium II. Si Archiepiſcopus delinquat in diœceſi Coëpiſcopi ſui, ab eo puniri non poteſt: quia inferior non poteſt ligare, aut ſoluere Superiorem ſuum: Similiter que ſi Epiſcopus delinquat in Archidiaconatu ſuæ iuriſdictioni ſubordinato. Quare talis cauſa ad ſuperiorem Iudicem, videl. ad Papam, vel Metropolitanum deferenda erit, ſecundùm doctrinam Innoc. hîc communiter receptam. 3

Sed id in quæſtione eſt: Si Epiſcopus extraneus delinquat in territorio Prælati non Epiſcopi, v.g. Abbatis, vel Præpoſiti exempti, vtrùm ab eo puniri poſſit, ſiue vtrùm ratione delicti efficiatur ſubditus eius. Affirmandũ eſt cum Innocent. hic, Abb. Felino, & alijs: Quia maioratus hîc per accidens ſe habet; ideóque Epiſcopus in aliena diœceſi, aut territorio delinquens quaſi perſona priuata cenſetur, vti docet Abb. in c. ſanè, 3. n. 4. de foro compet. arg. l. 3. ff. de offic. Præſidis, iun. Gl. ver. Præſes. Quemadmodum & Archiepiſcopus ſi in diœceſi aliqua extra prouinciam ſuam delinquat, Epiſcopi eius loci iuriſdictioni ſubijcitur; ita tamen vt deferatur dignitati Epiſcopali, & in maioribus cauſis contra Epiſcopos non procedatur; cùm Sedi Apoſtolicæ reſeruentur, vti Gl. notauit in c. Inquiſitores, 16. ver. Apoſtolicæ, de hæret. in 6. & dixi lib. 1. Theol. moral. tr. 4. c. 7. n. 7. 4

Nec obſtat, ſi obijcias, quòd maior non ſubijciatur minori: Ergo nec Archiepiſco-

piscopus alieno Episcopo subijci potest. Respondetur enim, antecedens formaliter intelligendum esse, quòd maior ei, cuius maior seu Superior est, &, vno verbo, suo inferiori non subdatur. Archiepiscopus non est maior, seu Superior Episcopi alieni: ergo nihil obstat, quin ipsi ratione delicti subijciatur. Qua ratione ait Abb. in c. dilecto, 40. n. 12. de testibus; quòd Iudex maior ac dignior potestate si falsum deponat coram Iudice minore, sibi tamen non subdito, ab ipso puniri possit, quia respectu eius habet se vt priuata persona. Præterea dictum illud, Superior ligari, aut solui non potest ab inferiore, seu subdito suo, limitari debet: Nisi se sponte ei subijciat, in casu, quo id lex seu canon permittit. Qua ratione Pontifex subijcit se Confessario suo in foro pœnitentiæ.

5 NOTANDVM III. Hæc duo connexa esse solent; Quòd qui ligare potest, idem & absoluere, ac vice versa: adeóque eiusdem est ligare, cuius & soluere. Ita ex textu hoc colligit Gl. communiter recepta, ver. ligare. Sed est id intelligendum, si alicui ex officio, seu iure ordinario horum vnum competere debeat, vti hic notat Ioann. Andr. n. 11. Abb. ad cit. Gl.

Deinde intelligi debet de iurisdictione fori externi: At verò in foro pœnitentiæ Parochi iure ordinario absoluunt ab excommunicationibus non reseruatis, & tamen excommunicare non possunt. Sed & in iurisdictone externi fori regula non est vniuersalis; cùm fallat in Legato Papæ à latere, qui ex Prouincia abiens excommunicare non potest, & tamen clericorum percussores absoluere potest. argum. c. excommunicatis, 9. de offic. Legati, & notauit Ioann. Andr. cit. n. 11.

CAPITVLVM Vlt.

Humilis.

PARAPHRASIS.

Controuersia diu agitata fuit inter Burdegalensem & Bituricensem Archiepiscopos de iure primatûs, quod Bituricensis se habere cõtendebat. Tandem Papa Gregor. IX. prouisionem misit, per quam partes componerentur: Super ea prouisione iubet Burdegalensis prouinciæ Prælatorum tunc præsentium, & Capituli Bituricensis consensum requiri, eóque habito prouisionem publicari. Quòd si aliqui consensum dare recusent, tum omissa publicatione, si Prælati sint, qui cõtradicunt, personaliter, sin alij (videl. Capitula) per Procuratores idoneos ad Sedem Apostolicam accedere cogantur, prosecuturi ius suũ, &, si in causa succubuerint, parti alteri in expensis satisfacturi.

SVMMARIVM.

1. *In causa etiam ardua totam prouinciam concernente sufficit, si consentiant Prælati, & Capitula Cathedralia.*
2. *Si quid statuendum in causa ardua; concernente statum Episcopatûs seu Ecclesiæ Cathedralis, tum Capituli non tantùm consilium, sed etiam consensus necessarius est.*
3. *Ad tractatus vniuersitatis de iure communi (excepta electione Prælati) absentes vocari non debent, etiam in causa ardua; quamuis securius sit, vt, quatenus fieri potest, vocentur.*
4. *Capitula non aliter citari solent, nisi vt Procuratorem mittant.*

NOTANDVM I. In causa, etiam ardua, totam prouinciam concernente, sufficit, si consentiant Prælati, & Capitula Cathedralia: hi enim tanquam præcipui, repræsentant totum clerum. Ideo autem ipsorum consensus requiritur, quia interest eorum, si subsint alteri Episcopo, tanquam Primati; cùm ab eo visitari possint; vti Gl. notauit, ver. Prælatorum, & consentit c. vlt. de his quæ fiunt à Prælatis &c. 1

NOTANDVM II. Si quid constituendum sit in causa ardua, concernente statum Episcopatus, seu Ecclesiæ Cathedralis, tum Capituli non tantùm consilium, sed etiam consensus necessarius est: Idque propter communionem, quæ est capitis cum cor- 2

pore. Ita sumitur ex hoc c. & notauit Innocent hîc n. 2. Ioann. Andr. n. 6. Sed Prælatorum Bituricensis prouinciæ assensus necessarius non erat, quia ipsorum non intererat; seu de ipsorum præiudicio non agebatur.

3 NOTANDVM III. Spectato communi iure, ad tractatus Vniuersitatis (excepta electione Prælati) necesse non est absentes vocari, tametsi causa ardua sit. Ita docet Gl. in c. 2. ver. ipsorum, de testibus, in 6. Abb. hîc not. 2. & plerique alij apud Felinum in c. cùm omnes, n. 22. de Constit. argum. c. hoc ius, causa 10. q. 2. Sed quia Innocent. in c. 2. circa medium, de noui operis nuntiat. & alij quidam contrarium sentiunt, ideo securius est, vt in rebus valde arduis etiam absentes, quatenus fieri potest, vocentur: quod etiam quibusdam Ecclesijs per consuetudinem receptum est.

4 NOTANDVM IV. Capitula non aliter citari solent, nisi vt Procuratorem mittant. Quia si totum Capitulum personaliter veniret, Ecclesia seruitio suo destitueretur. Ita Abb. hic, ver. Item nota.

CAPITVLVM Vn. cod. Tit. in 6.

Episcopali.

VAcante Sede Episcopali, Capitulum, seu alius, ad quem tunc Episcopalis iurisdictio spectat (videl. administrator à Papa constitutus, iuxta c. is cui, 42. de elect. in 6. c. vlt. de suppl. negl. Prælat. eod. lib. Vel is, quem Capitulum vt administratorem constituerit, secundùm Gl. hîc ver. ad quem) potest excommunicatos à iure, vel ab homine absoluere, sicuti Episcopus posset, si viueret: nisi Sedes Apostolica specialiter interdixerit.

NOTANDVM Vn. Capitulum, vacante Sede, exercet iurisdictionem Episcopalem, exceptis ijs causis, quos vel ipsum commune ius excipit, vel Pontifex specialim interdicit. Qua de re sufficienter dictum est in c. cùm olim, 14. extrà, hoc tit.

TITVLVS XXXIV.

DE TREVGA ET PACE.

POsteaquam de Ecclesiasticis potestatibus atque Iudicibus dictum fuit, consequens esset, vt de ipsis iudicijs ageretur: Sed quia præstat, vt, si fieri possit, dissidentes ac litigantes, seu Superiorum auctoritate, seu proprijs pactionibus ac transactionibus ad concordiam redigantur, ideo de pace, treuga, seu belli inducijs, pactis, & transactionibus subiungitur, ante tractatum de iudicijs. Quod & Iureconsultos egisse videbis in lib. 2. tit.

SVMMARIVM.

1. *Si publica dissidia seu bella inter ciuitates seu populos subiectos oriantur, ad Principem seu Superiorem spectat, vt partibus compositionem seu pacem imperet.*
2. *Si priuati inter se lites foueant, & iudicio contendere velint; ordinariè cogi non possunt ad transactionem.*
3. *Qui probabiliter timet ab aduersario suo offensam, vel violentiam, potest à iudice petere, vt ille præstet cautionem de non offendendo.*

Dispu-

Disputant hîc Abb.' & Felinus: Vtrùm superior Ecclesiasticus, aut secularis cogere possit subditos ad transigendum, seu pacem componendam. Resp. & dico I. Si publica dissidia, seu bella inter ciuitates, aut populos subiectos oriantur, ad Principem seu Superiorem spectat, vt partibus compositionem, & pacem imperet, iuxta Auth. de mandatis Principum. §. Deinde, iun. Gl. ver. pacem, & l. congruit, 13. de offic. Præsidis, vbi id notat Bartol. n. 4. Abb. hîc n. 1. Et n. 2. inquit, Si Princeps subditos ad pacem faciendam cogere potest; multò magis ad treugam seu inducias belli: Qui enim totum potest efficere, is etiam partem: sed induciæ sunt veluti pars factæ pacis; seu pax, & securitas ad tempus rebus, ac personis constituta secundùm Gl. in c. 1. ver. treugas, hoc tit. 1

Dico II. Si priuati inter se lites foueant, & iudicio contendere velint, ordinariè cogi non possunt ad transactionem. Ita habetur in Auth. Vt litigantes iurent, cap. vlt. ex communi docet Felinus hîc princ. 2

Excipitur primò: Nisi exinde bellum publicum, aut alia Reipubl. turbatio timeatur, vti docent DD. communiter, arg. cit. l. congruit, & videri potest Felinus congruent. 4. & 5. Eadémque ratione summus Pontifex Christianos Principes ad pacem ineundam compellere potest, si ex bello magnum Ecclesiæ detrimentum, & animarum periculum timeatur, vti hîc docet Abb. arg. c. nouit, 13. de iudic. & c. 1. hoc tit.

Excipitur secundò: In causa valde intricata, si partes diu litigauerunt, & finis controuersiæ breui tempore non speretur, Iudex ad compositionem, vel compromissum cogere potest; non tantùm si causa sit criminalis, super qua transigi potest, sed etiam, si ciuilis. Ita Abb. hîc n. 2. Felinus n. 1. Imola in c. 1. de mutuis petitionibus, n. 9. arg. c. placuit, d. 90.

Excipitur tertiò: Quòd in causis, quæ Principis liberæ dispositioni subiectæ sunt, partes litigantes citiùs compelli possunt ad componendum. Huiusmodi sunt causæ beneficiariæ comparatione Papæ, vti docet Imola l. c. Abb. in c. cùm pridem, n. 6. de pactis, Felinus hîc, fallent. 2.

Secundò disputant hîc Abb. & Felinus, n. 10. Qui verisimiliter timet, ne ab aduersario suo offendatur, aut violentiam patiatur, vtrùm Iudicis officium implorare possit, vt illum adigat ad præstandam cautionem sufficientem de non offendendo. Responsio est affirmatiua; dummodò periculum offensionis notorium sit, alioquin causæ cognitio præmittatur. Quòd si etiam alter probabilem timorem offensionis alleget, tum mutuam cautionem præstare cogentur, vt Felinus hîc notat declarat. 6. Atque hoc casu mutui fœderis, qui prior offenderit, violatæ pacis pœnas incurret; non autem qui posteriùs: quandoquidem promissio vel iuramentum non offendendi tacitam conditionem habet, si & tu promissam pacem seruaueris, arg. c. peruenit, 3. de iureiur. & reg. 76. *Frustra fidem quis sibi postulat seruari ab eo, cui fidem à se præstitam seruare recusat.* §

CAPITVLVM I.

Treuga.

Paraphrasis.

Certis anni diebus, ob mysterium ac reuerentiam sacri temporis ab armis cessandum est, seu induciæ seruandæ. Si quis autem violare ausus fuerit, Episcopus proprius, post tertiam monitionem, excommunicationis sententiam in illum scribat, atque vicinis Episcopis scriptam denuntiet, vt confirmatâ ab omnibus sententiâ, nemo hominem illum in communionem recipiat.

Svmmarivm.

1. *Induciæ aliæ conuentionales, & aliæ legitimæ, seu per legem constitutæ, & hoc c. enumerantur, quibus tamen dudum derogatum, vel hæc constitutio nunquam recepta est.*
2. *Ad Episcopos potissimùm spectat, vt pa-*

cem inter Christianos Principes, quatenus id possibile est, constituant.

1 ADuerte, quòd induciæ aliæ conuentionales sint, & aliæ legitimę, seu per legem aut Superioris præceptum constitutæ. Conuentionales inter gentium iura numerantur in c. ius gentium, 9. d. 1. Nam omnium gentium consuetudine, secundùm naturalem æquitatem constitutum est, vt etiam hosti fides data seruetur; cùm alioquin humani generis societas consistere bene non possit, sicuti dixi lib. 2. tr. 3. c. 12. q. 5. Per legem constitutæ induciæ sunt, quæ hoc c. numerantur. Verùm per diuturnam consuetudinem his inducijs dudum derogatum fuisse, aut fortasse constitutionem istam nunquam receptam fuisse, monet Gl. communiter recepta, hîc, ver. frangere, & videri hîc potest Abb. n. 4.

2 NOTANDVM II. Ad Episcopos potissimùm spectat, vt pacem inter Christianos, quatenus id possibile est, constituant: cùm charitate, & pace nihil præstantius, & ad animarum salutem magis necessarium sit. Videri possunt, quæ Gratianus congessit d. 90.

CAPITVLVM II.

Innouamus.

PARAPHRASIS.

Presbyteri (seu Clerici) Monachi & eorum Conuersi, item peregrini, mercatores, rustici, viatores, & in agricultura existentes, animalia quoque, quibus arant, & semina portantur ad agros, plena securitate gaudeant,

SVMMARIVM.

1. *Personæ hîc recensitæ debent plena securitate tempore belli gaudere, scil. personæ Ecclesiasticæ, peregrini, mercatores, & agricolæ.*
2. *Mercatores tamen & agricolæ suis bonis spoliari possunt, si aliter pax & victoria obtineri nequeat. Interdum etiam deuastatione agrorum puniri subditi possunt & debent, si tanta sit alicuius Communitatis peruersitas & contumacia, vt malum hoc necessario remedio opus habeat.*

INter personas hîc numeratas quędam non 1
sunt partes Reipubl. nocentis, cõtra quam iustum bellum offensiuum geritur, videlicet personæ Ecclesiasticæ, ac peregrini: Et hæ bonis suis spoliari non possunt, multò minùs in corpore puniri; cùm nec per se ipsas iniuriam intulerint, vt ponimus, nec per accidens, seu ratione Reipubl. nocentis, cùm eius partes seu membra non sint. Quædam verò personæ sunt partes Reipubl. nocentis, vt mercatores, & agricolæ; & his parcendum est propter publicam necessitatem, ne commercijs & agricultura impeditis, maius incommodum inferatur.

Interdum tamen licitum esse dictas per- 2
sonas bonis suis spoliare, si aliter victoria & pax obtineri nequeat, tradidi in lib. 2. tr. 3. c. 12. q. 3. dicto 3. Interdum verò tanta alicuius Communitatis peruersitas est, & contumacia, vt quibuscunque modis, etiam deuastatione agrorum, puniri subditos eius licitum, imò necessarium sit: præterquàm, quòd ipsi etiam interdum mercatores, & agricolæ personaliter nocentes, ideóq; puniendi sint. Vide quæ dixi eod. c. 12. q. 1. & 3.

TITV-

TITVLVS XXXV.

DE PACTIS.

CAPITVLVM PRIMVM.

Antigonus.

PARAPHRASIS.

EActa inter Christianos inita seruari debent: & qui violare volunt, censuris Ecclesiasticis ad obseruationem compellantur.

SVMMARIVM.

Ex pacto nudo secundùm ius canonicum oritur actio, si tres conditiones concurrant. Prima est, si intentio promittentis fuit, sese ex iustitia obligandi. Secunda, si versetur promissio circa causam ad forum ecclesiasticum spectantem. Tertia, si causa addita, cur aliquid sit dandum, aut faciendum.

EX hoc textu colligunt Canonistæ communiter, vt videre est apud Abbatem & Felinum hîc, quòd secundùm ius canonicum ex pacto nudo, seu simplici promissione, si acceptata sit, oriatur actio, id est, ius petendi in Ecclesiastico iudicio, quod promissum est; Nam actio in iudicio concedenda est, si lex assistat promissioni factæ, l. legitima, 6. ff. de pactis, l. vn. C. de condictione ex lege. Atqui lex Ecclesiastica, siue canon assistit pacto nudo, & simplici promissioni, si acceptata sit, vti constat ex hoc c. & c. 3. eod. tit. Ergo ex pacto etiam nudo in foro Ecclesiastico actio concedenda est. Ratio reddi debet: quia pacta, & promissiones quæcunque, si ex obiecto malæ non sint, atque à promissario acceptatæ, obligant in conscientia, atque sub peccato mortali: Cùm itaque in foro ecclesiastico Iudex præcipuè intendat animarum salutem, meritò compellit promittentes ad conuentorum obseruationem.

Verùm hæc doctrina quibusdam declarationibus indiget: Prima. Quòd actio ex simplici acceptata promissione oriatur, si promittentis intentio fuit se ex iustitia obligandi: secùs autem, si ex virtute fidelitatis, aut veracitatis tantùm promiseris alicui te donaturum, mutuaturum; tum is, cui promisisti, actionem contra te, seu ius exigendi tanquam debitum non acquirit, vti docui lib. 3. tr. 4. c. 12. n. 1. Et verò cùm hodie promissiones absque animo ex iustitia se obligandi facillimè ac frequenter fiant; quia promissis diues quilibet esse potest: inde accidit, vt Iudex Ecclesiasticus ad eiusmodi simplicium promissionum obseruationem rarò compellat.

Altera. Ex nudo pacto, seu simplici promissione secundùm ius canonicum actio cõceditur in causis, quæ seu ratione personarum, seu ratione materiæ ad forum Ecclesiasticum spectant: in alijs verò causis locum habere potest denuntiatio canonica, vti dixi cit. tr. 4. c. 2. in fine, & plura dici debent in c. nouit, 13. de iudicijs.

Tertia. Ex nudo pacto, aut simplici promissione actio conceditur, si causa adiecta sit, cur aliquid dandum, aut faciendum sit; vt si constet, Titium promisisse se ex liberalitate mihi donaturum, mutuaturum, aut vaccam pro obsequio ipsi præstando daturum; tum obligatio, & actio inde orietur. Sin verò absque causæ, seu tituli expressione tantummodo dixerit Titius, se mihi pecunias, aut vaccam daturum, non ceasebitur orta obligatio & actio, nisi ex coniecturis præsumptio fiat, quòd simpliciter donandi animum habuerit, vti tradit Mol. in tr. 2. de iust. disp. 257. n. 4. & 5. & videri possunt, quæ dixi in cit. cap. 2. num. 3.

Corol-

Corollarium. Si Titius mihi centum aureos promisit, vt Romam eam; iure ciuili non compellitur ad numerandam pecuniam: sed etsi numerauerit, per pœnitentiam recedere potest, ac pecuniam repetere, antequam ego conditionem impleui, seu iter arripui; dummodò resarciat, si meâ interfit pactum impletum non esse, l. si pecuniam, 5. ff. de condict. causa data, &c. Sed secundùm ius canonicum, & forum conscientiæ ita paciscens cogitur stare promissis; quamdiu altera pars parata est implere conditionem, seu promissum suum, vti bene docet hîc Felinus declarat. septima, Couar. in c. quamuis pactum, p. 2. §. 4. n. 14. & dixi in cit. tr. 4. c. 3. n. 3.

CAPITVLVM II.

Quotiens.

PARAPHRASIS.

Conuentiones, seu pacta, quæ in Ecclesiis v.g. fiunt, Pontifex consensu suo postea præstito confirmare, & ratificare potest.

SVMMARIVM.

Conuentio aliquo modo valida, saltem iure naturæ, per consensum Superioris postea adhibitum validatur, & confirmatur.

DIsputant hîc Doctores, vtrùm consensus postea adhibitus actum ratificare aut confirmare possit. Bene respondent hîc Imola, Innoc. in c. cùm consuetudinis, de consuet. Bartol. in l. obseruare, n. 7. ff. de offic. Proconsulis. Vel actus secundùm substantiam omnimodè, etiam spectato naturali iure, irritus est; & subsequente consensu non confirmatur, aut ratificatur: quia quod non est, id confirmari non potest; neque firmatur tractu temporis, quod ab initio de iure non subsistit, reg. 18. in 6. Vel aliquo modo validus est, saltem spectato naturali iure, tum consensu postea adhibito confirmatur. Sic enim alienatio rerum facta à Prælato, per consensum Capituli postea præstitum ratificatur, c. 3. de his quæ fiunt à Prælatis, &c. Item alienatio facta à Rectore Ecclesiæ inferioris, confirmatur per consensum Superioris, (videl. Episcopi, aut Papæ) postea adhibitum, arg. huius c. Vide quæ dixi in c. prudentiam, 20. §. Sed vt hæc, not. 2. de offic. delegati.

Sed obijcitur l. obligari, 9. §. Tutor. ff. de auctorit. tutorum, vbi dicitur, contractum pupilli non confirmari, si tutor auctoritatem postea præbeat. Respondeo cum Gl. margin. in cit. c. 3. Innoc. in cit. c. cùm consuetudinis; Auctoritatem plus aliquid esse, quàm nudum consensum. Nam qui auctoritatem præstat, is principalis esse debet, vt absque eo actus valere non possit pro tempore, quo gestus est; licèt valere possit pro tempore, quo auctoritas interuenit, vti Abb. hîc annotauit.

CAPITVLVM III.

Qualiter.

QVæ promissa sunt, opere adimpleri debent. Vide quæ dicta sunt in cap. 1. hoc titulo.

CAPITVLVM IV.

Cùm pridem.

PARAPHRASIS.

Inter Monachos de Acra, & Publium Clericum fratrémque eius germanum controuersia erat super Ecclesia quadam, & Capella, quibus Publius, eiúsque frater se à Monachis deiectos dicebant. Postea autem inter se priuata auctoritate transegerunt, vt Publius ac frater eius lite cederent; Monachi autem eisdem tres marchas argenti soluerent in compensationem expensarum. Eam postea compositionem seu transactionem Apostolica auctoritate confirmari volebant: Sed Alexander III. admittere noluit, eò quòd illicitæ seu simoniacæ pactionis speciem contineret: Quamobrem alium partibus compositionis modum proposuit, vt videl. Publius pro se, & fratre suo liti renuntiaret, ideóque

que instrumenta authentica traderet, quæ super illa causa habebat; ipsis autem Monachi de alio beneficio prouiderent. Cùm autem Monachi compositioni huic non acquiescerent, mandauit Papa, vt nisi beneficium dictis fratribus assignent, ipsi ad Ecclesiam, & Capellam restituantur, si Iudicibus super hac causa delegatis constiterit, eos absque ordine iudiciario deiectos fuisse. Idque non obstantibus literis confirmationis, quas Monachi à Papa impetrauerant.

Svmmarivm.

1. *Illicita & simoniaca est transactio, si propria auctoritate vna pars lite, & iure beneficiario cedat, altera verò temporale quippiam offerat.*
2. *Resignans ius suum v. g. beneficiarium, cogendus est tradere instrumenta.*
3. *Papa licèt possit litigantes super beneficio per plenitudinem suæ potestatis cogere ad renunciandum & componendum, non tamen facilè solet, nisi grauis causa vrgeat.*
4. *Renuncians beneficio in manibus Superioris per transactionem, vt pars altera quippiam præstet, hac conditione non impletâ beneficium repetere potest, & quidem propria etiam auctoritate, si resignatio facta sit in manibus Papæ.*

1 Notandvm I. Illicita, & simoniaca censetur transactio, si propria auctoritate fiat, vt vna pars lite, & iure beneficiario cedat, altera verò temporale quippiam offerat, v.g. expensas factas restituat. Idque diligenter annotandum esse, monet Imola hîc n. 2. quia sæpe tales illicitæ pactiones instituuntur, quæ de iure non valent, sed damnatæ sunt, c. vlt. hoc tit. c. constitutus, 4. de transact. c. quæsitum, 6. de rerum permut. Sed interueniête Superioris auctoritate nihil prohibet talem transactionem inter partes instituí, vt vna earum lite, & iure, si quod habet in beneficio, abscedat, altera ipsi expensas factas refundat, aut pensionem annuam soluat, vt docui lib. 4. tr. 10. c. vlt. n. 51. 58. & 59. & videri hîc potest Innoc.

2 Notandvm II. Qui renuntiauit iuri suo, v.g. beneficiali, cogendus est tradere instrumenta; cùm ipsi prodesse ampliùs non possint. Ita etiam sumitur ex l. vlt. C. ad exhibendum, vbi generatim dicitur; quòd is, cui satisfactum est, cogi possit ad exhibenda ac reddenda instrumenta, quę ad eam causam pertinent, quippe cùm ex ijs nihil iam petere possit. Ita Gl. hîc ver. resignauit.

3 Notandvm III. Quamuis Sum. Pontifex litigantes super beneficio per plenitudinem potestatis suæ cogere possit ad renuntiandum, & componendũ, tamen id non facilè solet; nisi causa valde intricata sit, vel diu litigatum, vel alia necessitatis causa vrgeat: Imò tali casu etiam Iudex inferior compositionem imperare poterit, vt dixi in rubr. de treuga, & videri hîc potest Abb. n. 6.

4 Notandvm IV. Si quis renuntiauit beneficio in manibus Superioris per viam transactionis, vt pars altera quippiam præstet; non impletâ istâ conditione, beneficium suum repetere potest; Imò verò propria auctoritate reassumere, saltem si resignatio facta fuit in manibus Papæ, sicuti in simili de permutatione beneficiorum dixi lib. 4. tr. 2. c. 17. n. 7. §. Hinc etiam, & videri potest Imola hîc n. 7. Abb. n. 11. Gl. ver. restitui faciatis.

CAPITVLVM V.

Accepimus.

Paraphrasis.

Sacris canonibus inimica, atque irrita est pactio, si quis ita in Ecclesia instituatur, vt post mortem ejus certum successorem v.g. cognatum suum habeat.

Svmmarivm.

Non valet pactum de succedendo in ecclesiasticis beneficiis; vnde etiam promissiones de beneficio nondum vacante prohibita

sunt, neque Coadiutor Prælato dari potest cum successendi potestate, nisi ex plenitudine potestatis papalis.

NOTANDVM Vn. Pactum de succedendo in Ecclesiasticis beneficijs reprobatur, vti etiam constat ex c. ex transmissa, 7. de filijs Presbyter. c. 2. de concess. præb. & in c. Apostolica, 7. causa 8. quæst. 1. quibus habetur, quòd Ecclesiæ, & beneficia ecclesiastica nō per successionem veluti hæreditariam, sed per canonicam electionem, aut institutionem obtineri possint; & quidem non antè, quàm ea vacent. Quamobrem & promissiones de beneficio nondum vacante prohibitæ sunt, c 3. de concess. præbendæ: Neque Coadiutor Prælato dari potest, cum succedendi potestate, vti tradit Trident. Concil. sess. 25. c. 7. de reform. & dixi de hoc in qq. disput. de elect. c. 4. q. 30. Excipitur verò plenitudo potestatis papalis; per quam talia fieri possunt, sicuti ex communi Imola monet in hoc c.

CAPITVLVM VI.

Cum Clerici.

PARAPHRASIS.

Decedentibus Rectoribus quarundam Ecclesiarum, ex quibus pensio annua Collatori, v.g. Episcopo, solui consuetum erat, Clerici promittebant maiorem pensionem se soluturos, si instituantur. Hoc intellecto mandat Alexander III. Archiepiscopo Cantuariensi, vt talia imposterum fieri prohibeat; qui autem contra prohibitionem, per detestabile eiusmodi simoniæ vitium instituti fuerint, appellatione remota, ab Ecclesiis remoueat, atque ecclesiastica seueritate puniat.

SVMMARIVM.

1. *Simoniacum pactum est, si quis promittat pensionem annuam, vel augmentum pensionis antiquæ, si in beneficio instituatur.*
2. *Ob rationabilem tamen causam potest Episcopus cum consensu Capituli pensionem vacantis beneficij augere, sed ante eius collationem.*
3. *Potest & monasterium, si in parochia v.g. sibi incorporata faciat inuestiri Vicarium, reseruatâ sibi pensione, auctionabiliter & constanter reditibus parochialibus, eandem augere; modo augmentum illorum non proueniat ex industria Vicarij.*

NOTANDVM Vn. Simoniacum pactum est, si quis promittat pensionem annuam, aut augmentum pensionis antiquæ se soluturum, si in beneficio instituatur: Quia promittitur aliquod temporale pro spirituali, vti etiam constat ex c. vn. in fine. Vt eccle. siastica beneficia sine diminutione conferantur.

Pro pleniore intellectu aduerte, quòd interdum Ecclesiis, aliisue beneficijs pensiones impositæ sint, seu Papæ auctoritate ad subleuandam inopiam mensæ Episcopalis, vel auctoritate Episcopi, cum Capituli consensu, ad subleuandam inopiam fabricæ Ecclesiæ Cathedralis, aut soluenda debita Episcopatûs, vti docui lib. 4 tr. 2. c. 18. q. 3. n. 4. Dicitur itaque in hoc c. si quispiam in tali beneficio instituendus promittat maiorem pensionem, quàm antè consuetum erat, se soluturum, vt institutionem faciliùs consequatur, pactionem fore simoniacam. Cæterùm ob causam rationabilem necessitatis quandoque non prohibetur Episcopus cum Capituli consensu pensionem beneficij vacantis augere, si videl. maiores nunc quàm antea prouentus ex beneficio proueniant. Sed debet hæc auctio, & omnis impositio pensionis fieri ante beneficij collationem; quia si in ipsa collatione fiat, periculum est prauitatis simoniacæ, quando pensionis solutio in commodum Collatoris directè, vel indirectè cedit, vti dixi in cit. c. 18. n. 5.

QVÆRIT hîc Abbas Panormit. Si Monasterium v. g. in parochia sibi incorporata faciat inuestiri Vicarium, reseruata sibi pensione annua, secundùm reditum facultatem, vtrùm

vtrùm auctis reditibus parochialibus pensio augenda sit. Et respondet affirmatiuè; sicuti &, vice versa, diminutis reditibus, pensionem diminui æquum est. Id verò intelligi debet primò, si auctio & diminutio redituum notabilis sit, & non vno tantùm, sed pluribus annis duraus. Secundò; Si maior redituum prouentus ex industria Vicarij seu beneficiati proueniat, pensio augenda non est, ne ipsi diligentia sua damnosa sit iuxta l. vlt. C. de alluuionibus, & notat hîc Gl. ver. pensiones, & in simili dixi lib. 3. tr. 4. c. 22. q. 5.

De pœnis, quibus collatio beneficij facta per simoniam obnoxia est, vide quæ dixi lib. 4. tr. 10. c. vlt. §. 7.

CAPITVLVM VII.

Plerique.

Paraphrasis.

Clerici tum regulares, tum seculares, domos suas locabant, aut feuda concedebant, pacto in præiudicium Ecclesiarum parochialium appositio, vt conductores, aut feudatarij decimas ipsis soluerent, vel sepulturam apud eos eligerent. Tale pactum Innoc. III. irritum esse decernit, præcipiens, vt quidquid occasione eius perceptum fuit, Ecclesiæ parochiali reddatur.

Svmmarivm.

1. *Non tenet pactum cedens in alterius non consentientis præiudicium.*
2. *Prohibitum & irritum est pactum, vt quis extra suam parochiam in ecclesia regulari, vel seculari sepeliri debeat.*

Notandvm I. Non valet pactum, quatenus in alterius non consentientis præiudicium cedit. Idque maximè verum est, si pactum priuatorum iuri publico Ecclesiæ repugnet, vt hîc, & consentit c. si diligenti, 12. de foro compet. & l. inter, 42. ff. de pactis. 1

His adde, si decimæ ex tali pacto Clericis traditæ sint, quòd Parochus, cui decimæ debentur, agere possit vel contra Parochianos actione personali ex canone; vel contra Clericos decimarum possessores actione veluti reali, vti colligitur ex c. pastoralis, 28. de decimis, & c. Si quis laicus, 42. causa 16. q. 1. iuncta Gl. ver. inde abstrahere, & tradit Gl. in c. in aliquibus, 32. de decimis, vbi ait; *Pactum non nocet Ecclesiæ, quin à quolibet possessore possit petere decimas.* Vide quæ dixi lib. 4. tr. 6. c. 2. n. 4.

Notandvm II. Prohibitum atque irritum est pactum, vt quispiam fidelium extra parochiam suam in Ecclesia regulari, vel seculari sepeliri debeat, vti etiam habetur in c. 1. de sepult. in 6. & Clem. Cupientes, §. sanè, de pœnis. Licèt enim quisque sepulturam in alia, quàm parochiali sua Ecclesia, eligere possit, c. 1. de sepulturis, non tamen promissione, seu fide data ad id astringi debet, vti Abb. hîc monet not. 2. & videri possunt quæ dixi lib. 3. tr. 5. c. vlt. q. 2. & 3. 2

CAPITVLVM VLT.

Pactiones.

Paraphrasis.

Irritæ sunt pactiones, quæ fiunt pro spiritualibus obtinendæ: quandoquidem etiam secundùm leges ciuiles, pactum turpe, aut rei turpis, seu impossibilis de iure, aut de facto, obligationem nullam parit.

SVMMARIVM.

1. *Turpe, simoniacum, & irritum est pactum pro obtinenda re spirituali. intellige, si vicissim detur res temporalis, vel spiritualis, cui temporale annexum est.*
2. *Promissio turpis, seu de re turpi, nullam obligationem parit.*

Notandvm I. Turpe, simoniacum, & irritum est pactum pro obtinenda re spirituali. quod intellige, si vicissim detur res temporalis, aut spiritualis, cui temporale annexum est. Sin verò pro re merè spirituali 1

promittatur, aut detur alia res merè spiritualis, non est pactio turpis, aut simoniaca. Voco autem hîc rem temporalem, quæ est pretio æstimabilis; rem autem merè spiritualem, cui nihil pretio æstimabile annexum est, vt sacræ reliquiæ.

Exemplis declaratur: I. Si collatori v.g. Episcopo obsequia tua seu seruitia in vnum, vel alterum annum promittas, vt beneficium tibi conferat, simoniacum pactum est; quia pro spirituali beneficio promittitur temporale & pretio æstimabile seruitium.

II. Si quis Capellaniam collatiuam, aut non collatiuam propria auctoritate commutet cum beneficio v. g. parochiali, simoniâ committitur; quia commutatur spirituale cum altero spirituali, cui temporale annexum est, iuxta c. quæsitum, 5. de rerum permut. & explicaui lib. 4. tract. 10. cap. vlt. n. 51. Simili ratione, si Episcopus alicui beneficium conferat, eo adiecto pacto, vt sacræ reliquiæ ipsi donentur, simoniaca & turpis est conuentio; quia res spiritualis, vid. sacræ reliquię comparantur per beneficium, cui temporales reditus annexi sunt.

III. Si promittam me recitaturum tria rosaria pro Titio, ea conditione vt ipse pro me sacrificet, licita est conuentio; quia res merè spiritualis pro re merè spirituali promittitur. Simili ratione concessum est sacras reliquias cum alijs sacris reliquijs commutare: nisi vnæ reliquiæ pretiosiora inuolucra habeant, tum periculum ac suspicio est, quòd temporalis pretij ratio habeatur in commutatione; nisi appareat, gratis dari, seu condonari.

NOTANDVM II. Promissio turpis, seu de re turpi, atque inhonesta, nullam obligationem parit. Quia *nemo potest ad impossibile obligari*, reg. 6. in 6. Siue id sit impossibile de facto, vt cælum digito contingere; siue de iure, vt hominem occidere, sacrilegium facere. Consentit l. 26. & 27. ff. de verb. oblig. *Generaliter nouimus, turpes stipulationes nullius esse momenti: Veluti si quis homicidium vel sacrilegium facturum promittat.*

Sed aduertendum hoc loco est, interdum contingere, vt promissio pecuniæ ob causam turpem, dum ea pendens est, turpis & non obligatoria censeatur; sed post finitam causam, seu impletam conditionem obligare incipiat; ideóque nec repeti possit, quòd ob talem causam datum fuit. Vt si promiseris mulieri pecuniam te daturum, si corporis sui copiam faciat, nulla oritur obligatio, cùm promissio sit ob turpem causam: sed postquam causa, ob quam promissio facta est, completa fuit, tum obligaris ad soluendum, & quod soluisti, repetere non potes: Quia licèt turpiter illa faciat, quòd sit meretrix, non tamen turpiter accipit, cùm sit meretrix, ait Vlpian. in l. 4. in fine, ff. de condict. ob turpem causam, & copiosiùs dixi in lib. 3. tract. 4. c. 4. assert. 8. §. Veruntamen. Videri etiam potest Bartolus super cit. l. generaliter, 26. ff. de verb. oblig.

CAPITVLVM I. eod. Tit. in 6.

Pactum.

PARAPHRASIS.

Religiosi alicuius Monasterij, qui ex priuilegio Apostolico liberam habent facultatem in sua Ecclesia sepeliendi parochianos, pacti sunt cum Rectore parochialis Ecclesiæ, quòd vel omnes parochianos, vel certos aliquos ad sepulturam recipere nollent: dubitatum fuit, vtrùm hoc pactum Monachi seruare debeant, ideóque si parochianus apud ipsos sepulturam elegerit, recusare debeant. Affirmatiuè respondet Gregor. IX. Quia per pactum istud accepto priuilegio derogatum fuit.

SVMMARIVM.

1. *Priuilegio Apostolico priuilegiati renunciare possunt, si eorum tantum commodum seu fauorem concernat.*
2. *Rector Ecclesiæ, siue Parochus etiam se*

no

ne Superioris auctoritate paciſci poteſt in fauorem & commodum eccleſiæ ſuæ.

1 NOTANDVM I. Priuilegio Apoſtolico priuilegiati renũtiare poſſunt, ſi eorum tantùm cõmodum, ſeu fauorem concernat. Conſentit c. Cùm M. 9. de Conſtit. c. ſi de terra, 6. c. accedentibus 19. de priuileg. Quia liberum eſt cuique iuri ſuo renuntiare, cit. c. ſi de terra. Accedit, quòd renuntiatio hæc priuilegij ideo faciliùs admittitur, quia per eam reditur ad ius commune, quod fauorabile eſt. Etenim ſpectato iure ordinario, ad ſolas Eccleſias parochiales ius ſepeliendi parochianos ſpectat; ad alias autem Eccleſias Collegiatas, aut Conuentuales non niſi ex priuilegio, vti docui lib. 3. Th. mor. tr. 5. c. vlt. n. 3.

Obijcies: Parochiani habent liberam facultatem eligendi ſepulturam extra parochiam ſuam, c. 1. de Sepulturis: Ergo non poſſunt repelli, ſi voluerint ſepeliri in Eccleſia eius Monaſterij, cuius incolæ priuilegio renuntiarunt: quandoquidem pactum non obligat, quatenus cedit in præiudicium alterius non conſentientis, c. penult. extrà, hoc tit. Reſp. Quòd Parochiani eligere poſſunt ſepulturam non in omni Eccleſia, ſed in ea tantùm, quæ ius ſepeliendi habet: At verò Monaſterium ius ſepeliendi perdidit, poſtquam priuilegio ſuo renuntiauit. Accedit, quòd licèt Parochiani ius habeant extra Parochiam eligendi ſepulturam, ſi admittantur; non tamen cogere poſſint, vt recipiantur, ſicuti Anchar. & Dominic. hîc notarunt.

2 NOTANDVM II. Rector Eccleſiæ, ſiue Parochus etiam ſine Superioris auctoritate paciſci poteſt in fauorem & commodum Eccleſiæ ſuæ. Ita colligitur ex hoc textu, & docent Ioann. Andr. & Petr. Anchar. hîc in princ. Domin. Geminianus in fine, & ſumitur ex l. non eo minùs, 14. C. de Procurator. vbi habetur; Licèt ſententia lata contra Minorem natu agentem per procuratorem abſque tutoris auctoritate non valeat, iuxta l. 1. & 2. ff. Qui legit. perſon. ſtandi &c. valere tamen, ſi pro Minore pronuntiatum fuerit: Quia lex, quæ minoribus læſis ob ætatem ſubuenit, non rebus proſperè geſtis obeſſe debet. Eccleſia autem iure Minoris fungitur, c. auditis, 3. de in integr. reſtitut. Quare de ea dici poteſt, Licèt adminiſtratores, vel Rectores eius obeſſe ei non poſſint alienando, abſque Superioris auctoritate, vti conſtat ex c. Abbatibus, 41. cauſa 12. q. 1. & docent DD. nominatim Abb. in c. 1. n. 5. De his quæ fiunt à Prælatis &c. poſſe tamen Rectores Eccleſijs ſuis prodeſſe acquirendo, v. g. donationes aut debitorum remiſſiones acceptando, vti etiam dixi lib. 3. Theol. moral. tr. 4. c. 1. coroll. 2.

CAPITVLVM II.

Quamuis.

PARAPHRASIS.

Licèt lex ciuilis improbet pactum inter patrem & filiam, quòd dum nuptui traditur, contenta dote paterna, hæreditati renuntiet, ſi tamen huiuſmodi pacto iuramentum abſque vi, & dolo acceſſerit, omnimodè ſeruandum eſt, cùm ſine peccato, ſeu ſalutis æternæ diſpendio ſeruari poſſit, neque in alterius cuiuſpiam detrimentum redundet.

SVMMARIVM.

1. *Legi improbanti pactum, quod filia contenta dote nullum ad bona paterna regreſſum habeat, per contrariam conſuetudinem, aut ſtatutum municipale derogari poteſt.*
2. *Pactum affirmatiuum de ſuccedendo in hæreditate, ne appoſito quidem iuramento confirmatur; ſecùs eſt, quando pactum eſt negatiuum de non ſuccedendo.*
3. *Quiuis hæres neceſſarius ſi hæreditati cum iuramento renuntiet, valida eſt renunciatio, modo dolus, aut vis nulla interueniat; alterutro enim horum inter-*

ueniente pactum renunciationis efficacem obligationem non parit.

4. *In renunciatione filiæ maximè attendendum est ad causam, ob quam, vel in cuius fauorem facta sit, si verbis expressum non sit.*
5. *In dubio interpretari oportet renunciationem, vt quàm minimè lædat renunciantem.*
6. *Iuramentum promissorium seruandum est, si absque dolo, aut vi præstitum, in salutis propriæ dispendium, aut tertiæ personæ præiudicium non cedat.*

1 LEx improbans pactum, quòd filia cõtenta dote nullum ad bona paterna regressum habeat, est in ordine 3. C. de collationibus: Etenim propter bonum publicum Cæsaris legibus constitutum est, vt hæreditas pactis nec dari, nec auferri possit, l. hæreditas, 5. C. de pactis conuentis, l. si quando, 35. §. illud, C. de inoffic. testam. & videri potest Couar. in hoc c. princip. n. 1.

Verùm cùm hæc constitutio non ex naturali, sed ciuili tantùm iure sit, hinc sequitur primò; Quòd ei derogari possit per contrariam consuetudinem, aut statutum municipale. Qua ratione in Germania inter personas illustres ac nobiles vsurpatum est, vt pacta gentilitia fiant, **Erbeinigung**, quibus fœminæ accepta aliqua bonorum mobilium portione, reliquæ hereditati masculis obuenturæ renuntient, ob familiæ conseruationem. Qua de re videri potest And. Gaill lib. 2. obseruat. 127.

Sequitur secundò: Quòd Princeps, qui in Imperio est Imperator, eiusmodi pacta, quæ de succedendo, aut non succedendo in hæreditate contra ius commune instituuntur, approbare possit, sicuti ex communi docent Molin. tr. 2. tom. 3. priore, disp. 578. Gaill loco cit. Constat enim, Principem legibus non ita astringi, quin eis ex causa iusta derogare, seu dispensare possit. Quamobrem ob maiorem securitatem consuetum est in Germania, vt dicta gentilitia pacta imperatoria auctoritate confirmentur.

Discrimen autem est inter pactum affirmatiuum de succedendo in hæreditate, & inter negatiuum de non succedendo; quòd illud ne quidem apposito iuramento confirmetur, ita vt actio ex iustitia tribuatur. Quare si Titius Caio iuratus promittat, se hæredem ipsum instituturum esse, ac postea mutata voluntate alium instituat, licèt Titius periurij crimen incurrat, tamen valebit institutio, neque contra Titium, aut eo mortuo contra hæredem instititutum actio concedetur. Idque meritò ciuilibus legibus constitutum fuit, quia tale pactum de succedendo, cùm ansam præbeat mortis machinandæ promissori, bono communi multùm incommodare censetur, vt dixi lib. 4. Theol. moral. tr. 3. c. 8. At verò pactum de non succedendo, seu renuntiatio hæreditatis, cùm ansam mortis machinandæ nullam præbeat, iuramento confirmari potest, ita vt exinde actio oriatur contra renuntiantem, sicuti ex communi docet Petr. Ancharan. hîc col. 2. Dominic. in Gl. fin. Couar. in hoc c. p. 3. initio n. 1. §. Igitur. 2

Sed pro maiore intellectu huius c. quæritur primò: Cur de filia renuntiante duntaxat mentio fiat? Resp. Id exempli causa factum esse, quia frequentiùs filiæ, quàm filij hæreditati paternæ renuntiare solent. Idem verò omnino sentiendum est de quouis hærede necessario descendente, vel ascendente, si hæreditati sibi debitæ cum iuramento renuntiet, renuntiationem validam esse, sicuti ex communi docet Couar. in hoc c. p. 3. §. 1. & 2. Requiritur tamen, vt renuntians pubes sit; at verò impuberem ex iuramento non obligari ciuiliter, docent DD. in Auth. Sacramenta puberum, C. si aduersus venditionem, & Domin. hîc col. 1. Gl. ver. seruari debebit, Couar. p. 3. §. 1. n. 3.

QVÆRITVR secundò; Si aliquis ex descendentibus v. g. filius, vel filia hæreditati paternæ, aut maternæ omnino, & in totum renuntiet, nulla portione accepta, vtrùm renuntiatio propter appositum iuramentum valeat? Negat Petr. de Ancharano hîc col. 1. arg.

1. arg. huius c. ver. dote contenta. Sed distinguendum cum Dominico hìc col. 2. Couar. §. 2. n. 6. Molina cit. disput. 587. concl. 3. parte 4. & disp. 579. n. 33. Si filius, aut filia aliunde bona habeat, vel per industriam suam, aut alio quouis modo acquirere possit, quæ sufficiant ad sustentationem, valet talis renuntiatio iurata. Sin autem filius vel filia bona sufficientia ad sustentationem non habeat, nec facilè habere possit, tunc pactum renuntiationis, nisi alimenta necessaria excipiantur, iuri naturali repugnat, cui iuramentum præiudicari nequit. Atque ob hanc formatur casus huius c. de filia, quę dote contenta, reliquæ hæreditati renuntiat; quia si aliunde marito vel Monasterio dotem (quæ instar alimentorum esse censetur) afferre non possit, hæreditati paternæ, aut maternæ renuntiare haud poterit.

3 QVÆRITVR tertiò; Cur dicatur, iuramentum omnino seruandum, si neque vi, neque dolo adhibito præstitum sit. Respondeo, cum Dominic. hìc in fine col. 1. ideo sic dici; Quia si dolus, aut vis aliqua interuenit, licèt iurans, ob reuerentiam Numinis diuini, ex Religionis virtute obligetur, potest tamen iuramenti relaxationem petere, vti docui lib. 4. Th. mor. tr. 3. c. 7. q. 5. Potest etiam Magistratus cogere eum, qui dolum aut vim intulit, vt iuramentum remittat, aut illo etiam nolente ipsemet Iudex relaxare, vti docui cit. tr. 3. c. 4. n. 3. & c. 11. n. 9. Exemplum doli est, si parentes persuadeant filiæ, minores esse facultates suas, quàm reuerà sint, vt contenta dote modica reliquæ hæreditati renuntiet. Exemplum illatæ vis, seu inuoluntarij mixti est, si ideo filia renuntiet hæreditati paternæ, quia nisi id faciat, dotem à patre consequi non potest. His casibus, pactum renuntiationis iuramento non confirmatur efficaciter: quamobrem filia, si iuramenti relaxationem impetret, hæreditatem sibi debitam petere potest; imò nepotes ex filio, aut filia, quæ renuntiauerat, iuramenti relaxatione non indigent ad petendam hæreditatem; cùm iuramenti obligatio, vtpote personalis, illos non afficiat; pactum autem renuntiationis, si per vim extortum sit, efficacem obligationem non pariat, vti obseruauit Couar. in hoc c. p. 3. §. 2. n. 6. Mol. cit. disp. 579. n. 14. 28. & 35.

Ad extremum, bene monet Couar. cit. 4 p. 3. §. 3. n. 4. Andr. Gaill. p. 2. obseruat. 148. n. 4. Mol. cit. disp. 579. n. 19. Quòd in renuntiatione filiæ, si verbis sufficienter expressum non est, maximè attendendum sit ad causam, ob quam facta, vel in cuius fauorem facta est; num potissimùm in fauorem fratrum, tunc ijs mortuis filia admittenda erit ad hæreditatem, quia deficit conditio, ob quam iuri suo renuntiauerat. An verò in fauorem agnationis propagandæ; tunc non admittitur ad hæreditatem paternam, etiam mortuis fratribus, si agnatus lateralis supersit. An denique simpliciter renuntiarit in fauorem patris, vt liberè de rebus suis disponere possit, quia ipsa Monasterium v. g. ingressura est, tunc regressum non habebit ad capessendam hæreditatem paternam, tametsi omnes agnati ante patrem moriantur. In dubio autem ita in- 5 terpretari oportet renuntiationem, vt quàm minimè lædat renuntiantem; cùm ea stricti iuris existat, vti ex communi docui lib. 3. Th. mor. tr. 5. c. 7. n. 2. vbi plura leges, quæ hoc loco omissa sunt.

His explicatis notanda est regula huius 6 textus: Iuramentum promissorium inuiolabiliter seruari debet, si absque dolo, aut vi præstitum, in salutis propriæ dispendiũ aut tertiæ personæ præiudicium non cedat. Qua de re plenè dixi lib. 4. Theol. moral. tr. 3. c. 6. & seqq.

CAPITVLVM VIt.

Quia ex eo.

PARAPHRASIS.

Pacta, & transactiones, quæ inter Religiosos mendicantes, & Prælatos, Capitula, & Rectores Ecclesiarum &c. super iuribus parochialibus, aut similibus articulis

culis inita sunt à Prioribus Conuentualibus, aut Guardianis cum consensu Cõuentus, rata esse debent & firmiter obseruari, tametsi Prouincialis, aut Generalis eorum, vel Sedis Apostolicæ assensus non accesserit, neque eiusmodi pacta in prouincialibus, aut generalibus Capitulis approbata fuerint. Idque propterea, vt dicti Religiosi puritatem suam conseruent, & scandala, quæ alioquin oriri possent, caueantur.

SVMMARIVM.

1. *Hac constitutione priuilegia ab Alexandro & Honorio IV. Fratribus minoribus concessa, sunt reuocata: ea autem pòst Sixtus IV. eisdem restituit.*
2. *Quid in contractibus & alienationibus in Mendicantium Ordinibus obseruandum sit, ex cuiusque consuetudine & statutis, Apostolicisq; priuilegijs & decretis, Bonifacij VIII. constitutione posterioribus petendum est.*

1 HAc Constitut. Bonifacij VIII. correcta ac reuocata sunt priuilegia, quæ priùs Fratribus Minoribus ab Alexandro IV. & Honorio IV. concessa erant, apud Rodriq. tom. 1. regul. q. 27. a. 3. Sed postea Sixtus IV. reduxit eos ad pristina iura & priuilegia apud eundem Rodriq. vbi ait: *Et sic in nostra sacra Religione Minorum obseruatur: Nullus enim Guardianus, neque Abbatissa etiam cum consensu suorum Conuentuũ, aliquem contractum efficere potest, sine expressa P. Prouincialis auctoritate.* Quemadmodum enim Rector Ecclesiæ Collegiatæ inferioris præter consensum Capituli sui, impetrasse etiam debet Episcopi consensum, vt iura & bona immobilia Ecclesiæ suæ alienare possit, vti colligitur ex c. 2. de transact. vbi id docet Abb. n. 3. ita etiam Rector Monasterij subordinatus Generali, tanquã Episcopalem iurisdictionem erga suos habenti, eiusdem quoque auctoritatem & assensum requirere debet ad alienationem. Is porrò Generalis Prouincialibus suis potest, & frequenter committere solet, vt dictum assensum ipsimet præstent.

2 Quapropter, quid in contractibus & alienationibus iurium suorum in Mendicantium Ordinibus obseruandum sit, ex cuiusque consuetudine & statutis, Apostolicisque priuilegijs & decretis, Bonif. VIII. constitutione posterioribus, petendum est.

TITVLVS XXXVI.

DE TRANSACTIONIBVS.

CAPITVLVM PRIMVM.

Sicut graue.

PARAPHRASIS.

PErsonæ quædam Ecclesiasticæ controuersiam, quam inter se de bonis, aut iuribus suis habebãt, salubri transactione finierunt, petentes à Gregor. I. Pontifice, vt eam auctoritate sua confirmaret. Quamobrem respondit Pontifex, instrumenta omnia, & quidquid aliud est, quod parti vni aut alteri super causis transactione finitis fauere posset, iam pro irrito, & vacuo habendum esse, solámque transactionis conuentionem obseruandam. Sed etsi in ea per incuriam, vel imperitiam defectus aliquis commissus sit, se illum Apostolica auctoritate & cõfirmatione ex certa scientia supplere.

NOTAN-

SVMMARIVM.

1. *Lites inter Christianos, maximè Ecclesiasticos, per transactionem aut compositionem partium componendæ & finiendæ.*
2. *Transactio bona fide & sine dolo facta, parit exceptionem litis finitæ, vt instar rei iudicatæ haberi debeat, ita vt si læsio grauis partis post transactionem appareat, nihilominus tamen transactio firma manere debet, neque rescindi; secùs est, si læsio fiat in ipsa transactione.*
3. *Confirmatio Principis si fiat ex certa scientia, seu cum causæ cognitione, supplet defectum actûs, qui confirmatur; si quidem sit defectus iuris positiui, & non naturalis, nec specialem dispensationis expressionem exigat.*

1 NOTANDVM I. Consultum & salubre est, vt lites inter Christianos, maximè Ecclesiasticas personas, per transactionem, aut compositionem partium finiantur. Ita sumitur ex hoc c. ver. salubrem, & annotatis lib. 2. tr. 4. c. vlt. n. 8. in fine.

2 NOTANDVM II. Tametsi post transactionem, repertis v. g. instrumentis, appareat, re ipsa grauiter læsam esse vnam transigentium partem, vt nec dimidium eius, quod ipsi re ipsa competebat, acceperit, tamen transactio firma manere debet, neque rescindi. Ita etiam habetur in l. Lucius, 78. in fine, ff. Ad Trebellian. & in l. sub prætextu, 19. & 29. C. de Transactionibus. Ratio est: Quia in casu dubio, & controuerso vtraque pars incerto euentui sesponte committit, perinde ac in ludo: dummodò dolus alterius partis non interueniat, vt si fraudulenter occultet ea, quę manifestari debent, vti colligitur ex cit. l. 19. Quare dici solet, quòd transactio, si bona fide & sine dolo facta sit, litem finitam faciat, vt instar rei iudicatæ haberi debeat.

Intelligitur autem tradita doctrina, si læsio partis postea appareat, v. g. propter instrumenta nouiter reperta. Sin verò læsio iniusta in ipsa transactione contingat; quia reuerà ius dubium, quod vna pars habebat, maius tunc maiorísue ponderis erat, quàm æstimabatur, inæqualitas hæc in conscientiæ foro ad æqualitatem reduci debet: Imò etiam in conscientiæ foro remedium rescissionis ex lib. 2. C. de rescind. vendit. dari deberet, perinde vt in alijs onerosis ac reciprocis contractibus, si læsio vltra dimidium iusti fuit, sicuti bene cum Bartolo & alijs docet Mol. tr. 2. de iust. disp. 556. n. 16. Quamuis talis rescissio in transactionibus concedi vix soleat, nisi læsio enormissima sit, ideóque dolus præsumatur, vti docui cit. c. vlt. n. 2. Vel nisi Minor natu, aut Ecclesia in huiusmodi transactione læsa sit, tum ei Iudicis officio succurritur per in integrum restitutionem, iuxta l. 1. & 2. C. Si aduersus transactionem.

NOTANDVM III. Confirmatio Prin- 3
cipis, si fiat ex certa scientia, seu cum causæ cognitione, supplet defectum actus, qui confirmatur. Hoc loco aduerte, quòd duplex sit confirmatio, vt videre est apud Imolam hîc in fine, Tabienam ver. confirmatio, n. 14. & 15. Tuschum eod ver. concl. 710. Vna in forma communi, quæ ius aut valorem actui non tribuit, sed supponit; ideóque approbat actum, quatenus de iure validus est, iuxta c. 1. & 2. de confirmat. vtili, & inutili. Altera est confirmatio ex certa scientia, si nimirum Princeps actum approbans seu confirmans eius plenam cognitionem se habere significet. Et talis confirmatio ius ac valorem tribuit actui, si defectu aliquo, seu requisita solemnitate careat, vt hîc apparet.

Sed limitandum est primò: Quòd confirmatio ex certa scientia suppleat defectus iuris positiui, quippe in quibus Princeps dispensare potest; non item suppleat defectus iuris naturalis: Vt si contractus vsurarius fuit, confirmatione Principis, tametsi ex certa scientia facta dicatur, nõ poterit validari, vti bene notat Imola hic in fine, Abb. n. 5.

Limitandum est secundò: Quòd per generalia verba, confirmamus *ex certa scientia, vel per plenitudinem potestatis, vt vires habeat plenissimæ notionis &c.* non censetur

suppleri defectus, qui specialem dispensationis expressionem desiderat, cuiusmodi est personæ inhabilitas, vel si confirmatio cedat in præiudicium aliorum. Exempli causa confirmatio electionis factæ de intruso, tametsi dicatur facta ex certa scientia, censetur subreptitia, nisi mentio fiat intrusionis. Similiter, si alicui possessiones per violentiam acquisitæ confirmentur ex certa scientia, ceniebitur subreptitia confirmatio, nisi mentio fiat violentæ occupationis, vel nisi aliunde constet, Principem eius notitiam habuisse. Vt docet Specul. tit. de legato, §. Nunc ostendendum, ver. 18. Tabiena cit. n. 15. Bertachinus in repert. ver. confirmatio privilegiorum, Tuschus cit. concl. 710. n. 22.

CAPITVLVM II.

Statuimus.

Paraphrasis.

Alexander III. scripsit ad quosdam, si inter ipsos & personam aliquam Ecclesiasticam, cum consensu Episcopi, compositio super decimis facta fuit, eam firmam esse oportere.

Svmmarivm.

1. *In alienationibus & transactionibus super iuribus ecclesiæ inferioris, requiritur consensus Episcopi, aut Archiepiscopi, cui talis ecclesia subiecta est.*
   Idem sentiendum de Prælatis exemptis, si quasi Episcopalem iurisdictionem habeant; imò etiam de non exemptis, si legitimè præscripserunt iurisdictionem erga ecclesias sibi subiectas, Episcopo excluso.
2. *Potest Parochus super decimis soluendis pacisci, etiam sine consensu Episcopi, ita tamen, vt pactum non sit perpetuum, nec pariat obligationem, nisi personalem, nec ecclesiam afficiat.*

1 NOTANDVM VN. In alienationibus, & transactionibus super iuribus ecclesiæ inferioris, requiritur consensus Episcopi, aut Archiepiscopi, cui talis ecclesia subiecta est. Idem verò sentiendum est de Prælatis quibuscunque, si ab Episcopo exempti veluti Episcopalem iurisdictionem habeant, quòd alienationibus & transactionibus Ecclesiarum plenissimo iure sibi subiectarum, assensum præbere possint, secundùm Gl. in Clem. 1. ver. proprij, de reb. Eccles. non alienandis, Imola hic n. 5. Abb. 4. Qui hoc ipsum extendit ad Prælatos & Capitula non exempta, si legitimè præscripta consuetudine iurisdictionem erga Ecclesias sibi compararunt, iuxta ea quæ dixi in c. 3. de offic. Iudic. ordinarij.

Porrò ex hoc c. ver. personam Ecclesiasticam, colligunt Canonistæ aliqui, vti videre licet apud Ioann. Andr. hic n. 9. Abbat. n. 8. Quòd compositio super decimis absq; Papæ auctoritate fieri non possit cum laico. Sed id ex textu non colligitur, quin potius contrarium, vti Hostiensis, & Imola hic annotarunt: Videtur enim Papa scripsisse ad laicos, si inter ipsos & ecclesiasticam personam, ad quam nomine Ecclesiæ suæ ius decimarum spectat, Episcopi cõsensus intercessit, eam perpetuò obseruandam esse. Quare ita docet Gl. hîc ver. personam Ecclesiasticam, Imola & Abb. ll. cc. Tametsi enim Episcopus laicos, imò & clericos absolutè, ac in perpetuum eximere non possit ab obligatione decimas persoluendi, (cùm ea ex iure vniuersali canonico descendat, quod inferior Papâ remittere, aut relaxare nequit) potest tamen Episcopus in controuersia super decimarum solutione cum laicis compositionem, seu transactionem facere: v. g. si dubium sit, an immunitatem à decimis personalibus, aut prædialibus, in totum, vel secundùm partem præscripserint, vti dixi lib. 4. Theol. moral. tr. 6. c. 6. assert. 9.

2 QVÆRES. Vtrùm persona ecclesiastica v. g. Parochus super decimis soluendis cum Parochianis transigere possit, etiam sine Episcopi consensu? Respond. Non posse ita transigere, vt pactum perpetuum sit, & successores etiam obliget, posse tamen transigere ad vitam suam, ita vt obligatio personalis sit

sit, Ecclesiámque non afficiat. Ita notauit Gl. in c. 3. ver. eandem conuentionem, de decimis, & dicetur infrà hoc tit. c. de cæteto, & c. veniens. Dummodò iure diœcesano tales portiones seu contractus prohibiti non sint.

CAPITVLVM III.

Contingit.

Paraphrasis.

Quæritur, quid iuris sit, si Abbas, vel Prior Conuentualis in causa dubia coram Iudice ordinario, aut delegato, cum parte aduersaria transactionem fecit, sed Capitulũ seu Conuentus eam reuocare velit? Resp. Alexander III. Si Abbas, aut Prior literas Capituli de ratihabitione habuit, id est, quòd Capitulum rata habere velit, quæ ille gesserit; tum transactionem reuocare non potest, quasi in eam non consenserit. Quod maximè verum est, si trãsactio aliquot annis (videl. quadriennio, quod Capitulo, si læsum fuit, ad petendam restitutionem in integrum conceditur) seruata est. Ita explicat Innocent. & Gl. ver. aliquot annis.

Svmmarivm.

1. *Superior alicui causam, secundùm iura decidendã, delegans, non aufert illi facultatem admittendi transactionem.*
2. *Licèt Abbas etiã solus in iudicio agere, & conueniri possit, non tamen potest transigere absque Capituli consensu, nisi super rebus, quarum alienatio ipsi permissa est.*

1 Notandvm I. Si Superior controuersiam alicui deleget, vt eam secundùm iura decidat, non aufert illi facultatem admittendi transactionem, vti etiam constat ex c. de cætero, hoc tit. Nam vniuersim loquendo, ad Iudicem pertinet, si fieri possit, partes ad concordiam reducere, iuxta c. vlt. hoc tit.

2 Notandvm II. Licèt Abbas, etiam solus, iudicio agere, & conueniri possit (saltem si causa valde grauis non sit) cùm ad ipsum generalis, & libera administratio pertineat, vti dixi in c. edoceri, 21. de rescript. non tamen potest transigere absque Capituli consensu. Ita docet Gl. hîc communiter recepta, ver. literas, Hostiensis in sum. hoc tit. §. Quis potest transigere, Innocent. Ioann. Andr. hic. Ratio est: Quia per transactionem deueniri solet ad alienationem: Ergo sicuti Prælatus res Ecclesiæ, absque Capituli consensu alienare non potest, ita neque super eis transigere, arg. reg. 84. in 6. *Cùm quid vna via prohibetur alicui, ad id alia non debet admitti.*

Porro hinc sequitur, quòd Prælatus, v. g. Abbas in causa dubia absque Capituli consensu, transigere possit super rebus, quarum alienatio ipsi permissa est, videl. super rebus modicis, & parum vtilibus; vel super rebus mobilibus non pretiosis, aut quæ seruando seruari non possunt; Item, quòd transigere possit super immobilibus, aut mobilibus pretiosis &c. non ita vt ea perdat, sed vt ea, aliquâ datâ pecuniâ, retineantur, iuxta receptam doctrinam Gl. in l. nulli, 13. ff. de Transact. Abb. hîc n. 3. & dixi lib. 3. Th. mor. tr. 4. c. vlt. n. 4.

Deinde limitanda est tradita doctrina: Quòd Abbas in causa dubia cum legitimo Superioris sui consensu, transigere possit etiam alienando immobilia, si Conuentus generalem ac liberam ei potestatem fecit se rata habiturum, quæcunque in tali causa egerit. Ita colligitur ex hoc c. & tradit Gl. hic ver. literas, Imola n. 6. Bartolus in l. Procurator cui, 58. ff. de Procurator. Gl. in l. Si Procurator, 10. verb. plenam, C. eod. ait: Quòd Procurator ad agendum constitutus transigere possit, si habeat mandatum generale & liberum, non item, si habeat mandatum generale tantùm, iuxta l. mandato, 60. ff. de Procuratoribus, & c. qui ad agendum, 4. de procur. in 6. Quare idem quoque de Prælatis Ecclesiarum, & quibuscunque administrationibus dicendum, si habeant literas generales ac plenas de ratihabitione, quòd omnia facere possint, etiam transigere, & alienare, sicuti si expressum & spe-

cialem consensum habeant ; excepto quòd donare nequeant, sicuti traditur in cit. l. Procurator cui, iun. rubr. & Gl. & videri potest Gl. in c. petitio, 9. ver. generales, ibid. Abb. de procurat.

CAPITVLVM IV.

Constitutus.

PARAPHRASIS.

Inter Gasparem & Alexandrum Clericos controuersia erat super quadam Capella, quam ipsi per transactionem, fide inuicem data, finierunt. Sed cùm Alexander transactione stare nollet, ad Pontificem causa deuenit, qui respondit; Huiusmodi transactionẽ continere speciem simonię: quare eâ in irritum reuocatà, controuersiam inter dictos clericos secundùm iura dirimendam esse.

SVMMARIVM.

Transactio propriè dicta super beneficio, seu iure beneficiali, si propria auctoritate fiat, tanquam Simoniaca damnatur.

NOTANDVM Vn. Transactio super beneficio, seu iure beneficiali, si propria auctoritate fiat, tanquam simoniaca damnatur, vt hìc, & in c. super eo, 7. hoc tit. & dixi lib. 4. tr. 10. c. vlt. n. 57. Intelligitur autem hoc, si sit propriè dicta transactio super causa beneficiali dubia. Sin autem beneficij alicuius possessor liquidum in eo ius habeat, atque iniusto petitori pecuniam v. g. offerat, vt à vexatione desistat, simoniacus censeri non potest: cùm pecuniam non det pro iure beneficij acquirendo, aut stabiliendo, sed pro iniuria, seu vexatione redimenda, vti dixi cit. c. vlt. n. 22. Cæterùm in externo foro præsumptio erit cõtra eum, qui ita transigit, vt proind consultum non sit, tales pactiones inire, nisi notorium sit, quòd alter iniustè vexare intendat.

Porrò, vtrùm Iudicis seu Superioris auctoritate transactio super lite beneficiaria fieri possit, dicetur hoc tit. c. super eo, 7. & dixi cit. c. vlt. n. 58. Denique dixi: Transactionem, tanquam simoniacam damnari; quia interdum non committitur simonia ex rei natura; sed solùm ex Ecclesiastico iure, quo omnes pactiones circa beneficia, si propria auctoritate fiant, damnantur, tanquam simoniæ speciem gerant. Verùm eiusmodi non esse propriè peccata simoniæ, tanquam probabilius docui in cit. c. vlt. n. 66. Quare aliqui existimant, nominatim Abb. hic, n. 3, non eisdem pœnis subiectam esse simoniam, quibus alia propriè dicta simoniæ peccata subiecta sunt: licèt contrarium sentiat Gl. hìc ver. audiatis, & alij, quos secutus sum cit. n. 66. dicto 2. & sumitur ex c. cùm olim, 7. de rerum permutat.

CAPITVLVM V.

De cætero.

PARAPHRASIS.

Cùm duo Parochi Titius & Caius, super iure cuiusdam Capellæ controuersiã haberent, Titius impetratis literis Apostolicis ad Iudicem delegatum, coram eo transactionem fecit cum aduersario, absque diœcesani consensu: quæritur, an ea rata esse debeat. Respondet Alexander III. Si alioquin iuri contraria non sit, ab Episcopo improbari non posse; dummodò transactio ita fiat, vt qui in capella antea institutus erat, v. g. Titius, ius suum beneficiale retineat. Cæterùm, si alteri Parochiæ, cui aduersarius Caius præest, absque Episcopali auctoritate census ex capella illa soluendus sit, is vitam Titij excedere non debet. Ita Hostiensis apud Imolam hìc, col. 1.

SVMMARIVM.

1. *Litigans super beneficio coram Iudice à Papa delegato transigere potest, etiam absque consensu Ordinarij, sine quo tamen*

men beneficiatus cedere beneficio non posset; quamuis ad præstandum consensum ille cogi posset à delegato; si renunciationem factam causâ concordiæ irrationabiliter acceptare nolit.

2. *Per transactionem litis finiendæ causâ institutam auctoritate iudicis delegati, onus pensionis imponi potest non beneficio, sed parti transigenti ad certos annos, vel tempus vitæ ipsius.*

3. *Secundùm Curiæ Romanæ praxin Episcopis hodie non licet (olim videtur licuisse) pensiones, præsertim in perpetuum, beneficiis imponere.*

1 NOTANDVM I. Litigans super beneficio coram Iudice delegato à Papa transigere potest, etiam non interueniente consensu Ordinarij. Si tamen beneficiatus beneficio cedere velit, id sine assensu Episcopi collatoris fieri non debet, iuxta c. admonet, 4. de renunt. & notat Abb. hîc, n. 1.

Quòd si is absque causa rationabili abnueret acceptare renuntiationem, factam causa concordiæ, seu vt à lite recedatur, interdum cogi posset à Iudice delegato, arg. c. præterea, 5. l. de offic. delegati, ex quo habetur: quòd Papa alicui causam delegans, censeatur committere omnia, quæ ad causæ expeditionem necessaria sunt.

2 NOTANDVM II. Per transactionem, litis terminandæ causa institutam auctoritate Iudicis delegati, onus pensionis aut census imponi potest non ipsi beneficio, ita vt ad successores transeat; sed parti transigenti ad certos annos, aut ad tempus vitæ ipsius. Ita etiam habetur in c. nisi, 21. de præb.

QVÆRES: Vtrùm ipse Episcopus, cum consensu Capituli, ex causa rationabili beneficium pensione seu censu in perpetuum grauare possit. Resp. Spectato iure antiquo, videtur affirmãdum, arg. huius textus, verb. absque Episcopali auctoritate, & c. expositi, 33. vbi id docet Abb. n. 8. de præbend. & c. extirpandæ, 30. §. Qui verò, eod. tit. vbi id docet Imola n. 17. Prohibetur enim ibi, ne id fiat in fraudem, ergo secùs est, si ex causa iusta & rationabili. Quamobrem S. Th. 2. 2. q. 100. a. 4. in fine ita scribit: *Si Episcopus, antequam beneficium alicui conferat, ob aliquam causam ordinauerit aliquid subtrahendum de fructibus beneficij conferendi, & in pios vsus expendendum; non est illicitum.* Et Abb. in cit. §. qui verò, n. 7. *Tene mente, quòd cessante fraude, potest ex præuentibus vnius beneficij constitui aliud beneficium. Et sic collige bonam practicam: vbi est altare multùm pingue, vel Ecclesia multùm abundans, poterit Superior, maximè ea vacante, ex certis reditibus cõstituere aliud beneficium pro Sacerdote, vel Clerico; vel poterit pensio assignari; dummodò non fiat in fraudem.*

Et profectò id quandoque necessitas postulat: Ponamus enim, Parochiam aliquam in reditibus annuis habere sex millia florenorum, aliam verò Ecclesiam, cui plura onera incumbunt, habere tantùm quadringentos; nónne poterit, imò debebit Episcopus ex abundantioris parochiæ reditibus, patrono consentiente, detrahere ad subleuandam inopiam alterius Ecclesiæ parochialis, aut Collegiatæ, alteriúsue beneficij. Verùntamen secundùm Curiæ Romanæ praxin Episcopis hodie concessum non esse, vt pensiones, præsertim in perpetuum, beneficiáq; imponant, dixi lib. 4. tr. 2. c. 13 q. 5. & c. 18. quæst. 3. 3

CAPITVLVM VI.

Ex literis.

PARAPHRASIS.

Duo Clerici, Romanus & Antonius, super Ecclesia quadam controuersiam habentes, coram Episcopo Vigorensi, Apostolicæ Sedis delegato, transegerunt; eiúsque transactionis auctor fuit Guilielmus alterius partis Aduocatus, qui & in instrumento transactionis tanquam testis subscripsit. Sed idem Guilielmus, persuadens sibi, dictam transactionem simoniacam, ideóque irritam esse, eandem Ecclesiam ipsemet à Sede Apostolica impetrauit, dissimulans se transactioni illi interfuisse,

eique patrocinatum fuisse: Imò etiam tacuit, se tempore impetrationis laicum esse, ac nondum tonsuratum. Quamobrem scribit Alexander III. super petenda Ecclesia illa silentium ei imponendum esse. Ita intelligunt Innocent. Ioan. Andr. & Abbas.

SVMMARIVM.

1. *Aduocatus & Procurator non potest in eâdem causa, cuius est Aduocatus & Procurator, esse testis: potest tamen, si ea per transactionem componatur.*
2. *Auctor, mediator, aut suasor alicuius transactionis, aut contractûs, non auditur postea, si eum vt irritum vel iniustum impugnare velit.*
3. *Laicus, seu non tonsuratus, non est capax beneficij.*
4. *Si quis in possessionem beneficij euidenter intrusus est, nullo colorato titulo vel probabili munitus, tum huius possessionis in impetratione beneficij mentio nulla facienda est; secùs est, si quis sit in possessione saltem colorata.*
5. *Testis contractui consensisse præsumptus, non potest eum impugnare; secùs est, si contractum non approbauit.*

1 NOTANDVM I. Licèt Aduocatus (sicuti & Procurator) non possit esse in eadem causa testis pro eo, cuius Aduocatus vel Procurator fuit, c. vlt. de testibus, in 6. l. vlt. ff. de testibus; potest tamen Aduocatus, in causa, si ea per transactionem componatur, testis esse huius transactionis. Ita Anton. de Butrio, & Imola hic n. 2. Abb. n. 1. Cùm enim per transactionem finiatur lis, sequitur quòd desinat esse Aduocatus; ideóque non simul est Aduocatus, & testis, in eadem causa: sed qui fuerat Aduocatus in controuersia, eâ finitâ per transactionem, incipit esse testis transactionis. Simili ratione ait Innocent. apud Imolam hic, n 13, Abb. cit. num. 1. Si quis testis subscripsit in instrumento emptionis, alteriusue contractûs, quod postea deinde vt Aduocatus adhiberi, si agatur de executione contractûs. Iam enim non testificatur; sed qui antea fuerat testis, eiúsque testimonium firmum manet, modò vt Aduocatus adhibetur. Cæterùm, si de viribus instrumenti dubitetur, non posse eius testimonium recipi, dum Aduocatus est.

2 NOTANDVM II. Qui est auctor, mediator, aut suasor alicuius transactionis, aut contractus, nõ auditur postea, si eum vt irritum, vel injustũ impugnare velit: quia allegat propriam turpitudinem, ideóq; audiendus non est, iuxta c. inter dilectos, 8. de donat. iun. Gl. ver. turpitudinem. Ita explicant hunc locum Ioan. Andr. hîc n. 3. Imola n. 13. Abb. n. 4.

3 NOTANDVM III. Laicus, seu non tonsuratus non est, capax beneficij: quare in impetratione beneficij mentio fieri debet de clericatu, c. cùm adeò, 17. de rescript. Nisi Papa ex certa scientia scribat pro aliquo nondum Clerico, qui Clericus fieri vult, vt beneficium ei conferatur, tunc priùs tonsurari debet, & postea in beneficio institui, sicuti hîc docet Abb. n. 3.

4 QVÆRITVR I. Si alius quispiam Ecclesiam, quæ ex simoniaca transactione ab aliquo possidebatur, tanquam vacantem impetrasset, nulla facta mentione possessionis, vtrùm impetratio subreptitia sit. Respondeo cum Ioan. Andr. hîc n. 3. Imola n. 12. Abb. in c. cùm nostris, 6. num. 16. Si aliquis in possessionem beneficij euidenter intrusus est, nullo colorato seu probabili titulo munitus, tum huius possessionis necesse non est mentionem fieri, arg. c. super literis, 20. de rescript. Sin autem aliquis est in possessione saltem colorata, vt quia à legitimo Ordinario inuestitus est, quamuis institutio aliquo vitio laborare videatur, eius possessionis in impetratione beneficij mentio facienda est, cum priùs de iure & titulo possessoris cognosci debeat, quàm ei beneficium auferatur, arg. cit. c. cùm nostris.

5 QVÆRITVR II. Si aliquis vt testis præsentiam suam exhibuit contractui, vel subscriptionem, an cum postea vt irritum oppugnare possit. Resp. Si censeri possit in contractum consensisse, tunc impugnare eum non

non potest; secùs si contractum non approbârit. Prior pars sumitur ex hoc c. & casus sunt: I. Si agatur de eius præiudicio, & cùm id sciat, non contradicat, l. fideiussor, 26. §. Pater, iun. Gl. ver. manifestum, ff. de pignoribus, & sumitur ex c. penult. de sent. & re iudic. II. Si testificatio pertinet ad substantiam contractûs, quia sine ea validè fieri non potest, tum tacitus consensus & approbatio adesse videtur, vti Gl. docet in l. Caius, 39. ver. non obesse, ff. de pignerat act. & Imola hic. Posterior pars ex eo probatur, quia testis solùm testatur de his, quæ sunt facti, & non de his, quæ sunt iuris, ait Abb. hîc n. 5. & confirmari potest ex regula, quæ traditur in cit. c. penult. & tit. 60. Cod. lib. 7. *Res inter alios acta aliis regulariter non nocet.*

CAPITVLVM VII.

Super eo.

Paraphrasis.

Si de Ecclesiastico beneficio, aut quauis re spirituali litigetur, transactio fieri non potest, ita vt retento vel accepto spirituali, vicissim aliquid detur vel remittatur: cùm talis commutatio, seu reciproca obligatio speciem simoniæ habeat. At verò amicabilis, & gratuita compositio in talibus fieri potest.

Svmmarivm.

1. *Super ecclesiastico beneficio non potest tranſigi, sed potest amicabiliter componi.*
2. *Si vni parti litigantium super beneficio temporale quiddam detur, non in compensationem dubij iuris, sed ob aliam causam, & nominatim ob bonum pacis & concordiæ, tanquam simoniacum & illicitum, damnari non debet, si iudicis auctoritate fiat. Cautè tamen agendum, ne simoniacæ pactionis affectus admisceatur.*

Reprobatur tamen talis pactio seu transactio, si à partibus initium habuerit.

3. *Lis beneficiaria ita componi potest, vt ex vna parte retento beneficio, alteri detur aliud beneficium, aut spiritualis pensio, modò fiat auctoritate Superioris; licèt conuentio à partibus inchoârit.*

DE hac re plenè dixi lib. 4. Th. mor. tr. 10. c. vlt. §. 5. q. 7. Hîc breuiter, & clarè statuo has assertiones: Prima. Orta lite beneficiaria, partes amicabiliter eam vel per se, vel per arbitros componere possunt, ita vt beneficium vni videl. possessori, seu instituto relinquatur, alter verò iure suo cedat. Neque obstabit, si hoc casu pars illa, cui beneficium relictum est, gratis, & non ex præcedente aliqua pactione, donum alteri offerat. 1

Secunda. Transactio super beneficio, data re aliqua temporali, neque priuato partium consensu, neque Iudicis auctoritate fieri potest, prout etiam habetur in c. vlt. de rerum permut. Probatur ratione allata in hoc c. Simoniacum & illicitum pactum est, si pro iure spirituali detur, vel promittatur aliquid temporale. Id autem fit in tali transactione super beneficio; si vnus litigantium dubium ius in eo habeat, & alter det, vel promittat v. g. tres argenti marchas, si iure suo cedat, aut renuntiet: Consequenter id neque partium conuentione, neque Iudicis auctoritate fieri potest.

Tertia. Si vni parti litigantium super beneficio, temporale quippiam, v. g. vnius aut duorum annorum reditus, designentur, non in compensationem dubij iuris (quæ, vt paulò antè dixi, simoniaca pactio esset) sed ob aliam causam, & nominatim ob bonum pacis, & concordiæ, non debet id tanquam simoniacum, aut illicitum damnari, si Iudicis ordinarij, aut delegati auctoritate fiat, Quamuis cautè agendum sit, ne simoniacæ pactionis affectus admisceatur. Ita habetur in c. 2. de arbitris, & c. nisi, 21. de præb. Cæterùm, si talis pactio seu transactio à partibus initium habuerit, reprobari debet, c. cùm pridem, 4. de pactis. 2

Quarta. Lis beneficiaria per transactionem ita componi potest, vt ex vna parte re- 3

tenta

tento beneficio, alteri parti detur aliud beneficium, aut spiritualis pensio. Dummodò Superioris auctoritas accedat; tametsi conuentio à partibus initium cœperit, vti dixi cit. §. 5. n. 58. vers. Illud. Ratio est: Quia vnum spirituale pro alio spirituali commutare, non censetur esse simoniacum suapte naturâ. Quamuis talis pactio, circa beneficia & pensiones ecclesiasticas, si priuata auctoritate fiat, tanquam simoniaca iure ecclesiastico prohibeatur, vt dixi suprà in c. constitutus, hoc tit.

CAPITVLVM VIII.

Veniens.

PARAPHRASIS.

Monachi cuiusdam Monasterij terram habebant in parochia S. Mariæ, in qua coloni illorum omnia Sacramenta percipiebant, & tamen decimas soluere recusabant, cuiusdam transactionis prætextu, quam Monachi cum Parocho præcessore fecerunt, vt tantùm tertiam partem decimarum de quibusdam prædijs exoluant. Hoc intellecto, respondit Alexander III. Nisi Monachi ostendant, transactionem hanc Apostolica auctoritate confirmatam esse, ea non obstante (cùm inter personas transigêtes tantùm facta Ecclesiam ipsam, & successores seu parochos sequentes non afficiat) compellantur Monachi ac coloni eorum ad decimas ex quibuslibet rebus integrè persoluendas, atque insuper ad æstimationem eorum, quas hactenus illicitè detinuerunt.

SVMMARIVM.

1. *Religiosi de iure communi obligantur ad decimas soluendas prædiales, in cuius parochia eorum prædia sita sunt; ex priuilegio autem Papæ ab ijs soluendis exempti sunt.*
2. *Transactio, & quiuis contractus à Rectore ecclesiæ, vel alio beneficiato initus absque Superioris auctoritate super iuribus, aut reditibus suis, non transgreditur vitam eius, neque ecclesiam aut successores suos obligare potest.*
3. *Decimas iniustè detinens seu non soluens, condemnari debet ad earum solutionem inposterum faciendam, & ad non solutarum, siæa non extent, æstimationem.*

NOTANDVM I. Religiosi, spectato communi iure, obligantur ad decimas prædiales soluendas Parocho, in cuius parochia eorum prædia sita sunt, sicuti dixi lib. 4. tr. 6. c. 3. n. 4. Priuilegijs tamen Sum. Pontificum hodie exempti sunt, vt ad eas decimas per se, & personali obligatione non teneantur. Cuius priuilegij vtilitas in eo cõsistit, quòd si noualia, seu terras, quæ antea decimis astrictæ non erant, ipsi excolant, decimas dare non debeant. Sin verò colonis tradant, tum hi decimis obligantur, secundùm partem fructuum, qui ad ipsos perueniunt. Quia priuilegium exemptionis à decimis concessum personis religiosis, non extenditur ad alios, c. sanè, 9. de priuileg.

NOTANDVM II. Transactio, & quiuis contractus, quem Rector Ecclesiæ aliúsue beneficiatus absque Superioris legitima auctoritate facit super iuribus, aut reditibus suis, non transgreditur vitam eius, neque Ecclesiam, aut successores suos obligare potest. Vbi discrimen notandum inter dominos absolutos prædiorum, ac iurium, & inter beneficiatos, qui ecclesiasticorum prædiorum ac iurium domini non sunt, sed vsufructuarij, seu potiùs vsuarij; quòd illi pactionibus hæredes quoque suos obligare possint, quin & pactum reale, seu quo res ipsa afficiatur & obligetur, instituere, iuxta l. iurisgentium, 7. §. pactorum, ff. de pactis. At verò beneficiati non nisi personale, seu quod solam personam beneficiati afficere, non item Ecclesiam, aut successores, l. Idem, 25. ff. eod. & dixi de hoc lib. 3. tr. 4. c. 10. n. 5.

NOTANDVM III. Qui decimas iniustè detinuerunt, seu soluere neglexerunt, ij condemnari debent, vt & inposterum soluant, & hactenus non solutarum, si eæ non extent, æstimationem præstent.

CA-

CAPITVLVM IX.

Præterea.

PARAPHRASIS.

Inter quosdam Laicos, & Religiosos controuersia erat de iure præsentandi ad Ecclesiam parochialem; quam ita transegerunt, vt ius præsentandi ad laicos pertineret; Religiosis autem ex dicta Ecclesia pensio annua, quæ antea dari solita non est, proueniret. Hanc pactionem simoniacam esse, respondit Lucius III. ac proinde irritam, ex quo Religiosi nullum commodum percipere possint.

SVMMARIVM.

Super iure patronatûs non licet transigere, interuentu rei temporalis.

NOTANDVM I. Super iure patronatus, seu iure præsentandi non est licitum transigere, interuentu rei temporalis. Nam res spiritualis absque simonia promitti, aut dari non potest pro pecunia, seu alia re temporali & pecunia æstimabili, c. super eo, hoc tit. Atqui ius præsentandi ad beneficium perinde ac ius eligendi, vel confirmandi, spirituale est, vti docui lib. 4. tr. 10. c. vlt. n. 60. Ergo super iure præsentandi interuentu rei temporalis, ac pretio æstimabilis transigere simoniacum, & illicitum est. Quomodo autem ius patronatus vendi possit, non per se, sed per accidens, seu accessoriè, dixi lib. 4. tr. 2. c. 13. q. 9. §. Denique.

CAPITVLVM X.

Præterea.

PARAPHRASIS.

Controuersia erat de Capella quorundam Monachorum, vtrùm subiecta esset Ecclesiæ matrici: Monachi cõfitebantur subiectam olim fuisse; sed postea transactione quadam liberatam; quia censum annuum constituerant matrici Ecclesiæ soluendam, vt capella à subiectione eius eximeretur. Sed pro maiore, seu matrice Ecclesia allegabatur, quòd super spirituali subiectione transigere non liceat. Ad hæc respondet Cælestinus III. Cùm Fratres confiteantur, capellam illam matrici Ecclesiæ subiectam fuisse; at verò per transactionem, quippe irritam & simoniacam, liberata non sit, ideo contra illos sententiam ferendam esse. Neque referre ait Pontifex, quòd determinatè non sciatur, quantus fuerit census ille: quia quantuscunque fuerit, constat transactionem de censu soluendo pro exemptione à spirituali subiectione simoniacam esse.

SVMMARIVM.

1. *Super spirituali subiectione non licet transigere, data re aliqua temporali.*
2. *Non refert ad simoniæ peccatum, an quis pro beneficio v. g. acquirendo multum, vel parum dederit, si adfuit intentio instituendi reciprocam quasi pactionem.*
3. *Si constat personas, vel locum olim alteri subiectum fuisse, præsumptio est adhuc eum subiectum esse, nisi contrarium ostendatur.*

NOTANDVM I. Accidit interdum, vt Reus excipiendo, fateatur intentionem seu allegationem aliquam Actoris. Quo casu Actor reijcere, vel oppugnare potest exceptionem, acceptando interim confessionem, quæ in ea continetur. Vt in proposito exemplo: Cùm Monachi excipiendo dicerent, se super subiectione transegisse cũ ecclesia matrice; Prior eius acceptauit, quòd fatebantur capellam subiectam fuisse; sed transactionem tanquam irritam, & simoniacam reiecit. Ita Imola hîc n. 2. Abb. n. 1.

NOTANDVM II. Super spirituali subiectione non potest fieri transactio, dato aliquo temporali. Ita etiam dixi in c. præced. & c. super eo, hoc tit. Et tradunt hîc Hostiens. & Imola in fine c. vbi bene addunt contra Innocentium; Si matrix Ecclesia capellæ censum soluere debuisset, quòd Monachi non potuissent illum remittere, pro eo vt ca-

pella à subiectione eximeretur. Quia remittere idem est, quod dare, iuxta l. 2. ff. de calumniatoribus. Quare sicuti temporale pro spirituali dare simoniacum est, ita & remittere.

2 NOTANDVM III. Non refert ad simoniæ peccatum, vtrùm aliquis pro beneficio v.g. acquirendo præsentatori, vel collatori multum dederit, an parum; si adfuit intentio reciprocam quasi pactionem instituendi. Verùm ob dati exiguitatem, sæpe præsumptio fieri potest, fuisse donum liberale & gratuitum, non datum per modum compensationis pro beneficio.

3 NOTANDVM IV. Si constet personas, vel locum olim fuisse alteri subiectum, præsumptio est, adhuc subiectum esse, nisi contrarium ostendatur, arg. l. siue, 16. C. de probat. & notat Abb. hìc n. 3.

CAPITVLVM VLT.

Ex parte.

PARAPHRASIS.

Cùm Græci multa perperam contra sacros canones agerent, Cardinalis tituli S. Praxedis consuluit Honorium III. quidnam ipsi agendum esset. Respondit; Quòd non tantùm secundùm canonicas sanctiones procedere possit definiendo, sed etiam componendo, ac transigendo, interdum aliquid de seueritate remittens, prout status imperij & delinquentium multitudo exigere videtur. Exceptis tamen, quæ eiusmodi compositionis, aut dispensationis remedium non admittunt: quale est matrimonij Sacramentum, in quo Iudici concessum non est à seueritate canonica recedere. In ijs porrò, de quibus ius expressum non habetur, æquitate seruata procedat Cardinalis, in mitiorem partem semper declinando, quatenus personæ, causæ, loca, & tempora postulare videbuntur.

SVMMARIVM.

1. *Toto populo, vel multitudine hominum delinquente, multùm de grauitate pœnæ remitti conuenit.*
2. *Compositio, transactio, & dispensatio ad ea tantùm se extendunt, quæ in nostra potestate sunt, non ad ea, quæ certam ex diuina lege constitutionem aut obligationem habent.*
3. *Vbi ius expressum non est, iudex benigniorem partem sequi debet, habitâ ratione personarum, loci, temporis, &c. Si autem lex expressa est secundum eam iudex iudicare debet, nisi supremus sit seu Princeps, qui in lege ex iusta causa dispensare potest.*

NOTANDVM I. Si totus populus, seu multitudo hominum deliquerit, multum de grauitate pœnæ remitti conuenit. De hoc dixi lib 2. tr. 3. c. 12. n. 7. & habetur c. quoties à populis 14. causa 1. q. 7. Et in c. vt constitueretur, 25. d. 50. vniuersim dicitur, interdum esse *detrahendum aliquid seueritati, vt maioribus malis sanandis charitas sincera subueniat.*

NOTANDVM II. Compositio, transactio, sicuti & dispensatio ad ea se tantùm extendunt, quæ in nostra potestate consistunt; non item ad ea, quæ certam ex diuina lege constitutionem, aut obligationem habent: cuiusmodi est matrimonij Sacramentum, & alia eiusmodi.

NOTANDVM III. Vbi ius expressum non est, Iudex potiùs benigniora sequi debet, inspectis qualitatibus causæ, personarum, loci, temporis, &c. Sin autem lex expressa sit, secundùm eam Iudex iudicare debet, nisi supremus sit, seu Princeps, qui in lege ex iusta causa dispensare queat, l. 1. C. de legibus, c. Iudicet, 4. causa 3. q. 7.

TITV-

TITVLVS XXXVII.
DE POSTVLANDO.

SI partes in causa aliqua contendentes inter se non paciscantur aut transigant, tunc iudicium, seu Iudicis sententiam implorant; & ob eam rem ante omnia Aduocatos, & Procuratores idoneos quærunt, de quibus hoc & seq. tit. agitur, tanquam de quibusdam præparatorijs ad iudicia. Videri potest Gl. super rubric. Cod. hoc tit.

Tametsi verò postulandi nomen latiùs accipiatur in l. 1. ff. de postulando; *Postulare est desiderium suum, vel amici sui in iure apud eum, qui iurisdictioni præest, exponere, vel alterius desiderio* (id est, actoris petitioni in sua, vel amici causa) *contradicere*, hîc tamen strictiùs accipitur, pro officio Aduocati, seu eius, qui pro altero in iudicio præsente, & causam pro se agente, postulat.

CAPITVLVM I.
Clerici.

PARAPHRASIS.

Qui in sacro ordine constituti sunt Clerici, omnes, qui autem in minoribus, si beneficiati sint, coram Iudice seculari in negotijs secularibus Aduocati esse prohibentur; nisi causam propriam, aut Ecclesiæ suæ prosequantur; vel pro miserabilibus personis, quæ se ipsas defendere non possunt.

SVMMARIVM.

1. *Clericus in minoribus potest esse Aduocatus & Procurator ad lites; nisi sit beneficiatus, vel causâ criminalis, in qua periculum sit condemnationis ad mortem, vel mutilationem membri.*
2. *Clerici in maioribus non Sacerdotes possunt esse Aduocati in omnibus causis coram iudice ecclesiastico: coram seculari verò in causis ecclesiasticis, vel secularibus, si causam suam, vel ecclesiæ suæ, aut personarum miserabilium prosequantur. Miserabiles personæ hîc censentur etiam ij, qui licèt diuites, seipsos neq; defendere, neque Aduocatum acquirere possunt.*
3. *Clerici Sacerdotes neque in ecclesiastico foro vt Aduocati stare debent, exceptis causis, de quibus c. vlt. hoc tit.*

HAnc materiam, vtrùm Clericus possit esse Aduocatus, vel Procurator ad lites, prosecutus sum lib. 3. tr. 4. c. 26. n. 11. Est verò ita distinguendum: Vel est Clericus in minoribus, vel in maioribus. Si in minoribus tantùm, aduocatus esse non prohibetur. 1
Excipe primò, si beneficiatus sit; tum de eo idem sentiendum, quod de Clericis in maioribus, qui Sacerdotes non sunt, paulò pòst dicetur. Excipe secundò; Quòd propter periculum irregularitatis Clericus non debeat esse Aduocatus in causa criminali, præsertim pro Actore contra reum; si condemnatio ad mortem, vel membri abscissionem sequi possit, c. sententiam. 9. Ne Clerici, vel Monachi.

Clerici in maioribus, si Sacerdotes non sint, Aduocati & Procuratores in omnibus causis esse possunt coram iudice Ecclesiastico; coram seculari verò Iudice in causis Ecclesiasticis, sicuti per sensum contrarium colligitur ex hoc c. & docet hîc Ioan. Andr. Abb. n. 3. Imolan. 2. & 3. Abb. in c. 2. Ne Clerici vel Monachi, arg. c. per venerabilem 13. Qui filij sint legitimi. Porrò causæ seu negotia ad seculare tribunal spectantia, varijs rationibus Ecclesiastica censeri debent: Vt quia persona litigans Ecclesiastica est, videl. Actor, qui forum Rei laici sequi debet; c. cùm sit, 8. de foro compet. Vel ratione rei, vt quia res Ecclesiæ feudalis est, & domino seculari obligata, c. nouit, 13. de iudicijs. 2

Sed & in causis secularibus, & coram Iudice seculari postulare, & Aduocati esse possunt Clerici in maioribus, ac beneficiati omnes, si causam suam, vel Ecclesiæ suæ, aut personarum miserabilium prosequantur. Personæ autem miserabiles censeri debent etiam quæ alioquin diuites sunt, si neque se ipsos defendere, neque Aduocatum alium acquirere possint præter Clericum.

3 Denique si Clerici Sacerdotes sint, neque in Ecclesiastico tribunali vt Aduocati stare debent, exceptis causis seu negotijs, de quibus dicetur c. vlt. hoc tit.

CAPITVLVM II.

Ex parte.

PARAPHRASIS.

Quidam Canonici regulares Aduocati officium cùm in Ecclesiastico, tum in seculari exercere soliti sunt, ea excusatione, quòd canones, vt c. de præsentium, 20. c. Monachi 35. causa 16. q. 1. Monachis, non item Canonicis prohibeant officium Aduocati, vel Procuratoris. Sed Innocentius III. Pontifex respondet; Licet de Monachis specificè expressum fuerit, tamen, quoad hunc articulum, idem quoque intelligendum de Canonicis regularibus, vt Aduocati, Procuratores, atque forensium negotiorum executores esse non possint, nisi pro vtilitate Monasterij sui, & tunc Abbatis, seu Præpositi regularis accedente consensu.

SVMMARIVM.

1. *Statuta in Iure de Monachis non ob specialem rationem solitudinis, sed ob generalem rationem religionis de omnibus, saltem clausralibus religiosis intelligenda sunt.*
2. *Religiosi prohibentur officium Aduocati vel Procuratoris in iudicio exercere; præterquàm in causa monasterij, accedente mandato Prælati; vel sine hoc in causa propria, si suum Prælatum accuset.*
3. *In causa alterius monasterij, vel quacunque causa pia, casu, quo nemo haberi posset, qui eum defenderet, probabile est, Religiosum posse cum Superioris sui mandato vna vel altera vice postulare.*

NOTANDVM I. Quæ de Monachis in iure statuta reperiuntur, non ob propriam qualitatem solitudinis, sed ob generalem rationem religionis, per quam à mundo abstracti, Dei cultui se totos tradiderunt, ea de omnibus saltem clausralibus religiosis intelligenda sunt. Ita sumitur ex hoc c. & notat singulariter Abb. hîc n. 1. Sæpe enim fit, vt in constitutione aliqua species aliqua præcipua pro genere ponatur, ita vt ob identitatem rationis etiam in alijs speciebus locum habere debeat. Quemadmodum in hoc ipso c. nomen Abbatis sumitur pro quocunque Prælato regulari. 1

NOTANDVM II. Religiosi prohibentur officium Aduocati, vel Procuratoris in iudicio exercere; præterquam si agatur causa Monasterij, & Prælati mandatum accedat. Consentit Clem. Religiosus, de Procuratoribus, vbi additur; Quod sicuti Religiosus in iudicio Procurator esse non potest, ita nec alium Procuratorem constituere, aut sibi substituere. Sed rectè excipit Gl. ver. constituere, eos casus, quibus Religiosus absque mandato Prælati in iudicio agere potest, vt cùm Prælatum suum accusat, c. ex parte, 11. de accusat. Nam ijsdem etiam Procuratorem loco suo constituere poterit. Imò melius est, vt per Procuratorem agat, quàm per se ipsum, c. vn. de Syndico. Deinde si duo Religiosi vt eiusdem causæ consortes in iudicio agere possint, vnus alterum Procuratorem constituere non prohibetur, vti habetur in cit. Clem. 2

Sed numquid Religiosus cum Prælati sui mandato Aduocatus esse potest pro personis miserabilibus. Ita affirmat Vincentius apud Speculator. lib. 1. partic. 4. tit. de Aduocato, §. 1. num. 3. Imola hîc, num. 3. Sed præstat, vt cum alijs negemus: Quia iste

casus

casus in iure non reperitur exceptus: Ergo statuamus regula generali, quòd Religiosus esse non possit Aduocatus, nisi in causa Monasterij, cum Prælati mandato. Cæterùm, 3 si ageretur causa alterius Monasterij, aut Ecclesiæ, & vno verbo causa pia, & nemo haberi posset, qui eam defenderet, hoc casu probabilis videri potest prior sententia, quòd propter æquitatem, Religiosus cum Abbatis, seu Superioris sui mandato Aduocati munus vna, aut altera vice assumere possit.

Ea verò nimis ampla videtur explicatio, quam tradit Innocent. in c. cum l. & A. n. 2. de sent. & re iudic. Quòd Religiosus mandante Prælato possit esse Aduocatus in iudicio, non tantùm si de commodo Monasterij directè agatur; sed etiam, si indirectè, vt quia causa agitur amici, vel fautoris, ex quo commoda Ecclesiæ prouenire possunt. Sed oppositum in praxi seruatur, & sequitur Syl. ver. Aduocatus, q. 7. arg. cit. c. de præsentium, & c. non magnopere, 13. Ne Clerici vel Monachi, ibi; *Ne occasione scientiæ spirituales viri mundanis rursus actionibus inuoluantur.* Vide etiam quæ dicam in c. 2. Ne clerici vel Monachi &c.

CAPITVLVM III.

Cùm Sacerdoris.

Paraphrasis.

Sacerdotes in iudicio agere, vel postulare non debent, nisi suum, vel Ecclesiæ, suæ, aut, postulante necessitate (quia videl. alius Aduocatus tam idoneus haberi non potest) coniunctarum, vel miserabilium personarum, causam prosequantur. Ratio adiungitur: Quia officium Sacerdotis esse debet nulli nocere, omnibus autem velle prodesse.

Svmmarivm.

1. *Clericus in causa ecclesiæ suæ potest esse Iudex & testis.*
2. *Sacerdoti in iure perito licet pro spirituali fratre v.g. Canonico postulare, si eis alium aduocatum idoneum habere nequeat.*
3. *Aduocatus dum vni parti patrocinatur, alteram oppugnat.*
4. *Clericus, qui contra ecclesiam, à qua beneficium habet, postulat, beneficio priuandus est.*
5. *Si quis postulet contra alium donatorem suum, donatio illi facta reuocari potest. Nisi Superioris mandatum cogat, vel pro coniuncta sibi persona postulet.*
6. *Aduocatus contra Rempubl. vel dominum, à quo salarium habet, aduocare non potest, nisi Superioris vel Principis præceptum cogat*

Notandvm I. Causa Ecclesiæ ponitur vt diuersa à causa propria. Quamobrem licèt Clericus in causa propria Iudex, aut testis esse nequeat, potest tamen esse in causa Ecclesiæ suæ, iuxta c. insuper, 6. de testibus, & tradit Gl. in c. si quis erga, 16. causa, 2. q. 7. Abb. in c. 1. n. 1. hoc tit. & dixi lib. 3. Theol. moral. tr. 6. c. 2. q. 4. excep. 3. & c. 4. q. 2. ver. decimo, Sed de hac re dicam plenius infrà in c. cùm venissent, de iudic. 1

Dubitant Canonistæ: Vtrùm inter coniunctas personas enumerentur etiam fratres spirituales. v.g. Concanonici. Ita affirmat Gl. hìc ver. pro seipso. Sed præstat, vt dicamus, sermonem esse de coniunctione sanguinis, iuxta communem explicationem apud Abb. hîc n. 4. ver. Aduerte. Nihilominus ob paritatem, seu maioritatem rationis, & secundùm æquitatem admitti posset sententia Gl. vt Sacerdoti in iure perito liceat pro spirituali fratre, si alium tam idoneum aduocatum habere non possit, postulare. 2

Notandvm II. Aduocatus dum vni parti patrocinatur, alteram oppugnat. Quare cùm Sacerdotis officium sit, omnibus benefacere velle, ideo ab eo alienum est Aduocati munus, secluſa necessitate. 3

* * *

§. Clericus.

PARAPHRASIS.

A Si Clericus, contra Ecclesiam, à qua beneficium obtinet, pro extraneo aliquo Aduocatus, vel Procurator existat, tanquã ingratus beneficio priuari debet.

RAtio huius est, quia etiam vasallus beneficio feudi priuatur, si contra dominum suum militauerit, lib. 2. feudorum, tit. 24. Quæ fuit prima causa feudi amittendi. Aduocati autem militibus comparantur; cùm per eos hominum vita, & patrimonia defendantur, l. Aduocati, 14. C. de Aduocatis &c. Eadémque ratione, si Aduocatus contra alium donatorem suum patrocinium alicui præstet, donatio illi facta ob ingratitudinis notam reuocari potest, sicuti tradit Abb. hîc n. 2. Andr. Gaill lib. 1. obseruat. 88. n. 6. argum. huius textus, & c. vlt. de donat.

Sed excipi debet primò, Nisi Superioris præceptum, ideóque necessitas quædam cogat. Quæ tamen facilè imponi non debet Aduocatis, vt contra dominos, aut insignes benefactores suos operam suam in iudicio præstare cogantur.

Excipi debet secundò argum. huius textus; Si pro persona sibi coniuncta postulet: perinde enim censetur, ac si propriam causam ageret. Qua de re Specul. lib. 1. p. 4. tit. de Aduocato, §. 1. n. 30. Ioan. Andr. hîc n. 7.

Illud in quæstione est, vtrùm Aduocatus 6
patrocinium præstare possit contra Rempubl. vel dominum, à quo salarium habet, vt paratus sit causas eius defendere, si vocetur. Affirmat Abb. hîc n. 3. Quia salarium Aduocatus non accipit vt donum, seu beneficium; sed tanquam meritum, seu mercedem. Sed contrarium docent Bartol. in l. 2. C. Aduocatis diuers. iudicum, Andr. Gaill loco cit. Et hæc sententia in praxi apud nos viget, quòd ea conditione expressa, vel tacita conditione salarium annuum Aduocato constituatur, vt contra constituentem aduocare ipsi non liceat; nisi Superioris, seu Principis præceptum cogat.

TITVLVS XXXVIII.

DE PROCVRATORIBVS.

QVomodo Procurator ad lites differat ab Aduocato, leges in Theol. morali lib. 3. tr. 4. c. 26. n. 7. §. Procurator, & n. 8.

CAPITVLVM I.

Alia.

PARAPHRASIS.

Cùm Episcopi Salonitani causa Romæ decidenda esset, quidam eò accesserunt, vt causam eius prosequerentur: Sed Epi-
scopus rescripsit, se illos non misisse; ideóque quæ cum ipsis acta sunt, irrita esse oportere. Postea autem cùm idem Episcopus alios submitteret, neque ipsis fidem habendam esse iudicauit Gregor. I. Pontifex, eò quòd mandatum procuratorium exhibere non potuerint. Mandat itaque idem Gregorius, vt personam instructam cum mandato legitimo, subscriptionibus Capituli, & testium roborato, alijsque actis authenticis transmittat; vt quidquid cum tali procuratore actum fuerit, de iure subsistat.

SVM-

SVMMARIVM.

1. *De gestis cum Procuratore falsõ, seu qui mandatum non habuit, non tenetur dominus seu principalis sed ipsemet Procurator conueniri potest.*
2. *In casu dubio, an Procurator mandatum habeat, præstita cautione de rato admitti potest, non tamen debet, si nihil afferat, nisi meram assertionem, dicendo scil. se missum esse, seu mandatum habere.*
3. *Non opus erit cautione de rato, si mandatum Procurator per testes probare velit. Si tamen insufficiens ad soluendum videatur, cautio fideiussoria exigi potest.*
4. *In gestis ab Vniuersitate v. g. Capitulo, ij, qui de Capitulo sunt, & consensum præstare, debent, non possunt describi tanquam testes.*

1 NOTANDVM I. De gestis cum Procuratore falso, seu qui mandatum non habuit, non tenetur dominus, seu principalis, vti etiam habetur in l. licet, 24. C. de Procurator. l. 3. §. falsus, ff. rem ratam habere. Sed ipsemet procurator conueniri potest, l. Plautius, 61. ff. de procur. & notat ibi Gl. margin. Abb. hic not. 1.

2 NOTANDVM II. Tametsi in casu, cùm dubitatur, vtrùm procurator mandatum habeat ad litigandum (v. g. si sigillum instrumenti incognitum sit) præstita cautione de rato, admittatur, l. 1. C. de procur. tamen admitti haud debet, si nihil afferat, nisi merã assertionem, dicendo videl. se missum esse, seu mandatum habere, vti colligitur ex hoc c. & tradit ibi ex communi Bartol. §. Secundò dicitur, cõtra Gl. in cit. l. 1. ver. cautio, vbi non rectè ait, rem dubiam fieri, eo ipso quòd procurator asserit se mandatum habere, & aduersarius idipsum negat. Cùm enim affirmanti probatio incumbat, ideo si nihil omnino probet, non censetur dubia; cùm præsumptio contra illum sit.

3 Cæterùm in casu, quo de procuratorio mandato dubitatur, si illud procurator per testes probare velit, admittendus est, ita vt opus non sit cauere de rato, quia nihilominus obligabitur aduersario, si fefellerit: Quòd si autem procurator sufficiens nõ videatur ad soluendum, tum cautio fideiussoria exigi potest. Vide Gl. hîc ver. portitoribus, Bartol. cit. l. Abb. hîc n. 5.

NOTANDVM III. In gestis ab Vniuersitate, v. g. Capitulo, ij, qui de Capitulo sunt, & auctoritatem seu consensum præstare debent, non possunt describi tanquam testes, vti Imola hîc monet n. 3. & sumitur ex c. literis, 6. de transact. 4

CAPITVLVM II.

Querelam.

PARAPHRASIS.

Inter Episcopum Sabinensem, & Antonium Clericum controuersia erat, quam Pontifex Vigornensi Episcopo commiserat; Is citauit Antonium, qui tunc ob infirmitatem accedere non potuit: eámque excusationem suam per missos ad Episcopum probare paratus erat. Sed hoc non obstante, Episcopus Vigornensis dictum Clericum in expensis condemnauit, propterea quòd ad terminum constitutum non adtenisset. Postea verò Papa Alexander III. eundem à sententia hac absoluendum esse dixit; quia citatus ad iudicium in causa grãui, si ipsemet venire nequeat, inuitus cogi non possit, vt procuratorem mittat.

SVMMARIVM.

1. *Infirmus grauiter habet iustam causam non veniendi ad iudicium; nec tenetur mittere Procuratorem, si causa grauis & ardua sit.*
2. *Sententia contra absentem, velut contumacem, lata ipso iure irrita est, si iuste dici constet, vel probata est iusta absentiæ causa; valet autem, si eidem non constet de impedimento, vel probabili-*

babiliter id ignoret; debet tamen, petita restitutione in integrum, rescindi.

3. Si impedimentum perpetuum, aut diu sit duraturum, nec causa differri queat, mittendus est Procurator.

1 NOTANDVM Vn. Infirmitate graui detentus, habet iustam causam non veniendi ad iudicium: Neque tenetur Procuratorem mittere, si causa grauis seu ardua sit. Vide l. 2. §. 1. ff. si quis cautionibus, & l. quæsitum, 60. ff. de re iudic. Innocent. hîc n. 1.

Quæstio est: An mero iure valida sit sententia contra absentem, veluti contumacem lata, si iustum non veniendi impedi-
2 mentum habuit. Respondeo, cùm Gl. margin. in cit. l. quæsitum, Abbate hîc n. 4. Vel Iudici constat seu probata est iusta absentiæ causa, tum ipso iure irrita est sententia, cit. l. quæsitum. Vel non constat Iudici de impedimento, sed probabiliter ignorat: tum valet sententia condemnatoria, debet tamen, petita restitutione in integrum, rescindi, argum. c. ex literis, de in integr. restitutione.

3 Cæterùm, si impedimentum perpetuum sit, aut diu duraturum, & causa differri nequeat, tunc impeditus procuratorem mittere debet, vti docet Gl. in c. cùm delicti, 6. de dolo & contumacia, Bartol. in l. 1. ff. de diuers. & temporal. præscript. Abb. hîc n. 7.

CAPITVLVM III.

Ex insinuatione.

PARAPHRASIS.

Cùm inter Archidiaconum Sagiensem & Magistrum Gasparem controuersia super præbenda mota esset, Archidiaconus præsentibus duobus clericis Procuratori suo inhibuit, ne mandato, seu instrumento suo procuratorio vteretur: Sed ipse, spreta ea inhibitione seu reuocatione, nihilominus litigauit, & contra se latam sententiam reportauit. Accidit autem, vt vnus ex duobus clericis, qui de reuocatione ista testari deberet, vitâ excederet. Hoc in casu mandat Clemens III. vt recepto iuramento tùm à clerico superstite, tùm ab ipso Archidiacono, præbenda illa, non obstante sententia priùs lata, eidem restituatur; dummodò canonicum aliud non obstet impedimentum: Facta autẽ restitutione, si idem Archidiaconus institutionẽ suam probauerit, tunc ea rata permanere, remota appellatione, debet.

SVMMARIVM.

1. *Procurator, etiam per instrumentum institutus, solis verbis seu scripturâ reuocari potest; reuocatio autem si facta negetur à Procuratore, per duos testes probari debet.*
2. *Vnus testis facit semiplenam probationem, ita vt in causa non criminali, nec famosa, aut valde ardua iuramentum quandoque deferri possit ad integræ probationis complementum.*
3. *Spoliatus à Iudice per sententiam nullam, potest petere restitutionem; restituenda etiam est ei possessio, antequam de proprietate rei cognoscatur.*
4. *Restitui tamen non debet, si obstet canonicum impedimentum.*
5. *Si possessori resistit ius commune, tenetur ostendere titulum possessionis sua.*
6. *Literas papales impetrans ad beneficium, tanquam de iure vacans, quod de facto possidetur, debet ostendere nullitatem.*

NOTANDVM I. Procurator, etsi per 1
literas seu instrumentũ constitutus sit, potest solis verbis, sine scriptura reuocari. Necesse tamen est, vt reuocatio probetur, v. g. per duos testes, si eam factam esse Procurator neget.

NOTANDVM II. Vnus testis in iudicio facit probationem semiplenam; adeò vt in causa non criminali, nec famosa, aut valde ardua, iuramentum à Iudice quando-
que

que deferri possit ad integræ probationis complementum. Ita habetur in hoc c. & consentit l. in bonæ fidei, 3. inn. Gl. C. de rebus creditis, Gl. in c. vlt. ver. à te, de iure iur. & dixi lib. 4. Th. mor. tr. 3. c. 5. n. 3.

3 NOTANDVM III. Spoliatus à Iudice per sententiam nullam, potest petere restitutionem, ita vt priùs de proprietate non cognoscatur, quàm possessio ei restituta sit, vti etiam dixi c. causa, 22. not. 2. de offic. delegati. Si tamen Iudex probabili errore ductus est, vt quia nesciuit, Procuratorem reuocatum fuisse, tunc agi non potest contra eum interdicto vnde vi; cùm iniuriam non intulerit; sed per viam nullitatis, vt Iudex ex officio, declaratâ sententiâ nullâ, restitutionem faciat. Qui videtur esse casus huius c. & docet Innocent. hic n. 2. Abb. n. 4.

4 NOTANDVM IV. Spoliatus restitui non debet, si canonicum obstet impedimentum. Et Gl. quidem hoc ver. quatuor affert exceptiones, quæ spoliato restitutionem petenti obijci possint: I. Quòd excommunicatus sit, ac nondum absolutus. II. Quòd pactus sit de restitutione non petenda. III. Quòd contra ipsum spoliatum sententia lata sit super proprietate. Nam agenti possessorio iudicio obstat exceptio notorij defectus proprietatis, sicuti dixi lib. 5. Theol. mor. tr. 10. p. 4. c. 7. n. 10. IV. Quòd sententiam Iudicis, ob quam possessione deiectus fuit, cùm nullitatis arguere posset, ratam habuerit.

5 NOTANDVM V. Si ius commune resistat possessori (vt in casu huius c. quòd Archidiaconus aliam insuper præbendam incompatibilem habeat) tum tenetur ostendere titulum possessionis suæ, vti dixi in c. 3. not. 2. de offic. Ordin. in 6. & tradit Gl. hic ver. probare. Veruntamen etiam in causa beneficiaria, spoliatus possessione priùs restitui debet, quàm titulum institutionis suæ exhibere, aut probare teneatur, sicuti aperte colligitur ex hoc c. & contra multos docet Abb. in c. in literis, n. 12. & seqq. de restit. Spoliatorum. Dummodò notorium non sit, titulum seu ius beneficij nullum cõpetere, vt suprà dixi not. 4.

Corollarum. Si quis literas Papales impetrat ad beneficium, tanquam de iure vacet, quod de facto possidetur, debet ostendere nullitatem; cùm alioquin præsumptio sit pro possessore, l. vlt. C. de rei vindicatione. Ita Abb. hic n. 9. 6

CAPITVLVM IV.

In nostra.

PARAPHRASIS.

In criminali aliqua causa, quæ erat inter Tullensem Episcopum, & Decanum, Episcopus duos Presbyteros Procuratores destinauit ad Sedem Apostolicam; sed paulò pòst de fide illorum dubitans, mãdatum procuratorium ab eisdem reuocauit. Sed illi nihilominus, tametsi literas mandati reuocatorias recepissent, in iudicium ingressi vnà cum aduersario literas Apostolicas ad Iudices delegatos impetrarunt. Coram his Episcopus excipiens, inducias sibi dari postulauit ad probandum, quòd falsi Procuratores fuerint. Sed Iudices exceptione ipsa tanquam inutili reiecta, dilationem concedere recusarunt: quare Episcopus ad Sedem Apostolicam appellauit. Verùm ea non obstante, Iudices lite non contestata, ac iuris ordine prætermisso, testes contra Episcopum receperunt, eumque à Tullensi Ecclesia remouerunt. Mirabilia hæc visa sunt Innocent. III. Sed vera esse credidit, quia viri Religiosi, prouidi, honesti, cum iuramento de ijs testati fuerunt. Quamobrẽ idem Innocentius processum Iudicum illorũ irritandum, seu potiùs irritum esse iudicauit: propterea quòd falsi Procuratoris exceptio non solùm ante, sed etiam post latam sententiam obijci possit; ita vt iudicium, seu acta iudicij nullius momenti sint, si talis exceptio probata fuerit.

SVMMARIVM.

1. *Presbyter potest constitui Procurator Episcopi ad lites.*
2. *Acta iudicij cum procuratore falso nullius momenti sunt, per se loquendo; & talis exceptio etiam post litem contestatam, & latam sententiam opponi debet.*
3. *Si persona ad procurandum inhabilis vel prohibita constituta sit, quæ per se in iudicio stare potest, tum exceptio contra illam opponi debet ante litis contestationem: post illam autem opponi potest, si per se stare non possit in iudicio.*

1 NOTANDVM I. Presbyter potest constitui Procurator Episcopi ad lites. Quod videtur esse contra c. vlt. de postulando: Sed respondetur, Ob coniunctionem, & reuerentiam, quam Presbyter Episcopo suo debet, non minùs posse eum postulare, vel Procuratorem agere pro Episcopo, quàm pro Ecclesia sua. Ita Ioan. Andr. hic n. 2. Abb. not. 2. Idque maximè locum habet, si Episcopus defendendus sit.

2 NOTANDVM II. Acta iudicij cum Procuratore falso (id est, qui mãdatum procuratorium non accepit, vel à quo reuocatum fuit) nullius momenti sunt, per se loquendo. Quamobrem talis exceptio, sicuti & omnis alia, quę est de nullitate iudicij, etiam post litem contestatam, imò post latam sententiam opponi potest. Ita Gl. hic communiter recepta, ver. exceptio, & habetur in l. licet, 24. C. eod.

3 Sed quid? Si aliquis secundùm iura inhabilis, aut prohibitus (vt Clericus, Minor natu, aut Religiosus) procurator constitutus sit. Resp. cum Bartolo in l. filius famil. §. Veterani, n. 5. ff. de Procur. Abb. c. penult. n. 6. infrà. eod. distinguendum esse: Si enim sit persona, quæ per se in iudicio stare potest, vt clericus, miles, mulier, tum exceptio contra illam ante litis contestationem opponi debet: alioquin, si non opponatur, efficietur dominus litis, vt deinde repelli nequeat, iuxta l. ita demũ, 13. iun. Gl. C. eod. Sin autem per se stare non possit in iudicio, vt amens, pupillus, Religiosus; tum exceptio etiam post litis contestationem opponi poterit.

CAPITVLVM V.

Tuæ.

PARAPHRASIS.

Si maritus vxorem coram seculari Iudice de adulterio accuset criminaliter ad pœnam legalem ei inferendam, non per procuratorem, sed personaliter præsens esse debet; cùm se inscribere, & ad talionis pœnam obligare debeat. Sin autem vxorem accusare velit coram Iudice Ecclesiastico ad diuortium instituendum, tum licèt se inscribere debeat, vt nomen, locum, tempus, & alia lege ciuili requisita designet; quia tamen ad talionis pœnam, si fortè in probatione defecerit, obligare se non tenetur, ideo sustineri potest, si necessitas id postulet, vt per procuratorem agat: Quia eiusdmodi accusatio etsi de crimine sit, non tamen est criminalis; sed veluti mixta inter ciuilem & criminalem. Securius tamen erit, si partes principales personaliter in iudicio compareant.

SVMMARIVM.

1. *In causa criminali, vbi non pecuniaria mulcta, sed maior pœna, seu capitalis pœna pro crimine imponenda sit, partes personaliter adesse debent. Si tamen reus adesse commodè nequeat, per procuratorem se defendere potest.*
2. *Qui alterum criminaliter accusat, inscribere se, & ad pœnam talionis obligare debet sed hodie per desuetudinem sublata est.*
3. *Iudex secularis cognoscit de adulterio, si agatur criminaliter ad pœnam sanguinis; Ecclesiasticus si agatur ad diuortium, seu tori separationem.*
4. *Instituens criminalem actionem contra adulter-*

adulteram ad publicam eius punitionem, finito hoc iudicio non potest agere ad diuortium instituendum; vel vice versa, finito iudicio diuortij, eandem criminaliter accusare.

§. *Si autem propriè, & directè agatur de interesse seu compensatione damni rei familiaris, actio hæc ciuilis non præiudicat criminali, sed vnâ finitâ, altera instrui potest, simul tamen vtraque intentari nequit.*

POena adulteris decreta erat capitis amputatio, l. quamuis, 30. C. Ad l. Iuliam de adulteris. Ea tamen correcta fuit in fœminis adulteris, vt verberatæ in Monasterium detrudantur, Auth. Sed hodie, C. eod. Nunc verò multis locis ob adulterij crimen exilium, aliáue arbitraria pœna decernitur, sicuti testatur Iac. Menochius de arbitr. qq. casu 419. n. 74. Alia insuper pœna adulteris decreta est in l. consensu 8. §. 1. C. de repudijs, nouella Iustiniani 117. Vt liceat matri, §. Quia verò plurimas, & approbatur in c. plerumq; de donat. inter virum & vxorem; vt ob vxoris adulterium vir dotem eius lucretur, neq; restituere cogatur, & similiter vxor donationem propter nuptias ob adulterium mariti. Qua de re dixi in lib. 3. tr. 4. c. 13. n. 7. & videri potest Sanchez lib. 10. de matrim. disp. 8. q. 1.

1 NOTANDVM I. In causa criminali, si non pecuniaria mulcta, sed pœna maior seu capitalis pro crimine imponenda sit, partes personaliter adesse debent. Ita hîc, & in c. veniens, 15. de accus. l. 1. ff. An per alium causæ, &c. Id verò maximè verum est, si loquamur de Actore, seu Accusatore in criminali causa, vt ex hoc c. apparet. At verò Reus criminaliter accusatus, si absens se sistere commodè non possit, per procuratorem defendi posse, colligitur ex l. 3. C. de accusat. & l. seruum, 33. §. Publicè, ff. de Procur. & ex c. præc. & docet Iacob. Cuiacius lib. 20. obseruat. 20. sicut eum citat & sequitur Fachineus lib. 1. controuers. iuris, c. 24. Quamuis Gl. in cit. c. præc. ver. præsentia, dicat procuratorem in causa criminali. tantùm interuenire posse ad inquisitionem, aut exceptionem; seu ad allegandam causam absentiæ, iuxta l. absens, 71. ff. de procur. & videri potest Gl. in cit. c. veniens, ver. criminali.

NOTANDVM II. Qui alterum crimi- 2
naliter accusat, inscribere se, & ad talem pœnam obligare debet, si probare crimen non potuerit, qualem alter sustinere deberet, si conuictus fuisset, l. vlt. C. de accusat. & subscript. Quamuis autem hæc pœna talionis sublata fuerit, si maritus vxorem de adulterio accusaret, cit. l. quamuis; tamen iterum restituta est in cit. nouella Iustiniani 117. Vt liceat matri, §. Si de adulterio, & habetur in hoc c. Sed hodie per desuetudinem iterum desijsse talionis pœnam, testatur Clarus in pract. crimin. q. 81. n. 3. & dixi lib. 3. Th. mor. tr. 6. c. 3. n. 4.

NOTANDVM III. Secularis Iudex de 3
adulterio cognoscit, si agatur criminaliter ad pœnam sanguinis: At verò Ecclesiasticus Iudex, non secularis, de adulterio cognoscit, in ordine ad diuortium, seu tori separationem, yti hîc habetur, & in c. 1. Vt lite non contestata, & tradit S. Th. in 4. d. 35. q. vn. a. 3. ad 5. Sicuti enim indiuiduum nexum matrimonij, ob rationem Sacramenti, ad Ecclesiam pertinet cognoscere, & auctoritatiuè conseruare; ita etiam de causis eius dissoluendi iudicium ferre. Vide plura lib. 4. Th. mor. tr. 9. c. 2. n. 5.

Quærunt hîc Canonistæ: Si quis con- 4
tra adulteram criminalem actionem instituit ad publicam eius punitionem, vtrùm finito hoc iudicio, possit etiam agere ad diuortium instituendum, seu tori separationem; aut, vice versa, finito iudicio diuortij, eandem criminaliter accusare. Responsio est negatiua cum Abb. hîc n. 5. Soto lib. 4. sentent. d. 37. q. vn. a. 3. vers. colligito ergo, & constat ex l. interdum, 4. ff. de publ. iudicijs, & Quod Senatuscons. 6. ff. de iniurijs, ibi: *Si actum est publico iudicio, denegandum est priuatum; similiter ex diuerso*, & tradit Gl. §. in summa, Instit. de actionibus. Ratio est: Quia indecens videtur, vt aliquis idem delictum bis puniri postu-

let. Vtra que autem actio tendit ad punitionem, licèt altera ad publicã vindictam, altera verò ad priuatam. Ac simili ratione; Si quis criminaliter egit contra adulteram, nõ potest deinde agere ad dotis amissionem, sicuti ex communi docet Sanchez lib. 10. disp. 8. n. 19. Cùm & hæc pœna quædã sit, licèt applicanda actori, seu accusatori. Quamobrem talis actio quodam modo ciuilis censetur, seu, vt hoc c. dicitur, mixta ex criminali & ciuili.

5 At verò si propriè ac directè agatur de interesse, seu iactura rei familiaris compensanda, ea actio ciuilis non præiudicat criminali, adeò, vt vno iudicio finito, alterum iudicium institui possit; videl. vt postquam aliquis contra vulnerantem criminaliter egit, postea damni illati compensationem petat: vel post impetratam damni compensationem, publicam vindictam sicuti habetur expressè in l. vn. C. Quando ciuilis actio criminali præiudicat. Sed simul vtraque actio intentari non potest, vti Gl. communiter recepta ibid. notat. Cæterùm vnà cum actione criminali posse etiam incidenter, & accessoriè adiungi, vt damnum seu rei familiaris detrimentum compensetur, tradit Clarus in pract. crimin. q. 2. n. 2. Molina tr. 3. de iust. disp. 40. n. 19.

Accedit, quòd Iudex ex officio suo, nõ obstante accusatione criminali, compellere possit iniustè lædentem ad damni compensationem, nisi pars læsa remittere videatur, vti testatur Sanchez cit. n. 19. Mol. cit. n. 19. Quemadmodum & Iudex finito iudicio priuato ex actione, quam mixtam diximus, criminale iudicium ad publicam vindictam ex officio instituere non prohibetur, teste Claro cit. p. 2. n. 7.

CAPITVLVM VI.

Cùm pro causa.

Paraphrasis.

Si alicuius Ecclesiæ Clericus, v.g. Canonicus ostenderit, se ex mandato Capituli, Romam profectũ esse, vt negotia aliqua promoueret, expensas ob eam causam factas repetere potest. Consentit. c. 2. causa 12. q. 4. iun. Gl. vbi habetur; Si Sacerdos, seu Ecclesiæ Rector, seu prælatus aliquid ex proprijs, seu patrimonialibus expendit in ecclesiæ rebus, ei restituendum esse. Quod & Abb. hic docet. n. 1.

Svmmarivm.

1. *Procurator & mandatarius quilibet repetere potest omnes expensas à domino occasione mandati vel negotij sibi commissi factas, etsi euentus infelix fuerit.*
2. *Similiter agens sine mandato negotia absentis vtiliter, ac rationabiliter repetit actione negotiorum gestorum.*
3. *Qui propter aliam causam iturus esset ad Curiam Romanam, cui ego mea quoq; negotia demandem, non potest is repetere à me sumptus itineris.*

NOtandvm 1. Procurator, sicuti & quilibet alius mandatarius, repetere potest expensas omnes, quas occasione mandati, seu negotij sibi commissi, facere debuit, tametsi euentus infelix fuerit. Ita Gl. communiter recepta hic ver. propter hoc, & habetur in l. etiamsi, 4 C. Mãdati, vbi habetur, quod procurator repetat sumptus litis, tametsi in causa succubuerit, dummodò eius culpâ non acciderit. Quia nemini officium suum damnosum esse debet, vti docui lib. 3. tr. 4. c. 26. n. 3. 1

Addit Gl. ver. de mandato, Tametsi aliquis non interueniente mandato, negotia absentis vtiliter ac rationabiliter gesserit, expensas actione negotiorum gestorum repeti posse, tametsi euentus infelix fuerit, l. sed an, 10. §. 1. ff. de negot. gestis, & docui cit. tr. 4. c. 28. n. 1. Veruntamen hoc discrimen est, quòd si mandatum alicui sit, vt negotium alterius suscipiat, non consideretur, vtrùm vtile seu cõsultum domino fuerit suscipi, aut tractari: Sed in actione negotiorum gestorum absq; præcedente mandato, id maximè spectari debet, vti constat ex cit. §. 1. 2

NOtandvm II. Si alicui in propria, aut alterius causa Romam v.g. profecturo, mandem, vt mea quoq; negotia peragat, non potest is à me repetere sumptus itineris, quos alioquin etiam absque meo mandato facturus fuisset, Ita colligitur ex hoc c. ver. propter 3

propter

pter hoc, & l. ex parte 39. ff. famil. herciscundæ, & notat Gl. fin. hic, Imola n. 1. Abb. n. 2.

CAPITVLVM VII.

Quia in causis.

PARAPHRASIS.

Vniuersitas scholarium Parisiensium, cùm interdum in iudicio stare deberet seu agendo, seu defendendo, & omnes comparere non possent, petiuerunt ab Innoc. III. vt ipsis liceret Procuratorem, seu Syndicum instituere. Respondit Papa; Tametsi id eis, spectato communi iure concessum sit, tamen etiam auctoritate Apostolica se ipsis instituendi Procuratoris facultatem concedere.

SVMMARIVM.

1. *Vniuersitas potest ad causas agendas Procuratorem instituere.*
2. *Scholares, vbi consuetum est, possunt inter se facere Collegium seu Vniuersitatem, ita vt Rectorem & Officiales eligant, atque statuta condant pertinentia ad facultatem suam, ita tamen, vt hoc modo superiori Magistratui subiecti, seu subordinati sint.*
   Idem potest Communitas opificum in approbatis rebuspublicis.
3. *Quæ iuri communi concessa sunt, interdum à Principe conceduntur ad maiorem confirmationem & securitatem.*

1 NOTANDVM I. Vniuersitas potest ad causas in iudicio agendas Procuratorem instituere. Nam etsi Procurator definiatur, qui mandatu domini negotia aliena administrat, l. 1. ff. de Procurator. Tamen ipsa Vniuersitas, tanquam persona ficta, loco domini habetur, vti Gl. hic ait ver. de iure communi. Veruntamen Procurator ab Vniuersitate constitutus proprio vocabulo Syndicus, vel Actor appellatur, l. 1. §. Quibus, ff. Quod cuiusque Vniuersitatis, & c. vn. de Syndico.

2 NOTANDVM II. Scholares, vbi id cõsuetum est, facere possunt inter se Collegium, seu Vniuersitatem; ita vt Rectorem, & Officiales eligant, atq; statuta condant pertinentia ad facultatem suam; attamen hoc modo, vt superiori Magistratui subiecti, seu subordinati sint. Ita sumitur ex hoc c. & ex l. vlt. C. de iurisdict. omn. iudicum, vbi hoc ipsum traditur de communitatibus opificum in Rebuspubl. approbatis, & videri potest Bartol. & Abb. hic not. 2.

Contrarium tamen docet Gl. in cit. l. vlt. Quia Scholares, inquit, professionem non exercent, sed sub exercentibus sunt discipuli. Quemadmodum nec opificum discipuli Vniuersitatem, seu Collegium faciunt, sed eorum Magistri. Sed respondet hîc Abbas; Quòd etiam ipsi Scholares ad quædam sua negotia tractanda conuenire possint, & quibusdam locis soleant, ita vt propria & ipsi iura, statuta, directores, &c. habeant. Imò ait Accursius in cit. l. 1. ff. Quod cuiusque Vniuersitatis, ver. aliorum; si sex studiosi in vna domo habitent, quòd facere possint Collegium licitum, ita vt Syndicum ipsis instituere liceat.

3 NOTANDVM III. Quæ iure communi concessa sunt, interdum à Principe conceduntur ad maiorem confirmationem, & securitatem. Quia concessio specialis pluris æstimatur, quàm generalis. Ita sumitur ex hoc c. & annotaui lib. 1. tract. 4. c. 23. n. 7. excep. 3.

CAPITVLVM VIII.

Auditis.

PARAPHRASIS.

Controuersiæ quædam erant inter Episcopum Egitanensem, & Episcopum Colubrienſem, quas Papa Iudicibus delegauerat. Sed cùm iustitia processûs Iudicum delegatorum in dubium reuocaretur, impetrauit Colubrienſis Episcopus, vt causa tota ad Sedem Apostolicam auocaretur. Verùm cùm tota causa processuum examinata, & concluſa esset, vt nihil restaret præter sententiam ferendam, idem Episcopus Procuratorem, quem pro causa illa constituerat, non absque Sedis A-

postolicæ contemptu, & aduersariæ partis dispendio, reuocauit. Sed ea reuocatione non obstante, Honorius III. sententiam tulit processus illos Iudicum, & quæ inde secuta fuerunt, irrita pronuntians; insuper Episcopum Colubriensem condemnans in expensis, quos Egitanensis fecit ex eo tempore, quo Procurator reuocationis literas accepit, & quas idem Episcopus faciet, quoad Colubriensis per se, vel per idoneum Procuratorem aduenier in negotio principali legitimè processurus.

SVMMARIVM.

1. *Citatus ad totam causam censetur contumax, si recedat v. g. Procuratorem reuocando, & alium non submittendo; vnde causâ iam cognitâ & conclusâ procedi potest ad sententiam ipso non citato.*
2. *Ab eo tempore, quo pars litigans incipit esse contumax, debet ea Aduersario condemnari in expensis, quas morando facere cogitur.*

1 NOTANDVM I. Qui citatus est ad totam causam, maximè quam ipsemet ad Iudicem traxit seu aduocauit, censetur contumax si recedat, v. g. Procuratorem reuocando, & alium non submittendo. Quamobrem, si causa tum cognita & concluſa sit, procedi potest ad sententiam, etiam ipso non citato, propter contumaciam eius. Ita Innoc. hîc.

Si quæras: Cur ergo Papa non etiam processit in quæstione principali, non obstante reuocatione Procuratoris? Respondeo: Quia lis super principali quæstione coram Papa nondum contestata erat, ideo vi generalis citationis procedi non poterat, parte absente. Ita Innoc. & Abb. hîc n. 8.

2 NOTANDVM II. Si pars litigans incipiat esse contumax, neque per se, neque per Procuratorem comparendo, ex eo tempore aduersario condemnari debet in expensis, quas morando facere cogitur. Ita Abb. hîc n. 10. arg. l. si quis inficiatus, 13. iuncto Bartol. ibid. n. 1. ff. depositi, & habetur in c. cùm dilecti, 6. de dolo & contumac.

CAPITVLVM IX.

Petitio.

PARAPHRASIS.

Episcopus Mutinensis è diœcesi discessurus, duos Canonicos Vicarios seu Procuratores generales constituit. Sed cùm in iudicio comparerent, exceptum contra ipsos fuit, quòd in instrumento procuratorio Syndici, vel actores Episcopi non vocarentur. Respondit Honorius III. exceptionem hanc nullius momenti esse, cùm satis ex tenore instrumenti appareat, quòd Episcopi intentio fuerit liberam illis pro se in iudicio agendi, ac respondendi dare potestatem.

SVMMARIVM.

1. *Non est laborandum de verbis instrumenti, aut cuiusque dispositionis, si de mente seu intentione Auctoris constet, nisi certa verborum solemnitas ad aliquem actum requiratur tanquam forma substantialis.*

CVr isti Canonici, constituti vt procuratores Episcopi, à iudicio repelli posse viderentur, hæc erat. Nam Procurator est, qui negotia aliena domini mandato administrat, l. 1. ff. de Procurator. Atqui Episcopus non dominus est bonorum Ecclesiæ, sed Administrator, & Curator, c. 2. de donat. Ergo is Procuratorem pro causis Ecclesiæ suæ instituere non potest, sed Syndicum, seu Actorem, iuxta l. 1. ff. Quod cuiusque Vniuersitatis, &c. Confirmatur ex eo, quòd neque tutor aut curator ante litis cõtestationem procuratorem in iudicio constituere possit, l. neque tutores, 11. C. de Procuratorib. Neque Procurator alium Procuratorem ante litis contestationem dare, c. 1. §. licet, eod. tit. in 6. Responderi debet; Tametsi Procurator, si strictè & propriè loquendum sit, ita accipiatur,

piatur, sicuti IC. definiuit: tamen, quia Rectores Ecclesiarum & ciuitatum loco dominorum habeátur, ideo nihil obstare, quin eorum Syndici & actores Procuratores appellentur. Profectò; cùm ex verbis instrumenti constet, quòd Episcopus Canonicis generalem, & quidem liberam in iudicio agendi ac respondendi potestatem dare voluerit, nihil interest, vtrùm eos Procuratores, an Syndicos appellarit. Vide quæ dixi lib. 3. tr. 4. c. 26. n. 13.

Ad confirmationem dici debet, cùm Innoc. hic, n. 2. Abb. §. sed opponitur contra prædicta; Zabar. in Clem. 3. de Procurator. Quòd maior sit potestas ac liberior administratio Episcopi, alteriúsue Prælati, quàm sit potestas aut administratio tutoris, curatoris, procuratoris. Imò generalem regulam tradit Abb. Quòd quilibet beneficiatus aut Rector Ecclesiæ, sicuti per se agere in iudicio potest pro iuribus Ecclesiæ suæ, absque Superioris requisito consensu, ita & procuratorem constituere.

1 NOTANDVM. Non est laborandum de verbis instrumenti, aut cuiusque dispositionis, si de mente, seu intentione auctoris constet. Consentit c. humanæ; causa 22. q. 5. Ratio est, quæ ibidem indicatur: Cùm enim verba instituta sint ad intentionem mentis declarandam, ideo illi accommodari debent, & non intentio verbis. Excipe: Nisi certa verborum solemnitas ad aliquem actum requiratur, tanquam forma substantialis, tum ea non adhibita, etsi constet de loquentis intentione, irritus est actus, arg. c. vn. de postul. Prælat. in 6.

CAPITVLVM X.

Accedens.

PARAPHRASIS.

Nobilis mulier de Massa filio suo (cuius tutrix fuit, vt Innoc. hîc commentatur) desponsauerat Vbaldi ciuis Pisani filiam; postea cùm mulier à promissione nomine filij factam recedere vellet, sub potestate ciuis Pisani detenta fuit. Hac recognita, rescripsit Gregor. IX. ad Vbaldum, mulierem illam curet securè deduci ad castrum suum, vt ibi libera existens Procuratorem ad Sedem Apostolicam mittere possit. Et ipse quoque Vbaldus Procuratorem idoneum super causa illa sponsaliorum ad eandem sedem mittat, data ei plena potestate ad agendum, & respondendum.

SVMMARIVM.

1. *Parentes & tutores loco liberorum, aut pupillorum more antiquo sponsalia contrahunt, adolescente tamen & puellâ liberè consentientibus.*
2. *Pacturus, aut quemcunque actum cum altero instituturus non debet ab eo detineri violenter; aliàs acta rescindi possunt, intentata actione, Quod metûs causa.*
3. *Procurator constitutus ad agendum, censetur etiam constitutus ad respondendum, si à reo conueniatur.*

NOTANDVM I. Parentes, & tutores loco liberorum, aut pupillorum, quos in potestate, & sub cura sua habebant, secundùm antiquum morem sponsalia contrahebant, vti videre est apud Sanch. lib. 1. de matrim. disp. 1. Requiritur tamen, vt adolescens, & puella, pro quibus sponsio fit, liberè consentiant, sicuti dixi lib. 5. tr. 10. p. 1. c. 1. n. 13. & tradit Gl. hîc, ver. respondendum. 1

NOTANDVM II. Pacturus, aut quemcunque actum cum altero instituturus non debet ab eo detineri violéter: alioquin quod actum fuit, rescindi poterit, intentata actione. Quod metus causa, iuxta l. Quin in carcerem, 22. ff. Quod metus causa; Vbi Bartolus communiter receptus tradit; quòd iniustè detentus in carcere, vel sub custodibus, si cum detentore contrahat, aut in eius commodum testamentum faciat, per actionem, seu exceptionem *quod metus causa*, se defendere possit, quò minùs acta valeant. 2

NOTANDVM III. Procurator, qui constituitur ad agendum, censetur etiam constitutus ad respondendum, si à Reo reconue- 3

niatur

niatur, vti docet Gl. margin. in l. Mutus, 43. §. pœna, ff. de Procurator. Nam alioquin repelli poterit ab actione, nisi paratus sit, vel etiam promittat (si in procuratorio mandato expressum non sit) dominum suum defendere, seu pro eo respondere, iuxta cit. §. pœna, & l. vn. C. de satisdando, & tradit Gl. hîc ver. respondendum, Abb. n. 5.

CAPITVLVM XI.

Dilectus.

PARAPHRASIS.

Magister Laurentius Parochus Ecclesiæ de Launa cùm studiorum causa (permittente ac dispensante Episcopo, c. cùm ex eo, 34. de elect. in 6.) Bononiam profectus esset, Procuratorem generalem ad omnia negotia sua reliquit. Postea Richardus Presbyter in controuersia quadam super eadem Ecclesia literas Apostolicas ad Iudices quosdam impetrauit, quarum vigore Parochus ille ad iudicium citatus est. Cùm autem Procurator eius loco comparens dilationem temporis competentis peteret, intra quod dictum Parochum Dominum suum consulere posset, num in iudicio contendere, an liti cedere deberet; iudices illi inducias denegarunt. Quare Procurator ad Sedem Apostolicam appellauit. Ad hæc rescripsit Gregor. IX. si ita sit, vt narratur, omnia quæ post interpositam appellationem à iudicibus acta sunt, pro irritis habenda esse.

SVMMARIVM.

1. *Procurator generalis loco absentis constitutus ad negotia omnia, censetur etiam constitutus ad lites in iudicio.*
2. *Consultum & consuetum est, vt, si fieri possit, priùs ipse principalis citetur, & in huius primùm defectum Procurator generalis.*
3. *Procuratori inducia concedendæ sunt, si petat ad dominum super re aliqua consulendum, nisi in casu, quo instructus in causa à domino mittendus fuisset.*

NOTANDVM I. Procurator generalis loco absentis constitutus ad negotia omnia, censetur etiam constitutus ad lites in iudicio. Ita notat Gl. hîc, ver. generalis. Imola num. 1. ex c. qui generaliter, 5. eod. in 6. 1

NOTANDVM II. Consultum, & vsitatum est, vt, si fieri possit, priùs ipsemet dominus seu principalis citetur; in defectum autem domini, eius Procurator generalis. Ita sumitur ex hoc c. verb. eodem Rectore citato, & tradit Gl. in c. 3. ver. ad domum, de dolo & contum. Bartol. in l. 3. n. 2. C. de Procurator. Abb. hîc n. 4. 2

NOTANDVM III. Procuratori inducię concedendæ sunt, si eas petat ad dominum super re aliqua consulendum. Quamuis in re ita distinguunt hîc Anton. & Imola n. 6. Abb. n. 5. Durand. in Spec. lib. 2. p. 1. de dilation. n. 18. Si dominus citatus fuit, explicata ipsi causa, & inserto libello actoris, tum Procuratori inducię concedi non debent; cùm in causa illa instructus à domino mittendus fuisset, arg. c. 2. de dilat. & videri potest Abb in c. coram, 7. n. 3. de in integr. restit. Præterquam si aliquid de nouo emergat, antè non præuisum: Vel sic eò deueniatur, vt v. g. transigendum sit, quod Procuratori absque mandato speciali concessum non est, c. qui ad agendum, 4. eod. in 6. Sin verò dominus generatim, causa non satis expressa, citatus fuit, ita vt Procuratorem instructum mittere non potuerit, tum inducię ad consulendum dominum Procuratori petenti concedi debent. 3

CAPITVLVM XII.

Constitutis.

PARAPHRASIS.

Controuersia erat inter Henricum Priorem Sagiensem, & Titum laicum, super quadam pecunia, quam Titus nomine vxoris suæ mutuò datam, à Priore repetebat. Hanc causam Gregor. IX. Ottoni Subdiacono suo commisit. Sed Prior ille post libellum sibi oblatum, non accepta à Subdiaco-

diacono Auditore licentia, Româ discessit, Procuratorem relinquens, data ei potestate ad agendum duntaxat. Auditor autem ille quia videbat, Procuratorem ratione huius mandati, idonæum non esse ad defendendum, Priorem contumacem esse iudicauit, & parti alteri, præmissa taxatione, ad certam pecuniæ summam ratione expensarum, condemnauit. Quod Auditoris factum Papa postea ratum habuit.

SVMMARIVM.

1. *Maritus nomine vxoris suæ agere potest, ad debitorum solutionem.*
2. *Procurator non habens mandatum sufficiens, perinde censeri debet, ac si nullus sit; vnde contra constituentem talem Procuratorem procedi potest tanquam contra contumacem, ita vt parti aduersæ in expensas condemnetur.*
3. *Condemnatio autem in expensas fieri debet præuia taxatione Iudicis, & iuramento partis expensas repetentis.*

1 NOTANDVM I. Maritus nomine vxoris suæ agere potest, ad debitorum solutionem. Sed distinguendum; quòd bona vxoris alia sint dotalia, alia verò paraphernalia: Et hæc duplicis generis; vel enim mariti administrationi commissa; vel non commissa, sed penes vxorem manentia, vti docui lib. 3. tract. 4. c. 13. n. 9. & tradit Abb. hîc n. 5. Bartol. & alij Legistæ in l. Maritus, 21. C. de Procurator. Pro bonis dotalibus (vt si vxor marito instrumenta debitorum suorum in dotem dedit) maritus suo nomine agit; cùm veluti dominus dotis constante matrimonio reputetur, l. 2. C. de action. & obligat. Similiter quoque maritus agere potest pro bonis paraphernalibus, penes ipsum existentibus, arg. l. vlt. C. de pactis conuentis, vbi DD. aiunt, quòd ex traditione paraphernaliûm, vel instrumentorum eius, facta marito, censeatur ei relicta administratio, ita vt tanquam Procurator in iudicio nomine vxoris admittendus sit, tametsi non caueat de rato. Denique pro bonis paraphernalibus penes vxorem existentibus ad agendum maritus admittitur, etiam sine mandato, tanquam persona coniuncta, dummodò caueat de rato, sicuti habetur in cit. l. maritus, & tradit Gl. hîc ver. suæ vxoris nomine.

NOTANDVM II. Procurator, qui non habet mandatum sufficiens (v. g. qui à Reo datus est ad agendum duntaxat, & non ad defendendum,) perinde censeri debet, ac si nullus sit, iuxta l. 1. §. Quod si nemo, iun. Gl. ver. inhabilis, ff. quod cuiuscunque Vniuersitatis, &c. Quare contra eum, qui talem Procuratorem dedit, & nec per seipsum comparet, aut, si comparuit, iterum recessit, procedi potest, tanquam contra contumacem, ita vt parti aduersæ in expensas condemnetur, iuxta c. auditis, 8. hoc tit. Addit Innoc. hîc n. 3. Ioan. Andr. n. 19. Si Procurator in iudicio datus dominum defendere nolit, principalem in expensis aduersario condemnandum esse; quia sibi imputare debet, quòd talem Procuratorem constituerit. Cæterùm aduersus Procuratorem actione mandati agere poterit principalis, deinde quatenus suâ interest, causam in iudicio defensam non fuisse. 2

NOTANDVM III. Condemnatio in expensas fieri debet præcedente Iudicis taxatione; quin & iuramento partis, quæ expensas repetit, vti Gl. hîc docet, ver. taxatione, arg. c. vlt. de ijs quæ vi &c. 3

CAPITVLVM XIII.

Mandato.

PARAPHRASIS.

Si dominus Procuratorem ad iudicia constitutum, ignorante aduersario, vel iudice post litem contestatam reuocauit, acta cum Procuratore reuocato valent.

SVMMARIVM.

1. *Acta cum Procuratore reuocato irrita sunt, si reuocatio vel Aduersario, vel Iudici intimata est.*

2. *Vt acta iudicij firma sint, debet reuocatio Procuratoris facta fuisse, postquam eius constitutio intimata fuit Iudici, vel Aduersario, seu extra iudicium, seu apud acta iudicij, seu per ipsam litis contestationem. Irrita acta iudicari debent, si constitutus & reuocatus sit Procurator, antequam eius constitutio parti, vel iudici sit insinuata.*
3. *Procurator post litis contestationem reuocari non potest, nisi causâ priùs cognitâ.*
4. *Morte mandantis, re adhuc inter partes integra, scil. ante litis contestationem, expirat Procuratoris potestas ac mandatum: nisi reus pro Procuratore seu defensore suo sciente extra vel intra iudicium fideiusserit iudicatum solui.*
5. *Morte mandantis post litis contestationem non expirat potestas & mandatum Procuratoris, nisi hic constitutus sit in causa ecclesiæ aut beneficij à Rectore ecclesiæ, vel alio beneficiato; tunc enim etiam post litis contestationem expirat.*
6. *Procurator constitutus à solo Prælato ad negotium, quod sede vacante expediri potest à Capitulo, post mortem Prælati confirmari debet à Capitulo, nisi eum amandare malit, secùs est, si à Prælato vnà cum Capitulo constitutus sit; tunc enim mortuo Prælato non expirat mandatum Procuratoris.*

CIrca hunc textum, inprimis aduertit Gl. fin. copulam *vel* copulatiuè accipiendam esse, vt sensus sit; si tam aduersario, quàm iudice ignorante, &c. Ita enim colligitur ex l. si Procuratorem, 65. ff. de Procurator. l. vn. C. de fatisdando, c. ex insinuatione, 3. suprà, hoc tit. c. ex parte, 33. de rescrip.

Quare regula hæc notanda: Acta cum Procuratore reuocato irrita sunt, si vel Aduersario vel Iudici reuocatio intimata est: sin autem neutri intimata, valèt. Nota, quòd dico *intimata*. Quia non sufficit reuocationem aliunde innotescere: sed necesse est, vt ipse qui Procuratorem constituit, iudici vel aduersario reuocationem eius significet, vti hìc notat Ioan. Andr. in Gl. 2. Abb. in fine huius c. & in simili docet Sanchez lib. 3. de matrim. disp. 30. n. 12.

Ratio reddi debet: Quia si semel Procurator datus, iudici, vel parti aduersariæ intimatus est, tum eorum interest, vt reuocatio mandati procuratorij non fiat, nisi & ea ipsis intimetur; ne alioquin frustra in iudicio fatigentur. Tametsi verò consultum sit, vt vtrique tam aduersario quàm Iudici intimetur, habebit tamen effectum reuocatio, si vel soli aduersario fiat; quia ex eo tempore non poterit aduersarius contendere cum Procuratore, quem falsum seu reuocatum esse nouit: Aut si soli Iudici fiat, cùm ex eo tẽpore processus & acta nullitatis argui possint, iuxta c. 1. hoc tit. Sed antequam intimatum illis est procuratorium mandatum, sufficit reuocationem mandati innotescere Procuratori, quippe cum quo solo actum fuerat. Ita colligitur ex cit. l. si Procuratorem, & cit. l. vn.

In tradita doctrina consentiunt DD. Nisi quòd aliqui existiment; Si reuocatio mandati procuratorij aduersario, non item iudici intimata sit, acta & sententiam secutam ipso iure valere; quamuis per exceptionem rescindi possit Iudicis officio; ne aduersarius ex propria deceptione commodum ferat. Ita Gl. in cit. l. vn. ibid. Bartol. n. 12. Ioan. Andr. c. ex insinuatione, n. 5. hoc tit. Quibus contradicit Gl. hìc, & Abb. n. 5. arg. c. ex parte, 33. de rescriptis.

Maius dubium est: Vtrùm acta iudicij valere debeant, si reuocatio Procuratoris iudice, & aduersario ignorante facta fuit ante litis contestationem. Glossa fin. hìc affirmat. Sed obstare videtur textus huius c. faciens mentionem litis contestatæ; quasi aliter sentiendum sit, si Procuratoris reuocatio ante litis contestationem facta fuerit. Arbitror respondendum, ex cit. l. si Procuratorem, 55. ff. hoc tit. & l. vn. C. de satisdando; Id solùm requiri, vt acta iudicij firma sint, quòd reuocatio Procuratoris facta fuerit, posteaquam eius constitutio intimata fuit Iudici, vel aduersario; seu extra iudicium, seu apud acta iudicij, seu per ipsam litis contestationem.

qui,

qui, tanquam apertissimus modus intimationis affertur in isto c. Sin autem Procurator constitutus, atque etiam reuocatus sit, antequam eius constitutio parti, vel iudici insinuata; tum absolutè loquendo, Procurator falsus censebitur, vt quæcunque cum ipso acta fuerint, irrita iudicari debeant, iuxta c. ex insinuatione, 3. hoc tit.

Exinde intelligitur doctrina Bartoli in cit. l. vn. not. 2. Abb. hîc n. 5. Si Procurator generalis constitutus sit, atque ortâ aliquâ controuersiâ eidem inhibitum, ne causam hanc suscipiat, eiue se immisceat, opus non esse, vt hæc specifica reuocatio Aduersario, vel Iudici intimetur: Excepto, si aliquis certo loco, aut negotiorum generi aliquem præfecerit ad omnia sua negotia Procuratorem, seu actorem, vti etiam dixi in c. ex parte, 33. de rescript.

3 Restant qq. Prima. Vtrùm Procurator post litis contestationem, etiam inuitus, reuocari possit. Respondeo; De hoc extare l. post litem, 17. & l. quæ omnia, 25. ff. de Procurator. Quòd reuocari non possit, nisi causâ priùs cognitâ: Cùm ex eo tempore tùm aduersarij, tum ipsius Procuratoris (quippe qui dominus litis factus est, l. Procuratoribus, 2. C. de Procurator.) interfit, ne temerè reuocetur. Videri potest Gl. in l. ante litem, 16 ff. eod. Bartol. in cit. l. post litem, Imola hîc n. 6. Zabarella in Clem. vlt. de Procurator. col. 2. vbi dicunt ex ll. allegatis, quòd Procurator, postquam reuocatus est, se ingerere non debeat, quia suspectum se redderet: possit tamen petere, vt causa reuocandi, iustàne sit, cognoscatur, pro defensione famæ suæ.

4 Altera. Quid operetur tacita reuocatio Procuratoris, quæ fit per mortem mandantis? Respondeo, & dico I. Si is, qui Procuratorem constituit, re adhuc inter partes integrâ, videl. ante litis contestationem moriatur, expirat Procuratoris potestas, ac mandatum. Ita sumitur ex l. penult. ff. quæ sententiæ sine appellat. & l. de qua re, 74. §. cùm absentem, ff. de iudic. & docet Bartol. in cit. l. si Procuratorem, Abb. hîc, n. 6. Excipe: Si reus pro procuratore seu defensore suo id sciente extra, vel intra iudicium fideiusserit iudicatum solui, iuxta §. Si verò aliquis, Inst. de satisdat. tum Procurator non obstante morte domini, ad iudicium accipiendum compellendus est, l. si defunctus, 15. de Procurat. & notant Bartol. Abb. ll. cc. Zabar. cit. Clem. vlt.

Dico II. Si dominus post litis contestationem moriatur, non expirat potestas & mandatum Procuratoris, cùm transeat obligatio ad hæredem domini. Ita Gl. communiter recepta cit. Clem. vlt. ver. pro Ecclesia, Quia mandatum morte mandantis non expirat, se res integra non sit, vti docent DD. in l. mandatum, 15. C. Mandati, & §. Rectè, Instit. vbi videri potest Angelus Aretinus, col. 1. qui optimè explicat, quando res integra esse desinat; videl. in iurisdictione demandata, si citatio facta sit, vti dixi in c. gratum, 20. de offic. deleg. In procuratorio verò mandato ad iudicia, si litis contestatio facta sit, arg. cit. Clem. vlt. de Procurat. & tradit Gl. communiter recepta in cit. l. mandatum. Vel si ante litis contestationem Reus pro Procuratore suo sciente, ac volente satisdederit, vt suprà dictum. In procuratorio verò mandato ad negotia sufficit, si præparationes necessariæ factæ iam sint. 5

Excipi debet: Quòd per mortem Prælati, aut Rectoris Ecclesiæ, alteriúsue beneficiati, potestas ac mandatum Procuratoris ab illo constituti in causa ecclesiæ, aut beneficij, reuocatum censeatur, tametsi lis tunc contestata fuerit. Ita specialiter, & expressè in cit. Clem. vlt. Rationem huius constit. affert Gl. ver. reuocari: Quia sede vacante, cùm Ecclesia tunc defensore careat, iudicium de bonis aut iuribus eius agitari non debet, c. 1. Ne sede vacante, & dixi lib. 1. tract. 4. c. 7. n. 12. Verùm hæc ratio non videtur esse adæquata; cùm in dicta Clement. idem statutum sit de Procuratore ad negotia, quòd eius mandatum expiret, mortuo Prælato Ecclesiæ, tametsi negotia cœpta sint. Generalior itaque ratio dari debet ex Zabar. in cit. Clem. q. 3. ratione 4. Gl. hîc, ver. Contestata. Cùm enim Procurator loco, ac vice domini, seu constituentis agat, ideo si potestas constitu-

entis omnino extincta sit, seu non perseueret, tum etiam Procuratoris potestas ac mãdatum extingui debet, sicuti hoc idem simili ratione de Vicario, & quouis substituto docui in c. 1. de offic. Vicarij, in 6. Atqui mortuo Prælato, seu vacante sede ius prælaturæ expirauit; cùm non transeat ad aliquem tanquam successorem, qui eadem cum defuncto persona censeatur, sicuti hæres cum persona defuncti. Ergo per mortem Prælati, aut beneficiati constituentis Procuratorem super iuribus aut bonis Ecclesiæ, vel beneficij, mandatũ procuratorium extinguitur. Quãobrem generatim etiam dictum est in c. de cetero, & c. super eo, quod beneficiatus super iure beneficiali paciſci non possit vltra tempus vitæ, neque successorem in beneficio obligare.

6 Corollarium. Si negotium, ad quod Procurator constitutus fuerat, tale sit, vt sede vacante expediri possit à Capitulo; tum distinguendum est, vtrùm solus Prælatus v.g. Episcopus Procuratorem constituerit super bonis pertinentibus ad mensam suam, distinctam à mensa Capitulari; hoc casu post mortem Prælati Capitulum, quod in administratione succedit, confirmare debet mandatum Procuratoris, nisi eum amandare malit, sicuti de potestate Vicarij dictum fuit cit. c. An verò Procurator à Prælato vnà cum Capitulo cõstitutus sit ad gerenda negotia communia; tum mortuo Prælato non expirat mandatũ Procuratoris: Cùm enim à Capitulo etiam constitutus sit, sufficit eius auctoritas ad sustinendum mandatum procuratorium, sicuti Gl. hîc tradit ver. reuocari, Zabar. q. 7. Nihil obstante, quòd fortasse omnes Capitulares, à quibus constitutus est Procurator, alijs postea subrogatis mortui fuerint: cùm non à singulis, sed à Collegio seu Vniuersitate mandatum acceperit, vti notat Gl. margin. in cit. Clem. vlt.

CAPITVLVM XIV.

Non iniustè.

PARAPHRASIS.

Tria hîc respondet Gregor. IX. I. Filiusfam. potest constitui Procurator, non tantùm ad lites exortas, sed etiam ad futuras. II. Filiusfam. sicuti & quiuis alius, si simul cum alio, vel pluribus, aut Procurator in solidum datus fuit, præoccupando negotium antefertur, vti etiam habetur in c. si duo, 6. eod. in 6. & l. pluribus, 32. ff. eod. Sin verò diuersis temporibus dati sint Procuratores, tum per posterioris constitutionem prioris procuratio reuocata censetur. III. Procurator à sententia contra ipsum lata, si expedire videatur, appellare debet; aut, si iusta causa impediatur, domino intimare, vt appellet. Cæterùm ipse Procurator, si nolit, appellationem prosequi non cogitur.

SVMMARIVM.

1. *Filiusfamilias si maior natu sit, Procurator constitui potest, etiam non requisito patris consensu.*
2. *Procurator etiam ad futuram, & nondum exortam litem constitui potest.*
3. *Post vnum Procuratorem datum constituens alium, priorem reuocat; nisi vnus sit generalis, & alter specialis.*
4. *Procurator contra latam sententiam appellare potest, & plerumq; debet.*

NOTANDVM 1. Filiusfamilias si maior natu sit, Procurator constitui potest, etiam non requisito patris consensu, l. filiusfam. 8. iun. Gl. margin. ff. de Procuratoribus, & expressius in c. qui generaliter, 5. §. nedum, eod. tit. in 6. Ratio reddi debet: Quia filiusfam. etiam sine patris auctoritate contrahendo, videl. mandatum suscipiendo, satisdando in iudicio, &c. obligari potest, vt dixi lib. 3. tr. 4. c. 8. assert. 2.

No-

2 NOTANDVM II. Procurator etiam ad futurâ, seu nondum exortam litem constitui potest, iuxta l. 3. ff. eod. Quare annotauit Durandus tit. de Procuratoribus, §. 3. n. 9. vers. *Sed quid si procuratorium*; Si procurator generatim ad iudicia constitutus sit, extendendum esse procutorium etiam ad lites futuras. Quia propositio indefinita in materia non odiosa accipitur pro vniuersali, arg. c. quia circa, 22. de priuileg. Et sic non obstat c. vlt. de rescriptis; Quia vt ibi dixi, rescripta ad lites, tanquam odiosa, strictam interpretationem habere debent.

3 NOTANDVM III. Qui post vnum procuratorem datum, alium constituit, priorem tacitè reuocare censetur, l. si quis, 31. §. Iulianus, iun. Gl. ver. videri, ff eod. & videri debent, quæ dixi in c. volentes, de offic. Legati. Excipe: Nisi vnus sit procurator generalis, alter specialis, seu in certa causa. Nam in hoc casu specialis commissio non derogat generali; sed ordinem præscribit, vt prior admittatur specialis, & in eius defectū generalis, secundùm doctrinam Bald. in l. 2. n. 7. vers. de vno quæro, C. si fiscus, vel priuatus, ex l. quoniam, C. de conueniendis fisci debitoribus, lib. 10. Nota hîc obiter Si duo sint tutores, aut duo executores testamenti, vnus ab altero debitum exigere potest; licèt simpliciter, & non in solidum (id est, vt vnus etiam seorsim sine altero) constituti sint. Cuius ratio est: Quia his casibus dominus ipse exigere non potest: Ergo propter necessitatē fallit hîc regula, quòd vnus sine altero agere nil possit. Abb. hîc. n. 8.

4 NOTANDVM IV. Procurator datus ad litem, contra latam sententiā appellare potest, & plerumque debet: Imò & appellationem, vigore prioris mandati procuratorij, prosequi non prohibetur: non tamen ad id obligatur; dummodò domino maturè denuntiet, vt ipse prosequi possit, l. inuitus, 17. iun. Gl. C. de procur. Excipe cum Abb. hîc n. 13. Nisi sit procurator generalis, seu datus ad omnes causas; tunc appellationem prosequi obligatus est; cùm & causa appellationis iudicialis sit.

CAPITVLVM VIt.

Consulti.

PARAPHRASIS.

Procurator ad impetrandum rescriptum constitutus erat ab aliqua Communitate, cuius maiores seu senatores iurati, per quos Communitas illa regebatur, excommunicati erant, eo tempore, quo procuratoris officium iniunctum fuit; quæritur, vtrùm Procurator per exceptionem repelli possit, tanquam constitutus ab excommunicatis. Respondet Gregorius IX. Non esse repellendum; exceptis tribus casibus: I. Nisi excommunicati in literis procurationis expressi fuerint. II. Nisi aliàs eorundem excommunicatorum auctoritate Procuratoris institutio facta sit. III. Nisi Communitas sciens illos esse excommunicatos, vnà cum ipsis Procuratorem constituerint.

SVMMARIVM.

1. *Excommunicatus vti per seipsum rescriptum papale impetrare non potest, neque in iudicio agere; ita neque præstare ea potest per procuratorem.*
2. *Prælato v.g. Episcopo in excommunicationem lapso, eo tempore suspensum est officium procuratoris, perinde ac Vicarij generalis.*
3. *Actus gestus ab Vniuersitate seu auctoritate illius non ideo vitiatur, quòd aliqui inter eos (licèt Præfecti vrbis, Consulésque sint) inhabiles existant, videl. excommunicati, nisi hi in procuratorio sint expressi, vel eorum auctoritate actus reuerà geratur, vel ad eum gerendum scienter sint admissi.*

NOTANDVM I. Sicut excommunicatus per seipsum rescriptum Papale impetrare non potest, c. 1. de rescript. Sed neque in iudicio agere, vti habetur in c. decernimus, de sent. excommun. Ita neque præstare ea per procuratorem. 1

2 Corollarium: Si Prælatus, v. g. Episcopus, in excommunicationem lapsus sit, eo tempore suspensum est officium procuratoris, perinde vt Vicarij generalis, iuxta c. 1. de offic. Vicarij, in 6. Et ita docet Gl. fin. in Clem. vlt. de Procurator. Vide quæ dixi lib. 1. Th. mor. tr. 5. p. 2. c. 2. n. 14.

3 NOTANDVM II. Actus gestus ab Vniuersitate, seu auctoritate Vniuersitatis, non ideo vitiatur, quòd aliqui inter eos (tametsi maiores sint, seu Officiales præsidentes, videl. Præfecti Vrbis, Consules) inhabiles existant, videl. excommunicati. Ratio est: Quia cùm inhabiles illi priuati sint, ius totum Vniuersitatis penes alios non priuatos residet, tametsi vnicus tantùm esset, arg. c. 2. de postul. Prælatorum, & l. sicut, 7. Quod cuiuscunque Vniuersitatis, vbi & ratio assignatur: Quia quæ geruntur ab Vniuersitate, non geruntur à singulis: ergo tametsi aliqui decedant, aut priuati sint, ius totum Vniuersitatis in vnico conseruari potest. Alia verò ratio est, si quid agatur à pluribus, vt singuli sunt. v. g. si plures Iudices delegati simul sententiam dicant, & vnus eorum excommunicatus sit, sententia irrita est, arg. cum. c. cùm super, 23. de offic. delegati, & l. Pedius, 7. §. Vnde, ff. de receptis arbitris, & tradit hic Abb. n. 4

Excipiendum est primò: Nisi inhabiles, v. g. excommunicati in constitutione actus exprimantur: v. g. Nos Consul, Camerarius, Senatores & tota Communitas decernimus, constituimus, &c. tum videtur actus irritus, si Consul, v. g. aut Camerarius excommunicatus sit, esto alij habiles illius inhabilitatem ignorent. Ita colligitur ex hoc c. & tradit Gl. ver. expressi, Imola n. 9. Abb. n. 7. Quia actus talis, videl decretum, aut procuratoris constitutio sit auctoritate consulis, & Camerarij: Fit enim auctoritate Collegij seu Vniuersitatis, quatenus eius pars, & quidem primaria est etiam Consul, aut Camerarius.

Corollarium. Si Decanus, aut senior excommunicatus electionem Capitularem hoc modo formet, *Ego, & omnes mihi consentientes eligo Titium*, talis electio impugnari potest, tanquam facta ab excommunicato. Quia reuerà hæc electio facta fuit à Capitulo, quatenus etiam Decanum comprehendit, vt ex forma apparet. Neque refert, quòd alij Capitulares habiles etiam sine Decano electionem promulgare; aut alij Senatores sine Camerario v. g. decretum constituere potuissent. Tametsi enim potuissent, tamen noluerunt, seu non fecerunt: Ergo dicere hoc casu licet, sicut in cit c. cùm super. Quod potuerunt, id noluerunt; quod autem voluerunt, id non potuerunt.

Alia verò ratio est, si alij quidam in scrutinio Decano consenserant, qui excommunicati erant: eorum inhabilitas non officit electioni: cùm per particulam, *& alij mihi consentientes*, non censeantur comprehendi inhabiles & priuati, sed habiles tantùm. Idemque similiter dicendum, si aliqui ex senatoribus, nominatim non expressi in decreto, excommunicati, alitérue inhabiles existant.

Excipiendum secundò: Si actus reuerà geratur auctoritate excommunicati, tametsi persona eius non exprimatur: Vt si decretum communitatis valere non possit sine assensu Consulis, aut subscriptione Camerarij; quippe cùm re ipsa ab eorum auctoritate procedat. Ita colligitur ex hoc c. & docet Gl. ver. expressi.

Excipiendum tertiò: Si habiles scienter admiserunt inhabiles ad actum, v. g. ad procurationis constitutionem Prælati, electionem peragendam, decretum faciendum. Etenim hoc casu censentur velle actum peragere vnà cum inhabilibus. Nisi contrarium protestentur expresè, si inhabiles cò modè repellere non possint. Nisi malis dicere, id decretum esse in pœnam seu odium admittentium inhabilem; ideóque actum hoc casu validum esse, donec rescindatur, vti docui in qq. de elect. q. 26.

* * * *
* *

CAPI-

CAPITVLVM I. eod. Tit. in 6.

Non indiscretè.

Paraphrasis.

Laicus à Iudice admitti potest vt procurator ad agendum, & defendendum in causis spiritualibus: cùm nullus Ecclesiasticus canon prohibeat.

Svmmarivm.

1. *Laicus in causis ecclesiasticis Iudex esse nequit, potest tamen esse procurator.*
2. *In materia communiter concessa hoc ipso; quòd aliquod genus personarum non est prohibitum in iure, censeri debet admissum.*
3. *Procurator in rem suam datus alium procuratorem etiam ante litis contestationem substituere potest.*
4. *Et hic iussu aut voluntate domini substitutus, potiùs domini, quàm substituentis procuratoris procurator esse censetur.*
5. *Procurator generalis ad negotia datus alium cum simili potestate constituere nequit; potest autem specialis, nisi industria personæ electa sit.*

1 Notandvm I. Licèt laicus in causis ecclesiasticis Iudex esse nequeat, c. 2. de iudicijs, potest tamen esse procurator. Ratio discriminis est: Quia in Iudice fundata esse debet potestas & iurisdictio, quæ si Ecclesiastica sit, non cadit in laicum: At verò procuratoris potestas magis vicaria est, quia non suo, sed alieno nomine agit, ac defendit. Et addendum cum Petr. Ancharano hic not. 2. Bartol. in l. quod possessio, 49. §. Etsi possessio, n. 2. ff. de acquir. possess. Quòd procurator in causis spiritualibus nudum omnino ministerium exhibeat, ita vt nullum ius in eo radicetur, sed recta via absque cessione transeat ad principalem. Eademque ratione tradit hic Glos. margin. Quòd laicus à clerico constitui possit procurator ad renuntiandum beneficio; item ad acceptandum beneficium ipsius nomine, iuxta c. accedens, 24. de præbendis.

2 Notandvm II. In materia communiter concessa, cuiusmodi est officium procuratoris, hoc ipso quòd aliquod personarum genus in iure prohibitum non reperitur, censeri debet admissum.

§. Licèt.

Paraphrasis.

Procurator alium loco suo procuratorem substituere potest, lite iam cõtestata; cùm dominus litis effectus sit. Sed ante litis contestationem substituere alium nequit, nisi in rem suam procuratori datus sit; Vel nisi substituendi à domino (quamuis nulla nominata certa persona) potestatem acceperit.

Pro intellectu huius §. aduerte primò; Quòd per litis contestationem partes quasi contractũ ineant, ac mutuam obligationem, iuxta l. 3. §. idem scribit, iun. Gl. margin. Atque ita quidem, vt directæ obligationes & actiones ordinariè tẽdant in ipsum procuratorem, seu ad negotia, seu ad iudicia constitutus sit; quas deinde actiones mandanti cedere debet procurator, vt dixi lib. 3. Th. mor. tr. 4. c. 26. n. 14. Et ob hanc causam procurator per litis contestationem dominus litis effectus censetur, adeò, vt reuocari deinde non possit, nisi causa priùs cognita sit, vt suprà dictum: Item, vt alium loco suo substituere possit, vt hìc dicitur, & habetur in l. quod quis, 8. l. neque, C. de Procur. Præterea, vt si post litem contestatam ad testes v. g. producendum pars litigans citanda sit, non ad principalem, sed ad procuratorem citatio dirigi debeat, sicuti ex communi notat Ancharan. in c. seq. not. 6. Denique vt sententia condemnatoria in ipsum procuratorem, non in dominum concipi debeat, secundùm ciuilis iuris subtilitates, vti videre licet in l. 1. C. de sentent. & interlocut. omnium Iudicum, & consentit c. penult. iun. Gl. ver. ipsum. extrà, hoc

cit

tit. Tametsi id, præsertim in foro Canonico, non semper obseruetur, sicuti dixi suprà cit. n. 14.

3 Aduerte secundò; Procuratorem in rem suam, seu in proprium comodum dari, cùm ipsi actiones & iura ceduntur, vt pro se in iudicio exigere possit: Exemplum dat Glossa: Si pater filio suo, aut alteri personæ cedat iura & debita sua iuxta l. illam, 33. C. de donat. is cessionarius directas actiones (quippe quæ à contrahentium ossibus auelli non possunt) exercebit nomine cedentis: vtiles autem seu cessas nomine suo, seu in propriam vtilitatẽ. Et talis in rem suam datus procurator alium etiam ante litis contestationem substituere potest. Verùm non aberrabit, qui dixerit, hunc propriè procuratorem non esse; cùm non tam aliena, quàm, propria negotia tractet, sicuti notauit hîc Petr. Ancharan. not. 4 Gl. in suprà cit. l. 1. ver. aliena.

4 Aduerte tertiò: Si Procurator ante litis contestationem iussu, aut voluntate domini procuratorem alium substituit, is domini potiùs, quàm substituentis procuratoris procurator esse censetur, sicuti Gl. hic annotauit ver. substituendi, ex l. Item, 6. §. Si decuriones, ff. Quod cuiuscunque Vniuersitatis. l. 2. ff. de Procurator. vbi dicitur, quòd procurator certus esse debeat; Siquidem in hoc certus redditur, per substituentis deputationem.

Eadémque ratione docet Bartol. in l. quidam 6. n. 7. ff. de rebus dubijs: Quòd testamentarius executor incertus, certificandus tamen à Titio, vel futuro aliquo euentu, instituí possit: v. g. Relinquo executorem Præfectum Xenodochij, qui tempore mortis meæ fuerit: Vel, Eum quem Titius frater meus nominauerit. Cuius contrarium aliqui docent apud Ancharan. hic §. sed nunquid: cùm neque tutor ita institui possit, vt DD. communiter fatentur ex l. tutor incertus 20. ff. de testam. tutela. Sed respondet Bartol. id specialiter statutum esse filiorum fauore, vt pater ipsemet tutorem eis deligere ac nominare deberet. Sed cùm procuratorem, vel hæreditatis suæ executorem aliquis constituit, de ipsius constituentis bonis agitur; ac proinde maiore disponendi libertate gaudere debet.

§. Procurator.

Procurator ad negotia datus liberè, quandocunq; vult, procuratorem alium deputare potest.

SEd pro declaratione huius §. distinguendum. Num procurator sit generalis, an specialis, seu ad certam causam datus. Generalis procurator alium cum simili generali potestate constituere nequit, sed vnam, vel plures causas particulares delegare potest, l. 1. §. Magistrum autem, ff. de exercitatoria act. Specialis autem procurator negotium sibi demandatum alteri committere potest, l. si procuratorem, 8. §. Si quis mandauerit, ff. mandati, l. si ego, ff. Quod vi, aut clam. Nisi persona industria electa esse censeatur, tum alteri committere non potest, argum. c. vlt. hoc lib. & tit. & c. is cui, 12. de offic. delegati, & docet Bartolus communiter receptus in l. penult. ff. de diuers. & temporal. præscript. 5

CAPITVLVM II.

Quamuis.

SVMMARIVM.

1. *Procurator ante litis contestationem etiam sine causa remoueri potest.*
2. *Præter alias tamen expensas etiam salarium ei præstandum erit.*
3. *Post litis contestationem neque ipse procurator recedere potest.*
4. *Dominus vnà cum procuratore potest adesse causæ, maximè si de collusione timeat.*
5. *Et si dominus ante latam sententiam moriatur, mandatum procuratoris & litis instantia non finitur.*

Ante

1 ANte litis contestationem dominus Procuratorem (nisi in rem suam datus sit) liberè reuocare potest; non item post litem contestatam, nisi rationabilis reuocandi causa subsit, vt quia inimicus domini redditus, vel alia ratione suspectus est, aut aduersarij affinis, vel hæres factus; item si eum Religioné ingredi, in longinquas terras abire, ægritudine aut vinculis detineri contingat. Consentit l. ante litem, 17. & seqq. ff. de Procurator. & l. procuratoribus, 22. C. eod. Veruntamen procurator, si domino, etiam post litis contestationem remouere volenti, resistat, & operam suam inuito ingerat, eo ipso suspectum se reddet. Quare ad hoc tantùm petere potest, vt causa remotionis cognoscatur, vt famam suam illæsam cõseruet, l. quæ omnia, 25. ff. eod. Quòd si verò aduersarius, quocum lis contestata vel aliter inchoata est, procuratorem mutari nolit, tum causa cognoscenda erit ad hoc, vt appareat, remouerine procurator debeat, nécne, sicuti Gl. docet, ver. suspectum,

2 Porrò si procurator absque culpa sua remoueatur, præter alias expensas etiam salarium præstandum esse, docet Bartol. in l. post litem, ff. eod.

3 Corollarium. Neque ipsemet procurator recedere potest post litis cõtestationem, nisi necessarium impedimentum accidat, sicuti notat Gl. Ioann. Andr. in c. seq. ver. susceptum. Sed ante litis contestationem, adeóque dum res integra est, procurationem resignare potest: nisi reus pro procuratore sciente & non contradicente satisfecerit, seu fideiusserit iudicatum solui, tunc cogitur procurator ad iudicium accipiendum, seu litem contestandam, l. si defunctus, 15. ff. eod.

Porrò quomodo iudicij instantia, seu litis prosecutio, à procuratore, quocum lis contestata erat, in nouum procuratorem, vel ipsum dominum per se agere volentem transferri possit, explicat Bartol. in l. mutari, 24. ff. eod. Ancharan. hîc not. 3. Videlicet vt noua litis contestatio fiat, secundùm Gl. margin. cit. l. mutari. Vel vt procurator ius instantiæ alteri cedat, l. in causæ, 26. §. Si ex parte. iun. Gl. margin. ff. eod.

§. Verùm.

TAmetsi procurator, quocum lis contestata est, non remoueatur, potest tamen ipse dominus vnà cum procuratore iudicio adesse; præsertim si collusionem aliquam fieri suspicetur. Quærit Gl. hîc, ver. adesse: Ad quidnam prosit domino, si in iudicio cum procuratore adsit. Respondet; Quia testes, & probationes adducere poterit, quas procurator omitteret: Vel ipsemet procurator testes & probationes, quas dominus volet, exactè produci curabit. Vide Baldum in suprà cit. l. procuratoribus. 4

QVÆRES denique: Quid si dominus ante latam sententiam moriatur, finitúrne mandatum procuratoris; aut, si non finitur, cuius vicem seu locum ille gerit? Respondeo ex l. nulla, 23. C. eod. Per mortem domini, procuratoris mandatum, & litis instantiam non finiri. Quare si sententia contra eum formanda erit, tanquam contra procuratorem hæredis, formanda erit, sicuti Baldus monet cit. l. nulla, n. 5. 5

CAPITVLVM III.

Is qui.

PRocurator qui per facultatem à dominò acceptam alium sibi substituit, reuocare non potest substitutum, postquam is mandatum suscepit. Præterquam si procurator etiam reuocandi potestatem à domino acceperit. Tametsi aliud dicendum sit de delegato Sedis Apostolicæ; quippe qui causam à subdelegato arbitratu suo reuocare potest, si res adhuc integra sit, c. quamuis, 6. de offic. delegati, in 6.

Rationem discriminis inter procuratorem & delegatum Sedis Apostolicæ dare possumus ex doctrina Laurentij apud Zabarell. in Clem. vlt. col. 5. de Procur. Quia delegatus potestatem subdelegandi habet à lege. At verò procurator ad lites substituẽdi facultatẽ à lege non habet, ante litis contestationẽ, sed eam ab homine accipit. Quamobrẽ, si solùm substituendi, non etiam substitutum

reuocandi à domino facultatem acceperit, posteaquam substituit, officio suo functus censetur.

Quamobrem hoc c. locum non habet, si Procurator post litis contestationem alium iure suo substituat, iuxta c. 1 §. licèt, hoc lib. & tit. Nam eodem iure reuocare eum, atque causam reassumere poterit, si res integra sit, seu iudicium necdum in eum translatum: At verò post litis contestationem, aut aliter iudicio cœpto per institutum, reuocare eum potest, causa reuocationis priùs cognita, sicuti dictum est suprà c. 2.

§. Verùm.

SI procurator ad causas plures vel omnes constitutus in vna earum alterum substituerit, in alijs causis procurationis officium exercere non prohibetur. Ratio est manifesta; quia tametsi substituat sibi procuratorem in vna causa, retinet tamen potestatem, nec est functus officio suo in alijs causis.

CAPITVLVM IV.

Qui ad agendum.

PRocurator generalis, tametsi cum clausula constitutus sit, vt omnia expedire possit, etiamsi speciale mandatum exigant, ex vi huius generalitatis admitti non debet ad aliquem articulum, in quo speciale mandatum requiritur.

Ratio reddi debet: Quia hoc ipso quòd iura ad quædam præstanda speciale mandatum exigunt, non sufficit commissio generalis, & non specificata. in c. vlt. q. vlt. de offic. Vicarij in 6.

§. Sed si aliquis.

SI in procuratorio mandato vnus vel plures articuli ex ijs, qui speciale mãdatum requirunt, expressi sint, adiecta clausula generali, tunc etiam ad casus nõ expressos procurator admittendus est.

Exemplum est: Si constitui procuratorem ad iudicia, data ei plena potestate, ita vt etiam transigere possit, & alia omnia præstare, quæ mandatum speciale exigunt, hoc casu admittendus etiam est, si iuramentum parti aduersariæ deferre velit. Sed declarandum, ac limitandum est primò, Quòd clausula illa, *& alia*, extẽditur tantùm ad similia & minora, non item ad maiora expressis. iuxta c. Sedes, 15. de rescriptis, & habetur expressè in Clem. 2. hoc tit. Si procurator constitutus sit ad agendum, & defendendum, atque iurandum de calumnia, & alia omnia agendi, quæ speciale mandatum requirunt, quòd vi huius mandati electo, contra quem in iudicio agit, obijcere non possit crimina seu defectus, vt quòd sit homicida & irregularis. Quia causa ista grauior est, quàm sit facultas de calumnia iurandi in animam domini, c. vlt. de iuram. calumniæ, in 6.

Declarandum est secundò: Quòd expressio articuli specialis fieri debeat per modum permissionis, vt in proposito exemplo: Non autem per modum exceptionis: v. g. Constituo Titium procuratorem generaliter ad omnia, excepto quòd transigere non possit; vi huius excipientis particulæ, (quippe quæ nõ augendi, sed diminuendi causa apposita censetur) alia similia efficere non potest, vti Gl. margin. hìc monet, & docui cit. c. vlt. q. 3.

§. Procurator.

NOn potest procurator absque mandato speciali iuramentum aduersario deferre ad litis decisionem, nec transigere, aut pacisci; nisi bonorum, vel causæ libera administratio ipsi commissa sit.

Pro intellectu aduerte; Quòd Procuratoris officium, cùm species mandati sit, ad plura se nõ extendat, quàm iussum fuerit, iuxta l. diligenter, mandati. Quare si procurator ad lites constitutus sit, agere ac defendere potest, sicuti litis instantia exigit. At verò pacisci, transigere, vel compromittere non potest, cùm hæc ad iudicia per se non pertineant. At verò administrator bonorum, seu iurium, si cum libera seu plena potestate datus

tus sit, ea quæ dicta sunt, præstare potest, vti dixi in c. 2. de suppl. negl. Prælat. in 6. & in c. contingit, 3 in fine, extrà de transact. & docet Bartolus in l. mandato, 60. ff. de procurat. Quare procurator ad lites, cui insuper libera causæ administratio commissa est, transigere etiam aut compromittere poterit, vti etiam indicatur in l. procurator cui, 58. ff. eod.

Similiter dicendum de procuratore ad negotia generaliter constituto, quòd alienare & transigere absque speciali mandato non possit, vt hoc c. indicatur, & habetur in cit. l. mandato, & l. procurator totorum, 63. ff. eod. Si autem libera bonorum administratio data sit, tum omnia facere potest, præterquam quòd donare non possit, vti dixi in cit. c. 2. de suppl. negl. Prælat. in 6.

CAPITVLVM V.

Qui generaliter.

QVi procurator ad negotia generalis constitutus est, is etiam agere, ac defendere in iudicio potest; exceptis casibus, qui mandatum speciale requirunt. Hos speciales casus Gl. recenset in c. præced. ver. vel paciſci.

NOTANDVM Vn. Procurator constitutus ad omnia negotia, censetur etiam constitutus ad agitãdas causas in iudicio; cùm & hæc negotia quædam sint. Sed non vice versa, constitutus procurator ad causas iudiciarias, alia etiam negotia domini expedire potest. Cùm mandatum extendi non debeat de casu ad casum, l. si procurator, 10. C. eod.

§. Nedum.

FIliusfam. absque patris consensu procurator esse potest non tantùm ad negotia, sed etiam ad iudicia. Hac de re dixi in c. penult. not. 1. hoc tit. in antiquis.

§. Licèt.

PRocurator ad iudicia constitui non potest, nisi maior xxv. annis: Sed procuratori ad negotia sufficiunt anni XVII. completi. Hac de re dixi lib. 3. Theol. moral. tr. 4. c. 26. n. 7. §. Procurator.

CAPITVLVM VI.

Si duo.

PARAPHRASIS.

Si duo Procuratores simul constituti sint simpliciter, vnus sine altero admitti non debet: Secùs verò est, si vterque in solidum deputatus sit: tunc ille præferendus est, qui causam per litis contestationem præoccupauit: Ita vt alter se postea immiscere haud possit; cùm ille dominus litis effectus fuerit. Quòd si verò in mandato adiectum sit, vt occupantis melior conditio non sit, hæc clausula saltem id operabitur, vt si illum mori, abesse, aut morbo aliáue ratione impediri contigerit, alter causam inchoatam assumere & perficere possit: præterquam si alium sibi procuratorem substituerit, is enim præferri debet.

SVMMARIVM.

Si duo procuratores super eâdem causâ successiuè constituti sint, posteriore constituto censeri debet reuocatus prior. Si simul autem sint ambo constituti & simpliciter, ambo admitti debent, ita vt vnus sine altero nil efficiat; si vterque in solidum, tunc vno per litis contestationem præoccupante, alter omnino excluſus est; nisi clausula in mandato contenta vnius præoccupationi, & alterius excluſioni præiudicet.

SI duo procuratores super eadem causa, seu lite constituantur, ita distingue: Vel simul constituti sunt, vel non simul. Si hoc secũdum, posteriore in eadem causa designato, censeri debet prior reuocatus, c. si quis, 31. §. Iulianus, ff. eod. Idque locum habet, tamẽtsi posterior mandatum non susceperit,

secundùm Gl. communiter hîc receptam, ver. secùs. Quòd si simul constituti sunt, tunc vel simpliciter, vel in solidum: Si simpliciter, ambo admitti debent, & vnus sine altero nihil efficere poterit. Quod idē de iudicibus simul delegatis habetur in c. causam, 16. de offic. delegati, c. prudentiam, 21. eod. tit. Sin verò vterq; in solidum, id est, vt singuli seorsim litem prosequi possint, tunc vno per litis contestationem causam præoccupante, alter omnino excluſus est. Præterquā si in mandato contineatur clausula, qua huic præoccupationi vnius, & excluſioni alterius derogatum sit. Hæc enim clausula licèt efficere nequeat, vt, dum is, qui prior litem contestatus fuit, iudicium prosequi vult, & potest, se alter immiſceat (cùm id bono publico, & litium expeditioni aduersetur) tamen id saltem operatur, vt si ille qui præoccupauit, impeditus sit, aut causam prosequi nolit, in hoc euentu alter suscipere non prohibeatur, dummodò ille neminem in locum suum substituerit, sicuti in textu dicitur. Ita explicat Gl. hîc ver. occupantis, vbi regulam allegat: Si quod ago, non valet in totum, valebit ea parte ac modo, quo valere potest.

QVÆRES: Quare iudicibus duobus in solidum delegatis, si qui præoccupauit, procedere nolit, aut impeditus sit, alter succedere potest, etsi id in commissione expressum non fuerit, iuxta c. cùm plures, 8. de offic. delegati, in 6. Duobus autem constitutis procuratoribus, vno præoccupante, alter penitus excluſus censeatur, nisi huic excluſioni per clausulam derogetur. Respondeo; Quia Iudices in solidum delegati ab ipsa lege, seu canone communionem quandam habere censentur, ob velociorem causarum seu litium expeditionem, sicuti dictum fuit in cit. c. cùm plures. At verò Procuratores in solidum constituti à iure communionem non habent: (cùm pluralitas Procuratorum negotij expeditionem potiùs impediat) quare eam ab homine accipere debent.

* * *

§ Cæterùm.

SI is, qui præoccupauerat, ac postea cessauerat, propter impedimentum, eo sublato causam resumere velit, admitti non debet: nisi & alter, qui causam suscepit, impeditus tunc reperiatur.

§. Sanè.

SI in causis spiritualibus, quæ celeriorem expeditionem postulant, videl. electionum, postulationū, prouisionum, duo Procuratores non in solidum dati sunt, iudex, quem magis idoneum censuerit, eligere potest: ne alioquin propter eorum concursum negotia intricari contingat. Neq; alter Procurator admitti amplius debet, nisi, qui præoccupauerat, causam prosequi nolit, aut non possit.

CAPITVLVM VII.

Licèt.

PARAPHRASIS.

Titius absens misit mandatum procuratorium ad Caium, is suscipere recusauit: postea verò mutata volūtate suscepit. Quæritur, an id fieri potuerit. Affirmat Bonifacius VIII. Dummodò ille, qui Procuratorem constituit, in eadem perseuerarit voluntate.

SVMMARIVM.

1. *Procurator non cogitur suscipere officium procurationis; susceptum verò exequi cogitur; vel maturè re adhuc integra, ei renunciare.*
2. *In mandato & alijs contractibus, qui mutuo consensu perficiuntur, licèt alter dissenserit, si tamen postea consentiat, ratus est contractus, modò alter in pristina voluntate perseuerauerit.*
3. *Idem est in actu electionis, & collatione beneficij.*

NOTANDVM I. Procurator non cogitur suscipere officium procurationis, I. filius-

l. filiusfam 8. §. Inuitus, ff. eod. l. inuitus, 17. C. eod. Posteaquam verò suscepit, exequi cogitur, vel maturè renuntiare, dum res integra est, iuxta §. mandatum, Inst. de mandato, & l. si mandauero, 22. §. vlt. ff. mandati.

Cæterùm posteaquam Procurator rei satisfecit de soluendo iudicato; vel si ipse reus loco Procuratoris scientis satisfecit, tum renuntiare procurationi, absque iusta & vrgente causa, seu impedimento non permittitur, l. mutus, 43. §. Qui non cogitur, ff. eod. & Clem. 1. eod. tit. Vide Gl. in ead. Clem. ver. cogi.

NOTANDVM II. In mandato, & alijs contractibus, qui mutuo consensu perficiuntur, si pactionem offerenti seu contrahere volenti aliquis dissentiat, sed postea consentiat, ratus erit contractus: dummodò ille in eadem manserit voluntate. Ita Gl. margin. hîc, & Petrus Ancharanus not. 2. Refert tamen, vtrùm absens sit, an præsens, qui stipulationem, seu pactionem obtulit. Si enim absens sit, & de dissensu alterius nihil intellexit, nec probabiliter suspicari possit, præsumitur in eadem perseuerasse contrahendi voluntate, sicuti indicat Gl. magna hîc in fine dicens, quòd *voluntas semel posita, semper præsumitur, nisi contrarium probetur.* Sin verò præsens sit, & dissensum alterius, cui pactionem obtulit, cognoscat; tum si ille pœnitentiâ ductus de nouo consentire velit, respondere potest, se iam mutasse voluntatem, ita vt cõtractus consistere nequeat. eò quòd ad eius constitutionem necessarium sit, vt consensus partium vniantur, seu eodem tempore concurrant, arg. l. 2. iun. Gl. ver. consentire, ff. de obligat. & actionibus.

3 Corollarium. Idem eâdem ratione docet Gl. fin. communiter recepta de electione. Si videl. electus, cùm ipsi præsentatur electio, ei renuntiet, mox verò pœnitentiâ ductus acceptet, validam fore acceptationem; dummodò electores voluntatem interim non mutarint; seu quod idem est, renuntiationem electi non acceptarint. Sed & idem in collatione beneficij absenti facta locum habere, quod dictum est, tradit hîc Petr. Ancharanus, ver. opponit.

CAPITVLVM VIII.

Si quem.

SVMMARIVM.

Dominus constituens Procuratorem, quia eum abesse oportuit, reuersus ad locum iudicij censetur reuocare Procuratorem, nisi ex circumstantijs contrarium colligatur, vel constitutus sit sub hac forma: Quoties me abesse contigerit.

SI Titium Procuratorem constitueris sub hac forma, quoties te abesse contigerit; tametsi postea reuersus ipsemet causam tractandam assumas, non ideo Procuratorem reuocare censendus es. Quin imò Titius Procuratoris officium iterum assumere poterit, quoties te absentare contigerit.

Sin autem Procuratorem simpliciter cõstitueris, ac deinde, seu ante, seu post litis contestationem, ad iudicium venias, non vt Procuratori assistas, sed vt ipsemet causam tractes, tum procuratorium ab illo mandatum reuocare censeberis: Nisi contrarium expressè protesteris, vel ex coniecturis appareat, quòd nolis eum simpliciter amouere. Vt si certum causæ articulum, de quo maiorem ipse cognitionem habes, tractandum tibi assumas; aut si Procurator se ad tempus absentet, vel infirmus sit, &c. Hanc materiam latiùs tractat Petr. Ancharanus in c. 2. hoc lib. & tit. Ita distinguens: Vel dominus causæ Procuratorem constituit, quia ipsummet abesse oportuit: tunc si reuersus sit ad locum iudicij, censebitur reuocare Procuratorem, vti docent DD. in l. Qui mutuam, 56. §. Non ideo minùs, ff. mandati.

Excipe I. Nisi ex circumstantijs contrarium colligatur; vt quia patitur eum omnia agere, sicuti priùs, arg. l. item quæritur, 13. §. Qui repleto, ff. locati, & videri potest Domin. hîc.

Excipe II. Nisi constitutus sit sub ea for-

ma; quoties me abesse contigerit: Tunc enim non sublata, sed suspensa censeri debet potestas Procuratoris, dum iterum dominus discedat.

Vel non, saltem principaliter, ob causam absentiæ Procuratorem constituit; tunc si veniat ad iudicium tantummodò vt assistat Procuratori, eúmque agentem dirigat, aut iuuet, certum est non reuocari eius officium, iuxta l. Paulus, 69. ff. de Procurator. Sin autem causam in persona sua tractandam assumat; refert, an præsente & non impedito Procuratore id agat, an verò eodem absente, vel impedito. Hoc posteriore casu non censetur eum reuocare: sed priore maximè; nisi contrarium exprimat, vel ex coniecturis præsumi possit.

QVÆRES: Quomodo fieri potest, vt dominus contestatæ litis instantiam à Procuratore in se transferat. Respondeo: Si Procurator adsit, & non contradicat, tum hoc ipso consentire, & litis instantiam cedere domino censebitur, iuxta l. in causæ, §. 27. §. Si ex parte, ff. eod. & videri potest Ancharan. cit. loco, Geminianus hic, super Gl. ver. siue post. Sin verò Procurator, vel ipse aduersarius se opponat, tunc reuocari non potest, nisi causa prius cognita, sicuti suprà dictum est.

CAPITVLVM VLT.

Procurator.

PARAPHRASIS.

Procuratoris mandatum ad matrimonium contrahendum censetur esse speciale: Et quamuis alioquin Procurator ad negotia alium Procuratorem substituere possit; iste tamen non potest, nisi specialiter ei commissum fuerit: propterea quòd negotium istud valde arduum sit.

SVMMARIVM.

1. *Causa matrimonij, maximè per Procuratorem contrahendi, valde ardua est; hinc Procurator ad hoc debet habere speciale mandatum.*
2. *Nec potest alium sibi substituere.*
3. *Et si talis Procurator reuocatus fuerit, contrahi matrimonium validè non potest, etsi & ipse, & persona, cum qua contrahendum erat, reuocationem ignoret.*
4. *Idem est in sponsalibus.*

NOTANDVM I. Causa matrimonij, præsertim per Procuratorem contrahendi, valde ardua censetur; propter periculum, quod inde prouenire potest, si negotium istud imprudenter tractetur. Quamobrem mandatum istud adeò speciale censetur, vt sub generali clausula, *& alia omnia*, non comprehendatur: Imò etiam expressionem, seu determinationem personæ, quacum contrahendum sit, requirat. vti hic Gl. notauit ex l. generali, 34. ff. de ritu nuptiarũ, vbi rubr. ex Baldo: *Generale mandatum de nuptijs non sufficit, nisi mandantis ratihabitio sequatur.* Ratio est: Quia consensus contrahentium in personam determinatam de substantia matrimonij existit.

NOTANDVM II. Si negotium valde 2
arduum committatur, ita vt industria personæ electa videatur, non est Procuratori concessum alium sibi substituere. De hoc dixi etiam suprà c. 1. in fine, hoc lib. & tit.

§. Sanè.

SI Procurator ad matrimoniũ cum certa 3
persona contrahendũ constitutus, reuocatus fuerit, postea contrahi nõ potest; tametsi & Procurator, & persona, quacum contrahendum erat, reuocationem ignorarit.

Est verò id speciale in matrimonio, sicuti dixi in c. ex parte, 33. de rescript. §. Pro pleniore, & in c. 1. hoc lib. & tit. Ratio affertur in fine huius c. Cùm enim vtriusque partis formalis ac mutuus consensus sit de substantia matrimonij contrahendi, adeò vt per ius positiuum suppleri haud possit; consequens est, si altera pars consensum reuocauerit, matrimonium postea à Procuratore contractum, subsistere non posse. Vide quæ dixi lib. 5. tr. 10. p. 2. c. 1. & c. 7.

QVÆ-

4 QVÆRES: Quæ hîc dicta sunt de matrimonio, vtrùm etiam ad sponsalia transferri possint: Vt & ea speciale mandatum requirant, & Procurator alium sibi substituere nō possit, & post reuocationem etiam ignoratam inualidè contrahat. Responsio est affirmatiua, cum Dominico hîc, ver. Quæro, Sanchez lib. 2. de matrim. disp. 11. n. 2. Quia sponsalia sunt via, ac dispositio ad matrimonium, ac proinde eius quodammodo naturam, ac conditiones participant, arg. l. oratio, 16. ff. de sponsalibus.

TITVLVS XXXIX.

DE SYNDICO.

CAPITVLVM Vn.

Sicut.

PARAPHRASIS.

GRegorius I. Papa in hoc c. ait; Se solicitè curare, vt Monachi à forensibus litigijs abstineant, interim verò iura eorum ac bona non negligantur. Quamobrem mandat cuidam Subdiacono, vt Monasterij cuiusdam generalem Procuratorem, seu Syndicum, designato ipsi salario, constituat. Præstat enim, vt modicum aliquid expendant serui DEI, quàm vt ipsimet forensium causarum strepitu implicentur.

SVMMARIVM.

1. *Religiosi in causa monasterij ex mandato Prælati officio Procuratoris fungi possunt, consultius tamen est, vt Syndicum seu Actorem constituant.*

2. *Licèt Religiosos deceat pacem & concordiam sectari; iura tamen & bona ecclesiæ suæ defendere debent, nisi quòd scandali vitandi causâ interdum aliquid dimittere possint.*

NOTANDVM I. Tametsi Religiosi in causa Monasterij ex mandato Prælati Procuratoris officio fungi possint, c. 2. de postulando; c. insuper, 6. de testibus. consultius tamen est, vt ipsimet à forensibus iurgijs abstinentes, Syndicum seu Actorem constituant. Excipe cum Abb. hîc n. 4. Nisi Monasterium tam inops sit, vt salarium Procuratori dare non possit: vel nisi Procuratorem alium idoneum, aut fidelem acquirere nequeat. 1

NOTANDVM II. Tametsi Religiosos deceat quàm maximè iurgia vitare, & quæ pacis & concordiæ sunt sectari; interim tamen iura ac bona ecclesiæ suæ defendere debent. Nisi quòd vitandi scandali causa interdum aliquid dimittere possint. Qua de re dixi lib. 2. Theol. moral. tr. 3. c. 13. n. 9. 2

TITV.

TITVLVS XL.

DE IIS, QVÆ VI, METVSVE CAVSA FIVNT.

IN hoc, & seq. titulo agitur de Prætorijs remedijs, per quæ læsis in contractu, aut quasi contractu per metum, seu vim iniustam, aut ob ætatem vel similem causam, subuenitur per in integrum restitutionem; non iuris ciuilis rigore spectato, sed propter æquitatem.

SVMMARIVM.

1. *Metum passo in contractibus, vel similibus actibus non datur propriè dicta actio, sed ei succurritur per officium iudicis.*
2. *Vt ei detur restitutio in integrum, duo requiruntur, vt scil. metus sit grauis, seu cadens in virum constantem, & vt, qui vim passus est, damnum inde acceperit.*

1 PRo hac specie restitutionis in integrum, duo ab initio annotanda esse putaui: Primum. Tametsi metum passo in contractibus, vel similibus actibus, propriè dicta actio non competat; cùm propriè dictum ius suum non prosequatur: sed potiùs Iudicis officium hic interuenit, quòd & imploratur, vt læsis subueniat; nihilominus à Iurecons. frequenter actio *quod metus causa* vocatur; quia re ipsa parum interest inter actionem, & officij Iudicis implorationem, si illud Iudex exhibere teneatur, sicut inter alios annotauit Ioan. Mauritius tract. de in integr. restit. cap. 11.

2 Alterum: Vt ex causa metûs restitutio in integrum concedatur; duo potissimùm requiri: I. Vt metus grauis sit, seu cadens in virum constantem; non autem leuis, seu vani hominis motus, l. metum, 5. & 6. ff. hoc tit. II. Vt qui vim passus est, damnum inde acceperit, l. sed &, §. Quæri, ff. eod. vbi Iulianus respondet, Eum, qui debitori suo vim adhibuit, vt solueret, hac actione seu edicto, Quod metus causa, non teneri; quia damnum non intulit: attamen in legem Iuliam de vi incidisse, vt debitum suum amisisse iudicandus sit. Ratio reddi debet: Quia per hanc actionem petitur restitutio in integrum: hæc autem læsionem supponit, iuxta definitionem Gl. in c. 3. ver. contra reliquam, de in integrum restitut: *Restituere in integrum est reducere ad eum statum, in quo erat ante læsionem.*

CAPITVLVM I.

Relatum.

PARAPHRASIS.

Vir nobilis ac potens cùm vxorem de adulterio suspectam haberet, iussit militibus suis, vt eam in siluam educerent, & occiderent: Illi parentes mandato, cùm iam gladium euaginassent, misericordiâ moti pepercerunt eidem, hac conditione, vt in Monasterio habitum susciperet. Postea maritus duos Episcopos misit, vt vxori in Monasterio votum Professionis imponerent: sed cùm resipsis suspecta esset, eò quòd mulierem iuuenem esse, & filiũ paruulum habere viderent, seorsim ductam illam examinarunt. Quæ rem ipsis aperuit, quòd mortis timore Monasterium ingressa esset, & inde exire vellet, si posset. Nihilominus alter Episcoporum, vt mariti tyrannidi satisfaceret, velum ei imposuit, simulans se eam professam facere.

cere. Sed postea marito mortuo, dicta mulier ex Monasterio egressa alteri viro nupsit: quos coniuges, tanquam malè copulatos, Episcopus Calaguritanus ad instantiam Monialium, excommunicauit. His intellectis, mandat Alexander III. quibusdam à se delegatis; vt dictam mulierem ac virum eius (recepto priùs iuramento, quòd mandatis ipsorum parere velint) ab excommunicatione absoluant; deinde vocatis ad se tam muliere, quàm Priorissa & Monialibus, si probatum fuerit, quòd mulier illa non timore mortis Religionem susceperit; aut, si mortis timore factum, quòd professionem postea ratam habuerit, eam ad Monasterium redire, & habitum Religiosum iterum assumere, censurâ ecclesiasticâ compellant.

SVMMARIVM.

1. *Excommunicatos ab inferiore Prælato, si dubium est de iustitia excommunicationis, absolui potest & debet à Superiore, exacto tamen iuramento, quòd mandatis ecclesiæ parere velit.*
2. *Professio religiosa facta ex metu graui & iniustè incusso, ipso iure ecclesiastico est irrita.*
3. *Quæ tamen, etsi ob defectum consensûs voluntarij irrita fuerit, per subsequentem ratificationem conualescit.*
4. *Asserens factam ex metu professionem, metum probare tenetur.*
5. *Ad ratificationem autem æquè atq; ad professionem requiritur voluntarium plenum, vt proinde durante metu rata haberi possit professio.*

1 NOTANDVM I. Excommunicatos ab inferiore Prælato, si dubium sit de iustitia excommunicationis, Superior absoluere potest, ac debet, exacto iuramento, quòd mandatis suis, seu mandatis Ecclesiæ parere velint, Ita notat Imola hîc n. 9.

2 NOTANDVM II. Matrimonium spirituale, seu professio religiosa perinde ac matrimonium carnale, si ex metu graui & iniustè incusso contractum sit, ipso iure Ecclesiastico irritum est, vti ex hoc textu colligitur, & ex c. vlt. Qui Clerici, vel Monachi, & dixi lib. 3. tr. 4. c. 6. n. 3. ver. Tertiò, & lib. 4. tr. 5. c. 5. n. 6. & seqq. vbi hanc rem plenè tractaui.

3 NOTANDVM III. Professio religiosa, etsi ob defectum consensus voluntarij irrita fuerit, tamen per subsequentem ratificationem expressam, aut tacitam (quæ v. g. fit habitum religiosum gestando) conualescit, arg. c. cùm virum, 22. de Regular. Vide quæ dixi cit. c. 6. n. 1. & 8.

QVÆRES primò: Cur in textu dicatur, quòd Episcopus ille simularit se velum (intellige professionis) mulieri imponere. Respondeo; Quia cùm protestationem mulieris audiret, quòd vi mortis ad religiosum habitum, & institutum suscipiendum adigeretur, alioquin nequaquam susceptura, sed egressura, facilè intellexit eius professionem irritam esse; & tamen vt Nobili viro satisfaceret, quasi professionem facienti velum imposuit.

QVÆRES secundò: Cuinam parti in tali casu probatio imponenda sit; Num mulieri asserenti se graui metu adactam ad professionem: an verò Abbatissæ & Conuentui, illam sibi repetenti ac vindicanti, vt probent coactionem non interuenisse, seu spontaneam professionem fuisse? Respond. Si constet, vel mulier fateatur factum, videl. professam se esse, aut habitum professionis suscepisse, tum præsumptio est contra illam; vt proinde oppositam exceptionem metûs illati probare teneatur, argum. l. non est, 33. ff. hoc tit. 4

Neque verò id in textu nostro negatur; quin potiùs supponitur, inquisitionem factam, aut faciendam esse de narratis, num vera sint; quòd videl. mulier coram Episcopis, mortis compulsionem narrando contra velum professionis protestata fuerit; item quòd dum maritus viuebat, ob atrocitatem eius, contra professionem reclamare, & Monasterio egredi ausa non fuerit. Hoc casu cùm probationes, seu præsumptiones pro muliere adessent, rectè Pontifex respondit; Eam ad Religiosum habitum assumendum compellendam non esse, nisi Moniales o-

stenderint, quòd professionem spōte fecerit, (iuxta ea quæ in simili dixi c. super eo, 6. de renunt.) aut quòd metu cogente factam, eo postea cessante, ratam habuerit.

5 Nota quod dico; Eo postea cessante: Quia dum metus durat, non potest aliquis ratam habere professionem. Cùm ad ratificationem professionis non minùs requiratur voluntarium plenum, quàm ad ipsam professionem. Et quæ hîc dicta sunt de professione religiosa, similiter locum habent in matrimonio carnali, iuxta c. cùm virum, 12. de Regularibus.

CAPITVLVM II.

Abbas.

PARAPHRASIS.

Remigio Clerico Abbas S. Cadmundi Ecclesiam contulit: Sed postea milites suos misit, qui illum domo expellerent cum omni substantia sua, nisi Ecclesiam iuratus resignaret. Quod cùm Remigius tali modo coactus fecisset, Abbas dictam Ecclesiam alteri concessit. Hac re intellecta, Alexander III. mandat, vt Remigio omnia integrè restituantur: Quia quæ metu, aut vi iniusta fiunt, de iure in irritum reuocari debent.

SVMMARIVM.

1. *Metus mortis, amissionis bonorum seu omnium, seu magnæ partis censeri debet iustus, grauis & cadens in virum constantem.*
2. *Pacta, contractus, transactiones, quæ ex metu fiunt, ipso iure valida sunt, rescindi autem debent actione* Quod metus causa &c. *per restitutionem in integrum.*
3. *Repetere potest, qui graui metu adactus aliquid dedit; & si nondum dedit, repellere potest metum inferentem per exceptionem.* Quod metus causa &c.
4. *Per vim cogens alterum ad donandum, rei donatæ acquirit dominium, sed ante iudicis sententiam tenetur in conscientia donatori resarcire damnum. Si autem cogat ad donandum aliquid tertiæ personæ, tunc vim passus actionem habet vnam aduersus vim inferentem, & eius hæredes; alteram aduersus donatarium, qui tamen in foro conscientiæ, si iniustæ coactionis particeps non fuit, ad nullam restitutionem tenetur.*
5. *Actio* Quod metus causa *pœnalis, vnde non nisi intra annum, eúmque vtilem competit, ita vt si intra eum non matura fiat restitutio, vim inferens in quadruplum sit condemnandus; alàs tantùm in simplum.*
6. *Matrimonium, sponsalia, professio religiosa, Electio Summi Pontificis, iurisdictio per vim iniustam impetrata, absolutio à censura, infirmantur iure speciali ecclesiastico, aut ciuili, per vim aut metum grauem iniustè incussum, ita vt ab initio nullius roboris sint.*

NOTANDVM I. Non tantùm mortis metus, sed etiam amissionis bonorum, seu omnium, seu magnę partis, censeri debet iustus, grauis, & cadens in virum constantem. Ita Ioann. Andr. n. 2. & alij communiter. Vide quæ dixi lib. 1. Theol. mor. tr. 2. c. 6. n. 5. §. Porrò.

NOTANDVM II. Pacta, contractus, & transactiones, quæ ex graui, & iniustè illato metu fiunt, ipso iure valida sunt; sed actione *Quod metus causa &c.* per restitutionem in integrum rescindi debent. Ita Gl. hîc ver. coactus, Imola n. 7. Abb. n. 5. Gl. magna in c. vn. eod. tit. in 6. & docui cit. tr. 2. c. 6. n. 7. & 8. & lib. 3. Th. mor. tr. 4. c. 6. n. 2. Ratio prioris partis est: Quia pactiones, transactiones, renuntiationes perficiuntur mutuo voluntario consensu, l. 1. ff. de pactis. Metus autem, absolutè loquendo, consensum voluntarium non tollit; sed tantùm secundùm quid; quia admiscet voluntario conditionatum: quandoquidem qui metu agit, id nollet agere, si metus abesset, sicuti docet S. Th. 1. 2. q. 6. a. 6. & Paulus IC. in l. si mulier, 21. §. Si metu, ff. Quod metus causa. Posterior verò pars constat ex eod. tit. l. 1. & seqq. Ratio peti debet ex æquitate, secundùm

dùm quam graui metu adactis, ac læsis, si actionem Quod metus causa intentarent, succurrendum esse Prætor iudicauit per in integrum restitutionem; videl. vt quæ per eiusmodi metum acta sunt, perinde rescindátur, ac si ab initio irrita fuissent, vt ex hoc c. colligitur. Quare Gl. ait in c. auditis, 3. ver. contra reliquam, tit. seq. Quòd in integrum restituere aliud non sit, quàm reducere ad eum statum, in quo erat ante læsionem.

3 Corollarium I. Si quis graui metu adactus ad contrahendum, aliquid dedit, repetere illud potest, petendo coram Iudice restitutionem in integrum actione Quod metus causa: Sin autem nondum dedit, tum illum, quocum cõtraxit, repellere potest per exceptionem Quod metus causa, sicuti bene hic annotauit Imola n. 7. & sumitur ex l. inuitus 98. ff. de reg. iuris. *Cui damus actionem, eidem & exceptionem conuenire multò magis quis dixerit:* Atqui metu graui adactis ad contrahendum, si sòluendo læsi sint, actio conceditur ad repetendum, vt suprà dictum: Ergo si necdum soluerunt, contra petitorem, extra & intra iudicium, excipere possunt, quò minùs soluant. Veruntamen si quis metum iniustum incutienti iurarit se soluturum, tum iuramẽti religione obstringitur, nisi eius relaxationem impetret: quam etiam in casu huius c. Pontificem concessisse, existimandum est.

4 Corollarium II. Si Titius alterum per vim coëgit, vt ipsi rem aliquam donaret, tametsi rei ita donatæ dominium acquisierit, tamen in conscientia, etiam ante Iudicis sententiam, obligatus est, vt damnum, quod per vim iniustam intulit, donatori resarciat, adeóque in integrum eum restituat, quatenus læsus est. Quòd si verò idem Titius alterũ coëgit, vt tertiæ personæ v.g. Caio rem donaret, hoc casu multò magis Caius rei donatæ dominiũ acquiret. Habet verò tũc vim passus duplicem actionem, vnam personalem contra Titium, & hæredes eius, vt resarciant ipsi damnum, seu quantum interest, vim illatam non fuisse: alteram verò habet aduersus Caium donatarium, vel quemuis alium possessorem, ad quem res donata, vel commodum aliquod peruenit: Et vocatur hæc actio in rem scripta, competens quasi domino, seu vtilem actionem vindicationis ex Prætoria æquitate habenti, iuxta l. metum, 9. § volenti, § licèt, & §. cùm autem, ff. hoc tit. & l. 3. l. non interest, 5. C. eod. & videri potest Ioann. Faber & Angelus §. Quadrupli, Instit. de actionibus. Cæterùm in conscientiæ foro, tertia illa persona, videl. Caius si iniustæ coactionis particeps non fuit, ad nullam restitutionem obligatur: Neque enim ratione rei possessæ, cùm aliena verè non sit, sed propria: neque ratione iniustæ acceptionis, cùm iniuriæ particeps non sit, vt ponimus

His adde; Hanc actionem Quod metus causa, eatenus pœnalem esse, quia si intra annum (etúmque vtilem) instituatur contra eum, qui vim intulit, aut contra alium possessorem, & is restituere cunctatus fuerit, tum in quadruplum condemnandus erit, alioquin in simplum duntaxat, l. Item si, 14. §. hucusque, & seqq. ff. eod. 5

Porrò aliquæ pactiones, seu promissiones sunt, quæ speciali iure Ecclesiastico, aut ciuili infirmatæ sunt, ita vt ab initio nullius roboris sint, si grauis, & iniustè incussus metus causam præbuit. Videl. matrimonium, & sponsalia, professio religiosa, de quibus dixi lib. 3. Th. mor. tr. 4. c. 6. n. 3. Electio Summi Pontificis, vti dixi in qq. de elect. q. 123. Item iurisdictio per vim iniustam ac violentiam grauem impetrata ipso iure nulla est, argum. l. 2. §. Aut si putauerunt, iun. Gl. margin. ff. de iudicijs, & probabiliter docent Gl. hic v. coactus, Baldus in l. decernimus, 16. §. Sed pone quod Tyrannus, C. de sacrof. Ecclesijs, Abb. hic. n. 12. Alium casum habes in Clem. 2. de pœnis, & dicam de hoc c. seq. Deniq; absolutio à censura per grauem vim extorta, irrita est, c. vn. eod. tit. in 6. 6

Alios casus Gl. cit. refert, quos bene hic reijcit Abb. Sed & ipse aliquos ex sua sententia affert, qui reijci possunt: Vt quòd promissio à detruso in carcerem ipso iure irrita sit, argum. l. 22. ff. hoc tit. Qui in carcerem quem detrusit, vt ei aliquid extorqueret, quidquid ob hanc causam factum est, nullius

momẽti est. Sed Bartol. ibi bene monet, nihil aliud ea lege constitui, nisi quòd carcer iustum, atque in constantem virum cadentem metum inferre censendus est. Et Baldus egregiè ibi ait; Quòd promissio talis nullius momenti sit, non in se, sed quoad effectum; quia videl. per actionem *Quod metus causa* rescindi, seu in irritum reuocari debet.

Præterea quæ idem Panormit. allegat ex l. 1. §. vlt. ff. de auctor. *Tutor si inuitus retentus sit per vim, non valet quod agitur.* Et ex l. qui testamento, 20. §. vlt. ff. Qui testamenta facere possunt: *Si detenti sint inuiti testes, non valere testamentum*; hoc ad propositum nostrum facere non videtur. Nam in casu priore ad contractum pupilli requiritur, vt consensus seu auctoritas interueniat. Ad consensum autem non sufficit mera corporalis præsentia, vt si quis inuitus per vim in loco detineatur, is non consentit: quia talis coactio omnem consensum tollit, vti dixi lib. 1. tr. 2. c. 6. n. 6. & ita cit. §. explicat ibi Bartol. dicens, *posse esse præsentiã sine consensu*: Posterior autem casus ideo ad propositum non est: quia in testibus non requiritur consensus; sed tantùm præsentes intelligunt, quod agitur: quod fieri potest, etiamsi vi detineantur, iuxta l. 209. ff. de verb. signif. Est tamen id speciale in testibus testamentarijs, quòd rogati esse debeant, l. hæredes palam, 2. §. In testamentis, ff. Qui testamenta, nec eorum præsentia sufficit, si inuiti detineantur, sicuti optimè annotauit Sanchez lib. 3. de matrim. disp. 39. in fine. Vide quæ dixi lib. 5. tr. 10. p. 2. c. 4. n. 6.

CAPITVLVM III.

Ad aures.

PARAPHRASIS.

Quidam in Plebanum seu Rectorem cuiusdam Ecclesiæ concorditer electus non fuit, vno electore excepto. Sed propter laicorum se opponentium terrorem, electionis iuri renuntiauit. Qua re intellecta Clemens III. respondit, nec obstante hac renuntiatione (dummodò iuramento, vel fide interpositâ confirmata non fuerit) electum Ecclesiæ illi, cui renuntiauerat, præfici posse.

SVMMARIVM.

1. *Renuntians iuri ecclesiastica electionis ob grauem metum seu terrorem institui nihilominus potest.*
2. *Neq; tamen talis renuntiatio ipso iure irrita est, sed irritari à Superiore potest per restitutionem in integrum.*
3. *Valet ea renuntiatio coram Superiore facta ipso iure, si electio à Superiore confirmata fuit; restituendus autem est ab ecclesiastico iudice renuntians in integrum.*

   Excipitur casus extortæ resignationis beneficiorum à dominis temporalibus, si ij viros ecclesiasticos capiant, vt resignationes beneficiorum extorqueant, talis enim resignatio inualida est.
4. *Iuratus renuntians iuri electionis obligatur iuramento, petere tamen potest eius relaxationem, quam etiam iudex non rogatus ex officio facere non prohibetur.*

NOTANDVM 1. Qui iuri ecclesiasticæ electionis renuntiauit ob grauem metum, seu terrorem illatum, non obstante tali renuntiatione, institui potest. 1

QVÆRES I. Vtrùm talis renuntiatio per metum extorta ipso iure irrita sit. Respondeo cum Abb. hîc n. 2. contra Imolam n. 1. Non esse ipso iure irritam; sed volente eo, qui ita renuntiauit, à Superiore per restitutionem in integrum irritari posse, perinde ac si ab initio nullius momenti fuisset, iuxta ea quæ c. præc. dicta sunt. 2

QVÆRES II. Quid si electio à Superiore confirmata fuerit, censerine debet ipso iure valida renuntiatio, facta coram legitimo Superiore, ob terrorem v. g. laicorum. Respondeo ipso iure valere; sed Iudicis Ecclesiastici 3

siastici officio eum, qui ita renuntiauit, in integrum restituendum esse. Ita sumitur ex c. seq. vbi id monet Abb. not. 3. Excipe casum Clem. 2. §. sanè, de pœnis: si Clerici obtinentes dominium temporale viros Ecclesiasticos capiant ac detineant, vt beneficiorum suorum resignationes extorqueant, talis resignatio nullius omnino momenti existit: idque specialiter in hoc casu decretum fuisse, ait Zabar. ibid. cùm alioquin quæ graui metu facta sunt, ipso iure valeant: idémque sentit Abb. hic n. 2.

NOTANDVM II. Si quis iuri electionis renuntiauit iuratus, quòd vid. prælaturam nunquam acceptare, seu nunquam præfici velit, is obligatur iuramento. Nihilominus petere potest relaxationem iuramenti; imò, tametsi non petatur, Iudex ex officio suo iuramentum relaxare, & acceptandi facultatem restituere potest, secundùm ea, quæ dixi lib. 4. tr. 3. c. 7. n. 2. in fine, & tradit hîc Gl. fin. Abb. n. 8. Imola. n. 7. & sumitur ex c. si verò, 8. de iureiur. Cæterùm, an, & quomodo fidei interpositio, cuius hîc mentio fit, à iuramento differat, clarè explicaui eod. tr. 3. c. 2. n. 2.

CAPITVLVM IV.

Ad audientiam.

PARAPHRASIS.

Magister Guilielmus Rector Ecclesiæ de Cheuellis grauissimo metu per Regem incusso adactus fuit, vt dictam Ecclesiam in manibus eorum, ad quos pertinebat, iuratus resignaret. Hoc intellecto, rescripsit Innocent. III. Cùm ea, quæ vi, metúsue causa fiunt, carere debeant robore firmitatis, ideo si constiterit, metum illum grauem fuisse; seu qui potuerit ac debuerit cadere in virum constantem; tum non obstante iuramento, Ecclesiam Guilielmo restituendam esse; quippe cùm vigore eius iuramenti obligatus tantùm fuerit ad resignandum; non verò etiam ad non repetendum.

SVMMARIVM.

1. *Iuramentum promissorium est strictæ obligationis, vt non amplius obliget, quàm secundùm strictam verborum interpretationem promissum fuit.*
2. *Qui resignauit beneficium coactus ex motu graui in manibus Superioris v. g. duplici remedio id recuperare potest, intentata scil. vindicatione vtili, seu actione in rem scripta, vel actione* Quod metus causa.

NOTANDVM Vn. Iuramentum promissorium, (præsertim si iniquè extortum sit, seu ex parte promissarij turpitudinem contineat) non amplam, sed restrictam obligationem continet; ita videl. vt non amplius obligare censeatur, quàm secundùm strictam verborum interpretationem promissum fuit. Ita docui lib. 4. tr. 3. c. 7. n. 2. arg. huius c. Cùm enim Guilielmus iurarit duntaxat se parochiam resignaturum, nō obstante hoc iuramento, potest parochiam repetere, seu petita restitutionis in integrum actione *Quod metus causa*; seu simplici repetitione, quæ est vindicatio vtilis, seu actio in rem scripta, iuxta ea, quæ suprà dixi, & annotauit hîc Abb. n. 1. Quòd metu graui adactus ad beneficium v. g. in manibus Superioris resignauit, duo remedia habeat ad recuperandum: Primum est, si repetat beneficium, aliámue rem, quam metu cogente tradidit, intentata actione vtili. Ideo autem hæc actio in rem, seu vindicatio *vtilis* appellatur: quia directum dominium, seu ius in re, quod secundùm communia ciuilia, imò & gentium iura ablatum est, Prætor dare non potuit. Alterum verò remedium est actionis quod metus causa, per quam Iudicis officio omnia integrè restituantur, acsi nihil actum fuisset.

QVÆRES. Cur in casu prioris c. iuramentum impediebat clericum renuntiantem beneficio, quò minùs eidem præfici potuerit, nisi iuramentum à Superiore relaxatum esset. At verò in casu huius c. iuramentum non impedit, quò minùs renuntians idem

beneficium petere ac consequi possit. Resp. cum Gl. hîc ver. repetendum: Quia electus in priore casu iurauit, se plebaniam illam nũquam acceptaturum. In hoc autem Guilielmus iurauit tantùm, se parochiam resignaturum; non autem iurauit, se resignatam non repetiturum. Simile est: Si quis latroni ob mortis metum iurauerit pecunias daturum, datas repetere potest, iuxta c. debitores, 6. de iureiur. Sin autem iurauit, se daturum, & nunquam repetiturum; tum repetere non potest, nisi priùs impetrata ab Episcopo iuramenti relaxatione, quæ tamen concedenda non est, si in contemptũ Religionis Christianæ cessura videatur; vt si v. g. Turcis, pretium redemptionis iuramento promissum sit.

CAPITVLVM V.

Sacris.

Paraphrasis.

Quæsitum erat ex Innoc. III. Vtrùm is, qui inuitus communicat cum excommunicato, excommunicationem & ipse contrahat? Respondet, esse distinguendum: Si enim absolutè inuitus est, quia patitur propriè dictam coactionem, tum excommunicationem non incurrit: cùm non agat voluntariè, sed potiùs agatur ac patiatur. Sin autem inuitus est secundùm quid, quia metu mali adigitur ad faciendum, quod alioquin facere nollet. Tum metus minuit quidem culpam; sed quia eam non omnino aufert (cùm ob nullum metum liceat mortaliter peccare) ideo existimandum est, ita communicantem cum excommunicato, excommunicationis labe & ipsum inquinari.

Svmmarivm.

1. *Discrimen inter violentiam seu coactionem, & metus illationem.*
2. *Qui cum irretito excommunicatione majore scienter communicat in crimine, ob quod excommunicatus ille est, tum & ipse maiorem excommunicationem contrahit; minore autem, si in alijs negotijs cum eo communicet sine iusta causa excusante; & excommunicatus sit non toleratus seu vitandus.*
3. *Potiùs omnia mala toleranda, quàm peccatum mortale, imò & veniale minimum committendum.*
4. *Quædam lege positiua prohibita desinunt esse peccata, & prohibita ex occurrentibus aliquibus circumstantijs, v. g. ex mestio carnis die Veneris facta ex illatione metus grauis, nisi fiat in contemptum religionis.*
5. *Peccans ob metum ab extrinseco illatum minùs delinquit, quàm si nullo cogente metu malum agat.*

HOc c. difficultatem mouet interpretibus, propterea quòd casus, qui Pontifici propositus erat, hîc non exprimatur, sed solùm responsio eius. Sufficit itaque ad defendendum hoc c. si casum aliquem proponamus, in quo responsio Innocentij locum habere possit: Aliquis hæreticus populo denuntiatus est vt vitandus: nihilominus publicè concionatur, aut sacrificat in Ecclesia; atque clerici v. g. à seculari magistratu in contemptum Fidei, aut potestatis Ecclesiasticæ compelluntur ad assistendum concioni, aut Missæ eius. Quæritur, an excommunicationem & ipsi, saltem minorem, contrahant communicando cum excommunicato denuntiato. Respondetur rectè; si per vim, seu coactionem propriè dictam ibi detineantur, non contrahunt excommunicationem: cùm enim moralem ac voluntariam actionem non exerceant, dici non potest, quòd cum excommunicato communicent. Sin autem ob metum magistratûs assistant, tunc contrahunt & ipsi excommunicationis labem: siquidem hoc casu metus eos non excusat, quò minùs mortaliter peccent, etiam contra ipsam Ecclesiasticam legẽ, quâ prohibentur communicare cum excommunicato. Tametsi enim ordinariè leges Ecclesiasticæ, ipsæque censuræ non obligent cum peri-

periculo grauis mali incurrendi; ideóque metus grauis excuſet à præceptis, & cenſuris Eccleſiaſticis; non tamen in tali caſu, quo directè agitur de defendendo honore Dei, Fidei veritate, aut Eccleſiæ poteſtate, ſicuti docui lib. 1. Th. mor. tr. 4. c. 4. n. 6. & ſeqq. & tr. 5. p. 1. c. 5. coroll. 5.

1 Notandvm I. Si propriè loquendum ſit, diſcrimen eſt inter violentiam, ſeu coactionem, & metûs illationem. Nam qui violentiam, ſeu coactionem patitur, abſolutè inuitus eſt; cùm non agat ipſe, ſed agatur: vt ſi aliquis in loco auribus aut oculis apertis, per vim detineatur, is cogitur adeſſe, audire, videre. Qui autem metu adactus agit, quòd alioquin non ageret, v. g. vt Miſſæ, vel concioni aſſiſtat, is ſimpliciter inuitus non eſt, ſed potiùs volens: Eſt tamen inuitus ſecundùm quid, ſeu conditionaliter; nollem, niſi malum maius timerem. Ita hanc rem bene explicat Ioan. Andr. hîc n. 15.

2 Notandvm II. Qui cum irretito excommunicatione maiore ſcienter communicat, excommunicationem & ipſe contrahit. Sed diſtinguendum: Vel enim cum excommunicato aliquis communicat in crimine, ob quod excommunicatus eſt, tum & ipſe maiorem excommunicationẽ contrahet, c. ſi concubinæ, 55. de ſent. excommun. Vel communicat in alijs negotijs ſacris, vel politicis, tum minor excommunicatio contrahitur, c. ſtatuimus, de ſent. excommun. in 6. Opus tamen eſt ad hanc cenſuram incurrendam, vt excommunicatus, quocum nulla iuſta cauſa excuſatus communicas, non toleratus ſeu vitandus ſit. Vide quæ dixi lib. 1. Th. mor. tr. 5. p. 2. c. 3.

3 Notandvm III. Potiùs omnia alia mala ſuſtinere debemus, quàm vt peccatum mortale (imò etiam veniale, quantumuis minimum) admittamus, vti dixi lib. 1. tr. 2. 4 c. 6. n. 4. §. Notandum. Verùm quædam non ita intrinſecè ac per ſe peccata ac prohibita ſunt, quin occurrentibus aliquibus circumſtantijs, atque hac ipſa metûs grauis illatione, deſinant eſſe peccata ac prohibita. Quod maximè in ijs euenit, quæ poſitiua lege prohibita ſunt, vt carnes die Veneris [illegible] medere, cum excommunicatis in ſacris, aut politicis negotijs communicare; dummodò id non fiat in Fidei, Religionis, aut poteſtatis Eccleſiaſticæ contemptum, vt ſuprà dixi. Vide Abb. hîc n. 5. & quæ dicta ſunt lib. 4. Th. mor. tr. 2. c. 8. princ.

Notandvm IV. Qui ob metum ab 5
extrinſeco illatum peccat, minùs delinquit, quàm ſi nullo cogente metu malum agat. Vt ſi quis mortis metu adigatur ad matrimonium cum conſanguinea ſua non tantùm contrahendum, ſed etiam conſummandum. Quamuis & iſte mortaliter peccet; minùs tamen, quàm ſi metus abeſſet. Quia quod metu fit, minùs voluntariè fit, hoc ipſo, quòd inuoluntarium admixtũ habet: conſequenter minus peccatum eſt. Quare & in externo foro mitiùs puniendus eſt, qui ob metum deliquit, quàm ſi ſponte, vti Abb. hîc monet n. 2.

CAPITVLVM VI.

Cùm dilectus.

Paraphrasis.

Canonici in Inſulis habitantes votum iuratum ediderunt, quòd regulam Ciſtertienſium aſſumere, & ſuam Eccleſiam eidem Ordini incorporari, quantum in ipſis eſſet, permittere vellent. Poſtea verò pœnitentiâ ducti reſtitui ſe, ac liberari petebant, allegantes metum & dolum, quo inducti fuerint ad tale votum, ac iuramentum edendum. Sed Innoc. reſpondit; cùm hoc iuramentum in ſalutis diſpendium non vergat, obſeruandum eſſe; neque permittendum, vt periurijs via aperiatur. Neque cauſam ſufficientem adeſſe reſtitutionis in integrum: Quòd enim metum allegant, conſtat eum non fuiſſe mortis, aut corporis cruciatus, vel ſimilem, qui in virũ conſtantem cadat. Quòd verò dolo ſe inductos aſſerunt, ea non tam circumuentio, quàm fatuitas ipſorum cenſenda eſt.

Svm-

SVMMARIVM.

1. *Iuramentum promissorium erga hominem omnimodè & sine spe relaxationis seruari debet, si sine dispendio salutis æternæ seruari potest, nisi causâ iuramenti data fuerit per metum, vel propriè dictam deceptionem.*
2. *Tale iuramentum non debet, & ordinariè non potest relaxari, nisi per plenitudinem potestatis Pontificiæ ex causa grauissima.*
3. *Iuramentum promissorium per metum grauem licèt iniustè extortum obliget, non tamen omnimodè & efficaciter, cùm relaxatio iuramenti possit impetrari.*
4. *Idem est, si metus leuis fuit incussus ab ipsomet promissario.*
5. *Dolus malus propriè est machinatio quædam ad alterum (prudentem) decipiendum accommodata.*
6. *Homini simplici decepto non succurritur in foro externo, nisi simplicitas & deceptio sit inuincibilis, tum quidem ei succurritur quandoque iudicis officio per restitutionem in integrum; non autem per actionem de dolo.*

ETiam iste casus satis explicatus non est; cùm in specie non dicatur, quidnam metuerint Canonici, aut quanam calliditate inducti fuerint ad votum, & iuramentum. Sed ex responsione Innoc. III, colligitur, metum grauem fuisse, & deceptionem potiùs passiuam, quàm actiuam.

1 NOTANDVM Vn. Iuramentum promissorium erga hominem omnimodè, & sine spe relaxationis seruari debet, si sine dispendio salutis æternæ seruari possit: nisi grauis, metus, aut propriè dicta deceptio causam iurandi præbuerit. Ita etiam habetur in c. 2. de pactis, in 6.

Aduerte autem primò; Quòd sermo sit de iuramento promissorio erga hominem, seu in vtilitatem hominis tendens, quale fuit istorum Canonicorum, iurantium Cistercienſibus, quòd eorum regulam assumere, & Ecclesiam suam Ordini adiungere vellent. Cùm enim per tale iuramentum ius homini 2 acquisitum sit, non debet, & ordinariè non potest relaxari; nisi per plenitudinem potestatis Pontificiæ, ex causa grauissima, vti docet Sanchez lib. 3. moral. c. 21. n. 2. & videri possunt, quæ dixi lib. 4. tr. 3. c. 11. n. 5. Quòd si Canonici illi votum, quamuis iuratum, soli Deo concepissent, tum faciliùs dispensationem impetrare potuissent. Quia Deus soluendi ac ligandi potestatem Ecclesiæ concessit, ideóque ius suum remittere censetur, si Pastor Ecclesiæ ita expedire iudicet ad animarum salutem.

Aduerte secundò, quod dixi; Si iuramentum absque salutis dispendio seruari possit. Nam si iuramentũ sit de re illicita, seu de eo, quod absque peccato impleri nequeat, tum ab initio nullam obligationem habet, vti docui eod. tr. 3. c. 6. n. 1.

Aduerte tertiò; Quòd excipitur metus 3 grauis. Id verò non ita intelligi debet, quòd promissorium iuramentum per metum grauem, etiam iniustè extortum non obliget; sed quòd non obliget omni modè, & efficaciter; cùm relaxatio iuramenti possit impetrari. Ita habetur in c. si verò, 8. de iureiur. Sed quid dicendum, si metu non graui, sed leui iniustè incusso aliquis inductus sit ad iuramentum promissorium, vtrùm relaxatio ordinariè (seu extra plenitudinem potestatis Pontificiæ) concedi possit etiam ab Episcopo? Negant Abb. hîc n. 10. Felinus c. 2. n. 3. de iureiur. Sanchez lib. 4. de matrim. disp. 20. n. 9. Syl. ver. iuramentum, 4. q. 7. in fine, arg. huius c. & cit. c. si verò. & l. metum, ff. hoc tit. vbi dicitur; Metum accipiendum hîc esse non quemuis timorem, sed maioris malitiæ. 5

Nihilominus affirmant Hostiens. & Ioan. Andr. in c. verum, n. 6. ibid. Abb. sibi contrarius, n. 3. Alex. de Neuo, n. 7. & 8. de iureiur. Couar. reg. peccatum, p. 2. §. 3. n. 7. Et hæc 4 sententia mihi placet, si ipsemet promissarius metum iniustum, quamuis leuem incussit, quòd in odium eius, ne ex propria iniquitate commodum ferat, iuramentum à Iudice relaxari possit. Ratio est: Quia cùm ius efficax promissario iniusto acquisitum non sit; (in conscientiæ enim foro læsum in integrum 6

grum restituere cogitur) consequens est, nullam illi iniuriam fieri, si iuramentum relaxetur.

Ad argum. ex hoc c. desumptum, resp. Non constare, quòd in casu huius c. metus aliquis, quamuis leuis, ab ipsis Cistercien-sibus Monachis iniustè incussus fuerit, ad extorquendum iuramentum. Ad c. si verò, & l. metum, ff. hoc tit. respond. duabus de causis iure tum ciuili, tum canonico ponderari, vtrùm metus leuis fuerit, an grauis. Prima est: Quia vt promissio per metum extorta rescindi possit, requiritur, vt metus inuoluntarium mixtum effecerit; quia promittens noluisset promittere, nisi coactus fuisset. Id autem facilè præsumitur, aut probatur, si metus grauis sit, & cadens in virum constantem. Secunda. Quia metum passo Prætor actionem *Quod metus causa* non impertitur, nisi fuerit grauis, seu iustus. Interim tamen Iudex, etiam sine intentata actione, ex officio suo succurrere potest iniustè læso per metum leuem, vt eum in integrum restituat, relaxato iuramento, sicuti bene docet Alex. de Neuo cit. n. 8. & Gl. hîc ver. metũ mortis. & docui lib. 3. tr. 4. c. 6. assert. 3. Multò verò magis pro conscientiæ foro Prælatus, v. g. Episcopus iuramentum in tali casu relaxare poterit, ad hunc finem, vt iniustum, quamuis leuem metum passus contra exigentem promissa per exceptionem se defendere possit, sicuti docet Sanchez cit. loco.

5 Aduerte quartò; Quòd dolus malus sit machinatio quædam ad alterum decipiendum accommodata, l. 1. §. Dolum, ff. de dolo malo, & Seruius apud Cic. lib. 3. de offic. Cùm verò machinatio, aut operatio quæcunque accommodata non est ad decipiendum prudentes, & cordatos, tum si quispiam decipiatur, non est propriè dolus, sed simplicitas ac fatuitas seipsum decipiẽtis. Quamobrem tali homini in foro externo non succurritur, vti ex hoc c. colligitur, & notauit hic Abb. n. 12. Imola n. 2.

6 Cæterùm si simplicitas, & deceptio inde orta in homine sit inuincibilis, tunc credibile est, in foro conscientiæ ita deceptum defendere se posse: Imò in externo etiam foro Iudicis quandoque officio succurri per in integrum restitutionem. Et enim plerumque culpâ non vacat, qui cum tali homine contrahit; Sed actioni de dolo (in qua condemnatus infamis efficitur) locus hîc non erit; cùm dolus propriè admissus non sit, vt suprà dictum.

CAPITVLVM VLT.

Super eo.

PARAPHRASIS.

Si quis per testes legitimè probauerit, se à quibusdam spoliatum esse, rectè faciet Iudex, si spoliato iuramẽtum facere permittat, quanti res amissas, damnúmque suum æstimet; & ad hoc spoliatores condemnet: præcedente tamen taxatione, quæ fieri debet pro personarum, & negotij qualitate.

SVMMARIVM.

1. *Si constet, vel probatum sit, quempiam per vim iniustam esse læsum, quantitas & æstimatio læsionis per iuramentum læsi, præuia iudicis taxatione probari potest.*
2. *Ad hoc tamen iuramentum non facilè deueniendum est, si per testes, etiam domesticos (qui in hoc casu sunt admittendi) probatio haberi potest.*
3. *Neque locus est iuramento huic veritatis, seu veræ æstimationis, si non contra ipsum, qui violentiam intulit, sed contra alium instituatur, nec violentiæ, nec doli participem.*
4. *Si iuramentum hoc deferendum est à iudice, deferri ab eo id debet audito læso, & priùs taxata quantitate.*

NOTANDVM Vn. Si constet, vel probatum sit, per vim iniustam quippiam ablatum esse, tum quantitas & æstimatio rerum ablatarum per iuramentum læsi, præcedẽte Iudicis taxatione, probari potest. Et dicitur hoc iuramẽtum *veritatis* seu *veræ æstimationis*, vti dixi lib. 4. tr. 3. c. 5. n. 1. §. alterũ. 1

Sumptum autem est hoc c. ex l. si quando, C. Vnde vi; Circa cuius intellectum ex Gl. Bartolo, & alijs hæc aduertenda sunt: I. Ante omnia in iudicio patefactum, aut liquidò probatum esse oportet, violentiam illatam fuisse. Ita habetur in cit. l. iun. Gl. ver. patefacta. Ait tamen Abb. hîc, n. 2. etiam per indicia, quæ violentam præsumptionem pariunt, probari posse vim illatam, aut furtum commissum esse, in ordine ad damni illati compensationem, iuxta ea quæ dixi lib. 3. p. 2. c. 2. n. 2. & tr 6. c. 2. n. 6. aduert. 3.

II. Duabus de causis iuramentum hoc iudiciale præstitum à læso sufficere debet ad probandum res amissas, & æstimationem earum: Videl. *Inopia probationis*, quia aliter id probari non potest: Et *odium delinquentis*, seu vim iniustam inferentis. Ita Gl. communiter recepta in cit. l. ver. manifestet, arg. l. sancimus, 15. C. de Iudicijs.

2 Cæterùm si aliter, videl. per testes, etiam domesticos, (quos in tali casu admittendos esse monet Abb. hîc, & docui cit. tr. 6. c. 4. num. 4. §. Tertiò, & §. quartò) probatio haberi possit, tunc ad iuramentum confugiendum facilè non est, ne periurijs via a-
3 periatur. Deinde huic iuramento veritatis, seu veræ æstimationis locum non esse arbitratur Bartol. in cit. l. si quando, num. 4. Abb. hîc num. 5. Exemplum afferunt: Si non contra ipsum, qui violentiam intulit, sed contra alium instituatur, qui violentiæ, aut doli particeps non fuit. Ponamus statutum esse municipale, vt, si quispiam propè ciuitatem spoliatus sit, ipsa ciuitas damnum resarcire cogatur, in defectum spoliatorum. Tum si constet de spoliatione, nesciatur autem quid, vel quantum amissum est; tunc opus erit afferre probationem, saltem semiplenam, quæ accedente iuramento iudiciali complebitur, iuxta l. in bonæ, 3. C. de rebus creditis. Quare si rectè attendimus, hoc tantùm discrimen esse videtur in casu, quo odium delinquentis concurrit, & casum, in quo non concurrit; quòd in hoc maiora indicia requirantur, vt iuramentum deferri possit: in illo autem casu indicia minora, non autem omnino nō requirantur, vti colligitur in hoc c. iun. Gl. ver. personarum. & l. in actionibus, 5. ff. de in litem iurando, §. Planè.

His adde, quæ hîc dicta sunt de ablatis per violentiam, similiter locum habere in amissis per furtum, aut quodcunque aliud maleficium; si de facto constet, iuramentum æstimationis deferri posse, ob probationis alterius inopiam, sicuti notauit Gl. in cit. §. planè, in fine, & Gl. in cit. l. cùm furti, 9. vers. Tu dic melius, Abb. hîc n. 6.

III. Si à iudice deferendum sit iuramen-4
tum veræ æstimationis, siue propter illatum damnum ex maleficio; siue propter expensas factas post contumaciam Rei absentis, iuxta cit. l. sancimus, 15. & c. constitutis, 12. de Procurat. tum Iudex, audito læso, priùs taxare debet quantitatem, ac postea deferre iuramentum; videl. vt pars iuret tantum, & non minus damni, aut expensarum factum esse; denique condemnare debet contumacem, aut damnificantem ad restitutionem: Ita vt non in minus condemnet, quàm iuratum fuit. Hæc habentur nouiore iure Authent. Post iusiurandum, C. de iudicijs. Ratio est: Quia si post iuramentum Iudex quantitatem taxaret seu minueret, iurantem periurij argueret. Sin autem Reum in minus condemnaret, quàm post taxationem iuratum fuit, tum sententia eius iniusta foret, nisi euidenter constaret, errorem commissum fuisse, vt Innoc. hîc docet n. 5. Imola n. 8. §. Et ex hoc apparebit.

Sed alia ratio est de iuramento affectionis, cùm sæpe fiat, vt ob eam res pluris æstimetur à possessore suo, quàm reuera valeat; ideóque singularis ista affectio à communi & vera æstimatione multum discrepet, ideo Iudex etiam post præstitum iuramentum taxare, atque in minus condemnare potest, quàm iuratum fuit, iuxta l. videamus, 4. §. Item videndum, vbi id Gl. monet, ver. ex magna causa, vers. Tu dicas, ff. de in litem iurando, Imola hîc num. 2. & 8.

* * *

CA-

CAPITVLVM VNICVM
eod. Tit. in 6.

Absolutio.

PARAPHRASIS.

Si absolutio, aut reuocatio excommunicationis, suspensionis, aut interdicti per vim, aut metum iniustè extorta sit, huius constitutionis auctoritate irrita censeri debet. Et qui ita extorquet, ipso facto excommunicationem incurrit.

SVMMARIVM.

1. *Excommunicatus vnâ excommunicatione iterum ex alia causa excommunicari potest.*
2. *Si sententia censuræ fuerit inualidè lata, non est locus huic constitutioni.*
3. *Locus autem ei est etiam in casu, quo quis absolutionem à minore excommunicatione per vim extorquet.*

NOTANDVM I. Iste est casus specialis, in quo acta per metum (intellige grauem, secundùm Gl fin. hìc communiter receptam, Suarez de censur. disp. 23. sect. 4. num. 11. contra Caiet. in summa ver. excommun. cap. 41.) ipso iure irrita sunt; cùm alioquin acta per metum rescindi debeant. Ita Gl. hìc communiter recepta, ver. absolutionis beneficium, Suarez de censur. disp. 7. sect. 6. n. 13.

1 NOTANDVM II. Excommunicatus vnâ excommunicatione, iterum ex alia causa excommunicari potest. Ita colligitur ex hoc c. & tradit Gl. hìc, ver. excommunicationis, Gl. in c. vlt. causa 3. q. 4 ver. anathemate.

QVÆRITVR primò; Quid significetur per reuocationem excommunicationis metu extortam. Resp. Hoc verbum videtur esse adiectum contra illos, qui se iniustè excommunicatos, suspensos, aut interdictos esse contendunt, & ideo vi extorquent à suis excommunicatoribus, &c. vt sententiam suam, tanquam perperam latam reuocent.

Cæterùm, si sententia censuræ inualidè 2
lata fuisset, & non tantùm iniustè, tum non videtur esse locus huic constitutioni, sicuti bene docet Suarez cit. sect. 4. n. 12. Cùm enim ea pœnalis sit, intelligi debet secundùm effectum; si videl. aliquis per vim extorqueat censuræ alicuius absolutionem, aut reuocationem. Si autem inualidâ, seu nulla censura sit, tum non extorquetur absolutio, aut reuocatio alicuius censuræ.

QVÆRITVR secundò: Vtrùm constitutio 3
hæc locum habeat, si quis absolutionem à minore excommunicatione per vim extorqueat. Affirmandum est cum Geminiano in fine huius c. Suarez cit. disp. 7. sect. 6. n. 13. qui ait esse communem sententiam. Apparet enim propositum fuisse Pontifice extorsionem cuiuscunque absolutionis, aut reuocationis censuræ irritam, & pœnæ canonicæ obnoxiam reddere. Accedit, quòd hæc constitutio potiùs fauorabilis, quàm odiosa sit; ideóque potiùs amplianda; cùm principaliter attendat ad defensionem potestatis Ecclesiasticæ contra iniquos violatores.

TITVLVS XLI.

DE IN INTEGRVM RESTITVTIONE.

CAPITVLVM PRIMVM.

Requisiuit.

PARAPHRASIS.

PRædia cuiusdam ecclesiæ colonis data fuerunt sub censu modico, quæritur, vtrùm talis alienatio rata manere debeat, an reuocari. Respondet Alexander III. Si manifestò appareat, ecclesiam læsam fuisse, quæ ita alienata sunt, ad eiusdem proprietatem, seu dominium reducenda esse, propterea quòd Episcopus conditionem ecclesiæ deteriorem facere non potuerit, atque ecclesia iure Minoris natu gaudeat, vt semper illæsa seruari debeat. Cæterùm si coloni interim dicta prædia expensis vel labore suo meliora reddiderunt, sumptibus bona fide factis non conuenit eos defraudari.

SVMMARIVM.

1. *Ecclesia instar Minoris illæsa seruari debet beneficio restitutionis in integrum.*
2. *Vt autem Minor vel Ecclesia per contractum, vel quasi contractum læsa restitui debeat, necesse est, vt læsio grauis vel notabilis appareat, vel in iudicio ostendatur.*
3. *Ita autem restitui debet, vt tamen ipsa lucrum non reportet cum alterius partis detrimento.*
4. *Et priusquam restituatur aduersus emptorem, pretium emptionis reddere debet, & donec hoc soluatur, emptor se retentione rei defendere potest.*
5. *Expensa factæ ab emptore in rem emptam à Minore vel Ecclesia, debent esse necessariæ vel vtiles, non autem voluptuariæ; non enim hæ, sed illæ sola restituuntur.*
6. *Si valor meliorationum tempore restitutionis faciendæ minor est, quàm expensarum & laboris, sufficit restituere valorem præsentis meliorationis.*
7. *Si autem superet, sufficiet restituere expensas, & laboris æstimationem.*
8. *Si restitutio in integrum facienda est Ecclesiæ, vel Minori læsis in alienatione fundi, fructus percepti ab emptore restituendi non sunt, siue adhuc extent, siue exinde locupletior factus sit.*
9. *Si Minor vel Ecclesia in contractu v. g. emptionis aut venditionis læsa est tantùm in pretij quantitate, sufficit contractum pretij iustitiâ compleri, nec opus est eum rescindi.*

LIcèt aliqui Canonistæ existiment, casum huius c. intelligendum esse de contractu locationis ad tempus longum, cùm & hæc alienatio quædam censeatur, vti dixi lib. 3. tract. 4. c. 10. n. 1. tamen litera contradicit, cùm dicitur proprietatem Ecclesiæ restituendam esse; cùm tamen in contractu locationis ad tempus longum non rei proprietas, sed dominium tantùm vtile transferatur. Igitur intelligi debet casus de contractu censuali reseruatiuo, qui ita institui solet, vt fundus pleno dominij iure in alterum, v. g. colonum transferatur, reseruata pensione annua ex eodem fundo, iuxta l. vlt. C. de rerum permutat.

NOTANDVM I. Ecclesia, instar Minoris natu, semper illæsa seruari debet, per beneficium

ficium restitutionis in integrum. Ita etiam habetur in c. 3. hoc tit. Ratio afferri debet: partim quia magnus, & publicus est Ecclesiæ fauor: partim quia rebus Ecclesiæ administratores præficiuntur, sicuti pupillis & Minoribus natu curatores: Quare de vtrisque eâdem ratione dicendum, quòd per contractus, & quasi cõtractus rem meliorem facere possint, non item deteriorem. Est autẽ lõgè maius Ecclesiæ, quàm Minoris natu priuilegium: propterea quòd in Ecclesia nõ certo tẽpore aut annis definitum sit, sed semper duret, quippe cùm ecclesię fauor semper maneat. Volo dicere: Quotiescunq; Ecclesia in contractu, aut quasi contractu lædatur, peti posse in integrum restitutionem, tamẽ intra quadriennium post apparentem læsionem, vt infrà dicam, & videri hic potest Abb.

2 NOTANDVM II. Vt Minor, vel Ecclesia, quæ contractum, aut quasi contractum validè instituit, in integrum restitui debeat, necessarium est, vt læsio appareat, vel in iudicio ostendatur. Neque enim hoc locò præsumptio aliqua est contra eum, quocum contractum est, vt satis sit læsionem probari per iuramentum partis, sicuti in casu c. vlt. De his quæ vi, vt bene hic annotauit Aug. Beroius n. 7. vbi regulam tradit; Si damnum seu læsio allegetur prouenies non ex maleficio, sed ex contractu, alióue gesto, tum non per iuramentum, sed per testes probari debet.

Adde, quòd ostendendum sit, non qualemcunque, etiam modicam læsionem interuenisse (nam minima, seu modica non curat Prætor) sed grauem seu notabilem, c. penult. iun. Gl ver. enorme, de rebus Eccles. non alienand. & l. scio, 4. ff. hoc tit. vbi Bartol. ait; Quòd in his, quæ contra ius cõmune conceduntur (quale est beneficiũ restitutionis in integrũ) de minimis seu modicis nõ curatur.

Debet autem damnum non absolutè spectari, sed cum ordine ad materiam contractus: Vt si Minor, vel Ecclesia prædium, cuius iustum pretium est mille florenorũ, vendat 970. nõ restituetur, quia modica læsio est: Sin autem prædium, quod minimum valuit 120. ipsa vendidit 70. restitutio concedetur. Ita Abb. hic n. 7. & Molin.

3 NOTANDVM III. Minor, vel Ecclesia in contractu, aut quasi contractu læsa, ita restitui debet, vt tamen ipsa lucrum non reportet cum alterius partis detrimẽto: Id enim æquitas non patitur, vt alter cum alterius detrimento locupletetur, iuxta reg. locupletari, ff. de reg. iuris, Ita sumitur ex hoc c. & habetur expressè in l. vn. C. de reputationibus; *Qui restituitur in integrum, sicut in damno morari* (seu versari) *non debet, ita nec in lucro*, vbi supplet Gl. *cum alterius iactura*. quare dicunt D D. vti videre est apud Beroium n. 20. Sfortiam tract. de restit. in integr. p. 1. q. 47. a. 1. quòd restitutio vtriq; parti cõmunis sit; quia vterque cõtrahentium in pristinũ statum reponendus est.

4 Hinc sequitur primò; Quòd Minor, vel Ecclesia, quæ aduersus emptorẽ restituitur, inprimis pretium emptionis reddere debeat, l. pretia, 10. C. de prædijs minorum; Deinde expensas omnes, quas emptor vtiliter in re fecit, vnà cum laboris æstimatione, vt hic dicitur, & in l. intra, 39. in fine. ff. de minoribus. Et rectè monent Abb. hîc n. 3. Beroius n. 25. Guil. Redoanus de rebus Ecclesiæ non alienandis, q. 23. vbi de restitut. in integrum, §. Sed in casu, n. 23. Emptorem, donec ei ista soluantur, retentione rei se defendere posse. Quemadmodum pictor v. g. aut scriptor interim, donec ei satisfiat de mercede, retentionem membranæ habet, in qua scripsit, aut pinxit, secundùm Gl. in l. Si non sortem, 26. §. si centum, ver. retineatur, ff. de condict. indebiti.

Verùm, quod attinet ad pretium, si Minori etiam cum auctoritate tutoris aut curatoris (sed sine iudicis interueniente decreto) solutum fuit ab emptore, sed non versum in in rem eius, quia absumptum fuit, neque inde Minor locupletior factus: hoc casu ipsum per restitutionem in integrum defendendum esse, vt restituere non cogatur l. Sine, 32. §. Interposito, ff. de administrat. tutorum, §. At ex contrario, Instit. Quibus alienare non licet, & tradit ex communi Sfortia cit. q 47. a. 4. Quare monent DD. eautos esse debere debitores Minorum, vt cùm Minoribus natu debita soluere volũt, iudicis auctoritatem & decretum adhibeant, exce-

pta solutione annuorum redituum, ad quam tutoris seu curatoris auctoritas sufficit, l. sancimus, 24, C. de administr. tutorum.

Aduerte tamen, paulò mitiùs de hac re loqutum esse IC. Paulum in l. Quod si minor, §. restitutio, ff. de minoribus; Cùm quis ex necessitate soluit, (intellige cum tutoris consensu) quod pupillo debitum est, mitiùs cum ipso agendum esse, quàm si pecuniam eidem credidit; vt in priore casu: tunc solum pretium amittat, quando illud soluit, cùm dissipaturum, aut amissurum non ignoraret, adeóque absque culpa non fuit; secùs autem si culpæ expers fuit. Videri potest Mol. cit. disp. 463. princ.

5 Quod attinet ad expensas factas ab emptore in rem emptam à Minore, vel Ecclesia, inprimis debent eæ esse necessariæ, aut vtiles, non ad voluptatem institutę: hæ enim non restituuntur, vti constat ex cit. l. Sine, §. Item respondit; *Sumptibus voluptatis causa ab emptore factis adolescentem onerandum non esse.* Additur tamen; *Quæ ab eodem ædificio ita auferri possunt, vt in facie pristina* (id est, quæ fuit ante venditionem) *ædificium esse possit, emptori auferre permittioportere.*

Deinde, quod attinet ad expensas necessarias, & vtiles, controuersia est inter DD. vtrùm eæ, vnà cum æstimatione laboris, cõputandæ ac restituendæ sint absolutè; an verò in ordine ad valorem meliorationum, quem tempore restitutionis faciendæ ha-
6 bent. Respondeo ex communi sent. quam tradunt hîc Abb. n. 4. Beroius n. 38. Sfortia cit. q. 47. Ioann. Garsias de melioramentis & expensis, c. vlt. n. 3. Molina tract. 2. disp. 463. n. 10. & 11. & Dico I. Si valor meliorationum tempore restitutionis faciẽdæ minor est, quàm sit æstimatio expensarum & laboris, sufficit restituere valorẽ præsentis meliorationis. Exempli causa: Aliquis in fundum expendit mille; sed meliorationes tempore restitutionis valent tantùm 500, sufficit restituere 500. Ita sumitur ex l. in fundo, 38. ff. de rei vindic. Ratio reddi debet. Nam alioquin Minor, vel Ecclesia de nouo læsionem contraheret, ideóque non in integrum restitueretur. Etcùm alterutrum hoc casu iacturam pati oporteat, magis est, vt dicamus ad eum pertinere, qui expensas faciendo causam præbuit.

Dico II. Si valor meliorationum tempore restitutionis faciendæ superet valorem seu æstimationem expensarum ac laboris, tunc sufficit restituere expensas, & laboris æstimationem. Ita sumitur ex hocc. & cit. l. in fundo, vbi ita statuitur, de bonæ fidei possessore, si rem alienam, in quam sumptus fecit, restituere cogatur. Ratio assertionis reddi debet: Cùm enim augmentum, seu melioratio accessoria sit rei, ideò cum eius restitutione venire debet: quamobrem fictione iuris censetur semper fuisse in dominio eius, cui restitui debet; dumodò ipse indemnis seruetur, restituendo ipsi expensas, atque laboris æstimationem. Quare idem eadem ratione dicendum in alijs restitutionibus, quæ fiunt v.g. per rescissionem alienationis ob læsionem vltra dimidium iusti, item à vasallo, emphyteuta, fideicommissario. Veruntamẽ testatur Aluarus Valas. apud Molinam cit. disp. 463. n. 11. In Lusitania consuetudine receptum esse, vt semper attendatur ad valorem augmenti, quem habet tempore restitutionis, siue is maior, siue minor sit, quàm valor expensarum, &c.

Idq; vt expeditum, ita satis æquum videtur; si restitutio faciendasit abijs, qui dominium fundi, seu plenum, habuerunt, vt emptor; seu saltem vtile, vt vasallus, fideicommissarius &c. ideóque augmentum in re propria fecerunt: consequenter dici posse videtur, quòd repetere possint meliorationes, quatenus tempore restitutionis valent. Nam alioquin si minus emptori restituatur, tum venditor locupletabitur, cum iactura emptoris, si æstimemus, quòd, vt dixi, rem, quæ sua erat, tradere cogatur. Et ita sumi posse videtur ex l. domos, 58. ff. de Legat. vbi Iason n. 4. Et confirmari potest ex l. vlt. §. Si per mulierem, ff. de fundo dotali, vbi respondetur; Si maritus, vxore mortua, fundum dotalem restituere debeat, in quo meliorationes fecerat; donec earum valor restituatur, retinere illum posse fundum,

imò

imò & fructus lucrari non omnes, sed quatenus ex melioramentis percipiuntur; non aliam quidem ob causam, nisi quia ex re sua fructus lucratur. Videri potest Mol. cit. disp. 463. n. 14.

QVÆRITVR primò: Quando restitutio in integrum facienda est, quia Ecclesia, vel Minor in alienatione fundi læsus est, vtrùm etiam fructus percepti ab emptore restituendi sint, si adhuc extent, vel exinde locupletior factus sit. Ita affirmat hic Abb. n. 4. Beroius n. 41. Couar. 1. resol. c. 3. n. 1. & docuisse videtur Paulus in cit. l. Quòd si minor, §. restitutio. Ratio dari debet, quia emptor in tali casu, quo fundus restituendus venit, bonæ fidei possessori iuris quadam fictione comparari solet: At verò bonæ fidei possessor fructus extantes, aut quatenus locupletior factus est, restituere cogitur, aut prosumptibus, seu expensis, quas in rem fecit, computare, iuxta l. sumptus, 48. ff. de rei vindic. & dixi lib. 3. Theol. moral. tr. 2. c. 3.

8 Sed contrarium rectè docet Molin. tr. 2. tom. 2. disp. 575. Less. lib. 2. c. 17. dub. 10. & sumitur apertè ex c. penult. de rebus ecclesiæ non alienand. vbi Pontifex cõcessa restitutione in integrum alicui Monasterio, omnes fructus ex fundo feudali perceptos adiudicat Laico perceptori, tametsi plurimũ superarẽt sumptus & laborem in fundo colendo adhibitum. Ratio est manifesta: Quia fructus ex fundo percepti pertinent ad eius dominum: Emptor autem erat dominus fundi; ergo sibi acquisiuit fructus. Neque ratio est, cur per restitutionem in integrum Ecclesiæ, vel Minori adiudicentur; cùm ratione fructuum læsus non fuit, quando, vt ponimus, iustum pro re vendita pretium accepit, quod & elocare poterat. Sin autem pretium minus iusto fuit, tunc fateri oportet, fructus restituendos esse, non totalirer, sed secundùm proportionem læsionis, seu pretij diminuti.

Ad l. Quòd si minor, respondeo cum Molina cit. disput. 463. n. 6. Non omnia Veterum IC. responsa, tanquam indubitata nobis recipienda esse; cùm quædam illorum subtilitatem magis suopte ingenio excogitatam sectentur, quàm naturalem æquitatem; non rarò etiam contraria diuersorum Auctorum responsa habeantur, quæ in iuris corpore digesta non sunt, vt iuris auctoritatem omnia habeant (cùm id fieri impossibile sit) sed vt, quod magis rationi conueniens videtur, amplectamur, vti etiam Couar. annotauit cit. c. 3. n. 7 allegans alium huius rei testem Franciſc. Balduinum in Iustiniano.

QVÆRITVR II. Si Minor, vel Ecclesia in contractu v. g. emptionis aut venditionis læsa est, non quia absolutè loquendo non expediebat contractum institui, sed tantùm in pretij quantitate; vtrùm contractus rescindi debeat; an verò pretij iustitia compleri? Prior pars quæstionis videtur colligi ex isto c. Sed contrarium cum Gl. & Bartolo in l. si quidem, C. de prædijs Minorum, docent Abb. in c. constitutus, in fine, Mol. & Less. ll. cc. Sforția de restit. in integrum, p. 2. q. 57. a. 4. Emptorem, v. g. qui iusto minus pretium soluit, cogendum non esse, vt rem emptam restituat; si malit pretium vsque ad æqualitatem iusti addere. Quia satisfit, si Ecclesia vel Minor restituatur, quatenus læsus est. Ponimus autem, tantùm esse læsum circa pretij quantitatem, quia minorem iusto accepit: Ergo satis restituitur, si pretij defectus suppleatur. Accedit, quòd, si facili de causa contractus cum Ecclesijs, vel Minoribus instituti penitus rescindendi sint, id in ipsorum etiam detrimentum redundabit, quia nemini persuadebitur, vt cum ipsis contrahere velit, sicuti annotauit IC. cit. l. Quòd si minor, §. Non semper. 9

Ad textum huius c. Abb. in cit. c. constitutus, ait, duobus modis intelligi posse; Vel quòd Ecclesia læsa etiam fuerit circa ipsam alienationem, quia existimauerat, eam sibi expedire; cùm postea contrarium appareret: Vel quòd emptor noluerit pretium iustum supplere, ideóque contractum rescindendum fuisse.

CAPI-

CAPITVLVM II.

Cùm veniſſent.

PARAPHRASIS.

Monachi Rothonenſes Abbatem elegerunt, opponente ſe Epiſcopo Venetenſi, quia ſibi ius competat Prælatos conſtituendi in Monaſterijs diœceſis ſuæ. Ad hanc controuerſiam Iudices à Sede Apoſtolica communi partium conſenſu impetrati ſunt; quorum duo cùm ad Monaſterium accederẽt, electus, qui & intruſus dicebatur, id præſentiens iuri ſuo renuntiauit. Sed Iudices præceperunt Monachis, vt Syndicum, ſeu procuratorem, ad cauſam illam conſtituant, & deinceps Abbatem eligere non audeant, donec cognoſcatur de iure, quod Epiſcopus ſibi vendicabat. Monachi procuratorem quidem conſtituerunt, ſed electionem nihilominus peragere auſi ſunt; quam proinde Epiſcopus petijt infirmari, & ſe in poſſeſſionem reſtitui, quâ ſpoliatus fuit. Iudices porrò per ſententiam definitiuam electionem illam caſſarunt; eámque ſententiam Procurator Epiſcopi à Sede Apoſtolicâ cõfirmari voluit. Verùm ad hæc ex parte Monachorum reſponſum fuit, quòd Procurator ipſorum coram Iudicibus propoſuerit, Monaſterium ad Sedem Apoſtolicam pertinere; ſed Iudices eo nihil obſtante, vt ſuprà dictum eſt, animosè nimis proceſſerunt. Hæc cùm ex parte vtraq; propoſita eſſent, Innoc. III. inſpectis priuilegijs exemptionis, quæ à varijs Pontificibus Monaſterio conceſſa erant, & Procurator in mediũ producere neglexerat (proteſtatus tamen de iure non tam ſuo, quàm ipſius Sedis Pontificiæ) ne negligentia eius in damnum Monaſterij, imò ipſius etiam Apoſtolicæ Sedis redundaret, aduerſus ſententiam dictorum iudicũ reſtitutionem conceſſit. Electionem autem, quæ, vt dicebatur, concorditer facta fuit, neque confirmandam, neque infirmandam eſſe iudicauit, donec controuerſia, ex qua dependet, dirimatur.

SVMMARIVM.

1. *Epiſcopus per conſuetudinem præſcriptam obtinere poteſt ius eligendi Prælatos, etiam regulares in diœceſi ſua.*
2. *Reſtituitur eccleſia, ſi læſa eſt propter negligentiam procuratoris, quia iura eccleſiæ non produxit.*
3. *Ius exemptionis pertinet ad eccleſiam exemptam v.g. Monaſterium, & ipſam etiam Sedem Romanam. vnde Monaſterium ei renuntiare non poteſt, nec amittere priuilegium per viam præſcriptionis, niſi tempore centum annorum.*
4. *Si pendente lite de iure electionis, ea interim inſtituta ſit, ante litis deciſionem nec confirmari, nec infirmari debet.*

NOTANDVM I. Epiſcopus per conſuetudinem præſcriptam obtinere poteſt ius eligendi Prælatos, etiam regulares, in diœceſi ſua. Ita colligitur ex hoc c. & notauit hîc Ioann Andr. n. 3. Abb. not. 2. Nam Epiſcopus ius eligendi Abbatem ſibi vendicans, intentionem ſuam in eo fundabat, quòd Monaſterium in diœceſi ſua ſitum erat. 1

NOTANDVM II. Si Eccleſia in iudicio læſa eſt, contra ſe reportans Iudicis ſententiam, eò quòd Procurator probationes producere neglexit, reſtitutionem in integrum petere poteſt: id verò certum eſt, ſi procurator ipſe damnum illatum reſarcire non poſſit, vt in caſu huius c. Sed ſi contra Procuratorem agi poſſit, tum neque Minorem facilè audiendum eſſe, IC. reſpondit in l. cùm mandatu, 23. verſ. ſi autem, ff. de minorib. & tradit ibi Bartolus, & Gl. marginalis. Quamuis Gl. hic, ver. reſtituimus, Anton. & alij apud Abb. hîc n. 18. arbitrentur in optione Minoris, vel Eccleſiæ eſſe, agere contra Procuratorem negligentem, aut petere reſtitutionem in integrum, argum. l. etiam, 3. C. Si tutor, vel curator interuenerit. Sed reſpondet Bartol. eam legem loqui de curatore ſeu adminiſtratore neceſſario: 2

rio: quamobrem idem rectè tradit Gl. in c. ex præsentium, 3. ver. necessitate, de pignoribus; Si Prælatus, aut Ecclesiæ Rector in iudicio agendo, aut extra iudicium contrahendo Ecclesiam damnificauit, in optione eius esse agere contra Prælatum, vel petere restitutionem in integrum. Hîc autem de Procuratore agimus, qui voluntariè assumitur, seu eligitur.

NOTANDVM III. Ius exemptionis, seu immediatæ subiectionis erga Sedem Apostolicam, censetur pertinere non tantùm ad ecclesiam exemptam, v.g. Monasterium, sed etiam ad ipsam Sedem Romanam. Ex quo inferes primò. Monasterium huic priuilegio exemptionis renuntiare non posse; quia cederet id in præiudicium Sedis Romanæ, c. cùm tempore, 5. de in integr. restit. Secundò: Ad amittendum hoc priuilegium per viam præscriptionis opus esse eo tempore, quod requiri solet ad præscribendum contra Ecclesiam Romanã, videl. centum annis, vti dixi lib. 1. tr. 1 c. 8. n. 13. §. Tertiò.

NOTANDVM IV. Si pendente lite de iure electionis, ea interim instituta sit, confirmari non debet, antequam lis decidatur, sed neque infirmari eam conuenit; cùm eius vis suspensa sit, ac dependens à futuro euentu litis. Vide quæ hîc docet Innocent. n. 2. & seqq. Abb. n. 22. Imola n. 20. vbi docent, quomodo possessio iuris eligendi, & similium incorporalium iurium acquiratur, vel amittatur.

CAPITVLVM III.

Auditis.

PARAPHRASIS.

Controuersia erat inter Episcopũ Vigorien-sem, & Abbatem de Eueſcam, super quibusdã Ecclesijs, quas Episcopus contendebat sibi lege diœcesana subiectas esse, Sed Abbas dicebat ab Episcopali iurisdictione omnino exemptas esse. Visis autẽ actis & probationibus, quę ex parte vtraq; coram Iudicibus delegatis exhibitæ erant, respõdit Innocent III. satis cognouisse se, Ecclesias illas per priuilegia Põtificum exemptas non esse ab Episcopi iurisdictione. Verùm ex testium testimonijs satis colligi, quòd Abbates Ecclesias illas tanto temporis decursu possederint pleno iure, vt appareat eos Episcopalem ibi iurisdictionem contra diœcesanum præscripsisse: nisi fortè Ecclesia Vigorien-sis tanto tempore vacarit, vt subducto eo vacationis tempore, præscriptio completa non sit. Tametsi verò in hac controuersia vtrinque concluſum sit; quia tamen vtraque pars asserit se probationem necessariam omisisse; ideò Innocent. considerans, quòd vtraque Ecclesia pari iure Minoris fungatur, seu pariter priuilegiata sit, vtramq. restituit ad probationem, quam omisit, afferẽdam; ne vel vna, vel altera pars grauẽ iacturã iuris sui patiatur.

SVMMARIVM.

1. *Ecclesia secularis, aut regularis intra diœcesin existens ab Episcopi iurisdictione eximi potest duobus modis: priuilegio Papæ, & præscriptione longissimi temporis.*
2. *Prælati pleno iure exempti ab Episcopo quasi episcopalẽ iurisdictionem habẽt.*
3. *Præscriptio contra Ecclesiam inchoata, vacante prælatura, suspensa est.*
4. *Terminus probationũ peremptorius, seu cum exclusione datus ligat etiam ecclesiam; conceditur tamen beneficium restitutionis, si necessaria probatio omissa fuit. Idem est de Minoribus.*
5. *Ad restitutionis autem beneficium requiritur, vt Ecclesia propter probationes non productas versetur in damno pecuniario, aut lucri amissione.*
6. *Ecclesia læsa restituenda est etiam contra aliam ecclesiam, vti & Minor læsus contra alium Minorem.*

NOTANDVM I. Duo sunt modi, quibus Ecclesia secularis, aut regularis, intra diœcesin existens, ab Episcopi diœcesani iurisdictione eximi, & sub immediata Sedis Apostolicæ obedientia constitui potest. Primus est, per priuilegium Papæ. Se- 1

cundus, per temporis longissimi præscriptionem, videl. 40. annis cum titulo; at verò immemoriali tempore, si titulus absit, argum c. 1. de præscript. in 6.

2 NOTANDVM II. Prælati, qui pleno seu, vt alij dicunt, pleniſſimo iure, id est, omnimodè ab Episcopo diœcesano, ratione Ecclesiarum suarum, exempti sunt, quasi Episcopalem iurisdictionem obtinere censentur. Hac de re dixi in qq. de elect. q. 206.

3 NOTANDVM III. Præscriptio seu vsucapio contra Ecclesiam inchoata, vacante Prælatura, suspensa manet ac veluti dormit, ita vt tempus vacationis auferri, seu non cõputari debeat. Ita etiam habetur in c. de quarta, 4. de præscript. Ratio est: Quia Ecclesia tunc defensore caret, c. 1. & vlt. Ne Sede vacante &c. Quandoquidem Capitulum pro iuribus Episcopalibus Sede vacante in iudicio contendere non potest, cit c. vlt. iun. Gl. ver. vacante. Vide quæ dixi lib. 3. Th. mor. tr. 4. c. 11.

4 NOTANDVM IV. Terminus probationum peremptorius, seu cum exclusione datus, astringit etiam Ecclesiam. Sed conceditur beneficium restitutionis in integrũ, si necessaria probatio omissa fuit. Ita habetur etiam in Clem. vn. hoc tit. Exemplum est: Procurator alicuius Ecclesiæ à iudice impetrauit duorum mensium spatium, intra quod testes, aliásque probationes afferre possit. Finito illo tempore, non admittetur Ecclesia ad probandum, nisi restitutionem in integrum impetret, si probationem necessariam Procurator producere intermisit. Sed & idem dicitur de natu Minoribus, ob allegationem obtinendæ causæ necessariam in iudicio omissam, restituendos esse, l. Minor, 36. ff. de Minoribus.

5 Requiritur tamen ad huiusmodi restitutionem, vt Ecclesia propter probationes non productas versetur in damno pecuniario, aut lucri amissione: Alioquin non restituetur; v.g. quòd crimina non probauerit contra litigantem super beneficio, sicuti docet Durand. lib. 2. speculi, p. 3. tit. de restit. in integrum, §. 2. n. 7. vers. Sed pone, argum. l. auxilium, 37. ff. de Minoribus.

NOTANDVM V. Ecclesia læsa restituenda etiam est contra alium: quemadmodum & Minor læsus contra Minorem restituitur, l. verum, 11. §. Item quæritur, ff. de Minoribus. 6

Obijcies: Si duorum paria priuilegia concurrunt, cassato vtroque, seruari debet ius commune, vti docent DD. nominatim Abb. in c. præsentia, n. 37. de probat. ex l. assiduis, C. Qui potiores in pignore. Respond. cum Bartolo in Auth. Quas actiones, n. 3. C. de SS. Ecclesijs, Abbate loco cit. Id verum esse, si duo pariter respectu eiusdem causæ priuilegiati sint: Secùs si in genere tantùm priuilegiati, sed respectu causæ non par sit vtriusque conditio, & fauor: Ita enim accidit in restitutionibus in integrum, per quas illi parti potiùs subueniendum est, quæ in damno, seu amissione iuris sui versatur. Sin autem nesciatur, vtri parti, pariter alioquin priuilegiatæ, reuerà ius competat, de quo non amittendo contendit, tunc vtraque, si læsa videatur, interim restituitur, donec veritas in iudicio appareat, vt in casu huius c. Vide quæ dixi cit. tr. 4. c. 11. n. 2. §. Ex multorum.

CAPITVLVM IV.

Ex literis.

PARAPHRASIS.

Inter duos coniuges causa matrimonialis agitabatur, quam Pontifex Innocent. III. quibusdam Iudicibus delegarat; qui cùm diuortij sententiam protulissent, mulier ad Sedem Apostolicam appellauit: Eam appellationis causam Papa Abbati, & Archipresbytero Paduano commisit. Abbas (cui alter vices suas commiserat) quia videbat mulierem ad terminum peremptorium non comparuisse, inspectis actis priorum Iudicum, eorundem sententiam confirmauit. Cùm hoc intellexisset pater mulieris, accessit ad Abbatem, & iuramento confirmauit, quendam fraudulenter venisse ad ipsos, falsas literas afferens, quibus continebatur, vt diebus octo post terminum constitutum Abbatis (cui impedi-

pedimentũ necessarium incidisse narrabatur, cur ad diem antea definitam adesse nõ posset) conspectui se sisterent: Cùm verò Abbas ipsis fidem super hac re habere nollet, dicta mulier ad Sedem Apostolicam appellauit, & supplicauit. Hac re intellecta, respondet Innocentius: Tametsi fraus, quæ allegatur, plenè probata non sit, tamen secundùm canonicam æquitatem, se supplicationem mulieris admittere, eique pro matrimonio postulanti beneficium restitutionis ad nouam causæ audientiam concedere. Ideóque alijs Iudicibus mandat, vt de causa appellationis cognoscentes, primorum Iudicum sententiam confirment, vel infirment, prout ipsis iustum esse visum fuerint.

SVMMARIVM.

1. *Sententia in causa matrimoniali non transit quidem in rem iudicatam, quoad veritatem; transit tamen quoad instantiam iudicij.*
2. *Causæ matrimoniales non tantùm Episcopis, sed etiam alijs in dignitate constitutis delegantur.*
3. *Dubitans, an capax sit remedij ordinarij appellationis, potest adiungere supplicationem extraordinarij, videl. restitutionis in integrum.*
4. *Qui appellat, iustitiam sibi administrari postulat contra errorem iudicis, vel iniquitatem.*
5. *Supplicatio strictè accepta ad inferiorem iudicem dirigi non potest; potest autem latè accepta, quæ suspendit etiam sententiæ executionem.*
6. *Etiam Maiores natu quandoque restituuntur, si grauiter læsi sint: ad hanc autem restitutionem opus est, vt præter læsionem alia iusta causa restitutionis v. g. absentiæ, detentionis, ignorantiæ probabilis ostendatur.*
7. *In causa fauorabili, vti est matrimonialis, causâ semiplenè probatâ, potest interdum Iudex, præsertim superiorus, per restitutionem in integrum iubere, vt causa demo cognoscatur.*

NOTANDVM I. Licèt sententia in causa matrimoniali non transeat in rem iudicatam, quoad veritatem, transit tamen quoad instantiam iudicii, ita vt nouo processu opus sit, nisi restitutio in integrum petatur. Ita Ioan Andr. hîc in Gl. penult. Alex. de Neuo in c. lator, 7. n. 12. de sent. & re iudic. 1

NOTANDVM II. Causæ matrimoniales non tantùm Episcopis, sed etiam alijs in dignitate constitutis personis à Sede Apostolica delegantur. Addit verò Abb. n. 2. Quòd nec Episcopus prohibeatur causam matrimonialem alteri idoneo delegare. 2

NOTANDVM III. Dubitans num ordinarium appellationis remedium sibi competat, potest in eius defectum, adeóque sub conditione, si prioris remedij capax non sit, adiungere extraordinarij remedij, videl. restitutionis in integrum, supplicationem. Ita Imola hîc, n. 5. Abb. n. 3. Pro cuius intellectu 3

Aduerte primò; Quòd qui à sententia Iudicis appellat, is iustitiam postulat contra Iudicis errorem, aut iniquitatem sibi administrari. Quare si Iudex videatur rectè sententiam tulisse (vt in casu proposito, quando Iudex sententiam tulit parte absente, quæ post lapsum termini peremptorij contumax apparebat) tum non recipietur appellatio, Suscipi tamen poterit supplicatio, in ordine ad restitutionem in integrum; quia ea plerumque non supponit Iudicis aliquam iniquitatem; sed aliam causam, v. g. absentiam, probabilem ignorantiam, tertiæ personæ fraudem, ob quam læso succurri debeat. 4

Porrò tametsi restitutio in integrum ob læsionem maioribus natu non concedatur, si ordinarium appellationis remedium intentari possit; attamen Minori, sicuti & Ecclesiæ, concedenda est restitutio, tametsi appellare possit; propterea quòd remedium restitutionis facilius minúsque odiosum sit, quàm appellationis remedium (cùm in ea error seu iniustitia Iudicis inferioris coram Superiore ostendenda sit) sicuti Abb. notauit in c. seq. n. 18. Sin autem Minor, aut Ecclesia ipso iure tuta sit, vt quia sententia irrita est, tum ei extraordinarium remedium restitu-

tionis non conceditur; cùm per ordinariam viam nullitatis agere possit, l. in causæ, 16. ff. de Minoribus.

5 Aduerte secundò; Quòd supplicatio in ordine ad Iudicem tribus modis accipiatur: Primò latissimè, pro quibuscunque precibus Iudici porrectis, siue ad iustitiam, siue ad gratiam impetrandam. Secundò latè, pro petitione restitutionis in integrum contra latam sententiam: Et hæc supplicatio præter lęsionem, causam prętendit, siue ea sit imbecillitas ætatis, siue fauor publicus Ecclesiæ, siue alia causa in iure probabilis, ob quã Iudex ex officio succurrere debeat, ideóq; restitutio in integrum partim de iustitia, partim de gratia participat. Tertiò strictè accipitur supplicatio, per quam, allegata læsione, petitur, vt sententia rescindatur ex sola gratia & benignitate Principis, eò quòd appellationis remedium nullum haberi possit, ideóque æquum videatur, vt succurratur extraordinariè. Et talis supplicatio ad inferiorem Iudicem dirigi non potest; cùm nemo præter Principem, sententiam Iudicis, extra casus iure concessos, retractare, & plerumque ius parti quæsitum, tollere possit. Videri potest Innocent. hic n. 3. Gl ver. supplicauit, Abb. n. 10. Beroius, n. 20. Abb. c. seq. n. 17. Sfort. de rest. in integr. p. 1. q. 1. a. 7.

Inter has duas posteriores supplicationes, duplex discrimen occurrit. 1. Supplicatio latè accepta non solùm erga Principem, sed etiam erga Iudicem inferiorem fieri potest; cùm sit imploratio Iudicis officij, quòd secundùm iura impartiri debet petenti, supposita causæ cognitione. Et ita quidem, vt vel ipse, qui sententiam tulit, contra eam restitutionem in integrum causâ cognitâ dare possit; Vel Superior eius, aut quasi Superior, v. g. Episcopus contra Vicarij sui generalis sentẽtiam. Sed vice versa, Vicarius restitutionem dare non potest contra sententiã Episcopi, vti docet Abb. in c. seq. n. 3. Quia inferior nõ restituit contra sententiam Superioris, l. Minor, 18. ff. de Minoribus.

Secundum Discrimen. Supplicatio latè accepta magis conuenit cum appellatione; quia & illa suspendit sententiæ executionem; Non item supplicatio strictè sumpta; sed cautio dari debet de restitutione facienda, si supplicans causam obtinet, iuxta Auth. Quæ supplicatio, C. de precibus Imperatori offerendis, & docet Abb. in c. suscitata, n. 10. hoc tit. discriminis huius rationem afferens; quia vt suprà dictum fuit, supplicatio latè sumpta iustitiæ aliquo modo innititur; at verò strictè sumpta soli gratiæ. Vtriusq; tamen supplicationis admissio eò tendit, vt causæ audientia de nouo concedatur, vt appareat, num sententia priùs lata rescindenda, an verò confirmanda sit, vti dicitur in fine huius c.

Loquimur verò in casibus, quibus sententia ipso iure consistit. Sin verò condemnatus eam nullitatis arguere velit, quia v. g. ordo iudiciarius seruatus non est, l. probatam, 4. C. de sententijs, tum actionem contra Iudicem instituere poterit, nec opus erit extraordinario supplicationis remedio; quippe quod, sicuti & appellatio, ad rescissionem sententiæ, post causam cognitam tendit.

NOTANDVM IV. Etiam maioribus natu, si grauiter læsi sint, quandoq; per restitutionẽ in integrum succurritur, vt videre est tit. ff. Ex quibus causis maiores &c. Sed discrimen inter restitutionem, quæ conceditur Minori, & Ecclesiæ, eámque, quæ conceditur maiori; quòd ad eam sufficiat ostendere læsionem grauem, ad hanc præter læsionem, necesse est aliam iustam causam demonstrasse, v. g. absentiæ, detentionis, probabilis ignorantiæ, ob quam læsus per Iudicis officium restituendus videatur, vti docui lib. 3. Th. mor. tr. 4. c. 11. n. 6. 6

NOTANDVM V. In causa fauorabili, cuiusmodi vel maximè est matrimonialis, si causa maiorem natu restituendi semiplenè probata sit, v. g. per vnum testem, aut iuramentum, potest quandoq; Iudex, præsertim supremus, per restitutionem in integrum iubere, vt causa denuo cognoscatur. Idque secundùm canonicam benignitatem; cùm secundùm canones non ad rigorem & subtilitatem iuris; sed magis ad id, quod æquum, & rationabile est, attendi debeat, c. 1. de do- 7

lo &

lo & contumacia. c. in causis, 19. de sentent. & re iudic.

CAPITVLVM V.

Tum ex literis.

PARAPHRASIS.

Controuersia erat super quibusdam parochijs inter Ecclesiam Oscensem, & Ilerdensem, coram Eugenio III. Papa: Is sententiam tulit pro ecclesia Oscensi. Sed cùm pars aduersa se per eam sententiam enormiter lęsam esse conquereretur, Anastasius IV. Cælestino tum in Hispanijs legationis officio fungenti causam comisit: Is cœpit eam cognoscere, sed non terminauit. Interim moritur Anastasius, cui Alexander III. succedit. Alexandro verò dictus Cælestinus III. qui eandem causam Cardinali Diacono delegauit, eo tenore, vt inspectis Ilerdensis Ecclesiæ priuilegiis, & auditis rationibus, priore Eugenij sententia nihil obstante, sententiam definitiuam proferret, & executioni mandari curaret. Verùm licèt causa cœpta, & testes aliqui producti fuerint, tamē mandatum Sedis Apostolicæ adimpletum non fuit. Quamobrem Antonius Ilerdensis Canonicus postulauit ab Innoc. III. qui Cælestino successerat, vt ex officio suo Ilerdensem Ecclesiam contra Eugenij sententiā restitueret. Papa itaque cum Cardinalibus suis, aliisq; viris peritis considerans, quòd Cælestinus restitutionis beneficiū iudicārit esse concedendum, dum causam illam Cardinali commisit, facilè inde collegit, se quoque supplicationem illam admittere debere: præsertim cùm & Romani Pontificis sententia possit in melius commutari, si vel falsitas, aut veri dissimulatio obrepserit, vel temporis necessitas ad quiddam statuendum compulerit. Imò secundùm ciuilia iura, Princeps etiam bis judicatas causas examinari permiserit, num ijs rescissis restitutio in integrum danda; Sed & registrum Eugenij Papę lustrando perspexisse sese Innoc. ait, quòd sententia illa primo sui Pontificatus mense promulgata fuerit, cùm de meritis causæ non satis poterat esse instructus. Nitebatur enim is ad ferendam sententiam contra Ilerdensem ecclesiam, ea potissimùm ratione, quòd priuilegium Vrbani II. eidem Ecclesiæ concessum falsitatis argueretur; cùm tamen postea in Registro eiusdem Vrbani repertum fuerit incorruptum. Propter hæc in eam sententiam tandem it Pontifex, vt in pręsentia partium (quippe quarum assertione merita causarum aperiuntur) cognoscatur, vtrùm restitutio in integrum data iam sit, aut deinceps danda, nécne: Itaque mandat Episcopo, & Capitulo Oscensi, vt ad festum B. Lucæ personaliter, vel per idoneum procuratorem Romæ se sistant, ostensuri, si possint, quòd sententia Eugenij retractanda non sit; aut si iudicatum fuerit, retractandam esse, ad principale negotium pertractandum sint sufficienter instructi; hoc scientes, cùm propter locorum distantiam sine magnis sumptibus ac laboribus sæpius ad eos recursus haberi nequeat, si ad dictum terminum, qui vt peremptorius assignatur, mandatis non paruerint; nihilominus in negotio ipso Papam processurum esse, quantum de iure poterit.

SVMMARIVM.

1. *Licèt à sententia Papæ alterius ue Principis appellari nequeat, potest tamen eidem supplicari.*
2. *Tertiò appellans contra sententiam aduersus se latam & confirmatam, audiendus non est, supplicare tamen potest, vt causa bis iudicata denuo cognoscatur, & deprehenso errore rescindatur.*
3. *Si ob temporis angustias Iudex non potuit instrui de meritis causæ, sententia ipso iure nulla est.*
4. *In dubio de priuilegij tenore, recurrendum est ad originale, quod esse solet in Principis registro. In dubio autem de actis iudicij ad Notarij protocollum.*

5. *Restitutio in integrum contra sententiam iudicis non agitatur, nisi partibus præsentibus, & cum litis contestatione.*
6. *Citatio peremptoria æquiualet citationi trinæ ad conuincendam contumaciam citati, si ad terminum præfixum non compareat.*

1 NOTANDVM I. Licèt à sententia Papæ, alteriúsue Principis appellari nequeat; potest tamen eidem supplicari; siue id fiat, vt ex officio propter causam iustam succurratur per in integrum restitutionem, siue id fiat, solam gratiam & benignitatem Principis postulando; eò quòd appellationis auxilio locus nullus esse possit, iuxta ea, quæ præc. c. dicta sunt, & sumitur ex Auth. Quæ supplicatio, C. de precib. Imperat. offerendis, & l. vn. C. de sententijs Prætorio Præfecti, & tradit Gl. in c. præc. ver. supplicauit, Imola ibid. n. 11. Beroius n. 15.

2 NOTANDVM II. Licèt tertiò appellans contra sententiam aduersus ipsum latam & confirmatam audiendus non sit, l. vn. Cod. Ne liceat in vna, &c. c. sua 65. de appellat. admittitur tamen supplicatio, vt causa bis iudicata denuo cognoscatur, &, si error commissus appareat, sententia, quamuis confirmata, rescindatur.

3 NOTANDVM III. Si iudex tempus sufficiens non habuit ad acta cognoscenda, præsumptio aliqua est, quòd non satis instructus de meritis causæ eam tulerit: vt proinde facilius dari debeat restitutio in integrum. Sin autem tam parum temporis habuit Iudex, vt impossibile fit eum de causæ meritis instrui, sententia ipsius ipso iure irrita est, quia processit absque causæ cognitione, sicuti docet Bartolus in l. prolatam, n. 10. C. de sententijs, & videri hîc potest Abb. n. 6. Et adeò hæc vera sunt, vt etiam mandatum Papæ circa factum, quod causæ cognitionem requirit, ea prætermissa non habeat vim sententiæ, nisi constet de certa scientia illius, secundùm Innoc. hic n. 1. Abb. n. 8.

4 NOTANDVM IV. Si dubitetur de priuilegij tenore, recurrendum est ad originale, quod in Principis registro reponi solet. Est enim registrum scrinij locus, in quo Epistolæ, & rescripta cuiusque Pontificis reseruantur. Pari modo, cùm de actis iudicij dubitatur, ex Notarij protocollo cognosci debent, c. quoniam, 11. de probat.

5 NOTANDVM V. Si restitutio in integrum contra Iudicis sententiam petatur, ante omnia præsentibus partibus, & quidem lite inter eas contestata, cognosci debet, num concedenda sit, nécne; Et si concedendam Iudex iudicauerit, tum ad nouam causę principalis audientiam, si ea petatur, partes admitti poterunt. Ita sumitur ex hoc c. prope finem, & videri potest Innoc. n. 2. Abb. n 15. Quemadmodum & appellatio, cui hæc restitutio quodammodo æquiparatur, ordinariè non agitatur, nisi partibus præsentibus, & cum litis contestatione, vti supponitur in l. vn. C. Ne liceat in vna, &c.

6 NOTANDVM VI. Vna citatio peremptoria, si habeat terminum competentem, præsertim si, vt fieri solet, in ea temporum assignentur interualla, æquialet citationi trinæ, ad conuincendam contumaciam citati, si ad terminum præfixum non compareat, iuxta c. 1. iun. Gl. ver. peremptorium, de dilation. Gl. in c. constitutionem, 9. ver. vna pro omnibus, de sent. excom. in 6.

CAPITVLVM VI.

Suscitata.

PARAPHRASIS.

Inter Episcopum Burgensem, & Monasterium Quiense controuersia erat super quatuor articulis, & quibusdam decimis, quæ Monasterio per transactionem acquisitæ dicebantur: Ea denique ad Sedem Apostolicam delata est; vbi Innoc. III. contra Monasterium sententiam tulit. Sed Procurator Monasterij ad probandam præscriptionem tam super quatuor articulis, quàm super decimis, restitutionem in integrum petijt. Eam Papa concedendam esse iudicauit; hac conditione, vt lata sententia priùs executioni man-

mandetur; Episcopus autem cautionem idoneam præstet, si Monasterio causa adiudicata fuerit, quòd omnia, quæ occasione sententiæ obtinuit, restituere velit. Ita enim vtrique parti, ad auertendas malitias hominum, prouisum erit; vt nec effectus sententiæ in damnum Episcopi impediatur, nec executio sententiæ in Monasterij detrimentum redundet.

SVMMARIVM.

1. *Contra sententiam latam à Principe peti potest restitutio in integrum.*
2. *Et iusta causa est eam impetrandi, si procurator ecclesiæ exceptionem peremptoriam in iudicio proponere omisit.*
3. *Iudex vti dilatorias exceptiones non facilè debet admittere, ita nec peremptorias facilè reijcere.*
4. *Concessio restitutionis in integrum contra sententiam iudicis suspendit ordinariè executionem sententiæ, nisi sit præsumptio malitiæ contra petentem restitutionem, quòd causa differendi executionem hoc petat; quo casu executio fit, præstita cautione.*
5. *Si tamen petens restitutionem, læsionem & causam iustam restitutionis probare velit, interdum tollet malitiæ suspicionem.*

1 NOTANDVM I. Contra sententiam latam à Principe, peti potest restitutio in integrum. Ita apparet hîc, & dixi suprà in c. ex literis.

2 NOTANDVM II. Causa iusta impetrandi restitutionem in integrum contra latam sententiam hæc est, si Procurator Ecclesiæ exceptionem peremptoriam (quòd videl. ea per præscriptionem tuta sit) in iudicio proponere intermisit.

3 NOTANDVM III. Licèt Iudex non facilè admittere debeat exceptiones dilatorias, si sit præsumptio, aut suspicio, quòd malitiosè opponantur; tamen peremptorias, qualis est hęc, quòd contra actionem præscriptum sit, non debet Iudex facilè reijcere, secundùm Innoc. in c. post electionem, §. sed quęres, de concess. præb. & sequitur hîc Abb. n. 3. Vide quæ dixi lib. 3. tr. 1. c. 8. n. 1.

NOTANDVM IV. Licèt concessa restitu- 4
tione in integrum, executio latæ sententiæ ordinariè loquendo, differri debeat, l. vn. C. de restitut. in integrum; limitari tamen debet; Nisi præsumptio adsit, quòd malitiosè restitutio petatur ad executionem impediendam, tum ea secundùm æquitatis rationem statim fieri debet, præstita cautione, de qua in textu dicitur, & videri hîc potest Gl. ver. pensata, Innoc. ver. impediri, Imola n. 12.

Sublimitari debet: Nisi executio sententiæ reuocabilis non sit; vt quia condemnatus cum infamia relegandus, aut in carcerem detrudendus esset, secundùm doctrinam Baldi in cit. l. vn.

Præterea, si petens restitutionem in in- 5
tegrum, læsionem & causam iustam restitutionis in continenti probare velit, interdum tollet malitiæ suspicionem, ideóque audiendus erit. Vide Gl. hîc ver. sententiæ, Abb. n. 8.

CAPITVLVM VII.

Coram.

PARAPHRASIS.

Inter Archiepisc. Toletanum, & Archiepiscopum Bracharensem coram Innocent. III. lis contestata erat super iure primatiæ: Papa eam quibusdam Iudicibus cõmisit, qui partes ad sententiam accipiendam remiserunt ad Sedem Apostolicam termino peremptorio assignato, intra quem se cum actis, & omnibus munimẽtis Apostolico conspectui præsentare deberent. Sed non nisi post elapsum terminum, & longam expectationem comparuerunt coram Honorio III. successore Innocentij Procuratores Ecclesiæ Bracharensis, necdum afferentes testium depositiones, & munimenta; ideóque aliam dilationem instanter postulantes. Cùm autem Pontifex interloquendo dixisset, dilationem negandam esse, tunc Procuratores restitutionem in integrum ad causæ in-

sæ instructionem exhibendam Bracharensi Ecclesiæ petiuerunt, exhibentes super hoc mandatum speciale. Id verò Pontifex vsque ad octauam Pentecostes concedendum esse iudicauit.

SVMMARIVM.

1. *Termini iudiciales etiam Ecclesias & Minores ligant, ita vt neque hi, neque illa post peremptorium audiantur, conceditur tamen illis restitutio in integrum.*
2. *Procurator hic Monasterij ad petendam restitutionem, videtur indiguisse mandato speciali.*

1 NOTANDVM I. Termini, seu præscriptiones iudiciales constringunt etiam Ecclesias, ac Minores, vt post elapsum tempus audiendi non sint. Sed conceditur eis restitutio in integrum. Ita etiam sumitur ex l. 1. C. si sæpius restitutio, &c. & c. vlt. hoc tit. quibus locis habetur, quòd Minor, vel Ecclesia si intra decendium contra sententiam non appellauit, per in integrum restitutionem adiuuanda sit.

Neque his obstat l. vlt. C. In quibus causis in integrum restitutio, vbi dicitur; Quòd præscriptiones temporales (excepta xxx. vel xl. annorum) ipso iure non currant contra Minores. Nam l. illa non loquitur de præscriptionibus seu terminis iudicialibus, in quibus id speciale censeri debet, quòd currant contra omnes, sicuti notauit Bartol. in l. 1. C. si sæpius in integrum, &c. Hostiensis & Abb. c. vlt. n. 1. hoc tit.

NOTANDVM II. Si quis ad certum terminum in causa instructus comparere debuit; procuratori nouæ induciæ ordinariè non conceduntur. De hoc dixi suprà in c. dilectus, 11. de procurator.

2 Disputat hîc Gl. ver. mandatum, vtrùm Procurator Monasterij ad petendam restitutionem in integrum indiguerit mandato speciali. Videtur affirmandum ex hoc textu, & l. illud, 25. §. Si talis, ff. de Minoribus. Sed contra est, quod tradit Gl. communiter recepta in c. præced. ver. postulauit; Quòd Procurator (intellige simplicem, vt excludamus tutores, & similes administratores, qui à iure potestatem habent) non audiatur sine mandato speciali, si restitutionem petat principaliter; secùs, si incidenter. In casu autem huius c incidenter petebatur restitutio super termino peremptorio: Ergo sufficiebat Procuratori mandatum generale ad causam prosequendam. Duobus modis responderi potest cum Hostiensi apud Ioan. Andream hîc n. 5. & c. præced. n. 6. Primò, Narrari hîc factum, quòd Procurator ad hanc causam habuerit mandatum speciale, saltem generaliter ipsi datum, vt petitionem in integrum petere posset. Secundò, Quòd fortasse interlocutoria illa sententia elapso decendio transierit in rem iudicatam, c. cùm dilectus, 32. in fine, de elect. Nam ex eo tempore procurator etiam cõtra interlocutoriam, sicuti contra definitiuam sententiam non admittitur ad petendam restitutionem absque mandato speciali. Rationem dat Gl. in c. præced. ver. postulauit: Quia restitutio in integrum contra sententiam dari plerumque solet loco appellationis: quemadmodum itaque intra decendium post latam sententiam definitiuam, aut interlocutoriam appellare debet Procurator, c. penult. de Procurat. ita & restitutionem in integrum petere: Cùm enim hoc causæ connexum sit, vnà cum causa committi censetur. Videri etiam potest Abb. in cit. c. præced. n. 5.

CAPITVLVM VIII.

Constitutus.

PARAPHRASIS.

Quidam coniuges Guilielmus & Anna quasdam possessiones habebant communes (videl. ipsis communiter donatas, aut ex communi pecunia emptas) mortuâ Annâ, Guilielmus possessiones illas vendere volens emancipauit duos ex eadem Anna natos Guilielmum & Ignatium, vt venditioni consensum præbere possent. Post factam

stam venditionem, fratres illi supplicarunt Gregorio IX. Pontifici, vt vel contractum illum irritum declararet; vel (cùm adhuc existant intra tempus ad petendam restitutionem in integrum iure indultam) tum quoad partem ex materna hæreditate ad se pertinentem; tum quoad alteram partem, quam iuxta municipalem consuetudinem tanquam proximi consanguinei intra diem & annum, oblato eodem pretio retrahere potuissent, sed facere omiserunt, in integrum restituerentur, quandoquidem in vtroque horum grauiter læsi fuerunt. His relatis, mandat Papa, si ea vera sint, vt dicta venditio, quoad partem eam, quæ dictos fratres contingit, irrita pronuntietur, si debitis iuris solemnitatibus destituta fuerat; sin autem debita solemnitas interuenerit, sed eos læsos esse constiterit, tam super sua, quàm super paterna portione, Apostolica auctoritate in integrum restituantur; dummodò pretium, vti promittunt, emptori vel hæredibus eius refundant.

SVMMARIVM.

1. *Pater licèt habeat vsumfructum & administrationem bonorum maternorum, quæ filiis in potestate sua constitutis obuenerunt; non potest tamen ea alienare, etiam consentientibus filiis.*
2. *Irrita est alienatio immobilium facta à Minore sine debita solemnitate, scil. iudicis auctoritate; & si facta est, rem alienatam Minor per viam nullitatis repetere, vel in dubio de nullitate contractus, per viam restitutionis in integrum iuuari potest.*
3. *Statuta municipalia fauorabilia generaliter pro communitate lata etiam clericos comprehendunt.*
4. *Minoribus & Ecclesiis per restitutionem in integrum succurritur, siue læsi sint in damno, siue in lucro cessante.*

1 NOTANDVM I. Licèt pater habeat vsumfructum & administrationem bonorum maternorum, quæ filijs in potestate sua constitutis obuenerunt, l. 1. C. de bonis maternis; non potest tamen ea alienare, etiam consentientibus filijs, vti ex hoc c. colligitur, & habetur in cit. l. 1. & l. 3. C. eod. l. quæcunque, 4. C. de bonis quæ liberis. Ob hanc itaque causam Guilielmus filios suos emancipauit, vt eorum bona, ipsismet consensum præbentibus, alienari possent. Ita Gl. hic ver. eosdem, Innoc. n. 1. & videri potest Imola n. 3.

2 NOTANDVM II. Si Minor sine debita solemnitate, videlicet iudicis auctoritate non interueniente, bona immobilia alienet, irrita est alienatio, l. cùm emancipatis, 3, l. non solùm, 4. C. de prædijs Minorum, & dixi lib. 3. tr. 4. c. 11. n. 2. Quare tali casu Minor rem alienatam repetere potest per viam nullitatis, vt restitutioni in integrum locus esse non debeat, iuxta l. in causæ, 16. ff. de Minoribus; vbi dicitur, si communis actionis auxilio, seu vero iure ciuili rem alienatam Minor recuperare possit, non tribui ei extraordinarium Prætoris auxilium. Sin verò dubitet de nullitate contractus; tunc alternatiuum libellum porrigere nō prohibetur (secundùm doctrinam Innoc. hìc, n. 2. Abb. n. 9.) videlicet vt vel contractus pronuntietur nullus; aut si vero iure valuit, in integrum restituatur. Etenim, licèt possessiones Minoris aut Ecclesiæ omni adhibita solemnitate, etiam cum Superioris seu iudicis decreto alienatæ sint, si tamen læsio grauis interuenit, concedenda est in integrum restitutio, l. siquidem 11. C. de prædijs Minorum.

3 NOTANDVM III. Statuta municipalia, quæ non onus, sed potiùs fauorem continent, si generaliter pro communitate lata sint, comprehendunt etiam clericos; cùm & ipsi Reipubl. membra sint. Ita sumitur ex hoc c. & dixi de hac re in c. Ecclesia, 10. de Constit. & tradit Abb. hîc, n. 3. Imola n. 6.

4 NOTANDVM IV. Minoribus, ac pariter Ecclesiis, per restitutionem in integrum subuenitur, non tantùm si læsi sint in damno, sed etiam in lucro cessante. Ita docui lib. 3. tract. 4. c. 11. n. 2. & sumitur ex hoc textu: cùm enim fratres hi in duobus læsi essent, & quoad suam prædiorum portionem,

quam cum proprio detrimẽto vendiderant; & quoad portionem patris, quam cum lucro suo intra annum retrahere poterant, & intermiserunt; super vtroque restitutionem in integrum à Papa impetrarunt.

Porrò de gentilitio retractu, seu facultate possessiones venditas intra certum tempus iure proximæ consanguinitatis ad se reuocandi, oblato eodem pretio, dixi lib. 3. tr. 4. c. 17. §. 6.

CAPITVLVM IX.

Causa.

PARAPHRASIS.

Restitutio in integrum peti debet à Iudicibus ordinarijs administrationem habentibus, vel ab eorum delegatis; siue causa restitutionis ipsis specialiter delegata sit, siue ea in commissam controuersiam incidenter veniat. At verò delegati à Iudicibus ordinarijs, qui non administrationem, sed simplicem iurisdictionem habent, sicuti & arbitri, de causa restitutionis cognoscere non possunt, nisi incidenter. Similia habentur in l. vlt. C. Vbi & apud quem.

SVMMARIVM.

1. *Iurisdictio alia est ordinaria, alia delegata. Ordinaria vel confertur cum administratione rerum, aut iurium in territorio, & continet merum vel mixtum imperium; vel sine tali administratione, & dicitur simplex iurisdictio.*
   Habens ordinariam delegationem delegare potest, non item habens tantùm delegatum, nisi sit delegatus Principis.
2. *Habens ordinariam iurisdictionem cum administratione in integrum restituere potest.*
3. *Idem possunt delegati ad vniuersitatem causarum, si cum administratione in aliquo territorio constituti sunt.*
4. *Solus Princeps aliquem restituere potest aduersus sententiam sui delegati.*
5. *Habens simplicem ordinariam iurisdictionem, de causa restitutionis in integrum cognoscere non potest.*
6. *Iudex delegatus non potest in integrum restituere principaliter, nisi ex speciali commissione data ab habente merum & mixtum imperium.*
7. *Habens iurisdictionem quamcunq; etiam tantùm delegatam, potest incidenter causâ cognitâ in integrum restituere.*
8. *Arbiter non potest restituere in integrum, potest tamen incidenter quæstionem restitutionis huius decidere, an restitutio à iudice sit petenda, nécne.*
9. *Arbiter in causâ matrimoniali, vel libertatem concernente, vel criminali assumi non potest.*
10. *Causæ, quæ à maioribus iudicibus expediri debent, vt matrimoniales, criminales criminaliter intentatæ, & quacunque Iudicis officio nobili exercentur, arbitris committi non possunt.*

PRo intellectu aduerte; Quòd iurisdictio alia ordinaria est, & alia delegata. Iurisdictio ordinaria duplex est: Vel enim confertur cum administratione rerum, aut iurium in territorio aliquo; & continet merum, aut mixtum imperium. Vel sine administratione mera in territorio iudicandi potestas confertur, & dicitur simplex iurisdictio. Porrò quicunque ordinaria iurisdictione prædicti sunt, hi causam delegare possunt; non item qui delegatam tantùm habent, nisi sint delegati Principis.

Nunc ponuntur assertiones: Prima. Qui ordinariam iurisdictionem cum administratione, ideóque imperium aliquod habent, vt Episcopus, Vicarius generalis, & Prælati omnes Ecclesiastici, in integrum restituere possunt. Ratio est, quia exercent officium nobile, sicuti explicaui lib. 1. tr. 4. c. 5. n. 8.

Secunda. Delegati ad vniuersitatem causarum, si cum administratione iurium in territorio aliquo positi sint, causam restitutionis in integrum tractare possunt: quia ordinarijs æquiparantur. Ita docet Bartolus in cit. l. vlt. n. 4. Abb. hîc n. 7.

Co-

Corollarium: Solus Princeps restituere aliquem potest aduersus sententiam sui delegati, vti Abb. hîc monet, n. 7. Nam nec ipsemet delegatus in integrum restituere potest, nisi talis facultas ei specialiter commissa sit: Neque Ordinarius, v.g. Episcopus, quia delegatus in ea causa maior est Ordinario, c. pastoralis, 11. §. præterea, de offic. delegati. Inferior autem Iudex non restituit contra sententiam superioris, l. minor, ff. hoc tit.

4 Tertia. Qui simplicem ordinariam iurisdictionem habent, de causa restitutionis in integrum cognoscere non possunt. Ita habetur expressè in cit. l. vlt. & per sensum contrarium sumitur ex hoc c. Ratio est: Quia simplicem iurisdictionem habens, liberum officium non exercet, sed mercenarium, seu actioni merè ciuili deseruiens, vti dixi in cit. c. 5. n. 7. At verò restitutio in integrum est actus imperij mixti, ex nobili Iudicis officio prouenies, vt ibidem dictum est. Exemplum iurisdictionis simplicis, seu sine administratione, habemus in Authent. Habita, C. Ne filius pro patre; vbi Fridericus Imperator licèt iam dat Scholaribus, vt lites suas, si velint, proponant coram Magistris seu Professoribus suis, quibus ea lege iurisdictionem (videl. simplicem, & sine administratione) tribuit.

5 Quarta. Iudex delegatus in integrum restituere non potest principaliter, nisi id ei specialiter commissum sit ab eo, qui potestatem habet; videl. à magistratu habente merum, aut mixtum imperium; non item à Iudice habête iurisdictionem simplicem. Cùm enim causam restitutionis tractare non possit, consequenter nec alteri delegare; quia nemo dat, quod non habet.

6 Quinta. Quicunque iurisdictionem aliquam, etiam delegatâ tantùm, habent, causâ cognitâ in integrum restituere possunt incidenter: v.g. si Minor vel Ecclesia in peremptorio termino læsa sit, Iudex delegatus eam restituere potest. Ratio est, quam Baldus dat in cit. l. vlt. Quia delegatus ad causam principalem, videtur etiam delegatus ad quamlibet eius incidentem: quare ad incidentia, seu accessoria (nisi sint maioris præiudicij) non est necessaria noua commissio. Quare in l quoties, 3. C. de Iudicijs, generatim docetur; quòd iudex causæ princip alis cognoscere etiam possit de quæstione incidente; tametsi non posset, si principaliter moueretur. Et simili ratione suprà dictum, ac singulariter notat Gl. in c. suscitata. ver. postulauit, hoc tit. Quòd *procurator constitutus ad causam, consequenter restitutionem in integrum petere possit super articulo incidente.*

Sexta. Arbiter non potest in integrum 7
restituere. Quia non imperium, imò nec simplicem iurisdictionem, sed meram cognitionem habet, partium consensu impertitam, iuxta l. 1. C. de receptis arbitris, l. ait Prætor, 5. de iudicijs.

Si tamen in causam arbitris commissam 8
incidat quæstio restitutionis in integrum, possunt ratione compromissi eam decidere, non vt ipsi restitutionem faciant, (quod fieri non posse, satis indicatur in cit. l. vlt.) sed vt determinent, num restitutio à Iudice petenda sit, nécne. Vide Gl. hîc ver. incidenter, Bartol. in cit. l. vlt. n. 5. Gl. in c. cùm dilectus, 6. ver. nisi de his. de arbitris.

§. In matrimoniali.

IN causa matrimoniali, aut in qua de liber- 9
tate agitur, vel criminali, arbiter assumi non potest; cùm tales causæ iudices maiores requirant. Consentit l. non distinguemus, 32. ff. de recept. arbitris.

NOTANDVM Vn. Causæ, quæ à maiori- 10
bus iudicibus expediri debent, quia valde arduæ, & maximi præiudicij sunt; vt matrimoniales, & quibus agitur de hominis libertate; item criminales causæ, si criminaliter intententur; & quæcunque Iudicis officio nobili exercentur, eæ arbitris committi non possunt. Vide Abb. hîc n. 4.

* * *
*

CAPITVLVM VLT.

Beneficio.

PARAPHRASIS.

Si Ecclesia contra latam sententiam non appellauit, sed restitutionem in integrum petiuit, & repulsa est, iterum in alio iudicio restitui non debet, nisi ad petendam appellationem. Si tamen noua causa emergat, videl. nouæ defensiones ostendantur, tùm simpliciter ei, cognitâ causâ, restitutio concedi poterit. Habentur hæc in tribus ll. C. Si sæpius restitutio in integrum postuletur.

SVMMARIVM.

1. *Sententia lata super restitutione in integrum transit in rem iudicatam, nisi intra decendium appellatum sit.*
2. *Vnde contra denegatam restitutionem Minor aut Ecclesia non restituitur, nisi ex noua emergente causa.*
3. *Qui de causa restitutionis contra omissam appellationem cognoscere debet, est non tantùm iudex à quo, sed etiam iudex ad quem, si quidem is sit absolutè Superior; secùs est, si sit tantùm Superior posità appellatione.*

1 NOTANDVM Vn. Sententia lata super restitutione in integrum, transit in rem iudicatam, nisi intra decendium appellatum
2 sit. Et meritò hoc casu non auditur condemnatus, v.g. Minor, si petat restitutionem contra sententiam. Nam Iudex iterum cognoscendo de eiusmodi causa, in dubiũ reuocaret, quę antè ab ipso iudicata fuerunt. Quod fieri non debet; præterquam si noua causa restitutionis, vid. nouæ defensiones contra Aduersarium emergant. Exempla sunt: Si Minor, vel Ecclesia petens restitutionem in integrum propter non exhibita priuilegia succubuit, potest denuò petere, allegando præscriptionem, quam antea allegare intermiserat. Item, si Ecclesiæ, cùm ob Procuratoris negligentiam in contractu vel iudicio damnum passa esset, restitutio denegata fuit, eò quòd à Procuratore damni resartionẽ recuperare posset, secundùm ea, quæ ex multorum sententia dicta sunt in c. 2. hoc tit. Sed postea procurator reperitur, vel de nouo efficitur impar ad soluendum, restitutio ecclesiæ concedi debet: quia cùm ea priùs denegata fuerit veluti per accidens, quia à procuratore damnum resarcire posse videbatur; hac autem causa, ac veluti obstaculo restitutionis remoto, manet integra causa, quæ per se est, restituendi ecclesiam, videl. læsio enormis, alio remedio non emendabilis.

At verò restitutio causâ cognitâ concedenda est Ecclesiæ aut Minori, eò quòd non appellarit. Quandoquidem hæc noua restituendi causa est, diuersa ab illâ, quæ antè diiudicata erat.

Sed quis Iudex de causa restitutionis con- 3
tra omissam appellationem cognoscere debet. Respondet Bartolus in l. 1. not. vlt. C. Si sæpiùs; Quòd non tantùm Iudex à quo, sed etiam Iudex ad quem. Quod verum est, si is sit absolutè Superior: secùs, si sit tantùm Superior, posita appellatione, vt Archiepiscopus comparatione subditorum Suffraganei sui. Talis enim adiri non potest, nisi ius appellandi competat: At verò post decendium à lata sententia ius appellandi non competit, nisi restitutio in integrum præcesserit, sicuti Abb. hîc notat in fine c.

CAPITVLVM PRIMVM
cod. Tit. in 6.

Ecclesia.

PARAPHRASIS.

Si Ecclesia ex contractu, vel Iudicis sententia læsa sit, atque intra quadriennium petere restitutionẽ in integrum per negligentiam intermittat, postea ad beneficiũ restitutionis admitti non debet; nisi ostensum fuerit, præuaricationẽ, aut fraudem interuenisse; (quia videl. collusum fuit cum Prælato, seu administratore bonorum, vel is fraude circumuentus ne restitutionem peteret) aut si alia rationabilis

bilis causa adsit, propter quam Superior beneficium restitutionis etiam postea concedendum esse arbitretur.

SVMMARIVM.

1. *Minor & Ecclesia integrum quadriennium habent ad petendam restitutionẽ, quod respectu Minoris incipit ab exacto anno XXV. & durat vsque ad completum XXIX. respectu verò ecclesiæ læsæ incipit à tempore factæ læsionis, scil. à tempore contractus celebrati, vel sententiæ latæ.*
2. *Nomine ecclesiæ omnia loca pia, & Collegia Clericorum ac Religiosorum comprehenduntur, etiam Xenodochia, si cum Episcopi auctoritate fundata sint; Confraternitates, si ad pietatem seu Religionis augmentum sint institutæ.*
Collegia Studiosorum, non tanquam ecclesia, sed quia in ijs multi sunt natu Minores, petere possunt restitutionẽ, sicut & qualibet respubl. aut Communitas. Nomine autem reipubl. veniunt etiam ciuitates & vici, si iurium communium administratores habeant.
Non autem capaces sunt restitutionis Congregationes seu Collegia opificum, mercatorum, &c.
3. *Ecclesia gaudet beneficio restitutionis, etsi nondum extructa, sed primùm extruenda sit.*
4. *Interdum ea etiam post quadriennium gaudet hoc beneficio, vti & respublica.*
5. *Causa beneficij huius restitutionis post quadriennium præter collusionem & fraudem est læsio valde enormis, inculpata ignorantia, aliúdue iustum impedimẽtum obstans, quò minùs intra quadriennium restitutio peteretur.*
6. *Et hæc extraordinaria restitutio dari potest vsque ad annos XXX. vel XL.*

1 NOTANDVM I. Sicuti Minor quadriennium continuum habet ad petendam restitutionem, l. vlt. C. de temporib. in integrum restitutionis, ita etiam Ecclesia, prout etiam habetur in Clem. vn. hoc tit. Sed discrimen est, quòd hoc quadriennium Minori incipit ab ætate legitima, seu exacto anno XXV. & durat vsque ad completum XXIX. At verò in Ecclesia læsa incipit à tempore factæ læsionis; videl. à tempore celebrati contractus, aut latæ sententiæ, sicuti Dominicus hìc docet. col. 3. vers. Sed quando.

2 Nomine autem Ecclesiæ intelliguntur omnia loca pia, & Collegia Clericorum, ac Religiosorum, comprehenduntur etiam xenodochia, si cum Episcopi auctoritate fundata sint, l. omnia, 24. C. de Episcop. & Clericis, & ex communi docet Dominicus in c. seq. q. 1. Quin & simili ratione Confraternitates, si ad pietatem, seu Religionis augmentum institutæ sint, teste Abb. in c. 1. extrà, hoc tit. n. 15. vbi addit; Quòd & Collegium Studiosorum in integrum restitutionem petere possit, non tanquam Ecclesia; sed quia in eo multi sunt natu Minores.

His adde, quòd & Respublica, seu Communitas quælibet perinde vt Ecclesia, restitutionem in integrum petere possit, l. quadrienij tempore post læsionem, Respublica, 4. C. Quibus ex causis maiores &c. Nomine autem Reipubl. etiam ciuitates, oppida, & vici comprehenduntur, si bonorum seu iurium communium administratores habeant; Non item Congregationes, seu Collegia opificum, mercatorum &c. vti tradit Abb. loco cit. Molin. tom. 2. disp. 574. n. 4.

3 Id in quæstione est, Vtrùm Ecclesia gaudeat beneficio restitutionis, si nondùm extructa est, sed extruenda: Exempli causa: Aliquis decem millia litigiosa legauit pro Ecclesiæ extructione, & ob negligentiam executoris deserta fuit appellatio interposita à testatore. Respondet Dominicus propè finem huius c. Si cœpta est ædificari, tum gaudere; secùs, si cœpta non est, argum. l. 7. ff. de statu hominum, vbi dicitur; Qui in vtero est, pro iam nato haberi, si de commodo eius agatur. Arbitror verò dici posse, etiamsi Ecclesia cœpta non sit ædificari, tamẽ vt causæ piæ restitutionẽ in integrum dari posse, saltem eo modo, sicuti & maioribus natu, & non priuilegiatis ex causa iusta & euidente

conceditur, tit. ff. & Cod. Ex quibus causis maiores. Et ad id multum iuuare debet causa pietatis, ac religionis.

4 NOTANDVM II. Ecclesiæ (sicuti & Reipubl.) interdum etiam post elapsum quadriennium concedi debet in integrum restitutio.

QVÆRITVR primò: Vtrùm id sit speciale in Ecclesia, & Republ. vt etiam post quadriennium ipsi quandoque subueniatur. Respondeo cum Mol. cit. disp. 574. n. 3. Esse id speciale, partim propter fauorem publicum, qui semper manet: partim quia Ecclesiæ tanquam personæ fictæ citiùs succurri debet, cùm per administratores gubernetur, quorum negligentia seu delictum non est æquum illi imputari. Sed Minor posteaquam ætatem legitimam consecutus est, maiorem fauorem iam non meretur, quàm alij; ideóque ex ijs tantùm causis subueniri ipsi debet, ob quas etiam maiores natu restituuntur, vti dixi lib. 3. Th. mor. tr. 4. c. 11. n. 5. add. 1.

QVÆRITVR secundò: Quænam sint
5 illæ aliæ causæ, præter collusionem, & fraudem, ob quas finito quadriennio Ecclesiæ in integrum restitui debent. Respondeo; duas potissimùm à Doctoribus afferri; I. Si læsio valdè enormis fuerit, vt videre licet apud Couar. 1. resol. c. 2. n. 11 Mol. cit. n. 3. & sumitur ex c. penult. de rebus Ecclesiæ non alienandis. Quænam autem talis læsio censenda sit, Iudicis arbitrio committendum esse videtur, teste Couar. cit. n. 11. vers. Secundò. Mol. n. 3. in fine. II. Si inculpata ignorantia, aliúdue iustum impedimentum obstitit, quò minùs restitutio intra quadriennium peteretur, sicuti explicaui cit. c. 11. n. 4. Tale impedimentum in specie censetur, dum Prælatus, qui malè administrauit, in viis est, & non facilè adducitur, vt proprium factum retractet; vel si à Iudice, qui sententiam tulit, propter metum non audeat Ecclesia restitutionem petere, iuxta ea quæ notantur in c. tum ex literis, vbi Abb. n. 19. hoc tit.

QVÆRITVR tertiò: Quanto tempore Ecclesia, vel Respubl. post elapsum quadriennium ex supradicta aliqua causa restitui possit? Respondeo cum Couar. cit. c. 3. 6
n. 12. in fine; Hanc restitutionem ex Iudicis officio extraordinariè dari posse, vsq; ad annos XXX. argum. l. sicuti in rem, C. de præscript. XXX. vel. XL. annorum, vbi Gl. margin. ait, ver. persecutione; Quòd contra Iudicis officium ordinariè non præscribatur ante tempus longissimum, videl. XXX. annos.

CAPITVLVM II.

Si aduersus.

PARAPHRASIS.

Si Prælatus aliúsue Procurator Ecclesiæ in iudicio agens confessionem fecerit, ex qua Ecclesia læsa fuit; post elapsum quadriennium, si restitutio in integrum peti per negligentiam intermissa fuit, amplius non conceditur; nisi rationabilis causa aliud persuaserit. Ceterùm si errorem qui in facto consistat, circa confessionem suam Ecclesię reuocare velit, semper auditur (sicuti & priuatus quilibet) donec causa finita sit.

SVMMARIVM.

1. *Ecclesiæ læsa per Prælatum vel Procuratorem, qui in iudicio aliquid fassi sunt, quod probari non poterat, succurritur duobus modis, petitione restitutionis in integrum, & reuocatione confessionis, allegando, errorem facti (non iuris) commissum esse.*
2. *Error autem probari debet ante latam sententiam, non causæ conclusionem.*

PRo intellectu huius c. aduerte; Si Prælatus v. g. nomine Ecclesiæ agēs in iudicio quippiā fateatur, quod probari non potest, atque idcircò Ecclesia nocumentum incurrat, duplex modus est succurrendi: Primus, vt Ecclesia petat restitutionem in integrum. quo casu sufficiet ei probare læsionem 1

nem grauem; cùm hæc sufficiens causa sit restituendi Ecclesiam. At verò maiornatu si ex hoc capite beneficium restitutionis post latam v.g. sententiam petere vellet, ex clausula Prætoris generali: *Siqua alia causa &c.* probare teneretur non tantùm læsionem, sed etiam errorem facti in cõfessione commissum. Ita Gl. hîc ver. confessionem, Petr. Anchar. col. 2 Dominic. col. 1. vers. Nota bene illam Gl. Alter modus est, si cõfessio reuocetur, allegando errorem commissum fuisse. Quod intelligi debet de errore facti, non iuris: Nam iuris error ordinariè excusatur l. 2. ff. de confessis, l. error, 8. ff. de iuris, & facti ignorantia.

Exempli causa: Si Prælatus in iudicio fateatur, Capituli consensum ad alienationem rei Ecclesiasticæ interueniisse, cùm non interuenerit, error facti est: Sin autem alienationem absque Capituli consensu factam Prælatus in iudicio validam fateatur, seu propter iuris ignorantiam non alleget, Capituli consensum non interueniisse; error iste obest Ecclesiæ: quamuis petere possit restitutionem in integrum.

Deinde necesse est, vt error facti, qui commissus esse dicitur, ante latam sententiam probetur, sicuti ex hoc textu colligitur, & habetur in c. vlt. de confessis, & tradit Gl. in cit. l. 2. vbi ait; Quòd confessio facti erronea vsque ad sententiam reuocari possit. 2

Sed quid? Si in causa inclusum sit, ita vt nihil restet, nisi ferenda sententia, vtrùm error facti reuocari possit. Negat Ioan. Monachus hîc n. 2. argum. c. auditis, 8. de Procurator. quam sequitur Ioann. Andr. Dominic. Petr. Anchar, not. 5. Quia postquam in causa concluſum est, non admittitur probatio partis; atqui sine probatione error facti frustra allegatur. Nisi notorium sit, errorem commissum esse; vel Iudex ex officio de commisso errore cognoscere velit.

TITVLVS XLII.

DE ALIENATIONE IVDICII MVTANDI CAVSA FACTA.

CAPITVLVM I.

Ex quorundam.

PARAPHRASIS.

SI quis metu iudicij futuri, quia scit rescriptum contra ipsum impetratum esse, rem, super qua controuersia erit, alienet vendendo, donando &c. tum per rescriptum, quod impetratum erat contra alienantem, is ipse conueniri poterit, in quem res translata est.

SVMMARIVM.

1. *Contra alienantem dolo malo rem litigiosam in alium Iudicij mutandi causâ, datur actio in factum ad interesse; contra possessorem rei vindicatio.*
2. *In duobus autem casibus censebitur quis dolo malo rem alienasse. 1. Si eam in extraneam personam transtulit. 2. Si in alium sub eodem Iudice constitutum, sed potentiorem alienauit.*
3. *Idem est de actore, si is causa iudicij mutandi actionem suam in potentiorem dolo alienauit: succurrendum enim etiam ipsi est per restitutionem in integrum.*

4. Coma

4. *Competit autem hoc statutum, quando fit alienatio mutãdi iudicium futurum: & non illud, quod iam fuit cœptum.*

1 PRo intellectu huius materiæ, aduerte primò: Quòd Prætor æquitate motus, edicto cauerit, vt si quis iudicij mutandi causa, videl. quia suspicatur litem sibi mouendam esse, rem, super qua lis est, dolo malo in alium transtulerit, teneatur præstare omnia, quatenus interest petitoris, rem ita per fraudem alienatam non fuisse: Et dicitur hęc actio, per quam conuenitur alienans, Actio in factum, qua intentata Prætor ex officio succurrit petitori læso, restituendo illum in integrum, vt omnia consequatur perinde acsi alienatio facta non esset.

2 Duobus autem casibus censebitur quis dolo rem alienasse, seu in alterum possessionẽ transtulisse: I. Si in extraneam personam, videl. quæ sub eodem Iudice non est, transtulerit: quia fatigat aduersarium suum, vt ad alium Iudicem adire cogatur. II. Si in alium quempiam sub eodem Iudice constitutum, sed potentiorem transtulerit: Etenim vtroque casu aduersarij conditionem duriorem facit, vt proinde ipsi subueniendum sit. Hæc habentur l. 1. & 2. seqq. ff. de alienatione iudicij mutandi causa, l. vn. C. eod. Ceterùm si quis ob morbum, occupationes, aliámue necessitatem alienarit, non erit locus huius edicto, quippe quod dolum requirit, l. 4. §. Si quis autem, ff. eod. Parum autem referre, ait Abbas hic n. 1. vtrùm quis directè & expressè rem alienando, extraneum vel potentiorem possessorem constituat; an verò ipso facto recedat de possessione, vt alter ingrediatur & occupet; si id in fraudem, seu dolo malo faciat.

3 His adde; Quòd idem locum etiam habet in actore, si causa iudicij mutandi actionem suam in potentiorem dolo transtulit, succurrendum ei esse per in integrum restitutionem, argum. c. seq. & tradit hic Abb. n. 6. quòd agere possit contra cedentem, & repetere, quanti suâ interest, actionem in alium translatam non esse; quamuis etiam possit cessionem repellere per exceptionem, quòd alienatio in ipsum mutãdi iudicij causa facta fuerit, iuxta l. penult. vbi Bart. n. 1. ff. hoc tit.

Aduerte secundò, Cùm hic agitur de alie- 4
natione iudicij mutandi causa, supplendum esse *futuri*. Nam si lite intentata, seu cœpta res litigiosa alienetur, alienatio ipso iure irrita est, ita vt vitium litigiosi vnà cum re ad quemuis possessorem, quamuis ignorantem, transeat, ab eóque vindicari possit, perinde ac si nihil actum fuerit, l. 2. C. de litigiosis, & docet Couar. in pract. qq. c. 15. n. 7. Qui autem rem litigiosam alienauit, & qui alienatam sciens accepit, subiecti sunt pœnis, de quibus habetur l. vlt. C. de litigiosis.

Circa hoc autem c. dubitari potest; Vtrùm in eo aliquid speciale contineatur, quod iure ciuili expressum non fuerat. Videtur esse negandum; cùm solùm decernatur, rem futuri iudicij mutandi causa alienatam, & translatam ad eius ad restitutionem, remota appellatione, cogi posse. Id verò expressè cautum fuit, l. vn. C. hoc tit. & tradit Gl. hic ver. commutationem, Durand. in speculo, lib. 2. p. 1. tit. de cess. actionis, §. 1. n. 14. Quòd facta alienatione rei mutandi iudicij, non tantùm qui alienauit, actione in factum conueniri possit, sed etiam possessor rei vindicatione. Sed contrarium colligitur ex verbis c. huius, prouidere volentes, & tradit hic Abb. n. 2.

Ad obiectionem respondetur; Legibus ciuilibus statutum esse, vt possessor rei ita alienatæ conueniri possit coram suo Iudice, non item coram alieno. Hic autem prouidetur, vt etiam corã alieno, videl. coram delegato conueniri possit, ratione rescripti impetrati non contra ipsum, sed contra alienantem. Specialis itaque prouisio in hoc consistit, quòd licèt alioquin rescriptum non extendatur ad successorem singularem, cùm ordinariè rescriptum non debeat extendi vltra personam expressam, c. P. & G. 40. de offic. delegati; excipitur tamen iste casus: Si quis ob timorem rescripti contra se impetrati, & causa mutandi iudicij per fraudem rem alienauerit, hoc casu possessor si fraudis cõscius fuit, vigore eiusdem rescripti conueniri possit. Fit itaque extensio rescripti hoc casu,

casu, ob scientiam & dolum possessoris, vti colligitur ex verbo *in possessionem ingesserint*. Postea verò, cùm res alienata à possessore repetita fuerit, nihilominus actio competet ex hoc edicto, vt reliquum damnum & expensas resarcire cogatur is, qui mutandi iudicij causa alienauit.

CAPITVLVM II.

Ex parte.

Paraphrasis.

Scabini, seu maiores oppidorum apud Hipretum quæsti sunt Gregorio IX. quòd emergentibus controuersijs inter laicos, cùm causæ ad tribunal seculare deferri deberent, Clerici dono, vel pretio actiones sibi cedi faciant, vt aduersarios ad Ecclesiasticum forum trahere possint, & emolumentum inde aliquod consequi. Quia verò huiusmodi litium cessiones, & emptiones Cæsareis legibus prohibitæ sint, adeò vt causam amittere debeant ij, qui potentiorum patrocinium aduocare præsumunt: Et quia eiusmodi actionum mercationes odiosæ sint; cùm ex fonte cupiditatis procedere soleát; ideò mandat Papa quibusdam Iudicibus, vt dictos Clericos ab eiusmodi præsumptione per Ecclesiasticam censurá abstinere cõpellant.

Svmmarivm.

1. *Non potest potentior ratione officij vel potestatis alieno vel suo nomine causam in iudicium adductam agere; pœna est, vt causà cadat, qui eius patrocinium adducit, vel actionem ei per fraudem cedit, & cessio effectu careat.*
2. *Si cessio alteri, quàm potentiori, dolosè tamè & simulatè fit, nullius efficaciæ est.*
3. *Vt sit alienatio rei vel actionis prohibita, debet res vel actio ad rem nondum cœpto iudicio, sed metu futuri iudicij esse alienata.*
4. *Prohibetur, ne res, vel actio litigiosa in alium transferatur; hoc enim casu alienatio, etiam cœpta lite, iure ciuili irrita est.*
5. *Res efficitur litigiosa actione reali per citationem expeditam, & lite iam cœpta; qua pendente, res & actio inutiliter alienatur.*
6. *Per vltimam voluntatem seu legatum res aut actio litigiosa in alterum transferri potest: quo casu, non legatarius, sed hæres litem prosequi potest, licèt commodum ad legatarium pertineat.*
7. *Per vltimam voluntatem actiones & lites Clericis cedi, seu legari possunt.*
8. *Neque ijs absolutè prohibitum, ne actiones personales seu iura creditorum emant; multò minùs ne dono accipiant, sed ne id per dolum fiat causa mutandi iudicij; vel reales actiones in iudicium deductæ emantur.*
9. *Dedecent etiam Clericos nundinationes actionũ personalium, si dubiæ sint, & si cum scandalo & periculo peruertendi iustitiam fiant. Subcensura prohiberi possunt.*

PRo intellectu aduerte; Distinguendum esse inter tres modos alienationum Cæsareis legibus prohibitarũ. Primus est in tit. C. Ne liceat potentioribus; vbi duo prohibentur; Vnum, ne potentioris alicuius patrocinium impetretur ad causam in iudicio agendam; item, ne causa in iudicium deducta alicui cedatur, vt eam nomine suo prosequatur: Vno verbo, qui potentior est (intellige ratione officij, & potestatis) neque alieno, neq; proprio nomine causam in iudicium deductam agere potest. Pœna verò est, vt qui patrocinium potentioris adducit, causà cadere debeat, l. 1. C. eod. Et qui potentiori actionem cedit, causa itidem cadat, & cessio effectum non habeat, l. 2. C. eod. & dixi de hac re lib 3. Th. mor. tr. 4. c. 17. n. 32. Sed videri hîc potest Abb. n. 4. Specul. lib. 2. p. 1. tit. de cessione act. §. 1. n. 4. vbi monet, his legibus pœnalibus locum non esse, si quis potentiori etiam ratione potestatis seu officij, actionem cedat, aut vendat bona

fide, nō per fraudem seu opprimendi aduersarij causa. Quod & præsumi debet, si ex rationabili causa, aut necessitate cessio fiat.

2 Contrà verò accidere solet, vt tametsi venditio, aut cessio actionis non potentiori ratione officij, sed alteri facta sit, ex circumstantijs tamen dolosa seu simulata, ideóque nullius efficaciæ censenda sit: Vt si cessio facta sit magis priuilegiatæ personæ, quæ vexare possit. Vel si exiguo pretio actio vendita sit; vel partim donata, partim vendita. Qua de re extat l. vlt. C. Mandati, vbi videri potest Bartolus. Et plures causæ simulatæ ac prohibitæ cessionis videri possunt apud Durand. in speculo lib. 2. p. 1. tit. de cess. actionis, §. 1. n. 7. Abb. hîc n. 4. & seqq.

3 Alter modus est, Ne res, vel actio ad rem, nondum cœpto iudicio, sed metu futuri iudicij transferatur in aliam personam, videl. extraneam, vel quacunque ratione potentiorem, ita vt appareat dolo id actum, vt aduersarij conditio durior efficiatur. De hoc actum fuit in c. præc. & extat titulus ff. & Cod. de alienatione iudicij mutandi causa. Tertius verò modus est; 4 Ne res, vel actio litigiosa in alium transferatur, ff. & C. de litigiosis. Hoc casu alienatio ipso iure ciuili irrita est, vt nullo Prætorio remedio opus sit; exceptis casibus, quos videre potes apud Durand. in speculo, cit. §. 1. n. 5.

Hinc sequitur, quòd facta alienatione rei litigiosæ, perinde vt priùs in iudicio proceedatur; &, si Reus principalis condemnatus sit, contra nouum possessorem (siue is sciens, siue ignorans fuerit) executio fiat, absque nouo processu: quia sufficit cognouisse, lite iam cœpta alienationem factam fuisse, vti notauit Abb. c. seq. n. 8. Gaill lib. 1. obseruat. 118. n. 2. argum. cit. l. fin. Ratio est; Quia vt Cou. ait. cit. n. 7. Postquam res litigiosa effecta est, non potest eius status mutari quoad iudicij ordinem, & causæ cognitionem, neque potest litis cursus impediri, duriórue fieri conditio actoris.

QVÆRES: Quando lis cœpta censeri debet ad hoc, vt res tanquam litigiosa alienari non possit. Respondeo, de hac re extare Authent. Litigiosa, C. de litigiosis, secundùm quam distinguere oportet, interprete Cou. in pract. qq. c. 15. n. 6. quem sequitur Gaill l. c.

Si res petatur actione reali, ad pe- 5
tendum dominium vel quasi dominium, res litigiosa efficitur per citationem expeditam: Sin verò actione personali tendente ad rem tradendam, v. g. ex empto, tum litigiosa redditur per litis contestationem, iuxta l. 2. C. de litigiosis; quamuis non pauci velint apud Couarr. cit. loco, legem hanc, quod attinet ad actionem personalem, omnino sublatam esse per dictam Authent. ideóque rem nunquam effici litigiosam, nisi actio realis intentata sit.

His porro addendum; Quòd non tantùm Reus post cœptam litem, pendente controuersia, rem inutiliter alienet: sed etiam actor actionem suam, aut rem, super qua actionem habet, vti habetur in cit. l. 2. & l. vlt. & videri potest Baldus ead. l. 2. Mol. tr. 2. tom. 2. disp. 340. n. 8. vbi hæc eadem explicantur secundùm iura regni Lusitaniæ.

Veruntamen per vltimam voluntatem, 6
seu Legatum res, aut actio litigiosa in alterum transferri potest: hoc tamen casu legatarius litem prosequi non potest, sed hæres: commodum tamen, & vtilitas ad legatarium pertinebit: quia existimandum est, testatorem litis euentum legasse alteri voluisse. Quare cùm eius interest, liti adesse non prohibetur, vt collusionem fieri impediat, Auth. Nunc si hæres, C. de litigiosis. His intellectis

QVÆRITVR, Quidnam à Gregorio IX. hoc c. statutum sit, seu vtrùm vniuersim Clericis cessio actionum & litium fieri prohibeatur? Respondeo, & Dico I. Per vltimam volun- 7
tatem actiones, & lites Clericis cedi, seu legari possunt. Partim quia hoc nullibi prohibitum reperitur, sed absolutè concessum in l. nomen, 34. ff. de legatis, 3. partim quia cessat præsumptio fraudis; cùm moriturus censeatur esse memor salutis suæ, vti Abb. hîc notat in fine c.

Dico II. Clericis absolutè non est prohi- 8
bitum, ne actiones personales, seu iura creditorum emant, multò minùs ne dono accipiant, sed ne id per dolum fiat causa mutandi iudicij;

iudicij; v. g. si talis causa, aut loci consuetudo sit, vt reus sequi debeat forum actoris; vel si Clericus, videl. Prælatus ratione potestatis cõpescere possit reum sibi subditum. Qua de re videri potest Durandus in speculo, cit. §. 1. n. 13. Bartolus in l. 3. ff. hoc tit. Item, ne actiones in iudicium deductæ reales eman-

Præterea dubitari non potest, quin 9
actionum etiam personalium, dubiarum, seu incertarum mercationes Clericos valdè dedeceant; ideóque si cum scandalo, & periculo peruertendi iustitiam fiant, sub censura ipsis prohiberi possunt, vti colligitur ex isto c.

TITVLVS XLIII.

DE ARBITRIS.

SVMMARIVM.

1. *Arbiter (latiùs sumendo hoc nomen) idem est, quod arbitrator; strictè autem accipitur pro eo, qui ex legis præscripto seu partium conuentione de causa controuersa suum arbitrium pronunciat, quo partes stare debeant.*
2. *Sunt autem arbitri alij iuris, qui & necessarij vocantur; alij verò voluntarij seu compromissarij.*
3. *Inter vtrosq; varia discrimina sunt. I. Arbitri iuris cogi possunt ad suscipiendum hoc munus, non item compromissarij.*
4. *II. Arbitri iuris iurisdictionem habent, ideóque omnia agunt vt Iudices; Compromissarij nullam habent iurisdictionem; vnde etiam, vt eorum arbitrium distinguatur à Iudicis sententia, vocatur illud* laudum.
5. *III. Ab arbitris iuris appellari potest à cõpromissarijs autem tantùm fieri potest reclamatio seu petitio, vt arbitrium reducatur ad iustitiam.*
6. *Duplex genus est arbitrorum compromissariorum; vnum eorum, qui ordinem & formam iudicij seruare tenentur; alterum eorum, qui sine hoc ordine & forma iudicio ex æquo & bono de causa ipsis per compromissum commissa arbitrantur; & hi propriè vocantur arbitratores; illi arbitri.*
7. *Præter hos arbitros & arbitratores sunt alij; qui dicuntur amicabiles cõpositores, qui nõ tenentur, vt illi secundum terminos iuris & merita causæ pronunciare, sed principaliter attendere ad pacem inter partes stabiliendam.*

ARbitri nomen ab arbitrando 1
dictum est, vt idem sit arbiter, quod arbitrator, seu existimator. Sed strictiùs nomen arbitri accipitur pro eo, qui ex legis præscripto, aut partium conuentione suum arbitrium circa controuersiam aliquam pronuntiat, quo partes stare debeant.

Sunt autem alij arbitri iuris; qui & ne- 2
cessarij dicuntur, quia ex legis, aut statuti necessitate seu à iudice, seu à partibus constituendi sunt, vt videre est in c. suspicionis, 39. de offic. deleg. c. ab arbitris, 11 eod. in 6. c. si Clericus, 11. q. 1. Alij verò sunt arbitri voluntarij seu compromissarij, qui ex libera partium voluntate ac compromisso constituuntur.

Inter vtrosque arbitros varia discrimina 3
sunt, potissimùm ista: I. Arbitri iuris, cùm

ex præscripto legum eligendi sunt, compelli possunt ad suscipiendum hoc munus, vti docet Mol. tr. 5. de iust. disp. 23. n. 10. Sed arbitri compromissarij liberè suscipiunt, aut respuunt compromissum, postquam verò (interueniente stipulatione secundùm ius ciuile, aut nudo pacto secundùm ius canonicum, & in conscientiæ foro) acceptarunt compromissum, tunc procedere, & arbitrium dicere coguntur, l. 3. §. 1. ff. de receptis arbitris. Præterquam, si necessarium eis impedimentum incidat, vt inualetudinis, propriorum negotiorum occupatio, profectio vrgens, inimicitiæ capitales inter arbitrum & litigatorem &c. tum causa cognita, excusatio recipietur, l. licèt, 15. ff. eod.

4 II. Arbitri iuris iurisdictionem habere censentur, ex lege ipsis competentem, ideóque vt veri Iudices omnia agere possunt, quæ ad causæ definitionem necessaria sunt, videl. partibus terminum, etiam peremptorium, præscribere, citare & compellere testes, atque inobedientes punire, argum. cit. c. suspicionis, vbi id notat Gl. ver. ad quos omnia, Abb. n. 3. At verò arbitri compromissarij iurisdictionem nullam habent; cùm eâ à partibus accipere non possint: quare nec testes ad comparendum compellere, aut punire possunt, neq; partibus contendentibus imperare, nisi quatenus se per compromissum liberè astrinxerunt. Quamobrem eorũ arbitrium vt à Iudicis sententia destinguatur, *laudum* à Doctoribus appellari solet. Atque tota eorum potestas à partibus compromittẽtibus deriuatur, vt de nulla re statuere possint, nisi de qua compromissum, & quatenus compromissum est, l. non distinguemus. 32. §. de officio, ff. eod.

5 III. Ab arbitris iuris appellari potest, cùm veri Iudices sint, cit. c. ab arbitris: Sed à compromissarijs, seu voluntarijs arbitris appellari nequit. l. 1. C. de receptis arbitris, l. nó distinguemus, 32. §. cùm quidam ff. eod. Cuius ratio est, quia sponte se obligarũt partes ad standum arbitrio, seu laudo: ergo illud refutare non debent. Si tamen arbitrium seu laudum manifestam iniquitatem continere videatur, multò magis si arbitri per dolum, collusionem, seu ex falsis probationibus processisse noscantur, tum contra partem aduersariam, si executionem arbitrij seu in iudicio coram ordinario Iudice, seu extra iudicium petat, exceptio de dolo opponi potest, cit. l. non distinguemus. §. cùm quidam. Quamobrem breuiter dici potest, tametsi à laudo arbitrorum non detur propriè appellatio, posse tamẽ fieri reclamationem, seu petitionem, vt arbitriũ reducatur ad iustitiam, secundùm boni ac prudentis viri iudicium, sicuti dicetur infrà in c. per tuas, 9. hoc tit.

Arbitrorum compromissorum duplex genus est, sicuti videre est apud Abb. in c. Quintauallis, n. 7. de iureiur. Syl. ver. arbitror, q. 1. 6
Vnum eorum, in quos seu expressè, seu tacitè ita compromissum est, vt ordinem ac formam iudicij seruare teneantur, ita vt coram eis libellus offerri, lis cõtestari, & reliqua obseruari debeant, quæ ad iudicium requiruntur: Et de hoc compromisso sermo est in l. 1. ff. eod. vbi dicitur, quòd compromissum ad similitudinem iudiciorum redactum sit. Interim verò non prohibentur partes etiam his arbitris aliquid de solemnitate seu forma iudicandi remittere; cùm omnis eorum potestas à partium voluntate pendeat, ac mensuretur. Idque colligitur ex l. diem, 27. §. Si quis litigatorum, ff. hoc tit. & ex communi docet Molin. tr. 5. disp. 33. n. 1.

Alterum verò arbitrorum genus est, in quos à partibus, præsertim circa contractus perficiendos, aut damna illata resarcienda ita compromittitur, vt non obseruato iuris ordine, sed cognitâ & examinatâ causâ, sicuti ipsis visum fuerit, arbitrentur. Vt si duo consentiant, agrum eo pretio venditũ ac emptum esse, quod Titius eo inspecto æstimauerit, seu arbitratus sit: Vel vt pro vulnere illato lædens tantum dare debeat, quantum eo inspecto, arbitratus fuerit Caius. Et hi extra iudicialem indaginem, seu non secundùm iudicij formam arbitrantes, proprio vocabulo à DD. appellari solent *arbitratores*, & eorum sententia *arbitramentum*: Qui verò secundùm formam iudicij procedunt, & de

quibus

quibus tit. ff. & C. de receptis arbitris frequens mentio est, ij propriè arbitri appellãtur, & eorum sententia *arbitrium*, seu *laudũ*. Quamuis in iure ipso inter hæc vocabula *arbitri*, & *arbitratores*, nullum discrimen reperiri, rectè monuerit Molin. disp. 38. n. 10.

Aliud discrimen inter arbitros ita strictè acceptos, & arbitratores afferunt Bartol. in l. societatem, §. arbitrorum, ver. In summa hoc habet, ff. pro socio, Abb. in c. Quintauallis, de iureiur. n. 29. & 30. Quòd sententia arbitratoris, ad petitionem partis, propter iniquitatem seu læsionem enormem reduci debeat ad æqualitatem secundùm boni viri arbitrium, non item sententia arbitri; sed ea obseruari debeat, siue æqua, siue iniqua sit; dummodò dolus absit. Verùm hæc doctrina in iure fundata non est, sicuti rectè ostendit Mol. disp. 30. ex l. in proposita, 78. & seq. ff. pro socio, & l. si libertus ita, 30. ff. de operis libertorum, quibus locis generatim dicitur, non esse mentem compromittentium in arbitrum stare eius iudicio, si iniquè arbitratus fuerit. Præterquam, si expresè conuentum fuerit, vt arbitrium, qualecunque fuerit, seu æquum, siue iniquum, acceptetur, iuxta cit. l. societatem, §. arbitrorũ. Verùm in dubio id nunquam præsumendum, sed potiùs ita in arbitros qualescunque conuentum, vt ita arbitrentur, sicuti virum bonum arbitrari oporteret, iuxta cit. l. si libertus.

7 Porrò præter dictos arbitros, & arbitratores, quorum vtrique arbitrium ferre debent secundùm merita causę ipsis commissæ, aliqui sunt, qui dici propriè solent compositores amicabiles, quibus hoc proprium est, quòd non præcisè secundùm terminos iuris, aut causæ merita pronuntiare debeant, sed principaliter attendere ad pacem & concordiam inter partes stabiliendam, eiúsque ratione vni parti aliquid demere, & alteri adiudicare, dummodò id fiat absque læsione magna. Tales compositores (qui quandoque etiam arbitratores appellari solent, vti dixi lib. 4. tr. 5. c. 11. n. 6.) in duplici genere sunt, sicuti bene annotauit Mol. disp. 30. num. 9. Alij compromissarij, seu in quos partes cõpromittunt, volentes inter se amicabiliter componi ad concordiam stabiliendam. Alij autem non compromissarij, qui non præcedente partium sponsione, seu pacto, sponte, vel aliorum suasu, aut mandato v. g. Principis accedunt ad compositionem amicabilem proponendam, in quam sperant partes consensuros, ne litibus diu fatigari eos necesse sit, iuxtà Authent. Si verò, C. de iudicijs. Et hi compositores, proxenetæ similes sunt, seu mediatoribus; non item propriè arbitri aut arbitratores dici debent, vt colligitur ex l. Pomponius, 13. § recepisse, ff. hoc tit.

Ante tractatum autem de iudicijs, placuit IC. agere de arbitris; partim quia arbitria ad iudiciorũ formam redacta sunt, l. 1. ff. de recept. arbitris, partim quia sicuti suprà præmissum fuit de pactis & transactionibus, per eas non rarò lites terminantur, vt ad iudicium venire necesse non sit, ita etiam lites plurimæ per arbitros componi solent. Quare de vtriusque transactionibus & compromisso ante iudicia præmittitur.

CAPITVLVM I.

Sanè.

PARAPHRASIS.

Statuit Concilium Africanum, si inter Episcopos controuersia oriatur, eámque per arbitros definiri consentiant, vt vel vnus eligatur, vel tres; ita vt quod omnibus, vel duobus placuerit, id ratum sit.

SVMMARIVM.

1. *Controuersia communi consensu partium committi potest arbitris definienda, non tamen debet, nisi in certis quibusdam casibus.*
2. *Consultius est, vt in arbitros numero impares compromittatur; potest tamen etiam in numero pares.*
3. *Et eis discordantibus statur sententiæ maioris partis; necesse tamen est, vt omnes præsentes sint.*

NOTANDVM I. Si aliqua controuersia orta sit, partes communi consensu arbitris eam definiendam committere pos- 1

sunt. Sed non coguntur; nisi vel municipale statutum, aut familiæ pacta ita præcipiant; aut lex communis in aliquo casu iubeat, vt in c. suspicionis, 39. de offic. delegati.

2 NOTANDVM II. Consultius est, vt arbitri impari numero assumantur, quàm pari. Potest tamen etiam in arbitros pares numero compromitti, sicuti infrà dicetur, & videri potest Gl. hìc ver. vnus eligatur.

3 NOTANDVM III. Si tres, plures ue arbitri constituti sint, & inter se dissentiant, standum est sententiæ partis maioris. Ita etiam habetur in c. 1. eod. in 6. vbi id notat Gl. magna. Necesse tamen est, vt omnes præsentes sint, quando quidem ita dati sunt, vt tres, non duo arbitrentur. Quare vno eorum absente, tametsi reliqui consentiant, non valet arbitrium; cit. l. Item si, §. Celsus, & l. seq. Quemadmodum neque pluribus delegatis iudicibus, sententia valet, nisi omnes præsentes sint, quia omnes iudicare iussi sunt, l. duo ex tribus 39. ff. de sententia, & re iudic. Et quod maior pars totius numeri statuerit, id perinde censetur, ac si omnibus placuisset, l. quod maior 19. ff. ad Municipalē. Vide Gl. hìc ver. aut duorum, & quæ dicentur in c. 2. eod. in 6.

CAPITVLVM II.

Non sine.

PARAPHRASIS.

Robertus Archidiaconus in Ecclesia S. Alphridi sacellanum instituit Alanum: mortuo Roberto nepos eius (ex fratre) Marcus, qui Roberto successerat, Alanum denuo instituit, seu potiùs confirmauit: sed postea multis eum exactionibus indebitis grauauit; ac denique Capellaniâ cedere voluit, promissis ei quinque marchis argenti pro annua pensione; sed cùm Alanus morem gerere nollet, eum Capellaniâ spoliauit. Cùm verò Alanus exul iustitiam obtinere non posset, nec suam vlterius inopiam sustinere, Marcus per fraudem extorsit à dicto Alano, vt iuratus consentiret in duorum clericorum super hac re arbitrium. Hi Marco fauentes iusserunt, vt acceptis quinque argenti marchis lite ac iure suo cederet. His intellectis, mandat Alexander III. Archiepiscopo Eboracensi, si cognouerit dictos clericos tam nequiter arbitratos esse, Presbyterum Alanum ab obseruatione iuramenti Apostolica auctoritate absoluat: Sin autem arbitrium seu laudum illorum æquum esse intellexerit, vtramque partem ad eius obseruationem, postposita appellatione, compellat.

SVMMARIVM.

1. *Cui beneficium, vel quæuis gratia collata est, potest eius collationem iterum petere, neque ideo primæ renunciat.*
2. *Si appareat dolus, vel iniquitas in laudo, non est necesse illud obseruari, sed potest opponi exceptio, si pars altera arbitrij executionem petat.*
3. *Arbitrium de danda re temporali pro iure beneficiali simoniacum est, ideòque non obseruandum.*

NOTANDVM I. Is, cui beneficium, 1
vel quæuis gratia collata est, potest iterum eius collationem petere. Nec propterea videtur renuntiare primæ, aut eius inualiditatem agnoscere; cùm id facere possit ad cautelam; si fortè prior collatio non sufficiat, aut defectu aliquo laboret, vt tutior sit per secundam. Ita significat Gl. hìc ver. ordinauerit, & docet Abb. hìc not. 3.

NOTANDVM II. Si appareat dolus, seu ini- 2
quitas in laudo arbitrorum, necesse non est illud obseruare, cùm possit opponi exceptio de dolo, si pars altera arbitrij executionem petat, l. non distinguemus, 32. §. Cùm quidam, de receptis arbitris & l. 3. Cod. eod. & colligitur ex textu isto, secundùm vnum eius intellectum; Quòd arbitrium reprobatum fuerit, quia dolus, & fauor erga alteram compromittentium partem ei causam præbuit.

NOTANDVM III. Si arbitri pronuntient 3
aliquid temporale dandum esse pro dimittendo iure beneficij spiritualis, tale pronun-

statum

tiatum, seu laudum simoniacam pravitatem continet, ideóque observandum non est. Ita habetur in c. vlt. de rer. permut. & sumitur ex hoc c. secúdùm alterum, eúmq; textui magis conformem intellectum: quia clerici illi adeò nequiter arbitrati sunt, vt simoniacam commutationem imperarét: vnde iudicatum est, eorum laudum obseruandũ non esse; & à iuramento absoluendum esse Alanum, seu (vt Gl. hîc interpretatur) potiùs declarandum iuramenti obligatione eum non astringi; cùm is nec voluerit, nec potuerit se obligare ad obseruándum laudum simoniacum. Idémque sentiendum de quouis laudo, si eo præcipiatur, quod sine peccato fieri non potest, esse ipso iure irritum.

Obijcies: Quòd arbitri, sicuti & iudices, in lite beneficiariâ vni beneficium adiudicare possint, eúmq; grauare, vt pro bono pacis pecuniam parti alteri persoluat, iuxta c. nisi, 21. de præb. Respondeo; Id verum esse, si duo ponantur: I. Quòd compromittentes expressè, aut tacitè voluerint, vt arbitri tanquam amicabiles compositores procedant. Secundò, quòd præsumi aliquo modo possit, talem compositionem pro bonis pacis ac cõcordiæ decerni. At verò in nostro casu, si narrata vera fuerunt, præsumptio contraria aderat, videl. pecunias offerendas esse pro iure beneficij, quippe quod indubiè competebat Alano, cùm iniquè spoliatus fuerit. Cæterùm, quia fortasse arbitri ostendere poterant, rem aliter se habuisse, & argenti marchas non pro beneficiali iure, sed concordiæ causa ob dubium litis euentum imperatum fuisse, ideo subiunxit Pontifex, si arbitrium æquitate subnixum fuerit, obseruandum fore. Ita Abb. hîc n. 10. & 14. Vide quæ dixi c. super eo, 7. de transact.

CAPITVLVM III.

Peruenit.

PARAPHRASIS.

Cùm Gaspar Guilielmi Clerici sororem duxisset, Guilielmus in dotem promisit mulieri, se quinque solidos sterlingorum annuatim daturum esse. Sed quia super hac promissione controuersia inter illos orta fuit, in quatuor arbitros compromiserunt: Illi arbitrati sunt, quòd Gaspar decimas, quas Clericus in parochia illius sitas habebat, pro solidis illis percipere debeat. Hoc intellecto, Alexander III. Gasparem moneri, & Ecclesiasticâ censurâ compelli, vt decimas illas dimittat, & nihil ex ijs sibi vendicare præsumat; propterea quòd tale arbitrium Ecclesiæ in futurum posset esse pernicioſum: Guilielmo autem clerico persuadeatur, vt cum dicto Gaspare amicabiliter rem componat.

SVMMARIVM.

1. *Laudum cedens in detrimentum Ecclesiæ non valet; eiúsque executionem Prælatus impedire debet.*
2. *Decimæ in dotem dari non possunt.*
3. *Ecclesiæ succurrendum in periculo grauaminis præsentis, & futuri.*

NOTANDVM 1. Non valet arbitrium, 1
seu laudum, si in detrimentum seu præiudicium Ecclesiæ tendat. Et ad Ecclesiæ Prælatum pertinet, se opponere, & executionem laudi impedire. Sed quare hoc laudum Ecclesiæ pernicioſum esse potuit in futurum? Resp. cum Gl. hîc, ver. existere. Quia si clericus durante illo matrimonio mortuus fuisset, decimæ dotis nomine datæ recuperari facilè non potuissent à Gaspare: quæ res in detrimentum Ecclesiæ, & successoris in beneficium redundasset, iuxta ea quæ dicta sunt in c. veniens, 8. not. 2. de transact. Ita explicat Innocent. hîc. Ex quo colli- 2
gitur; Tametsi beneficiatus decimas alteri vendere, aut locare possit ad vitam suam arg. cap. 2. de locato, non posse tamen eas filiæ, vel sorori suæ dare in dotem. Quia dos dari debet, vt saltem toto matrimonio duret: quod beneficiatus promittere non potest, cùm nesciat, se tamdiu victurum esse. Accedit aliud absurdum; quòd is, cui decimæ locatæ, aut venditæ sunt, eas percipiat loco, ac nomi-

nomine clerici, ad quem ius radicale pertinet. At verò maritus fructus dotis percipit & administrat nomine, ac loco vxoris suæ: quare inconueniens videtur, vt decimæ clericales marito in dotem dentur, sicuti Ioan. Andr. hîc notat n. 6.

3 NOTANDVM II. Ecclesiæ succurrendum est non tantùm si timeatur grauamen de præsente, sed etiam, si in futurum. Exemplum affert Abb. hîc num. 4. Ecclesia fundum pro iusta pensione locauit alicui potenti, à quo probabiliter timetur; futuro tempore pensionis solutionem difficilè impetrari posse; videtur illi concedenda restitutio in integrum, propter dictum periculum.

CAPITVLVM IV.

Dilecti.

PARAPHRASIS.

Inter Abbatem & Conuentum Ordinis Cistercienſis, atque Hospitalarios controuersia erat de vsu cuiusdam nemoris: Compromissum fuit à partibus in Reginam Galliarum. Ea intellectis causæ meritis, arbitrium seu laudum, adhibito Episcoporum quorundam consilio, pronuntiauit. Sed Hospitalarij putarunt sibi obseruandum non esse; eò quòd fœmina arbitrium dicere non possit. Ad hoc respondit Innoc. III. Licèt fœminæ secundùm iura à publicis muneribus remotæ sint; & in l. vlt. C. de arbitris specialiter caueatur, vt mulieres, quantumcunque præcellentes aut sapientes sint, arbitrium dicere nõ possint; & adeò quidem, vt neque liberti, si in patronam sub pœnæ stipulatione promiserint, arbitrium seruare, aut pœnam soluere teneantur; Quia tamen iuxta approbatam consuetudinem, quæ in partibus Gallicanis pro lege obseruatur, fœminæ præcellentes in suos subditos iurisdictionem exercent; ideò Hospitalarios cogendos esse, vt dictum arbitrium, præsertim cum Episcoporum cõsilio, prouidè latum obseruent, sub pœna in compromisso per mutuum consensum constituta.

SVMMARIVM.

1. *Fœminæ ab omnibus officiis ciuilibus ac publicis remotæ sunt; nisi ad eas iure proprio pertineat regnum, ducatus, aut comitatus, aut per consuetudinem regionis ob coniunctionem cum rege aut duce iurisdictionem aliquam ab ipso participent, vt iudicare possint.*
2. *De communi iure fœmina non potest dicere arbitrium; potest tamen in eam compromitti, vt arbitratrix sit in aliquo v.g. contractu, vel controuersiam amicabiliter componat.*
3. *Pactum iuratum, quòd duo velint stare arbitrio fœminæ, ligat.*
4. *Clerici, & Ecclesiarum Rectores in causis temporalibus possunt validè compromittere in laicum, appositâ etiam pœnâ.*

NOTANDVM I. Fœminæ ab omnibus officijs ciuilibus, ac publicis remotæ sunt: quare nec iudices esse possunt, nec magistratum gerere, nec pro alio in iudicio postulare, nec procuratores existere, vti habetur reg. 2. ff.

Excipitur primò: Si ad mulierem iure proprio, v.g hæreditario, pertineat regnum, ducatus, aut comitatus; tum iurisdictionem ipsamet spectato communi iure, exercere potest, sicut hîc docet Innoc. n. 1. & constat ex ijs, quæ dixi lib. 1. tr. 4. c. 8. n. 4. & 5.

Excipitur secundò: Nisi consuetudo regionis obtinuerit, vt mulieres præcellentes, ob coniunctionem cum marito Rege, aut Duce, non tantùm dignitatem, sed etiam iurisdictionem aliquam ab ipso participent, ita vt inter suos iudicare possint.

NOTANDVM II. Cùm fœmina secundùm leges communes iudicis officio fungi non possit, sequitur quòd nec arbitrium dicere possit: quandoquidem arbitria ad iudiciorum similitudinem redacta sunt, l. 1. ff. de arbitris. Et vice versa, si fœminæ secundùm regionis consuetudinem, aut alio iure liceat

liceat iudicare, consequenter etiam arbitrari. Ex quo colligit Abb. hîc n. 5. quòd consuetudo præscripta extendi debeat de casu ad casum, omnimodè secundùm iura æquiparatum, sicuti in simili dixi in c. bonæ, 4. de postul. Prælatorum.

2 Veruntamen licèt mulier spectato communi iure, non possit dicere arbitrium, quippe quod veluti ius facit; & sententiæ iudicialis auctoritatem habet, potest tamen in mulierem compromitti, vt in aliquo contractu arbitratrix sit, vel in controuersia amicabiliter componat: cùm tale arbitramentum, vel compositio extraiudicialis censeatur, neque secundùm iuris terminos fieri debeat.

3 Qværitvr hîc; Si partes cum iuramento consenserint in mulierem, quòd eius arbitrio stare velint, vtrùm ad hoc obligentur. Negat hîc Abb. n. 2. Cùm enim potestas, & officium arbitri inter ciuilia & publica numeretur, non potest à partibus conferri mulieri, quæ secundùm iura incapax est: quandoquidem priuatorum pactis non potest iuri publico derogari, c. si diligenti, 12. de foro compet. Sed placet magis, quod tradit hîc Beroius n. 6. Licèt arbitrium obseruandum non sit ex vi sententiæ, tanquam habentis auctoritatè iuris, sicuti rectè ostensum fuit, & colligitur etiam ex l. 3. ff. de iurisdict. omnium Iudicum; nihilominus obseruandum esse ex vi pacti iurati: cùm tale pactum, quòd duo velint stare arbitrio fœminæ, non sit contra bonos mores naturales, siue non contineat peccatum, iuxta ea quæ dixi lib. 4. tr. 3. c. 6. assert. 6. Videri potest Gl. in l. 2. ver. non fuit, C. Communia vtriusque iudicij.

4 Notandvm III. Clerici, & Ecclesiarum Rectores in causis temporalibus compromittere possunt in laicum, apposita etiam pœna. Qua de re infrà.

CAPITVLVM V.

Cùm tempore.

Paraphrasis.

Ortis controuersiis inter Abbatem de Pigrauia ex vna parte, & Episcopum Merspergensem, & dicti Abbatis Monachos quosdam ex altera parte, super ijs, fide inuicem data, à partibus compromissum fuit in Archiepiscopum Magdeburgensem, tanquam arbitrum: Quare præcipit Innoc. III. vt arbitrium seu laudum Archiepiscopi obseruetur, ijs exceptis capitulis, quę contra libertatem, & exemptionem Monasterij, ac capellarum eius in arbitrio expressa fuerunt. Nam tametsi Abbas vltrò vellet, tamen nequaquam posset absque Romani Pontificis licentia renũtiare priuilegijs ac indulgentijs, quibus indicatur Monasterium illud ad ius & proprietatem Ecclesiæ Romanæ pertinere.

Svmmarivm.

1. *Laudum irritum quoad aliqua capitula, potest quoad alia esse validum.*
2. *Ecclesia exempta, & Sedi Apostolicæ immediatè subiecta, priuilegiis suis absque Pontificis auctoritate renunciare non potest.*
3. *Definiri potest per arbitros controuersia de capella seu parochia, vtrùm pleno iure incorporata & subiecta sit Monasterio.*
4. *Qui rem alienare, aut iuri suo renunciare non possunt, ij nec compromittere possunt.*

Notandvm I. Si laudum, dictum super pluribus capitulis, quoad vnum capitulum rescindi, aut iure ipso irritum iudicari debeat, ratum tamen manere debet quoad alia capitula, si inter se connexa non sint, sed independentia, iuxta iuris reg. 37. in 6. *Vtile per inutile non vitiatur*; dummodò vtile ab inutili separari possit. Et idem est in sententia Iudicis super pluribus articulis, vt si contra vnum articulum Minor v. g. restituendus sit, rescissa sententia quoad eum articulum, firma tamen maneat quoad alia non cohærentia, l. etiam, 22. §. ex causa, ff. de Minoribus. 1

Notandvm II. Ecclesia exempta, & Sedi Apostolicæ immediatè subiecta priuilegijs suis absque Romani Pontificis auctoritate 2

ritate renuntiare non potest. Rationem affert ipsemet Innoc. in textu: Quia talis renuntiatio cederet in præiudicium Romanæ Sedis, ad cuius proprietatem proximè, ac priuatiuè (id est, excluso omni alio Ordinario) spectat. De hoc dixi suprà in c. 2. de in integrum restit.

Veruntamen si principaliter non agatur de libertate seu exemptione alicuius Monasterij, & per consequens de annexis capellis: sed constito, quòd Monasterium v. g. exemptum sit, principalis controuersia sit de Capella seu Parochia, vtrùm iure pleno incorporata & subiecta sit Monasterio, tum litem per arbitros definiri posse, colligitur ex c. cùm olim, 18. de præscript. vbi id annotauit Abb. n. 8. & Innoc. hic, §. Hæc autem decretalis, Imola n. 6. Etenim nihil frequentius est, quàm vt per arbitros definiatur controuersia, inter duos Prælatos quasi Episcopalem iurisdictionem habentes exorta, seu de aliqua parochia, seu de iure eligendi, instituendi, &c. ad vtrum eorum pertinere debeat.

3 NOTANDVM III. Qui rem alienare, aut iuri suo renuntiare non possunt, ij nec compromittere possunt, arg. l. non solùm, 4. C. de prædijs Minorum. Quia per compromissum deueniri potest ad alienationem, seu renuntiationem. Quemadmodum nec vasallus super feudo compromittere potest absque licentia domini sui, secundùm Hostiens. in sum. hoc tit. §. De qua re possit, n. 7. Verùm hæc intelligenda sunt quoad certum effectum, ita videl. vt vis seu potestas compromissi non se extendat ad alienationem: Alioquin, absolutè loquendo, compromitti potest super rebus, aut iuribus, quę alienari non possunt: quia intelligitur, secluso periculo alienationis, vt hîc Anton. & Abb. notant num. 4. & in simili dixi lib. 3. tr. 4. c. 31. num. 4.

* * *

CAPITVLVM VI.

Cùm dilectus.

PARAPHRASIS.

Cùm Reus in iudicio conuentus actorem coram eodem iudice reconuenire posset, c. 1. & 2. de mutuis petition. videbatur, quòd idem etiam in arbitrio locum habeat. Sed Innoc. III. neganter respondet, propterea quòd arbitri de ijs tantùm iudicare possint, super quibus in ipsos compromissum fuit.

PARAPHRASIS.

1. *Coram arbitris reus conueniri non potest, potest autem coram iudice.*
2. *Est locus reconuentioni coram arbitris iuris.*
3. *Non autem coram iudice delegato, si is communi partium voluntate electus sit.*
4. *Arbitrium de ijs tantùm ferri debet, quæ in compromisso sunt comprehensa, vel cum ijs connexa.*

VEra, & adæquata ratio, cur in iudicio reconuentioni locus sit, non item coram arbitris, hæc reddi debet, ex doctrina Bartoli in Auth. Et consequenter, n. 20. C. de sent. & interlocut. Iudicum. Quia ad iudicem ordinarium, vel delegatum Reus trahitur inuitus ad instantiam Actoris: quare is conqueri non potest, si & ipse vicissim à Reo coram eodem Iudice conueniatur. At verò arbitri partium voluntate, ac conuentione eliguntur: quare non extenditur compromissum, nisi ad ea, quæ expressa sunt, & necessariò connexa. 1

Hinc sequitur primò: Quòd coram arbitris iuris, seu qui ex iuris dispositione eligi debent, v. g. si clericus contra Episcopum suum controuersiam moueat, c. si clericus, 11. q. 1. hoc casu reconuentioni locus esse debet, vti ex communi docet Abb. hîc n. 7. Molina tr. 5. disp. 44. n. 7. Vbi exceptionem affert, nisi arbitri eligantur ad certum causæ articulum 2

lum definiendum, v. g. vtrùm Iudex tanquam suspectus recusari possit, quippe quòd citò expediri oportet, ne progressus causæ principalis impediatur, c. 2. de appellat. in 6.

Sequitur secundò: Quod tradit Bartol. in cit. Auth. n. 21. Si iudex delegatus communi partium voluntate electus sit, non esse locum reconuentioni: quia sibi Reus conuentus imputare debet, quòd in petitione Iudicis causam reconuentionis non expresserit.

4 Porrò ex textu huius c. generalis doctrina notanda est: Quòd arbitrium, seu arbitramentum de ijs duntaxat ferri debet, super quibus compromissum est. Ita ver. Nisi de his: *Quia arbitria*, inquit, *stricta via incedunt, cum nihil extra compromissum facere possit arbiter*, l. non distinguemus, 32. §. vlt. ff. hoc tit. Veniunt tamen etiam ea, quæ dependentia seu necessariò connexa sunt: vti sunt fructus percepti ex re, super qua compromissum est, teste Ioan. Andr. hîc n. 6. Item si illi, cui res litigiosa adiudicatur, imperetur pecunia, quam parti alteri dare debeat in cõpensationem dubij sui iuris, secuti Molina explicat n. 6. Deinde, licèt arbiter partem mulctare non possit, v. g. propter contumaciam eius in parendo, nisi de pœna conuentum fuerit; potest tamen condemnare ad præstandas expensas & sumptus, vti idem Ioan. Andr. monet cit. loco. Denique potest diem solutioni assignare, iuxta l. Quid tamen, 21. §. Intra tantùm, & l. Celsus, 23. ff. eod. & tradit Gl. cit. Innocent. hic, & alij.

CAPITVLVM VII.

Cùm olim.

Paraphrasis.

Controuersia erat inter Priorem Ecclesiæ S. Bartholomæi, & Hospitalarios S. Bartholomei de iure eligendi Rectorem Hospitalis, quod Prior sibi competere dicebat. Ea causa Iudicibus delegata erat: in quos denique partes compromiserunt, tanquam in arbitros: Ii arbitrium tulerunt, atque in publico instrumento Romam miserunt ad Innoc. III. qui inspecta diligenter forma arbitrij, cognouit, quòd Prior teneatur cum fratribus Hospitalis tractare de idoneo Rectore, audito consilio eorum; ac postea aliquem eligere: Quapropter si is electionem alio modo instituerit, irrita iudicari debet: Sin verò præcesserit tractatus, seu consilium Fratrum auditum fuerit, tum Prior liberè eligere potest, quem voluerit, dummodò idoneum; siue Fratres in eundem consenserint, siue non.

SVMMARIVM.

1. *Partes compromittere possunt etiam in iudicem seu ordinarium seu delegatum.*
2. *Qui in expeditione alicuius negotij tenetur aliorum consilium exquirere, non propterea & illud sequi cogitur.*

NOTANDVM I. Partes compromittere etiam possunt in Iudicem, seu is ordinarius sit, seu delegatus, vti docet Gl. communiter recepta, c. cùm tempore, ver. Magdeburgensis Episcopi, hoc tit. & quoad iudicem ordinarium sumitur ex c. ex parte, 10. hoc tit. Confert autem tale compromissum ad hoc, vt à sententia appellari non possit. 1

NOTANDVM II. Qui ex lege, statuto, aut pacto in expeditione alicuius negotij tenetur adhibere consilium alterius, non propterea illud sequi cogitur. Ita etiam traditur in c. cùm in veteri, 52. iun. Gl. ver. expectatum, de elect. & dixi de hoc in qq. de elect. q. 89. & videri hîc potest Abb. n. 5. 2

CAPITVLVM VIII.

Contingit.

Paraphrasis.

In causa ecclesiastica compromitti non potest in laicum: cùm non deceat, vt laici de causis ecclesiasticis cognoscant, aut arbitrentur.

SVMMARIVM.

1. *Laicus vti non potest esse iudex in causa ecclesiastica, ita nec arbiter, nec arbitrator.*
2. *Ex plenitudine tamen potestatis papalis potest causa ecclesiastica committi laicis, & in eosdem compromitti.*

1 NOTANDVM Vn. Sicuti laicus non potest esse Iudex in causa ecclesiastica, c.2.de iudicijs,c.lator,5.Qui filij sint legitimi; ita nec arbiter, vel arbitrator. Quia vniuersim indecens est, si laici ecclesiastica ne-
2 gotia tractent. Excipitur tamen plenitudo papalis potestatis, per quam ecclesiastica causa laicis committi potest. Vide Gl. hîc, ver. spiritualibus, & quæ dicentur c. seq. At verò in causis Ecclesiarum, & Clericorum temporalibus compromitti posse in laicum, constat ex c.dilecti,4.hoc tit.

CAPITVLVM IX.

Per tuas.

PARAPHRASIS.

Controuersia erat inter Hospitalarios S.Ioannis, & Plebanum de Piscia, super Hospitali S. Allucij. Ea commissa erat Archiepiscopo Genuensi. Sed postea Procurator Plebani & pars aduersaria cum consensu Archiepiscopi compromiserunt in arbitros, clericum vnum, & duos laicos, interposito iuramento. Sed cùm arbitriũ pronuntiatum fuisset, & executioni mandandum per Archiepiscopum Pisanum ex Innocent. III. commissione, Plebanus se opposuit, tribus allatis rationibus: Prima, quia Procurator generale tantùm mandatum accepit, non autem speciale ad compromittendum, vel transigendum: Altera, quia Procurator non fuerat cum consensu Capituli institutus. Tertia, quòd arbitrium à duobus laicis vnà cum clerico fuerit pronuntiatum, quamuis cum consensu Archiepiscopi. Cùm hæc ad Innocentium relata essent, rescripsit ad Archiepiscopum: Si ex parte Plebani arbitrium approbatum, seu exomologatum fuit, ratum esse oportere, & executioni mandandum: Sin autem approbatum non fuit, tunc distinguendum; vtrùm pœna compromisso apposita fuerit, nécne: Si apposita, ad eam agi potest: sin nulla apposita pœna, tunc procurator conueniri poterit ad præstandum interesse; quia iuramento suo seipsum, non Ecclesiam obligare poterat. Quod verò obiectum fuit de duobus laicis, in quos vnà cum clerico compromissum erat, id nihil obstare debet; cùm id factum fuerit ex consensu & auctoritate Archiepisc. Genuensis, cui causa à Pontifice delegata erat.

SVMMARIVM.

1. *Qui transigere non potest, nec compromittere potest.*
2. *Arbitrari solus laicus in ecclesiastica causa (excepta plenitudine potestatis papalis) non potest; potest autem vnà cum clerico, accedente consensu ecclesiastici Prælati.*
3. *Si per stipulationem iure ciuili vel canonico per nudum pactum absolutè compromissum fuit in arbitros, actio competit, vt obseruetur arbitrium, vel pars nolens seruare soluat alteri parti, quanti eius interest.*
4. *Nisi compromittens approbauerit laudum, tunc indistinctè seruari debet.*
5. *Aut manifestam iniquitatem laudum contineat; tunc pars altera intra decem dies reclamando actionem competentem compromittentis debilitat.*
   Reclamatio autem hac fieri debet apud proprium iudicem reclamantis.
6. *Si fuit compromisso pœna apposita, licet compromissori à sententia recedere, sed pœnam soluere cogitur.*
7. *Excipe 1. Nisi expresse sententia arbitri ab eo approbata fuerit: quo casu stare eâ cogitur, nec sufficit pœnam soluere.*
8. *Excipe secundò: Nisi adiecta sit clausula, vt nihilominus arbitri sententia rata ma-*

ta maneat: tunc enim transgressor ad compromissi obseruantiam, & ad pœnam cogi potest.

9. *Iuramentum obligat ipsum iurantem personaliter, non aliam personam, nisi habeatur speciale mandatum iurandi in animam alterius.*

10. *Si procurator absque mandato compromisit, contra ipsum executio fieri potest.*

11. *Si compromissor iurauit, se arbitri sententiâ staturum esse, ex tali iuramento iure ciuili nulla tribuitur actio, secùs de iure canonico.*

12. *Si compromissoris iurantis intentio se extendit etiam in eum casum, vt se obligare voluerit ad standum arbitrio, etsi illud iniquum foret, tunc reclamare poterit; secùs est, si intentio saltem habitualis se eousque non extendit, vel dubium sit, an se eousque extenderit.*

13. *Iuratus compromissor satisfacit, si interesse præstet.*

14. *Satisfacit etiam, si pœnam soluat, in casu quo compromissum, cum pœna violatori adiecta, iuramento confirmauit.*

1 NOTANDVM I. Qui transigere non potest, is nec compromittere: cùm par sit vtriusque ratio, atq; ad eundem effectum tendant. Ita Imola hic, n. 2. Abb. in c. exposita, n. 3. eod. tit. & videri potest c. qui ad agendum, 4. iun. Gl. ver. vel paciſci, de Procurat. in 6.

2 NOTANDVM II. Licèt laicus, si solus sit, super causa Ecclesiastica arbiter deputari non possit, excepta plenitudine potestatis Papalis, tamen vnà cum clerico super tali causa arbiter constitui potest, si Ecclesiastici Prælati assensus accedat, vt hîc apparet.

Dices: Igitur Episcopus laico, vnà cum Clerico causam Ecclesiasticam delegare poterit iudicandam. Respondeo cum Ioann. Andr. hic n. 12. Gl. in c. præc. ver. spiritualibus, Abb. ibid. n. 4. negandam esse conseq. Nam iudicare in causa spirituali, seu Ecclesiastica est actus iurisdictionis spiritualis, quæ in laicum cadere non potest. Sed arbitrium, sicuti & consilium suum proferre super causa Ecclesiastica, cùm non sint actus iurisdictionis, in laicum cadere possunt. Quare laici in Consistorijs Episcoporum consiliarij & assessores esse possunt, sed non Iudices.

NOTANDVM III. Si in arbitros per 3
stipulationem spectato ciuili iure, aut per nudum pactum secundùm ius canonicum, compromissum fuit, refert, vtrùm absolutè compromissum fuerit, an verò apposita pœna, quæ soluenda sit ab eo, qui arbitrio non steterit. Priore casu actio competit, vt obseruetur arbitrium, aut, si vnus compromittentium seruare nolit, vt soluat alteri parti, quanti eius interest, l. diem, 27. §. vlt. ff. eod.

Excipe I. Nisi compromittens expressè, 4
vel tacitè receperit, seu approbauerit sententiam seu laudum arbitri, tunc indistinctè seruari, & executioni mandari debet, vt hîc habetur, & in l. ne in arbitris, 4. l. cùm antea, 5. C. eod. Quamuis autem eo loco ad approbationem seu exomologationem laudi, si ea expressè fiat, subscriptio requiratur, tamen secundùm ius canonicum, & conscientiam, (vbi ad veritatem magis attenditur) ea necessaria non videtur, vt Hostiens. Anton. & Abb. hîc monent, n. 9.

Excipe II. Si laudum manifestam ini- 5
quitatem continere videatur; ideóque pars altera intra dies decem reclamet, seu contra laudum excipiat, hac enim reclamatione debilitabitur actio alteri compromittentium cõpetens, cit. l. cùm antea. Vbi dicitur, quòd contradictio, seu reclamatio ista intra dies decem destinanda sit ad aduersarium, vel ad Iudicem. Sed ad quem Iudicem? Resp. Ad proprium Iudicem reclamantis, vt videl. si actio contra ipsum intentata, vel intentanda sit, reclamatio ista exceptionis instar sit, sicuti docet c. Quintauallis, n. 39. de iureiur. Mol. tr. 5. disp. 35. n. 8. licèt alij aliter sentiant. Quamobrem nota hic, quòd vir bonus, ad quem recurritur, vt arbitrium vel rescindat, vel ad æqualitatem reducat, sit ipsemet Iudex, sicuti ibid. Abb. monet n. 38. argum. l. continuus, 137. §. cùm ita. ff. de verb. oblig. Quòd si verò compromittens decem

dies post latum arbitrium neque reclamet, neque expressè approbet, sed sileat, tunc ea tacita approbatio reputabitur, vt postea reclamare seu quasi appellare non liceat, vti colligitur ex cit. l. cùm antea, & docet Gl. communiter recepta in l. 1. ver. actio, vers. Sed cùm, C. eod. contra Bartolum ibid. n. 3.

6 In posteriore casu si pœna transgressori adiecta sit, compromissor à sententia recedere potest, sed pœnã soluere cogitur, l 1. Gl. ver. metu, & Auth. decernit, C. eod. Idémque locum habet in omni pœna conuentionali, si vel contractui, vel transactioni adiecta sit, vt videre licet apud Mol. tr. 2. disp. 556. n. 10.

7 Excipe primò: Nisi sententia arbitri expressè approbata seu exomologata fuerit à compromittente, tunc eà stare cogitur, neque sufficit pœnam soluere: secùs autem est, si tacitè tantùm sit approbata, per lapsum dierum decem, sicut Mol. docet cit. disp. 35. n. 12. & sumitur ex cit. Auth. decernit. Quare tacita exomologatio eò tantùm inseruit, quòd quis post lapsum dierum decem reclamare non possit.

8 Excipe secundò: Nisi adiecta sit clausula, vt nihilominus sententia arbitri rata maneat; tunc qui contrauenit, & pœnam soluere, & sententiæ parere cogitur, arg. l penult. ff. de transact. l. cùm proponas, 17. C. eod. vbi hæc traduntur de transactione, si rato manente pacto, pœna adiecta sit, transgressorem & ad pœnam compelli posse, & ad transactionis obseruationem: Idémque est in arbitrio, vt videri potest apud Mol. tr. 2. disp. 556. n. 10. iun. tr. 5. disp. 35. n. 16. 17.

Veruntamen tametsi pœna quomodocunque adiecta sit, potest tamẽ compromittens reclamare allegando iniquitatem manifestã, vel fraudem. Neque enim partes in arbitros compromisisse censendi sunt, etiamsi iniquè pronuntiauerint: prohibentur autem partes inter compromittendum renuntiare reclamationi; ita vt vtrinque obseruandum sit arbitrium, tametsi iniquum fuerit, iuxta l. societatem, 67. §. arbitrorum, ff. pro socio. Nihilominus tamen exceptio competet, si dolus aduersarij intercessit: quãdoquidem conueniri haud potest, vt quispiam de dolo proprio non teneatur, sicuti bene tradit Mol. tract. 5. disp. 30. & disp. 35. num. 10.

NOTANDVM IV. Iuramentum ipsum iurantem personaliter, non aliam personam obligat: Nisi habeatur speciale mandatum ad iurandum in animam alterius. Qua de re videri potest Innocent. hic n. 4. Sanch. lib. 3. moral. c. 13. n. 17. & seqq. 9

NOTANDVM V. Si Procurator absque mandato compromisit, contra ipsum executio fieri potest. Et habet id locum in omni procuratore, qui se ad aliquid nomine absentis præstandum offert, cuius mandatum non habet, l. Plautius, 61. ff. de Procurator. 10

Restat quæstio: Si compromissor iurauit, se arbitri sententiã staturum esse, ad quidnam obligetur. Respondeo & Dico I. Licèt ex tali iuramento ciuili iure Auth. de Iudicibus, §. Quia verò, nulla tribuatur actio, sed perinde esse debeat, ac si appositum non fuerit; secùs tamen dicendum de iure canonico, sicuti ex communi tradunt Abb. hic n. 13. & c. 2. n. 8. eod. Molin. tr. 5. disp. 36. contra Bartol. in cit. Auth. Nam omne iuramentum promissorum seruandum est, si sine peccato seruari possit. 11

Dico II. Si compromissum iuramento firmatum sit, pendet ex intentione iurantis, vtrùm se obligare voluerit etiam in eum casum, tametsi iniquum arbitrium fuerit: Tunc obligatur, vt reclamare seu reductionẽ ad æquum boni viri, id est, Iudicis arbitrio petere haud possit. Secùs verò est, si intentio, saltem habitualis, se eò vsque non extenderat. 12

Sed quidnam in dubio præsumendum est? Mol. cit. disp. 36. n. 3. ait: In dubio standum esse arbitrio, tametsi iniquum sit, nisi iuramenti relaxatio obtineatur. Sed contrarium rectè docuisse videtur Celsus in l. si libertus, 30. ff. de operis libertorum, cùm ait: Ea ferè mens est personam arbitrio substituentium (quamuis cùm iuramento, vt in casu illius l.) vt quia sperent eum rectè arbi-

arbitraturum, id faciant, non quia vel immodicè obligari velint. Et consentiunt ea, quæ docui lib. 4. Th. mor. tr. 3. c. 9. corol. 2. & 3.

13 Dico III. Si quis iuratus promiserit, arbitri sententiâ se staturum, satisfacit, si interesse præstet. Ita sumitur ex hoc c. & cum Innoc. hic n. 3. docui lib. 4. Th. mor. tr. 3. c. 9. corol. 2. exemplo 3. contra Abb. hic n. 13.

14 Dico IV. Si quis compromissum cum pœna violatori adiecta, iuramento confirmauit, satisfacit, si pœnam soluat. Ita Innoc. hic, & docui loco cit. cõtra Abb. hîc n. 14. Mol. cit. disp. 35. n. 20. & disp. 36. vbi aiũt, quòd iuramentũ appositum pactioni cum adiectione pœnæ, habeat vim clausulæ, *rato nihilominus manente pacto*; argum. l. si quis maior, 41. C. de transact. Ad quam facilis est responsio, legem pœnalem esse, in pœnam periurij latam; vt qui transactionem, vel pactum iuratum violauit, infamis fiat, & actione priuatus, omni emolumento ex pactione careat. Quæ non obligant ante Iudicis sententiam, ac condemnationem. Probari autem debent hæ duæ assertiones ex eo; quia iuramentum in dubio intelligi debet secundùm terminos iuris, & secundùm naturam actus, cui apponitur, c. quemadmodum, 25. de iureiur. Atqui compromissum cum adiectione pœnæ eam suapte natura, & iuris constitutione obligationem parit, vt vel stare oporteat arbitrio, vel pœnam soluere: Ergo ita etiam obligat, si iuramentum accedat; quippe quod obligationem non extendit, sed tantùm intendit. Interim nemo negat, aliam posse esse intentionem iurantis (quæ tamen in dubio non præsumitur) videl. obligandi se specificè ad seruandum arbitrium, atque insuper, si non obseruauerit, ad pœnam soluendam.

CAPITVLVM X.

Ex parte.

PARAPHRASIS.

Cùm Canonici Ecclesiæ S. Cuniberti in discordia eligerent alij quidem Henricum de Iuliacò, alij verò Conradum de Lambardia; duo isti curarunt compromissum fieri in Archiepisc. Colonienſem: Is causæ meritis diligenter auditis ac perspectis, diem partibus designauit ad sententiam definitiuam ferendam. Interea autem moritur Henricus. Quo audito Archiepisc. prohibuit Canonicis, ne pendente sua sententia, ad aliam electionem procederent: sed aliqui non obtemperantes Beatum Canonicum Colonienſem elegerunt. Igitur cùm die constituto in præsentia partium compromittentium sententia ferri deberet, Beatus ille electus venit, & allegauit vlterius procedendum non esse; cùm per Henrici mortem compromissum finitum fuerit. Super hac re consultus Honorius III. respondit; Tametsi compromissum morte Henrici finitum fuerit, tamen de prioris electionis meritis cognosci priùs oportuisse, quàm procederetur ad secundam: quandoquidem si Conrado superstiti ius competat ex electione, satis constat, posteriorem penitus non valere.

SVMMARIVM.

1. *Discordia in causa electionis per arbitros terminari potest, in ordine ad compromittentes, non autem confirmatorem, cui præiudicari non potest.*
2. *Arbiter suam sententiam in præsentia promittentium pronunciare debet, & quidem intra tempus ipsi à partibus constitutum; aliàs expirat compromissum, nisi temporis prorogatio arbitro concessa sit.*
3. *Si duobus in discordia electis, morte alterius, vel renuntiatione, aut causâ eidem abiudicatâ procedi ad electionem nouam non potest, nisi finita lite super iure coëlecti superstitis.*
4. *Si in ordinarium super causa electionis compromissum est, morte vnius compromittentium finitur compromissum, non autem iurisdictio eius ordinaria.*

NOTANDVM I. Discordia in causa electionis per arbitros terminari potest.

Quod

Quod verum est in ordine ad ipsos compromittentes, non item vt Confirmatori præiudicetur, quò minùs de iuribus electionis & iure electi, pro quo arbitri iudicarunt, cognoscere possit, ac debeat. Verùm hoc loco in ipsum Confirmatorem compromissio facta fuit, vt & in c. cùm inter, 21. de elect.

2 NOTANDVM II. Arbiter suam sententiam, seu laudum in præsentia partium compromittentium pronuntiare debet; quamobrem partes citare potest, vt ad certum diem compareant: Vt hîc apparet, & in l. Quid tamen, 21. §. plenum, in fine, ff. eod. Debet autem arbiter intra tempus, quod illi à partibus constitutum fuit, arbitrium ferre, alioquin expirat compromissum; nisi temporis prorogandi potestas arbitro data sit, l. non distinguemus, 32. §. vlt. & l. seq. ff. eod. Sin autem tempus nullum arbitris definitum fuit, tunc intra tempus, quod congruum videri potest, postulante parte altera, ad sententiam dicendam cogi potest, sicuti docet Mol. tr. 5. disp. 43. fin. Vide l. quod tamen, 21. aliàs incipit, si cùm dies, ff. eod. vbi etiam disputatur, in quo loco arbitri pronuntiare debeant.

3 NOTANDVM III. Si ex duobus in discordia electis alter moriatur, aut renuntiet, aut ei causa abiudicetur, ad nouam electionem procedi non potest, donec lis super iure coëlecti superstitis finita sit. Ita etiam habetur in c. 1. & 2. Vt lite pendente, in 6.

4 NOTANDVM IV. Si in ordinarium super causa electionis compromissum sit, licèt morte vnius compromittentium finiatur potestas compromissi, vti dicam in c. vlt. hoc tit. non tamen finitur iurisdictio eius ordinaria. Vide Abb. hîc, n. 4.

CAPITVLVM XI.

Expositа.

PARAPHRASIS.

Inter Episcopos Feltrensem & Beluenensem ex vna parte, & ciues Teruisinos ex altera parte controuersia erat super districtu & quibusdam alijs rebus. Ea per Episcopum Hostiensem Apostolicæ Sedis legatum terminata fuit. Sed postea alijs exinde ortis discordijs, partes compromiserunt in Ducem Venetorum, obsidibus ab vtraque parte datis. Sed & Papa Honorius III. eidem Duci per literas mandauit, vt partes componere curaret. Sed cùm Dux à Legato antea latam sententiam immutare ausus esset, rescripsit Honorius; Intentionis suæ non fuisse, ei committere, vt controuersias latà per Legatum sententiâ sopitas reuocaret: Quare mandat quibusdam à se delegatis, vt non obstantibus prioribus literis suis, quæcunque per Ducis arbitrium aduersus Legati sententiam decreta esse inuenerint, in irritum reuocent, ac directè prohibeant Duci, ne vlterius in compromisso procedat; eundémque ad restitutionem obsidum, quos ad compromissi obseruationem stabiliendam acceperat, per censuram Ecclesiasticam compellant.

SVMMARIVM.

1. *Compromissum fieri non potest super iis, quæ per certam sententiam decisa sunt.*
2. *Ad confirmationem compromissi obsides dari possunt.*

NOTANDVM I. Compromissum fieri 1
non potest super ijs, quæ per indubitatam sententiam decisa sunt. Nam compromissum, sicuti & transactio, super causa dubia fieri debet, non super certa. Ita Innoc. hîc, Ioann. Andr. n. 3. Imola n. 2. quamuis aliter Abb. hîc n. 3. Cur autem in casu isto arbitriũ Ducis non valuerit, causa manifesta est, quia excessit limites compromissi. Cùm nec Episcopus potuerit in Ducem compromittere super iuribus Ecclesiæ per Legati sententiam acquisitis; neque Papa voluerit tale compromissum committere, aut concedere.

NOTANDVM II. Ad confirmatio- 2
nem compromissi obsides dari possunt. Id-

que

hæc consuetum esse inter viros potentes, ait Abb. hic n. 1. quippe qui non ita facilè conueniri, aut cogi possunt ad arbitrij obseruationem.

CAPITVLVM XII.

Innotuit.

Paraphrasis.

Inter Guilielmum & Ottonem Laicos controuersia erat super quadam pecuniæ summa. Papa eam quibusdam Iudicibus commisit; qui cùm in causa procederent, denique partes in duos arbitros compromiserunt, ea forma, vt si ipsi discordarent, Iudices delegati tertium ipsis arbitrum adiungerent, retenta penes se potestate partes ad arbitrij obseruationem compellendi. Et ita quidem factum, vt cùm duo illi conuenire non possent, tertius ipsis adiunctus fuerit, qui cum eorum altero cõsentiens, cõtra vnum compromittentium sententiam tulit. Et cùm Iudices illi delegati eum ad obseruationem compellere vellent, is se grauari sentiens, ad Sedem Apostolicam appellauit. Sed Iudices, appellatione non obstante, excommunicationis sententiam in eundem tulerunt. His intellectis, respondit Gregorius IX. si ita se res habeat, excommunicationis istam sententiam declarãdam esse irritam; eò quòd Cæsareis legibus decretum sit, vt compromissum de assumenda persona incerta nullius roboris sit.

Svmmarivm.

1. *A Iudicibus in fauorem partium delegatis transitus fieri potest ad arbitros.*
2. *Et ab his arbitris rursum ad Iudices delegatos recedi potest, cùm horum iurisdictio durante controuersia duret.*
3. *Non valet compromissum factum in duos cum adiecto, vt in casu discordiæ eligatur tertius, nisi certa persona nominetur, v. g. Sempronius.*
4. *In hoc casu arbitri discordes cogendi sunt à Iudice, vt tertiam personam sibi assumant, cuius auctoritati pareatur.*
5. *Et is non erit verus compromissarius arbiter, sed potiùs diremptor ex legis præscripto constitutus.*

NOTANDVM I. Si causa Iudicibus delegata sit in fauorem partium, possunt eæ relictis Iudicibus delegatis, in arbitros compromittere: cùm fauori rescripti renuntiare queant. c. ad Apostolicam, 16. de regul. vbi dicitur, quòd aliquis renuntiare possit ei, quod pro se introductum est. Secùs autem erit, si ob fauorem publicum causa delegata sit, sicuti hic monet Abb. n. 2. 1

His adde primò; Quòd partes eo etiam modo à Iudicibus ad arbitros recedere possint, vt tamen Iudices retineant potestatem compellendi partes ad arbitrij obseruationẽ; & eatenus prorogare Iudicum delegatorum iurisdictionem, vti ex hoc c. colligitur: quandoquidem id factum Pontifex non reprobat. 2

Adde secundò: Quòd partes, si velint, relicto compromisso, si res integra sit, iterum ad Iudices delegatos recurrere possint; cùm eorum iurisdictio extincta non sit, dum controuersia manet, sicuti ex communi Imola hic docet, n. 6. adeò vt si per cõpromissarios non expediatur, eam reassumere possint.

NOTANDVM II. Si in duos arbitros à partibus compromissum sit, ea conditione, vt si inter se dissentiant, assumant tertium, non valet compromissum: secùs, si certa persona nominatur, v. g. vt Sempronius adiungatur. Ita habetur in l. Item si vnus, 17. §. Si in duos, ff. hoc tit. Ratio ibi adiungitur; Quia fieri posset, vt etiam in eligendo tertio, si is à partibus nominatus non sit, arbiter dissentiret, ideóque causa nunquam expediretur. 3

Quid itaque fiet, si in duos arbitros compromissum sit, & ij discordent? Respondeo, huic casui prouisum esse in cit. l. Item, §. Principaliter; A Iudice cogendos esse, vt tertiam personam sibi assumant, cuius auctoritati 4

pareatur. Ideo autem iura voluerunt, vt arbitri discordes tertium assumant cum Iudicis auctoritate, & non ex partium compromisso: quia partes compromittentes non habent potestatem compellendi arbitros, sicuti Iudex habet. Vide Bartolum in cit. §. Principaliter, & quæ hîc congerit Abb. n. 8.

QVÆRITVR primò: Si compromissum sit in arbitros ea conditione, vt habeant potestatem, si discordes sint, tertium eligendi, atque in electione tertij concordent, valebitne talis electio? Respondeo, Non valebit: Cùm enim ab initio inutilis fuerit hæc compromissio, tractu temporis conualescere non potest. Imò Abb. hîc n. 8. in 3. casu cum Ioann. Andr. vult, quòd totum compromissum corruat, si cum dicta conditione seu forma factum sit; ita vt nec arbitri duo concordantes dicere possint sententiam. Sed contrarium puto esse probabilius; quòd talis modus adiectitius, videl. vt si discordarent, tertium eligere possint, non debeat ipsum principale compromissum infringere; sed potiùs pro non adiecto haberi, ita vt compromissum irritum sit, non absolutè, & in se, sed quoad illum modum, argum. reg. 37. in 6. *Vtile per inutile non vitiatur.*

5 QVÆRITVR secundò: Vtrùm is, qui Iudicis imperio ab arbitris assumptus est tertius, verus arbiter compromissarius sit? Respondeo cum Bartolo cit. §. Principaliter, n. 2. Non esse verum compromissarium arbitrum; cùm à partibus constitutus non sit: sed potiùs diremptorem ex legis præscripto cõstituendum; cuius voluntati arbitri dissidentes parere teneantur censendus est.

QVÆRITVR tertiò: Quo iure Pontifex de causa ciuili inter laicos temporali suæ iurisdictioni non subiectos iudicare, seu Iudices delegare potuerit. Respond. cum Ioann. Andr. hîc, n. 2. Causam aliquam extraordinariam interuenisse, v. g. negligentiam Iudicis secularis, iuxta c. licet, 10. de foro compet. vel aliam, quæ cùm non exprimatur, non possumus diuinando assequi.

* * *

CAPITVLVM XIII.

Cùm à nobis.

PARAPHRASIS.

Inter Archiepiscopum Senonensem, & Abbatissam ac Conuentum Monasterij Iotrensis controuersia erat super eo, quòd Archiepiscopus volebat Monasterium sibi iure Metropolitano subiectum esse. Partes sub certa pœna compromiserunt in Legatum Sedis Apostolicæ Cardinalem, quòd eius ordinationi factæ per ipsummet, vel per duos ab ipso constitutos mediatores omnimodè parere velint. Igitur causa terminata fuit à Capellano Sedis Romanæ, & Archidiacono Senonensi, qui vt mediatores seu arbitri à dicto Archiepiscopo deputati erant: Et quod ab his actum fuit, Gregor. IX. Apostolica auctoritate confirmat.

SVMMARIVM.

Arbiter vices suas alteri delegare non potest, dari tamen ei potest potestas à partibus, vt si nolit ipse per se causam definire, vnum alium vel plures constituat, per quos ea definiatur.

NOTANDVM Vn. Licèt arbiter vices suas alteri delegare non possit, l. non distinguemus, 32. §. Quæsitum, ff. hoc tit. potest tamen illi à partibus dari potestas, vt si ipse arbitrium dicere nolit, alium constituat vnum, vel plures, per quos arbitrium dicatur. Ita Gl. hîc ver. Mediatorum in resp. 2. Imola n. 7. Abb. n. 1. folut. 2. & sumitur ex cit. §. Quæsitum, &c.

CAPITVLVM Vlt.

Compromissum.

PARAPHRASIS.

Si ante latum arbitrium alter compromittentium moriatur, extinguitur compromissum.

missum, nec transit obligatio ad hæredem; nisi de hoc cautum fuerit.

SVMMARIVM.

1. *Obligatio ex compromisso ad hæredes compromittentium non transit, nisi de hoc cautum fuerit in compromisso.*
2. *Compromissum à Prælato, vel Rectore ecclesiæ super eius iuribus (de quibus ipse solus disponere non potest) factum, ante latam sententiam, morte Prælati vel Rectoris non extinguitur; secùs est, si compromissum sit super re aut iure, de quo ipse solus disponere possit.*

1 NOTANDVM Vn. Licèt actio & obligatio ex pactis, & contractibus ordinariè trâsmittatur ad hæredes, tametsi de ijs mentio nulla facta sit, l. veteris, 22. C. de cõtrah. stip. tamen ex compromisso obligatio ad hæredes compromittentium nõ transmittitur, nisi id cautum sit. Ita etiam habetur in l. diem, 27. §. Si hæredis, ff. hoc tit. Rationem affert Gl. hîc, ver. hæredes: Quia compromissa stricti iuris sunt, non extendenda vltra ea, de quibus cautum fuit, c. non distinguemus, 32. §. de officio, ff. eod. Sed hæc ratio non plenè satisfacit: cùm aliarum conuentionum obligationes quantumuis stricti iuris censeantur, tamen ad hæredem transeant; quippe quæ eadem persona cum defuncto censetur. Quare aliam magis propriam causam dat Abb. hîc: Quia in arbitros, & arbitratores partes compromittunt ex singulari erga eos fiducia: quam hæres non semper habet; sed mauult, vt controuersia per Iudices viâ ordinariâ expediatur.

Quæ eadem ratio assignari potest, cur arbiter compromissarius loco suo alium deputare non possit, nisi hoc expressè ipsi commissum fuerit, cit. l. non distinguemus, §. Quæsitum: quia censetur compromissum factum ex speciali fiducia erga hanc personam. Quæ eadem similiter dici possunt de executoribus testamentarijs.

2 QVÆRITVR hoc loco, Si Prælatus aut Rector Ecclesiæ super eius iuribus compromisit, vtrùm per eius mortem extinguatur compromissum, si arbitrium nondum latum sit. Facilis est responsio, cum Abb. hîc, n. 9. Si compromissum sit super re aut iure Ecclesiæ, de quo Rector eius, seu beneficiarius solus disponere potest alienando, transigendo, compromittendo, tunc extinguitur compromissum; quippe cùm de rebus Ecclesiæ disponere non possit vltra tempus vitæ suæ, vti dictum est in c. veniens, 8. de transact. Sin autem super iuribus Ecclesiæ, de quibus solus Prælatus disponere non potest, compromissum factum est cum debita solemnitate, videlicet interueniente consensu Capituli, & Superioris, &c. tum non extinguitur per mortem Prælati: cùm ipse non fuerit principalis compromittens, sed minister tantùm compromittentis Ecclesiæ.

CAPITVLVM PRIMVM eod. Tit. in 6.

Si ex tribus.

SI facto compromisso inter te & Titium in arbitros tres, duo eorum te condemnent in decem, tertius in quinque, stat arbitrium quoad decem: Sin autem vnus ex tribus in quindecim te condemnet, alter in decem, tertius in quinque, efficax est sententia quoad quinque, cùm in eâ summâ omnes concordes sint.

Prior pars huius responsionis tradita etiam est in c. 1. extrà, eod. Posterioris autem partis, de qua dubitari posset, rationem dare debemus: Quia si fieri possit, ita arbitrium, sicuti & actum quemlibet interpretari oportet, potiùs vt valeat, quàm vt pereat: Id autem in proposito fit, cùm ad sustentandum arbitrium consideratur in summa maiore etiam minorem inesse; adeóque qui ad quindecim, aut decem condemnauit, etiam ad quinque condemnasse censendus est.

Nisi malis dicere, Quòd in proposito casu eatenus arbitriũ efficax censeri debeat, quòd minimùm debeantur quinque: Vtrùm autem plus non debeatur, id indecisum manet:

Enimuerò si vnus aut alter arbitrorum pronuntiet, non minoris condemnari te posse, quàm in decem, aut in quindecim; manifestè apparet, arbitros concordes non esse. Quemadmodum si in tres compromissum sit arbitratores, quanti equum vendendum æstimauerint, & vnus arbitretur de aureis 60. alter de 40. tertius de 30. dici non potest, pretium equi fore aureorum 30.

CAPITVLVM II.

Vt quæstionibus.

SVMMARIVM.

1. *Si ex tribus arbitris non legitimè impeditus nolit causæ examinandæ, vel definiendæ interesse, de iure canonico (non autem ciuili) duo procedere poterunt, acsi ille præsens esset.*
2. *Circa iudices autem delegatos antiqua iura seruanda sunt.*
3. *Hæc constitutio Bonifacij VIII. seruanda tantùm est in foro ecclesiastico, & in terris Romanæ Ecclesiæ temporali iurisdictioni subiectis.*
4. *A sententia arbitri compromissarij appellare non licet, nec petere reductionem ad arbitrium boni viri.*
5. *Permissa tamen est reductio à laudo arbitratoris.*
6. *Ea autem reductio petenda est à iudice ordinario, coram quo aliàs, secluso compromisso, agendum erat.*
7. *Neque intra decem dies tantùm, sed triginta annos à dato arbitrio hæc reductio peti potest.*
8. *Licet appellare à Iudice, qui super reductione cognouit.*

1 SI ex tribus arbitris vnus legitimè requisitus ad causam vnà cum alijs examinandam & definiendam, nolit interesse, cùm legitimè impeditus non sit; tum alij duo absque illo liberè procedere, ac negotium definire possunt; sicuti possent, si ille præsens esset. sed cum ipsis consentientibus consentire nollet. Quamuis aliter secundùm ius ciuile statutum sit. Verùm, quod Iudices delegatos attinet, in ijs seruandum est ius antiquum; si tres delegati sint, non adiecta clausula, *Si non omnes*, duos absente tertio præstare nihil posse.

2

Hæc est noua constitutio Bonifac. VIII. Nam antea etiam in foro canonico seruabatur lex ciuilis item si vnus, 17. §. Celsus, ff. hoc tit. *Si in tres fuerit compromissum* (respondit Celsus) *sufficere quidem duorum consensum, si præsens fuerit & tertius: alioquin absente eo, licèt duo consentiant, arbitrium non valere: quia in plures fuit compromissum, & potiùs præsentia eius trahet illos in eius sententiam.*

Ceterùm si partes compromittentes noluerint valere arbitrium, nisi omnibus præsentibus negotium examinatum & definitum sit, tum non erit locus huic constitutioni: cùm compromissum ex partium compromittentium voluntate pendere debeat, vt rectè hîc notat Gl.

Ad extremum moneo primò, dictam Bonifacij constitutionem seruandam tantùm esse in foro ecclesiastico, & in terris Romanæ Ecclesiæ temporali iurisdictioni subiectis; ciuilem verò constitutionem adhuc locum obtinere in foro seculari, propter regulam, quam tradidi lib. 1. tr. 4. c. 8. n. 8. Si lex ciuilis & canonica circa materiam non ecclesiasticam, sed politicam, discrepent, vtramque in suo foro seruandam esse. 3

Moneo secundò: Constitutionem Bonifacij non aliter intelligendam esse, etiam pro foro ecclesiastico, & in terris Romanæ Ecclesiæ temporali iurisdictioni subiectis, quàm si maior pars arbitrorum adsit, & reliqui vocati ac requisiti, vt intersint, absque iusto impedimento negligentiâ aut malitiâ interesse noluerint; si enim iustum habeant impedimentum, vt interesse nequeant, tunc etiam de iure canonico inualidum erit arbitrium, quod sine his feret maior pars arbitrorum.

QVÆRI potest hîc I. Cùm à sententia arbitri compromissarij non liceat appellare, annon peti possit reductio ad arbitrium boni vi- 4

ni viri, vt hoc saltem remedio parti læsæ succurratur? Affirmant quidem nonnulli; rectiùs autem negatur. Ratio est primò, quia sententia arbitri cùm homologata & approbata est, siue expresè siue tacitè, lapsu decem dierum illi standum est, l. 27. §. 2. ff. hoc tit. Ratio est secundò, quia compromittendo transigere quis videtur, quòd velit acquiescere sententiæ arbitri, & desistere ab vlteriori prosecutione: ea est autem natura transactionis, vt litem semel per eam decisam instaurare non liceat, ne quidem prætextu enormis læsionis. Ita communiter DD. ad tit. ff. de transaction.

Quemadmodum igitur compromissum alio nullo iure, quàm transactionis censetur, ita læso per sententiam ex eo latam nullum aliud remedium vel auxiliũ suppetit, quàm exceptionis erroris, metûs, doli, falsitatis, quæ omnibus transactionis speciebus opponi possunt, l. sub prætextu, & l. interposita, l. siue. & l. penult. C. de transact. Et his quidem exceptionibus opponendis nullum certum tempus præscriptum est, sed perpetuò, etiam vltra triginta vel centum annos, opponi possunt, Gl. in l. 3. ver. persecutione, C. de præscript. 30. ann. & in l. si pactum, C. de except. Bald. in tr. de præscript. 4. par. princ. q. 37. Wesenbec. ad tit. de except. n. 12.

5 Et hæc quidem procedunt de vero arbitro compromissario; nam arbitratoris seu amicabilis compositoris sententiam ad arbitrium boni viri reduci posse docet Bartol. & Iason in l. arbitro, ff. qui satisdar. cog. quibus subscribunt Gaill l. 1. obseru. 150. n. 9. Guido Papæ decis. 519. non quidem absolutè, vt duo priores DD. sed in eo casu solùm, quo non tantùm per laudum compromittentium alterutrius læsio modica, verùm enormis valde contigisset, tunc censent reductionem esse admittendam.

6 QVÆRITVR II. Coram quo iudice reductio petenda sit? Variant DD. nam Lud. Rom. consil. 265. & Afflictus decis. 51. censent esse arbitratoris iudicem adeundum, eò quòd hæc petitio habeat speciem appellationis; appellatio autem fit ad Superiorem pronunciantis sententiam. Verùm alii rectiùs sentiunt adeundum esse iudicem ordinarium, coram quo, secluso compromisso, agendum erat; cùm petitio hæc sit prouocatio quædam ad iudicem competentem, qualis in hoc casu non est alius, quàm iudex rei, qui scilicet esset iudex causæ, si actor voluisset in iudicio litigare. Ita Bartol. in l. Societatem, §. arbitrorum, ff. pro soc. Panormit. in c. Quintauallis, n. 39. de iureiur. & in c. cùm dilectus, n. 20. de arbit. Bald. Angel. & Castro in l. 2. C. vbi & apud quem. Et hanc opinionem ait Gaill cit. loc. n. 2. etiam Cameram Imperialem sequi, multísque præiudicijs esse confirmatam. Neque contrariæ opinionis fundamentum firmum est; quia hæc reductio non per omnia similis est appellationi, sed in eo solùm, quòd sententia arbitratoris retractetur.

QVÆRITVR III. Ad quod vsque tempus reductio à laudo arbitratoris peti possit? 7
Resp. Quamuis sint, qui velint infra decem dies post latum laudum seu arbitramentum esse petendam, communior tamen sententia est, eam vsque ad triginta annos peti posse: cuius ratio est, quòd ius petendi reductionem ad arbitrium boni viri sit personale, quod non præscribitur, nisi triginta annis, l. sicut, C. de præscript. 30. vel 40. annor. cui non obstat l. penult. C. de arbit. quæ statuit tempus decem dierum ad reclamandum à sententia arbitri, quia hæc lex loquitur de arbitris electis ex compromisso, à quorum sententia appellare non licet, nec reductionem petere; hîc autem sermo est de arbitratoribus, de quibus nobiscum sentiunt Gaill cit. obseru. 150. n. 2. Maranta p. 6. de appellat. n. 112. & seqq. Afflict. decis. 132.

QVÆRITVR IV. An à iudice reductionis causam definiente, confirmando vel retractando laudum, appellari possit? Negant Bartol. & alij, eò quòd appellare non liceat à iudice, qui vt vir bonus arbitratur; Sed reductio fit ad virum bonum, hoc est, iudicem ordinarium, ergo appellationi locus non est. Adde, quòd hic iudex succedit in locum arbitratoris, à quo appellare permissum non est, l. 76. in fin. ff. pro soc. 8

Sed rectiùs affirmant Baldus in l. vn. n. 7. C. ne liceat in vna, eadémque causa. Couarr. l. 2. variar. resolut. c. 12. n. 3. & Gaill cit. loc. obseru. 149. n. 5. ea ratione ducti, quòd qui pronunciat super causa reductionis, sit iudex ordinarius, à quo licet appellare, nisi expressè prohibitum sit, l. 20. C. de Appellat. Cùm autem in hoc casu appellatio non reperiatur prohibita, meritò eius beneficium grauato permittendum est.

Neque obstat fundamentum oppositæ opinionis, quia licèt ei vt viro bono commissum sit arbitrium reductionis, & succedat in locum arbitratoris, à quo non appellatur, per hoc tamen non desinit esse iudex ordinarius, à quo appellare concessum est. Cõfirmatur nostra hæc opinio ex l. 76. ff. pro soc. vbi Paulus ait: Iniquitatem arbitri instituto iudicio corrigi, quo casu appellari posse dubium non est.

FINIS LIBRI PRIMI.

TYPO-

TYPOGRAPHVS LECTORI.

Mitte Lector: Hic præcipua Errata tibi damus, quæ vt plurimùm ex dubio, vel inconstanti charactere Scriptoris in huius Libri primi editionem irrepserunt. Si qua alia adhuc (fortè numera etiam) per operarum incuriam, aut aliunde ei adhæserunt, quæ properantem relegentis effugerunt, ea si animaduertes; facilè, vt spero, pro tua prudentia condonabis, & pro humanitate tua, vt suo tempore emendari possint, benignè monebis.

Fol.	Col.	Vers.	*Mendum.*	*Emendatum.*
	1	6	Explicantur,	explicatur.
	1	5. a fin.	separare	superare.
	1	18. à fin.	Externam.	Externum.
	1	18	destituendum.	destruendum.
	1	13. à fin.	principali	principalis.
	1	24	in firma.	in prima.
	1	12. à fin.	Suarez.	Sanchez
	1	4. à fin.	nomen	tamen
	1	21	eam	tam.
	1	7	corroboratum	corroboratam.
	1	2	auocationem	præsentationem.
	1	16. à fin.	non reuocantur	*Dele* non
	1	3	ad.	ut.
	1	18	locus gladij	Ius gladij
	1	7	etiamsi	modo.
	1	8	sed	licet
	1	21	communem	*Adde* usum
	1	3. à fin.	Ex. (rero.	In. (mandato.
	1	18. à fin.	Ad agendum pro al-	*Adde* absq; ejus
	1	11	Consuetudinem	desuetudinem.
	1	19. à fin.	pastopales	personales.
	1	7. à fin.	exemptoriæ.	executoriæ.
	1	5. à fin.	exemptoriis	executoriis
	1	17. à fin.	Spirituale	speciale.
	1	5	normam	nomen.
	1	27	non Extinguatur	*Dele* non
	1	16. à fin.	Titium	Caium.
	1	6. à fin.	ea collatione.	*Adde* de ea
	1	16. à fin.	rus.	ius.
	1	22	Sacerdotalis	sacerdotale.
	1	27	siue.	sed. (censetur.
	1	15. à fin.	derogatum censetur	derogatum non
	2	7	delegatus.	delegatum.
	1	4	iudices,	iudicis.
	1	10	Vel.	Ver.
	1	2	Ex rescriptis	& rescriptis.
	1	5. à fin.	in Scriptura	à Scriptura
	2	25	afferenda seruari dé-	Offerenda seruari
	1	23	deuotum. (beat.	decretũ. (debent
	2	18. à fin.	affectu.	effectu.
	1	12. à fin.	dignitate.	dignitati.
	1	17	necessarius,	necessaria;
	1	16	præcepta.	prætextu.
	1	4	nior.	Senior.
	2	10	dispensatio.	postulatio
	2	14. fin.	habilitatos	inhabilitates.
	2	10	nullo	nulla
	2	24	postularit	postularint.
	2	22	iustitia	iustitiæ
	2	12. à fin.	actum	factum.
	2	19	decet	debet.
	1	18	indinus	indignus.
	2	2	ea.	eo.
	1	25	derogatio	denegatio
	2	1	Episcopum	Archiepiscopũ.
	2	18	eo	ex.
	2	6. à fin.	apponerent	opponerent.
	1	6. à fin.	cum nolis	cum nobis.
	1	24	ubi	*Adde* duo.
	2	26	enim	etiam
	1	14	vocatio	Vacatio
	1	12. à fin.	ff	dele,
	2	23	successione	susceptione
	2	23. à fin.	quem	quam.
	1	9	sed	ad
	1	24	illicitè.	liberè.
	2	14. à fin.	necessitatem	*prapone* Seu.
	2	5	dictus S. Archi- presbyter	& Archipres- byter.
	2	2	à nobis	cùm nobis
	2	15. à fin.	administra-	administratio-
	2	24	non (torij.	*Dele* (ni.e
	1	14. à fin.	ob	*Dele*
	2	22	negatiua	affirmatiua
	1	18	peruenisse	non peruenisse.
	2	9. à fin.	uis	ius.
	1	ultimo	ex causa	Exempli cau-
	1	22	ipsum	seipsum. (si.
	1	11	vocati.	priuati.
	1	10 à fin.	quæ in prima (electione.	*Adde* ius eli- (gẽdi retinuit.
	1	19	eos	res.
	2	25 à fin.	acceptio	accessio.
	2	24.	requis. 6.	requisito Sexto.
	2	6 à fin.	Sanione	Saniore.
	1	7	Episcopus permitten- (non est	Episcopum. *Adde* ut reue- (care possit.
	1	10	electione	*adde* vel
	2	18. à fin.	quosnam	quinam.
	1	14	alicuius	alicui.
	1	20	filium	dele.
ibid.	2	19	neque	atque.
324	2	8	secuti	sicuti.
327	14	4	legatos	adde ad sint

)(

Fol.	Col	Vers.	Mendum	Emendatum.
319	2	11	concessione	successione
332	1		15. à fin. electio	Ecclesia
333	2	12	rescindendos non (esse	*Dele* non
339	2	2	Ad.	à.
340	1	6	Iuris	*Dele*
341	1	7	allatum	ablatum.
344	1	1	sensim	seorsim.
ibid.	1	19	aquisitum	requisitum.
344	1	10	cæteruna	*Adde* qui
345	1	21	qui	quia.
348	2	23	contractioni	contradictioni.
348	2	13	Concilij	Scrutinij
356	2	19. à fin.	de.	ab.
356	1	22	petendi	petendæ.
357	1	12. à fin.	sed etiam	*Adde* propter
357	1	14. à fin.	ipsa.	ipsi.
357	1	6. à fin.	dmainistratio	administratio-(nem.
363	2	11	præsumptionis	præsumprionē.
364	1	3 à fin.	ius	uis.
365	1	8	parte	partis.
ibid	11	2	per formam Scrutinij.	*Adde* fiunt.
ibid	11	2 à fin.	declarata	declaratur.
Ibid	2	10	respondens	respondet
367	2	17 à fin.	jure speciali	jura specialia
368	2	17	in eam consentiat.	in eam non (consentiat.
371	1	21	sine.	siue.
372	1	11 à fin.	conditio	conditione.
374	1	19 à fin.	& quidem	*Adde* antequā.
378	2	3. à fin.	præsentiam	pœnitentiam
379	1	21	discursum	discussum.
381	2	14	incapaces sint	*Adde* fiat
382	2	14	quæ ad formam	quæ non ad formam.
383	1	15. à fin.	Exigat	exigant.
383	2	3. à fin.	Venditonio	Venditori.
384	2	22	intentini.	intentioni.
385	2	21	minor	maior.
387	1	4	efficere	*adde* possunt.
ibid	1	11	ad	ut.
ibid	2	2. à fin.	deinde	*adde* si.
388	1	8	aliquis eo	aliquis se eo.
ibid	1	24	rectitudine	restitutione.
369		4. à fin.	meritò	mentio.
390	1	1	depositione	dispositione
397	2	19. à fin.	inferat	afferat
399	1	8. à fin.	electioni	administratio-(ni.
401	1	8	definirus	definitum.
412	2	4 à fin.	irrita non sit	*Dele* non.
414	1	5	hoc ipsum	ao hoc ipsum.
ibid	1	16	unus	omnes.
415	2	ult.	Iure	quod iure.
415	2	17	Titium	Caium.

Fol.	Col.	Vers.	Mendum.	Emendatum.
417	1	8	&	ex
418	1	1	sunt	non sunt.
418	1	16	communi	*Hic immediatè subiungenda quæ in altera columna à versu* : Sed contraria habentes &c. *usque ad finem.*
419	1	14. à fin.	Expressum	non expressum.
424	2	9. à fin.	manifectum	manifestum.
435	1	11 à fin.	absente	*adde* factam.
436	1	12	præscripserit	præscripserint.
443	2	22	non nomine	non suo nomine sed.
446	2	16 à fin.	dandam	sedandam.
446	1	8. à fin.	perueniat	perueniatur.
447	2	ult.	erant	erat
452	2	5 & 6 à fin.	illæ faciliùs generantur, quàm corrumpuntur	Illæ facilius corrumpuntur, quàm generantur
453	1	12 à fin.	allegatus	alligatus.
454	1	3. à fin.	ex.	eo. (sum.
ibid	2	4	prohibita	*adde* concessam ad Ecclesiam
456	2	17	Ecclesiam	
457	1	19	præcipuum	*adde* Patriarchatum.
463	1	4. à fin.	ardore	ardor,
465	1	19 à fin.	subiiciant	subiiciunt.
466	1	5. à fin.	Ananias	Andreas.
466	12	à fin.	non	*dele*
466	1	3. à fin.	denuntiatione.	renuntiatione.
ibid	2	25	portione	pactione
468	1	5. à fin.	pro	præ
468	2	6	facilè	facili.
474	1	14	sic	hæ.
ibid	1	16	debent	deber.
472	2	9. à fin.	n. 6.	in 6.
472	1	18	beneficiali.	*adde* renuntiabat.
475	1	6. à fin.	oporter	oportere.
477	1	3	episcopatu	*adde* relicto
478	2	5. à fin.	sufficienter	non sufficienter
481	2	2	causa 17.	causa 7.
481	2	15	reuertuntur	reuertantur.
482	2	16	quamuis,	quo minùs.
487	2	7	pinguiore.	*adde:* præcenda.
487	2	16 à fin.	deceptos	deceptis.
494	1	14 à fin.	reuocationem	renuntiationem.
495	2	2. à fin.	Ecclesias	Ecclesiæ.
497	2	17. à fin.	regularis	Secularis.
500	1	14	Semester	intra Semestre.
504	1	7	Quin.	quia.
507	2	14 à fin.	gradum	graduum.
507	2	10	ut.	&
512	1	19 à fin.	ob eam	*adde:* continuationem.

Fol.	Col.	Vers.	Mendum.	Emendatum.
113	1	8. à fin.	uti.	ur.
113	1	1	Subdiaconatum	Diaconatum.
113	1	21	interſtitionum	Interſtitiorũ.
118	1	25	negat	affirmat.
118	2	30	affirmat	negat.
119	2	8	Sententiæ	Sententia.
120	2	13 à fin.	ex	eſt.
121	2	8	ceterique	plerique.
122	2	4	ordinantis	ordinanti
123	1	23	minùs	nimis
129	2	12	coguntur	cogantur
131	2	20	non	*Dele*
136	1	12	religinem	religionem.
142	1	13. à fin.	nullo	*adde*: iure.
146	1	22. à fin.	pater.	patri.
151	2	3. à fin.	immeditè	immediatè.
157	1	10 à fin.	Legitimo	illegitimo
158	2	20 à fin.	poſſit.	poſſint.
160	1	ult.	habeant	habeat.
161	2	2	dederunt	dederit.
168	1	9	ſubiacent	ſubiaceant.
169	2	15 à fin.	pluribus	in pluribus
173	2	10	Vnitum	Vnitam.
178	1	2	&.	ſed.
179	1	21	quod dimiſſo	quod uno dimiſſo.
180	1	4	proprias	proprios
181	1	18 à fin.	eiuſdem	cuiuſdam.
183	2	13	dicuntur quippiam	dicatur quidpiam.
186	2	7	ſine reſpectu	ſiue reſpectu
188	1	13. à fin.	promulgandam non eſſe. (bus	*Dele* non.
198	1	8	in renuntiationi-	in denuntiationibus
199	2	5	dat	non dat
199	1	ult.	delegata	delegato.
201	1	14	ob.	&.
203	1	5	delegata	delegato.
205	2	5	Vnicestriæ	Vincestriæ
207	2	4. à fin.	ſi Epiſcopo	*Adde*: à propinquo.
209	1	2	Exequí non poſſit	*dele* non
211	1	12. à fin.	Vniuerſalem	Vniuerſitatẽ.
213	2	3	aliquis	aliqua.
214	2	19. à fin.	citionis	citationis.
217	1	8	res inregra	res non integra.
221	1	15. à fin.	publica ignorantia	publicè ignoretur
233	2	11	comparare	comparere.
241	2	6	valeant	Valeat
242	2	7	parti (5.	pacti.
243	2	16. à fin.	intelligit: hic not.	intellige iuxta dicta ſupra.
247	2	6. à fin.	delegato (lam	coram delegato
248	1	6. à fin.	appellationem il-	appellatio illa

Fol.	Col.	Vers	Mendum.	Emendatum.
635	1	6. à fin.	non valuiſſe	conualuit,
635	1	6	excuſationes	recuſationes.
636	2	20. à fin.	val-de	velle.
638	1	11	cooperandum.	comparendum.
639	2	14	teſtis	teſti.
644	2	18. à fin.	alterum	arbitrum.
647	2	10	Exactor	Executor.
649	2	8	Exemptionem	Executionem.
ibid	2	11	cognoſcere	*Adde* poteſt
ibid	2	9. à fin.	obſeruata	obſeruato.
650	1	17	tum	eam.
653	1	14	q. 19.	*dele* q.
656	1	21	quantitatem	qualitatem.
662	2	4	ſuſpenſus	ſuſpectus.
664	1	7. à fin.	in	ui.
666	2	21	ponat	proponat
ibid	2	18. à fin.	ordinariè	ordinariæ
669	2	13	ſubdelegata	ſubdelegato.
670	1	4	delegent	deligant.
672	2	23. à fin.	citatus	*adde*: conſtetur.
673	2	3	regularibus	à regularibus
673	2	18. à fin.	obſiſtat.	abſiſtat.
673	1	3. à fin.	eorúmque.	*dele* que.
675	1	3	delegatis	ſubdelegatis
675	1	18. à fin.	delegato	ſubdelegato.
ibid	1	ult.	non poteſt	*dele* non.
677	1	16. à fin.	dum	tum.
ibid	2	10	noſcitur	naſcitur.
682	2	15	in formâ	*dele* in.
683	2	18	iuriſdictio	inquiſitio.
684	2	10	Subdelegatum	ſubdelegantem.
684	2	11	ſubdelegatio-nis	delegationis
686	2	5	Extinguatur	non Extinguatur
691	1	22	cogunt	coguntur.
ibid	2	ult.	ſuper	*Adde* cauſa
694	1	5	ceſſante	*Adde* poteſt.
695	1	penult.	ſed alij	*Adde* affirmant.
701	2	9	uti.	ur.
702	2	6. à fin.	admonere	admoneat.
705	1	10. à fin.	Sed.	ſeu.
707	2	24	abutitur	*Adde* in eandem Excommunicationẽ reducatur.
708	1	5. à fin.	aſſignatis	aſſignatâ
711	2	5. à fine	*Lege ſic*	Gl. cit. §. Verùm ver. cùm executionem.
717	1	21	Exercere	Excitari.
726	1	6	& bona	*Adde* fide
740	1	17	ad alium	*adde* caſum.
743	2	6	id.	ad.
744	2	22	contingere.	conſtringere.
744	2	28	priuatiuè	*Adde* habeat.
745	1	17	tranſire	non tranſire.
747	1	14. à fin.	quamuis	tamen.
748	1	17. à fin.	atque	abſque.
ibid	2	ult.	reuocandum	reuocandorum.

Fol.	*Col.*	*Vers.*	*Mendum.*	*Emendatum.*
750	1	14	non præiudicaſ-ſos	*dele* non
751	2	1	electiones	alienationes.
751	2	5	meritò	mutuo
752	2	17. à fin.	ſpretur	Speretur.
752	2	12	capitulis	capitibus
753	2	10	uti	ubi.
753	1	5. à fin.	Decani	Diaconi.
754	1	12	compenſionem	compenſatio-nem.
767	1	14	ob hanc	*adde* cauſam.
771	2	4. à fin.	adminiſtratio-nibus	adminiſtrato-ribus
771	1	5	portiones	pactiones
773	2	7	præuentibus	prouentibus.
776	1	11. à fin.	eorum.	earum.
776	2	8. à fin.	afficere	afficiat.
777	1	ult.	ſoluendam	ſoluendum.
780	1	19	Eccleſiaſtico	*adde* foro.
790	2	16. à fin.	hæc erat	*adde* cauſa.
791	1	ult.	factam	facta.
797	1	7	procutorium	procuratorium.
799	2	16	procuratori	procurator.
ibid	2	28	Gl. margin.	*Adde*. ff. de pe-culio.
810	2	7. à fin.	voluutarium	involuntarium.
812	1	4. à fin.	electus non fuit	*dele* non.
816	1	15. à fin.	grauem fuiſſe	grauem non fu-iſſe.
ibid	2	12. à fin.	malitatis	mali.
818	1	4. à fin.	caſum	caſu
ibid	1	17. à fin.	non minus	in maius
819	2	8. à fin.	pontifice	Pontifici.
826	2	2	alium	aliam.
826	2	3. à fin.	afferens	afferentem
833	3	21 & 28	Vero	mero.
838	2	20. à fin.	Eccleſia	Eccleſia.
839	1	13	Excuſatur	non excuſatur.
839	2	11	incluſum	concluſum.
840	1	6. à fin.	ei	eo.
ibid	2	25	mutandi iudi-cij	*Adde* cauſa
853	2	8. à fin.	docet	*Adde* Abb. in c.
ibid	2	ult.	decem	intra decem.
854	1	20. à fin.	promiſſorum	promiſſorium.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

LAIMAN

In I decretalium.

Th 1
4794
II
3

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN